BIBLIOTECA NAZ
Vittorio Emanuele III
X
H
2
NAPOLI

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI

DOMINI

CLEMENTIS

PAPÆ XI.

CONSTITUTIO

UNIGENITUS

Theologicè propugnata.

TOMUS PRIMUS

Cum Synopſi.



ROMÆ

Apud Jo: Mariam Salvioni Typographum Vaticanum

In Archigymnaſio Sapientiæ.

MDCCXVII.

SUPERIORUM FACULTATE.

Bibliothecæ Domus professæ neapolit. Societatis Jesu

[illegible]

Digitized by Google

MONITUM
AD LECTOREM.

LIBELLOS *contra Bullam* UNIGENITUS *edendi nullus eſt finis : pro illa prodeunt pauciſſimi ; ut ſolent novæ hæreſeos Architecti in ſtabilienda ſecta ardentiores eſſe, quàm pro Eccleſiæ defenſione Catholici. Hi nempe de* Fidei *ſuæ veritate, & Divinis promiſſionibus ſecuri, certiſſimum habent, portas inferi adversùs eam non prævalituras. Et quidem, quas videre hactenus licuit pro Conſtitutione Apologias, pleræque perbreves ſunt, firmandis potiùs in Fide Catholicis, quàm confutandis hæreticis accommodatæ : utque unius fortè noctis vigiliis ortum ſuum debent, paucorum paſſim dierum luce perfruuntur. Quapropter amicorum aliqui cenſuere, non inutilem præſtiturum me Eccleſiæ operam, ſi, quam ſingulari plurium annorum ſtudio acquiſiviſſe viſus ſum præſentium controverſiarum intelligentiam, majoris molis lucubrationi impenderem. Pareo non invitus, etſi valetudine minùs firmâ.*

Sic autem in toto Opere verſari conabor, ut communis Fidei, *& Conſtitutionis Apoſtolicæ ; non Scholæ alicujus* Catholicæ *defenſorem, aut adverſarium agam. Dum igitur ab amicorum vindiciis abſtineo, non ægrè, ut confido,*

ferent cæteri, licèt mihi charitate conjuncti, ſi eorum contra Janſeniſtas cauſam, ſubinde non ſtudioſiùs ſuſcipio, aut ab iiſdem in erroris ſocietatem vocatos non operosè diſcerno, ac ſegrego. Operâ ipſi meâ, & patrocinio non egent; habentes ætatem, & ſcientiam. Nempe, ut Tullius nunquam meliùs peroraſſe creditur, quàm pro domo ſua, ita quiſque ſui ſolet eſſe defenſor optimus: Quod ſi ullibi, in ſententiis potiſſimùm locum tenet, ubi ſenſus cuique ſuus perſpectiſſimus eſt, atque adeò nullus ejus interpres aptior, aut ſecurior. Janſeniſtæ quoque facilè ignoſcent, ſi quod acrius contra ſe dictum offenderint; ſatìs conſcii, quos ipſi verborum, ſententiarnm, narrationum aculeos felle perlitos amariſſimo, omnibus, quos ſibi, ſeu potiùs erroribus ſuis adverſari quoquo modo viderint, ac præcipuè Religioſis, Epiſcopis, Sedis Apoſtolicæ Adminiſtris, atque ipſi etiam Summo Pontifici infigere petulantiùs ſoleant, nuperam quoque ejus Conſtitutionem Unigenitus *modis indigniſſimis dilacerantes. Neque mellitis ſemper ſermonibus contra Hæreticos uſi ſunt Sancti Patres, vel contra Scribas, & Phariſæos hypocritas Chriſtus, tametſi ingenio, & moribus mitiſſimus. Denique hoc genus uſitatiſſimum polemicæ ſcriptionis eſt, ubi non de probabilibus utrinque placitis inter Catholicos; ſed contra damnatos à Pontificibus errores, contra pertinaces eorum, & audaciſsimos patronos, pro Fide, pro Eccleſia diſceptatur. Hanc autem tenebo Operis ſeriem, ut, præmiſſo Conſtitutionis tenore, lucubrationem meam dedicem* Unigenito Dei Filio, *à quo Bulla ducit exordium. Hunc mihi Mecœnatem unicum, & Protectorem deſidero: Ejus enim bellum eſt, in cujus manu ſunt omnium poteſtates, & omnium jura regnorum, cujus Theſauri nec ſtipendiis, nec largitionibus minuuntur.*

Dedicationi ſuccedunt Prolegomena, quibus complector generalia quædam ad damnatas Propoſitiones, earum Authorem, & librum unde excerptæ ſunt, pertinentia, cum obje-

objectionum pariter generalium præoccupatione. Hinc gradus fiet ad impugnandum Propoſitiones ſingulas, quo Pontificiæ prohibitionis æquitas Solis radiis clarior eluceat. Quâ demonſtratâ, refellam quidquid ſpeciem aliquam rationis; vel authoritatis oppoſitæ præ ſe ferre aliquibus fortè videretur. At nolim inutili labore, & Lectoris tædio expendere infinitam locorum farraginem, ab Adverſariis adeò temerè congeſtam, ut plerunque plus ſtudii opus ſit, quò reperias, quam cum præſcriptis dogmatibus connexionem habere Novatoribus videri potuerint, quàm quo ab eis diſcrimine ſeparentur. Non tamen omnino fruſtranea ad Janſenianorum ſcopum eſt ea citationum, etſi diſſolutarum, & ad inſtitutum minimè pertinentium coacervatio. Tot enim Scripturarum, Conciliorum, Patrum oſtentatio magnifica, authoritatem erroribus apud imperitos conciliat, & velut quoddam faſcinum, turpitudinem aſpectibus ſubducit. Quis enim hæreticum, vel erroneum ſuſpicetur, quod tantis Authoribus legerit ſtabilitum? Plures quoque ſcientiâ, & Fidei zelo præditos à refutandis erroribus abſterret, quos viderint tam multis (etſi fallaciſſimis) argumentis, tricis, Patrum allegationibus implicatos. Mihi verò à peritioribus perſuaſum eſt, eam ineundam eſſe in refutandis erroribus rationem, ut neque difficultates adverſariæ diſſimulentur, neque frivolis quibuſque objectionibus diſſolvendis oleum perdatur, & opera; nè & Lectoris tempus inutiliter pereat, & fruſtrà exerceatur patientia. Nolim porrò debitor eſſe, aut videri Janſeniſtis: Sed, ſi poſt editionem Operis, quidpiam à me prætermiſſum cenſuerint, aut majore donandum luce, ulterius addico obſequium; &, opitulante DEO, confido, me Catholicorum utcunque impleturum deſideria, Janſeniſtarum forſitan ſuperaturum.

Confutatis Propoſitionibus ſingulis, aggrediar ſchiſmaticam Queſnelli Querimoniam, & Proteſtationem; *Janſeniana* Hexapla, *& cæteras, quæ ad me pervenerint, Propoſitio-*

poſitionum Vindicias : *denique ad totius confirmationem Operis, referam ſecuta poſt Conſtitutionem* Unigenitus, *Sedis Apoſtolicæ Brevia*, & *Decreta* : *dein judicia Univerſitatum de Propoſitionibus condemnatis* ; *Epiſcoporum pro executione Conſtitutionis mandata Paſtoralia*, & *quædam alia huc ſpectantia documenta*.



DECLARATIO AUTHORIS

DIſputatorem Theologum, non Fidei Definitorem ago. Ideo quidquid cenſuram Propoſitionis cujuſcunque determinatam alicubi ſapere videbitur, non plus eam valere cupio, quàm allegata ſecundùm meam ſententiam argumenta probaverint. Neque enim is ego ſum, qui Summi Pontificis mentem ſcrutari audaciùs præſumam circa id, quod ipſi declarare non placuit. Sanè cùm ex ipſis Conſtitutionis Apoſtolicæ verbis pateat, cenſuras varias Propoſitionibus *reſpectivè* inflictas fuiſſe, non ſingulis ſingulas *determinatè* applicatas, *dicendum eſt* (ut præclarè in ſimili monet Suarez de Gratia part. 1. Proleg.6. cap.2. num.8.) *Apoſtolicam Sedem non tam fuiſſe ſolicitam de illa particulari applicatione cenſuræ quoad ſpeciem, vel gradum ejus, quàm de exterminanda, & abolenda tota illa doctrina, ſicut ſtatim fecit, illam damnando, & inpoſterum interdicendo. Ad hunc autem finem ſufficiens fuit illa generalis cenſura, licèt plura membra contineat; quia quælibet nota illarum ſufficit, ut doctrina ipſa circumſcribatur, etiamſi propria nota, & cenſura uniuſcujuſque Propoſitionis per regulas Theologiæ ad ſingulas applicanda Doctoribus Theologiæ permittatur. Neque eſt novus hic modus damnandi pravam aliquam doctrinam, quæ plures continet: nam ſimili modo damnavit Leo X. articulos Lutheri in ſua Bulla, & Concilium Conſtant. articulos Joannis Vvicleſ, & Joannis Hus ſeſſ.8. & 15.*

INDEX

INDEX
TITULORUM
In Prolegomenis contentorum.

Conſtitutio Unigenitus Clementis XI. Pag. 1.
Dedicatio Unigenito Filio Dei. Pag. 13.
Argumentum. Pag. 21.
Cap. I. De Authore Obſervationum Moralium, ſeu libri, unde Propoſitiones excerptæ ſunt. Pag. 21.
Cap. II. Occaſio Conſtitutionis contra Propoſitiones ex Moralibus Obſervationibus excerptas. Pag. 25.
Cap. III. Utilitas, & neceſſitas Conſtitutionis. Pag. 28.
Conſtitutio *Univerſi Dominici Gregis*. Clementis XI. Pag. 30.
Cap. IV. De Obſervationum Moralium approbatoribus. Pag. 32.
Cap. V. De Obſervationum Moralium editione magis correcta, & denuntiatione Propoſitionum. Pag. 34.
Cap. VI. De SS. Auguſtino, & Thoma à Queſnello, & cæteris Janſeniſtis paſſim in patrocinium vocatis. Pag. 36.
Cap. VII. De affectato à Queſnello, & cæteris Janſeniſtis conſenſu cum recentioribus S. Thomæ diſcipulis. Pag. 38.
Cap. VIII. De Queſnelli profeſſione Fidei ſubdola, & minimè ſufficienti circa gratiam, libertatem, & mortem Chriſti pro ſalute hominum. Pag. 42.
Parallelum doctrinæ Janſenii, & quinque Articulorum. Pag. 45.
Articulus I. *ibidem*.
Janſenius Articulo primo conſentiens. Pag. 46.
Articulus II. Pag. 47.
Janſenius Articulo ſecundo conſentiens. Pag. 48.
Articulus III. Pag. 49.
Janſenius Articulo tertio conſentiens. *ibid.*
Articulus IV. Pag. 51.
Janſenius Articulo quarto conſentiens. *ibidem*.
Articulus V. Pag. 52.
Janſenius Articulo quinto conſentiens. *ibidem*.
Concluſio Animadverſionum in quinque Articulos. Pag. 53.
Cap. IX. Paragraphus primus Epiſtolæ Queſnelli ad Clementem XI. refellitur ex ſcriptis ejuſdem Authoris ante præſentem Pontificatum. Pag. 58.
Cap. X. Proſecutio contra eumdem Epiſtolæ paragraphum ex ſcriptis Queſnelli, Clemente XI. Pontifice. Pag. 63.
Cap. XI. Expenditur ſecundus Epiſtolæ Queſnellianæ paragraphus. Pag. 70.
Cap. XII. Expenditur Epiſtolæ paragraphus tertius. Pag. 74.
Cap. XIII. Examinatur Queſnellianæ Epiſtolæ paragraphus quartus. Pag. 76.
Cap. XIV. De laudibus fraudulentis, quæ in Queſnelli Epiſtola tribuuntur Cardinali Noaillio, & Benigno Boſſuetio Epiſcopo Meldenſi. Pag. 80.
Cap. XV. Expenditur, quod Queſnellus ex allatis pro ſe patrociniis concludit. Pag. 87.
Cap. XVI. De jactata à Queſnello puritate verſionis Novi Teſtamenti. Pag. 89.
Cap. XVII. De jactata à Queſnello omnium Obſervationum ſuarum veritate. Pag. 92.
Cap. XVIII. Examinantur tria Queſnelli Poſtulata. Pag. 93.

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendiſſimo Patri ſacri Palatii Apoſtolici Magiſtro.

Nicolaus Card. Caracciolus Pro-vicarius Archiep. Capuæ.

APPROBATIONES,

PRIMI TOMI CUM SYNOPSI.

DE mandato Reverendiſſimi Patris Fr. Gregorii Selleri Magiſtri ſacri Palatii Apoſtolici, attentè vidi Librum, cui titulus: *Sanctiſſ. Domini Noſtri Domini* CLEMENTIS *Papæ XI. Conſtitutio* UNIGENITUS *Theologicè propugnata, Tomus Primus, cum Synopſi*; in quo poſt Prolegomena perutilia defenditur Exordium Conſtitutionis, & tam multiplicium Propoſitionum damnatio; ac oſtenditur, nullam eſſe neceſſitatem ulterioris explicationis. Deinde ſingularum Propoſitionum damnatio uſque ad trigeſimam ſeptimam incluſivè Theologico examine propugnatur, & ab Hæreticorum cavillis vindicatur. Opus hoc ſolidè, luculenter, & perſpicuè ſtabiliens Catholicam veritatem, & oppoſitionum nubeculas diſſolvens, nedum utile, ſed planè neceſſarium cenſeo, ut publici juris fiat. Datum Romæ in Collegio SS. Blaſii & Caroli die 11. Aprilis 1717.

Jo: Michael Teronius Barnabita Qualificator ſancti Officii, electus Epiſcopus Venuſinus.

OPus inſcriptum: *Sanctiſſimi Domini Noſtri Domini* CLEMENTIS *Papæ XI. Conſtitutio* UNIGENITUS *Theologicè propugnata, Tomus Primus, cum Synopſi*, ex commiſſione Reverendiſſimi Patris Fr. Gregorii Selleri ſacri Apoſtolici Palatii Magiſtri, ſemel, atque iterum examinavi, in quo, præmiſſis utiliſſimis Prolegomenis, Exordium imprimis ejuſdem Conſtitutionis maxima energia, & non minori perſpicuitate, acumine ingenii, & doctrinæ ſoliditate Author propugnat. Deinde, Authoris Propoſitionum damnatarum qualitate, periculoſo etiam ſerpentis Janſeniſmi tempore, & puritatis Catholicæ Religionis zelo voces in curvas ſignificationes, & benignas interpretationes deflectere, aut reſtringere omnino prohibentibus, jure merito triginta ſeptem priores damnatos Articulos in ſuo naturali ſenſu, quem verborum proprietas, indefiniti termini, ac definitivus loquendi ſæpiſſimè inculcatus modus præſeferunt, accipit noſter Author; in quo & Cathedram Sancti Petri eos condemnantis accepiſſe nullus dubito. Tum verò eoſdem Articulos, ſacræ Scripturæ, Conciliorum, ac ſanctorum Patrum authoritatibus, necnon Theologicis rationibus luculenter impugnat, & expugnat validiſſimè. Ac demum Adverſariorum Argumenta omnia, & ſingula non modò retundit, & proſternit; ſed etiam apertiſſimè oſtendit, ad ea damnata Dogmata ſuadenda eſſe prorſus futilia, inania, & ridicula. Tanta denique ſe gerit erga Catholicorum Scholas modeſtia, & obſervantia, ut firmam ipſe ſpem conceperim, etiam Thomiſticæ Alumnos hoc Volumen haud parvi facturos. Sic enim Author totam hanc materiam pertractat, ut legenti clarè conſtet, ex nullius particularis Scholæ placitis pendere damnatorum Articulorum Confutationem, aut Conſtitutionis Apoſtolicæ æquitatem; ſicut reipſa non dependet: quandoquidem tam pro Conſtitutione, quàm contra quemvis ex damnatis Articulis, argumenta in omnium Catholicorum ſententia exhibet invicta. Hoc itaque Opus planè ingenioſiſſimum, & grandi eruditione refertum publicis typis dignum, & Chriſtifidelibus perutile cenſeo. Ex Conventu Sanctæ Mariæ ſuper Minervam die 26. Aprilis 1717.

Fr. Auguſtinus Pipia Ordinis Prædicatorum ſacræ Congregationis Indicis Secret., ac ſanctæ Romanæ, & Univerſalis Inquiſitionis Qualificator.

Stante Declaratione facta ab Authore initio Operis circa ſpecialem, ac determinatam cenſuram cujuſcunque ex damnatis Propoſitionibus,

IMPRIMATUR.

Fr. Gregorius Selleri ſacri Palatii Apoſtolici Magiſter, Ordinis Prædicatorum.

SAN-

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI

D. CLEMENTIS

Divina Providentia

PAPÆ XI.

Damnatio quamplurium Propoſitionum excerptarum ex Libro, Gallico idiomate impreſſo, & in plures Tomos diſtributo, ſub titulo : *Le nouveau Teſtament en François, avec des reflexions morales ſur chaque verſet &c. A Paris* 1699. Ac aliter : *Abregè de la morale de l'Evangile, des Actes des Apòtres, des Epìtres de S. Paul, des Epìtres Canoniques, & de l'Apocalypſe*, ou *Penſees Chretiennes ſur le Texte de ces Livres Sacrez &c. A Paris* 1693. & 1694.

Cum prohibitione ejuſdem Libri, & aliorum quorumcunque in ejus defenſionem tam hactenus editorum, quàm in poſterum edendorum.

CLEMENS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

Univerſis Chriſtifidelibus ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

UNIGENITUS DEI Filius pro noſtra, & totius Mundi ſalute Filius hominis factus, dum Diſcipulos ſuos doctrinâ veritatis inſtrueret, univerſamque Eccleſiam ſuam in Apoſtolis erudiret, præſentia diſponens, & futura proſpiciens, præclaro, ac ſaluberrimo documento nos admonuit, ut attenderemus à falſis Prophetis, qui veniunt ad nos in veſtimentis ovium ; quorum nomine potiſſimùm demonſtrantur Magiſtri illi mendaces, & in deceptione illuſores, qui ſplendidâ pietatis ſpecie prava dogmata latenter inſinuantes, introducunt ſectas perditionis ſub imagi-

Digitized by Google

ne ſanctitatis; utque faciliùs incautis obrepant, quaſi deponentes lupinam pellem, & ſeſe Divinæ Legis ſententiis velut quibuſdam ovium velleribus obvolventes, Sanctarum Scripturarum, adeòque etiam ipſius Novi Teſtamenti verbis, quæ multipliciter in ſuam, aliorumque perditionem depravant, nequiter abutuntur: antiqui ſcilicet, à quo progeniti ſunt, mendacii Parentis exemplo, ac magiſterio edocti, nullam omnino eſſe ad fallendum expeditiorem viam, quàm ut ubi nefarii erroris ſubintroducitur fraudulentia, ibi divinorum verborum prætendatur authoritas.

His Nos verè divinis monitis inſtructi, ubi primùm, non ſinè intimâ cordis noſtri amaritudine, accepimus, Librum quemdam Gallico idiomate olim impreſſum, & in plures Tomos diſtributum, ſub titulo: *Le Nouveau Teſtament en François, avec des reflexions morales ſur chaque verſet &c. A Paris* 1699. Aliter verò: *Abregè de la morale de l'Evangile, des Actes des Apòtres, des Epìtres de S. Paul, des Epìtres Canoniques, & de l'Apocalypſe*, ou *Penſees Chretiennes ſur le Texte des ces Livres Sacrez &c. A Paris* 1693. & 1694. tametſi aliàs à Nobis damnatum, ac reverâ Catholicis veritatibus pravarum doctrinarum mendacia multifariàm permiſcentem, adhuc tamen tanquam ab omni errore immunem à pluribus haberi, Chriſtifidelium manibus paſſim obtrudi, ac nonnullorum nova ſemper tentantium conſilio, & operâ ſtudiosè nimis quaquaversùm diſſeminari, etiam Latinè redditum, ut perniciosæ inſtitutionis contagium, ſi fieri poſſit, pertranſeat de gente in gentem, & de Regno ad populum alterum: verſutis hujuſmodi ſeductionibus, atque fallaciis creditum Nobis Dominicum Gregem in viam perditionis ſenſim abduci ſummopere doluimus: adeòque Paſtoralis non minùs curæ noſtræ ſtimulis, quàm frequentibus Orthodoxæ Fidei Zelatorum querelis, maximè verò complurium Venerabilium Fratrum, præſertim Galliæ, Epiſcoporum literis, ac precibus excitati, gliſcenti morbo, qui etiam aliquando poſſet in deteriora quæque proruere, validiori aliquo remedio obviàm ire decrevimus.

Et

Et quidem ad ipſam ingruentis mali cauſam providæ noſtræ conſiderationis intuitum convertentes, perſpicuè novimus ſummam hujuſmodi Libri perniciem ideo potiſſimùm progredi, & invaleſcere, quòd eadem intus lateat, & velut improba ſanies, nonniſi ſecto ulcere foràs erumpat; cùm Liber ipſe primo aſpectu legentes ſpecie quadam pietatis illiciat; molliti enim ſunt ſermones ejus ſuper oleum: ſed ipſi ſunt jacula, & quidem intento arcu ità ad nocendum parata, ut ſagittent in obſcuro rectos corde. Nihil propterea opportunius, aut ſalubrius præſtari à Nobis poſſe arbitrati ſumus, quàm ſi fallacem Libri doctrinam generatim ſolummodo à Nobis hactenus indicatam, pluribus ſingillatim ex eo excerptis Propoſitionibus, diſtinctiùs, & apertiùs explicaremus, atque univerſis Chriſtifidelibus noxia zizaniorum ſemina è medio tritici, quo tegebantur, educta, velut ob oculos exponeremus. Ità nimirum denudatis, & quaſi in propatulo poſitis, non uno quidem, aut altero, ſed plurimis, graviſſimiſque, tum pridem damnatis, tum etiam novè adinventis erroribus, planè confidimus, benedicente Domino, fore ut omnes tandem apertæ jam, manifeſtæque veritati cedere compellantur.

Id ipſum maximè è re Catholica futurum, & ſedandis præſertim in florentiſſimo Galliæ Regno exortis ingeniorum variè opinantium, jamque in acerbiores ſciſſuras protendentium diſſidiis apprimè proficuum: Conſcientiarum denique tranquillitati perutile, & propemodum neceſſarium, non modò præfati Epiſcopi, ſed & ipſe in primis Chariſſimus in Chriſto Filius noſter Ludovicus Francorum Rex Chriſtianiſſimus, cujus eximium in tuendâ Catholicæ Fidei puritate, extirpandiſque erroribus zelum ſatìs laudare non poſſumus, ſæpiùs Nobis eſt conteſtatus; repetitis propterea verè piis, & Chriſtianiſſimo Rege dignis officiis, atque ardentibus votis à Nobis efflagitans, ut inſtanti animarum neceſſitati prolatâ quantociùs Apoſtolici cenſurâ Judicii conſuleremus.

Hinc adſpirante Domino, ejuſque cœleſti ope confiſi, ſalutare opus ſedulò, diligenterque, ut rei magnitudo poſtulabat,

bat, aggreſſi ſumus; ac plurimas ex prædicto Libro, juxta ſupra recenſitas reſpectivè editiones, fideliter extractas, & tum Gallico, tum Latino idiomate expreſſas Propoſitiones à compluribus in Sacrâ Theologiâ Magiſtris, primò quidem coram duobus ex Venerabilibus Fratribus noſtris Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus accuratè diſcuti: deinde verò coram Nobis, adhibito etiam aliorum plurium Cardinalium conſilio, quàm maximâ diligentiâ, ac maturitate, ſingularum inſuper Propoſitionum cum ipſomet Libri textu exactiſſimè facta collatione, pluries iteratis Congregationibus, expendi, & examinari mandavimus. Hujuſmodi autem Propoſitiones ſunt, quæ ſequuntur, videlicet:

I. *Quid aliud remanet animæ, quæ Deum, atque ipſius gratiam amiſit, niſi peccatum, & peccati conſecutiones, ſuperba paupertas, & ſegnis indigentia, hoc eſt generalis impotentia ad laborem, ad orationem, & ad omne opus bonum?*

II. *Jeſu Chriſti gratia, principium efficax boni cujuſcunque generis, neceſſaria eſt ad omne opus bonum; abſque illa, non ſolùm nihil fit, ſed nec fieri poteſt.*

III. *In vanum, Domine, præcipis, ſi tu ipſe non das quod præcipis.*

IV. *Ità Domine: Omnia poſſibilia ſunt ei, cui omnia poſſibilia facis, eadem operando in illo.*

V. *Quando Deus non emollit cor per interiorem unctionem gratiæ ſuæ, exhortationes, & gratiæ exteriores non inſerviunt, niſi ad illud magis obdurandum.*

VI. *Diſcrimen inter Fœdus Judaicum, & Chriſtianum eſt, quod in illo Deus exigit fugam peccati, & implementum legis à peccatore, relinquendo illum in ſua impotentia: in iſto verò Deus peccatori dat, quod jubet, illum ſua gratia purificando.*

VII. *Quæ utilitas pro homine in veteri Fœdere, in quo Deus illum reliquit ejus propriæ infirmitati, imponendo ipſi ſuam legem? Quæ verò felicitas non eſt admitti ad Fœdus, in quo Deus nobis donat, quod petit à nobis?*

VIII. *Nos non pertinemus ad novum Fœdus, niſi in quantum participes ſumus ipſius novæ gratiæ, quæ operatur in nobis id, quod Deus nobis præcipit.*

IX. *Gratia Chriſti eſt gratia ſuprema, ſinè qua confiteri Chriſtum nunquam poſſumus, & cum qua nunquam illum abnegamus.*

X. *Gratia eſt operatio manus Omnipotentis Dei, quam nihil impedire poteſt, aut retardare.*

XI. *Gratia non eſt aliud, quàm voluntas Omnipotentis Dei, jubentis, & facientis, quod jubet.*

XII. *Quando Deus vult ſalvare animam, quocunque tempore, quocunque loco effectus indubitabilis ſequitur voluntatem Dei.*

XIII. *Quando Deus vult animam ſalvam facere, & eam tangit interiori gratiæ ſuæ manu, nulla voluntas humana ei reſiſtit.*

XIV. *Quantumcunque remotus à ſalute ſit peccator obſtinatus, quando Jeſus ſe ei videndum exhibet lumine ſalutari ſuæ gratiæ, oportet, ut ſe dedat, accurrat, ſeſe humiliet, & adoret Salvatorem ſuum.*

Quan-

XV. *Quando Deus mandatum ſuum, & ſuam externam locutionem comitatur unctione ſui Spiritus, & interiori vi gratiæ ſuæ, operatur illa in corde obedientiam, quam petit.*

XVI. *Nullæ ſunt illecebræ, quæ non cedant illecebris gratiæ, quia nihil reſiſtit Omnipotenti.*

XVII. *Gratia eſt vox illa Patris, quæ homines interiùs docet, ac eos venire facit ad Jeſum Chriſtum: quicunque ad eum non venit, poſtquam audivit vocem exteriorem Filii, nullatenus eſt doctus à Patre.*

XVIII. *Semen Verbi, quod manus Dei irrigat, ſemper affert fructum ſuum.*

XIX. *Dei gratia nihil aliud eſt, quàm ejus omnipotens voluntas: hæc eſt idea, quam Deus ipſe nobis tradit in omnibus ſuis Scripturis.*

XX. *Vera gratiæ idea eſt, quòd Deus vult ſibi à nobis obediri, & obeditur; imperat, & omnia fiunt; loquitur tanquam Dominus, & omnia ſibi ſubmiſſa ſunt.*

XXI. *Gratia Jeſu Chriſti eſt gratia fortis, potens, ſuprema, invincibilis, utpote quæ eſt operatio voluntatis Omnipotentis, ſequela, & imitatio operationis Dei incarnantis, & reſuſcitantis Filium ſuum.*

XXII. *Concordia omnipotentis operationis Dei in corde hominis cum libero ipſius voluntatis conſenſu demonſtratur illico nobis in Incarnatione, veluti in fonte, atque Archetypo omnium aliarum operationum miſericordiæ, & gratiæ; quæ omnes ità gratuitæ, atque ità dependentes à Deo ſunt, ſicut ipſa originalis operatio.*

XXIII. *Deus ipſe nobis ideam tradidit omnipotentis operationis ſuæ gratiæ, eam ſignificans per illam, qua Creaturas è nihilo producit, & mortuis reddit vitam.*

XXIV. *Juſta idea, quam Centurio habet de Omnipotentia Dei, & Jeſu Chriſti in ſanandis corporibus ſolo motu ſuæ voluntatis, eſt imago ideæ, quæ haberi debet de omnipotentia ſuæ gratiæ in ſanandis animabus à cupiditate.*

XXV. *Deus illuminat animam, & eam ſanat æquè ac corpus ſola ſua voluntate; jubet, & ipſi obtemperatur.*

XXVI. *Nullæ dantur gratiæ, niſi per Fidem.*

XXVII. *Fides eſt prima gratia, & fons omnium aliarum.*

XXVIII. *Prima gratia, quam Deus concedit Peccatori, eſt peccatorum remiſſio.*

XXIX. *Extra Eccleſiam nulla conceditur gratia.*

XXX. *Omnes, quos Deus vult ſalvare per Chriſtum, ſalvantur infallibiliter.*

XXXI. *Deſideria Chriſti ſemper habent ſuum effectum; pacem intimo cordium infert, quando eis illam optat.*

XXXII. *Jeſus Chriſtus ſe morti tradidit ad liberandum pro ſemper ſuo ſanguine Primogenitos, ideſt Electos, de manu Angeli exterminatoris.*

XXXIII. *Proh quantum oportet bonis terrenis, & ſibimetipſi renunciaſſe, ad hoc, ut quis fiduciam habeat ſibi, ut ita dicam, appropriandi Chriſtum Jeſum, ejus amorem, mortem, & myſteria, ut facit Sanctus Paulus, dicens:* Qui dilexit me, & tradidit ſemetipſum pro me.

XXXIV. *Gratia Adami non producebat, niſi merita humana.*

XXXV. *Gratia Adami eſt ſequela creationis, & erat debita naturæ ſanæ, & integræ.*

XXXVI. *Differentia eſſentialis inter gratiam Adami, & ſtatus innocentiæ, ac gratiam Chriſtianam eſt; quòd primam unuſquiſque in propria perſona recepiſſet: iſta verò non recipitur, niſi in perſona Jeſu Chriſti reſuſcitati, cui nos uniti ſumus.*

XXXVII. *Gratia Adami, ſanctificando illum in ſemetipſo, erat illi proportionata: Gratia Chriſtiana, nos ſanctificando in Jeſu Chriſto, eſt omnipotens, & digna Filio Dei.*

Pec-

XXXVIII. *Peccator non eſt liber, niſi ad malum, ſinè gratia Liberatoris.*

XXXIX. *Voluntas, quam gratia non prævenit, nihil habet luminis, niſi ad aberrandum; ardoris, niſi ad ſe præcipitandum; virium, niſi ad ſe vulnerandum: Eſt capax omnis mali, & incapax ad omne bonum.*

XL. *Sinè gratia nihil amare poſſumus, niſi ad noſtram condemnationem.*

XLI. *Omnis cognitio Dei, etiam naturalis, etiam in Philoſophis Ethnicis, non poteſt venire, niſi à Deo, & ſinè gratia non producit, niſi præſumptionem, vanitatem, & oppoſitionem ad ipſum Deum, loco affectuum adorationis, gratitudinis, & amoris.*

XLII. *Sola gratia Chriſti reddit hominem aptum ad ſacrificium Fidei: ſinè hoc nihil, niſi impuritas; nihil, niſi indignitas.*

XLIII. *Primus effectus gratiæ baptiſmalis eſt facere, ut moriamur peccato; adeò ut ſpiritus, cor, ſenſus non habeant plus vitæ pro peccato, quàm homo mortuus habeat pro rebus mundi.*

XLIV. *Non ſunt, niſi duo amores, unde volitiones, & actiones omnes noſtræ naſcuntur: amor Dei, qui omnia agit propter Deum, quemque Deus remuneratur: & amor, quo nos ipſos, ac mundum diligimus, qui quod ad Deum referendum eſt, non refert, & propter hoc ipſum fit malus.*

XLV. *Amore Dei in corde Peccatorum non ampliùs regnante, neceſſe eſt, ut in eo carnalis regnet cupiditas, omneſque actiones ejus corrumpat.*

XLVI. *Cupiditas, aut Charitas, uſum ſenſuum bonum, vel malum faciunt.*

XLVII. *Obedientia legis profluere debet ex fonte; & hic fons eſt Charitas. Quando Dei amor eſt illius principium interius, & Dei gloria ejus finis, tunc purum eſt, quod apparet exteriùs; alioquin non eſt, niſi hypocriſis, aut falſa juſtitia.*

XLVIII. *Quid aliud eſſe poſſumus, niſi tenebræ, niſi aberratio, & niſi peccatum, ſinè Fidei lumine, ſinè Chriſto, & ſinè Charitate?*

XLIX. *Ut nullum peccatum eſt ſinè amore noſtri, ita nullum eſt opus bonum ſinè amore Dei.*

L. *Fruſtrà clamamus ad Deum, Pater mi: ſi ſpiritus Charitatis non eſt ille, qui clamat.*

LI. *Fides juſtificat, quando operatur; ſed ipſa non operatur, niſi per Charitatem.*

LII. *Omnia alia ſalutis media continentur in Fide, tanquam in ſuo germine, & ſemine; ſed hæc Fides non eſt abſque amore, & fiducia.*

LIII. *Sola Charitas Chriſtiano modo facit (actiones Chriſtianas) per relationem ad Deum, & Jeſum Chriſtum.*

LIV. *Sola Charitas eſt, quæ Deo loquitur, eam ſolam Deus audit.*

LV. *Deus non coronat, niſi Charitatem: qui currit ex alio impulſu, & ex alio motivo, in vanum currit.*

LVI. *Deus non remunerat, niſi Charitatem, quoniam Charitas ſola Deum honorat.*

LVII. *Totum deeſt Peccatori, quando ei deeſt Spes, & non eſt Spes in Deo, ubi non eſt amor Dei.*

LVIII. *Nec Deus eſt, nec Religio, ubi non eſt Charitas.*

LIX. *Oratio Impiorum eſt novum peccatum, & quod Deus illis concedit, eſt novum in eos judicium.*

LX. *Si ſolus ſupplicii timor animat pœnitentiam, quò hæc eſt magis violenta, eò magis ducit ad deſperationem.*

LXI. *Timor nonniſi manum cohibet, cor autem tandiù peccato addicitur, quandiù ab amore juſtitiæ non ducitur.*

LXII. *Qui à malo non abſtinet, niſi timore pœnæ, illud committit in corde ſuo, & jam eſt reus coram Deo.*

LXIII. *Baptizatus adhuc eſt ſub lege, ſicut Judæus, ſi legem non adimpleat, aut adimpleat ex ſolo timore.*

LXIV. *Sub maledicto legis nunquam fit bonum, quia peccatur ſive faciendo ma-*

malum, ſive illud non niſi ob timorem evitando.

LXV. *Moyſes, Prophetæ, Sacerdotes, & Doctores Legis mortui ſunt, abſque eo quòd ullum Deo dederint filium, cùm non effecerint niſi mancipia per timorem.*

LXVI. *Qui vult Deo appropinquare, nec debet ad ipſum venire cum brutalibus paſſionibus, neque adduci per inſtinctum naturalem, aut per timorem, ſicuti beſtiæ, ſed per fidem, & per amorem ſicuti filii.*

LXVII. *Timor ſervilis non ſibi repræſentat Deum, niſi ut Dominum durum, imperioſum, injuſtum, intractabilem.*

LXVIII. *Dei Bonitas abbreviavit viam ſalutis, claudendo totum in Fide, & precibus.*

LXIX. *Fides, uſus, augmentum, & præmium Fidei, totum eſt donum puræ liberalitatis Dei.*

LXX. *Nunquam Deus affligit innocentes; & afflictiones ſemper ſerviunt, vel ad puniendum peccatum, vel ad purificandum Peccatorem.*

LXXI. *Homo ob ſui conſervationem poteſt ſeſe diſpenſare ab ea lege, quam Deus condidit propter ejus utilitatem.*

LXXII. *Nota Eccleſiæ Chriſtianæ eſt, quod ſit Catholica, comprehendens & omnes Angelos Cœli, & omnes Electos, & Juſtos terræ, & omnium Seculorum.*

LXXIII. *Quid eſt Eccleſia, niſi cœtus Filiorum Dei manentium in ejus ſinu, adoptatorum in Chriſto, ſubſiſtentium in ejus perſona, redemptorum ejus ſanguine, viventium ejus ſpiritu, agentium per ejus gratiam, & expectantium gratiam futuri Seculi?*

LXXIV. *Eccleſia, ſive integer Chriſtus, Incarnatum Verbum habet ut Caput, omnes verò Sanctos ut membra.*

LXXV. *Eccleſia eſt unus ſolus homo, compoſitus ex pluribus membris, quorum Chriſtus eſt Caput, vita, ſubſiſtentia, & perſona; Unus ſolus Chriſtus, compoſitus ex pluribus Sanctis, quorum eſt Sanctificator.*

LXXVI. *Nihil ſpatioſius Eccleſia Dei, quia omnes Electi, & Juſti omnium Seculorum illam componunt.*

LXXVII. *Qui non ducit vitam dignam filio Dei, & membro Chriſti, ceſſat interiùs habere Deum pro Patre, & Chriſtum pro Capite.*

LXXVIII. *Separatur quis à Populo electo, cujus figura fuit Populus Judaicus, & Caput eſt Jeſus Chriſtus, tam non vivendo ſecundùm Euangelium, quàm non credendo Euangelio.*

LXXIX. *Utile, & neceſſarium eſt omni tempore, omni loco, & omni perſonarum generi ſtudere, & cognoſcere ſpiritum, pietatem, & myſteria ſacræ Scripturæ.*

LXXX. *Lectio ſacræ Scripturæ eſt pro omnibus.*

LXXXI. *Obſcuritas ſancta verbi Dei non eſt Laicis ratio diſpenſandi ſeipſos ab ejus lectione.*

LXXXII. *Dies Dominicus à Chriſtianis debet ſanctificari lectionibus pietatis, & ſuper omnia ſanctarum Scripturarum. Damnoſum eſt velle Chriſtianum ab hac lectione retrahere.*

LXXXIII. *Eſt illuſio, ſibi perſuadere, quòd notitia myſteriorum Religionis non debeat communicari fœminis, lectione ſacrorum librorum. Non ex fœminarum ſimplicitate, ſed ex ſuperba Virorum ſcientia, ortus eſt Scripturarum abuſus, & natæ ſunt hæreſes.*

LXXXIV. *Abripere è Chriſtianorum manibus Novum Teſtamentum, ſeu eis illud clauſum tenere, auferendo eis modum illud intelligendi, eſt illis Chriſti os obturare.*

LXXXV. *Interdicere Chriſtianis lectionem ſacræ Scripturæ, præſertim Euangelii, eſt interdicere uſum luminis filiis lucis, & facere ut patiantur ſpeciem quandam excommunicationis.*

LXXXVI. *Eripere ſimplici Populo hoc ſolatium, jungendi vocem ſuam voci totius Eccleſiæ, eſt uſus contrarius praxi Apoſtolicæ, & intentioni Dei.*

Modus

Digitized by Google

LXXXVII. *Modus plenus ſapientia, lumine, & charitate, eſt dare animabus tempus portandi cum humilitate, & ſentiendi ſtatum peccati, petendi ſpiritum pœnitentiæ, & contritionis, & incipiendi, ad minus, ſatisfacere juſtitiæ Dei, antequam reconcilientur.*

LXXXVIII. *Ignoramus quid ſit peccatum, & vera pœnitentia, quando volumus ſtatim reſtitui poſſeſſioni bonorum illorum, quibus nos peccatum ſpoliavit, & detrectamus ſeparationis iſtius ferre confuſionem.*

LXXXIX. *Quartusdecimus gradus converſionis Peccatoris eſt, quòd, cùm ſit jam reconciliatus, habet jus aſſiſtendi Sacrificio Eccleſiæ.*

XC. *Eccleſia authoritatem excommunicandi habet, ut eam exerceat per primos Paſtores, de conſenſu, ſaltèm præſumpto, totius corporis.*

XCI. *Excommunicationis injuſtæ metus nunquam debet nos impedire ab implendo debito noſtro: nunquam eximus ab Eccleſia, etiam quando hominum nequitiâ videmur ab ea expulſi, quando Deo, Jeſu Chriſto, atque ipſi Eccleſiæ per Charitatem affixi ſumus.*

XCII. *Pati potiùs in pace excommunicationem, & anathema injuſtum, quàm prodere veritatem, eſt imitari Sanctum Paulum; tantum abeſt, ut ſit erigere ſe contra authoritatem, aut ſcindere unitatem.*

XCIII. *Jeſus quandoque ſanat vulnera, quæ præceps primorum Paſtorum feſtinatio infligit ſinè ipſius mandato; Jeſus reſtituit, quod ipſi inconſiderato zelo reſcindunt.*

XCIV. *Nihil pejorem de Eccleſia opinionem ingerit ejus inimicis, quàm videre, illic dominatum exerceri ſupra Fidem Fidelium, & foveri diviſiones propter res, quæ nec Fidem lædunt, nec mores.*

XCV. *Veritates eò devenerunt, ut ſint Lingua quaſi peregrina, plerisque Chriſtianis: & modus eas prædicandi eſt veluti idioma incognitum; adeò remotus eſt à ſimplicitate Apoſtolorum, & ſupra communem captum Fidelium: Neque ſatìs advertitur, quòd hic defectus ſit unum ex ſignis maximè ſenſibilibus ſenectutis Eccleſiæ, & iræ Dei in filios ſuos.*

XCVI. *Deus permittit, ut omnes Poteſtates ſint contrariæ Prædicatoribus veritatis, ut ejus victoria attribui non poſſit, niſi divinæ gratiæ.*

XCVII. *Nimis ſæpe contingit, membra illa, quæ magìs ſanctè, ac magìs ſtrictè unita Eccleſiæ ſunt, reſpici, atque tractari tanquam indigna, ut ſint in Eccleſia, vel tanquam ab ea ſeparata: ſed Juſtus vivit ex Fide, & non ex opinione hominum.*

XCVIII. *Status perſecutionis, & pœnarum, quas quis tolerat, tanquam hæreticus, flagitioſus, & impius, ultima plerunque probatio eſt, & maximè meritoria, utpote quæ facit hominem magis conformem Jeſu Chriſto.*

XCIX. *Pervicacia, præventio, obſtinatio in nolendo, aut aliquid examinare, aut agnoſcere ſe fuiſſe deceptum, mutant quotidie quoad multos in odorem mortis id, quod Deus in ſua Eccleſia poſuit, ut in ea eſſet odor vitæ, v. g. bonos libros, inſtructiones, ſancta exempla, &c.*

C. *Tempus deplorabile, quo creditur honorari Deus, perſequendo veritatem, ejusque diſcipulos! Tempus hoc advènit . . . . . Haberi, & tractari à Religionis Miniſtris, tanquam impium, & indignum omni commercio cum Deo, tanquam membrum putridum, capax corrumpendi omnia in ſocietate Sanctorum, eſt hominibus piis morte corporis mors terribilior. Fruſtrà quis ſibi blanditur de ſuarum intentionum puritate, & zelo quodam Religionis, perſequendo flammâ, ferroque viros probos, ſi propria paſſione eſt excæcatus, aut abreptus alienâ, propterea quòd nihil vult examinare. Frequenter credimus ſacri-*

Digitized by Google

crificare Deo Impium, & ſacrificamus Diabolo Dei Servum.

CI. *Nihil Spiritui Dei, & doctrinæ Jeſu Chriſti magis opponitur, quàm communia facere juramenta in Eccleſia; quia hoc eſt multiplicare occaſiones pejerandi, laqueos tendere infirmis, & idiotis, & efficere, ut nomen, & veritas Dei aliquando deſerviant conſilio impiorum.*

Auditis itaque tum voce, tum ſcripto Nobis exhibitis præfatorum Cardinalium, aliorumque Theologorum ſuffragiis, divinique in primis luminis, privatis ad eum finem, publiciſque etiam indictis precibus, implorato præſidio, omnes, & ſingulas Propoſitiones præinſertas, tanquam falſas, captioſas, malè ſonantes, piarum aurium offenſivas, ſcandaloſas, perniciosas, temerarias, Eccleſiæ, & ejus praxi injurioſas, neque in Eccleſiam ſolùm, ſed etiam in Poteſtates ſeculi contumelioſas, ſeditioſas, impias, blaſphemas, ſuſpectas de hæreſi, ac hæreſim ipſam ſapientes, nec non hæreticis, & hæreſibus, ac etiam ſchiſmati faventes, erroneas, hæreſi proximas, pluries damnatas, ac demum etiam hæreticas, variaſque hæreſes, & potiſſimùm illas, quæ in famoſis Janſenii propoſitionibus, & quidem in eo ſenſu, in quo hæ damnatæ fuerunt, acceptis, continentur, manifeſtè innovantes, reſpectivè, hac noſtra perpetuò valitura Conſtitutione declaramus, damnamus, & reprobamus.

Mandantes omnibus utriuſque ſexus Chriſtifidelibus, nè de dictis Propoſitionibus ſentire, docere, prædicare aliter præſumant, quàm in hac eadem Noſtra Conſtitutione continetur, ita ut quicunque illas, vel illarum aliquam conjunctim, vel diviſim docuerit, defenderit, ediderit, aut de eis, etiam diſputativè, publicè, aut privatim tractaverit, niſi forſan impugnando, Eccleſiaſticis cenſuris, aliiſque contra ſimilia perpetrantes à Jure ſtatutis pœnis ipſo facto, abſque alia declaratione ſubjaceat.

Cæterùm per expreſſam præfatarum Propoſitionum reprobationem alia in eodem Libro contenta nullatenus approbare intendimus; cùm præſertim in decurſu examinis complures alias in eo deprehenderimus propoſitiones illis, quæ, ut ſupra, damnatæ fuerunt, conſimiles, & affines, iiſdemque erroribus imbutas: nec ſanè paucas ſub imaginario quo-

dam, veluti graſſantis hodie perſecutionis obtentu, inobedientiam, & pervicaciam nutrientes, eaſque falſo Chriſtianæ patientiæ nomine prædicantes; quas propterea ſingulatim recenſere, & nimis longum eſſe duximus, & minimè neceſſarium; ac demum, quod intolerabilius eſt, Sacrum ipſum Novi Teſtamenti Textum damnabiliter vitiatum compererimus, & alteri dudum reprobatæ verſioni Gallicæ Montenſi in multis conformem: à vulgata verò editione, quæ tot ſeculorum uſu in Eccleſia probata eſt, atque ab Orthodoxis omnibus pro authentica haberi debet, multipliciter diſcrepantem, & aberrantem, pluriesque in alienos, exoticos, ac ſæpe noxios ſenſus, non ſinè maxima perverſitate detortum.

Eundem propterea Librum, utpote per dulces ſermones, & benedictiones, ut Apoſtolus loquitur, hoc eſt, ſub falſa piæ inſtitutionis imagine, ſeducendis Innocentium cordibus longè accommodatum, ſive præmiſſis, ſive alio quovis titulo inſcriptum, ubicunque, & quocunque alio idiomate, ſeu quavis editione, aut verſione hactenus impreſſum, aut in poſterum (quod abſit) imprimendum, authoritate Apoſtolicâ tenore præſentium iterum prohibemus, ac ſimiliter damnamus; quemadmodum etiam alios omnes, & ſingulos in ejus defenſionem tam ſcripto, quàm typis editos, ſeu forſan (quod Deus avertat) edendos libros, ſeu libellos, eorumque lectionem, deſcriptionem, retentionem, & uſum omnibus, & ſingulis Chriſtifidelibus ſub pœna excommunicationis per contrafacientes ipſo facto incurrenda, prohibemus pariter, & interdicimus.

Præcipimus inſuper Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Archiepiſcopis, & Epiſcopis, aliiſque locorum Ordinariis; necnon hæreticæ pravitatis Inquiſitoribus, ut contradictores, & rebelles quoſcunque per cenſuras, & pœnas præfatas, aliaque Juris, & facti remedia, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, brachii ſecularis auxilio, omnino coërceant, & compellant.

Volumus autem, ut earundem præſentium Tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigil-

ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem fides prorsus adhibeatur, quæ ipſis originalibus literis adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Nulli ergo hominum liceat hanc paginam noſtræ declarationis, damnationis, mandati, prohibitionis, & interdictionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo ſeptingenteſimo decimo tertio, Sexto Idus Septembris, Pontificatus Noſtri Anno Decimotertio.

I. Card. Prodatarius.

F. Oliverius.

Viſa de Curia L. Sergardus.

Loco ✠ Plumbi.

Regiſtrata in Secretaria Brevium.

L. Martinettus.

Anno à Nativitate Domini Noſtri Jeſu Chriſti milleſimo ſeptingenteſimo decimo tertio, Indictione ſexta, die verò decima Septembris, Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & Domini Noſtri, Domini Clementis Divina providentia Papæ XI. Anno decimo tertio ſupradictæ Literæ Apoſtolicæ affixæ, & publicatæ fuerunt ad Valvas Eccleſiæ Lateranenſis, & Baſilicæ Principis Apoſtolorum, Cancellariæ Apoſtolicæ, Curiæ Generalis in Monte Citatorio, in Acie Campi Floræ, ac in aliis locis ſolitis, & conſuetis Urbis per me Petrum Romulatium Apoſtolicum Curſorem.

Antonius Placentinus Magiſter Curſorum.

Digitized by Google

Digitized by Google

UNIGENITO DEI FILIO
JESU CHRISTO
Salvatori omnium hominum.

DOMINE JESU FILI DEI UNIGENITI, ſplendor æternæ lucis, qui illuminas omnem hominem venientem in hunc mundum, non Te latet, quantas filii iniquitatis tenebras errorum affundere Eccleſiæ tuæ moliantur. Fidem, quam à Te, ab Apoſtolis, à Vicariis tuis, à Patribus, & priùs à Prophetis edocti fuimus, ſubruere tentant, & novam inducere; quæ ſub fallaci pietatis ſpecie pietatem ipſam extinguit; quin & excuſſo Obedientiæ jugo, omnem deſpiciens poteſtatem, diſſolutioni morum viam pandit latiſſimam, præcipitemque in flagitiorum omnium abyſſum. Exaltavit quidem contra novitates vocem piiſſimus CLEMENS Vicarius tuus Conſtitutione ſaluberrima, quâ infirmos, atque nutantes in fide corroborans, ab interitus periculo plurimos revocavit. Sed non deſunt adhuc errantes, & obſurdeſcentes voci Paſtoris aliqui cum ovibus agni. Hos quoque, benigniſſime Servator, qui ſolus noſti rebelles compellere propitius voluntates, ad CLEMENTEM Paſtorem adducere digneris, ut fiat unum Ovile, & unus Paſtor. Huc vota ſua, huc preces afflicta tendit Eccleſia, huc tota præſens tuo conſecrata Nomini collimat lucubratio. Tu manum dirige, nè & ipſa à veri tramite declinet: Tu fructum operi tribue; nam & plantare noſtrum, & irrigare nihil eſt, niſi Tu dederis incrementum. Priuſquam autem prolixiores de Propoſitionibus diſſertationes ingredior, fortè brevis, ac ſimplex ſingulorum expoſitio errorum, non erit inutilis iis, quibus otium non eſt ingentia peſcrutari volumina; & pleriſque hæreſibus uſuvenit, ut eas luci expoſuiſſe, quodammodo refutaſſe ſit.

Si primo Articulo damnato credimus, anima, quæ peccando tuâ excidit gratiâ, nihil retinet *niſi peccatum*, & indè ortam *generalem impotentiam ad laborem*, *ad orationem, & ad omne opus bonum*. Oppoſitum ſemper Eccleſia docuit: non deeſſe ſcilicet peccatoribus vires, Te juvante, atque urgente præcepto, ſufficientes ad pœnitentiam. Imprudens aliàs & fraudulenta eſſet benigniſſima tua, divinis toties teſtata Oraculis, ad converſionem invitatio: iniquum foret converſionis mandatum; iniquior non convertentium ſe tam atrox apud inferos punitio.

Quid de ſecundo dicemus Articulo, qui omnibus gratiâ efficaci carentibus non ſolùm omnem denegat actionem bonam, ſed & ejus eliciendi poteſtatem? Quam blaſphemiam univerſa ſemper deteſtata eſt Eccleſia. Si enim naturæ lumine omnibus inditum ſit, DEUM eſſe, quo nihil melius excogitari poteſt, quis illud agnoſcat Numen, injuſtum, crudele, barbarum, quod miſeris mortalibus graviſſima ingerat ſupplicia propter peccata, quæ vitare non potuerint? Diceret potiùs humanum genus cum Lactantio contra Idololatras diſputante, *Præſtaret nullos habere Deos, quàm habere tam crudeles*. Unde quod impius ille è Calviniſtâ Atheus, Author libri *De arte nihil credendi*, unum inter blaſphemias non incongruum dixit, *Oportere prius Calviniſtam fieri*, *qui Atheus eſſe vellet*, Janſenianæ hæreſi facilè aptabitur, ut priùs Janſeniſta fiat, qui Atheus eſſe voluerit.

Arti-

Articulus tertius Te, tuaque præcepta vanitatis incuſat, quoties ſubſidium efficax, quod ſæpe denegas, elargitus non fueris. Longè ab ea impietate abſuit Auguſtinus, & eſt, quiſquis cum eo Catholicus auxilium ſemper quidem implorat efficaciſſimum; ſed dum non conceditur, divinorum adorat judiciorum inſcrutabilium æquitatem; ſuaque agnoſcit peccata priſtina, & fortè præſentia, negati favoris indebiti cauſam pluſquam ſufficientem.

Contra quartum Articulum ſemper credidimus, omnia præcepta nobis ſufficienti gratiâ poſſibilia fieri, etiam dum efficaci in nobis auxilio non operaris; aliàs iterum injuſtitiæ argueris, qui punias omiſſionem præcepti, quod defectu operantis auxilii fuerit penitùs impoſſibile.

Nihil peccatori pernicioſius eſt Articulo quinto; dum enim nondum ſenſerit Deum *emollire cor per interiorem unctionem gratiæ ſuæ*, fugere tenebitur *exhortationes, & gratias exteriores*, quales ſunt lectiones ſpirituales, conciones, auditio ſacri, & quæcunque exteriora pietatis officia; quia juxta Articulum, *ad nihil ſerviunt, niſi ad cor magìs obdurandum*. Ita miſer arcebitur ab omnibus exercitiis, & occaſionibus, in quibus ſoles peccatorum animos pœnitentiæ ſtimulis compungere, & diſponere ad converſionem.

Sextus Articulus inclementem, imò crudelem Te exhibet Judæis, quibus ſufficientia ad ſalutem præſidia promereri nolueris, quibus impoſueris præcepta tam multa, tam gravia, denegans ſimul auxilium, quo humana ſublevaretur infirmitas, & boni operis poteſtas concederetur. Vocabas tamen eum populum electum, & ingentibus condecorare viſus es prærogativis; ſed externa illa amoris ſigna fallacia fuerint, ſi Judæos omnibus ad ſalutem neceſſariis, ac ſufficientibus ſubſidiis reliqueris deſtitutos.

Eadem eſt Articuli ſeptimi adversùs Judæos durities, & in miſericordiſſimam tuam providentiam blaſphemia.

Articulus octavus eidem calamitati ſubjicit Chriſtianos, privans novi fœderis honore, libertate, & quibuſcunque favoribus, quoties efficiente gratiâ caruerint.

Articulus nonus eliminat ex hoc ſtatu omnem tuam *gratiam*, præter *ſupremam, ſinè qua confiteri Te nunquam poſſumus, & cum qua nunquam Te negamus*; quaſi verò nulla gratia ſit ſufficiens, ſinè qua quidem Te confiteri non poſſumus, ſed cui libertate noxiâ diſſentiendo reſiſtimus, quæ Articuli doctrina inter quinque damnatas in Janſenio hæreſes, eſt ordine ſecunda.

Eandem, & ſimul quartam ejuſdem Epiſcopi hæreſim, etiam à Tridentino Concilio tuo profligatam continet Articulus decimus, nullam agnoſcens *gratiam*, niſi *operationem manus Omnipotentis* Dei, *quam nihil impedire poteſt, aut retardare*, nemo abjicere, nemo ei reſiſtere, aut diſſentire.

Juxta Articulum undecimum, *Gratia non eſt aliud, quàm voluntas Omnipotentis* Dei *jubentis, & facientis quod jubet*, ubi ſecunda rurſus traditur Janſenii hæreſis, aſſerens *interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ nunquam reſiſti*; quaſi perperàm de Judæis pertinacibus queſtus fuiſſes per ſervum tuum Stephanum, quòd, uti patres eorum, *ſemper Spiritui Sancto reſiſterent*. Quaſi & per Iſaiam fallaciter quæſieris, *Quid eſt quod ultra debui facere vineæ meæ, & non feci? An quod expectavi ut faceret uvas, & fecit labruſcas?* Si enim omnis gratia faceret quod jubetur, Iſrael nomine vineæ ſignificatus, nunquam fructus ſalutiferos, quos nonniſi per gratiam producere potuit, prætermiſiſſet. Quomodo per eundem prophetam, ac dein per Gentium Apoſtolum dixiſſes, Te *expandiſſe manus tuas tota die ad populum non credentem, & contradicentem*, ſi nulla gratia optato, & cujus capax fuit, caruerit effectu? Profectò non caruiſſet, ſi gratia non eſſet aliud, quàm voluntas Omnipotentis Dei jubentis, & facientis quod jubet.

Articulus duodecimus, & decimustertius, benigniſſimam tuam ſalvandi omnes homines voluntatem ad ſolos eos reſtringens, qui ſalutis compotes fient, glorioſum

adeò

Digitized by Google

adeò Tibi titulum, ab Apoſtolo aſſertum, adimit *Salvatoris omnium hominum, maximè Fidelium*. Hac ratione neceſſe eſt novitatis illius ſequacibus non parum imminui fiduciam, amoremque Tui, cùm dubitant, utrum ſalvare eos volueris.

Ex octo Articulis ſequentibus ſinguli ſuffragantur ſecundæ hæreſi Janſenii *de gratia interiori, cui nunquam reſiſtitur*.

Articulus vigeſimusſecundus, vigeſimustertius, vigeſimusquartus, & vigeſimusquintus eam nobis deſcribit gratiæ efficaciam, ut in poteſtate hominis non ſit recuſare conſenſum. Minimè liberum humanæ tuæ naturæ fuit, unionem admittere hypoſtaticam, vel impedire: nec magis potuit res quælibet à Deo condita, ſuæ obicem ponere origini, aut mortuus reſuſcitationi. Neque ſanationi corporis, quæ prodigio, & ſolâ Dei voluntate fit, libertas infirmi hominis cooperatur; quæ tamen efficacis auxilii ideæ memoratis quatuor Propoſitionibus inculcantur.

Articulo vigeſimoſexto, & vigeſimoſeptimo Fides prædicatur velut prima omnium gratiarum. Nullane igitur ad Fidem datur gratia præparans? Omnis enim ad eam diſpoſitio intrà naturæ limites contenta, & abſque omni ſuperioris ordinis ſubſidio, ab Eccleſia tua ad Pelagianiſmum rejicitur.

Magis horrori eſt Articulus vigeſimusoctavus, peccatores quoslibet omni deſtituens gratiæ tuæ præſidio ante peccatorum remiſſionem. Quomodò ſe ad pœnitentiam miſeri diſponent? Quomodò actus illos elicient, quos Eccleſia tua olim Tridenti congregata ſtatuit juſtificationi prævios? Sic omnes tuæ, tuorumque Miniſtrorum hortationes ad pœnitentiam, peccatoribus fuerint inutiles, niſi poſtquam peccatores eſſe deſierint. Non minùs fruſtraneæ erunt omnes ſanctæ, & Apoſtolicæ ad Fidem, & Eccleſiam invitationes, ſi *extra Eccleſiam nulla conceditur gratia*; ut contendit Articulus vigeſimusnonus. Non enim ad Eccleſiam adultus admittitur ſinè prævia Fide, & pœnitentiâ, quæ ſolis naturæ viribus non comparatur.

Tres Articuli ſequentes, nempe trigeſimus, trigeſimusprimus, & trigeſimusſecundus duritiem Tibi, ô dulciſſime amator hominum, impingunt, quaſi ſolis prædeſtinatis ad ſalutem promovendis veneris, nulli reprobo æternam optaveris felicitatem; ſed aliquibus ſolummodò temporalem juſtitiam, à qua neceſſe fuerit eos ante obitum deturbari. Quam à Te injuriam pridem tui Vicarii depulerunt, proſcribentes eandem in Janſenio doctrinam, velut *impiam, blaſphemam, divinæ pietatis derogantem, & hæreticam*. Crediderat hactenus Sponſa tua, quemlibet Fidelium, grato animo agnoſcere debere, & cum Apoſtolo profiteri de Te iſtud præcipuum amoris noſtri incentivum, *qui dilexit me, & tradidit ſemetipſum pro me*. Iſtud credere jubemur ſinguli, dum in Symbolo Fidei, tot ſeculorum uſu, & Nicænæ Synodi authoritate conſecrato ſuaviſſima hæc decantamus verba: *Qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de cœlis*. A ſolis illud ſanctis, & electis recitari, & credi patitur Articulus trigeſimustertius.

Trigeſimusquartus divinæ gratiæ tuæ injurius eſt, quando ei, quæ Adamo collata fuerat, laudem detrahit meritorum, non Deo illa tribuens; ſed ſolùm homini: *Gratia Adami*, inquit, *non producebat niſi merita humana*.

Novam Tibi injuriam infert trigeſimusquintus, dum non inter benificentiæ divinæ munera gratuita; ſed inter ea, quæ naturæ debentur integræ, datas Adamo gratias recenſet, ut gratiæ eſſe deſinant. Ita qui Janſeniani ſunt in natura peccato originis vitiata, ad oppoſitam Pelagii hæreſim accedunt in natura integra.

Trigeſimusſextus Articulus gratiam nobis negans intrinſecam, hæreſim ſapit: neque verum eſt omnes Tibi unitos eſſe, qui aliquo gratiæ tuæ præveniuntur auxilio.

Trigeſimusſeptimus errat, ſanctitatem nobis intrinſecam negans, & à gratiarum tuarum numero excludens omnes, quæ *Omnipotentes* non ſunt, & reipſa non ſanctificant.

Trige-

Trigeſimusoctavus non ſolùm omnia peccatoris opera peccati arguit, quoties ei gratia defuerit, ſed, eâ abſente, omnem ipſi libertatem adimit, præterquam ad peccandum; quaſi ſtare, ſedere, vel unum greſſum ponere nequeat ſinè peccato; quæ peccandi neceſſitas, quam author libertatem vocat, juxta eundem non oberit demerito. Ita miſer omni actu demerebitur conſtrictus neceſſitate peccandi. Cùm autem juxta Articulum vigeſimumoctavum, *Prima gratia, quam* Deus *concedit peccatori, ſit peccatorum remiſſio*, quâ peccator eſſe deſinit, ſequitur neceſſariò dogma horridum, & à ſanctiſſimo Vicario tuo Pio V. ac dein à Gregorio XIII. & Urbano VIII. damnatum inter Bajana num. 35. & 40. *Omne quod agit peccator, vel ſervus peccati, peccatum eſt*: Et *in omnibus ſuis actibus peccator ſervit dominanti cupiditati*.

Articulus trigeſimusnonus eandem peccandi neceſſitatem extendit ad omnes, etiam juſtos, quocunque temporis momento, & ad quodcunque opus, ad quemcunque corporis, vel animi motum, auxilium gratiæ non præſtiteris.

Articulus quadrageſimus duritiem auget, qui omnes actus etiam juſtorum elicitos ſinè gratia videtur ad peccata referre mortalia, dicendo: *Sinè gratia nihil amare poſſumus, niſi ad noſtram condemnationem*. Uterque poſterior Articulus pridem à tribus memoratis tuis Vicariis proſcriptus fuit in hoc 27. Bajano: *Liberum arbitrium ſinè gratiæ* Dei *adjutorio nonniſi ad peccandum valet.*

Eundem errorem continet Queſnelli Articulus quadrageſimusprimus, hoc addens: Quòd *Omnis* Dei *cognitio, quæ à* Deo *eſt, ſinè adjutorio gratiæ, non producat niſi præſumptionem, vanitatem, & oppoſitionem ad ipſum* Deum. Unde cognitio iſta mala eſſet, & Deus author mali, quin & peccatórum gravium ex illo conſequentium.

Articulus quadrageſimusſecundus, ſtatuens ſinè ſacrificio fidei nihil eſſe, niſi impuritatem, nihil niſi indignitatem, reducit errorem vigeſimumquintum à tribus citatis Pontificibus in Bajo proſcriptum: *Omnia opera infidelium ſunt peccata, & philoſophorum virtutes ſunt vitia.* Et hunc octavum inter 31. ab Alexandro damnatos, *Neceſſe eſt infidelem in omni opere peccare.*

Queſnelli Articulus quadrageſimustertius baptizatos omnes reddit impeccabiles; cùm primum effectum Baptiſmo tribuat, *Facere ut moriamur peccato, adeò ut ſpiritus, cor, ſenſus non habeant plus vitæ pro peccato, quàm homo mortuus habeat pro rebus mundi*. Oppoſitum nimis frequens docet baptizatorum experientia, ſimile ſanctitatis figmentum pridem in Catharis hæreticis Eccleſia rejecit.

Articulus quadrageſimusquartus, errorum plurium ſeminarium eſt; ſi enim omnis amor ſit *malus*, præter amorem Dei benevolum, & ſupernaturalem, *Qui omnia agit propter* Deum, *quemque* Deus *remuneratur*, omnes actus virtutum moralium, uti & actus Fidei, & Spei, niſi ex illo proveniant, ad vitia pertinebunt. Errorum voco ſeminarium; continet enim novem ab Alexandro VIII. damnatos inter 31. nempe ſeptimum & octo ibi ſequentes; ultrà plures à tribus Pontificibus proſcriptos in Bajo, nempe hunc decimumſextum: *Non eſt vera legis obedientia, quæ fit ſinè Charitate*, & vigeſimumquintum, vigeſimumſeptimum, & trigeſimumoctavum.

Idem error eſt Queſnelliani Articuli quadrageſimiquinti, quadrageſimiſexti, & quadrageſimiſeptimi.

Quadrageſimusoctavus damnatus eſt in vigeſimoquinto Baji ſuperiùs relato, & in octavo proſcripto ab Alexandro VIII. cujus propoſitionis verba jam dedi.

Ab Apoſtolo tuo didicimus tres virtutes Theologicas Fidem, Spem, & Charitatem, quarum quidem major ſit Charitas, ſed non ſola: Fides, & Spes ſinè charitate virtutes eſſe non deſinunt, uti & virtutes morales; quod negat Articulus quadrageſimusnonus, dicens: *Nullum eſſe opus bonum ſinè amore Dei*, quo nomine ab Authore intelligi amorem benevolentiæ ſatis exploratum eſt. Sed & clariſſimè impingit Articulus in decretum

Ale-

Alexandri VIII. feriens hanc propoſitionem decimam inter triginta & unam: *Intentio, quâ quis deteſtatur malum, & proſequitur bonum, merè ut cœleſtem obtineat gloriam, non eſt recta, nec Deo placens.* Convenit quoque Articulus cum propoſitione illic damnatâ duodecimâ, decimatertiâ, decimaquartâ, & decimaquintâ.

Articulus quinquageſimus fruſtraneam ſtatuit orationem omnem ex motivo juſtitiæ, miſericordiæ, ſpei, timoris Dei, & gehennæ; ita ut una præpoſterè exaltetur Charitas, virtutes cæteræ deſtruantur.

Articulus quinquageſimusprimus duplici laborat errore, ſtatuens Fidem ſemper juſtificare dum operatur: nec operari niſi per Charitatem; ubi peccatoribus cadentibus omnis actus Fidei abrogatur, adverſante Tridentino ſeſſ. 6. cap. 15. & can. 28. cum Alexandro VIII. Pontifice in decreto contra propoſitiones 31. propoſit. 12.

Eandem Tridentinæ Synodi, & Decreti Alexandrini damnationem incurrit Articulus quinquageſimusſecundus.

Omnium virtutum, etiam Fidei, & Spei actus à Charitatis actu ſeparatos ſubruit Articulus quinquageſimustertius, & in omnes incidit cenſuras damnatarum propoſitionum, quas indicavi ad Articulum quadrageſimumnonum.

Iisdem laborant vitiis, iisdem cenſuris ſubjacent quinque Articuli ſequentes.

Terribilis, ſed & pernicioſiſſimus magnis peccatoribus eſt Articulus quinquageſimusnonus, dum præcipuum eis pęnitentiæ, & converſionis à Deo impetrandæ modum, orationem eripit. Quomodò enim ſeriò convertere ſe volens orare poterit, ſi *novum ei oratio peccatum ſit*, cui nihil concedatur, niſi *novum* in orantem *judicium*?

Quàm Tu ſolicitè, ò bone JESU, homines à peccatis avertere conatus es, terrorem ſalutiferum incutiendo ignis æterni, tenebrarum exteriorum, ſtridoris dentium, &c. Tam operosè Author Obſervationum moralium Articulo ſexageſimo, & ſeptem ſeqq. ab eo timore omnes retrahere nititur, manifeſtè repugnans Trid. Conc. ſeſſ. 14. c. 4. & Decreto Alex. VIII. contra prop. 14. *Timor gehennæ non eſt ſupernaturalis*, & 15. *Attritio, quæ gehennæ, & pœnarũ metu concipitur, ſinè dilectione benevolentiæ Dei propter ſe, non eſt bonus metus, & ſupernaturalis.*

Quam Articuli præcedentes nimis arctam reddiderant viam ſalutis, nimiùm latam pandit ſexageſimusoctavus, ita *Abbrevians viam ſalutis*, ut *claudat totum in Fide, & precibus.* Ita eleemoſynæ, jejunia, & cætera pœnitentiæ, miſericordiæ, aliarumque virtutum opera, à ſalutis ſemita excluduntur, magno hominum ſenſibus indulgere volentium commodo. Vix ſcio, an ulla quidquam laxius hactenus hæreſis finxerit.

Articulus ſexageſimusnonus, obtentu ſubdolo exaltandi gratiæ tuæ beneficium, deſtruit meritum; nam *donum puræ liberalitatis*, cui tribuit non ſolùm *fidem*; ſed etiam *uſum, augmentum, præmium*, omnem propriam meriti rationem excludit; quam hæreſim tua ſemper Eccleſia deteſtata eſt, cum Oecumenica Synodo Trident. ſeſſ. 6. can. 32.

Articulus ſeptuageſimus tuæ ſanctiſſimæ humanitati, puriſſimæ, & penitùs immaculatæ Genitrici injurius eſt: juxta quem *nunquam Deus affligit innocentes: & afflictiones ſemper ſerviunt vel ad puniendum peccatum, vel ad purificandum peccatorem.* Repugnat ſacris paginis, quæ Abrahamo, Jobo, Tobiæ, & ſimilibus Sanctis, afflictiones ad probationem juſtitiæ immiſſas commemorant, non ad punitionem peccati, vel delinquentium purgationem. Sed & Articulus conſonat ſeptuageſimoſecundo, & ſeptuageſimotertio damnatis inter Bajanos.

Articulus ſeptuageſimusprimus ſummam inducit moribus corruptelam. Si enim *homo ob ſui conſervationem poteſt ſeſe diſpenſare ab ea lege, quam Deus condidit propter ejus utilitatem*, cùm omnis lex à Deo condita propter utilitatem hominis ſit, facilè concupiſcentia inveniet obtentũ conſervandæ valetudinis, atque adeò vitæ, quo ſe homo à legibus diſpenſet. Sic à pręcepto confitendæ Fidei coram tyranno, poterit ſe quilibet ob ſui conſervationem diſpenſare, etiam à ſuſcipiendo Baptiſmo tempore perſecutionis: ita quorundã cœlibum, quibus matrimonii copia non eſt, etiã Religioſorum, & Sacerdotum, ſubinde & junctorum matrimonio, dùm à conjuge remoti ſunt, excuſabitur incontinentia. Diſpenſationibus Superiorum

opus non erit ampliùs,cuilibet ſe ipſum à lege jejunii facilè ob ſui conſervationē diſpenſaturo.

Articulus ſeptuageſimusſecundus, & ſex ſequentes conſtituunt Eccleſiam ex ſolis juſtis. Ita Paſtores, Epiſcopi, Pontifex quoties in peccatum inciderint membra Eccleſiæ eſſe deſinent, multò magis eſſe Eccleſiæ capita, ſeu membra præcipua; unde nihil imperare ſubditis poterunt, ſed quæcunque eorum leges, quæcunque mandata irrita cenſebuntur. Nihil quoque commodius Novatoribus, ut omne Pontificum, & Epiſcoporum, novitates damnantium, jugum excutiant. Damnari ſcilicet abſque peccato non poſſunt Dogmata, ſacris Scripturis, Conciliis, Patrum traditioni conformia; qualia ſemper hæreticis ſunt hæreſiarcharum ſuorum placita.

Articulus ſeptuageſimusnonus cum ſex proximis plebem, etiam infimam, ruſticos, & fœminas concitat adversùs Eccleſiæ tuæ Rectores, non permittentes rudibus, & fœminis promiſcuam ſcripturarum in lingua vernacula lectionem; quæ ob temeritatem plurimis hominum exitio eſſe deprehenditur. Sanctum ſcilicet dari canibus, cibos ſolidos infantibus, & infirmis, arma furentibus Novatores jubent; arguuntque ſalutarem Eccleſiæ providentiam, quæ ſacros Codices, Latini idiomatis imperitis non omnibus ſinè diſcrimine; ſed iis ſolummodò permittit, quibus utilem fore, non pernicioſam lectionem judicaverit.

Articulus octogeſimusſextus pergit Eccleſiæ tuæ Rectoribus odium apud plebem, & hæreticos conflare; quaſi uſum illi induxerint *Praxi Apoſtolicæ*, *& intentioni* Dei *contrarium*, quando Divinorum Officiorum celebrationem decenti Clericorum, & Religioſorum miniſterio, non inconditis vulgi clamoribus commiſit. Patrocinatur etiam Articulus veteri hæreticorum querelæ, quod ſacrificii canone comprehenſa myſteria non elatâ voce, ut cætera, Sacerdos enuntiet; cùm Novatores vellent omnia ſacrificii, etiam canonis, atque ipſius conſecrationis verba, ab omnibus præſentibus,etiam fœminis, tanquam cum Sacerdote ſacra operantibus recitari,atq;ita ſacrorum rituum majeſtatem incompoſiti vulgi levitate profanari.

Articulus octogeſimusſeptimus, & octogeſimusoctavus præſentis temporis Eccleſiam accuſat, veluti *Ignorantem, quid ſit peccatum, & vera pœnitentia, quando* peccata confitentes, & contritos *ſtatim reſtituit poſſeſſioni bonorum illorum, quibus eos peccatum ſpoliaverat*. Vult eos Queſnellus aliquandiu *ſeparationis iſtius ferre confuſionem*; vult *dari animabus tempus portandi cum humilitate, & ſentiendi ſtatum peccati*: vult eis paſſim differri abſolutionem,atq;ita *dari tempus petendi ſpiritum pœnitentiæ,& contritionis*,& incipiendi ad *minùs ſatisfacere juſtitiæ* Dei *antequam reconcilientur*. Hunc modum author pronuntiat *plenum ſapientiâ, lumine, & charitate*. Hanc Tu, bone JESU, ſapientiam, hoc lumen, hanc charitatem Queſnelli ignoraveris; certè ſecutus non es, qui quorum compunxeras animos, non dimiſiſti reconciliationis gratiâ vacuos: non eam diſtuliſti, donec ſatisfactionis operibus ſe aliquo tempore exercuiſſent. Sapiens quoque Sponſa tua Eccleſia, ſpiritûs tui probè conſcia, & imitatrix, oppoſitam Novatorum regulam, neque ſequitur, neque approbat, Alexandro VIII. Pontifice damnante inter 31. Propoſitiones 16. 17. & 18. duobus recenſitis Queſnelli Articulis conſentientes.

Non magis Eccleſiæ nota eſt doctrina Articuli octogeſiminoni, ſeu neceſſitas *Deciniquarti gradus converſionis* includentis *reconciliationem peccatoris*, ut *habeat jus aſſiſtendi ſacrificio Eccleſiæ*. Jubet Sponſa tua omnes Fideles, qui excommunicationis vinculo conſtricti non ſunt, ſacrificio diebus Dominicis, & feſtis aſſiſtere, ut juſti augmentum gratiæ, peccatores gratiam pœnitentiæ conſequantur. Si verò à ſacrificio peccatores omnes arceantur, non ſolùm privantur tanto ſalutis præſidio; ſed & ob peccata occultiſſima, & merè interna, neceſſe erit infamiam ſibi publicam accerſant.

Articulus nonageſimus poteſtatem Paſtoribus,etiam ſupremis,eripit excommunicandi, niſi conſenſu, ſaltèm præſumpto, totius Eccleſiæ. Hanc poteſtatis Epiſcopalis, multò magis Pontificiæ reſtrictionem, Sponſa tua hactenus ignoravit. Æqualis à Te ligandi, ſolvendique authoritas conceſſa eſt Petro; an igitur nec ſolvere quenquam poterit, niſi totâ conſentiente Eccleſiâ? Non leviter infirmabitur cujuſcunque cœtûs gubernatio, ſi Præfectus neque dimit-

mittere, neque aliter punire quempiam, vel abſolvere poſſit, niſi annuiſſe ſinguli ſupponantur. Sed ea ſupremæ poteſtatis limitatio commoda Novatoribus eſt, ut nunquam de incurſo anathemate convincantur. Quandonam ipſi, qui ſe Eccleſiæ partem non vulgarem prædicant, excommunicationi ſuorum conſentient? Quomodò conſenſiſſe præſumi poterunt, quorum *Querelis*, & *proteſtationibus* publicis omnia perſonant?

Articulus nonageſimusprimus de excommunicatione injuſta, maximè ſi ſcopus authoris, eique adhærentium uſus attenditur, gravibus ſcandalis, & perturbationibus obnoxius eſt. Debitum nempe ſuum, ſuorumque author exiſtimat, retinere, ac defendere ſuas ſententias, tanquam Auguſtinianas, quantumcunque à Sede Apoſtolica condemnatas. Contra has, quidquid fulminis è Vaticano emittitur, prætenſis illis Auguſtini diſcipulis injuſtum eſt, ideòque facilè contemnendum. Si ſermo ſolummodò eſſet de caſu Innocentii III. in cap. *Inquiſitionis tuæ, de ſent. excomm.* contra debitum juris naturæ, aut de excommunicatione, quam conſtet ipſo jure nullam eſſe, toleranda videretur authoris enunciatio; ſed cum ex Doctore Angelico in Supplem. q. 21. a. 1. ad 2. didicerimus, non omnem excommunicationem injuſtam eſſe irritam, neque omne debitum certum ſit, neque ſemper evidens excommunicationis vitium, ſæpe ſententiæ ſuperioris, præſertim in publico, ratione ſcandali, deferendum eſt; itaut lethalis etiam contrahatur noxa ab eo, qui contempſerit, juxta S. Raymundum lib. 3. & alios paſſim; ſed nihil diſtinguens illimitata Queſnelli aſſertio indubiè ſcandaloſa eſt, neq; congrua veritati.

Conſtat Articulum nonageſimumſecundum uti & ſequentem non tradi ut metaphyſicum, ſed hodierno uſui maximè accommodatum, ac proinde manifeſtè annumerandum eſſe illis, qui ut Pontifex ſub finem Conſtitutionis monet: *Sub imaginario quodam veluti graſſantis hodie perſecutionis obtentu, inobedientiam, & pervicaciam nutriunt, easque falſo Chriſtianæ patientiæ nomine prædicant.*

Et quidem Articulus nonageſimustertius ſupremos tuos Vicarios Romanos Pontifices odioſos Fidelibus, & Infidelibus reddit, quaſi abutentes ſuâ poteſtate, infligendo vulnera à Te ſananda, ut fruſtrà Petro, & in eo ſingulis ejus ſucceſſoribus dixiſſes: *Quodcunque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in cœlis.* Si Queſnelli invaluerit ſententia, excommunicati à Pontifice cenſuram facilè contemnent, confiſi fore ut reſtituas, quod ipſe inconſiderato zelo reſciderat. Exploratum eſt utrunque Articulum rebellionis tam ſcandaloſæ, & pertinaciæ Janſenianæ tam diuturnæ, fuiſſe Portûs-Regii Monialibus cauſam.

Articulus nonageſimusquartus primâ parte ſeditioſus eſt, & ad ſchiſma excitans. Quid enim deteriorem de Eccleſiâ, & ſupremis ejus Rectoribus opinionem ingerere poteſt, quàm prætenſus *Dominatus in Fidem Fidelium*? Quaſi norma credendi non ſit veritas; ſed voluntas hominum jubentium credere, ſeu verum, ſeu falſum, quidquid illis libuerit. Pars ſecunda fovet Janſenianam hereſim, dum nec fidem, nec mores lędere dicitur, ſi in 5. famoſis Propoſitionibus damnemus ſenſum non Janſenii, ſed Calvini ſolummodò, quem Janſeniſtæ à Propoſitionibus alienum eſſe, easque nonniſi *Malignè ad illum trahi poſſe*, coram Innocentio X. declararunt.

Articulus nonageſimusquintus non minùs contumelioſus adversùs Eccleſiam eſt, quæ juxta Apoſtolum eſt columna veritatis; juxta Articulum veritatem quodammodò ignorat: ſive hæc in Eccleſia paſſim deſpicitur, ut *lingua peregrina.* Poſterior Articuli pars objiciens Eccleſiæ ſenectutem, & iram Dei, indicat Eccleſiam deficere, exitio propinquam eſſe, nec amplius chariſſimam Dei Sponſam; ſed vetulam, edentulam, à capite ad calcem uſque rugis, & maculis plenam.

Nihil magìs ſeditioſum, & ſchiſmaticum, quàm Articulus nonageſimusſextus. Quis enim eas ſequi poteſtates velit, quæ omnes ſint contrariæ Prædicatoribus veritatis? Reges omnes Catholici, cum Imperatore, quos conſtat eſſe fortiſſimos Fidei, & Eccleſiæ Defenſores, omnes Epiſcopi, Cardinales, cum ſupremo Chriſti Vicario, juxta Articulum hoſtes veritatis ſunt, & ejus prædicatoribus adverſantur; quia Janſeniſmi præconibus ſunt contrarii.

Membra illa, quæ in nonageſimoſeptimo Articulo *Magìs ſanctè, & magìs ſtrictè unita Eccleſiæ ſunt*, & tamen *reſpiciuntur, atque tractantur, tanquam indigna ut ſint in Eccleſia*, vel

vel tanquam ab ea ſeparata, perſpicuum eſt indicare prætenſos Auguſtini diſcipulos, veriſſimos Janſeniſtas. Hi vulgari ipſorum ſermone ſunt omnes, & ſoli Moralis purioris Magiſtri, omnes eliminato timore, & ſpe, ſolam charitatem verbis quidem, ſed inanibus jactant, quam ſcriptis, & factis deſtruunt.

Articulus nonageſimusoctavus maximè idoneus eſt, ut obtentu perſecutionis contra præcones veritatis, hodie in Eccleſiâ graſſantis, Janſeniſtarum diſcipuli, & diſcipulæ in pertinaciâ obfirmentur contra omnia anathemata,& cenſuras Eccleſiæ,ut patuit in Portûs-Regii Monialibus, quas conſtat ſimilibus Janſeniſtarum documentis inſtructas contempſiſſe omnem, etiam ſupremam Eccleſiæ, cum inflictis ab ea excommunicationibus, authoritatem.

Minimè obſcurum eſt, quos Author in Articulo nonageſimonono bonos libros indicet, videlicet ob Janſeniſmum, & Novitates à Sede Apoſtolicâ condemnatos, quales præcipuè ſunt libri Janſenii, Arnaldi, Novum Teſtamentum Montenſe, Rituale Aletanum, & ſimiles, qui paſſim à Queſnello, & ejus ſocio Arnaldo tanquam utiliſſimi, & pietate conſpicui commendantur. Hos nempe *bonos libros*, ſi Queſnello credimus, *pervicacia, præventio*, *obſtinatio* Pontificis *in nolendo aliquid examinare*, *aut agnoſcere ſe fuiſſe deceptum*, *mutant quotidiè quoad multos*, ſcilicet Pontifici credulos, *in odorem mortis*; *libros*, inquam, *quos* Deus *in ſua Eccleſia poſuit*, *ut in ea eſſent odor vitæ*.

Articulus centeſimus pariter ſeditionem ſpirat, & calumniam adversùs ſummos Principes, tam Eccleſiaſticos, quàm laicos; quaſi coercendo, & puniendo Janſeniſtas, *Perſequantur veritatem*, *ejusque diſcipulos*. Conſtat enim, non eſſe aliam perſecutionis ſpeciem, non aliam à prætenſis Auguſtini diſcipulis obtendi.

Manifeſtum quoque eſt, ab Authore in centeſimoprimo Articulo juramenta præcipuè intelligi, quæ Eccleſia in Galliis,& Belgio exigit contra Janſenianam hæreſim. *Nihil*, juxta Queſnellum, *ſpiritui* Dei *magis opponitur*, *quam communia facere* talia *juramenta in Eccleſia*; *quia hoc eſt multiplicare occaſiones pejerandi*, *laqueos tendere infirmis*, *& idiotis*; infirmis quidem; quia anhelantes ad beneficium, vel officium ejurant vocibus, quod animo retinent: *idiotis* autem, qui reſtrictionibus,diſtinctionibus, explicationibus à Queſnello ſubdolè confictis non ſatìs imbuti, jurant juxta verba formulæ in ſenſu obvio accepta, adeôq;Janſenii ſenſum deteſtantur,quem affectu depereunt. Verùm ſi propter tranſgreſſiones plurium, lex quælibet abroganda eſt,ecquod divinum,humanumq;præceptū in tanta delinquentium multitudine ſtare poterit? Sed neque Janſeniſtæ omnes tam proſtitutæ apparent conſcientiæ, ut pejerare facilè,& gratìs velint:aut ſi omnis eis in labiis religio eſt,non omnes tam abjecti animi ſunt,ut videri cupiant à Janſenii ſenſibus receſſiſſe. Quanquam & fateri neceſſe ſit,pauciſſimos ex infinito Janſeniſtarum numero, reperiri hodie, qui metu perjurii arceri ſe à beneficio, à Sacerdotio, vel gradu Academico patiantur. Sed qui reſtrictiones perhorreſcere ſe fingunt, certiſſima mendacia,perjuria,ſacrilegia minimè verentur,ubi ad ſacrum Ordinem,gradum,beneficium,ad ſectæ ſuæ propagationem viſa fuerint neceſſaria. Hæc prudentia filiorum iniquitatis, fallendis Eccleſiarum Rectoribus opportuna, Eccleſiis funeſtiſſima eſt, quando perjuriorum ope in greges immittuntur lupi, in cathedras docentium, in canonicorum capitula,& dignitates etiam non infimas, irrepunt hæretici, eò pernicioſiores,quò magis occulti, & ad omnem magis compoſiti fraudem, atque hypocriſim. Verùm qualiscunque prudentia carnis,& Novatorum perfidia ſit,qualiſcunq;poteſtas tenebrarum,ſcimus non eſſe conſilium, non aſtutiam contra Dominum, Petri Naviculam agitari fluctibus poſſe,nunquam ſubmergi. Tibi in mare,& ventos imperium eſt, Tibi nihil difficile, nihil obſcurum. Tu igitur fraudes, & molimina novorum æquè, ac veterum hæreticorum detege, atque elide. Quoniam verò Eccleſiaſticæ contemptores poteſtatis ſunt,irriſores definitionum, cenſurarum,anathematum, ſuſcita contra illos ſpiritum Principum, quibus ad vindictam malorum, maximè ad defenſionem Eccleſiæ gladium tribuiſti; ut qui Clementis Vicarii tui manſuetudinem,quaſi imbecillitatem deſpiciunt, ſecularis poteſtatis robore conterantur: ut eliminatis tandem novitatibus, pace Eccleſiæ reſtitutâ,Te cum Patre,& Spiritu Sancto Unigenitum,unanimes,uno ore in hoc exilio,lætioribus,& pariter conſonis laudibus celebremus in patriâ. Amen.

PROLEGOMENA
IN CONSTITUTIONEM

ARGUMENTUM.

Qualis Author Propoſitionum damnatarum. Occaſio, utilitas, neceſſitas edendæ Conſtitutionis. Machinæ ab Authore Propoſitionum fruſtrà adhibitæ ad impediendam Conſtitutionem. I. Machina authoritas Epiſcoporum librum approbantium. II. Obtentus editionis poſterioris magìs correctæ. III. Affectatum patrocinium præcipuè S. Auguſtini, S. Thomæ, & recentium ejus Diſcipulorum. IV. Profeſſio Fidei fraudulenta. V. Non minùs doloſa Epiſtola ad CLEMENTEM XI.

CAPUT I.

De Authore Obſervationum Moralium, ſeu Libri unde Propoſitiones excerptæ ſunt.

PRiùs mihi, quàm cum Authore, luctandum mecum ipſo fuit. Mox enim inceſſit metus, nè, dum Veritas panditur, Charitas patiatur: Diligendi nempe homines ſunt, etiam quorum errores, & vitia deteſtamur. Et quid opus perſtringere Authorem, ut dogmatica Conſtitutio propugnetur? Damnati articuli confutentur, deſtruantur, cujuscunque Authoris fuerint. Ita quidem perpetuum mihi de Authore ſilentium indicerem, ſi iſtiusmodi is eſſet, ut latere vellet, neque contra ſententiam Sedis Apoſtolicæ inſurgeret quotidie ferociùs. Cùm verò homo temerarius, poteſtatis omnis, quæ ſub cœlo eſt notiſſimus contemptor, non hæreſim ſolùm multiplicem protrudat; ſed funeſto etiam ſchiſmate Eccleſiam diſcindere moliatur, machinationibus ejus, omni quo licet modo, obviam eundum eſt: parandum adversùs nocentiſſimi impoſtoris venena antidotum: ſubruenda tam noxia, & non niſi fraudibus comparata authoritas. Quid enim eo novatore pernicioſius, qui non ſolùm Scriptor dogmaticus, ſed aſceticus etiam Director animorum, & prætenſus Eccleſiæ Reformator ſit, apud ſuos alter *Eliſæus Eliæ Gallici Antonii Arnaldi diſcipulus, & ſucceſſor, duplici ejus ſpiritu præditus: alter Baruch Gallici Jeremiæ ſocius*? Patent hæc ex literis ei adhærentium, quæ citantur in proceſſu juridico, ſeu *Cauſa Queſnelliana art.* 10. §. 6. Cùm benedictiones ſuas ex Belgico latibulo in Gallias mitteret, excipiebantur illæ *flexis genibus*, & veneratione incredibili, ut eodem articulo, & paragrapho videre eſt. His munitæ benedictionibus Portus-Regii Moniales quot annos iterata Eccleſiæ anathemata riſerunt?

Non eſt mihi animus quidquam revelare occulti; ſed ex iis ſolummodo aliqua quæ partim ipſe ſcriptis publicis prodidit, partim in proceſſu juridico coram Mechlinienſi Archiepiſcopo deducta, & ejusdem juſſu typis edita conſpiciuntur, narratione ſimplici referre: neque viam hanc, niſi ſecuriſſimis ducibus ingredi volui. Præit Eccleſiæ Doctor maximus ſimul & Sanctiſſimus Antiſtes Hipponenſis, cujus veſtigia quis non tutus ſequatur? Is ut à Manichæorum, quorum & ipſe aliquando hypocriſi circumventus fuerat, impietate Fideles averteret, librum *De Moribus Manichæorum* conſcripſit, in quo præſertim *cap.* 19. & 20. graviſſima exponit illorum flagitia, ut quam ſibi hæretici ſingularis ſanctimoniæ famam magno Eccleſiæ detrimento, decepto etiam, ut dixi, annis pluribus Auguſtino, comparaverant, non minore Eccleſiæ bono amitterent. Quàm atris coloribus Marcionis & Valentini diſcipulos depinxit Origenes, etiam apparentes eorum virtutes appellans *diabolicas*? Ruffinum, Vigilantium, & alios Novatores qualibus flagellis excepit Hieronymus? Arianorum non errores ſolummodo, ſed fraudes quoque detexêre Athanaſius, Epiphanius, Auguſtinus. Et quis indè unquam Charitatis læſionem veritus eſt? Neſtorii vitam, & ad irretiendos animos molimina, deſcripſit Theodoretus. Hæreſes octoginta Epiphanius impugnaturus, paſſim Hæreſiarcharum vitam, ubi ea ſingulare quidpiam ad ſubvertendam eorum malè partam autho-

Digitized by Google

authoritatem idoneum contineret, compendio exhibebat, præmittebatque tractationi dogmaticæ. Sic Baſilidem deſcripſit: *Miſerrimum homunculum, velut poëtico furore correptum, circulatorem, impoſtorem, præſtigiatorem, Magicis artibus & curioſitatibus addictum: qui ad excellentem, & immenſam improbitatem, mentem ſuam abſurdè emovit. Occultat ſuam injuſtitiam ab his, qui mente præditi ſunt; revelat autem ipſius ſchola his qui ab ipſo decepti ſunt. Quandoquidem enim verè turpe eſt dicere, ea quæ apud ipſos dicuntur, ac fiunt, &c.*

Henrico Verſipelli hæretico pietatis larvam detraxit S. Bernardus. Breve, ſed nervoſum Petri Abailardi elogium, quale hæreticus merebatur, copioſius Arnaldi inter ejus diſcipulos præcipui, dedit idem Sanctus, quantumvis mellifluus, epiſtola 195. *Cujus* (inquit, Arnaldi) *dentes arma & ſagittæ, & lingua ejus gladius acutus: molliti ſunt ſermones ejus ſuper oleum, & ipſi ſunt jacula.* Epiſt. 190. *Cujus converſatio mel, & doctrina venenum: cui caput columbæ, cauda ſcorpionis eſt: quem Brixia evomuit, Roma exhorruit, Francia repulit.* Otho Friſingenſis ſub idem tempus libro 2. de geſtis Frederici Imperatoris cap. 20. ait: *Arnaldum urbem ingreſſum, rudis populi animos præmolli dogmate accendiſſe ad ſeditionem, plùs tamen verborum profluvio, quàm ſententiarum pondere copioſum.* Guntherus quoquè Ligurinus eadem ætate metro non minùs forti eundem hæreticum deſcripſit. Quis charitati adverſum exiſtimet, Lutheri vitia publica, etiam ſpurcitias commemorare, quæ ſi pridem graphicè depicta omnibus innotuiſſent, non tam multos obtentu reformationis Eccleſiaſticæ, charitatis, & pœnitentiæ feſelliſſet, innumerabilium exitio animarum.

Vitiorum hic diſſimulatio, immitis miſericordia eſt, pernicioſa, & erronea charitas. Ideo Summi Pontificis noſtri verè Clementiſſimi providentia, tam gravium errorum Authorem, fautoreſque, quorum temeritatem, & pertinaciam non levibus indiciis, & experimento non uno habuerat exploratam, Conſtitutionis exordio ita perſtrinxit, ut nemo, niſi inſipiens, vel hæreticis faſcinatus præſtigiis, iſtiuſmodi errorum Magiſtros impoſterum auditurus ſit.

Denique dico cum Leontio lib. 3. contra Neſtor. & Eutych. *Nemo iniquo animo, quæ dicentur, ferat: quoniam non ſumus nos Authores horum malorum, quæ audientur, neque cauſas præbuimus dicendorum: in multis enim libris myſteria eorum impia feruntur. Siquidem & ipſe precarer, & optarem, ut ſilentio, & tenebris hujuſmodi impietatis myſteria contegerentur. Nunc verò, non ut vos malorum diſcipulos facerem; ſed potiùs ut à gravibus malis liberarem, ad has me narrationes contuli, ſummo ſtudio eos fugiens, & omnibus quàm poſſum maximâ voce dicens: Fugite vos, fugite à præruptis, & barathris longè fugite.*

Ad Obſervationum itaque Moralium Scriptorem propiùs accedamus. Hunc ſe profitetur modò Paſchaſius Queſuellus; quod fruſtrà celare diutius voluiſſet, poſtquam Juridicus adversùs eum proceſſus, titulo *Cauſæ Queſnellianæ* typis editus divulgavit.

Cur autem Obſervationes illæ prodierint anonymæ, veriſimilis conjectura eſt, nè Author ſuſpectus ſiniſtram de libro ſuſpicionem ingereret, atque ita plurimos averteret à lectione.

Congregationi Oratorii à Berullo Cardinale in Galliis inſtitutæ nomen dederat; ſed turbulentum ejus ingenium, & in novitates propenſum, poſtquam ordinem ſuum motibus diſſidiorum graviter concuſſit, adeò ut in præſens eum ruinæ adduxerit diſcrimen, nec in Ordine ſuo, nec in Patria conſiſtere potuit. Moderatorum ſcilicet, & quidem in comitiis generalibus congregatorum mandatis, etiam accedente Regis Chriſtianiſſimi Imperio, parere nolens, pœnarum metu Gallias deſeruit anno 1685. Indè ſe recipiens in Belgium, novitatum illuc peſtem ſimul, & diſſidiorum facem intulit. Ut autem noceret ſecuriùs, aſſumptâ Sacerdos veſte laicâ, in Provincia licèt Catholicâ, latuit, & *à ſolito hominum commercio ſegregatus locum incoluit, vix paucis amicis notum, paucioribus pervium,* ut ſcripſit ipſe Cardinali Noriſio anno 1687. in Hollandiam ſubinde profectus, illic ſtatim Clerum novitatibus imbuere, & à Sedis Apoſtolicæ reverentiâ, atque obedientiâ abſtrahere cœpit, eo ſucceſſu, ut Miſſio illa, quæ vix alia ſolebat eſſe in Eccleſia illuſtrior conſtantia in fide, pietate, charitate, Sedis Apoſtolicæ, & omnium decretorum ejus veneratione, ubique concuſſa ſit diſſenſionibus, novitatibus corrupta, in fide vacillans, variis in locis ſchiſmatica. Plus illic libellorum infamium contra Religioſos, contra Epiſcopos Janſeniſmo adverſantes, contra Nuntios Apoſtolicos, contra Cardinales, contra ipſum Pontificem paucorum annorum ſpatio in lucem protruſit Queſnelliana factio, quàm Calviniana ibidem ſecta utroque ſeculo. Ex ejus autem præcipuè latibulo, velut ex equo Trojano proſiliere tot opera tenebrarum, & ſcripta incendiaria, quibus non ſola Batavica, ſed omnes quodammodo Eccleſiæ Belgicæ conflagrarunt. Nihil ei operis tribuam, niſi

niſi quod ipſe, ab omnibus paſſim tribui ſibi conſcius, ſuum eſſe minimè inficietur.

Præterea *Moralem praxim Jeſuitarum*, & cæteros libellos famoſos contra eundem Ordinem, ut Janſenianæ hæreſi ab initio ſemper incommodum, ita ejus propagatoribus perpetuò odioſum. Eum maximè deſtructum vellent, quo ſtante, nunquam ſibi pacem fore, non improvidè ominantur.

Indomitum, & in omnes ſuis novitatibus contrarios furens Queſnelli ingenium vix alibi magis emicat, quàm in Notis adversùs decretum Sacræ Congregationis *Indicis*, quo Diſſertationes ejus in S. Leonis opera proſcribuntur. Notæ illæ manu ejus exaratæ, in literaria ejuſdem, dum Bruxellis caperetur, ſupellectile inventæ, atque in proceſſu contra eum juridico typis editæ pagina 332. & quatuor ſequentibus, animum irreverentem, in contumelias pronum, ac prorſus ſchiſmaticum detegunt; quod pluribus dein evulgatis ab ipſo famoſis libellis, & ſatyris confirmatum eſt.

Toto triginta, & amplius annorum tempore, quod in Belgio tranſegit profugus, ſe impendit ſubruendis omnibus Romanorum Pontificum, Regum Catholici, & Chriſtianiſſimi, Electoris Bavariæ, Epiſcoporum, Magiſtratuum contra novam Sectam conatibus, & decretis.

Alexander VIII. damnaverat propoſitiones 31. tanquam temerarias, ſcandaloſas, malè ſonantes, injurioſas, hæreſi proximas, hæreſim ſapientes, erroneas, ſchiſmaticas, & hæreticas reſpectivè. Contra hoc decretum ſtatim Queſnellius calamum ſtrinxit; non ſolummodo propoſitiones defendens; ſed Romanos Theologos, Sancti Officii Conſultores, Eminentiſſimos Cardinales, ipſumque Pontificem modis exagitans indigniſſimis, in libello typis edito, velut *Epiſtolâ Abbatis ad quendam Romanæ Curiæ Prælatum*. Illic Belgis inſtillare nititur, quo contemptu excipere oporteat omnia, quæ Roma ſtatuit; ſaltèm Janſeniſtarum guſtui ingrata. *Habemus*, inquit pag. 18. *nos hoc præ aliis ſingulare, quod ſimus in poſſeſſione eandem ſemper tenendi viam, quidquid opponant Cenſores Romani, & quodcunque decretum ab hoc Tribunali emanet*. Rationes reddit aſſertione ſchiſmatica non ſaniores: quia ait pag. 21. *Romanum Tribunal videtur eſſe Latronum latibulum, ubi Cenſores ita inſidiantur hominibus, ut eos damnent antequam defenſioni locum dederint*. Pag. 39. *Miniſtri Curiæ Romanæ à factionibus ſeduci ſe ſinunt ad propoſitionum cenſuras*. Pag. 3. *Certum eſt decreta civilia magis juſta eſſe, & æquitati conformia, quàm Decreta Curiæ Romanæ*. Pag. 15. *In Cenſuris Romanis modica apparet æquitas, & amor pacis*. Pag. 43. *Romani Cenſores ſuſque deque per fas & nefas cenſurâ ſuâ feriunt quidquid lubet, vel quidquid non conſentit cum Theologia ſuæ ideis, quæ ſæpe falſiſſimæ ſunt, vix quidquam habentes de Theologia Patrum*. Pag. 31. *Maxima pars Cardinalium, & Theologorum* (qui adhibentur ad propoſitionum examen) *nihil intelligit*.

Verùm quis Catholicus Doctor, quis Epiſcopus, quæ Congregatio, quis Ordo, quantacunque doctrinæ fama in Eccleſia celebris, non ſtatim fit expers omnis eruditionis, non inter fungos, & ſtipites à Queſnellio numeratur, ſi Janſenianæ hæreſi, vel ejus fautoribus infeſtus ſit?

Vix Belgium ingreſſus fuerat, cùm propoſitiones Ægidii de Witte authoritati Pontificiæ adverſantes, & ab ipſa Lovanienſi facultate Theologica cenſuris, rogante Internuntio, perſtrictas, Queſnellus ſuſcepit ſcripto anonymo defendendas.

Aliquanto poſt Senatus Regius Provinciæ Hannoniæ, libellos quoſdam partim Janſenianos, & Romæ damnatos, partim contumelioſos, & turbulentos proſcripſerat. Queſnellius ſtatim decreto Senatus libellum oppoſuit famoſum, ipſos quoque Senatores procaciſſimè laceſſens. Alio libello anonymo, non minùs probroſo aggreſſus eſt urbis illius Magiſtratum; ſed hic tenebrionis audaciam non inultus tulit, publico incendio libellum manu carnificis lacerarum addicens.

Convenerant apud Mechlinienſem Archiepiſcopum aliqui Antiſtites, cum Vicario Apoſtolico Sylvæducenſi, & quibuſdam Theologis etiam Lovanienſis Accademiæ Doctoribus deliberaturi de remediis adversùs invaleſcentes quotidie novitates. Communi dein conſilio decretum edidere; quod minimè patiens Queſnellus è latebris ſuis ſententiam contra illud tulit, ac typis edidit, qua congreſſum illum, cujus occaſio fortè fuerat conſecratio Epiſcopi, jubet haberi velut Synodum legibus repugnantem, & omnia ejus ſtatura irrita.

Quibus non contumeliis impetivit Queſnellus Breve Apoſtolicum Clementis XI. ad Federati Belgii Catholicos! Quid non effutiit adversùs Romanæ Inquiſitionis Decretum, ab eodem Pontifice approbatum, quo Sebaſteni Archiepiſcopi *Declaratio*, & *Reſponſiones* configuntur; ipſe verò a Vicariatu Apoſtolico, à quo ante ſuſpenſus fuerat, penitùs amovetur? Breve, Decretum, Suſpenſionem, Depoſitionem Queſnellus, ſe ſupra Sedis Apoſtolicæ judicium erigens, omnia decla-

claravit illegitima, injuſta omnia, & nullius roboris.

Anno 1701. Pariſiis erupit pernicioſiſſima Janſeniſtarum machinatio, quâ nullam Diabolus ſuggerere potuit ad ſubruenda omnia contra Janſenianam hæreſim Decreta validiorem. Ea fuit famoſus *conſcientiæ caſus*, quo quæritur, num Sacramenti pœnitentiæ adminiſter abſolvere eum à peccatis poſſit, qui, præſtito juramento Alexandri VII. contra Janſenianam hæreſim, non tamen credit ullum ex damnatis erroribus, in Janſenii Volumine contineri; ſed hunc animi ſui ſenſum ſilentio premit, nè erga Conſtitutiones Pontificias irreverens videatur. Jam 40. Doctores Sorbonici, ſubſcripto nomine, reſponderant abſolvi eum poſſe. Qui caſus cum ſua reſolutione ſtatim Romam miſſus, graviter commovit animum Clementis XI., atque Eminentiſſimorum Patrum; unde ſtatim condemnatus illic eſt; & eorum Authores, ſi deprehendi poſſent, cum ſuffragatoribus 40. pro meritis caſtigari Pontifex voluit. Mox geminis ad Chriſtianiſſimum Regem, & Cardinalem Archiepiſcopum datis Brevibus, & conſilium iniquitatis amplius detegit, & ad palinodiam adigi cupit temerarios approbatores.

Effectu non caruit Summi Pontificis Authoritas: concurrente Regis, & Archiepiſcopi ſtudio, atque imperio, plerique Doctores Sententiam retractarunt, rebellibus exilio mulctatis. Frenduit hic Queſnellus, & qui aliàs Baccalaurei, aliàs Doctoris, Abbatis, & neſcio quas non Protheus facies aſſumpſerat, nunc graviùs ſibi intonandum ratus, ex mendacibus infulis authoritatem arrogans, Antiſtes ſcenicus Epiſtolam ſcripſit, ac typis edidit, tanquam *Epiſcopus ad Epiſcopum*, in qua Pontificem, Regem, Archiepiſcopum accuſat crudelitatis, & injuſtitiæ, Doctores priori ſuffragio renuntiantes, puſillanimitatis, inertiæ, apoſtaſiæ; rebellium autem fovet pertinaciam, laudans velut Athanaſio, & primis dignam Eccleſiæ ſeculis firmitatem.

Nè verò Queſnellum exiſtimes, nihil unquam pro doctrina ſanâ, nihil pro Sede Apoſtolica ſcripſiſſe, edidit *Defenſionem duorum Brevium Innocentii XII. ad Belgii Epiſcopos*, ac dein majoris opus molis, *Defenſionem Romanæ Eccleſiæ & ſummorum Pontificum, contra Leydeckerum Ultrajectenſem* Calvinianæ profeſſionis pſeudo-Theologum. Sed fallax uterque titulus, uterque liber: non defenſio; ſed proditio perfida, & hoſtilis impugnario, tum Eccleſiæ, tum Brevium, Conſtitutionumque Apoſtolicarum eſt. Verùm utriuſque Operis molitionem ſubdolam evertit Bulla Clementis XI. incipiens *Vineam Domini Sabaoth*, & ipſum utrunque opus nominatim Sedes Apoſtolica Decreto alio condemnavit.

Poſt Arnaldi obitum totius Janſeniani Dux exercitûs factus, annos ultra viginti minimè otioſus latere perrexit; ſed novæ hæreſeos propagationi, hactenus quo poteſt ſtudio, pertinax incumbit. Quæ verò annis proximè elapſis, pro *Obſervationum moralium* defenſione, & contra earum cenſuram ab ipſo editâ ſunt, minimè obſcurum relinquunt, ejus contra Apoſtolicam Sedem odium inveteratum, omnis authoritatis ſibi non aſſentientis contemptum, & mentem in Janſeniana hæreſi obſirmatam.

Ad meliorem frugem fortiſſimo videbatur impulſus ſtimulo, quando à Melchinienſi Archiepiſcopo, Philippo V. imperante, & poſtea approbante Summo Pontifice, Eccleſiaſtico carceri manciparus eſt; ſed effracto ſuorum operâ pariete elapſus, & Hollandiæ ſecurus aſylo, dignam Janſeniſtarum Duce audaciam, in fanaticorum videtur rabiem convertiſſe. Quid enim Chriſtianam ſapiens modeſtiam, quid debitam ſupremo Eccleſiæ in terris Capiti venerationem, & obedientiā; imò quid præter certum Chriſtianæ demiſſionis, charitatis, pacis, fidei, religionis interitum reperire eſt in tot operibus tenebrarum, quæ inter Batavicas paludes invitis Superis concepta, partaque, indè in omnes Orbis Catholici regiones exitiale contagium allatura Author improbus diſperſit? Quapropter multorum adversùs Mechlinienſem Archiepiſcopum, etſi aliàs de Eccleſiâ præclarè meritum, querela eſt, quòd hominem adeò pernicioſum, non tutiore carcere, non majore ſolicitudine detinuerit captivum. Quot, inquiunt, malis Eccleſiam liberaſſet! Verùm quiſquis Belgium Hiſpanicum, ſive ut nunc eſt, Cæſareum, paulò attentiùs circumſpexerit, fallor, ſi ullum inventurus ſit carcerem contra tam numeroſæ, & callidæ factionis inſidias tutum, ſi fortè ſubterranea quædam ergaſtula exceperis, ſupremo afficiendis ſupplicio deſtinata; ſed quæ ſtatui Sacerdotali, & Eccleſiæ manſuetudini minimè congrua viderentur. Ideo Archiepiſcopus, nè ſimili arte etiam Gerberonus evaderet, cum acceptâ à Summo Pontifice facultate, Regi Chriſtianiſſimo, cui ſubditum nativitas fecerat, tradidit ſecuriùs cuſtodiendum; hoc tamen pacto ut reus non ſub laicâ, ſed ſub Eccleſiaſticâ ſemper maneret poteſtate.

Quæ Queſnelli fuga, etiam mihi aliàs viſa eſt Eccleſiæ funeſtiſſima; verùm ubi Conſtitutionem *Vineam Domini Sabaoth*, & alteram

ram Unigenitus conſidero, cum immenſis indè orituris in perpetuum fructibus, quibus occaſionem partim præbuerit Queſnelli in ſcribendo temeritas, divinam ſuſpicere cogor, & laudare providentiam, quòd eripi eum carceri permiſerit, ac dein ſcriptis pluſquàm antea vacare; ut felicem quodammodo prædicare liceat culpam, felicia Eccleſiæ vulnera, quæ talem promeruerint curationem. Malum enim alioquin ſerpebat tacitè; quò occultiùs, eò graviùs nociturum: *Obſervationibus* autem *moralibus*, erſi publicis, accuſator deerat ſufficienti præditus authoritate, donec Queſnelli remeritas, & totius, eo ſuſcitante, factionis audacia, Epiſcoporum excivit ſolicitudinem, ut venenum rot aliis paſſim Voluminibus diſperſum, in uno collectum decumano opere, Sedi Apoſtolicæ denunciarent. Ita ſecuris ad radicem poſita eſt, ut quod centenis lucubrationibus plantatum à Janſenii tempore fuerat, duabus Clementis XI. Conſtitutionibus exſcinderetur. Cauſa finita eſt: error utinam finiatur!

CAPUT II.

Occaſio Conſtitutionis contra Propoſitiones ex moralibus Obſervationibus excerptas.

Liber Queſnelli tacito authoris nomine; ſed magnifico patrocinantium elogio, & potenti authoritate munitus, annis pluribus non Gallias tantùm; ſed & Belgium, Angliam, & alias regiones finitimas impunè pervagatus eſt, magno Eccleſiæ detrimento, & exitio animarum, quas hæreſeos veneno tacitè perdidit, antequam mali incideret ſuſpicio. Alliciebanr & ſermonis Gallici politioris blanditiæ, & affectatæ ubique ſpeciès pietatis. Ut autem liber aſceticus apparebat potiùs, quàm dogmaticus, piorum utriuſque ſexus hominum magis, quam ſcholaſticorum manibus terebatur. Unde peſtilens hæreſeos virus, ſubdolo melle propinatum fefellit, infecit, enecuit plurimos, à paucioribus agnitum. Sed & quibus ſubindè enuntiatio quædam durior, neque Catholicæ Doctrinæ congrua videbatur, Doctorum, maximè Antiſtitum authoritas perſuaſit, verba ſenſu catholico, etſi improprio, & in vocibus minimè apparenti eſſe intelligenda. Peritiores tamen, & in Janſenianis offuciis dignoſcendis verſatos non latuit malum, nec decepit verſuria; ſed periculi res plena apparebat, præſertim in Galliis, palàm reprehendere hæreſeos, quod velut Catholicum, velut pium tanta divulgabat authoritas. Quapropter quodcunque murmur fuerit, quæcunque bonorum querimonia, foràs prorumpere vix auſa, ferè domeſticos intrà parietes ſe dudum continuit. Inter primos qui plus auſi ſunt, fuit D. De Fromageau Doctor & ſocius Sorbonicus, qui anno 1694. articulos 199. velut *erroneos & reprehenſione dignos*, ex Queſnelli opere collegit. Confidentiùs & publicè; ſed imprudenter vellicavit eundem librum Author famoſi *Problematis*, anno 1698. arrepta occaſione ex cenſura Eminentiſſimi Pariſienſis Antiſtitis, qua *Expoſitionem Fidei* Gerberonianam anno 1696., velut hæreticam, & totius Janſeniſmi compendium condemnavit. Quærebat problematis Scriptor, cui credendum potiùs eſſet, Noallio nunc Archiepiſcopo Pariſienſi Articulum damnanti in *Expoſitione Fidei*, an eidem Noallio olim Epiſcopo Catalaunenſi, eundem in Queſnelli *Obſervationibus* approbanti. Articulus erat qualis ferè exprimitur in Conſtitutione ſecundus: abſque gratia efficaci nos præcepta Dei non ſolùm non obſervare, ſed neque poſſe. Supponamus eandem utrobique enuntiationem eſſe, iiſdem, vel æquivalentibus expreſſam vocibus, & eodem ſenſu: attamen neque charitas, neque æquitas, & debita tanto Præſuli reverentia ſinebat exprobrari errorem, publica retractatione abdicatum. Ipſi Auguſtino errare contigit, & à Manichæiſmo in Semipelagianiſmum incidere, quem errorem dum agnoſcit, & corrigit, nemo dein duxerit exprobrandum. Pronum eſt, Antiſtitem in approbandis quatuor voluminibus, vel ex aliena relatione, vel ex inadvertentia inter mulriplices negotiorum diſtractiones decipi, quem ſi poſtea lapſum deprehendens damnaverit, laude ſe eximiâ apud omnes, nullo improperio oſtenderit dignum; quapropter jure meritiſſimo Problema, & à Pariſienſi Senatu, & Romæ à S. Officio proſcriptum eſt.

Quod damnationi Problematis præmiſſum eſt examen, fortè indirectè, ſed leviter attigerit Propoſitiones *Obſervationum* aliquas, quarum runc cauſa minimè agebatur; nam etſi *Obſervationes*, quas nemo hactenus, præter obſcurum, & anonymum accuſare auſus fuerat, hæreticæ forent, cenſuram tamen evadere problema non poterat, quod non doctrinam Obſervarionum hæreticam; ſed Catholicam hæreſeos cenſuram fallaci problematis nomine impeteret. Non tamen problematis condemnatio videri debuit *Obſervationum* approbatio; nam etſi hæ hæreſeos toxico ſcatuiſſent, minimè tamen debuit *Expoſitio Fidei* etiam hæretica abire immunis: neque problema irreverens, & contumelioſum permitti; ſed ſi nihil aliunde obfuerit, perſuadere debuerat Chri-

ſtiana chatitas, & erga Eminentiſſimnm reverentia, quod *Expoſitionis* proſcriptio, videri poſſet datæ aliàs *Obſervationibus* approbationis honeſta retractatio. Damnatio *Problematis* Romana, & Pariſienſis, *Obſervationum* Authori, ejuſque defenſoribus, ingens triumphi materies viſa eſt, quaſi proſcriptio adverſarii, ſuorum eſſet dogmatum non obſcura confirmatio. Verùm intempeſtiva gaudia turbavit Queſnelli, Gerberonii, & Brigodæi uno, eodemque die Bruxellis captivitas cum interceptione chartarnm omnium, unde non pauca iniquitatis myſteria detecta ſunt, & ſecuta plurium Novatornm exilia: ad Sedem quoque Apoſtolicam miſſa ex eodem armamentario documenta, de variis eam factioſorum machinationibus reddidere certiorem.

Queſnellus quidem effracto in Archiepiſcopali Palatio carcere, elapſus eſt; ſed neque proceſſum contra ſe juridicum ſiſtere, neque damnationis ſententiam evadere potuit. Nitebatur ea partim *Obſervationibus* in Teſtamentum Novum, quibus complurium novitatum à Sede Apoſtolica damnatarum reus convictus eſt. Quam Archiepiſcopus à ſe latam ex doctiſſimorum Virorum, etiam Lovanienſium conſilio, ſententiam, non intra Diœceſeos ſuæ limites contineri voluit; ſed per Germaniam, Galliam, Italiam, & qnocunque pernicioſus *Obſervationum* liber penetraverat, juſſit latiſſimè diſſeminari. Multa in Urbe *Cauſæ Queſnellianæ* exemplaria Cardinalibus, & Prælatis diſtributa ſunt, eo effectu, quem Archiepiſcopi zelus, & pietas unicè intenderat, ut Janſeniſtarum fraudes, & contra Fidem molimina Sedi Apoſtolicæ, cæteriſque ad quos pertinet Eccleſiæ neceſſitatibus providere, certiùs innoteſcerent; neqne graſſari diutius impnnè ſinerentnr tot infamia Janſeniſtarum opuſcula, & pernicioſiores omnibus Queſnellianæ in Novum Teſtamentnm *Obſervationes*, tot novitatibus doloſiſſimè contextæ, ac ſi à tenebrarum principe in animarnm exitinm dictatæ fuiſſent. Contra eaſdem operam Eccleſiæ perutilem præſtitit elegans ſcriptor Gallicus duobus præcipuè tractatibus, qnorum alter Queſnellum in ſuis Obſervationibns *ſeditioſum*, alter *hæreticum* demonſtravit. Suppetias hic qnoque Eccleſiæ opportunas tulit Epiſcopus Aptenſis, qui Decreto publico *Obſervationes* interdixit, cenſuriſque notavit non levioribus. Reclamavit Queſnellus, Archiepiſcopum Mechlinienſem, & ejus Vicarium, nunc Brugenſium Antiſtitem, Epiſcopum Aptenſem, & cæteros ſuos adverſarios contumeliis magis, quàm rationibus exagitans.

His undique clamoribus excitus SS. D. N. Clemens XI., & plurium ſtimulatus precibus, nè nimia erga *Obſervationum* librum indulgentia probro verteretur Apoſtolicæ Sedi, velut erroribus conniventi, quibus ſenſim corrumperetur Eccleſia, & multi incauti ruerent in interitum, accuratiori eum examini ſubjecit. Quo expleto *unanimis* Qualificatorum, Conſultorum, Cardinalium omnium, qui relationi interfuerant, in hoc convenit ſententia, librum eſſe pernicioſum, atque erroribus graviſſimis, etiam hæreſim ſapientibus ſcatentem: proinde manibus Fidelium ſubducendum eſſe, atque anathemate feriendum. Quod SS. Pontifex præſtitit, ſpeciali Decreto in forma Brevis anno 1708. in quo ſic de libro declaratur: *Sacrum ipſum Novi Teſtamenti textum exhibet damnabiliter, nec ſinè auſu temerario vitiatum, & alteri verſioni Gallicæ, dudum à fel. rec. Clemente Papa IX. prædeceſſore noſtro per quaſdam ſuas in ſimili formâ Brevis die 20. Aprilis 1668. expeditas literas damnatæ, in multis conformem; à vulgata verò editione, quæ tot ſeculorum uſu in Eccleſiâ probata eſt, atque ab Orthodoxis omnibus, pro authenticâ haberi debet, multipliciter diſcrepantem, & aberrantem; Notas inſuper, & Obſervationes continet habentes quidem ſpeciem pietatis; ſed ad virtutem ejus abnegandam ſubdolè deducentes; in quibus paſſim occurrunt doctrinæ, & propoſitiones ſeditioſæ, temerariæ, pernicioſæ, erroneæ, aliàs damnatæ, & Janſenianam hæreſim manifeſtè ſapientes.*

Anno ſequenti prodiere contra eundem librum cenſuræ Epiſcoporum Lucionenſis, Rupellenſis, Vapincenſis. Rex Chriſtianiſſimus revocavit, quam aliàs tribuerat, editionis facultatem. Eminentiſſimus autem Pariſienſis Archiepiſcopus, ægrè ferens, Antiſtites illos non contentos Sedis Apoſtolicæ ſententiâ, plurimas è libro propoſitiones excerpſiſſe, quibus præveniendo Summi Pontificis judicium, cenſuras infligerent, ſic animi ſui propoſitum expreſſit literis ad Aginnenſem Epiſcopum ſcriptis 20. Decemb. 1711. atque in lucem dein publicam typo editis; pag. 12. *Abſque ulla hæſitatione omnibus audire volentibus aſſerui, futurum nunquam, ut quis me videat diſſenſiones facientem, vel tolerantem in Eccleſia propter librum, à quo religio minimè pendeat. Addidi me, ſi Sanctiſſimo Domino Noſtro Pontifici videretur liber hic ritu congruo proſcribendus, Conſtitutionem ejus, & cenſuram ante omnes alios ſummâ reverentiâ amplexurum, daturumque omnibus perfectiſſimæ animi, & cordis obedientiæ exemplum. Reverà gaudio mihi eſſet, ex Sanctiſſimi Patris documentis poſſe proficere, mihique ducerem gloriæ, ex ipſa didiciſſe modum, tutò, accuratèque loquendi de*

tanti

tanti momenti quæſtionibus, non ſinè maximâ circumſpectione tractandis. Non placuerat ſcilicet Eminentiſſimo libri, anteà à ſe approbati, proſcriptio, cenſuras quidem complures accumulans; Sed nullum libri deſignans articulum, nullum referens dogma, quod damnatio impeteret. Quapropter Rex Chriſtianiſſimus, qui & inteſtina diſſidia, & fomitem diſſidiorum hæreſim, conjunctaſque ei dogmatum novitates compeſcere, atque extinguere penitùs ſtudebat, precibus ſæpe iteratis Pontificem ſolicitavit, ut quoniam ad regni pacem, doctrinæ ſanæ, atque ipſius Fidei incolumitatem neceſſarium videbatur, requirente id pariter Cardinale ſuo Archiepiſcopo, novum libri Pontifex examen inſtitueret, quo articuli cenſurâ digni excerperentur: quibus ſelectis non Breve, non inferioris ordinis Decretum; ſed ſolemnis ederetur Conſtitutio, non librum ſolummodo; ſed & doctrinam, & ſingulares ejus conſigens articulos. Magnum hic ſibi onus, & laborem imponi ſenſit Pontifex; nè tamen quidpiam, ſive ad pacem Galliæ, ſive ad Regis, ipſiuſque ut apparebat, Cardinalis Noallii votum, atque ad religionis, & Fidei integritatem potiſſimùm conducens, à ſe prætermitti videretur, opus arduum ſuſcepit, abſolvitque curâ, ſtudio, conſtantiâ incredibili, ut mox amplius videbimus. Hic habes lector Conſtitutionis Unigenitus originem, & occaſionem ſummâ expoſitam fide: atque hinc ſubrutas adverſariorum calumnias, perfidè jactantium, non aliunde profluxiſſe, quàm ex Jeſuitarum, ac Romanæ Curiæ adversùs Eminentiſſimum Cardinalem Noallium, & Queſnellum odio, quidquid contra librum, & univerſam Propoſitionum ejus multitudinem tanto molimine definitum eſt: quaſi librum, & articulos non propter doctrinam; ſed librum, atque articulos propter Authorem, ejuſque Eminentiſſimum Protectorem Romana Curia prohibendos cenſuerit, inſtigante ſcilicet Societate, ut ſpargebatur, Archiepiſcopo inimicâ. Mendax, & Schiſmaticum commentum eſt. Sed quis Hæreticus ſe jure, & ratione, non invidiâ accuſantium, judicumque cenſeat condemnatum? Omnis contra Pelagianos ſuſcitata tempeſtas, omnis Eccleſiaſtica condemnatio effectus invidiæ fuit, atque odii, Auguſtinum in adverſarios ſuſcitantis, ſi Juliano creditur. Eo teſte, Magiſtratus profani, & Eccleſiaſtici ab Auguſtino largitionibus, & omni fraudum genere commoti ſunt, atque corrupti. Sic apud Auguſtinum operis imperfecti lib. 3. cap. 35. Julianus de Auguſtino queritur: *Totam Italiam factionibus commoviſtis: ſeditiones Romæ conductis populis excitaſtis: de ſumptibus pauperū ſaginaſtis per totam fere Africam equorum greges, quos proſequente Alipio, Tribunis, & Centurionibus deſtinatis. Matronarum oblatis hereditatibus poteſtates ſeculi corrupiſtis, ut in nos ſtipula furoris publici arderet. Diſſipaſtis Eccleſiarum quietem. Religioſi Principis tempora perſecutionum impietate maculaſtis*.

Si fides Berengario, à S. Bernardo Innocentius Pontifex in Abailardum ſuccenſus eſt. Sic Betengarius in Apologia pro Abailardo pag. 309. *Deberet refugium apud ſedem Petri invenire, ſi non illecebræ tui eloquii clauſiſſent viſcera miſericordiæ Romanæ Eccleſiæ. Sed dum tu Petro Abailardo clementiæ oſtium obſtruis, conceptæ veſaniæ ſignanter impetum prodis*. Si Lutherum audias, Cajetanus, Eckius, & Monachi, Apoſtolicam Leonis X. in Lutheri dogmata ſententiam extorſerunt: & fortè ſpurius ipſorum, non Pontificis, Conſtitutio fœtus eſt. Cardinalis Noallius, & ego, inquit Queſnellus, offendimus Clementem XI., Eminentiſſimus denuntiando librum Sfondratii, cujus Clemens antequam ad Pontificatus apicem elevaretur, patrocinium ſuſceperat. Diſplicuit eidem Pontifici, quòd anno 1705. in Comitiis Cleri Gallicani, Præſide Cardinale Noallio, quædam minùs honorifica S. Sedi in receptione Bullæ *Vineam Domini Sabaoth* geſta ſint. In damnatis quoque *Obſervationibus* paſſim authoritas Pontificia arctioribus circumſcribitur terminis, quàm Romanorum placeat ambitioni. Iſta ſunt, inquit Queſnellus, vel quiſquis Author Præfationis Hexaplorum eſt, quæ Pontificium in tot Propoſitiones anathema concivere.

Sic nempe privatus homuncio ſibi jus vindicat, ſcrutandi Pontificis animum, quod à Sanctiſſimo in Conſtitutionis exordio uſurpatum Queſnellus miſerabiliter, ſed falsò queritur, ut mox demonſtratum dabo. Chriſti Vicarium Clementem, reverà clementiſſimum, nemo in Eccleſiâ, niſi peregrinus ignorat, nemo niſi improbè malevolus inficiatur. Non immoderatis ille animi æſtibus abripitur, non irâ, non odio, aut impetu ad cenſuras, & ſupplicia proſilit; ſed ratione, juſtitiâ, neceſſitate compulſus ducitur, ac trahitur quodammodo invitus. Quis autem hæreſiarcha, priuſquam ab Eccleſia proſcriptus recederet, ſuis novitatibus audaciâ, temeritate, non offendit Pontificem, aliòſque à quibus damnatus eſt Judices? Ideone novitates ejus, & hæreſes ab Eccleſia diſſimulandæ ſunt, nè judices dicantur ex odio, invidiâ, vindictâ tuliſſe ſententiam? Tot Propoſitiones ſcandaloſas, impias, hæreticas, quas

fide optima refert, & juſtiſſimè damnat Conſtirutio, invexit Queſnelli novaturiens ingenium, non ipſi adverſantium malitia, odium, invidia, multo minùs vindicta Pontificis. Neque potuere errorès tanti, & tanto ſtrepitu, tantâ evidentiâ denunciati, vel in amiciſſimo diſſimulari, niſi Pontificem non eruditum, ſed rudem; non ſanctiſſimum, ſed hæreticum ſtatuas, vel hæreſeos fautorem. At, inquit Queſuellus, ſi errores tanti ſint, quomodo non animadverſi pridem à libri Cenſoribus? Quomodo non ab Epiſcopis libro parrocinantibus? Quomodo contra eos nemo priùs calamum ſtrinxit, nemo eos tanto tempore denunciavit Eccleſiæ? Aut, quod mirabilius, quomodo Sancti Officii ferulam evaſit, referente, ut in Hexaplorum præfatione ſcribitur, Religioſo qualificatore?

Quærere & mihi viciſſim liceat, ſi tanti fuere errores Pelagii, ſi ram deteſtabilis Michaëlis Molinos, quomodo tam diu, rot Virorum pietate, & ſcientiâ illuſtrium, etiam Romanorum, atque ipſius Apoſtolicæ Sedis prudentiam eluſere? Nihil doloſius hypoctiſi eſt, nihil ad impietatem doctrinæ obtegendam accommodatius. Si quid enim in ſcriptis appareat durius, neque Fidei Catholicæ uſquequaque conſonum, facilè in beniguiorem, licèt improprium ſenſum accipitur, quod à viro ſancto, & ſapienti creditur exaratum; præſertim ſi ſenſum Catholicum enuntiationes aliæ præ ſe ferre videantur, & Authoris teſtimonium acceſſerit, quòd à novitatibus abhorrear, ubique ſentiat cum Eccleſia. Ita Sedes Apoſtolica errores Authoris hærericos aliquandiu ignorare poteſt, ſuo nunquam calculo confirmare.

Quis autem Divinæ Providentiæ penetrer conſilia, cur in Eccleſiæ agro randiu zizania ſucereſcere, & nocere tritico patiatur? Sed quicunque Dei fines fuerint, optimos fuiſſe credendum eſt: ac, ſi divinare nobis liceat, permittere voluerit, ut hæreſis quæ Janſeniſtarum hypocriſi, & perfidiâ latcus, tantam in Eccleſiâ ſtragem facere cœperat, nimiùm jam ſuis præſidens viribus, & patrocinantium ſuperba præſidio, criſtas adversùs ſupremas Eccleſiæ, & ſeculi poteſtates erigeret, atque ita contemprrix omnium, omnium in ſe arma convertens, potentiore tandem reprimeretur remedio, & ſecuri ad radicem poſitâ excideretur. Exciſam, & iterato Vaticani fulmine exuſtam Superi nunquam ſinant ſuſcitari ex cineribus redivivam.

CAPUT III.

Utilitas, & neceſſitas Conſtitutionis.

SI providentia humana prævidere potuiſſet, vel revelaſſet Divina, quidquid Bullam UNIGENITUS conſecutum eſt, nonnulli Pſeudo-politici exiſtimant, ab eâ edendâ Pontificem abſterrendum fuiſſe. Quid enim, inquiuut, utilitatis ea attulit Eccleſiæ, quid non potiùs detrimenti? Bonis Catholicis eâ opus non erat: mali occaſione ejus redditi ſunr deteriores: Janſeniſtæ in rabiem acti, majoribus quàm ante animis, obfirmatâ contumaciâ hæreſim tuentur: furunt in omnes novitatibus obſiſtentes, Promotores, Authores, Defeuſores Conſtitutionis odio inſectantur implacabili, & quibus non contumeliis perſequuntur? omnia, clamoribus, querelis, criminationibus perſonant: puſilli, ac boni mœrent; hæretici, & libertini plaudunt; quies, & pax publica turbatur; Eccleſia Fidelium multitudine non augetur; ſed creſcente excommunicatorum numero minuitur: impeditur Infidelium converſio: Sedes Apoſtolica in odium adducitur: authoritas ejus iu contemptum; ſaltèm apud plurimos in Fide vacillantes, atque ira fructus Conſtitutionis apparet perexiguus; damnum autem graviſſimum, & fortè nec multis ſeculis reparandum. Hæc, inquam, Pſeudo-politicorum oratio eſt, ſuggeſta à malevolis, & à ſimplicibus quibuſdam nimis facilè eredita: quæ, nè pluribus noceat, hic refellenda proponitur.

Si quid præpoſtera Criticotum valeret ratio, permittenda eſſet, ſeu diſſimulanda Eccleſiæ Rectoribus quælibet doctrinæ noviras, etiam hæretica, quaudo defenderetur ab iis, de quibus vehemens ſuſpicio ſit, correptione non emendandos; ſed omnia impleturos clamoribus, tumultibus concuſſuros Eccleſiam, & Rempublicam, contempturos anathemata, Conſtitutiones Apoſtolicas, atque ipſum Romanum Pontificem libellis infamibus proſciſſuros. Verùm reſpondeat S. Cyprianus epiſt. 55. ad Cornelium Papam: *Si ita res eſt, Frater, ut nequiſſimorum timeatur audacia, & quod mali jure, atque æquitate non poſſunt, temeritate, & deſperatione proficiant, actum eſt de Epiſcopatus vigore, & de Eccleſiæ gubernandæ ſublimi, ac Divinâ poteſtate, nec Chriſtiani ultra durare, aut eſſe jam poſſumus; ſi ad hoc ventum eſt, ut perditorum minas, atque inſidias pertimeſcamus.* Fraus ſemper hæreticorum fuit, ut primùm ſanctitatis ſpecie famam ſibi, & authoritatem acquirere conarentur; quæ fallacia, ubi fortè detecta non ſuc-

Digitized by Google

ſuccederet, terroribus Eccleſiam percellere aggreſſi ſunt, ut niſi omnia diſſenſionibus commoveri, & quodammodo peſſumdari mallet, ſuſciperet novitatem, aut diſſeminari impunè ſineret. Sic de Pelagio reſtatur Franciſcus Simonis parte 2. de fraudibus hæreticorum, fraude 10. quòd licèt pertimidus ille, mutus, atque elinguis, tamen in hoc ſimilis fuerit Luthero, qui *diſcipulos ſibi adjunxit ingenio acutos, ſtyloque promptos, audaciâ præcipites, mendaciis conſutos, maledicentiâ formidabiles, quibus ſi innuiſſet modò, proſiliebat illico è prælo typographico quiddam paginarum ad probrum optimi cujusque viri, quem ille deſignaſſet, aut nè deſignaſſet quidem, ſi modò Luthero eſſet adverſatus*. De hoc Cochlæus in actis Lutheri ad annum 1518. *Lutheri*, inquit, *miſerta Poëtarum, Rhetorumque docta cohors, & in adverſarios ejus odio accenſa, impigrè pro eo, & linguâ, & calamo decertabat, cauſamque ejus laicis commendabilem reddebat, ac variis cavillis, & invectivis Prælatos Eccleſiæ, Theologosque perſtringebat, incuſans eos avaritiæ, ſuperbiæ, invidiæ, barbariei, & ignorantiæ . . . . . cumque valerent non ſolùm ingenio, & acrimoniâ; verùm etiam elegantiâ ſermonis, ſive loquendum, ſive ſcribendum eſſet, facilè traxerunt laicorum animos in favorem, commiſerationemque Lutheri*. Ita Cochlæus. Quæ referens Franciſcus Simonis, loco citato ita proſequitur: *Petulantiſſimorum hominum veſtigia ſervant impreſſa hodieque volumina Lutheri. His Epigrammata, Satyras, ludosque omnis generis ſarcaſticos in Sorbonam, in Lovanienſes, in Colonienſes Doctores, in Aleandrum, in Eckium, aliosque Theologos, in Religioſos Viros, in Romanum Pontificem, videns inſperſa, ferè tacitis Authorum nominibus*.

Ita Lutheranorum paucis profuerit Leonis X. Conſtitutio: hanc & quaſcunque ejus Apologias exploſerint factioſi, quorum Epigrammatibus, Satyris, ludisque omnis generis ſarcaſticis turbati ſint debiles, fortè & nonnulli perverſi; pax, & quies publica concuſſa; ideone diſſimulanda Eccleſiæ fuit ſceleratiſſima hæreſis, & univerſos perdendi libertas ei, atque impunitas concedenda? Non defuere magni nominis Scriptores, & inter hos Eminentiſſimus Pallavicinus, in Concilii Tridentini hiſtoria, qui nimiam in Rectoribus Eccleſiæ longanimitatem incuſent, quâ factum ſit, ut Lutherana hæreſis vires, occaſionemque ceperit pervertendi plurimos, ac numero ſequacium, potentiaque nimiùm aucta, inſultare anſa ſit potentiſſimo Imperatori, Apoſtolicæ Sedi, atque Eccleſiæ univerſæ. Si ab annis triginta, & ampliùs omnes iſti, qui modò feriuntur, nefandi Obſervationum articuli, ad inferos, unde emerſerant, remiſſi Pontificio anathemate fuiſſent, non tam multos improvidos Lectores veneno infeciſſent mortifero; non tot ſibi vindices conſciviſſent, ac patronos; non tot clamores, & refractarios paſſa fuiſſet proſcriptio. Sed & tota Janſeniſtarum Secta, ſi ejus perfidiæ magis Epiſcoporum, & Principum ſtudia invigilaſſent, omnes legitimè ſuſpectos, ut cum Judæis, Lutheranis, Calvinianis agitur, ab omnibus excluſiſſent officiis, ac beneficiis acquirendis, & nulla ratione debitis, fortè non eò uſque malum invaluiſſet, ut deſperata ejus curatio videatur, dubiumque pluribus appareat, an non diſſimulanda potiùs nova hæreſis ſit, nè tantis Eccleſia concutiatur procellis.

Verùm quivis Sapiens, ſeu corporum, ſeu animarum Medicus cenſebit, ubi partem gangræna invaſerit, uſtionem eſſe neceſſariam, quæ, ſi non juverit, partem potiùs quocunque totius corporis dolore reſcindendam, quàm permittendum, ut malo latiùs diffuſo, unius partis corruptio cæteras ſecum in certiſſimum pertrahat interitum. Si Eccleſia furorem hæreticorum verita, nihil contra eos definiat, errores à Fidei veritatibus non diſcernat, hæreſis à ſimplicibus pro fide ſuſcipietur, & qualis tandem apparebit Eccleſia ex omni quodammodo hæreticorum colluvie coaleſcens? Similis nempe Romæ veteri & infideli, quæ nullam dicitur reſpuiſſe falſitatem! Atque hæc quidem hæreſes damnandi neceſſitas communis eſt; ſpecialis verò ratio exigit proſcriptionem illius, quæ pietatem, ſanctitatemque mentiens, ad fallendum, & nocendum magis idonea eſt. Detrahenda illi neceſſariò religionis larva eſt, ac detegenda palàm turpitudo, nè fallax ſpecies incautos decipiat, nè inſultare Eccleſiæ pergat Novatorum hypocriſis, quaſi illa in tenebris miſerè ceſpitans, & vitiorum ſqualore obſita, ab his meliorem Fidei, morumque normam debuerit edoceri. Rectè Origenes hom. 7. *Juxta mei quidem animi ſenſum, multò nocentior eſt hæreticus bonæ vitæ, & plus in doctrina ſua habet authoritatis eo, qui doctrinam converſatione commaculat. Idcirco caveamus hæreticos, qui converſationis optimæ ſunt, quorum fortè vitam non tam* Deus, *quàm Diabolus inſtruxit; nam quomodo quaſdam illecebras eſcarum aucupes proponunt, ut faciliùs aves capiant per oblectamentum gulæ, ſic (ut audaciùs dicam) eſt quædam caſtitas Diaboli, id eſt decipula humanæ animæ ut per iſtiuſmodi caſtitatem, & manſuetudinem, & juſtitiam poſſit faciliùs capere, & falſis ſermonibus irretire*.

Quanvis igitur nulla hæreſis ab Eccleſiâ toleranda ſit; major tamen eſt neceſſitas illius dete-

detegendæ,feriendæque anathemate,quę ſub pietatis nocet velamine,quàm alterius,cujus venenum, vel ſpurcitia in aperto eſt. Quantumcunque demum fraudulentus error fuerit, latâ contra eum damnationis ſententiâ, nullum deinceps facilè decipit, corrumpit, ac pertrahit in exitium, niſi volentem. Damnatâ enim hæreſi, qui in poſterum fugiendi ſint, novimus; quos nempe obſtinatos Eccleſiæ definitionibus viderimus refragari. Contra hos ab Eccleſia monemur verbis S. Leonis Pontificis ſerm.4. in Epiphaniam: *Nihil cum hujuſmodi hominibus commune ſit cuiquam Chriſtiano: nulla cum talibus habeatur ſocietas.... Neminem fallant diſcretionibus ciborum, ſordibus veſtium, vultuumque palloribus. Non ſunt caſta jejunia, quæ non de ratione veniunt continentiæ; ſed de arte fallaciæ: hactenus nocuerint incautis, hactenus illuſerint imperitis: poſt hæc nullus excuſabilis erit lapſus.*

Denique pronuntiandi ſententiam, circa Queſnellianas *Obſervationes*, & collectos ex eis articulos ſingularis impoſita fuit Sedi Apoſtolicæ neceſſitas, ob graviſſima Epiſcoporum inter ſe diſſidia, invicem erroris, hæreſiſque accuſantium; quæ, cùm aliis authoritate Sereniſſimi Delphini, atque ipſius Chriſtianiſſimi Regis, tentatis fruſtrà remediis, terminari non poſſe omnes perſpicerent, ad Pontificem à Rege, ab Epiſcopis recurſum, ut ſuâ authoritate motus compeſceret, atque ſupremo judicio definiret veritatem, errores proſcriberet. Potuitne Chriſti Vicarius in tanto florentiſſimi Regni diſcrimine, in tanta Religionis,atque Eccleſiæ neceſſitate, tot Epiſcoporum, & tanti Regis vota preceſque contemnere, denegando poſtulatam tanto ambitu, tot rationibus neceſſariam ſanctionem?

Mitius quidem remedium ſopiendis diſſenſionibus, ac ſiſtendo hæreſeos progreſſui CLEMENS XI. excogitaverat, damnationem ſolius libri, iis additis cenſuris, quæ fallaciſſimæ doctrinæ deſtruerent authoritatem. Hæc Sedis Apoſtolicæ providentia ſufficere quidem omnibus debuerat Romanæ Eccleſiæ obedientibus filiis, ut librum abjicerent, & quidquid ex eo fortè didicerant Eccleſiæ dogmatibus non conſonum, protinus abdicarent. Verùm ex ipſo remedio, unde corrigi debuiſſent novitatum ſtudioſi, redditi ſunt ferociores; & primùm authoritate Regis Chriſtianiſſimi Sedem Apoſtolicam adigi quodammodo voluere,ut Propoſitiones,quas cenſuris adeò gravibus perſtringendas cenſuit, diſtinctè exhiberet. Perſuaſerant nempe ſibi, aliiſque perſuadere conati fuerant, nihil ex quatuor Obſervationum voluminibus proferri poſſe, cui tam horrida cenſurarum congeries conveniret. Ipſe Eminentiſſimus Noaillius optaverat oſtendi ſibi à CLEMENTE XI. Propoſitiones cenſurâ dignas, ut poſſet ex *tanti Pontificis inſtitutione proficere*. Quin ſerium eſſet tanti Antiſtitis deſiderium dubitare Sanctiſſimus non poterat, ideoque tantorum virorum votis dari oportuit novum Obſervationum Moralium examen, & Propoſitionum ex iis excerptarum trutinam priore magis operoſam. Hinc profluxit tot Propoſitionum diſtincta exhibitio, & ſolemnior cenſura, cujus neceſſitatem Pontifici maximo quodammodo inevitabilem impoſitam quivis ſapiens facilè percipit. Ita ſi debita olim Urbani VIII. contra Janſenium Bullæ præſtita fuiſſet obedientia, cùm librum noxium manibus Fidelium eripi prudens Pontifex voluit, diſtincta quinque hæreſum ex eo deſumptarum expreſſio, atque condemnatio videri potuiſſet non neceſſaria; verùm ex benignitate Sedis Apoſtolicæ creſcens refractariorum audacia, ad remedia tandem compulit ipſis quidem minimè honorifica; ſed magis neceſſaria Eccleſiæ quàm ut omitti poſſent, aut ſuſpendi diutius. Priorem CLEMENTIS XI. contra peſtilens *Obſervationum Moralium* opus ſententiam hìc integram Lector accipiat, ex cujus contemptu, & impugnatione publica, inſtigante Novatorum petulantiâ intolerabili, accedentibus, ut dixi, Regis Chriſtianiſſimi precibus, Gallicanorum Antiſtitum, etiam Pariſienſis Archiepiſcopi votis, occaſio & neceſſitas Conſtitutionis UNIGENITUS orta eſt. Prior autem ſententia tenoris erat ſequentis.

CLEMENS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

UNiverſi Dominici gregis cura humilitati noſtræ cœlitus demandata Nos urget, ut Sacrarum Scripturarum, quibus potiſſimùm Eccleſia Catholica paſcitur, & nutritur, puritati, & integritati cuſtodiendæ ſedulò advigilemus, ac Chriſtifidelium animas pretioſo ejus ſanguine redemptas, pravis, atque fallacibus docentium, quæ non oportet, inſtitutionibus decipi, aut à via veritatis abduci minimè patiamur; ſalutaribus enim Veterum Patrum documentis inſtruimur, perverſâ petulantium ingeniorum interpretatione de Evangelio Chriſti fieri Evangelium hominis, & in populi Dei ſeductionem, & exitium cedere, ſi præſertim pietatis obtentu offendicula parentur incautis, & Catholicæ veritati, velut zizania in medio tritici, mala ſemina miſceantur erroris. Cùm itaque, ſicut accepimus, in lucem prodierit liber quidam Gallico

lico idiomate impreſſus, & in plnres tomos diſtribntns, ſnb titulo : Le nouveau Teſtament en François avec des reflexions morales ſur châque verſet &c. A' Paris 1699. *Ac aliter* : Abregè de la morale de l' Evangile, des Actes des Apôtres, des Epîtres de S. Paul, des Epîtres Canoniques, & de l' Apocalypſe, *ou* Pensèes Chrètiennes ſur le Texte de ces livres ſacrez &c. A' Paris 1693. & 1694. ſe vend à Bruxelles chez Eugene Henry Friex : *ac pluries typis recuſus fuerit, non ſinè bonornm offenſione, & ingenti animarum periculo propter ejus freqnentem, etiam in variis Provinciis, lectionem, & uſum, quemadmodum pariter ad Apoſtolatum noſtrum multorum querelâ delatum eſt. Nos librum hnjuſmodi nonnnllis ex Venerabilibus Fratribns noſtris S. R. E. Cardinalibus, aliiſque in Sacra Theologia Magiſtris maturè, nt rei gravitas poſtnlare videbatur, examinandum commiſimus; illi verò mandatis noſtris obſequentes librum ipſum poſt accnratam ejus diſcuſſionem unanimi conſenſu probibendum eſſe cenſuerunt, utpote qui Sacrum ipſum Novi Teſtamenti textum exhibet damnabiliter, nec ſinè anſu temerario vitiatum, & alteri verſioni Gallicæ dudum à fel. rec. Clemente PP. IX. Prædeceſſore noſtro per quaſdam ſuas in ſimili forma Brevis die xx. Aprilis MDCLXVIII. expeditas Literas damnatæ in multis conformem; à vulgata verò editione, quæ tot ſeculorum uſu in Eccleſia probata eſt, atque ab Orthodoxis omnibus pro authentica haberi debet, multipliciter diſcrepantem, & aberrantem: Notas inſuper, & Obſervationes continet, habentes quidem ſpeciem pietatis, ſed ad virtutem ejus abnegandam ſubdolè deducentes, in quibns paſſim occurrunt doctrinæ, & propoſitiones ſeditioſæ, temerariæ, pernicioſæ, erroneæ, aliàs damnatæ, & Janſenianam hæreſim manifeſtè ſapientes. Hinc eſt, quòd Nos creditum nobis à Domino paſtoralis curæ, atque vigilantiæ munus, quantum Nobis ex alto conceditur, ſalubriter exequi cupientes, de eorundem Cardinalinm conſilio, librum ſupradictum, ſive præmiſſis, ſive alio quovis titulo inſcriptum, ubicunque, & quocunque alio idiomate, ſeu quavis editione, aut verſione hactenus impreſſum, aut in poſternm (qnod abſit) imprimendum, authoritate Apoſtolica tenore præſentium damnamus, & reprobamns, ipſiuſque libri impreſſionem, deſcriptionem, lectionem, retentionem, & uſum omnibns, & ſingulis Chriſtifidelibus, etiam ſpecificâ, & individuâ mentione, & expreſſione dignis ſub pœna excommunicationis per contrafacientes ipſo facto abſque alia declaratione incurrenda, à qua nemo à quoquam (præterquàm à Nobis, ſeu Romano Pontifice pro tempore exiſtente) niſi in mortis articulo conſtitutus, abſolntionis beneficium valeat obtinere, omnino interdicimus, & prohibemus. Volentes, & eadem authoritate mandantes, ut quicnnque librum hujuſmodi penès ſe habuerint, vel in fntnrum quandocunque habebunt, illum ſtatim, atque præſentes Literæ eis innotuerint, locornm Ordinariis, vel hæreticæ pravitatis Inquiſitoribus tradere, atque conſignare teneantur; hi verò exemplaria ſibi ſic tradita illico flammis aboleri curent: In contrarinm facientibus non obſtantibus quibuſcunque. Ut autem eædem præſentes Literæ omnibns faciliùs innoteſcant, nec qniſquam illarum ignorantiam allegare poſſit, volumus, & authoritate prædicta decernimus, illas ad valvas Baſilicæ Principis Apoſtolornm, ac Cancellariæ Apoſtolicæ, necnon Curiæ generalis in Monte Citatorio, & in Acie Campi Floræ de Urbe per aliquem ex Curſoribus noſtris, ut moris eſt, publicari, illarumque exempla ibidem affixa relinqui, itaut ſic publicatæ omnes, & ſingulos, quos concernunt, perinde afficiant, ac ſi unicuique illorum perſonaliter notificatæ, & intimatæ fuiſſent; ipſarum autem Literarum Tranſumptis, ſeu exemplis etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis, eandem prorſus fidem tam in judicio, quàm extra illud ubique locorum haberi, quæ haberetur ipſis præſentibus, ſi exhibitæ forent, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub annnlo Piſcatoris die 13. Julii 1708. Pontificatus noſtri Anno Octavo.*

F. Oliverius.

Anno à Nativitate D.N. Jesu Christi milleſimo ſeptingenteſimo octavo, Indictione prima, die verò decimaquartâ Julii, Pontificatus SS. in Chriſto Patris, & D.N.D. Clementis Divina providentia Papæ XI. Anno octavo, ſupradictæ Literæ Apoſtolicæ affixæ, & publicatæ fuerunt ad valvas Baſilicæ Principis Apoſtolorum, Cancellariæ Apoſtolicæ, Curiæ Generalis in Monte Citatorio, in Acie Campi Floræ, ac aliis locis ſolitis, & conſuetis Urbis per me Sebaſtianum Vaſellum SS. D. N. PP. Curſorem.

Jo. Baptiſta de Cappellis Mag. Curſ.

CA-

Digitized by Google

CAPUT IV.

De Obſervationum moralium Approbatoribus.

FRANCISCUS Simonis de fraudibus hæreticorum par. 2. hanc fraudem 6. commemorat: *Dogmatum, & librorum ſuorum approbationes emendicare ab Epiſcopis*: atque hanc copioſâ exemplorum multitudine à primis Eccleſiæ ſeculis, ad noviſſima uſque deducit, ſic præfatus: „ Hic verò Diabolo re-„ ſiſtite fortes in Fide, quiqui hæreticos odi-„ ſtis. Apoſtolorum ſucceſſores Eccleſiæ „ Præſules, & Cuſtodes Epiſcopos circun-„ veniunt, & quo præſidio par eſſet Eccle-„ ſiam decertare adversùs omnem perfidiam, „ illud ipſum perfidi adversùs Eccleſiam vel „ ſuum faciunt, vel eſſe mentiuntur. Certè „ quidem hîc experiuntur, quid adulatio-„ ne, quid hypocriſi, quid technis valcant. „ Impiis ſcriptis ſubſcripta videas Epiſco-„ porum nomina longâ ſerie. Hac appro-„ batione ſeu verâ, ſeu fictâ vallatam impie-„ tatem, Eccleſiæ ipſi inexpugnabilem cen-„ ſent. Magni quidam artifices hujus frau-„ dis fuere Ariani, præeunte Ario &c.

Ut technas hæreticorum cæteras, ita & hanc edocti Janſeniſtæ, minimè ſibi prætermittendam cenſuere. Conatus non ubique irritus fuit, ut toti jam Eccleſiæ notius eſt, quàm ut odioſâ opus ſit commemoratione. Satis hîc ſit citra ullius invidiam dicere, Epiſcopos, qui ab initio pro Conſtitutionis obedientia decertarunt, habuiſſe quod de quibuſdam obſcuris hominibus conquererentur verbis Alexandri Patriarchæ contra Arianos ſic ſcribentis apud Theodoretum lib. 1. hiſt. Eccl. cap. 3. *Ipſi huc, & illuc, contra nos excurrentes, ad ejuſdem nobiſcum Fidei Collegas noſtros pergere cœperunt . . . ut aliquos eorum per ſermonis lenocinia in erroris ſui contagionem pertrahant: & loquaciores ab eis literas flagitantes, eoramque iis, quos in errorem induxerunt, has legentes, faciunt, ut ſinè lapsûs ſui pœnitentiâ maneant, aſſueſiantque ad impietatem, quaſi ejuſdem ſecum ſententiæ, & opinionis habeant Epiſcopos. Quæ autem pravè apud nos docuerunt, vel egerunt, quorumque gratiâ ſunt expulſi, minimè illis confitentur; ſed velut ſilentio premunt, vel fictis ſermonibus, ſcriptiſque obſcurantes deludunt . . . unde fit, ut nonnulli literis eorum ſubſcribentes, in Eccleſiam illos recipiant: ex quo quidem maxima, ut opinor, Comminiſtris noſtris, qui hoc auſi ſunt, imminet infamia: quòd neque Apoſtolicus canon id permittat, & diabolicam adversùs Chriſtum operationem, quæ illis ineſt, vehementiorem efficiant.*

Pelagius ipſum tentare auſus Auguſtinum, repulſam quidem ab eo paſſus; ſed quatuordecim alios non æquè cautos Antiſtites in ſuos infeliciùs caſſes perduxit: quâ victoriâ gloriatur hæreticus in epiſtola apud Auguſtinum lib. de geſt. Pelag. cap. 3. *Pervenit*, inquit S. Pater, *in manus noſtras nonnulla epiſtola, quæ ipſius Pelagii diceretur, ſcribentis ad amicum ſuum quendam presbyterum, qui eum literis, ſicut eâdem epiſtolâ continetur, benignè admonuerat, nè per ejus occaſionem ſe aliquis à corpore Eccleſiæ ſepararet. Ibi inter cætera . . . ait Pelagius: quatuordecim Epiſcoporum ſententiâ definitio noſtra comprobata eſt, quâ diximus poſſe hominem ſinè peccato eſſe, & mandata Dei facilè cuſtodire; ſi velit. Quæ ſententia, inquit, contradictionis os confuſione perfudit, & omnem in malum conſpirantem ſocietatem ab invicem ſeparavit.* Hanc Pelagii gloriationem facilè repulit Auguſtinus, dum non hæreticum ejus dogma, ſed profeſſionis ambiguæ ſenſum catholicum ab Epiſcopis, fraudem non ſuſpicantibus, approbatum oſtendit.

Sic neque doli Queſnelliani ſucceſſum, & ſurreptam quorundam Antiſtitum approbationem ante Sedis Apoſtolicæ ſententiam tantopere miror, quando ſingularem aſtum, quo liber conſcriptus, & à callidis ſuis fautoribus prædicatus, defenſuſque fuerat, conſidero. Fallacibus enim locutionibus plenus eſt, quarum aliquæ nihil ſiniſtri ſuſpicantibus facilè perſuadeant doctrinam libri à Janſeniana hæreſi alienam eſſe, atque catholicam. Ea autem novæ ſectæ vafrities eſt, ut, ſi cui propoſitio quædam Janſeniſmum olère videatur, locutionem ſtatim interpretatione benignâ mitiget, atque ad ſenſum transferre ſatagat Thomiſticum; dein in promptu habet enunciationes complures catholicis ſimiles, qualibus & Janſenius ad velandam ſubinde ſenſuum ſuorum turpitudinem uſus eſt, ſuoſque ad eludendas accuſationes uti docuit. Pauci autem Epiſcopi ſunt, quibus vacet quatuor tomos *Obſervationum moralium* ſtudioſiùs perlegere, pauciores, qui ſimul tantâ controverſiæ Janſenianæ peritiâ prædìti ſint, ut fallacias ſummâ arte compoſitas, diſcernere valeant, atque declinare.

Exemplum illuſtre extitit in Reverendiſſimo Boſſuetio nuper Meldenſium Antiſtite, qui quantumcunque certaminibus, & victoriis contra Calviniſtas clarus, Janſenianis aliquando præſtigiis deluſus eſt, cum Obſervationum moralium defenſionem ſuſcepit; quod quâ ratione contigerit, non temere divinarunt Epiſcopi Lucionenſis, & Rupellen-

Digitized by Google

pellenſis *in Documento paſtorali* anni 1711. 14. Maji : „ Ii (inquiunt) quorum ſcopus hic „ erat, ut Illuſtriſſimus Præſul *Obſervationes* illas approbaret, excerpſerunt quaſdam ex libro Propoſitiones, quas ad eum „ miſerunt, ex quibus judicare poterat, nihil eſſe in iis Obſervationibus Fidei orthodoxæ contrarium, in iis, quæ ad gratiam „ Divinam pertinent. Hinc factum eſt, ut „ poſtquam eas propoſitiones excerptas „ legiſſet, ſcriberet librum, quem hodie „ proferunt; Sed ex eo nihil poſſunt conficere, poſtquam ipſi docuere quàm brevi „ Epiſcopus Meldenſis ſententiam mutaverit; quam ipſe mutationem non diſſimulandam eſſe duxit. „ Ita illi Antiſtites.

Addunt alii, conſtare quoque, Boſſuëtium centum, & viginti locos in editione proximâ *Obſervationum Moralium* mutari voluiſſe; Quânam autem occaſione factum ſit, ut librum ante à ſe probatum, accuratiùs introſpiceret, probabilis conjectura eſt Lucionenſis, & Rupellenſis Antiſtitum in Documento citato, quòd Carnotenſis Epiſcopus tam averſus animo ab Obſervationibus Moralibus, quàm amicus Meldenſi Præſuli, huic perſuaſerit, ut aliquid diligentioris operæ in examinandis illis quatuor voluminibus poneret: id ſe ex teſtibus fide digniſſimis, & utrique Antiſtiti neceſſitudine conjunctis accepiſſe declarant.

Sed qualiſcunque fuerit Meldenſi Epiſcopo ſententiæ mutandæ occaſio, mutaſſe enm certiſſimum eſt, ipſorum teſtimonio adverſariorum. Prodiit enim ſamoſum *Problema* contra Eminentiſſimum Archiepiſcopum Pariſienſem anno 1698: adversùs illud anno ſequenti compoſuit Meldenſis jactatam adeò ab adverſariis *juſtificationem*: Dein eodem anno 1699. 27. Martii ad Queſnellum notus ejus aſſecla Willartius ſcripſit; *Quædam ſuſpicio eſt P. Du Perron huic libro* (Obſervationum Moralium) *adverſari*. Nomine *Du Perron* Meldenſem Epiſcopum ſignificari conſtat ex Janſenianorum clavi exhibitâ in *Cauſa Queſnellianâ* pag. 325. Idem rurſus anno 1700. die 30. Januarii ad eundem, *Nihil*, inquit, *novi ſcio de tumultu, quem excitant quatuor Fratres, præter hoc unum, quod etiam Dominus Du Perron iis adverſetur. Sed iſtud tantùm heri reſcivi*. Quatuor Fratres eſſe quatuor tomos *Obſervationum Moralium*, eadem nobis clavis aperuit.

Eodem anno 1700. *Abbas Dambet*, ſub qua appellatione in clavi notatur Abbas Couet, epiſtolam dedit anonymam ad ipſum Meldenſem Antiſtitem, qui ad Cleri Gallicani comitia venerat. Quâ ei exprobrat judicium de *Obſervationibus Moralibus* minimè honorificum: *Multos* inquit Abbas, *novimus, quibus dixiſti, quinque illas Propoſitiones* (Janſenii hæreticas) *in libro Patris Queſnelli reperiri*. Ac dein; *Nec è memoria tua fortaſſe excidit, Præſul Illuſtriſſime, te nuper faſſum eſſe cuidam in Comitiis Archiepiſcopo, puros, & apertos Janſenii errores in libro contineri*. Hæc in causâ Queſnellianâ juſſu Archiepiſcopi Mechlinienſis editâ anno 1704.; ubi ſi minùs mireris, ſaltèm deteſtaberis, lector Catholice, impudentem Janſeniſtarum perfidiam, qui octo annis poſt, defuncto Meldenſi Antiſtite, non ſolummodò typis ediderunt, quam priùs deceptus ſcripſerat Obſervationum Moralium Apologiam, ſive ut vocant *Juſtificationem*; ſed etiam ei addere auſi ſunt mendaciſſimam præfationem, quâ aſſerunt, *Illuſtriſſimum Meldenſem Epiſcopum iſtas in Novum Teſtamentum Obſervationes ſemper magni feciſſe*. Id ſcilicet eſt ſemper magni facere lucubrationem, de ea *affirmare, quod puros, & apertos Janſenii errores contineat*. Nos meliùs Veritati, Juſtitiæ, atque defuncti Antiſtitis famæ conſulentes, nullam prioris ejus, atque errantis judicii, ſed poſterioris ſolummodò, & correcti habendam impoſterum duximus rationem. Non difficilior eſt aliorum excuſatio Præſulum, qui eruditionis palmam Meldenſi ultro deſerunt, & amplitudine Diœceſum, curarumque multitudine diſtracti, non abundabant otio, ut tomos quatuor, quantâ ad cenſuram opus erat, attentione perlegerent; Quare examen commiſerunt Theologis, quorum proinde ſeu oſcitantiæ, ſeu imprudentiæ, ſeu, quod deterius foret, propenſioni in novitates, tribuendum, quidquid in approbato ab eis Opere ſuperfuit erroris. Si verò, poſtquam Petrus per Clementem locutus eſt, ſummique, ut par erat, Paſtoris vocem univerſa audivit, ac ſequitur Eccleſia, adhuc quidam tenebriones auſi fuerunt Epiſcopos prenſare, ut ſecum in crimen Schiſmatis, hæreſeos ac tandem in exitium certum pertrahant, repellendi procul ſunt; vel comprehendendi potiùs, eorumque temeritas carceribus frænanda; etſi graviori digna ſupplicio. Si tamen, quod avertant Superi, Epiſcopalem alicubi dignitatem ea lues corriperet, lapſo Præſule, reſpondendum à cæteris foret Epiſcopis, quod Entycheti ad hæreſeos conſortium ſolicitanti reſpondit S. Petrus Chryſologus Ravennatum Antiſtes, poſtquam terruit funeſto Origenis, & Neſtorii lapſu, *in omnibus*, inquit, *hortamur te, Frater honorabilis, ut his, quæ à Beatiſſimo Papa Romanæ Civitatis ſcripta ſunt, obedienter attendas; Quoniam Beatus Petrus, qui in propriâ Sede vivit, & præſidet,*

præſtat quærentibus Fidei veritatem. Nos enim pro ſtudio pacis, & Fidei, extra conſenſum Romanæ Civitatis Epiſcopi, cauſas audire non poſſumus. Utinam hanc tam ſancti, & docti Antiſtitis regulam adeò ſalubrem omnes ubique amplectantur Epiſcopi! Finem imponat pia, & prudens Franciſci Simonis, quâ fraudem hæreticorum ſextam terminat, exhortatio „ Non te commoveat Epiſcoporum
„ longus ordo, vel doctrinam approban-
„ tium, vel authorem commendantium, ſi-
„ vel doctrinam reprobaverit Eccleſiæ au-
„ thoritas ſumma, vel authorem ipſum ad-
„ versùs Eccleſiam ſenſeris contumacem.
„ Non appellatur ab Eccleſiâ, aut Eccleſiæ
„ Supremo Judice ad privatorum Epiſcopo-
„ rum tribunalia. *Quid etiam* (liceat cum
„ Tertulliano interrogare libro De præſcrip-
„ tionibus cap. 1.) *Si Epiſcopus . . . lapſus*
„ *à regulâ fuerit, ideo hæreſes videbuntur ve-*
„ *ritatem obtinere? Ex perſonis probamus fi-*
„ *dem, an ex fide perſonas?* Non erant Or-
„ thodoxi, qui cum alibi, tum in ipſo ma-
„ gno Concilio Nicæno Epiſcopi tam multi
„ ab Ario ſteterunt. Epiſcopi erant Mace-
„ donius, Julianus, Neſtorius, Dioſcorus,
„ Sergius, Pyrrhus, alii permulti ruinam in
„ Eccleſiâ paſſi. Unus eſt in terris Epiſco-
„ porum Epiſcopus, & Magiſter, teſte S.
„ Chryſologo ſupra, *Beatus Petrus, qui in*
„ *propria Sede vivit, & præſidet, præſtans*
„ *quærentibus Fidei veritatem*: quo refra-
„ gante, nulla ſecutos faciet Epiſcoporum
„ approbatio.

CAPUT V.

De Obſervationum Moralium editione magìs correcta, & denuntiatione Propoſitionum.

DENUNCIATORUM bonam fidem, & famam apud omnes probè Catholicos, & Sedis Apoſtolicæ teverentes, ſatis in tuto poſuit iſta CLEMENTIS XI. declaratio: *Plurimas, ex prædicto libro, juxta ſupra recenſitas reſpectivè editiones, fideliter extractas, & tum Gallico, tum Latino idiomate expreſſas Propoſitiones, à compluribus in Sacra Theologia Magiſtris, primò quidem coram duobus ex venerabilibus noſtris Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus accuratè diſcuti: deinde verò coram Nobis, adhibito etiam aliorum plurium Cardinalium conſilio, quàm maximâ diligentiâ, ac maturitate, ſingularum inſuper Propoſitionum cum ipſomet libri textu exactiſſimè factâ collatione, pluries iteratis congregationibus, expendi, & examinari mandavimus.* Verùm hæc tam diſerta ſupremæ authoritatis teſtificatio, adeò Denunciatores non abſolvit in Novaturientium Tribunali, ut vel propptereà Sedem ipſam Apoſtolicam vocare in judicium audeant, & velut ream, atque de falſitate convictam palàm laceſſere. In quo autem ea denuntiatorum, & Sedis Apoſtolicæ perfidia ſita eſt? Num in attribuendis Queſnello textibus, qui in libro ejus non reperiuntur? Minimè. An in Sermonis Gallici in Latinum verſione minùs accurata? Nequaquam. Sed debuiſſent Denuntiatores non mutilare textus, non lacinias furtivè decerpere: &, ſi Judices regulas æquitatis, & veritatis ſervare, ut oportuit, voluiſſent, non debebat omnis illorum diligentia in conferendis Latinæ propoſitionis vocibus cum Gallicis terminari; ſed circunſtantiæ libri attendendæ erant; antecedentia illic, & ſequentia conſideranda. Sic eſt. Sed nihil horum à Judicibus, aut Denunciatoribus prætermiſſum, oſtendam ad propoſitiones ſingulas, in quibus accurationis aliquid adverſarii requiſiverint.

Aliud malæ fidei argumentum contra Denunciatores adferunt, quod nulla ratio habita fuerit illorum, quæ alibi ab authore tradita ſunt, denunciatæ propoſitionis ſenſui pravo contraria, non quaſi author, inquiunt, aliquid in denuntiatis propoſitionibus pravum intenderit, vel docuerit; ſed quia verba ejus ab imprudentibus, vel malevolis ſenſu quodam ab authoris mente alieniſſimo accipiuntur: ita illi. Verùm neque Queſnellum uſquam Propoſitionibus damnatis, vel damnato earum ſenſui contraria docuiſſe oſtenditur: neque exoticum, ſed obvium ſenſum, quem Queſnelli verba exhibent, Sedes Apoſtolica proſcripſit; Quanquam neque hæc à feriendis dogmatibus hæreticis, vel pernicioſis fulmen cohibere debuit, ſi fortè alibi dictum quidpiam obſcurius ad Catholicam magis veritatem accedere videretur. Quis hæreticus non ſubinde ſcribit contraria? Plurima ex Lutheri voluminibus Catholici collegere, objiciuntque in dies ejus diſcipulis. Ipſa Auguſtana Luthetanorum Confeſſio, tanto elaborata ſtudio, quot dein ſeu correctiones, ſeu depravationes ſubiit? Ideone prior editio allegari à Catholicis non debet? Ex uno Janſenii volumine, & eadem editione referuntur textus clariſſimi, quibus propoſitiones quinque hæreticas tradidit; à Janſenii autem defenſoribus proferuntur textus alii, quibus doctrinam quinque propoſitionibus contentam, levi oculo legenti videretur rejicere; undeconcludunt aliqui Janſenium dogmata ſubinde inter ſe pugnantia docuiſſe.

Verùm

Verùm ex attentâ ejus lectione pridem perſuaſum habui, Authorem ab imputato hoc inconſtantiæ vitio liberandum; quanquam non vitio; ſed virtuti tribuendum foret, ſi malè priùs tradita poſtmodùm correxiſſet. Sed conſentire cogor *Ægidio Candido* aſſerenti Iprenſem Antiſtitem eaſdem toto ſemper opere ſententias proſecutum. Senſuum quidem ſuorum intolerabilem duritiem verbis ſubinde mollioribus lenire conatus eſt; ſed ad fucum potiùs faciendum Fidei Judicibus, quàm ad abdicationem erroris.

Eandem ſectatus eſt aſtutiam Queſnellus, quæ hæreſum authoribus, antequam ab Eccleſia diſcedere conſtituiſſent, ſemper familiaris fuit. Hac arte fefellit aliquandiu Zoſimum Pontificem Pelagius, de quo ſanctiſſimus pater ita ſcripſit ad Africanos Epiſcopos: *Literas ſuas Palagius, purgationem continentes abundantiſſimè, miſit &c.* Ipſe Auguſtinus doloſâ Pelagii profeſſione penè circumventus fuit, ut Authorem Catholicum crederet lib. de peccato orig. cap. 18. *Vide*, inquit, *latebras ambiguitatis falſitati præparare refugia, offundendo caliginem veritati, ita ut etiam nos, cùm primùm ea legimus, recta, vel correcta propemodum gauderemus*. Ubi tamen dein fraus detecta eſt, Pelagium nomine gratiæ nihil præter naturam, à Deo abſque ullis noſtris præcedentibus meritis datam, dein exempla, legem, atque doctrinam intelligere; non autem auxilium, naturæ ordinem tranſcendens, & ad omnia ſalutis opera neceſſarium, ab eodem Zoſimo damnatus eſt, ut priùs fuerat ab Innocentio. Quare ibidem cap. 8. Auguſtinus de Pelagio dicit: *Fefellerat judicium Palæſtinum: Romanam Eccleſiam fallere uſquequaque non potuit; quanvis, & hoc fuerit utcunque conatus*. Sic Janſenius, & Queſnellus, quandocunque ſenſum tradere videntur hæretico, aliàs à ſe protruſo, contrarium, ſi penitùs introſpicias, merus fucus, & faſcinum quoddam eſt, ad fallendos Eccleſiæ Præpoſitos, quando fortè apud eos accuſari contingeret, callidè excogitatum. Sed de utroque dici poteſt, quòd, etſi plures, etiam Epiſcopos, fefellerit, *Romanam Eccleſiam fallere uſquequaque non potuerit, quanvis & hoc fuerit utcunque conatus*.

Magìs quorundam facilè credulorum commiſerationem moverit; quòd, ut Queſnellus, ejuſque defenſores ſæpius queruntur, nulla in Denuntiationibus habita ſit ratio emendationum, quæ in poſterioribus *Obſervationum Moralium* editionibus factæ ſunt, plures ex delatis, damnatiſque propoſitionibus prætermiſſæ juſſu Pariſienſis Archiepiſcopi. Laudabile quidem in hoc Eminentiſſimi ſtudium fuit; non tamen ejuſmodi, quod editiones has tot vitiis laborantes cenſuræ ſubducere debuit, aut impedire Epiſcopos, atque Theologos, nè Propoſitiones ex iis collectas Sedis Apoſtolicæ judicio ſubjicerent; nam ea libri corruptiſſimi caſtigatio qualiſcunque, non ſatis momenti habuit ad tollendum offenſionis lapidem, & perverſionis periculum ab iis, qui priores editiones legerent. Sunt enim illæ multis exemplarium millibus per omnes Chriſtiani orbis partes diſperſæ; & ut magnorum virorum approbationibus munitæ, legebantur ſecuriſſimè à plurimis, ad quos nulla mutationis fama pervenerat. Neque emendationes iſtæ ſimiles ſunt Retractationibus S. Auguſtini, in quibus S. Doctor prioris errati mentionem faciens, monet ei non adhærendum: Queſnelliani operis nova, & mutata editio nuſquam indicat errorem priùs commiſſum, & à lectoribus declinandum. Imò Queſnellus quoties mutationes commemorat, eas velut adiaphoras proponit, nuſquam, ut neceſſarias; nuſquam ſe vel in minimo fatetur erraſſe; ſed eas concedendas quorundam *Scrupulis*, & ad evitandas malevolorum *iniquas interpretationes*: exceſſum hìc quendam agnoſcit prudentiæ, & ſolicitudinis in Eminentiſſimo Pariſienſi Antiſtite.

Quam in erroribus pertinaciam, etiam poſt latam à Sede Apoſtolica ſententiam Queſnellus omnibus exploratam reddidit, ſingulos damnatos, & prout ante correctionem fuerant, articulos, contra Pontificem, Epiſcopos, Eccleſiam audaciſſimè propugnans, & nè vel in uno, ſeu levem, ſeu gravem agnoſcere volens hallucinationem. Non igitur æquitas retrahere Denuntiatores debuit; Sed religionis zelus, & animarum ſalus eos impellere, ad petendum à Sede Apoſtolica antidotum adversùs doctrinæ hæreticæ virus, innumeris libri adeò pernicioſi exemplaribus latiſſimè proſerpens. Querela autem Queſnellianorum, pridem etiam hæreticorum fuit. Pelagius apud Auguſtinum lib. 1. de gratia Chriſti cap. 2. miſerabiliter queritur *libros inemendatos ſibi fuiſſe ſurreptos* ad accuſandum. Auguſtinus verò ait non ſurreptos; ſed ab eo traditos fuiſſe Jacobo, & Timaſio erroribus ſcatentes, quos Pelagius, neque ab Auguſtino monitus corrigere voluit, neque poſt Eccleſiæ ſententiam condemnare.

Aëtius quoque Anomæus in opuſculo, quod refutavit S. Epiphanius hæreſi 76. *perſecutionis*, inquit, *illius tempore, quam contra nos temporarii quidem homines excitarunt*, non-

nonnulli ex iis quos diximus, inter alia multa, opuſculum quoddam privatim à nobis elucubratum De ingenito Deo, *& genito, ſurripientes, pleriſque additis, aut detractis interpolatum, ac depravatum ediderunt.*

Vehementiùs contra S. Bernardum, tanquam infidum Petri Abailardi denuntiatorem, declamat Berengarius hæreticus. Nempe articulos quoſdam Abailardi Bernardus collegerat, miſeratque ad Apoſtolicam Sedem.

Nihil illâ denuntiatione magìs perfidum eſſe vociferatur Berengarius in Apologia pag. 309. *Indiculum*, inquit, *vidimus, in quo non Petri* Abailardi *dogmata, ſed neſandi commenti capitula legimus.... Quædam, fateor, Petrus, & dixit, & ſcripſit: quædam verò neque protulit, neque ſcripſit. Quæ autem dixerit, & quæ non dixerit, & quàm Catholicâ mente ea, quæ dixit, ſenſerit, ſecundus arrepti operis tractatus Chriſtiana diſputatione ardenter, & impigrè declarabit.*

Joannis quoque Wickleffi ſententias, ejus verbis expreſſas, Urbano VI. Pontifici Academiæ Angliæ denuntiaverant; in promptu tamen habuere Wickleffiſtæ apud Waldenſem tom. 1. doct. 5. num. 1. ut de adverſariis ſuis dicerent: *ſubtilitates Euangelici noſtri Magiſtri non intelligunt.* Hinc hæreticorum judicio iniqua in Abailardi, & Wickleffi doctrinam profecta eſt Sedis Apoſtolicæ ſententia. Habemus itaque quos Queſnelliani, querelæ ſimilis inventores ſequi potuerunt, ratione, ſucceſſuque non meliore. Denique quantula errorum pars, in poſterioribus editionibus prætermiſſa eſt! Neque expurgationem integram pateretur author, cui ſic fructus operis, fortè præcipuus interiret.

CAPUT VI.

De SS. Auguſtino, & Thoma à Queſnello, & cæteris Janſeniſtis paſſim in Patrocinium vocatis.

QUÆ Queſnelli hodie, quæ cæterorum Novaturientium prodit Apologia, ubi Author ſe non prædicet Auguſtini, & Thomæ Diſcipulum, ab eorum ſe placitis nuſquam recedere? Hac ratione ſperant ſe evadere poſſe, aut eludere Eccleſiæ cenſuras. Similis ſemper aſtus hæreticorum fuit, teſte Vincentio Lerinenſi, Commonitorii cap. 11. *Qui cùm ſub alieno nomine hæreſim concinnare machinentur, captant plerunque veteris cujuſpiam viri ſcripta, paulò involutiùs edita, quæ pro ipſa ſui obſcuritate dogmati ſuo quaſi congruant, ut illud, neſcio quid, quodcunque proferunt, neque primi, neque ſoli ſentire videantur.* Confidentiſſimè jactabat Wickleffus apud Waldenſem tom. 1. l. 1. art. 2. cap. 34. *A modernis diſſentio; ſed cum multis Sanctis antiquis, & ſpecialiter Auguſtino convenio.* Et tom. 2, doct. 2. num. 1. idem Wickleffus frequentiùs intonat: *Sic habet Auguſtinus, ut doceo: ſic lex Papalis, & Concilia: quomodo ergo adverſa mihi docentes, & tenentes, non ſunt hæretici capitales?* Quibus recenſitis monet Waldenſis; „ Propter „ has furias nolite abduci, nec citò moveamini filii Eccleſiæ.... quomodo formidaret hæreticus iſte falſificare dictum Auguſtini, quando non timet falſum teſtem facere textum Dei? ... Nonne Auguſtinus ſenſit hanc injuriam irrogari ſibi dum vixit? Reſpiciatur Liber Retractationum ejus (l. 1. cap. 9.) ubi dicit Pelagium hæreticum poſuiſſe in libro ſuo quoddam dictum ejus de libero arbitrio, & purgat ſe ibi de aſſenſu hæretico. Petilianus item in reſponſionibus ſuis allegat pro ſe Auguſtinum in materia de baptiſmo; & Auguſtinus librum edidit contra quædam capitula ſibi falsò imputata in materia de prædeſtinatione. Credibile eſt, ſi in carne viveret, multò craſſiorem librum jam ſcriberet contra innumera quaſi capitula ſibi falsò imputata. Ita Waldenſis. Joannem Wickleffum diſcipuli adulatores *Joannem Auguſtini* appellabant. Si etiam Luthero credimus; Auguſtinus totus Lutheranus eſt, libro de ſervo arbitrio: *Fateor*, inquit, *mi Eraſme, non immeritò te iſtis omnibus moveri, ... Videbam omnium illorum authoritatem, quos recenſuiſti, ſuper caput meum velut diluvium inundaturum. Verùm Auguſtinum, quem præteris, totus meus eſt.* Quod ſtrenuus Lutheri diſcipulus Melanchton in Apologia adversùs Pariſienſes (ut vocat) Sophiſtas, confirmans ait: *An non Lutheri de libero arbitrio, de gratiâ, ſi rectè rem æſtimes, ſententia tota Auguſtini eſt, & hunc per omnia ſecutus eſt in commentario ad Galatas?* Calvinus initio Libri De æterna Dei prædeſtinatione: *S. Auguſtinus adeò totus noſter eſt, ut ſi mihi confeſſio ſcribenda ſit, ex ejus ſcriptis contextam proferre abundè mihi ſufficiat.... Conſtabit, quàm ſolidè omni ex parte mihi ſuffragetur.* In librum 3. Pighii: *Ergo*, inquit, *etiamſi crepet Pighius; nobis hoc extorquere non poteſt, quin Auguſtinus totus ſit noſter.* In lib. 5. Pighii ait: *Doctrinæ noſtræ, nullum eſt Caput, quod non prope ad verbum ſæpius apud Auguſtinum occurrat.* Non prætereundum hìc Lutheri Authore Melanchtone Elogium in Præfatione ad tomum 2. Lutheri:

Omnia

Omnia Auguſtini monumenta , & ſæpe legerat , & optimè meminerat . Sed his omnibus non cedit Janſenius, qui teſte Valerio Andrea, in ejus vita : *Unum ferè è SS. Patribus vitæ ſuæ Ducem, ſtudiorumque Magiſtrum, Sanctum delegerat Auguſtinum, cujus opera omnia ferè decies ; libros verò de Gratiâ Divinâ , & libero arbitrio pluſquàm trigeſies à capite ad calcem ..... evolverat .* Adeò plenus Auguſtino, non aliud videbatur poſſe eructare ; nec alio famoſum opus ſuum inſigniri titulo voluit, quàm *Auguſtinus Cornelii Janſenii* . Hinc neque ſequaces ejus alio cupiunt appellari nomine , quàm *Diſcipuli S. Auguſtini*; illud ſibi quaſi proprium antonomaſticè vindicantes . Queſnellus anno 1712. in *Explicationis Apologeticæ* Præfatione ait : Se *doctrinam* Observationibus Moralibus *expreſſam hauſiſſe ex SS. Auguſtino , & Thoma* , ratus ſe ſub talium umbrâ Magiſtrorum adversùs quaslibet Pontificum cenſuras ſat eſſe tutum . *Ubi quis invenerit doctrinam in Auguſtino clarè fundatam, illam abſolutè poteſt tenere , & docere, non reſpiciendo ad ullam Pontificis Bullam* , ajebat Author Propoſitionis 30. ab Alexandro VIII. condemnatæ, quam contra Sedis Apoſtolicæ ſententiam reſuſcitavit Queſnelli Socius, & Magiſter Arnaldus in *Difficultatibus propoſitis Domino Steyaert* par.9. pag.171. Ego verò toto hoc Opere oſtendam , Queſnellum in Obſervationum Moralium Propoſitionibus 101. à Clemente XI. damnatis nihil cum Auguſtino, nihil cum Angelico habere commune . Si autem haberet aliquid , tenenda nihilominus foret regula ipſius Sancti Thomæ 2.2. qu. 11. art. 2. ad 3. *Hæreticus cenſetur, qui pertinaciter repugnat determinatis authoritate univerſalis Eccleſiæ; quæ quidem authoritas principaliter reſidet in Summo Pontifice ... contra cujus authoritatem, nec Hieronymus , nec Auguſtinus , nec aliquis SS. Doctorum ſuam ſententiam defendit :* Defendit ſummâ pertinaciâ Queſnellus, ſtipatus agmine Novarorum; in hoc ſaltèm (utì & in aliis) minimè Thomiſta , & teſte Angelico, non magìs Auguſtini diſcipulus . Nec amplius Auguſtiniani ſunt in cæteris quicunque cum Queſnello Janſenium audiunt Pontifice reſtagante .

Doctor Aquinas 2.2. qu.1. art.10. *Nova, inquit , editio Symboli neceſſaria eſt ad vitandum inſurgentes errores ; ad illius ergo authoritatem pertinet editio Symboli, ad cujus authoritatem pertinet finaliter determinare ea , quæ ſunt Fidei, ut ab omnibus inconcuſſâ Fide teneantur . Hoc autem pertinet ad authoritatem Summi Pontificis , ad quem majores , & difficiliores Eccleſiæ quæſtiones deferuntur .* Hac Angelici Doctoris ſententiâ ſtemus, & ceſſabunt ſcandala : Janſenii, & Queſnelli hæreſes, erroreſque finientur : Pax reddetur Eccleſiæ Gallicanæ , & Belgicæ , tot ſcriptis ſatyricis , & contumelioſis tanto tempore agitatæ . Sed non is Novatoribus animus eſt : Statutum, fixumque ſibi habent , pro doctrina Janſenii , tanquam pro aris , & focis certare perperuò .

Teſtatur id palàm Ægidius Candidus, & Candidorum Janſeniſtarum Princeps, ſe à Janſenii ſenſu, prout in libro ejus exprimitur , etſi eum ab Eccleſiâ univerſâ in Concilio Oecumenico congregatâ damnari contingeret, nullo tempore receſſurum . Rationem facilè colliges, ex *Apologiâ Panegyreos Janſenianæ per Paulum Aurelium* , aliàs Ægidium Candidum pag. 22. *Demonſtrandum* , inquit , *ſuſcipio perſpicuis rationibus , quod perquàm eſt facilè, doctrinam Eccleſiæ magis jam eſſe illigatam Janſenio , ſeu perſonæ , ac ſcriptis ejus , quàm unquam perſonæ Athanaſii innexa fuit ... unà conveniet declarare Scriptoris glorioſi volumen, tum dignitate materiæ , tum excellentiâ ſapientiæ, tum pietatis afflatu , libris omnibus , quos Eccleſia Dei poſt Canonicas Scripturas protulit ; aut non cedere , aut palmam etiam cum laude auferre .*

Quapropter non erit temeratius , qui credat Janſeniſtas iſtiusmodi, quoties ſe Auguſtini Diſcipulos vocant , de Iprenſi id Auguſtino potiùs, quàm Hipponenſi intelligere. Non obſcurè iſtud agnoſcit idem Ægidius in *Auguſtino Iprenſi vindicato*.pag.373.dicens:
„ Si alterutrius eſſet facienda optio ; An ut
„ ſenſus librorum S. Auguſtini Hipponenſis
„ in materia liberi arbitrii , & gratiæ Dei ;
„ an verò ſenſus libri Janſeniani, juxta Con-
„ ſtitutionem Clementinam Theologiæ ti-
„ ronibus ejurandus eſſet , minùs è conde-
„ mnatione prioris , quàm è poſterioris Ca-
„ thòlica Chriſti Eccleſia pateretur ; nam
„ Auguſtinus Hipponenſis, tum quia non
„ ſemper,æquè in hac materia eruditus fuit,
„ tum quia adverſarios binos , Manichæos ,
„ & Pelagianos, è diametro in materia libe-
„ ri arbitrii repugnantes, ſtylo ſuo expu-
„ gnandos, ac fundendos habuit, aliquando
„ aut minùs cautè , aut minùs clarè locutus
„ eſt, adeòque .... in quæſtionem, vitiliga-
„ tionemque trahi poteſt ; Janſenius nullo
modo „. Author ille audaciſſimus Queſnelli defenſor eſt, cui paſſim tribuitur libellus Belgicè editus hoc titulo : *Instructio ad Fideles circa Bullam quandam nomine* Clementis XI. *divulgatam contra Propoſitiones* 101. Quæ lucubratio ab initio uſque ad finem nihil niſi rebellionem, ſchiſma, & hæreſim ſpirat .

Alius Queſnelli fautor Elias du Pin in *Nova* ſua , & damnata *Bibliotheca Scriptorum*

Eccle-

Eccleſiaſticorum Hipponenſem Antiſtitem ſic deſcribit: „ S. Auguſtinus tam in ſcripturarum interpretatione,quàm in Theologicis „ opinionibus ſæpe recedebat à præcedentium tramite, ut viam ſibi deligeret prorſus novam. Vocari poteſt in Theologicis „ MAGNUS OPINATOR. Eruditionis multò minus ei fuit, quàm ingenii: quia & linguarum ignarus erat, & vix legerat Veteres „. Omitto plura Auguſtino parùm honorifica. In relatis S. Pater traducitur ut novator, ineruditus,& vacillans Theologus. Ubi igitur tot Conciliorum,& Pontificum de Auguſtino magnificentiſſima teſtimonia? Majorem Auguſtini contemptum ingerit lucubratio, quæ Joannis Launoy nomine velut poſthuma circunfertur, & dignis à CLEMENTE XI. notata eſt cenſuris. De S. Thoma, quidquid ſimulent, non glorioſiùs ſentiunt prætenſi Auguſtini diſcipuli. Joannes Vergerius Abbas Sancyranus, teſte jurato,& fide digniſſimo Joanue de Joveaud Abbate Ciſtercienſi ajebat: *D. Thomas veram Theologiam humanis rationibus, & Ariſtotelicis dogmatibus depravavit*. Idem Janſenii de S.Thoma, & cæteris Scholaſticis Religioſis, qui SS. Patribus ſucceſſere, judicium fuit, manu ejus exaratum,& nonniſi à 25.annis luci editum, ubi quæritur: *Origo corruptela in Theologiam inducta unde?*

Paulò mitiùs loquitur Joannes Opſtraet in Theologo Chriſtiano parte 2. cap. 4. §. 2. *Multorum utilitati, vel infirmitati, non ſatis accommodatus eſt S. Thomas, tum quod quaſtiones multas Philoſophicas Theologia immiſceat, tum quod terminis philoſophicis eas proponat, reſolvatque*. Abſurdiùs Elias du Pin in Bibliotheca nova, & novaturiente, Magiſtrum Angelicum exhibet, velut *adulantem Romano Epiſcopo*. Tum addit, *ſcimus quantá negligentiá, & quàm exiguo diſcretionis judicio S. Thomas citare ſoleat Patrum opera*.

Quod attinet ad ſententias, non diutiùs novis Theologis S. Thomas dux, & magiſter eſt, quàm præconceptis eorum conſentire opinionibus videatur, vel in earum poſſe quâcunque arte patrocinium pertrahi. Sic unus ex illis, qui nullam, niſi inſuperabiliter, indeclinabiliter efficacem gratiam admittentes, ad fallendum tamen aliquam commenti ſunt, quam *Auguſtino-Thomiſticè ſufficientem* appellant; Cùm urgeretur, neſcio quo, Angelici Doctoris teſtimonio; neque via, quâ elaberetur, occurreret: plauſum excitabat reſponſo lepido,& Lovanienſibus quibuſdam familiari,*Thomiſta quidem ſumus,ſed* THOMISTÆ IN PLACET; ideſt, ubi nobis Angelicus, & ejus ſententia arridet. Alluſio eſt ad Carmelitanorum Nudipedum Monaſterium, quod ſolitudine, & pietate Deo placens,vulgò *Conventus in Placet* appellatur: ita à novis Theologis non ſententia propter D.Thomam eligitur, ſed D.Thomas propter ſententiam, ſaltèm ei ſubdolè affictam. Quod autem Queſnellus, & quicunque ejus contra Sedem Apoſtolicam defenſores, nullum in Eccleſiæ Doctoribus, Hipponenſi potiſſimùm,& Aquinate præſidium habeant, patebit ad damnatas Propoſitiones ſingulas, ubi intorta à Novatoribus in Conſtitutionem ſpicula,opitulante Numine, facilè diffringemus.

CAPUT VII.

De affectato à Queſnello, & cæteris Janſeniſtis conſenſu cum recentioribus S. Thomæ Diſcipulis.

CONSPICATI Novatores venerandam Scholæ Thomiſticæ authoritatem, in Quæſitorum Fidei Tribunalibus, Romano potiſſimùm, vigentem, nihil blanditiarum, fraudumque prætermittunt, quò ſibi eam irretire,& in quoſcunque aliarum Scholarum Theologos, præſertim Regulares concitare valeant. Non parum operæ in hoc ponit Queſnellus libro, cui titulus: *Epiſtola Abbatis ad quendam Romana Curiæ Prælatum* contra Decretum Alexandri VIII. dein in *Sententiarum* ſuarum *Explicatione Apologetica*, ac cæteris eam ſecutis contra Conſtitutionem UNIGENITUS vindiciis; ubique ſuam in Thomiſtas iram diſſimulans,quaſi neſciat eorum ſe maximè ſuffragiis condemnatum. In Jeſuitas verò aperta indignatio Queſnellianorum ſævit; hos veluti ſolos,aut præcipuos calamitatis ſuæ Authores deſignant; ignari ſcilicet inter Romanos Inquiſitionis Conſultores ordinarios, nè unum quidem eſſe è Societate, & præter unum è Sancti Franciſci familiâ, alterum Epiſcopum Benedictinum, cæteros omnes partim è ſacro Dominicanorum Ordine, partim è Clero eſſe ſeculari. E ſolo poſteriori Arnaldus conſtitui Congregationem voluerat literis ad Ludovicum Du Vaucel, aliàs *Walonum* datis, ut ex hujus ad Arnaldum reſponſo manifeſtum eſt. Queſnellus quoque in *Notis ad Epiſtolam Domini Steyaert*, maximè conqueritur de *Religioſorum Mendicantium* potentia in Tribunalibus Romanis. Qui autem hic indicant ur magis,quàm S.Thomæ,&Scoti diſcipuli? Eadem querela freqnens eſt, ſeu Queſnelli, ſeu ei adhærentis, libro,qui inſcribitur: *Eccleſiaſtici Epiſtola de mente S.Auguſtini circa authoritatem Pontificis*.

Jan-

Janſenianorum adversùs Thomiſtatum ſententias odium profluxit ab ipſo Janſenio, qui Tom. 3. edit. 1. Lovanienſis col. 821. ita Scholam Thomiſticam inſectatur: „ Qui „ medicinalem Chriſti Salvatoris gratiam „ ſic defendere conantur, ut eam in talem „ prædeterminationem phyſicam transfor- „ ment, omni ſtatui hominum neceſſariam, „ magis profectò Ariſtotelici, quàm Augu- „ ſtiniani ſunt; nam talis prædeterminatio ſic „ aſſerta, non ſolùm nullo teſtimonio ejus „ (Auguſtini) probari poteſt, ſed potiùs uni- „ verſam doctrinam ejus innumeris locis tra- „ ditam, inexplicabili confuſione conturbat. „ Tollit enim differentiam integræ, læſæque „ voluntatis, tollit neceſſitatem duplicis ad- „ jutorii .... tollit, obſcuratque veram ra- „ dicem neceſſitatis gratiæ medicinalis, nec „ ſinit intelligere veram naturam ejus.... „ denique cogitur inferre non exiguam vim „ Scripturis ſacris.

Col. 822. „ Per prædeterminationem „ phyſicam.... funditus illa doctrina Au- „ guſtini, & Conciliorum labefactata corruet. Paulò ſupra: „ Prædeterminatio deſtruit „ potiùs magnam illam libertatem, & bene „ vivendi poteſtatem, quam Auguſtinus, „ Pontifices, & Concilia nos in Adamo ami- „ ſiſſe teſtantur.

Notæ ſunt Blaſii Paſchalis, vulgò Ludovici Montaltii adversùs Thomiſtas in Epiſtolis Provincialibus Satyræ, quas imitatur hodiernus ſat notus in Belgio Palladius in Criſi adversùs Steyartii concluſionem 7. Vocat „ Exoticam quandam gratiam ſufficientem „ Thomiſticam, quæ non ſufficit, nomencla- „ turam inſigni abſurditate deliram, appel- „ lationem ludicram, gratiæ verbo ſufficien- „ tis, re non ſufficientis. Ibid. „ Nihil enim „ ad obvelandam vocis turpitudinem con- „ fert, quod addatur Thomisticè; nec „ enim magis licitum delirare Thomiſticè, „ quàm Scotiſticè... Emoriar, niſi omnes „ te ad Anticyras ablegandum cenſeant, ut „ bono helleboro curatus redeas ad ſanam „ mentem. Cæterùm ſi vobis deſipere ſta- „ tutum eſt, deſipite veſtris in pulpitis, quan- „ tùm libuerit, nunquam efficietis, quin to- „ tus mundus, exploſâ illâ Thomiſticâ ſuffi- „ cientiâ, ita tamen malè nuncupatâ, cùm „ Divus Thomas nihil ejus meminerit, ſem- „ per, & ubique cibos, veſtes, pecunias Mo- „ liniſticè ſufficientes deamet.

Ægidius de Witte in nupero ſuo libro, cui titulus: *Auguſtinus Iprenſis vindicatus, atque è damnatione Romanorum Pontificum Urbani VIII. Innocentii X. Alexandri VII. & Clementis XI. ereptus, & erutus*, pag. 271. art. 1. „ Annatus ex miſerabili illo Didaco Alva- „ rez complura adducit (pro libertate indif- „ ferentiæ) abſurdiſſima locutionis exempla, „ quæ licèt in Scriptore iſto ex adjunctis mi- „ teſcant, vehementiſſimè tamen in viro Ca- „ tholico reprobanda ſunt, velut introitum „ apertiſſimum dantia Pelagiano errori.

Pag. 272. citatâ Alvarezii ſententiâ pro gratiâ ſufficienti omnibus adultis oblatâ, ait: „ Profectò, ſi tolerabiles fiant in Eccleſia „ Dei tales, & plures his ſimiles Alvarezii „ iſtius locutiones, univerſa Auguſtini ad- „ versùs peccati originalis, & divinæ gratiæ „ inimicos trophæa ab imis fundamentis ad „ ſumma uſque faſtigia ſubruuntur, ac pror- „ ſus neceſſe eſt, fideles juxta communem „ diſtinctionum iſtarum intelligentiam pede- „ tentim à verâ majorum Fide diſcedere, in „ laqueos Molinianos intricari, ac demum „ Pelagiano toxico infeliciter à capite ad „ talos perungi. Hanc certè egregiam glo- „ riam, ac laudem fœdo Neo-Thomiſtico „ illi Dominicanorum cum Jeſuitis mono- „ polio debemus tribuere, per illius artes „ effectum eſſe; ut ambiguis illis verborum „ præſtigiis ſeducti, aut faſcinati Judices, & „ Conſultores Romani.... abierint in lu- „ ctuoſam illam (quinque Janſenii) Propo- „ ſitionum damnationem.

Pag. 270. „ Quia Neo-Thomiſtæ illi „ (Albelda, & Alvarez) tametſi à Jeſuitis „ toto cœlo in ſententia diſpares, ignavâ „ colluſione Molinianum idioma in ſcholis „ ſuis receperant, atque in Janſenianos, qui- „ buſcum præcipuo dogmate concordes „ erant, velut in communes hoſtes propu- „ dioſa imprope ria jaciebant, &c.

Eidem Authori Belgæ paſſim tribuitur liber Gallicus hoc titulo editus anno 1707. *Nouvelle Apologie pour la ſainte doctrine de Monſieur Janſenius Evêque d'Ipres. Apologia nova pro ſanctâ doctrinâ Janſenii Epiſcopi Iprenſis*. Illic pag. 39. ait Author „ Nomen „ gratiæ ſufficientis à falſis quibuſdam Tho- „ miſtis excogitatum eſt, ut ſe in ſpeciem „ jungerent Moliniſtis, vitarentque perſe- „ cutionem, cui Jesu Christi gratia ex- „ poſita eſt. Vocari ea meritò poteſt nequi- „ tia maxima, *la plus grande friponerie*, & „ ſingulariſſima perfidia, quæ in perverſione „ idiomatis unquam commiſſa ſit, à tempo- „ re, quo Chriſtiana ſtetit Eccleſia.

Petrus de Ligni Duaci in profeſſione fidei ad Epiſcopum N. N. „ Declaro, inquit, „ coram Deo, art. 4. quod poſt Adami la- „ pſum, non detur ampliùs gratia ſufficiens; „ ſed ſolùm efficax: quocirca ſententia Mo- „ liniſtarum ſit Semipelagiana, & damnata

in

„ in Congregationibus de Auxiliis; opinio
„ verò Thomiſtarum ſit mera ſtultitia,& ine-
„ ptia. Art.6. Quod prædeterminatio phy-
„ ſica, prout in Thomiſtarum Scholis expli-
„ catur, ſit prorſus contraria doctrinæ S.Au-
„ guſtini: & quod ſolutiones dari ſolitæ,per
„ ſenſum compoſitum, & diviſum, atque in-
„ differentiam judicii, ſint meræ cavillatio-
„ nes, & tricæ, quarum nè minimum quidem
„ in Sanctis Patribus ſit veſtigium.

Idem in Epiſtola anni 1691. 1. Februar.
„ Nunquid modò verum eſt, gratiam ſuffi-
„ cientem Moliniſtarum eſſe errorem, Tho-
„ miſtarum autem eſſe ſtultitiam? Quid ſibi
„ volunt novæ iſtæ deciſiones de gratia ſuf-
„ ficiente (in decreto Alexandri VIII. con-
„ tra Propoſitiones 31.)?

Idem in Epiſtola: „ Proteſtor me alie-
„ niſſimum eſſe ab opinione, aut, ſi malis,
„ errore adſtruente libertatem indifferen-
„ tiæ.... hanc novitatem induxit Molina,
„ & ſola Thomiſtarum ignavia hanc falſita-
tem ſuſcepit. Matthæus Rouvroy Namurci in Seminario Epiſcopali S.Theologiæ profeſſor in dictatis de gratia obſervat.5. *Qui ſtatuunt gratiæ efficaciam in prædeterminatione, non rectè ſentiunt de differenda abſolutione.*

Obſervat.7. *Aliud eſt, quod iſtos Theologos* (Thomiſtas recentiores) *facit malè judicare de converſione peccatoris, & conſequenter de dilatione abſolutionis, nempè certi modi loquendi S. Thomæ, & Thomiſtarum veterum: quos minùs intelligunt, ut ſunt hi:* Minima gratia, minima charitas *ſufficit ad juſtificationem.*

Ibid. *Ex gratia per ſe ſufficienti ſequitur non recta adminiſtratio Sacramenti pœnitentiæ.*

Idem de Fide §. 11. *Doctrina de gratia ſufficienti ducit ad laxitatem.*

Ludovicus Du Vaucel, aliàs Walonus, qui, ut Thomiſtis illuderet, eorum aucupari gratiam videbatur; at confidentiùs ad fidum ſuum Achatem Queſnellum ſcribens an.1702. 25. Martii, ait: „ Non minùs certè ego,
„ quàm ille, iraſcor contra Baccalaureos,
„ (ideſt juxta detectam clavim, Dominica-
„ nos) & indignor: ac partem majorem ap-
„ probo eorum, quæ de hac re ſcribit. Nihil
„ intolerabilius mihi videtur, quàm faſci-
„ natio,quâ ſupponunt exiſtere ſectam quan-
„ dam Janſeniſtarum, & Scholæ ſuæ intereſ-
„ ſe, ut id ſupponatur, ut ab ea ſe diſcernant
„ .... ut verum fatear, exiſtimo expedire,
„ ut non imprimatur iſta reſponſio Patris del
„ Becque ad Schema; etiamſi paſſus ſit re-
„ ſcindi digreſſionem de morte Chriſti pro
„ omnibus, in qua multa valde miſera oc-
„ currebant, & falſis principiis nixa. Et eò
„ quidem hæc omnia, ut à prætenſo Janſe-
„ niſmo remotiores ſint quoad propoſitio-
„ nem 5. ſeque accommodent locutionibus
„ Moliniſtarum, quod ſanè pernicioſiſſimum
„ eſt,& vero Scholæ Thomiſticæ bono con-
„ trarium.

Idem in Epiſt. anni 1698. 22. Feb. ad Queſnellum „ Legi quintam, & ſextam Epi-
„ ſtolam P. (Natalis) Alexandri: in ſextâ
„ occurrunt multa, quæ nihil valent: ſup-
„ ponit ſectam Janſeniſticam,&venenum hæ-
„ reſeos in dies diffundi: numerat inter Baji,
„ & Janſenii hæreſes,quòd omnia opera In-
„ fidelium ſint peccata, & quòd ſtatus natu-
„ ræ puræ ſit impoſſibilis. Malè loquitur de
„ ignorantia invincibili, & de defectu gra-
„ tiæ in juſtis peccantibus. Reos agit pecca-
„ ti mortalis qui recuſant ſubſcribere for-
„ mulari ſubſcriptione purâ, & ſimplici abſ-
„ que juris & facti diſtinctione. Sunt hæc
„ valde miſera. Si alia non habeat quæ ad
„ nos mittat ſcripta, exiſtimo poſſe ipſi ſigni-
„ ficari, nos flocci facere literarum ejus
„ commercium.

Eundem Patrem Natalem Alexandrum reprehendit Theodorus de Viaixnes ſcribens ad Brigodium Queſnelli ſocium domeſticum: *Quod*, inquit, *ſcribit de Roſariis, de tertio Ordine S. Dominici ſtabilito in Chinis &c. mihi prorſus non placet.* Cum de Roſariis ſermo eſt, recurrit Petrus de Ligny in profeſſione Fidei ad Epiſcopum N.N. *Declaro*, inquit, *coram* Deo.... Art. 12. *quòd inter devotiones illas populares* (quas art.11. vocaverat *devotionis figmenta ludicra, & cultum Semi-judaicum*) *numerari poſſint Scapulare, Roſarium, Zona, & aliæ Confraternitates, quodque præſtaret obſequium Eccleſiæ, qui aboleret devotiones illas phantaſticas, quæ plus mimici habent, quàm veræ pietatis.*

Liber Belgicus *Defenſa libertas ſimplicium*, ſat noti Authoris eſt. Is Dominicanos pag.133. ironiâ hac ſarcaſticâ ridet, *Quid miri filias devotas Dominicanorum tam fervidas eſſe pro Roſario? Roſariolis juvantur gladii, convertuntur regna, Regiones intercipiuntur.*

Joannes Van Heumen Miſſionarius è Clero Amſtelodami in Epiſtola typis edita ad Patrem Ægidium Glabais ordinis minorum; pag. 8. *Quando executioni plenè mandabuntur edicta ordinum Hollandiæ* (contra Regulares) *nonne Eccleſia Belgica brevì illic mutabit faciem? Tunc Religio non amplius alligabitur Scapularibus, Roſariis, Funiculis, ſeu Zonis, ſed* Verbo Dei.

Ita in his, & cæteris novitatibus profecerunt Miſſionarii illi, ex quo Arnaldus, & Queſ-

Queſnellus cum ſociis ex Gallia profugi, ad Hollandiæ ſe Miſſionarios recepêre.

Denique improperiorum omnium maximum quod Janſeniana ſen charitas, ſeu rabies infligere Dominicanis poteſt, eſt illud Waloni in Epiſt. anni 1702. 16. Septemb. ad Queſnellum *Homines iſti plus nocent veritati, & bonæ cauſæ, quàm Moliniſtæ profeſſi*. Et anno 1699. 17. Junii *Les Bacheliers ſont des pauvres gens*.

Baccalaureorum nomine Dominicanos intelligi ſupra diximus; unde ſenſus eſt, *Dominicanos eſſe homines ineptos*.

Plures iſtiuſmodi Janſenianis ſordibus implerentur paginæ, ſi omnia in ſcholam Thomiſticam, & in religioſiſſimum in primis Prædicatorum Ordinem, contumelioſiùs ab eis ſcripta congererem. Sed hæc ſpeciminis loco abunde ſufficiunt, ut ſimulatæ amicitiæ fraudes, & odii Vatiniani, contemptûſque argumenta clariſſima omnibus pateſcant. Franciſcus Simonis parte 3. hanc inter hæreticorum fraudes decimamquartam, poſuit: *Viros religioſos ſuis erroribus inficere, ſi poſſint; ſin minùs, lacerare, ac perdere quoad poſſunt. Tunc primum quidem*, inquit, *conſilium malignaverunt omnium peſſimum, Religioſos viros falsâ amicitiâ capiendi, ac dementandi ſuis erroribus*.

Eandem hæreticorum technam detegit Gloſſa in illud Eſdræ lib. 2. cap. 6. *Venite, & percutiamus fœdus &c.* in quod ea legitur obſervatio: *Hoſtes ſanctæ Civitatis perſuadebant Nehemiæ in campeſtria deſcendere, & fœdus pacis ſecum inire ..... ſic & Hæretici, & Catholici falſi, volunt cum veris Catholicis pacis conſortium habere; non ut ipſi ad arcem Catholicæ Fidei, & operationis aſcendant; ſed ut eos potiùs, quos in culmine virtutum commorantes aſpiciunt, ad infima operum, vel pravorum dogmatum deſcendere cogant*.

Fraudem hæreticam deſcribere pergit Franciſcus Simonis loco cit. „ Non ſolis verbis ineſcare ſolent Religioſos Viros; etiam „ benefactis obſtringunt. Non pepercit Ju„ lianus amplo patrimonio, ut ſibi devinci„ ret egentes Religioſos. Facultates ampliſ„ ſimas effudit Marathonius in eos Cœnobi„ tas, quibus Macedonianam impietatem „ inſtillabat Euſtachius Sebaſtenus. Quin, ut „ extaret fixum, æternumque ſectæ propu„ gnaculum, inſigni ſumptu Monaſterium „ Conſtantinopoli ædificavit, ut nè deeſſent „ unquam, à quibus impia doctrina in ma„ gnum populum derivaretur.

Arnaldus in Portum-Regium munificus patrimonii partem non exiguam effudit, ut memorat vitæ ejus ſcriptor Queſnellus. Aliud in Belgia Monialium Monaſterium, cum templo flammis penè conſumptum, Janſeniani Directoris ære reſtitutum eſt; nè is, quod futurum aliàs præviderat, à directoris munere amoveretur. Quomodo enim Moniales ad ſummam reductæ inopiam confeſſarii tam benefici dimiſſionem apud Epiſcopum non deprecarentur? Sed tantam in Religioſos viros Janſenianorum liberalitatem hactenus non deprehendi; quidquid ſubinde doloſis vocibus blandiantur, ad benefacta non niſi exigua extenditur fucata eorum charitas, quos acerbiſſimos Monachorum hoſtes eſſe, exploratum pridem fuit, documentiſque evidentibus, ubi quis à me exegerit, facilè demonſtrabo. Quid ſibi vult illa Hugonis Van Heuſſen, Chriſtiani Van Erckel; & 18. aliorum Queſnellianæ in Hollandiâ factionis Miſſionariorum contra Apoſtolicum apud Colonienſes Nuntium Proteſtatio, cui præmittitur adoptata ab eiſdem hæc inſanis Eraſmi calumnia? *Mundus oneratus eſt tyrannide Fratrum mendicantium, qui cùm ſint ſatellites Sedis Romanæ, tamen eò potentiæ, ac multitudinis evadunt, ut ipſi Romano Pontifici, atque ipſis adeò Regibus ſint formidabiles*.

Mercurius conquerens, aliàs Lovanienſis Theologus pag. 8. ait, *Monachis ſinciput per multa ſecula non fuit ſanum*. An tibi, Mercuri, ſanum ſit, judicent alii. Sanius videbatur, cùm Theologum Lovanii ageres, Baccalaurei titulo inſignitus; ſed nunc, mutatâ diſciplinâ, vide, nè, dum corporibus mederi ſtudes, animas dictis, ſcriptiſque ſcurrilibus, & nihil homine dignum Catholico præ ſe ferentibus, perdas. Latère ſub *Petri Gratiani* nomine voluit notus Hollandiæ Miſſionarius; ſed vel inſania hominem indicat; qui in Epiſtola ad Pontificem typis edita, eum monere ſic audet pag. 7. *Rurſus rogo Tuam Paternitatem, noli ampliùs audire iſtos miſerabiles Monachos; quia tuam infallibilitatem alioquin certiſſimè reddent fallibilem; quia Eccleſia non recedet ab Auguſtini doctrinâ; hæc autem eſt illa, quam in Janſenio condemnas, ſi illos audias*. Sed nè latiùs divagemur, cùm de ſolis hîc Thomiſtis agere inſtitutum ſit, idem Author pag. 6. contra admittentes ſufficientem gratiam ab efficaci diſtinctam, Pontificem ita ſeriò hortatur. *Noli quæſo illis Neo, & Pſeudothomiſtis, & Auguſtinianis aures præbere; quia neſciunt quid dicant*. Concluſio, ut fert proverbium, dignum patellâ operculum eſt pag. 8. *Vale quàm plurimum, Domine Papa, donec reſipiſcas*. Nunquid hic libellus repudii datur Pontifici, donec Janſenianæ hæreſeos damnationem retractet? Dicamus potiùs, donec Petrus Pſeudo-Gratianus à vertigine libe-

liberatus ad ſanam redierit mentem. Toto dein quadrienno viſus eſt pacatior, donec Bulla Unigenitus infirmo cerebro furorem iterum ſuſcitavit; dum in Epiſtola 2. *ad Lovanienſes Theologos pag.* 4. poſtquam in ſe recepit juſtificandas, & commendandas propoſitiones damnatas, nonam, & ſedecim ſequentes, tanquam tutiſſima, & inconcuſſa Dogmata SS. Auguſtini, & Thomæ, ad Cardinalem Ferrari converſus: *O Ferrari*, inquit, *eſne tu Prædicatorum Ordinis? Juraſti tu in Divum Thomam?* Ab hoc ſcilicet Cardinale Pontificem exiſtimat circunventum, quanvis primam, ac præcipuam deceptionis culpam conjiciat in quendam Patrem de la Fontaine Societatis Jeſu, dicens: *Omnia hæc imputo non tam Domino meo* Clementi, *quàm cuidam homini, qui ut ſub ſpecie pietatis ſeducat, non habet Societas à Deo deſerta prudentiorem; qui quondam Didacus Oropega, aliàs proprio nomine vocatur Pater de la Fontaine. Utinam nunquam natus fuiſſet ille fons! Ille, ille eſt ſerpens qui ſeduxit* (Eminentiſſimum) *Ferrari Hevam, & illa, vel ille Adamum Pontificem.* Audiendis iſtiuſmodi Janſeniſtarum næniis, ac mendaciis pridem aſſuevimus. Pro ſe ita reſpondit ille Didacus literis ad amicum datis die S. Auguſtino ſacrâ 1715. *Decepi nempe doctiſſimum Cardinalem Ferrarium, quem quidem ſemper reveritus ſum, ſed allocutus nunquam. Neque is eſt qui in dogmaticis à me decipi valeat, uti nec alter, quem à me deceptum adverſarius fingit, ſed ad utriuſque Eminentiſſimi pedes mihi potiùs ſedendum eſſet, ut diſcerem, quàm de docendis fallaciter cogitandum.*

Talia ante Arnaldi, & Queſnelli in Hollandiam adventum audita nunquam à Miſſionariis ſunt; & ubi terrarum à Catholicis, vel Catholicum nomen ſibi vindicantibus, ſi Janſenianos hypocritas exceperis, talia audiuntur? Ad contumelias habent Thomiſtæ, & cæteri Religioſi, quod reſpondeant ex S. Cypriano Epiſt. 52. ad Antonian: *Non poſſunt laudare nos, qui nobis diſplicentes, & contra Eccleſiam rebelles, ſolicitandis de Eccleſia fratribus violenter inſiſtunt.* Et teſte S. Gregorio lib. 1. in Ezechielem Hom. 9. *Perverſorum derogatio vitæ noſtræ approbatio eſt; quia oſtenditur nos aliquid juſtitiæ habere, ſi illis diſplicere incipimus, qui non placent* Deo. Ezech. 2. *Nè timeas eos, neque ſermones eorum metuas; quoniam increduli & ſubverſores ſunt tecum, & cum ſcorpionibus habitas. Verba eorum nè timeas, & vultus eorum nè formides, quia domus exaſperans eſt.* Quemadmodum contemnenda eorum odia, & contumeliæ ſunt, ita nec audiendæ blanditiæ, ſyrenum canti-bus, & ſerpentium ſibilis pernicioſiores. Occludendæ eis ſedulò aures, & fores, qui non veniunt, niſi ut mactent, & perdant; novi, atque execrabiliores Polyphemi, qui hoſpitii gratiam (ut luctuoſum Miſſio Batavica exemplum eſt) non corporum, ſed animorum interitu remunerantur.

CAPUT VIII.

De Queſnelli profeſſione Fidei ſubdolâ, & minimè ſufficienti circa Gratiam, Libertatem, & Mortem Chriſti pro ſalute hominum.

Anno 1657. Clerus Gallicanus in Comitiis decreverat, Conſtitutionem Alexandri VII. contra Janſenianam hæreſim, ab omnibus eſſe accuratiſſimè obſervandam, ut autem ſubmiſſio uniformis omnium eſſet, & minimè ambigua, formulam compoſuit ab Eccleſiaſticis ſingulis ſubſignandam. In hac quilibet ſubſcribentium ſe ſubmittit Conſtitutionibus Innocentii X. & Alexandri VII. ac propoſitiones 5. in libro Janſenii contentas, corde, & ore condemnat, agnoſcitque eas non eſſe Sancti Auguſtini, cujus ſententias Janſenius perperàm, & contra S. Doctoris mentem interpretatus ſit. Formulam hanc Janſeniſtæ clamoribus, & ſcriptis ſtatim inſectati ſunt. Stabat autem Rex pro ſanctione Cleri, & debitâ Pontificibus obedientiâ. Rebelles, quos neque religio, neque Eccleſiæ moverat authoritas, premebat Regis juvenis, & potentiſſimi indignatio. In tanto diſcrimine opportunum eis accidit Convenarum Antiſtitis, quaſi mediatoris, patrocinium. Excogitavêre modum, quo & Romano Pontifici ſatisfacere viderentur, & non ſubſcriberent profeſſioni Fidei à Cleri Comitiis imperatæ. Compoſuêre ſcilicet quinque articulos; ſi corticem verborum ſpectes, à ſchola Thomiſtica non abhorrentes, & quodammodo quinque Janſenii propoſitionibus oppoſitos, adeò ut à pluribus dein Thomiſtis fuerint approbati. Alii eos dixêre ambiguos, & ad fallendum ſingulari induſtriâ concinnatos. Jactabant Janſeniſtæ, his omnem ſuam de gratiæ efficacitate, de prædeſtinatione gratuitâ, & damnatarum quinque propoſitionum materiâ ſententiam contineri. Hos per Convenarum Antiſtitem miſerunt ad Alexandrum VII. ejuſque ſubmiſêre judicio, addentes, ſe promptiſſimos ad præſtandum, ſi quid amplius ab eis Pontifex deſideraret. Romam quoque advenerant literæ Epiſcoporum Galliæ, quibus indicabant ſua ad reducendos errantes ſtudia,

dia,

dia, multorum converſionem, ſpemque exſtirpandi penitus Janſeniſmi.

Anno 1663. euravit Pontifex à Qualificatoribus S. Officii examinari Janſeniſtarum declarationem, & quinque Articulos: Dein die 21. Julii in palatio Cardinalis Ginetti habita juſſu Sanctiſſimi fuit Congregatio, cui interfuêre Cardinales, Corrado, Borromæo, Albizzi, Roſpiglioſi, Bagni, cum illuſtriſſimo Vareſio Sancti Officii Aſſeſſore. Totius Congregationis judicium refert *Hiſtoria quinque propoſitionum Janſenii* edita Gallicè 1699. pag. 253. quod nihil reſpondendum eſſet circa quinque Articulos Janſeniſtarum, utpote ambiguos ſic, ut quod unâ parte concedere viderentur, negarent alterâ, quodque Authorum conſilium appareret, elicere à Sede Apoſtolicâ reſponſum aliquod, quo contra Conſtitutiones abuterentur. Idem judicium fuerat Qualificatorum: in quo confirmari Sedes Apoſtolica potuit literis Illuſtriſſimi Domini Henrici de la Motte Hodencourt, Rhedonenſis Epiſcopi, dein Archiepiſcopi Auſcitani datis 12. Julii ad Eminentiſſimum Roſpiglioſi. Quibus ſolicitè monet, ut Roma ſibi caveat à Janſeniſtarum inſidiis, quas fortè parant, tranſmiſſis Articulis, & explicationibus, ſperantes alteram à Sede Apoſtolica ſententiam, quâ elidatur prior, & à ſuis cervicibus avertant ictum, à Regis juſtitia imminentem. *Lex promulgata eſt, cauſa finita; ſed non finitæ artes, dolique partium.*

Scripſit itaque Alexander VII. 29. Julii Breve ad Archiepiſcopos, & Epiſcopos Galliæ, quô eorum laudat zelum in promovendâ Conſtitutionum contra Janſenianam hæreſim obſervantiâ, atque hortatur ut bene cœpta, ad finem uſque proſequantur. Verba Brevis ſunt: „ Ut nulli veſtrûm incompertum eſt, quantâ ſolicitudine Innocentius „ X. felicis recordationis Prædeceſſor noſter Janſenianam hæreſim radicitùs evellere conatus fuerit: quantâ Nos ipſi curâ, & „ inſtantiâ idem propoſitum indeſinenter „ proſequi non deſtiterimus; ita nobis probè compertum eſt, atque perſpectum, „ quàm indefeſſo ſtudio plerique veſtrûm „ Conſtitutiones Apoſtolicas in Janſenii cauſâ editas executioni mandari procuraverint. Illud autem non mediocri gaudio „ animum noſtrum perfundit, quod literis „ ex Galliâ recèns allatis accepimus, illorum in dies creſcere numerum, qui recta „ ſapiunt, præfatis Conſtitutionibus ſe ultrò „ ſubjicientes; illorum verò decreſcere, qui „ à veritate auditum avertunt, & variis inanium interpretationum argumentis decepti, Decretis Apoſtolicis refragantur. Is „ fuit egregius ſanè laborum veſtrorum fructus, majoris ſcilicet, & potioris partis, „ ut multi, iique cæterorum nomine primarii, exemplo veſtro, conſilio, & operâ ad „ ſaniorem doctrinam inducti, eâ quâ par „ eſt, ut credimus, animi demiſſione ſeſe paratiſſimos exhibuerint ad illa omnia præſtanda, quæ ipſis à Sede Apoſtolica præſcribentur. Unde jam meritò ſperare poſſumus, juvante Domino, brevi fore, ut „ feliciter cœptum opus, feliciùs perficiatis, „ præſertim ſi, ut per dictas Conſtitutiones „ mandatur, in dictam executionem ſeriò „ incumbentes, obtineatis, ut omnes eâdem Fide, & Charitate concordes in via „ Domini ambulent, implorato etiam, ſi „ opus fuerit, Regis Chriſtianiſſimi ſubſidio, „ cujus in hac præſertim cauſa, maximus Zelus mirum in modum enituit: quod reverà ut ſummâ laude dignum reputamus, ita „ eidem maximæ gloriæ, & ſingulari apud „ Deum merito verſum iri judicamus. Pergite igitur, Venerabiles Fratres, operi „ ultimam alacriter manum admovere, & „ procurate impensè ut omnes præfatis Conſtitutionibus Apoſtolicis, ſe, ut par eſt, „ ſubjiciant, & quinque Propoſitiones ex „ Janſenii libro, cui nomen *Auguſtinus*, excerptas, & in ſenſu ab eodem Authore intento, prout illas per dictas Conſtitutiones Sedes Apoſtolica damnavit, ſincero „ animo rejiciant, & damnent. Ad quod „ illa omnia remedia quæ vobis pro executione earundem Conſtitutionum efficaciora, magiſque opportuna videbuntur, adhibere poteritis &c.

Janſeniani, ut Hæretici ſolent, fidem fefellerunt: non præſtitere promiſſa tam ſolemniter data, fore, ut *Si quid amplius Pontifex exigeret*, ſinè tergiverſatione præſtarent. Exegit Pontifex, & exigunt in hunc uſque diem ejus Succeſſores, ut quinque propoſitiones ex Janſenii libro excerptas, & in ſenſu ab eodem Authore intento damnatas, ipſi pariter eodem ſenſu damnent, nec retineant in iis ſenſum Janſenii, velut à cenſurâ illibatum, vel damnatum immeritò.

Sed eâ parte Brevis Apoſtolici prætermiſſâ, qua tamen patet totum Pontificis ſcopum contineri, illud ſolum arripiunt quo dicitur, *multos ad ſaniorem doctrinam inductos eſſe*. Igitur, inquiunt, 5. noſtri Articuli à Pontifice cenſentur *Doctrina ſanior*: atqui his continetur univerſa noſtra circa 5. Propoſitiones damnatas ſententia; unde invictè concludimus non poſſe nos deinceps niſi per calumniam de 5. Propoſitionum hæreſi accuſari. Ita cum Janſeniſtis cæteris Queſnellus, præ-

cipuam defenſionis ſuæ rationem in eo collocans, *Explicationis Apologeticæ pag.* 68. & ſequentibus pluſquam centum, ferè uſque ad finem operis.

Qui Articulis adverſantur, negant illud *ad ſaniorem doctrinam inductos* referendum ad 5. Articulos; non enim veriſimile eſt Pontificem contra totius Congregationis judicium, approbationem Articulis dediſſe, quos Theologi ad examen deputati ambiguos cenſuiſſent, & ſubdolo conſilio excogitatos. Janſeniſtas verò illos Pontifex eſſe converſos, ſive *ad ſaniorem doctrinam inductos* cenſuit, ex eo quod obedientes ſe profiterentur Conſtitutionibus Innocentii X. & Alexandri VII. contra 5. propoſitiones: quòd ſuos Articulos Sedis Apoſtolicæ judicio ſubmitterent, polliciti, ſi quid aliud ab eis Pontifex deſideraret, ſummâ ſe promptitudine obſecuturos. Si gaudium Pontifici attuliſſent 5. Articuli tanquam certa indicia *Doctrinæ ſanioris*, non allegaſſet ſolas literas tanquam converſionis teſtes, ſed 5. Articulos, quos præ oculis habebat. Atqui de his nè verbum quidem facit Pontifex. Neque dixiſſet *ſicut accepimus ex literis*, *& ut credimus*, ſed ut cognovimus, ut perſpeximus ex eorum Fidei profeſſione. Denique ſi profeſſio illa 5. Articulorum ſecurum reddidiſſet Pontificem de Janſeniſtarum converſione, non videtur tam ſolicitè moniturus fuiſſe Epiſcopos, ut illos urgerent ad damnationem quinque propoſitionum, acceptarum ſenſu Janſenii, prout in ejus libro exprimitur.

Prætereo quòd, ſi Pontifex per *ſaniorem doctrinam* intellexiſſet 5. articulos, erraſſet judicio Queſnelli, & omnium ei adhærentium Janſeniſtarum juxta declarationem à Queſnello Articulis annexam. Ait enim Chriſti Vicarius, Janſeniſtas, *exemplo veſtro* (Epiſcoporum) *conſilio & operâ ad ſaniorem doctrinam inductos*. Declaratio autem Queſnelli aſſerit, *illos eandem ſemper doctrinam docere, idque profeſſos libris innumeris*: illo in primis, cui titulus, *Antonii Arnaldi ſuper illa propoſitione, Defuit Petro gratia, ſinè qua nihil poterat, Diſſertatio Theologica*: Quæ Diſſertatio, uti & cæteri qui memorantur, libri, anteriores ſunt illâ, à Pontifice creditâ Janſeniſtarum converſione. Sic falſitatis arguunt Pontificem, credentem eos tunc *ad ſaniorem doctrinam inductos* fuiſſe, cum & eandem doctrinam ſemper docuerint, & Articuli illi non arte eliciti, non argumentorum vi expreſſi fuerint, ſed ab eis ſponte oblati ac pene obtruſi. Sic & falsò Pontifex gratularetur Epiſcopis, quaſi eorum conſilio, & operâ *ad ſaniorem doctrinam* Inducti Janſeniſtæ fuerint.

Supponamus tamen Breve Pontificis reſpicere etiam Articulos, atque hanc fuiſſe mentem Sanctiſſimi, ut propter illos ſimul, & teſtatam ſubmiſſionem Catholicam, cum excluſione omnis alterius circa 5. propoſitiones ſenſûs, judicarentur Janſeniani illi Theologi *ad ſaniorem doctrinam inducti*; ſola hinc, ni fallar, articulorum approbatio negativa inferenda eſt; non autem poſitiva. Ita ſi Arminianus vel quiſcunque hoc tempore ſectator Pelagii edat profeſſionem Fidei perſimilem Molinianæ, teſtatus ſe in omnibus ſentire cum Romanæ Fidei Catholicis, Summo Pontifici obedientiam promittere, & ſi quid aliud Sanctiſſimus ad pleniorem fidei probationem imperaverit; non exiſtimo Pontificem difficilem fore in gratulando, quod *ad ſaniorem doctrinam* converſus ſit; & gratulari deberent etiam omnes opinionibus Molinianis diſſentientes; quia à Doctrina hæretica ad ſaniorem, nempe ab Eccleſia non prohibitam, ſed inter probabiles toleratam tranſierit: ita Moliniani viciſſim, qui à Thomiſtis recentioribus, ſalvâ pace, recedunt, ſi quis tamen Calviniſmo, vel Lutheraniſmo renuntians, ſe in eorum ſcholam recipiat, gratulabuntur ei ad ſaniorem doctrinam tranſitum. Saniores ſcilicet ſunt 5. Articuli, quàm 5. Propoſitiones Janſenii, quibus Theologi iſti ante adhæſerant; *Ad Saniorem*, itaque, *doctrinam inducti* fuerint Janſeniſtæ, ſi, ut plenam Pontificiis contra quinque propoſitiones Conſtitutionibus obedientiam profeſſi ſunt, eam animo ſervarint, & Articulos in Thomiſtarum, non Janſenii ſenſu amplexi ſint.

Iraſcitur Queſnellus, quoties articulos vocari audit ambiguos, quos ipſe clariſſimos, & nonniſi unius ſenſus Thomiſtici haberi vult capaces. *Explicationis Apologeticæ* pag. 71. ait: *Intolerabilis quorundam, qui ſe Theologos dicunt, temeritas eſt, articulos iſtos appellare obſcuros, ad fraudem compoſitos, & ſuſpectos de Janſeniſmo*. Sed Queſnello omnia, quæ vult, ſtatim clariſſima ſunt; alia, pluſquàm cimeriis tenebris obſita. Quinque Propoſitiones ex Janſenio excerptæ, Queſnello, & Janſeniſtis omnibus maximè æquivocæ ſunt. Decretum Alexandri VIII. contra Janſeniſtarum Propoſitiones triginta & unam Queſnello in *Epiſtola Abbatis ad Prælatum*, & Arnaldo in 9. *parte difficultatum*, laborat obſcuritate continuâ, atque ita perniciosum Eccleſiæ eſt: obſcuriſſima eſt Clementis XI. contra Propoſitiones Queſnelli centum & unam Conſtitutio, neceſſariò egens explicationibus; quæ niſi Queſnelli ſenſum utique à damnatione liberent, admitti illa non poterit; ſed tan-

tanquam injuſta, & intolerabilis rejicienda eſt. Articulos verò, quos à Janſeniſtarum vaferrimis conſtat eſſe ſingulari arte compoſitos, & fucis ubique plenos, nefas ſit in ſuſpicionem doli, vel ambiguitatis vocare.

Quod Queſnellus Jeſuitas in Theologorum numerum non admittat, minimè miror, cum pridem in *Epiſtola* ſub nomine *Abbatis ad quendam Romanæ Curiæ Prælatum*, pag. 31. ſcripſerit, *Maximam partem Cardinalium, & Theologorum* (qui adhibentur ad examen, & cenſuram Propoſitionum) *nihil prorſus intelligere*: Et pag. 43. *Cenſorum Romanorum ideas ſæpe falſiſſimas eſſe, & vix quidquam habere de Theologia Patrum*. Unde quod illos Queſnellus è Theologorum Catalogo expungat, ferendum eſt; imò potius gloriæ ipſis ducendum, quando conſtat, ut rectè monet Franciſcus Simonis de *Fraudibus Hæreticorum* par. 2. hanc eſſe primam, *ſe, ſuosque ſolos magni æſtimare, ipſique Eccleſiæ oſtentare formidabiles; cæteros contemnere omnes*. Quod confirmat S. Gregorius in cap. 19. Job cap. 12. *Habent hoc*, inquit, *hæretici proprium, ut de inani ſcientiæ ſuæ arrogantia inflentur, & rectè credentium ſimplicitatem ſæpe derideant*. S. Irenæus lib. 1. contra hæreſes cap. 1. de Valentinianis ait: *Nos quidem arguunt, quaſi idiotas, & nihil ſcientes: ſemetipſos extollunt*.

Atquomodo è Theologorum claſſe excludere Queſnellus auſus eſt ipſum Ægidium Candidum, Candidorum Janſeniſtarum Principem? Hic in *Auguſtini Iprenſis vindicati vindiciis uberioribus*, anno 1711. pag. 10. dicit: „ Nihil omnino vetat fraudem, & ludos „ Clementi XI. fieri per æquivocum il„ lud Neo-Thomiſticum idioma, Pelagianis, „ aut, ſi mavis, Molinianis aberrationibus „ apprimè conſonum. Nam & iſtâ adulte„ rinâ verborum congerie ludos olim factos „ fuiſſe arbitror Pontifici Alexandro VII. „ per ſcriptum illud, ut minùs dicam, impru„ dentiſſimum, ad quod D. Queſnellus ali„ cubi provocat, quinque articulis „ *circa materiam quinque Propoſitionum* con„ ſtans, & anno 1663. ab Auguſtini diſcipu„ lis eidem Pontifici Alexandro oblatum, in „ quo & *Gratia ſufficiens Thomiſtarum ſenſu* „ *admittitur, & in homine lapſo ſtatuitur per-* „ *petua activa indifferentia, quam proximam* „ *dicere nihil vetet: & tanquam veritati pror-* „ *ſus conſentaneum* affirmatur, Chriſtum pro „ omnibus omnino, hoc eſt pro hominibus „ ſingulis, *mortuum eſſe, & ſanguinem fudiſſe*. „ Profectò (quod habet paræmia) vulpes „ leonibus citiùs junxeris, quàm hanc in„ conſultam, & improbam planè locutio„ nem cum magni Aurelii dogmatibus con„ cordaris. Hinc uſque adeò mirum videri „ nemini debet, ſi idem Pontifex Alexan„ der, hujuſcemodi Auguſtini diſcipulos, & „ qui, quidquid intrò aliter ſentiant, à Mo„ liniana loquendi conſuetudine, tam parum „ abſunt, *ad doctrinam ſaniorem inductos fuiſ-* „ *ſe*, reſcripto ſuo teſtificatus ſit.... Igitur „ non magno in pretio habenda eſt doctrina „ gratiæ per ſe efficacis, artificiis, ut nunc „ ſit, Pelagianam fuliginem redolentibus, & „ quod unâ manu dant, alterâ veluti rapien„ tibus, à Neo-Thomiſticâ turbâ vel alibi, „ vel Romæ tradita.

Si ex ipſa Schola Thomiſticâ, à qua Queſnellus adoptatos fuiſſe articulos jactat, quæſiero, an in quinque Propoſitionum materiâ cum Janſenio, vel doctrinam Janſenii profitentibus ſentiat, cum ſtomacho repellar, tanquam injurius Scholæ Catholicæ, de qua ſiniſtrum videar ſuſpicari. Atqui Janſeniani omnes politici, qui cum Queſnello Articulos buccinant, declaratione Articulis annexâ, aſſerunt illis omnem ſuam de quinque Propoſitionum materiâ ſententiam contineri. Neceſſe igitur eſt fatearis Articulos duplicis eſſe ſensûs, quorum alter Thomiſticus ſit, alter Janſenianus; niſi utrunque confuderis, quod quilibet Thomiſta verus tanquam calumniam averſabitur. Quid autem ſi conſtiterit Articulos ex ipſo Janſenio excerptos fuiſſe, vel ejus ſenſui penitùs, & quodammodo vocibus conſentire, atque adeò Janſenium, ſi Articulos ei videre licuiſſet, extentis eos brachiis fuiſſe amplexurum? Tum ſaltèm quilibet Janſeniano faſcino non obcæcatus affirmabit, Articulos ambigui ſensûs eſſe, & minimè ſufficere, ut quis ſe Catholicum probet, atque à damnatis quinque Propoſitionibus alienum; quandoquidem, ut dixi, ipſe Janſenius iis facilè ſubſcriberet; utpotè ex Janſenii volumine deſumptis; certè ad ejus normam ita compoſitis, ut nulla in eis particula ſit, quæ non Iprenſi adamuſſim conſentiat. Fidem hìc mihi haberi nolo: te, Lector Catholice, cujuſcunque Scholæ diſcipulus, vel magiſter ſis, arbitrum poſco.

Parallelum doctrinæ Janſenii, & quinque Articulorum.

ARTICULUS PRIMUS.

„ Cum ex Sancti Auguſtini ſententiâ, „ quam tota S. Thomæ Schola defen„ dit, gratia efficax voluntatem indeclinabi„ liter, & infallibiliter, citra tamen neceſſi„ tatem, vi divinæ motionis flectens, & de„ terminans, ad ſingulos Chriſtianæ pietatis actus

„ actus neceſſaria ſit, nunquam contingit, ut oremus, ſicut oportet, niſi cum ea operatur, ut oremus, nobis que interpellandi, & gemendi inſpiret affectum: ut nec Dei mandata ſervemus, niſi cùm illa facit, ut in præceptis ejus ambulemus; nec denique inimici tentationes ſuperemus, niſi cùm nobis victoriam largitur.

„ Et tamen cùm nonnunquam juſti tentationibus ſuccumbant, & in varia peccata prolabantur, etiam cùm illa vitare imperfectè, ac remiſsè volunt, atque conantur, manifeſtum eſt juſtis iſtis in illo imperfectæ, ac remiſſæ voluntatis ſtatu, vitio ſuo mandatum violantibus efficacem illam, & victricem, quâ præſente nunquam vincimur, gratiam non adeſſe.

„ De his ergo juſtis, quibus illa magna non adeſt gratia, licèt parva, & imperfecta non deſit, verè utrunque dici poteſt, & potuiſſe illos Dei mandata ſervare, tentationique reſiſtere, eoſdemque alio ſenſu non potuiſſe. Potuerunt enim prorſus; quia non ſolùm liberi arbitrii virtutem, & gratiam habitualem habuerunt; ſed etiam gratiam actualem, quæ ſufficiens dici poteſt Thomiſtarum ſenſu, qui gratiæ per ſe efficacis neceſſitatem ſupponit.

„ At quia, abſente gratiâ efficaci, nunquam contingit, ut voluntas, ſicut oportet, tentationi reſiſtat, conſtansque eſt apud Thomiſtas dogma, gratiam ſufficientem ab efficaci ſeparatam non complecti omnia ad piè agendum neceſſaria, ideo uſitatiſſimâ Scripturis, Patribusque locutione, & Thomiſtis omnibus probatâ, hoc ſenſu dici poteſt, juſtos illos ejuſmodi ſufficienti gratiâ inſtructos, tentationi, cui ſuccubuerunt, reſiſtere non potuiſſe; qui nimirum ejuſmodi poteſtatem non habuerunt, quæ complecteretur omnia ad agendum neceſſaria, cùm gratiam efficacem ad agendum utique neceſſariam non habuerint.

„ Quare cùm dicimus nos ſinè gratia per ſe efficaci non poſſe agere, id hoc uno ſenſu intelligimus, eum cui deeſt gratia illa per ſe efficax, non habere omnia, quæ requiruntur ad actu agendum.

Janſenius Articulo primo conſentiens.

LIbro 8. de gratia Chriſti cap. 4. de gratia indeclinabiliter, & infallibiliter volunrarem flectente, & determinante dicit: *Conſiſtere poteſt cum humani arbitrii libertate, quæ paſſim in ſcholis tradi ſolet, atque in eo ſita dicitur, quòd poſitis omnibus ad agendum requiſitis, poſſit agere, & non agere, vel agere unum, & contradictorium ejus; eundem habet operandi modum, qui prædeterminationi phyſicæ tribui ſolet.* ibid. *Eodem modo libertas jam dicta voluntatis ſub illo Chriſti auxilio incolumis manet, quo ſub phyſica Thomiſtarum prædeterminatione ſalvatur.*

Lib. 6. de gratia Chriſti cap. 30. de omnibus deliberatis viatorum actionibus ait: *Cæteras humanæ vitæ actiones, quanvis juxta tradita jam Auguſtini principia, ſinè indifferentiâ nihil vetaret eſſe liberas, re ipſa tamen non ſolùm ſinè violentiâ; ſed & eum quadam indifferentia contradictionis, imò contrarietatis fieri credimus:* per indifferentiam illam intelligendo mutabilitatem quandam, & flexibilitatem arbitrii, à majore delectatione indeliberatâ, ſive cœleſti, ſivè terrenâ neceſſariò determinandam.

Libro 3. de gratia Chriſti cap. 13. ubi traditur prima propoſitio damnata de impoſſibili præceptorum obſervanriâ defectu gratiæ ſufficientis, propter majorem vim concupiſcentiæ; quiſquis labitur, etiam juſtus, non fortiter, & perfectè vult ſervare mandata; ſed imperfectè ſolummodò, & remiſsè, neque fortiùs velle, & conari poteſt, quandiu delectatione gratiæ ardentior eſt concupiſcentia, *cujus reniſu fit ut vires voluntatis diſtrahantur, atque ita homo non plenè, non integrè velit, non totâ voluntate velit... Ad hanc igitur ſanitatem voluntatis aſſequendam, ut, quemadmodum ſubinde neceſſarium eſt, fortiter, plenè, atque integrè velle poſſimus, repugnanteſque libidinis ſeu contrariæ voluntatis motus vincere, gratiam invocamus.* Quæ invocatio etiam juxta Janſenium eſt ex gratiâ, uti & volitio inefficax, & conatus tenuis in cadentibus; non enim Janſenius Pelagianus eſt, ſaltèm ubi de ſtatu naturæ lapſæ agitur. In omnibus itaque *juſtis volentibus, & conantibus* agnoſcit gratiam non ſolùm habitualem; ſed etiam actualem aliquam carentem effectu, ad quem non ſufficit, majore concupiſcentiâ impediente. Et tamen juxta Janſenium lib. 3. de gratiâ Salvatoris cap. 15. vitio ſuo cadunt; *Si enim noluerint* præcepta ſervare, *defectus eſt voluntatis, non poteſtatis... hinc igitur etiam fit, ut quemadmodum ea vitare* peccata *poſſunt, ità quoque non committant neceſſariò, eâ videlicet neceſſitate, quæ repugnat libertati, culpamque abſtergat exorbitantis voluntatis.*

Quilibet violans præceptum juxta Janſenium potuit illud, & non potuit obſervare. ibid. *Conſtat enim eodem planè modo etiam peccata à non habentibus gratiam ſufficientem, poſſe vitari, non quidem illâ proximâ poteſtate, quâ dat ſimul velle, quod poſſumus, & poſſe quod*

quod volumus, nec illâ, quæ poteſtatem voluntatis velut in æquilibrio ad utrunque ponit, qualem libertatem ſolam Scholaſtici ſibi conceperunt, ſolamque poſt lapſum; & hominum, & Angelorum ſive in bonis, ſive in malis nuſquam inveniunt; ſed illâ remotiore poteſtate, quâ poſſunt ea vitare, ſi voluerint; ſi enim noluerint, defectus eſt voluntatis, non poteſtatis, quam voluntas ſupplere non poſſit; quando ſcilicet delectatio fortior acceſſerit.

Præter remotiorem facultatem, quæ eſt *liberi arbitrii flexibilitas*, propinquiorem admittit ibidem Janſenius per habitus Fidei, & Charitatis. *Iſta*, inquit, *quæ de poſſe diximus, quod per Fidem, & Charitatem datur, de donis iſtis habitualibus potiſſimùm intelligenda ſunt*: Ubi Fides eſt ſecundus poteſtatis gradus, tertius Charitas. Rurſus ibi: *Tertiò dicimur multò pleniùs, propinquiuſque poſſe per Charitatem, per quam homo juſtificatur*. Tres iſtos poteſtatis gradus ad obſervationem omnium mandatorum in juſtis omnibus ſtatuit Janſenius. A' quarto poteſtatis gradu, qui in actuali ſufficienti auxilio conſiſtit, ſe non alienum declarat, ſi intelligatur non re; ſed nomine ſufficiens.

Libro 3. de gratia Chriſti cap. 1. ait: *Quod ſi verò ſic accipiatur, ut ſufficiens dicatur, ſicut à quibuſdam dicitur, quod ſatis eſt, ut homo dicatur poſſe operari, quanvis aliud adhuc neceſſarium ſit, ut de facto operetur, de ejuſmodi ſufficienti gratiâ, non eſt hic noſtra controverſia; talem enim ſufficientem fortaſſe non difficulter S. Auguſtinus admitteret*. Cùm enim Janſenio, & ejus ſequacibus fixum ſit deſtruere reverà libertatem; gratia autem quæ à Thomiſtis ſufficiens appellatur, juxta Janſenium, & ejus aſſeclas, non ſit re ipſa ſufficiens, in hac admittenda nihil difficultatis magnoperè reperiunt; niſi quod Janſeniſtas Candidos cum ſuo duce Ægidio malè habeat, fraudulentâ gratiæ ſolo nomine ſufficientis profeſſione illudi Eccleſiæ. Auxilium verò, quod propriè ſufficiens Janſenius agnoſcit, à ſe illic teſtatur rejici, *illam* nempe *ſufficientem gratiam, ſeu ſufficiens adjutorium, præter quod nihil aliud ex parte* DEI *per modum principii neceſſarium eſt, ut homo velit, aut operetur*.

Quæ hactenus à Janſenio, & ſupra à primi articuli Authoribus dicta, quivis videt Theologus facilè conciliari cum primâ Janſenii propoſitione hæreticâ, quæ traditur lib. 3. de gratia Salvatoris cap. 13. his verbis. *Hæc igitur omnia pleniſſimè, planiſſimèque demonſtrant, nihil eſſe in Sancti Auguſtini doctrinâ certius, ac fundatius, quàm eſſe præcepta quædam, quæ hominibus non tantùm infidelibus excæcatis, & obduratis; ſed fidelibus quoque, & juſtis volentibus, ſecundùm præſentes, quas habent vires, ſunt impoſſibilia, deeſſe quoque gratiam, quâ fiant poſſibilia*. Ubi prima propoſitio non ut probabilis, ſed ut certiſſimè in Auguſtini principiis fundata aſſeritur: & quilibet in Janſenio non peregrinus novit, omnia Auguſtini nomine ab eo affirmari, atque hac non ſolummodo ratione omnes ſuas ſtabilire eum ſententias; ſed ad eum elevare certitudinis gradum, ut ab iis diſſentire nefas ſit, & Conciliis, Patribus, atque ipſis Pontificibus, Auguſtini de gratia doctrinam probantibus refragari. Ipſo quoque citato capite eandem propoſitionem exprimit Janſenius ut ſuam. *Ex hac*, inquit, *indubitatâ doctrinâ quædam non parvi momenti ad hanc rem ſpectantia inſeruntur, & clareſcunt: primum, eſſe quædam homini præcepta ſecundùm ſtatum, & vires, in quibus conſtitutus eſt, impoſſibilia . . . ſecundò, non adeſſe ſemper gratiam, quâ poſſimus, hoc eſt, quâ illa eadem præcepta implêre ſufficiamus: tertiò, hanc impotentiam reperiri, non ſolùm in excæcatis, obduratis, & infidelibus; ſed etiam fidelibus, & juſtis: quartò, hanc impoſſibilitatem fidelibus accidere, non tantùm quando nolunt præcepta facere; ſed etiam quando volunt*.

Non igitur primi Articuli profeſſio ſufficit, ut quis ſe immunem probet à prima Janſenii propoſitione hæreticâ, neque à damnatis Queſnelli erroribus ad eandem pertinentibus.

ARTICULUS SECUNDUS.

Gratia interior duplex eſt: alia efficax, quæ ſemper producit illum effectum,
„ ad quem impellit voluntatem; alia inefficax quæ voluntatem excitat ad effectum,
„ quem non producit. Prior gratia ea eſt, quam ſimpliciter, propriè, & abſolutè efficacem Thomiſtæ vocant. Huic reſiſti quidem ſemper poteſt, ut iidem docent; at nunquam ita reſiſtitur, ut effectu illo privetur, ad quem impellit voluntatem: quod aliis verbis ſic exprimunt, ut reſiſti poſſe dicant in ſenſu diviſo; non autem in ſenſu compoſito.

„ Secunda autem ea eſt, quam tum excitantem, tum inefficacem, tum ſufficientem, idem ſignificantibus verbis vocant. Huic verè reſiſtit, ac renititur voluntas, eamque eo effectu privat, ad quem excitat, & ad quem poteſtatem largitur, ſuperiùs explicato Thomiſtarum ſenſu ſufficientem. Poteſt quidem illi voluntas conſentire; nec tamen, ſi abſit gratia efficax, unquam conſentit, non defectu antecedentis poteſtatis,

„ ſtatis,ſed liberâ ſui ipſius in oppoſitum de-
„ terminatione.Sed quanvis illa gratia per ſe
„ ſpectata,effectu illo careat,ad quem tendit,
„ ad quem voluntatem excitat, & ad quem
„ per antecedentem Dei voluntatem deſti-
„ natur,adeôque falſum ſit hoc ſenſu omnem
„ Chriſti gratiam ſemper habere eum effe-
„ ctum, quem Deus vult; ſi tamen ſpectetur,
„ ut cum abſolutâ Dei voluntate conjuncta;
„ meritò hoc ſenſu efficax dici poteſt, quia
„ ſemper id in corde hominis operatur,
„ quod Deus abſolutâ voluntate intendit;
„ Certum eſt enim apud Thomiſtas, auxi-
„ lium ſufficiens reſpectu unius actûs; ſem-
„ per eſſe efficax reſpectu alterius, ad quem
„ efficiendum Decreto abſoluto Divinæ vo-
„ luntatis deſtinatur; adeôque apud illos
„ omnis gratia eſt efficax alicujus effectûs;
„ ejus nimirum ad quem proximè ordina-
„ tur, & quem Deus abſolutâ voluntate in-
„ tendit, juxta illud Iſaiæ: *Verbum, quod*
„ *egreditur de ore meo, non revertetur ad me*
„ *vacuum; ſed faciet quacunque volui.*

Janſenius Articulo ſecundo conſentiens.

DE gratia efficaci ait Janſenius Tom. 3. primæ editionis Lovanienſis col. 193. eſſe *prorſus talem, quæ ſimul ac pulſat fores, rumpit oſtia, repugnantemque domat voluntatem, tollit omnem ejus reſiſtentiam, rapit eam ſecum, & ex invitâ volentem, ac ſe determinantem ineffabili ſuavitate, ac poteſtate facit.* colum. 202. *Hæc itaque eſt vera ratio, & radix, cur nulla omnino medicinalis Chriſti gratia effectu ſuo careat; ſed omnis efficiat, ut voluntas velit, & aliquid operetur.* Dein ait, gratiam, & effectum *eſſe convertibiles, & à ſe mutuò inſeparabiles.* Tamen pro gratiâ juxta Janſenii ſenſum inefficaci, nempe ad eum effectum ad quem non eſt ſufficiens, dicit ipſe Janſenius lib. 2. de gratia Chriſti cap. 27. *Nec verò moveat quenquam, quod conſtet multos divinitùs mente colluſtrari; imò verò, & in ipſa voluntate motibus Divinæ gratiæ percelli, qui tamen ab ejus internâ ſuaſione, & inclinatione diſſentiunt.*

Inter ſeptem diſcrimina, quæ Janſenius allegat ſuam inter, & prædeterminantem Thomiſtarum gratiam, hoc deſignat tertium. *Prædeterminatio phyſica talis eſſe dicitur, ut in quibuſcunque circunſtantiis voluntas collocetur, ſemper faciat facere, & operetur effectum ſuum, omnemque ſuperet reſiſtentiam: Chriſti adjutorium nullo modo; nam delectatio victrix quæ Auguſtino eſt efficax adjutorium, relativa eſt. Tunc enim eſt victrix, quando alteram ſuperat. Quod ſi contingat, alteram ardentiorem eſſe, in ſolis inefficacibus deſideriis hærebit animus, nec efficaciter unquam volet, quod volendum eſt.*

En gratiam juxta Janſenium, & Authores articuli inefficacem, quatenus excitat ad effectum, quem non producit, nec producere poteſt, quandiu concupiſcentiæ delectatio ardentior eſt. Quapropter patet gratiam hanc ſolo fraudulento nomine *ſufficientem* vocari. Sed neque Janſeniſtæ illi unquam eam verè, & ſimpliciter *ſufficientem* vocant: ſemper callidè reſtringunt voce *Thomiſticè, ſenſu Thomiſtico, apud Thomiſtas*; quæ apud Janſeniſtas ſunt particulæ alienantes; ita nugari Novatoribus lubet, & eludere, ſi poſſint, Eccleſiam. De hoc plura ad calcem quinque Articulorum. Licèt Janſenius l. 8. de gratia Chriſti cap. 2. gratiam prædeterminantem Thomiſtarum impugnet acerrimè, ejus aſſertores vocans *Ariſtotelicos potiùs, quàm Auguſtinianos*, & inter ſuam, ac prædeterminantem eorum gratiam, ſeptem ſtatuat diſcrimina, tamen etiam ſuam cap. 3. appellat *prædeterminantem*, dicens: *Perſpicuè apparet, impoſſibile eſſe, ut adjutorium illud cæleſtis delectationis non determinet, imò prædeterminet voluntatem.* Sic dum Thomiſtas dentibus, & unguibus lacerat, inani ſubinde vocum conſonantiâ ludificans, ſibi nititur conciliare.

Fucos hos proſequitur cap. 4. *Sicut ergo in ſenſu compoſito veræ ſunt hujuſmodi phraſes, quibus voluntas acta per Divinam gratiam dicitur non poſſe reſiſtere* Deo, *non poſſe diſſentire ab eo, quòd per eam vult operari* Deus, *non poſſe declinari, non poſſe ſuperari: ita è contrario in ſenſu diviſo veræ ſunt, quibus dicitur poſſe declinari, poſſe ſuperari, poſſe diſſentire. Eodem igitur modo locus Concilii Tridentini, quo dicit, quòd liberum arbitrium à* Deo *motum, & excitatum poſſit diſſentire, ſi velit; itemque quòd inſpirationem recipiens, illam & abjicere poteſt; non difficulter ab eis, & à nobis ſolvi poteſt: Concilium enim in ſenſu diviſo, inquiunt, loquitur.* Vis amplius? Eodem lib. 8. cap. 21. *Dominus ita movet voluntatem, ut quanvis infallibiliter convertatur, & operetur, poſſit tamen motioni* Dei *refragari, aut obtemperare, ſeu, ut Concilium Tridentinum loquitur, illi diſſentire, ſi velit; potentia quippe diſſentiendi non repugnat actuali gratiæ motioni, & conſenſui; quanvis fieri nequeat, ut actualis diſſenſus cum actuali* Dei *motione jungatur.*

Quis verò ſuſpicetur Janſenium reum eſſe ſecundæ propoſitionis hæreticæ, *Interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ nunquam reſiſtitur*? Qui l. 2. de gratia Chriſti cap. 27. dicit: *Conſtat multos Divinitùs mente colluſtrari, imò verò, & in ipſa voluntate motibus*

Divi-

Digitized by Google

Divina gratia percelli; qui tamen ab ejus interna ſuaſione, & inclinatione diſſentiunt. Hunc locum magnificè oſtentat Author Panegyreos Janſenianæ pag. 113. tanquam *damnata 2. propoſitioni contrarium*. Sed neque Janſenius, neque Articulorum Authores damnationem effugiunt; quia nuſquam admittunt gratiam verè, & ſimpliciter ſufficientem, cui ſoli propriè reſiſtitur. Non enim reſiſto gratiæ, cui cooperari nequeo, neque mihi imputari poteſt, quòd gratia deſtituatur effectu, cujus in his circunſtantiis capax non eſt. Hæc igitur ſensûs diviſi, & compoſiti diſtinctio, & cæteræ, quas Janſeniſtæ à Theologis Orthodoxis iniquiſſimè furantur, locutiones, longè alio, ut patet, ſenſu adhibitæ, nunquam ab hæreſeos cenſurâ illos purgaverint. Si Catholici videri volunt, deſinant defendere ſequentes Magiſtri ſui ſententias l. 3. de gratia Chriſti cap. 24. *Gratiam* DEI *Auguſtinus ita victricem ſtatuit, ſupra voluntatis arbitrium, ut non rarò dicat hominem operanti* DEO *per gratiam non poſſe reſiſtere*. cap. 25. *Hæc itaque eſt vera ratio, & radix cur nulla omnino medicinalis Chriſti gratia effectu ſuo careat; ſed omnis efficiat, ut voluntas velit, & aliquid operetur;* imò operetur quantùm poteſt juxta Janſenium. ibid. *Gratia, & opus ita reciprocantur, ut quemadmodum ex gratia data mox effectum operis conſecutum inferri ſolet, ita vice versâ, ex defectu operis, gratiam non eſſe datam*. Quandonam itaque gratiæ reſiſtitur? Ejuſdem farinæ eſt illud famoſi Jacobi Gilbert Duacenſium Cancellarii axioma. Theſi 9. *In materiâ gratiæ procedit argumentum negativum ab actu ad potentiam: & verè concluditur, Titius non operatur bonum, ergo non poteſt illud operari: & è contra bene concluditur affirmativè à potentia ad actum: poteſt operari bonum, ergo illud operatur*.

ARTICULUS TERTIUS.

„ AD merendum, & demerendum in ſtatu
„ Naturæ lapſæ non ſufficit libertas à
„ coactione; ſed requiritur libertas à neceſ-
„ ſitate. Quanvis enim gratia per ſe efficax
„ infallibiliter, & inſuperabiliter volunta-
„ tem ad agendum determinet, atque ita
„ nunquam voluntas illi actu diſſentiat; non
„ tamen inducit neceſſitatem, quia non tol-
„ lit diſſentiendi poteſtatem. Eſt ergo per-
„ petuò in homine lapſo illud, quod Thomi-
„ ſtæ ſtatuunt, activæ indifferentiæ genus,
„ quam proximam dicere nihil vetat, dum-
„ modo ab hoc verbo ſemoveas illum ſen-
„ ſum, ut voluntas per efficacem gratiam
„ mota credatur nunc conſentire, nunc diſ-
„ ſentire: Sive quod idem eſt, nunc actua-
„ lem conſenſum, nunc verò actualem diſ-
„ ſenſum cum ejuſmodi gratia componere.

Janſenius Articulo tertio conſentiens.

ADdere potuiſſent Authores Articuli illud Janſenii lib. 6. de gratia Chriſti cap. 14. *Hominum viatorum, non ſolùm coactionis expertem eſſe libertatem; ſed etiam neceſſitatis immutabilis. voluntariæ, hoc eſt, eam ad utrunque indifferentem eſſe, cum Scripturis, Auguſtino, & Patribus, & Catholicâ Fide fatemur perlibenter*. Ex hoc loco Janſenii defenſores inſultare ſolent Sedi Apoſtolicæ, quaſi tertiam propoſitionem in ſenſu Janſenii perperàm condemnarit; *Ad merendum, & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ non requiritur libertas à neceſſitate; ſed ſufficit libertas à coactione*. Audire quoque juvat Lalanium quinque Articulorum Authorem præcipuum, quomodo cum quatuor ſociis Janſeniſtarum oratoribus, coram Innocentio X. propoſitionem Janſenii tertiam, ſuam, ſuorumque eſſe declaraverat. *Tertia*, inquit, *propoſitio, ut à nobis intelligitur ac defenditur: Ad merendum, & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ non requiritur in homine libertas à neceſſitate infallibilitatis; ſed ſufficit libertas à coactione cum judicio rationis; ſi conſideretur præcisè eſſentia libertatis, & meriti; quanquam ex ratione ſtatûs ſemper reperiatur indifferentia potentiæ qua voluntas etiam ſub gratiâ proximè neceſſariâ, & ex ſe efficace poteſt non velle; non tamen ut ſimul cum eâdem gratiâ non velit.*

Neceſſitas infallibilitatis hic aſſerta, non eſt ſolummodo conſequens, quæ à Catholicis omnibus admittitur; ſed etiam antecedens, quàm impedire non ſit in hominis poteſtate. Atque hanc neceſſitatem Janſeniſtæ cum merito, & demerito componunt; ludunt autem, & illudunt ſimplicibus voce *neceſſitas infallibilitatis*, quaſi eam ſolummodo aſſerant neceſſitatem, quæ in hominis poteſtate ſit, ut impediatur. Neceſſitatem autem eorum eſſe antecedentem, niſi quod conſequatur primi hominis, & noſtram in illo libertatem, patet ex hoc Janſenii axiomate, *quod amplius nos delectat, ſecundùm id operemur neceſſe eſt*; ubi majoris delectationis nomine non intelligitur, ut ab Auguſtino, deliberata, & libera; ſed indeliberata, ſeu gratiæ, ſeu concupiſcentiæ fortioris. Etſi juxta Janſenium motus concupiſcentiæ rationem prævenientes non conſtituant per ſe demeritum, demeretur tamen conſenſus omnis cum judicio rationis præſtitus; etſi ſuppoſueris, hunc impediri non potuiſſe propter concupiſcentiæ vim gratiâ ſuperiorem. Hic ſenſus eſt Lalanii Articulorum Authoris, & præcipui vindicis

Janſeniani. Poteſtas diſſentiendi, quam cum actuali conſenſu Janſenius, & ejus aſſeclæ articulorum fabri ſtatuunt, in hoc ſita eſt, quòd indeliberata delectatio conſenſum obtinens deſinere poſſit, vel decreſcere, atque etiam ſuboriri, ac creſcere valeat indeliberata delectatio contraria, ita ut quæ ſuperior fuerat, & conſenſum voluntati expreſſerat, fiat robore inferior: quo caſu tunc diſſenſus præſtabitur, quem impedire homo non poterit, ut modò non potuit conſenſum. Illud eſt quod fallaci appellatione Janſeniani intelligunt perpetuò eſſe in homine lapſo activæ indifferentiæ genus, quam proximam vocari permittunt, modò libertas catholica, quam Pontifices contra Janſenium ſtabiliunt, ab omnibus lapſorum hominum actionibus arceatur; nihil enim juxta Janſenium amare voluntas poteſt, niſi quod eam delectaverit, Semper autem majorem illecebram ſive cœleſtem, ſive terrenam ſequitur neceſſariò.

Lalanius, Queſnellus, & omnes Iprenſis Auguſtini defenſores, cum eo dicunt l. 6. de gratia Chriſti cap. 6. in titulo: *Duplex neceſſitas Auguſtino, coactionis, & ſimplex, ſeu voluntaria: illa, non hæc repugnat libertati*, ubi doloſo nomine dicitur *voluntaria*, quæ impediri ab homine non poteſt; nam in textu capitis eſt: *Neſcio quid manifeſtius urgentiuſque proferri poſſet, ad demonſtrandam volitionis cujuſque libertatem, etiam illius quam nos habere neceſſe eſt*. Lib. 8. de gratia Chriſti cap. 19. *Nulla gratia efficacia, nulla neceſſitas actibus voluntatis liberis formidanda eſt; ſed ſola coactio, & neceſſitas violentiæ*. ibid. *Inducta eſt peccandi neceſſitas* in omnes, quibus delinquimus, actiones. Et tamen non minùs, quàm opifices articulorum, Thomiſticis ſubinde phraſibus abutitur, ut Scholæ Catholicæ, cujus adverſatur ſententiis, tutus patrocinio videatur. Sic lib. 8. de gratia Chriſti cap. 4. ait, *ita hominem recipere* DEI *inſpirationem, & motionem, & excitationem iſtius delectationis, aut prædeterminationis (adde, ſi lubet, etiam actualem ipſius voluntatis conſenſionem ac motum) ut nihil auferat ejus voluntati poteſtatem diſſentiendi, ſi velit; quanvis actualis diſſenſus cum illis præſuppoſitis componi nequeat: poteſtas enim diſſentiendi non repugnat iſti excitationi, aut delectationi, aut prædeterminationi, aut ipſi etiam conſenſui actuali voluntatis, ſed tantùm diſſenſus actualis*. ibid. aſſerit cum gratia efficaci conſiſtere *ſimultatem potentiæ ad operandum, & non operandum*; non tamen *potentiam ſimultatis, ut videlicet ſimul agat, & non agat*. Eodem cap. ſtatuit, *hoc ſenſu intelligendam eſſe libertatem, ut videlicet, poſitis omnibus ad agendum requiſitis, etiam cœleſti quacùnque delectatione, & prædeterminatione ſtet ſimul ut poſſit non velle; non autem ut ſimul non velit. Potentia enim non volendi non repugnat omnibus illis requiſitis ad volendum; ſed ſolùm quod actualiter non velit*. ibid. *Cùm enim iſtud auxilium eundem habeat operandi modum, qui phyſicæ prædeterminationi tribui ſolet, eodem modo libertas illa jam dicta voluntatis (quo poſitis omnibus ad agendum requiſitis poſſit agere, & non agere, vel agere unum, & contrarium ejus) ſub illo Chriſti auxilio incolumis manet, quo ſub phyſica prædeterminatione ſalvatur. Quapropter quidquid phyſicæ prædeterminationis defenſores pro ſuâ ſententiâ protulerunt, ut liberum arbitrium ſub eâ ſalvum eſſe perſuadeant, pro hac ſententia dictum puta*. Quid ad apparentem Thomiſmum requiras amplius? Ita, ſimplicibus in fraudem inductis, plaudere cenſeas cum ſuo Patriarchâ Janſenianos, & dicere, Populo impoſuimus, ac Thomiſtæ ignorantibus viſi ſumus. Nemo ſapiens cum Thomiſtis annumeret, quem quidem viderit univerſam Angelici Summam deſcribere; ſed & alibi protrudere propoſitiones temerarias, impias, hæreticas, à quibus Magiſter Angelicus cum ſuis alieniſſimus eſt. Neque per hoc te Scholæ Catholicæ probabis diſcipulum, quod Auguſtini phraſes imitari noveris, vel etiam Scripturarum oracula profitearis univerſa, ſi alibi à Scriptura, Traditione, & Fide Catholicâ aberrare deprehenderis, ut in pluribus poſt Janſenium convincitur Queſnellus, & cum utroque ſubdolus articulorum artifex Lalanius.

Quam obſecro, libertatem homini, aut quibus ejus actionibus relinquit, quiſquis operationem omnem à delectatione majore, & neceſſariâ pendêre ſtatuit; à delectatione, inquam, indeliberata, quæ voluntatis imperium prævenit, eamque in conſenſum trahit vi inſuperabili, adeò, ut quod magis nos delectat, ſecundùm id operemur neceſſe ſit (ut Janſenius ubique inculcat) & quidem neceſſitate antecedente, quam articulorum figuli ad fallendos imperitos vocant *voluntariam* non volitione, quæ neceſſitatis cauſa ſit; ſed quæ ex ea proveniat. Quid libertatis ad obſervationem præcepti Janſenius cum ſuis tribuit homini, abſente gratia efficaci, quæ ſola Janſenio medicinalis eſt, quando lib. 2. de gratia Chriſti cap. 1. pronuntiat; *Cujus Salvatoris medicinali gratiâ, & adjutorio niſi vires priſtinæ reſtaurentur, tam eſt impoſſibile voluntati, ut bene velit, & operetur, quàm homini cæco, ut videat, vel ſurdo ut audiat, vel tibiis fracto ut rectè gradiatur, quanvis ei, & lux, & ſpecies, & ſcipiones, & omnia cætera ſanitatis adjumenta ſuppetant?*

Atqui

Digitized by Google

Atqui non minor vis gratiæ eſt ad bonum, quàm concupiſcentiæ ad malum; dum igitur adeſt gratia medicinalis, ſeu efficax, non magìs erit in poteſtate hominis cadere, quàm ſinè illa gratia ſtare. Quapropter omnes iſtæ vocum, diſtinctionumque Thomiſticarum uſurpationes in ore Janſenii, eique adhærentium, inanes ſunt ſinè ſenſibus ſoni, non quibus ipſi conſtituantur Catholici; ſed fraudis ignaros circumveniant.

ARTICULUS QUARTUS.

TAntum abeſt, ut Semipelagiani ideo hæ-
„ retici fuerint, quòd dicerent gratiæ
„ nos conſentire, & diſſentire poſſe, ut po-
„ tiùs certum, & minimè dubium ſit, cui-
„ cunque gratiæ efficaci reſiſti poſſe, id eſt
„ cum quacunque gratia ſimul remanere
„ activam, atque, ut ſupradictum eſt, pro-
„ ximam diſſentiendi poteſtatem; licèt actu,
„ ut etiam ſupra dictum eſt, nunquam effi-
„ caci gratiæ diſſentiatur.

Janſenius Articulo quarto conſentiens.

LIbro 8. de gratia Chriſti cap. 21. Iprenſis quaſi Calvinum impugnans ait: *Calvinus docet gratiam ita movere hominem, ut non ſit ei liberum reſiſtere; ſic enim loquitur* (lib. 2. Inſtit. cap. 3.) *voluntatem Dominus movet, non qualiter multis ſeculis traditum eſt, & creditum, ut noſtræ poſtea ſit electionis, motioni aut obtemperare, aut refragari. Auguſtino verò Dominus ita movet voluntatem, ut quanvis infallibiliter convertatur, & operetur, poſſit tamen motioni* DEI *refragari, aut obtemperare, ſeu, ut Concilium Tridentinum loquitur, illi diſſentire, ſi velit. Potentia quippe diſſentiendi non repugnat actuali gratiæ motioni, & conſenſui, quanvis fieri nequeat, ut actualis diſſenſus cum actuali* DEI *motione jungatur.* Ita Janſenius Calvino verbotenus adverſans; mente, & ſenſu annuens; nam ſi, *quod magìs nos delectat* delectatione indeliberatâ, & præveniente, *ſecundùm id operemur neceſſe eſt*, ut indubitatum utique habet Janſenius, ubi gentium invenietur diſſentiendi poteſtas? Neque major juxta hunc Epiſcopum eſt poteſtas refragandi victrici gratiæ, quàm victrici concupiſcentiæ, atqui juxta eundem tam eſt impoſſibile reſiſtere majori concupiſcentiæ, ſive cum illa bene agere, *quàm homini cæco ut videat, vel ſurdo ut audiat, vel tibiis fracto ut rectè gradiatur*, lib. 2. de gratia Chriſti cap. 1. Sed quid opus pluribus, quando in Janſenio dilucidè extat quarta propoſitio inter quinque hæreticas à tot Pontificibus damnatas in ſenſu, quem Janſenius intendit? Verba propoſitionis hæreticæ ſunt; *Semipelagiani admittebant prævenientis gratiæ interioris neceſſitatem ad ſingulos actus, etiam ad initium Fidei, & in hoc erant hæretici, quod vellent eam gratiam eſſe talem, cui poſſet humana voluntas reſiſtere, vel obtemperare.* Verba Janſenii lib. 8. de Hæreſi Pelagiana cap. 6. *In hoc ergo propriè Maſſilienſium error ſitus eſt, quod aliquid primævæ libertatis reliquum putant, quo ſicut Adam, ſi voluiſſet, poterat perſeveranter operari bonum, ita lapſus homo credere poſſet, ſi vellet; neuter tamen abſque interioris gratiæ adjutorio, cujus uſus, vel abuſus relictus eſſet in uniuſcujuſque arbitrio, & poteſtate.*

Propoſitio in duas partes dividitur; hiſtoricam, & dogmaticam. Prior enuntiat, quid Semipelagiani docuerint; poſterior, quid in eorum doctrina fuerit hæreticum. In utraque parte erravit Janſenius; Priorem Pontifices damnavere falſitatis, poſteriorem hæreſeos. Janſenianis operæ pretium viſum non fuit, imò non poſſibile, prioris partis à ſe invidiam amoliri, cùm nihil frequentius apud illos ſit, quàm partis illius aſſertio, ut in libello ſupplice trium columnarum columnâ ſecundâ coram Innocentio X. teſtati ſunt, & recentiùs Jacobus Gilbert ad S. Thomæ quæſt. 109. lect. 2. & typis editâ Theſi 20. *Docemus, Semipelagianos admiſiſſe gratiam verè interiorem, etiam ad initium Fidei neceſſariam.* Idem tradit Joannes Opſtraete in dictatis de gratia quæſt. 2. cap. 3.

In eludenda ſola ſecunda parte hæretica toti ſunt cum cæteris Janſenianis Articulorum Authores. Nunquam illi proximam diſſentiendi gratiæ efficaci poteſtatem admiſerant; ſed ſemper intellexerant ſolam *radicalem, ſive remotam, quam nec Lutherus nec Calvinus, nec aliæ peſtes ejuſmodi negant*, ut rectè obſervavit Cardinalis Aguirre in defenſione Cathedræ S. Petri, diſput. 21. ſect. 4. Sic apud eum Laurentius Neeſen Theologus Lovanienſis Tractatu 5. dub. 4. *Chriſti gratia infallibiliter infert actum, utpote ab ea inſeparabilis: cum illâ proinde non conſiſtit potentia proxima ad agendum, & non agendum.* Nunc ut Thomiſtis concinere videantur, etſi non aſſerant poteſtatem diſſentiendi proximam, tamen ſic appellari à Thomiſtis permittunt, & in eorum gratiam, *Thomiſticè*, quod Janſenianis idem eſt ac *impropriè*, & ſolo nomine, non re, *proximam* appellare parati ſunt; modò ſemper ſolicitè addatur *Thomiſticè*, ad ludificandum incautos, ut manifeſtum fiet *Concluſione animadverſionum in quinque Articulos.*

Conveniendus hic mihi eſt, & palàm de fraude convincendus Articulorum Author Lalanius. Meminiſſe debuit, quid ante in libro de gratia victrice, approbantibus Janſeniani exercitûs ducibus, ſcripſerit pag. 10. 16. 18. 21. 22. *Propoſitiones 5. Janſenii in ſenſu Orthodoxo, à quo alienæ non ſunt, poſſe intelligi: ad doctrinam de gratia per ſe efficaci, quæ ad quavis bonorum operum genera nemini non neceſſaria eſt, referri omnes poſſe: veriſſimas eſſe, maximèque catholicas, eo videlicet ſenſu, quo illas adversùs Jeſuitarum errores ſuſtinuit Jprenſis Antiſtes; & quo illas neque Eccleſia, neque Sancta Sedes damnabit unquam: omnes Chriſtifideles, ad eas in materia de gratiâ efficaci propugnandas, religione obſtringi: illo ſenſu neque negari poſſe, neque oppugnari, niſi ab eo, qui Pelaglanorum, aut Semipelagianorum, erroribus implicatur: haſce propoſitiones ab omni cenſura periculo abeſſe longiſſimè, uſque adeò, ut & Eccleſiæ fides, & doctrina de vera* JESU CHRISTI *gratia, iis potiſſimùm contineatur: ad ſanum illarum ſenſum ſtabiliendum elaborata eſſe opera complura; præcipuè verò incomparabilem illam pro SS. Patribus apologiam, quæ jam recens in lucem editur: ſenſum denique tam ſanum, quo Jprenſis Epiſcopus, aliique S. Auguſtini diſclpuli eas uſque ſuſtinuerunt, ab hæretico diſcerni oportere.*

Si Janſenius propoſitiones quinque tradiderit, unde Lalanio & ejus ſequacibus conſtat, non eſſe damnatas eo ſenſu, quo à Janſenio defenſæ fuerant, quando Sedes Apoſtolica eo ſenſu à ſe damnatas eſſe teſtatur? Reſpondent, ſenſu illo Fidem Eccleſiæ contineri. Sed hæc omnium hæreticorum contra definitiones Eccleſiæ maleſana exceptio eſt.

Altera Lalanii, & Queſnelli fallacia: ut ſe à proſcriptis quinque in Janſenio dogmatibus remotos eſſe perſuadeant, Articulos fingunt Verborum cortice Thomiſticis affines, ex ipſo Janſenii volumine deſcriptos; proinde damnatis propoſitionibus minimè contrarios; nam hunc Epiſcopum diſſona, & inter ſe pugnantia docuiſſe, nemo facilè probaverit, nec ullus ejus diſcipulus agnoſcit; imo, inquit Apologia ſecunda panegyreos Janſenianæ pag. 13. *A' conditâ Eccleſiâ non eſt elaboratum opus, ubi controverſia quadam ſacra à primis fundamentis ad ſumma uſque faſtigia, tam pulchre, tam ſolidè, tam cohærenter, tam indivulsâ contignationum firmitate conſtruitur.*

ARTICULUS QUINTUS.

„ GRATUITÆ prædeſtinationis doctrina maximam jure meritò apud omnes Scholas Catholicas authoritatem obtinet.

„ Hujus autem hæc ſumma eſt, ab omnibus ejus defenſoribus recepta: ſolis electis, ſi ſpectetur non antecedens; ſed abſoluta, & efficax DEI voluntas, ſalutem æternam abſoluto DEI Decreto deſtinatam eſſe cum eâ gratiarum, ac beneficiorum ſerie, quibus certiſſimè liberantur, quicunque liberantur, quorum beneficiorum utique præcipuum eſt perſeverantiæ donum, quod nemo proprium eſſe prædeſtinatorum inficiatur. Hinc ſequitur, Chriſtum, cujus abſoluta voluntas paternæ ſemper conformis extitit, hoc Decretum nec precibus, nec morte ſuâ ſimpliciter, & abſolutè mutare voluiſſe. Itaque ſolis illis abſolutè, & efficaciter promereri voluit ſalutem æternam, & perſeverantiæ donum, quos ſibi à Patre datos, & de manu ſua à nemine raptum iri in Euangelio dicit. De his capitibus apud omnes gratuitæ prædeſtinationis defenſores convenit; quibus ea tantùm Chriſti mortis omnibus impenſæ generalitas excluditur, quâ collatæ omnibus hominibus aſſeruntur gratiæ, ita ſufficientes, ut præterea efficacem ad volendum, ſeu operandum non requirant.

„ Sed hac opinione demptâ, nihil obſtat, imò prorſus veritati conſentaneum eſt, dicere, Chriſtum pro omnibus omnino hominibus mortuum eſſe, ac ſanguinem fudiſſe; tum quia antecedenti voluntate ſalutem omnium voluit; tum quia ſufficiens pro omnibus pretium obtulit. Falſum autem eſt, & Hæreticum dicere, Chriſtum pro ſalute duntaxat prædeſtinatorum mortuum eſſe, cum multis reprobis, omnibuſque adeò juſtificatis gratias, traditâ à Thomiſtis notione ſufficientes meruerit, quibus ad ſalutem pervenire poſſent; quamvis nemo iis bene utatur, & in accepta juſtitia perſeveret; niſi uberioribus illis, & efficacibus auxiliis adjuvetur.

Janſenius Articulo quinto conſentiens.

LIb. 10. de Gratia cap. 1. *Multis*, inquit, *aſſeruimus electionem eorum, non ſolùm ad merita liberationis à damnatione; ſed etiam ad ipſam liberationem, ſeu gloriam eſſe factam ante præſcientiam ullius meriti, ſive operis, ſive voluntatis bonæ.* Lib. 3. de Gratia Chriſti

cap.

Digitized by Google

cap. 21. *Scivit Chriſtus, quò quiſque jam ab æterno prædeſtinatus erat, ſcivit hoc Decretum nullius pretii oblatione mutandum eſſe, nec ſe ipſum velle mutare.*

Libro 3. cap. 1. *Tanquam firmiſſimam baſim errori ſuo collocarunt Maſſilienſes iſta Scripturæ loca, quibus* Deus *dicitur omnes velle ſalvos fieri, atque eſſe redemptor omnium; nam indè fabricarunt . . . . quandam generalem, & indifferentem erga univerſos voluntatem: deinde ex illa generali voluntate ſalutis omnium, vocationem quoque generalem, ſufficientemque omnibus gratiam derivarunt, quam qui vellet, arriperet, aut abjiceret, atque operationem ejus conſentiendo, aut diſſentiendo fructuoſam, aut caſſam redderet, pro ſua libero arbitrio voluntatis.*

Quo ſenſu Articulus admittat Chriſtum *antecedente voluntate* ſalutem omnium voluiſſe, *& ſufficiens pro omnibus pretium obtuliſſe*, cùm duplicis intelligentiæ capax ſit, diſcendum eſt ex circunſtantiâ Authoris Lalanii, qui, ut ad articulum 4. vidimus, Janſenii doctrinam, & ſenſum circa quinque propoſitionum materiam amplectitur, & amplectendam omnibus prædicat. Ex ipſo proin Janſenio certiſſimè eruitur, quæ utriuſque vocabuli in ſenſu Authoris ſignificatio ſit.

Voluntatem autem antecedentem hic accipit Iprenſis pro ea, quæ prior eſt omni peccato, etiam originis, quæque poſt illud remanens tranſit in ſterilem complacentiam, qualis eſt erga ſalutem Dæmonum, nihil producens auxilii ad ſalutem ſufficientis. Simili modo ſtatuit Janſenius, Chriſtum obtuliſſe pretium, quod pro ſalute omnium ſufficeret; ſed ad ſolorum prædeſtinatorum ſalutem intentionem direxiſſe; ad juſtorum autem non electorum juſtitiam duntaxat temporaneam. Singula exhibeo in Janſenio lib. 10. de gratiâ cap. 1. *Quemadmodum Deus neminem Angelorum* (idem eſt de hominibus innocentibus) *prædeſtinavit ad gloriam ante prævisionem operum, & perſeverantia in charitate; ita quoque neminem reprobavit, niſi poſtquam eum à juſtitiâ defecturum eſſe præſcivit. Habuit igitur Deus generalem voluntatem benevolentiæ erga omnes, ex quâ quantum in ſe eſt, omnium beatitudinem æternam voluit, omnibuſque propterea beatitudinis conſequendæ media ſufficientiſſima largitus eſt.*

Lib. 3. de Gratiâ cap. 20. *Poſtquam* verò *peccata jam ab hominibus inducta conſiderantur, antecedens voluntas in ſolâ præciſione mentis, adeòque nudâ quâdam velleitate, nihil omnino gratiæ cauſante, conſiſtere poteſt . . . Nihil igitur omnino doctrina Damaſceni de antecedente ſalutis omnium voluntate, recentioribus prodeſt, ut quæ optimè cum negandæ ſalutis, & gratiæ ſufficientis voluntate conſiſtit.*

Cap. 21. *Nullo modo principiis ejus* (Auguſtini) *conſentaneum eſt, ut Chriſtus Dominus vel pro infidelium in infidelitate morientium, vel pro juſtorum non perſeverantium æternâ ſalute, mortuus eſſe, ſanguinem fudiſſe, ſemetipſum redemptionem dediſſe, patrem oraſſe ſentiatur. Ex quo factum eſt, ut juxta S. Doctorem non magìs Patrem pro æterna liberatione ipſorum, quàm pro Diaboli deprecatus fuerit.* Hic ſenſus eſt quem tot Romani Pontifices in quinta Janſenii propoſitione, ut hæreticum condemnarunt: huic Articulus minimè opponitur; cum ſenſus uterque Lalanii ſit, uterque Janſenii, atque adeò Queſnelli, quo nemo hactenus poſt Arnaldum operoſiùs Janſenio patrocinatus eſt.

CONCLUSIO

Animadverſionum in quinque Articulos.

Ex hactenus deductis manifeſtum arbitror, profeſſionem Articulorum minimè ſufficere, ut quis ſe à damnatis in Janſenio dogmatibus illibatum comprobet, cùm illi vel ex Janſenio excerpti, vel ab eo ſaltèm minimè alieni ſint, ut ex verborum, ſenſuumque collatione exploratum eſt. Et quis aliud ab obſtinatis Janſenii defenſoribus, callidis Articulorum architectis expectare potuit?

Unum eſt, inquit Queſnellus in declaratione articulis annexa, *quod obſervari maximè velim, nempe articulos iſtos omnium conſenſu, ut videbimus, probatos, Auguſtinianis non arte elicitos, non metu extortos, non argumentorum vi expreſſos; ſed ſponte oblatos, penè obtruſos . . . Neque id cuiquam mirum videri debet; cùm eandem ſemper doctrinam docere ſe illi profeſſi ſint libris innumeris, illoque in primis, cui titulus: Antonii Arnaldi Doctoris Sorbonici ſuper illa propoſitione SS. Chryſoſtomi, & Auguſtini: defuit Petro gratia, ſinè qua nihil poterat, Diſſertatio Theologica.*

Atqui ex animadverſionibus ad quartum Articulum patet, Lalanium Articulorum ſcriptorem, quinque propoſitiones damnatas ſuſtinuiſſe in ſenſu Janſenii: ſi ergo Lalanius cum ſuis, *ſemper eandem*, teſte Queſnello, *doctrinam docuerit*, evidens eſt eorundem Articulos hæreticis Janſenii placitis minimè adverſari; niſi eodem tempore Janſeniſtas illos tradidiſſe contraria affirmaveris. Sed & Arnaldus, quem nominatim Queſnellus exprimit, duas *pro Janſenio Apologias* ab Innocentio damnatas edidit, & Queſnellus ipſe toto libro, quem *Defenſionem Eccleſiæ, ac Summorum Pontificum* mendaciſſimè appel-

lat,

lat, & Sedes Apoſtolica proſcripſit, aliud non agit, quàm ut omnem Janſenii ſenſum à damnatione liberet, pag. 427. aſſerens, *licère, ac ſemper licuiſſe aliquem damnatarum* in Janſenio *propoſitionum ſenſum defendere*, eum ſcilicet, qui unicus in famoſo illius Antiſtitis volumine continetur. Sed & unicum eſſe propoſitionum illarum ſenſum, argumento ineluctabili ex ipſa adverſariorum profeſſione conficirur: Janſeniſtarum legati, inter quos erat Lalanius Articulorum parens, ut à Janſenii dogmatibus ſententiam damnationis averterent, libellum ſupplicem Innocentio X. porrexere hoc fallaci titulo: *Breviſſima quinque propoſitionum in varios ſenſus diſtinctio*: qui vulgò *libellus trium columnarum* appellatur. Fallacem voco titulum, quia dum propoſitionum ſenſus varios promittit, torus libellus non niſi unicum deſignat, expreſſum ordine ſecundo; nam primus exhibet ſolummodo *ſenſum, qui propoſitionibus malignè affingi poſſet, quem tamen legitimè ſumptæ non habent*. Tertius ordo non continet niſi *Propoſitiones*, quinque accuſatis propoſitionibus *contrarias, ut ab adverſariis*, nempe Jeſuitis, & aliis Molinæ ſequacibus, *defenduntur*.

Evidens autem eſt, propoſitionum ſenſum non eſſe eum, qui non niſi *malignè eis affingi poſſit*; multò minùs earum ſenſus dici poteſt, quem eſſe conſtat illis *contrarium*. Dum igitur Janſeniſtarum legati varios pollicentur Propoſitionum ſenſus, unicum eſſe inviċtiſſimè confirmanr; qui videlicer in ſecunda columna eſt, & quem ſe *defendere* profitentur, verbis quidem mollioribus, & minùs, ut ſolent, dilucidis enuntiatum. Neque ignorat Queſnellus, neque negare unquam auſus fuerit, *propoſitionum ſenſum*, quem ait, *defendere ſemper licuiſſe*, eſſe ipſum Janſenii.

Alibi dolet nondum adveniſſe tempus, Janſenium ab injuria vindicandi, ſive, ut ejus verba gallica latinè reddam ex ſcripto, quod incipit, *Legi Amice care* pag. 1. *Non agitur modò de efficiendo, ut reddatur Janſenio omnis juſtitia, quæ ipſi debetur, neque de avertenda omni injuria, eidem ab hoſtibus illata. Iſtud facilè non eſt: hoſtes ejus adhuc nimiùm potentes ſunt; Judices autem nondum ſatis intellectu præditi*. Propoſitiones autem Queſnelli Janſenianam hæreſim diſtinctiùs reſuſcitantes, plurimæ ſunt inter eas, quas Bulla Unigenitus profligavit. Unde quis dubiret, quin Articuli quinque cum damnatis in Janſenio propoſitionibus conſiſtere poſſint, ut illorum re ipſâ cum his conjunctio in primis Articulorum ſcriptoribus deprehenditur?

Hinc turpiſſimi iterum mendacii convincitur Queſnellus, dum ad calcem Articulorum ait: *Declaramus, bis noſtram omnem circa materiam quinque propoſitionum doctrinam contineri*. Quid enim, an quinque Articulis continetur omnis doctrina Janſenii, hæreticis quinque propoſitionibus expreſſa, quam ab Articulorum Authoribus, & præcipuo eorum buccinatore Queſnello ſuſtineri notiſſimum eſt, ut pluribus Tractatûs proximi capitibus demonſtratum dabo? Interim lectori Catholico ſufficiat Apoſtolicæ Sedis ſententia, in Conſtitutione Unigenitus declarans, atque definiens, in Queſnelli Obſervationibus moralibus haberi, *propoſitiones etiam hæreticas, variaſque manifeſtè innovari hæreſes, & potiſſimùm illas, quæ in famoſis Janſenii propoſitionibus, & quidem in eo ſenſu, in quo hæ damnatæ fuerunt, acceptis continentur*.

In Explicatione Apologeticâ pag. 70. objicit Queſnellus Theologos aliquos Articulis faventes, quorum unus in Theſibus anni 1699. dixerit, horum Articulorum *doctrinam qui profitetur, mihi hac in parte Thomiſta eſt germanus: qui impugnat, vel non recipit, anti-Thomiſta, ſeu Thomiſta ſpurius; imo vix Catholicus*.

Ego admiſſionem Articulorum nemini verto crimini. Si Thomiſtæ aliqui ſenſu Thomiſtico intellectos adoptare voluerint, abundent in ſenſu ſuo, ut lubet; at non minùs ſplendidum propterea mendacium Queſnelli erit, *omnem* ſuam, ſuorumque Janſeniſtarum *circa materiam quinque propoſitionum doctrinam bis articulis contineri*. Appello quotquot è Theologis non Janſenianis Articulos adoptaverint, num cenſeant omnem Lalanii, Girardi, Arnaldi, Queſnelli doctrinam circa quinque propoſitionum materiam his Articulis contineri? Negabunt indubiè, ac pernegabunt, nè Janſenianam hæreſim, quam conſtat ab illis Articulorum Authoribus, & Queſnello certiſſimè ſuſtineri, ipſi quoque adoptaſſe videantur; imò confeſſionis ſuæ teſtimonio convincantur quodammodo irrefragabili. Ignoſcamus Theſium Authori, qui in ſcholam Seraphicam, Jeſuiticam, & quaſcunque non faventes Articulis cenſuram ſtrinxit tam improvidam, nec majoris ponderis, quàm judicium de ſanctitate Queſnelli, & Sociorum, *la ſainte famille*. Ut ſcilicet viris, etiam religioſis, ſubinde contingit, ſanctitatem ab hypocriſi non ſatis ſecernere, ita nec fraudes detegere, quæ ſubdolis hæreticorum profeſſionibus occultantur. Sic Lovanienſes Theologi in editione operum Sancti Auguſtini, Tomo 10. ut ajunt, *emendato, rejectis ſermonibus quibuſdam ſuppoſititiis*, Auguſtino tri-

tribuunt ſermonem 19 t. de tempore, & in eo profeſſionem Pelagii.

Explanatio ſymboli ad Damaſum extat inter epiſtolas Hieronymi decima ſeptima, & Hieronymo digna viſa fuit, viris etiam graviſſimis; ſed à Baronio & recentioribus paſſim habetur ut confeſſio ſubdola Pelagii ad Innocentium Pontificem; quo mortuo Romam perveniens, ſucceſſori ejus Zoſimo tradita eſt: quo autem gaudio ab eo lecta fuerit, teſtatur ipſius Pontificis ad Africanos Epiſcopos epiſtola, his verbis: *Literas ſuas Pelagius purgationem continentes abundantiſſimè, miſit..... Utinam ullus veſtrûm, dilectiſſimi fratres, recitationi literarum intereſſe potuiſſet! Quod ſanctorum virorum, qui aderant, gaudium fuit? Quæ admiratio ſingulorum? Vix fletu quidam ſe, & lachrymis temperabant. Tales etiam abſoluta fidei infamari potuiſſe? Eſtne ullus locus, in quo* Dei *gratia, vel adjutorium prætermiſſum ſit.* Quid autem Pelagius gratiæ, & adjutorii vocibus intellexerat, præter exempla Chriſti, legem, atque doctrinam?

Nè quid fraudis deeſſet (uti Queſnellus mentitur, quinque Articulis omnem ſuam, ſuorumque Janſeniſtarum doctrinam circa quinque propoſitionum materiam contineri) ita Pelagius fingebat, omnes ſuos de Divina gratia ſenſus hac exprimi confeſſione, cujus doloſam hypocriſim non minus fallax complebat proteſtatio. *Hæc*, inquit, *Fides eſt, Papa Beatiſſime, quam in Eccleſia Catholica didicimus, quamque ſemper tenuimus, & tenemus. In qua ſi minùs peritè, aut parum cautè, aliquid fortè poſitum eſt, emendari cupimus à te, qui Petri Fidem, & Sedem tenes. Sin autem hæc noſtra confeſſio Apoſtolatûs tui judicio comprobatur, quicunque me maculare voluerit, ſe imperitum, malevolum, vel etiam non Catholicum; non me hæreticum comprobabit.*

Fraudulenta itaque confeſſio, ſub catholicâ ſuperficie ſenſum occultans hæreticum, tunc quidem Sedis Apoſtolicæ providentiam eluſit; ſed, ut grave ulcus diu ſaniem non abſcondit, ita & magna ſcelera diu latère non ſolent: detecta Pelagii fraude, ab ipſo Zoſimo damnatus hæreſiarcha eſt, & à Fidelium repulſus communione. Pelagianæ fallaciæ ſimilis eſt Queſnelli *Explicatio Apologetica*, & quinque Articulorum profeſſio: Talis quoque Articulis addita declaratio, quaſi omnem illi Queſnellianam de damnatis quinque propoſitionibus complectantur ſententiam.

Hoc faſcino obcæcare Queſnellus Pontificem non potuit, quò minùs in *Obſervationibus moralibus* hæreſes Janſenii renatas perſpiceret, & ad inferos, unde emerſerant, iterato remitteret anathemate. In hoc autem Queſnelliana profeſſio Pelagianâ deterior eſt, quòd in Pelagii verbis nullum eſſet, quod, ſi à proferente abſtraxeris, ſuſpicionem moveret fallaciæ; at in Queſnelli, & Lalanii Articulis, quidquid Janſeniſmo quaſi oppoſitum videretur, affectatæ non præferat ſimulationis indicium. Nuſquam enim in illis ſimpliciter, ſeu abſolutè aſſeritur gratia ſufficiens, nuſquam cum aſſenſu poteſtas proxima diſſentiendi, nuſquam libertas indifferentiæ, nuſquam mors Chriſti pro ſalute omnium, vel ullius reprobi. Sed Articulo primo *gratia, quæ ſufficiens dici poteſt Thomiſtarum ſenſu*: Artic. 2. *gratia quam abſolutè efficacem Thomiſtæ vocant, huic reſiſti quidem ſemper poteſt, ut iidem docent..... quod aliis verbis ſic exprimunt, ut reſiſti poſſe dicant in ſenſu diviſo, non in ſenſu compoſito. Secunda eſt gratia, quam Thomiſtæ ſufficientem vocant, quæ poteſtatem largitur, Thomiſtarum ſenſu ſufficientem. Certum eſt apud Thomiſtas auxilium ſufficiens &c.* Art. 3. *Eſt perpetuò in homine lapſo illud quod Thomiſtæ ſtatuunt activæ indifferentiæ genus, quam proximam dicere nihil vetat.* Art. 4. *Cum quacunque gratia ſimul remanet activa, atque, ut ſupra dictum eſt,* (juxta Thomiſtas) *proxima diſſentiendi poteſtas.* Art. 5. *Chriſtus multis reprobis, omnibuſque adeò juſtificatis meruit gratias, traditâ à Thomiſtis notione ſufficientes.* Ubique autem *Thomiſticè, in ſenſu Thomiſtico, traditâ à Thomiſtis notione*, apud Janſeniſtas vocabula ſunt, quæ ſenſum ingerant à vulgari, & propriâ nominum, quibus apponuntur, ſignificatione alienum, imò illi contrarium, ut *gratia Thomiſticè ſufficiens, poteſtas diſſentiendi juxta Thomiſtas proxima, indifferentia Thomiſtica* Janſeniſtis idem ſit, ac gratia minimè ſufficiens, poteſtas diſſentiendi non proxima, indifferentia chimerica. Ita ſub Ludovici Montaltii nomine Blaſius Paſchalis in ſecunda epiſtola ad Provincialem, *Curarem publicè à præconibus prædicari, cùm omnibus adeſſe gratiam ſufficientem Dominicani dicunt, id eos ſignificare velle, non omnibus adeſſe gratiam, quæ reverà ſufficiat.* Aliàs nullo modo volebat eis *ſufficientis gratiæ buccinandæ poteſtatem fieri.... tum ait, facilè cernes hanc gratiam politicè tantùm ſufficientem eſſe, proximæ poteſtatis planè gemellam.*

Petrus de Ligny Duacenus Theologus, unus ex Articulorum patronis in profeſſione Fidei ad Epiſcopum N. N. ſcribens num. 4. *Declaro*, inquit, *coram* Deo, *quòd credam, nullam ampliùs poſt Adami lapſum dari gratiam ſufficientem: ſententiam de hac Moliniſtarum eſſe Semipelagianam; Thomiſtarum autem meram ſtul-*

Digitized by Google

ſtultitiam: Ægidius Candidus in *Apologiâ nova doctrinæ ſanctæ Janſenii Epiſcopi Iprenſis* pag. 39. *Nomen gratiæ ſufficientis à falſis quibuſdam Thomiſtis excogitatum eſt* . . . . . *Vocari poteſt nequitia maxima, & ſingulariſſima perfidia, quæ in perverſione idiomatis unquam commiſſa ſit à tempore quo Chriſti ſtetit Eccleſia*. D. Rivette Theologiæ apud Duacenſes Licentiatus in epiſtola ad amicum: *Gratia*, inquit, *ſufficiens reddita hic eſt quaſi neceſſaria: ſi ad actionem, ad quam ſufficiens vocatur, non ſufficiat, ſufficit quodammodo, ut nos ab adverſariorum inſidiis liberet. Quâ quidem voce utor, quàm poſſum rariſſimè, & addendo ſemper ſolicitè particulam alienantem*, IN SENSU THOMISTICO.

Sic nempe Janſeniſtæ ſequuntur illud Chriſti monitum: *Sit ſermo veſter, eſt, eſt; non, non*; ita æquivocationibus, & reſtrictionibus adverſantur, aliud in praxi, & in occulto, aliud in publícis contra adverſarios declamationibus ſectantes. Unde licèt *falſi Arnaldi* factum minimè probem, fraudes is tamen Janſeniſtarum callido ſtratagemate in lucem protrahens, eorum ſenſum graphicè expreſſit Theſibus à Janſenianâ factione magno encomio approbatis; ubi Theſi 2. dicitur: *Qui gratiam aliquam ſufficientem ab efficaci diſtinctam, in hunc amiſſæ innocentiæ ſtatum invehunt, mirum quantùm ab Auguſtini mente deficiunt, qui naturæ integræ gratiam ſufficientem tantùm, lapſæ verò efficacem tantùm attribuit. Hæc ſi indubitata Auguſtini principia vel minimùm concutias, tota cæleſtis illius doctrinæ compages ſolvatur, neceſſe eſt*. Theſi 3. *At quid de gratia ſufficiente ſenſu Thomiſtico? minùs diſplicet; quia, niſi hallucinari velis, particulam includit alienantem, & nebuloſo tempore occulendis gratiæ Evangelicæ myſteriis eſt peridonea. Interim cùm vox illa, & res voce expreſſa purioribus Eccleſiæ ſeculis ignota fuerit, illam meritò ex ſana Theologia relegandam judicamus.*

Ubi tamen, ut in Articulis, ad fallendum opus eſt, vocem gratiæ Thomiſticè ſufficientis patiuntur; ajunt etiam ſe pati rem voce ſignificatam; quia non ſufficere, ad quod à Thomiſtis ſufficiens appellatur, exiſtimant. Apud Janſeniſtas ſcilicet nequaquam ea gratia ſufficiens impedit, quin veriſſimum ſit, quidquid Janſenius, quidquid Arnaldus, & Queſnellus in damnatis propoſitionibus affirmarunt: talis juxta illos gratia ſufficiens non ſufficiens, poteſtatem ad ſervanda mandata conſtituit impoſſibilem: neque indicat gratiam, cui unquam propriè, & efficaciter reſiſtatur; ſed componit libertatem cum neceſſitate, indifferentiam cum neceſſaria ad unum determinatione: cum hac meritum, & demeritum abſque libertate indifferentiæ, Chriſtum Salvatorem omnium cum voluntate ſalvandi neminem præter prædeſtinatos. Sic *Palladius*, ſive *Ægidius Candidus* proſequens Criſin in Concluſionem tertiam Martini Steyaert ridet quidem *miram*, ut ait, *& exoticam gratiam ſufficientem Thomiſticam, quæ non ſufficit; tametſi efficatiam ejus, ſaltèm quemadmodum à Theologo noſtro depingi videtur, non velimus rejectam, nomenclaturam tamen inſigni abſurditate deliram arguere non dubitamus*. Mox vocat *Nuncupationem ludicram*. Rem tamen ipſam ſive *eſſentiam* non vult rejici, quia totius Janſenianæ hæreſeos aſſertioni juxta Palladium nihil officit; cùm ad nihil ſufficiat, ad quod ſufficiens nuncupatur. Hâc lege etiam Montaltius, *ſufficientis gratiæ buccinandæ*, Dominicanis, ut ait, poteſtatem faceret. Fortè nec ipſe Janſenius in ſubſcribendo difficilis foret, ut teſtatur lib. 3. de gratia cap. 1. his verbis: *Quod ſi verò ſic accipiatur, ut ſufficiens dicatur, ſicut à quibuſdam dicitur, quod ſatis eſt, ut homo dicatur poſſe operari; quamvis aliud adhuc neceſſarium ſit, ut de facto operetur, de ejuſmodi ſufficienti gratia non eſt hic noſtra controverſia; talem enim ſufficientem fortaſſe non difficulter S. Auguſtinus admitteret*. Non verò admitteret, inquit, *illam ſufficientem gratiam, ſeu ſufficiens adjutorium, præter quod nihil aliud ex parte* DEI *per modum principii neceſſarium eſt, ut homo velit, aut operetur*.

Ubi Janſeniani confidentiùs inter ſe, & remotis arbitris, loquuntur, non minùs libertatem indifferentiæ, poteſtatem proximam, ſenſum diviſum, & compoſitum Thomiſtarum, quam ſufficientem eorum gratiam rident, etiam ubi quinque Articulos, veluti ab Alexandro VII. probatos comminiſcuntur. Ita Petrus de Ligny in Profeſſione Fidei Epiſcopo, ſuarum, ut credebat, partium num. 3. *Declaro*, inquit, *coram* DEO, *me credere, libertatem indifferentiæ in ſtatu naturæ corruptæ, non eſſe, niſi chimericam, inventum humanum, & philoſophiæ Pelagianæ reliquias*. Num. 6. Simili modo declarat coram DEO ſe credere, *Prædeterminationem phyſicam, ut in Thomiſtarum Schola explicatur, dogmatibus Auguſtini prorſus eſſe contrariam: argumentorum quoque ſolutiones, petitas à ſenſu compoſito, diviſo, & indifferentiâ judicii, eſſe meras cavillationes, & tricas, quarum nullum ſit in Patribus veſtigium*. Et tamen nu. 5. provocat ad *quinque Articulos ab Alexandro VII.*, ut quidem ait, *approbatos*.

Quis modò ſanæ mentis, & in præſentibus controverſiis non planè peregrinus autumet, quinque Articulorum profeſſionem ſufficere, ut quis à damnatis in Janſenio hæreſibus, à Queſnello renovatis, & iterato à Sede Apoſtolica fulmine proſtratis, legitimè ſecernatur?

Digitized by Google

natur? Ipſos hic non refugio judices, quos Articuli ante nacti ſunt è Schola Thomiſtica patronos. Unde elucet vanitas objectionis Queſnellianæ in *Explicatione Apologeticâ* pagina 69. ubi, poſtquam gloriatus eſt, ſe Articulis additæ declarationis Authorem eſſe, eandemque cum articulis Latinè, & Gallicè ſæpius edidiſſe, iſtud à ſe eo præſtitum conſilio teſtatur, *ut omnibus pateſceret, non aliam de prædeſtinatione Sanctorum gratuitâ, non aliam de gratia ex ſe efficaci, & quinque* (Janſenii) *Propoſitionibus ſententiam ſibi, ac cæteris Auguſtini Diſcipulis eſſe, quàm ſit Angelico Doctori, ejuſque Scholæ doctiſſimæ. Quapropter videor mihi,* inquit, *non alio opus habere argumento, ut omnibus æquitatem amantibus perſuadeam, quòd, cùm circa materiam præſentem in Obſervationibus Moralibus non aliter locutus ſim, quàm Schola Thomiſtica, non aliter etiam, quàm eadem Schola, ſentire potuerim.* Antecedens, & Conſequens Thomiſtæ negaverint; nam, inquient, neque locutiones hæreticas, & ad Janſeniſmum pertinentes, quas Conſtitutio Unigenitus proſcribit, in Schola Thomiſtica deprehendes, neque iiſdem vocibus in eadem ſemper ſignificatione Catholicus utitur, & hæreticus. Quare de Novatorum, Thomiſticas voces adhibentium, fallaciâ queruntur Salmanticenſes Tract. 14. de gratia pagina 108. his Hieronymi verbis epiſtolâ ad Pammachium, & Oceanum: *Sic verba temperant, ſic ordinem vertunt, & ambigua quæque concinnant, ut & noſtram, & adverſariorum confeſſionem teneant, ut aliter hæreticus, aliter Catholicus audiat.*

Queſnellus in *Explicatione Apologetica* pag. 68. *Ante annos,* inquit, *viginti duos iterum editi fuerunt quinque Articuli, hortatu quorundam Cardinalium, inter quos Aguirrius, quòd eos aptiſſimos judicarent ad obturanda calumniantium ora, & fovendam pacem.* Quinam fuerint anonymi iſti Cardinales, non inquiro; fortè fictitii fuerint, ut quod Eminentiſſimi Aguirrii judicium refertur, inane commentum eſt. Nihil quidem initio in articulis Cardinalis invenerat diſſonum à locutionibus Thomiſtarum; ſed viſis dein aliquibus in articulos animadverſionibus judicium ſuſpendit. Inurere eis noluit cenſuram; neque nos inurimus; ſed ad purgandum aliquem de Janſeniſmo, aliunde legitimè ſuſpectum, ſufficere illos Cardinalis nuſquam aſſeruit, & nos oppoſitum ratione multiplici demonſtravimus. Ab Articulorum evulgatoribus, qui aliunde de Janſeniſmo accuſantur, ad purgandum eorum à ſiniſtra ſuſpicione Fidem, & imponendum finem diſſenſionibus, requirere non potuit novam Articulorum editionem, utpote utrique fini intento inutilem; ſed prudentius conſilium ſuggeſſit, damnationem publicam quinque Propoſitionum in ſenſu Janſenii, prout Alexandri VII. Pontificis formulâ præſcribitur; vult præterea, ut deinceps à ſententiis damnatæ in Janſenio doctrinæ nimiùm affinibus abſtineant. Tales è Lovanienſium quorundam Theſibus collectas pridem Aguirrius retulit, & nunc iterum in novâ Theologiæ S. Anſelmi editione perſtringit.

Eam hic prolegomenorum partem, ad quam à Queſnello remittimur, deſcribam. Sic ait Cardinalis tom. 3. Prolegomeno 5.
„ At enim vix Romæ evulgata fuerunt folia
„ illa, (Queſnelli cum 5. Articulis) cùm ſta-
„ tim ex adverſo prodière ſcripta aliquo-
„ rum, longè aliter narrantium, quæ Lute-
„ tiæ Pariſiorum geſta fuerunt, in eorundem
„ Articulorum collatione, & negantium
„ omnino, illos ab Alexandro VII. probatos
„ fuiſſe. Contendunt præterea multis con-
„ ſiderationibus, & reflexionibus, ſub iis la-
„ tère Janſeniſmum, *veluti ignem ſuppoſitum*
„ *cineri doloſo*, ut ille accinebat. Sanè ejuſ-
„ modi objectiones aliquam mihi difficulta-
„ tem ingeſſerunt, ut ſaltèm judicium ſuſ-
„ penderem, & quæſtionem in medio relin-
„ querem. Nam antequam illas legerem,
„ nihil in ipſis Articulis detexeram cenſurâ
„ dignum, vel alienum à doctrinâ frequenti
„ Thomiſtarum, ſicuti & nihil ejuſmodi de-
„ prehenderunt Gonetus, & Contenſonus.

Tum inter cætera ad laudem clariſſimæ Illius Scholæ pertinentia, memorat hoc non minimum, quod „ Apertè rejicit, & impugnat
„ quinque illas (Propoſitiones) excerptas
„ è libris Janſenii, juxta ſenſum ab Authore
„ intentum, uti Alexander VII. rejiciendas
„ docuit, & ſanxit. Hoc ultimum ſi feciſſent
„ anonymi illi, qui prædictos Articulos nu-
„ per recudendos curarunt, longè ampliùs
„ ſe obedientes oſtenderent erga Apoſtoli-
„ cam Sedem, in ſuis definitionibus circa
„ quaslibet Fidei, & morum controverſias,
„ nulli errori obnoxiam. Meliùs quoque
„ conſcientiæ ſuæ, meliùs famæ, & paci, &
„ fraternæ concordiæ, cum omnibus aliis
„ Catholicis Theologis quarumlibet Scho-
„ larum conſulerent. Tribuerent etiam no-
„ bis ampliſſimam gaudii materiam, quantam
„ olim doloris nonnulli Lovanienſium, dum
„ proferrent, & publicè ederent, etiam poſt
„ Conſtitutiones Innocentii, & Alexandri
„ Pontificum; imò & poſt conditos eos quin-
„ que articulos anno 1663. Theſes quaſdam
„ ſatis difficiles, ut mitiſſimè loquar, & quas
„ multi neſciunt diſcernere à damnatis in
„ Janſenio. Illarum ſpecimen exhibeo in

„ variis diſputationibus hujus Tomi, ſicut
„ & præmiſi ſeptennio ante in Defenſione
„ Cathedræ S. Petri diſput. 1. 18. 19. & 20.
„ At enim neque ii, qui modò recudunt Ar-
„ ticulos ipſos, execrantur in iis, quinque
„ illas Theſes à Pontificibus fulguritas in
„ Janſenio, *juxta ſenſum ab Authore intentum.*
„ Solùm enim generatim ajunt, ſe ex animo
„ ſemper damnaſſe, & damnare *quoſcunque*
„ *in famoſis quinque propoſitionibus errores*
„ *damnarunt Innocentius X., & Alexander VII.*
„ *quocunque tandem in libro, & à quocunque*
„ *tandem Scriptore aſſerti reperiantur, atque*
„ *defenſi.* Non dicunt, ſe damnare illas pro-
„ poſitiones, ſed errores in iis damnatos à
„ Pontificibus, quaſi illæ aliquid aliud præ-
„ terea contineant non erroneum. Nec fa-
„ tentur ſe illas damnare contentas in libro
„ Janſenii, aut juxta ſenſum ab illo inten-
„ tum, prout Alexander VII. Papa ſeverè
„ præſcripſit; ſed ſolùm generatim ajunt ſe
„ illos errores damnare, & damnaſſe, *quo-*
„ *cunque tandem in libro, & à quocunque tan-*
„ *dem Scriptore aſſerti reperiantur, atque*
„ *defenſi*: Quis vobis ſcrupulus fuit, quæ
„ cauſa, ô Theologi! nè palam, & abſ-
„ que omni ambage, aut circuitu verbo-
„ rum, fateremini, vos execrari eas quin-
„ que Theſes in libro Janſenii notatas, *jux-*
„ *ta ſenſum ab Authore intentum*? Hoc bre-
„ viùs, ſecuriùs, laudabiliùs potuiſſetis ex-
„ primere, cum ingenti gaudio, & plauſu
„ quorumlibet aliorum Theologorum cujuſ-
„ cunque ſcholæ, & inſtituti, qui palàm ita
„ loquuntur, nec religioni ducunt eam for-
„ mulam uſurpare; imò & lævum aliquid ti-
„ ment in iis, qui detrectant, ne fortè non ex
„ animi ſententiâ, nec omnino ſincerè reji-
„ ciant Theſes illas, tandiu, tam maturè, tam
„ meditatò, & toties damnatas, ab Apoſtoli-
„ ca Sede „. Hactenus Cardinalis.

Quid autem virum illum, dignitate, ſcientiâ, pietate Eminentiſſimum dicturum putamus, ſi hoc tempore ſuperſtes in Queſnelli ſcripto legeret, deſiderare eum, *minus potentiæ in Janſenii adverſariis, & plus luminis in Judicibus, ut debita Janſenio reddatur Juſtitia, & illata injuria avertatur?* Quid ſi videret in Conſtitutione Unigenitus tot impia Queſnelli dogmata, & damnatas pridem in Janſenio hæreſes, à Queſnello non ſolùm temere reſuſcitatas, ſed & poſt iteratum Sedis Apoſtolicæ in eas Anathema, Summo Eccleſiæ ſcandalo propugnari: Pontificis, pluſquam centum Galliæ Antiſtitum, & totius quodammodo Eccleſiæ judicium contemni: Schiſmaticis contra illud proteſtationibus inſurgi? Satiſne hunc perduellem tutum crederet pro-feſſione *quinque Articulorum*? An non eorum potiùs ſignificationem ſuſpicaretur ambiguam, & à ſubdolis eorum Authoribus Janſeniſmo occultando accommodatam, ſive, ut alius apud Aguirrium dicebat, *veluti ignem ſuppoſitum cineri doloſo*? Verùm quidquid demum de Articulis ſit, quos nec probare in omnibus poſſum, nec impugnare præſentis inſtituti eſt; certè non continere eos integram Fidei de gratia profeſſionem, neque ſufficere, ut quis aliunde ſuſpectus, à Janſeniana hæreſi habeatur immunis, abunde demonſtratum exiſtimo: quantò autem minùs profeſſio Articulorum ſufficiet ad purgandum à Janſeniſmo Queſnellum de tam multiplici ejuſdem hæreſeos reſuſcitatione convictum, ut ſequens de ejus propoſitionibus Tractatus perſpicuum faciet.

CAPUT IX.

§. 1. *Epiſtola Queſnelli ad* Clementem XI. *refellitur ex ſcriptis ejuſdem Authoris ante præſentem Pontificatum.*

Non aliud apparet Queſnelli in ſcribenda ad Pontificem Epiſtola fuiſſe conſilium, quàm ut poſt dogmatum ſuorum, quam certus expectabat, damnationem, ſerviret proteſtationi adversùs eandem, quaſi latam non ſervatis à Pontifice examinis legibus, quas ipſi Queſnellus in Epiſtola præſcripſerat. Sed quidquid ſit de iſto Authoris conſilio, epiſtolam ineptiis, hypocriſi, fraudibus plenam eſſe mox patebit ex accurata ſingularum partium diſcuſſione.

EPISTOLA.

Sanctiſſime Pater: Cùm tenuitatis meæ
„ conſcius ſim, nec ignorare queam, quàm
„ ſæpe tentatum ſit, ut in me tantillum ho-
„ minem tanti Pontificis indignatio provo-
„ caretur, meritò vereor nè audaciùs à me
„ factum videatur, ſi, quod coram minùs
„ poſſum, ſaltèm pio mentis affectu humil-
„ limè provolutus ad exoſculandos Sanctita-
„ tis Veſtræ pedes accedam „.

Fraudulentam epiſtolam inchoari oportuit ab hypocriſi. *Tenuitatis* ſuæ ſcilicet *conſcius* eſt Queſnellus, & ſe *tantillum hominem* agnoſcit, qui omni quodammodo poteſtati dominans, Magiſtratus, & Senatus Regios, Academias, Cōgregationis ſuæ Comitia, Religioſos Ordines, Epiſcopos, Cardinales, Reges, atque ipſos ſupremos Chriſti Vicarios judicio ſuo ſubdit; Decreta eorū ad examen revocans

declarat irrita, & contumeliis impudentiſſimè dilacerat. Ita proceſſus Fiſcalis coram Archiepiſcopo Mechlinienſi contra Queſnellum inſtitutus, & juſſu iſtius Antiſtitis typis editus, titulo *Cauſæ Queſnellianæ* pag. 390.
,, Hoc Queſnello ſtatutum pridem fuit, ex
,, ea charitate, quâ ipſe, & gregales ejus fla-
,, grant, Apoſtolo certè ignotâ, nec Summis
,, Pontificibus, nec Regibus, nec eorum mi-
,, niſtris quidquam parcere, dum eorum au-
,, thoritas Novaturientibus ſcriptis, aut Jan-
,, ſenianis dogmatibus impunè ſpargendis
,, obſiſteret; nunquam vel verbo, opinor,
,, læſus fuerat à Senatoribus Regiis Conci-
,, lii Montenſis; ſed hoc hominem pupuge-
,, rat, quod prudentiſſimo Senatûs decreto
,, proviſum eſſet, nè pernicioſæ Scriptiones
,, latiùs ſerperent, & plebem bene Catholi-
,, cam inficerent. Hinc perſtringendos cen-
,, ſuit Senatores illos modo planè indigno
,, per ſcriptum paginas continens triginta
,, tres in folio, quod hunc præfert titulum
,, planè inſignem, *Inquiſitio Jeſuitarum Mon-*
,, *tentium ſtabilita ad defenſionem peccati Phi-*
,, *loſophici* 12. *Junii* 1690. *Decreto Supremi*
,, *Senatus Hannoniæ*.

Hic ſupra Regium, & Supremum Hannoniæ Senatum ſe erigens Queſnellus, definit ejus *Decretum eſſe violentum*, *exoticum*, *rationi contrarium*, *obſervatu impoſſibile*, *injuſtum*, *calumniis refertum*, *contrarium bonis moribus*, *& religioni*, *irritum*, *ac nullum*. Dum iſta Queſnellus audet in aliena ditione, ex patria ſua, & regno profugus, non videtur ſatis conſcius ſtatûs ſui, & *tenuitatis*.

Philippus IV. Rex Hiſpaniæ iteratis literis Marchioni de Caraçena Supremo Belgii Moderatori declaravit, atque hic Senatibus Provinciatum, Decreta Pontificis dogmatica contra libros, aut propoſitiones non egêre placito Curiæ, ut promulgentur: Queſnellus hanc Philippi IV. diſpoſitionem in Belgio Hiſpanico ſcriptis publicis laceſſere audet, & contra eam Senatus Belgicos concitare.

Carolus II. ſanxit nè quis de Janſeniſmo, rigoriſmo, aut novitatibus ſuſpectus in Belgio promoveretur ad qualiacunque officia, aut beneficia: Neque Senatus, aut Magiſtratus laici, cauſas Eccleſiaſticorum ſuſciperent, quoties eos Epiſcopi aggrederentur, aut punirent propter mores, vel doctrinam. Quid hoc ad Queſnellum alienigenam, profugum, latentem *in loco paucis amicis noto*, *paucioribus pervio*, ut ipſe ad Cardinalem Noriſium ſcripſit? Mortuo Arnaldo primas Janſenianæ factionis partes ad ſe pertinere, ſe electum totius Janſeniani exercitûs ducem noverat: ideo Regia illa mandata à Sereniſſimo Bavariæ Electore promulgata convellere ſtatuit *Memoriali* Gallico; quod dein in Hiſpanicum translatum eſt, & typis toto Belgio, in Hiſpaniam uſque diſperſum. Suntne iſtæ *tantilli hominis*, *tenuitatis* ſuæ *conſcii* argumenta?

Vivente adhuc Arnaldo, dum Queſnellus cum eo, & Erneſto, ſive ut Janſeniſtæ loquuntur, dum *Pater Prior* cum *Patre Abbate*, & *Subpriore* Triumviratum conſtitueret, Triumviri iſti nomine totius factionis, ſive, ut vocant, omnium *Diſcipulorum Sancti Auguſtini*, ſcripsêre epiſtolam ad Comitem D'Avaux Regis Galliæ in Hollandia Legatum; ut, eum de armiſtitio generali inter maximos Europæ Principes ageretur, etiam ipſi tractatu comprehenderentur; ſed impoſitis Regi Chriſtianiſſimo certis legibus, quas ipſi præſcriberent, ut ſcilicet Auguſtini diſcipulos injuſtâ perſecutione partim fugatos, partim exilio, partim carcere mulctatos liberaret, impoſterum abſtinens à mandatis iſtiuſmodi, quæ vulgo dicuntur *lettres de cachet*. Prolixa Triumvirorum epiſtola integra refertur in proceſſu juridico, ſeu *Cauſâ Queſnellianâ* pag. 256. & tribus ſequentibus. Scriptam Epiſtolam conſtat circa annum 1684. quâ relatâ ſic meritò notat Proceſsûs contra Queſnellum Author pag. 259. *An hoc non eſt fermè pari paſſu cum ſupremis Principibus incedere*, *iiſque in contractu publico univerſam ſpectante Europam*, *leges præſcribere*? *An non indè maniſeſtiſſimè liquet*, *Janſeniſtas ſeparatum à reliquis membris corpus conſtituere*, *qui ſpeciale cum Rege ſuo pactum inire deſiderant*, *ac fœdus ſeparatum*? *Quid*, *quæſo*, *eſt factionem eſſe*, *ſi hæc non eſt*? *Quid eſt eſſe capita factionum*, *ſi hi tres non ſunt*? *Quid denique erit conatum aliquem ſeditioſum eſſe*, *& ad ſeditiones excitandas tendere*, *ſi appellatio hæc tumultuoſis conatibus hominum tam impudenter audacium non quadret*? *Nempe qui*, *ut & impunè errores ſuos venditent*, *& in eos abſtrahant incautiores*, *Regem Chriſtianiſſimum ſolemni tractatu vadem poſtulant*, *quo ipſi ſub emeutito Diſcipulorum Sancti Auguſtini nomine comprehendantur*. Quis igitur Queſnellum pari quodammodo paſſu cum ſupremis Principibus incedentem credat *tantillum* opinione ſuâ *hominem* eſſe, & *tenuitatis* ſuæ *conſcium*?

Nota eſt Sorbonæ cenſura adversùs duas Arnaldi propoſitiones, unam hæreticam, alteram reſuſcitandæ Janſenianæ hæreſi excogitatam: Quæ cenſura 130. Doctorum ſuffragiis conſtituta eſt; nec ullus ad gradum academicum etiam hoc tempore promovetur, quin eam ſubſcriptione firmaverit. Tot itaque centenos Doctores, Licentiatos, Bac-

calaureos, quos ſpatio ſexaginta annorum Sorbona numerat, inter quos tot Epiſcopos, Archiepiſcopos, atque ipſum Eminentiſſimum Cardinalem de Noailles, iniquiſſimos appellare audet impudens, Authore Queſnello, præfatio *Cauſa Arnaldina*, ubi cenſuram *iniquiſſimam*, *caſſam*, *& irritam* declarat. Quis dicet homuncionem hunc tam præfidentem, *tenuitatis* ſuæ *conſcium* eſſe, & ſuo judicio *tantillum*? Tanquam alter Daniel in ipſa libri fronte denuntiare omnibus non dubitat, *Revertimini ad judicium.* Dan. 13. v. 49.

Quod in Janſenianæ hæreſeos patrocinium partes Danielis agere pſeudo-propheta præſumat, minùs mirum eſt, quando Portûs-Regii Abbatiſſa *Agnes de Sanctâ Thecla*, ſublato morte Arnaldo, quaſi altero *Eliâ*, eum fecit *Eliſæum duplicis illius Spiritus heredem*. Epiſtola Abbatiſſæ refertur in *Causâ Queſnellianâ* pag. 290., & 291. Erat gratiarum actoria pro miſſo per Janſeniani Ordinis *Subpriorem* corde Arnaldi, quo nullæ obtingere poterant reliquiæ Janſenianis Monialibus chariores.

Ipſo quo Bruxellis die obiit Arnaldus 4. Auguſti 1694. Scripſerat Pariſiis Collegii cujuſdam Janſenianus præſes ad Queſnellum, prædicando ejus felicitatem maximam, quod magni Prophetæ *Jeremiæ Gallici liceret ipſi eſſe Baruch*. Ita minùs, inquam, mirum videri debet, ſi Daniele quodammodo major, non duos ſenes, ſed infinitum Baccalaureorum, Licentiatorum, Doctorum, etiam Antiſtitum numerum de falſo contra Arnaldi opiniones teſtimonio, convincendos ſuſcipiat.

Cui rurſus perſuadebit Queſnellus ſe *tenuitatis* ſuæ *conſcium*, & ſibi *tantillum hominem* videri, qui tam elato ſupercilio Romanos Sedis Apoſtolicæ Theologos, Summos Fidei Quæſitores, Cardinales, & Conſultores deſpicit velut imperitos; ut dum occaſione Decreti Alexandri VIII. contra propoſitiones 31. ſcribit in Epiſtola ſub nomine Abbatis ad quendam Romanæ Curiæ Prælatum: pag. 31. *Maxima pars Cardinalium, & Theologorum* (qui adhibentur ad Propoſitionum cenſuram) *nihil intelligit*. Pag. 43. *Cenſores Romani modicam habent antiquitatis notitiam; imò ſæpè ignorant, quod in novis Theologis eſt optimum.* ibidem. *Cenſores Romani ſuſque deque per fas & nefas condemnant pro libitu, quidquid non conſentit cum Theologiæ ſuæ ideis, quæ ſæpe falſiſſimæ ſunt, vix quidquam habentes de Theologia Patrum.* Quanto Queſnellus ſcientiæ Theologicæ lumine Romam illuſtraſſet; diſſipans tam craſſas Qualificatorum, Conſultorum, Cardinalium, ipſorumque Pontificum tenebras, ſi tantus Eccleſiæ Doctor auditus illic fuiſſet? Accerſendus pridem fuit, & omnibus dogmaticis Congregationibus præficiendus. Navi, quæ Queſnellum Romam cum Janſenianis mercibus vexiſſet, non incongruè applicaretur quod Hieronymus per ironiam contra Ruffinum Apol. lib. 3. cap. 8. ſcripſit; *O Triremem locupletiſſimam, quæ Orientalibus, & Ægyptiis mercibus Romanæ urbis ditare venerat paupertatem! Te multo tempore Pharus docuit, quod Roma neſcivit: inſtruxit Ægyptus, quod Italia huc uſque non habuit.* Te Queſnelle paludes Batavicæ docuerunt, quod Roma hactenus ignoravit.

Omnes Romanos Antiſtites authoritatis ſuæ Apoſtolicæ non prodigos ludibrio Queſnellus excipit, propoſitionis 29. ab Alexandro VIII. prohibitæ cenſuram exagitans, *Epiſtolâ Abbatis ad quendam Romanæ Curiæ Prælatum*. pag. 31. *Hoc*, inquit, *lepidum videtur, quod Pontifex ſe ipſum conſtituat Judicem in propria cauſa: quod omnem poteſtatem, omnes prærogativas commodas ſibi attribuat: quod quidquid lubet, ſibi arroget, ſtatuens ſe ſolum Judicem Conciliorum, & Magiſtrum Eccleſiæ, idque dicendo ita, vel non, quando proponitur aliquid à Sacra Congregatione deciſum:* Ita Queſnellus ob damnatum ab Alexandro VIII. articulum hunc 29. *Futilis & toties convulſa eſt aſſertio de Pontificis Romani ſupra Concilium Oecumenicum authoritate, atque in Fidei Quæſtionibus decernendis infallibilitate.* Contra cujus Articuli prohibitionem ſub larva anonymi *Abbatis* Queſnellus in Epiſtola jam citata ait pag. 31. *Quæ iſthæc miſeria? En tibi pronuntiata ſententia, quæ decidit magnam litem inter Concilia, & Pontifices: quæ Epiſcoporum, & populi Fidem dirigit: quæ Conciliorum authoritatem, & neceſſitatem planè deſtruit: quæ facit Eccleſiam dependere à repentino impetu unius Pontificis ſimilis Alexandro VI. vel audacis ut fuit Julius II., & Sixtus V. Denique nos contrarium ſuſtinentes declaramur Schiſmatici, & ipſo facto excommunicati, ac cœlum nobis in perpetuum occluditur, ſi fidem habeamus ſeptem, vel octo Theologis Ultramontanis, & totidem Cardinalibus, qui ut plurimùm nihil intelligunt.*

Qui aliquibus Baji ſententiis cenſuram oppoſito dogmati infligentibus addicti ſunt, in promptu habere ſolent, ut afferant non eſſe damnatas propter doctrinam, ſed propter temerariam in dogma oppoſitum cenſuram. Quæ excuſatio etiam hîc uſui venire Queſnello poterat, niſi maluiſſet Shiſmatico conſilio Gallos contra Sedem Apoſtolicam concitare. Pag. 28. *Damnatio propoſitionis 29. fuit facinus maximè audax quod contra ſenſum univerſæ Eccleſiæ unquam aggreſſa eſt Roma.* Alibi

ex ſolis juſtis Eccleſiam componit Queſnellus: hìc eam ſolis Galliarnm finibus circunſcribit, excIndens Germaniam, Poloniam, Hiſpaniam, Luſitaniam, Indias, Belgii quoque Hiſpanici, modò Cæſarei, partem præcipnam. Sed & in ipſa Gallia, ſi Janſeniſtas excipias, ſapientiores paſſim Theologi ſunt, quàm ut cæterarum omnium Nationum doctores Pontificiæ faventes authoritati *futiles* cenſeant; vel, nt alius Janſeniſta loquitur, *vix ſibilo dignos*. Cnmulum andaciæ Queſnellus addit pag. 52. ita concludens: *Contra hoc Decretum, aliquid magnum eſſet audendum; ſed quia vellet Curia Romana ſibi fieri ſatìs, conſultius eſt nihil omnino agere, & Decretum contemnere*. Nunc rurſus arbitrum poſco quemcunque lectorem, num talis Author demiſſionem animi ſui prædicare Pontifici ſinè hypocriſi poſſit, quaſi ſatìs *conſcius tenuitatis* ſuæ; & *tantillum hominem* non merèri, ut in eum *tanti Pontificis indignatio provocetur*.

Aliis provocatoribus, & accuſaroribus Queſnellus non eget, ipſe ſnus, cæreris omnibus ſilentibus, maximè ſonorus pridem accuſator, & contra ſe reſtis irrefragabilis. Unde ad illnd, quod Queſnellus hìc Clementi XI. qneritur; *ſæpe tentatum ut in ſe tantillum hominem tanti Pontificis indignatio provocaretur*; Reſpondebo cum S. Bernardo Epiſt. 192. ad Guidonem Cardinalem de Petro Abailardo *Ego non eum accuſo apud Patrem: eſt qui eum accuſet, liber ſuus*. Et quidem Queſnellum accuſat, & convincit liber ſuus non unus, ſed multiplex, & ſcripta infanda ipſius manu exarata. Ur enim ſeponam tantiſper *epiſtolam Abbatis* fictitii, & libellos anonymos, negare nec poterit, nec volet *Diſſertationes, & Notas in Opera Sancti Leonis*, quas ſuas eſſe ſemper publicè profeſſus eſt. De his extat Eruditiſſimi Chriſtiani Lupi Doctoris Lovanienſis ex ordine S. Auguſtini non recuſandum Queſnello jndicium lib. de appellationibus in Epiſtola dedicatoria Sanctiſſimo Domino noſtro Innocentio XI. „ Opera, in-
„ qnit, Divi Leonis à Patre Queſnello edi-
„ ta, adeò ſnnt rugoſa, nt etiam ipſum, eu-
„ jus Encomiaſten agunt, invadant magnum
„ Leonem, aſſeverantia eum, dum ſuæ Ca-
„ thedræ phylacteria ſtudet ampliare, exceſ-
„ ſiſſe in Canones, in Provincialium Syno-
„ dorum jura, in privilegia; & libertatem
„ Eccleſiarum. Quin & ipſum impetit Apo-
„ ſtolorum Principem, ejuſque Divinam po-
„ teſtatem quâ à Chriſto Domino accepit
„ ſolvere omnia; & ſnos in iniquæ damna-
„ tionis ſalo fluctnantes, aut naufragantes
„ fratres confirmare. Romanas totius mundi
„ appellationes contendit eſſe non à Divina
„ majeſtate impertitam Romanæ Cathedræ
„ authoritatem; ſed neſcio quod Hoſii Cor-
„ dubenſis Epiſcopi, & Sardicenſis, non
„ Oecumeniæ Synodi fragile indultum.
„ Quin imò prorumpit ulteriùs; etenim ſcri-
„ bit: *Certiſſimè evincitur Orientales ab Occi-*
„ *dentalium ore tum temporis non pependiſſe*.
„ Eſt diſerta, ac lucida profeſſio Euſebiani
„ Schiſmatis.

Dein pag. 143. „ Hic eſt omnino pri-
„ mus fons, ex quo Paſchaſius Queſnellus,
„ ac ejus Symmiſſæ, potant turbidas aquas,
„ & ex ipſis univerſam Eccleſiam ſtudent
„ contra Apoſtolicam Sedem inebriare.

Pag. 365. „ Paſcbaſius Queſnellus cla-
„ mat etiam, Africanam Eccleſiam nunquam
„ appellaſſe ad Apoſtolicam Sedem, adeò-
„ que has appellariones eſſe novellam uſur-
„ pationem. Hoc ipſum clamat. Joannes
„ Calvinns, Marcus Antonius de Dominis,
„ alijque profeſſi hoſtes Romani Primatûs.

Pag. 608. „ Neſcio quod hominum
„ genus non minori hodie erga Apoſtolicæ
„ Sedis dignitatem odio æſtuat, quàm Mar-
„ tinus Lutherus, aut Joannès Calvinus erga
„ plures Catholicas verirates.

Hanc itaque de ſe, & ſuis cenſuram audiat Queſnellus ab eodem celeberrimo Auguſtini diſcipulo pag. 923. „ Quod *periculo-*
„ *ſa* noviſſimorum dierum tempora immi-
„ neant, plnra vix ſinunt dubitare. Horum
„ characterem nobis jam pridem prædixit
„ Apoſtolus: *Erunt homines ſeipſos aman-*
„ *tes, cupidi, elati, ſuperbi, parentibus non*
„ *obedientes*; Illi præſertim parenti, quem
„ omnis ſub cœlo Eccleſia ſemper appella-
„ vit Patrem Patrum. De Diabolo veriſſimè
„ ſcripſit in libros de Civitate Dei lib. 18.
„ cap. 51. Sanctus Auguſtinns: videns Dia-
„ bolus templa dæmonum deſeri, & in no-
„ men liberantis Mediatoris currere genus
„ humanum, hæreticos movit, qui ſub no-
„ mine Chriſtiano doctrinæ reſiſterent Chri-
„ ſtianæ; quaſi poſſent indifferenter ſinè ulla
„ correptione haberi in civitate Dei, ſicut
„ civitas confuſionis indifferentes habuit
„ Philoſophos inter ſe diverſa, & adverſa
„ ſentientes.

Crediene Queſnellus Clementem XI. ignarum eſſe eorum quæ in damnatis ad Sancti Leonis opera diſſertationibns contra Authoritatem Apoſtolicæ Sedis effutiit? Exiſtimatne Pontificem neſcire, quæ furore æſtuans contra Decretum Sacræ Congregationis Indicis à Clemente X. approbatum ſcripſit? videlicet, *Non eſſe Decretum, ſed libellum famoſum, Divinæ legi, & bonis moribus contrarium; Congregationem illam non eſſe*

ſacram

ſacram : inſtitutam quidem illam eſſe à Pontifice ; ſed non à Sancta Sede .

Ita ſingulas Decreti partes arrodens arguit ineptiæ, ac falſitatis, eâ impudentiâ, cui ſimilis in nullo unquam obſervari potuit, ſaltèm externâ ſpecie catholico, fortè nè hæretico quidem, antequam ab Eccleſiæ communione receſſerit. Neque hunc ſolummodo furorem prodidit in brevioribus illis contra Decretum animadverſionibus, quas nimius dolor ex primo damnationis nuntio conceptus, & rationis attentionem quodammodo præveniens dictarit. Sed irreverentiam, & rebellionem proſecutus eſt majore lucubratione 138. paginarum in folio ſtudioſiùs compoſitâ. Titulus eſt: *Paſchaſii Queſnel Ratio Fidei, &c.* Initium verò lucubrationis: *Sexennium eſt, Eminentiſſimi Eccleſiæ Principes, ex quo meâ qualicunque operâ novis typis prodierunt in lucem Sancti Leonis magni Papæ Primi Opera omnia &c.* Mox ad Romanam cenſuram delapſus: „ De iſtiuſmodi (inquit) Cenſura, etſi iniquiore, jam tunc apud me ſtatueram nihil querelarum in publicum emittere . . . niſi Theologi iſti ſilentii noſtri impatientes, dolenreſque totum illum cenſuræ fragorem in auras prorſus abiiſſe, ad alia fulmina, fulminea inquam ſcripta, animum, dexteramque convertiſſent „ .

Addit : „ pleroſque Conſultores rerum iſtarum (ad antiquitatem, & eruditionem pertinentium) cognitione perparum eſſe inſtructos, &, ſi qui ſint in ea Curia periti, & gnari magis, ad iſtos librorum examen non deferri.

Pag. 17. „ Nec mirum, non cogitaſſe cogitationes pacis qui viam pacis non cognoſcebant, quique jam tunc librum meum cenſorio gladio confixerant . . . interea dum fugitrant in occulto librum immacularum .

Pag. 31. „ Cùm Prælatus ille „ (à Queſnello ad complementum ſatyræ confictus) „ ad amicorum unum, quîcum eo tempore verſabatur, converſus, En, inquit, noſtrorum (Romanorum) eruditionem, en quos Theologos, quos urbs habet iſta Magiſtros : en quos patimur ; patiunturque nobiſcum univerſi Chriſtiani orbis eruditi Cenſores, qui videlicet librorum, quos tam audacter proſcribunt, nè primam quidem paginam, vel de longè aſpexerunt . :

„ Hæc cum refero non inſultantis ; ſed commiſerantis, ac dolentis animo refero. Optarem enim votis ardentioribus, ut, cùm de librorum confixione Romæ agitur, non ſolùm Apoſtolicæ ipſius Sedis, Romanorumque Pontificum judicia . . . ſed alia etiam omnia, quæ illorum authoritatem, ipſiuſque nominis vel umbram præ ſe ferunt, lenta, matura, omnis humani affectûs vacua, ad ſtrictas æqui, & veri legeè exacta, ac librata eſſent : nè authoritas, & dignitas, cui parem nullus mortalium poſſidet, per inconſultas, ac præproperas cenſorum inferiorum cenſuras, hæreticorum ſannis, acriſui pateat, ipſiſque etiam Catholicis non ſinè ratione ſtomachum inſulſæ confixiones moveant „ .

Quæ dum in proceſſu juridico ex Queſnelli manuſcripto Procurator Fiſcalis retulit pag. 338. ſic meritò animadvertit. „ Videmus hic ſummam impudentiam fermento Phariſæorum aſperſam; illud autem quod paulò poſt inferiùs ſubjungit Queſnellus, ad Summum Pontificem orationem ſuam convertens, omnium eſt impudentiſſimum, dum ſic Pontificem affatur : Tali judicio, Beatiſſime Pater, damnatæ ſunt lucubrationes noſtræ, quo nec ipſas probatas vellem ; cùm utrunque ab æquitate pariter abhorreat ; cujus catholicus Theologus non minùs tenax, & ſtudioſus eſſe debet, quàm veritatis . Totus eſt hic igitur Beatiſſime Pater, cenſurarum hujuſmodi fructus, ut & hæreticis patrocinentur, & Catholicos exarment, & ſcriptores ipſos ; quæ humana infirmitas eſt, ad Eccleſiæ Romanæ defenſionem ſegniores efficiant . Hoc etiam exabundanti præſtant, ut ii, qui à Catholica Eccleſia ſegreges facti ſunt, & Curiæ Romanæ infenſiores, in ſua magis magiſque proterv ia obſirmentur . . Quid mirum igitur, Beatiſſime Pater, ſi apud omnes Chriſtianas gentes ejuſmodi Decretorum in dies minuatur authoritas : Quæ ut in integrum reſtituatur, prorſus ſperandum non eſt, niſi diligentiùs Romani Cenſores ab inferendâ catholicis Scriptoribus contumeliâ caveant „ . Habemus præterea epiſtolam Queſnelli ad Pontificem, Authoris ſubſcriptione certiſſimam, Superiori operi perſimilem, nec minore compoſitam temeritate . In hac ita Sanctiſſimum Dominum alloquitur pag. 1. „ Nullus certè apud nos æqui, verique ſtudioſus eſt, qui non moleſtiſſimè tulerit, talia Apoſtolicæ Sedis nomine, & authoritate Decreta emitti, perque univerſum orbem circunferri, in quibus tam parum Sanctæ illius Sedis honori, & exiſtimationi conſultum fuerit.

Pag. 8. ait „ Tali judicio damnatas eſſe lucubrationes noſtras, quali nec probatas vellem, in laudem potius vertitur, quàm in contumeliam.

Sed

Sed paulatim ad recentiora veniamus Queſnellianæ temeritatis ſpecimina, quæ CLEMENTIS XI. in eum *indignationem provocare* meritò debuerint. Occurrit fraudulenta *Defenſio Eccleſiæ Romanæ, & Summorum Pontificum contra Melchiorem Leydecker*, quæ tota ad ſubruendas omnes Sedis Apoſtolicæ contra Janſenium Conſtitutiones ſubdolè adornata eſt.

In ipſa Præfatione inverecundo, & pernicioſiſſimo mendacio aſſeritur, licitum jam omnibus eſſe juramentum juxta formulam Alexandri VII., retinendo ſimul univerſam Janſenii doctrinam, neque neceſſe eſſe illam Janſeniani ſensûs exceptionem in juramento exprimere; jam illam ſatis ab omnibus intelligi.

Non apparet, inquit, *quomodo talis ſubſcriptio poſſit impoſterum nocere veritati* (Janſenianæ) *cum defectus iſte limitationis privatæ ſatìs ſuppleatur limitationibus neceſſariis, quæ modò publicæ ſunt, & paſſim cognitæ in ſcholis, & Eccleſiâ universâ, nemine in dubium vocare amplius auſo, præter aliquos tricarum, & commodorum ſuorum putidè amantes*. In ipſo opere pag. 103. ait: *Ut hodie res ſitæ ſunt, examinandum Catholicis non eſt, an Pontifex Propoſitiones 5. Janſenio adſcribat, neque an in ejus ſenſu illas damnaverit*. pag. 3. *Condemnando illas ſecundùm ſe, in ſenſu obvio, pleniſſimè ſatisfit ſenſui formulæ, & ipſiuſmet Alexandri VII. atque hoc firmiter tenendum eſt*. pag. 142. *Tempore Innocentii X. communi quidem famâ Romæ attribuebantur quinque Propoſitiones Janſenio, ex ſolis adverſariorum relationibus, nullo libri ejus facto illic examine*. Quod Queſnellus ſat noverat *falſum patenſque mendacium*, in Vicariis Pariſienſibus tanquam *malorum zizaniorum in agro Domini ſeminatoribus; Eccleſiæ Catholicæ perturbatoribus*, & quantum in ipſis erat *authoribus turpiſſimi ſchiſmatis*, ab Alexandro VII. in Apoſtolico Brevi fuiſſe reprehenſum. Declarationem quoque illorum, ſive *Edictum ſtatim abrogari* Pontifex juſſit; *Nè*, inquit, *Sanctæ hujus Sedis indignationem, & authoritatis vim experiamini, memores verborum Domini: omnis qui ceciderit ſupra illum lapidem, conquaſſabitur: ſupra quem ceciderit comminuet illum*. Poſt tam horrificam Summi Pontificis ſententiam audet Queſnellus *falſum illud, patenſque mendacium* imperterritus inſtaurare, & quidem in opere, quod velut ad *Sedis Apoſtolicæ, & Romanæ Eccleſiæ* ludibrium, utriuſque vocat contra hæreticos *defenſionem*. Legit in eodem Brevi intentatam *Sanctæ Sedis indignationem*, niſi ſtatim mendacium retractetur; ipſe minas, & authoritatem omnem nihili faciens, illud impudentiùs teſtituit, atque confirmat. Non itaque cauſetur adverſantium ſibi *provocationes*, quaſi illis, non ſuis criminibus moveri in ſe potuerit *tanti Pontificis indignatio*. Pergit Queſnellus in eodem mendacio pag. 202. *Supponamus*, inquit, *Pontifices in hujus facti dogmatici examine fuiſſe deceptos, quod neque Innocentio X., neque Alexandro VII. accidit, quia certum eſt, quod illud nunquam examinaverint*.

Alexander VII. Decreto anni 1657. 6. Sept. poſt multa ſcripta Janſeniana *prohibet folia, quorum titulus eſt: Tredecim Theologorum ad examinandas quinque propoſitiones ab Innocentio X. Selectorum ſuffragia, ſeu ut appellant, vota Summo Pontifici ſcripto tradita*: & ſimul *declarat, ac decernit iis tanquam apocryphis nullam fidem eſſe adhibendam, nec à quocunque allegari poſſe, vel debere*. Queſnellus, contemptâ Summi Pontificis prohibitione, ac declaratione, ſuffragia illa rurſus typis imprimi curat, & *defenſioni Romanæ Eccleſiæ, ac Summorum Pontificum* integra inſerit pag. 399. & ſequentibus.

Non minore temeritate pag. 149. aſſerit *injuriam irrogari Pontificibus, ſi quis eis tribuat alicujus Novi Teſtamenti Gallici, vel etiam Miſſalis Romani Gallicè verſi prohibitionem ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ*. Minimè verò latère Queſnellum potuit, quod Clemens IX. anno 1668. ſic prohibuerit Novum Teſtamentum Gallicum Montibus Hannoniæ editum, & Alexander VII. 1661. Miſſale Romanum ſimiliter Gallicè verſum.

Quæ quidem falſa *Romanæ Eccleſiæ defenſio* à CLEMENTE XI. damnata, edita fuerat tempore Pontificatûs Innocentii XII.; ſed non minùs ſucceſſoris ejus promerita eſt *indignationem*.

CAPUT X.

Proſecutio contra eundem Epiſtolæ paragraphum ex ſcriptis Queſnelli CLEMENTE XI. *Pontifice*.

PRIORA delicta gravioribus ſub ipſo CLEMENTE XI. facinoribus ſuperavit adeò, ut notam ejus clementiam ſtudio irritare, aut non obſcurè contemnere videatur. Veniamus itaque ad impia ejus contra Sedem Apoſtolicam, contra Eccleſiam, ac ſanam doctrinam recentiora molimina. De hoc potiſſimùm tempore agit copioſiſſimus *Cauſa Queſnelliana* Articulus ſecundus hoc titulo, *quod in Belgio Catholico ſub veſte laica, & in vicinis Provinciis plures turbas, & diſſidia excitarit: presbyteros excitarit contra*

pro-

proprios Epiſcopos, Clerum Batavicum impulerit adverſùs ſummum Pontificem. Poſt impletas probationibus paginas plures, quàm centum, & quadraginta, Procurator Fiſcalis meritò ſic contra reum concludit pag. 162.
„ Nunc ex noxiis Queſnelli ſcriptis, ex ſedi-
„ tioſis ejus conſiliis, ex ſchiſmatica illa re-
„ ſolutione, in vineam illam Domini, Miſ-
„ ſionem Hollandicam talis inducta fuit ca-
„ taſtrophe, ut ipſi Acatholici, ſatentes in
„ ſynodis ſuis Dordraci, Hagæcomitis, &
„ Middelburgi quondam habitis, quod Mi-
„ niſter Eccleſiæ per ſuperiorem ſuum omni
„ juriſdictione, & functione Eccleſiaſticâ
„ privari poſſit, graviter indignentur ob
„ unius Vicarii depoſitionem tantas in popu-
„ lo excitari commotiones, atque ut omnes
„ illi, qui ante adventum Arnaldi, Queſnel-
„ li, Gerberonii, & aliorum è Gallia profu-
„ gorum, Eccleſiam Batavicam (Piam, Sedi
„ Apoſtolicæ morigeram, ab hæreſi, & an-
„ nexis novitatibus abhorrentem) florentiſ-
„ ſimam conſpexere, altum ingemiſcant,
„ petantque cum admiratione: *Haccine eſt*
„ *illa Jezabel*? 4. Reg. cap. 9. Afflictiſſimæ
„ huic Eccleſiæ, Illuſtriſſime ac Reverendiſſi-
„ me Domine Judex, cæterique Domini Aſ-
„ ſeſſores, veſtri judicii æquitas ſuccurret,
„ dum publica ſententia, quâ Queſnellus de-
„ clarandus eſt turbarum in fœderato Bel-
„ gio concitator, authoritatem ejus apud
„ cordatiores è clero infringet, vel ſaltèm
„ diminuet, ut tantum nocere deſinat Lu-
„ pus ille rapax ſub veſtimento ovis latitans,
„ qui myſticum Chriſti corpus ſeditioſis ſuis
„ ſcriptis tam turpiter dilaceravit, & mem-
„ bra corporis illius Schiſmaticâ ſuâ reſolu-
„ tione inobedientiam inſpirante, à capite
„ ſuo avellere non extimuit. Ruminandum
„ hâc in parte diu non erit, cùm ſecundum
„ edicti mei Articulum luce meridianâ cla-
„ riùs per plurima, & anthentica documen-
„ ta comprobaverim, oſtenderimque apertè,
„ Queſnellum eſſe *publicæ tranquillitatis per-*
„ *turbatorem*. Nunc, licèt non tam amplè,
„ ſaltèm æquè clarè, eum exhibebo *filium*
„ *iniquitatis*, erroribus Bajanis & hæreſi Jan-
„ ſenianæ involutum.

Schiſmatica Queſnelli reſolutio, cujus Procurator Fiſcalis meminit, & quam meritò ſacrilegam ſimul appellaſſet, ſola abundè ſufficit, ut cujuſvis Catholici, multo magis Apoſtolicæ Sedis contra eum *indignationem provocet*. Quid enim horribilius, & magis in Eccleſiâ inauditum, quàm quòd presbyter, ſingularem profeſſus vocibus, & ſortè moribus affectans pietatem, à compresbyteris ſcripto rogatus, num contra Pontificiam de Vicario Apoſtolico, & ejus Provicariis diſpoſitionem, non liceat ſalvâ conſcientiâ, recurrere ad magiſtratus hæreticos, reſpondeat, ſinè dubio licère? Verba quæſtionis & reſolutionis ex Gallico vertam. *Prima quæſtio eſt, an in præſenti occaſione liceat ſalvâ conſcientiâ confugere ad Superiores Proteſtantes*. Ad quam Queſnellus prolixâ oratione reſpondit, affirmando. Inter cætera pag. 2. *Evidens*, inquit, *eſt, Præpoſitos Batavicis Provinciis plus rationis habere, quàm Romanæ communionis Principes, ut examinent Decreta, quæ à Romana Curia ad has Provincias deſtinantur: plus quoque rationis habere timendi, nè illa Curia aliquid moliatur contra bonum Reipublicæ; quia aſſiduum illic Monachorum ſtudium eſt, ut introducant quidquid grave eſt ſub jugo Romanæ Curiæ, quæ etiam induſtriam ſuam, & labores eò dirigit, ut ſuum in illis Provinciis ſtabiliat dominatum*.

Pag. 3. *Proteſtantes ſunt indubiè magis idonei, ut judicent de cauſa Sebaſteni, ejuſque Paſtorum*. Sic non pudet prætenſum Auguſtini diſcipulum, imò totius novæ factionis oraculum aſſerere, quòd ad laicos, & hæreticos Proteſtantes potiùs, quàm ad Sedem Apoſtolicam pertineat de Sebaſteni, & ei adhærentium Sacerdotum dogmatibus, & praxi judicare! Quod adeò enorme flagitium, cùm inter Catholicos hactenus inauditum ſit, ſolum ſufficit ut graviſſima Pontificis, & totius Eccleſiæ contra conſultorem peſſimum *excitetur indignatio*. Quid eſt immunitatem Eccleſiæ proſtituere, ſi hoc non ſit? Sed adversùs mandata quælibet, cenſuras, & anathemata pridem audax caput obduruit: necdum ſtatim finis.

Sanctiſſimus Dominus noſter Clemens XI. cum Congregatione S. Officii Decretum condidit anno 1704. die 3. Aprilis, quo *Declarationem & Reſponſiones* damnavit, *uti continentes doctrinas, & aſſertiones, ut minimùm ſuſpectas, ſingulares, & Eccleſiaſticis Conſtitutionibus repugnantes, quibus Chriſtifideles in jam damnatos errores induci, ac pravis opinionibus inſici poſſent; Ipſum verò R.P.D. Archiepiſcopum Sebaſtenum, eò quòd poſt diuturnam ac plenam totius cauſæ diſcuſſionem Apoſtolicæ Sedi, quoad ea de quibus fuerat denuntiatus, ut prætertur, minimè ſatisfecerit, ab omni Hollandicarum Miſſionum regimine, dudum ei ad ejuſdem Sedis beneplacitum commiſſo, & à quo nuper ſuſpenſus fuerat, penitùs removendo*. Contra hoc Pontificis Decretum Queſnellus infame ſcriptum Gallicè edidit *Monita Sincera ad Fœderatarum Provinciarum Catholicos*. Præmittitur operi præfatio prolixa, & ut conformis eſſet operi, abſurdiſſima, cujus Author loquitur

quitur tanquam diverſus à Scriptore *Monitorum*. Præfatio autem ferè tota continet Vindicias Epiſcopi Alectenſis, ut parallelum inſtituat inter ipſum, & Archiepiſcopum Sebaſtenum. Ibi dicuntur *Cenſores Romani plurimùm obcæcati, ſi librum illius Antiſtitis prohibendo exiſtimaverint ſe honori conſuluiſſe Sedis Apoſtolicæ. Quomodò enim perſuadere ſibi potuerunt magnam habendam rationem prohibitionis, quam pravus animi dictaverat affectus, adjudicans librum incendio, ad ſumendam de ſancto illius Authore Epiſcopo ultionem?* Quos hic Scriptor plurimùm obcæcatos vocat Cenſores, eſt ipſe Clemens IX. Pontifex. Non enim S. Inquiſitionis Decreto; ſed Pontificio Diplomate liber Alectenſis proſcriptus eſt, & ad rogum damnatus ob rationes graviſſimas illic expreſſas.

Pag. 14. *Succeſſum habere poterat Romanorum ſubdola agendi ratio, ſi omnes, quibus vel minimum luminis eſt, faſcinare potuiſſent, nè viderent illos ad incitas redactos, & eorum agendi modum eſſe, quantumcunque invitam, convictæ injuſtitiæ confeſſionem.* Ibid. *Epiſcopi Alectenſis memoria ſemper in benedictione erit, nequidquam obſtantibus cenſuris, quas ſibi Sancti gloriæ ducunt cum S. Paulo, ſicut Crucem, & Stigmata Salvatoris.*

Hactenus Præfatio: tempus eſt ut & ipſa *Monita* audiamus, pag. 67. *Tam juſta erat Archiepiſcopi Sebaſteni cauſa, ut ubicunque nacta foret judices non ſuſpectos, triumphatura fuiſſet ejus innocentia.*

Pag. 68. *Affligit Romana Curia Archiepiſcopum, cujus morum ſuavitas devinciret ſibi animos Schytarum, & Arabum; quanvis tam reus eſſet, quàm conſtet eſſe innocentem.* Ita Queſnellus CLEMENTEM XI. depingit velut Schytis, Arabibus, (& quibus non barbaris?) crudeliorem.

Pag. 71. *Sebaſtenus, & ejus Provicarii, ab officio amoti, poſſunt ac debent ad Reipublicæ Hollandicæ Præfectos recurrere, ut eorum ſtabiliantur poteſtate.* Unde patet hunc Queſnelli librum poſteriorem eſſe manuſcriptâ reſolutione ſuperiùs allegatâ; Non enim Heuſſenius Exprovicarius Queſnellum conſuluiſſet, num ad Proteſtantes Præpoſitos pro convellenda Romani Pontificis diſpoſitione confugere liceat, ſi ante ab eodem ſuo Oraculo definitum vidiſſet, non ſolùm licitum eſſe, ſed etiam præceptum. Subintellige lector præceptum novæ Eccleſiæ, & anti-Romanæ. Quis enim in Romana à prima ſua inſtitutione iu hæc uſque tempora unquam quid ſimile legit traditum, vel uſu à Fidelibus receptum? Quid ſi primi Chriſtiani, apud quos vigebat magis ſincera pietas, & ſubmiſſio, audiviſſent à novo, & peregrino quopiam fidei præcone doceri veluti licitum, & præceptum, contra Apoſtolorum Principem, & Eccleſiaſtica ejus Statuta infidelium Magiſtratum concitare, atque hujus authoritate mandata Petri ſubruere? Quanto horrore perculiſſet doctrina tam peſtilens teneros animos, & quàm diro Petrus eam cum Authore mox anathemate percuſſiſſet?

Pergit Queſnellus pagina 74. „ Si cui „ Pontifici lubuerit deprimere aliquem Epi„ ſcopum ad favendum Religioſis, prout con„ tigit S. Pontii, & aliis Epiſcopis, quando „ caſus tulerit, ut non niſi duo ad Congre„ gationem convenerint Cardinales, ambo „ forſitan Religioſi, eſtne veriſimile fore ut „ hi audeant reſiſtere Pontifici, cujus perſpe„ cta eis fuerit propenſio „? Jam non amplius lapſus Pontificis tribuitur vitio miniſtrorum; ſed horum injuſtitia Pontificiæ voluntati.

Pag. 92. „ Utinam illi ad quos pertinet „ ſtylus, ſeu compoſitio Papalium Decreto„ rum, magis memores eſſent demiſſionis, & „ manſuetudinis, quæ fuit in Sancto Petro! „ Hic verò omnia ſapiunt dominatum, nihil „ paterni eſt „. O ſi Queſnello Decretorum Papalium cura incumberet, quàm omnia illic ſpirarent Janſenianam charitatem, modeſtiam, & bonam fidem!

Pag. 98. „ *Declaratio, & Reſponſiones* „ Sebaſteni plenæ ſunt ſapientiâ, modera„ tione, doctrinâ integerrimâ, & nulli ob„ noxiâ reprehenſioni. Decretum Romanum „ tam eſt Ænigmaticum, quàm Idolorum „ Oracula „.

Pag. 123. „ Ergone in conſpectu Prin„ cipum Apoſtolorum agi debuit contra Ar„ chiepiſcopum, quod Paganos Imperatores „ contra Chriſtianos Idolorum ſuorum ho„ ſtes facere puduiſſet „?

Pag. 132. „ Talis Vicarius Apoſtolicus „ non magis obſtringi poterat, ad cedendum „ Vicarii munere, quàm Pontifex, ac cæteri „ Chriſti vicem gerentes adigi valeant ad „ dimittendas Sedes „.

Pag. 137. „ Eſt illud judicium ſinè for„ ma, dejectio de gradu ſinè juſtitia, zelus „ ſinè charitate. Ergone dum juſtitiæ janua „ aperitur in Belgio, occluſam manere opor„ tuit Romæ „?

Pag. 141. „ Vellent quidem Romani, „ ut illud judicium ſuum nobis venerationi „ eſſet, ut de eo nulla audiretur querela; „ ſed ei ſubſcriberent univerſi. Faciat iſtud, „ qui voluerit complicem ſe reddere injuſti„ tiæ adeò manifeſtæ; verùm omnes, quibus „ aliquid luminis, & religionis eſt, ingemi-

„ ſcent animo, & ubicunque opportunum
„ fuerit, ſonoris queſtibus Indulgebunt.

Pag. 150. „ Eſſet ignominiam inferre
„ S. Sedi, tale ei adſcribere Decretum. De-
„ beremus igitnr omnes unanimes totis vi-
„ ribus contendere ad obtinendum, ut illa-
„ ta injuria reſarciatur „. Sic Author ubique ſeditioſus.

Pag. 165. „ Novum inſtituatur exa-
„ men; ſed dentur judices non ſuſpecti de
„ colluſione cum hoſtibus: non ſint ex Ro-
„ mana Curiâ; ſed ex Viciniis.

Ita audax Queſnellus Congregationem de Propaganda Fide, alteram S. Officii, & ipſum Pontificem, Decreta utriuſqne Congregationis approbantem, injuſtitiæ palàm arguit: A Supremæ Authoritatis Sanctionibus appellat ad inferioris ordinis judices, à Romanis ad Belgicos; neque judices pateretur Epiſcopos, ſaltèm ditionis Hiſpanicæ, ſen Cæſareæ; ex Doctoribus verò, vel Canonicis, non alios qnàm anti-Pontificios; nam cæteri Queſnello de *colluſione cum hoſtibus*, & potiſſimùm cum Romana Curia *ſuſpecti ſunt*. Meminerit autem ejus quod aſſeruit pagina 67. *Sebaſtenum à Pontifice petiiſſe, ut ſua cauſa ad S. Officii tribunal deferretur: atque illius ſtaretur judicio*. Benignè annuit Sanctiſſimus Dominus petitioni; etſi cauſa illa in alia ſingulari à Pontifice conſtituta Congregatione diu diſcuſſa, ac judicata contra Sebaſtenum fuiſſet, decretâ ejus à Vicarii Apoſtolici officio ſuſpenſione. Sacræ autem Inquiſitionis Tribunal novo, ac maturo inſtituto examine, *Declarationem* ejus, & *Reſponſiones* gravibus cenſuris notandas cenſuit; Authorem verò antea ſuſpenſum, nunc à Vicarii munere penitùs amovendum. In eandem ſententiam ivit CLEMENS XI. atqne ita Supremâ ejus Authoritate Decretum prodiit.

Iterum hic qnemlibet Lectorem Catholicum arbitrum poſtulo, num Queſnellus meritò conqueratur in Epiſtola ad CLEMENTEM XI. qnod *Sæpe tentatum ſit, ut in ſe tantillum hominem tanti Pontificis provocaretur indignatio*. Mihi certè S. Bernardi contra Abailardum reſponſio rurſus inpromptu eſt: *Non ego accuſo eum apud Patrem: eſt qui eum accuſet, liber ſuus*; à quo ſcribendo indubiè continuiſſet manum, ſi *conſcius* ſuæ, quam in Epiſtola profitetur *tenultatis*, ſe *tantillum hominem* meminiſſet. Sed nimis inveterata ſuperbia, majore confuſione corrigenda eſt. Quare etiam graviora alterius ſcriptionis ejus poſterioris facinora, brevi à me collecta indice exhibenda ſunt.

Anno 1707. die 4. Octobris comparnit non Decretum Congregationis Cardinalium; ſed Apoſtolica CLEMENTIS XI. Pontificis Maximi, *Ad perpetuam rei memoriam* Bulla, in qua recenſitis longâ ſerie libellis pro Sebaſteno contra Sedis Apoſtolicæ diſpoſitionem editis, ſic Pontifex proſequitur: „ Au-
„ ditis itaque memoratorum Cardinalium,
„ qui relatas ſibi ſuper iiſdem libellis plu-
„ rium in Sacra Theologia Magiſtrorum cen-
„ ſuras diligenter perpenderunt, ſententiis,
„ ereditum nobis à Domino Paſtoralis curæ,
„ atque vigilantiæ munus, quantum Nobis
„ ex alto conceditur, ſalubriter exequi cu-
„ pientes, de eorundem Cardinalium con-
„ ſilio, ac etiam motu proprio, & ex certa
„ ſcientia, & matura deliberatione noſtris,
„ deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine,
„ non modò omnes, & ſingulos ſupradictos
„ libellos, utpote multa falſa, calumnioſa,
„ Apoſtolicæ Sedi, ejuſque miniſtris inju-
„ rioſa, piarum aurium offenſiva, ſcandalo-
„ ſa, temeraria, erronea, atque in apertum
„ ſchiſma tendentia reſpectivè continentes;
„ verùm etiam omnes, & quoſcunque alios
„ libros, libellos, epiſtolas, & alia quævis
„ opera, ſeu opuſcula directè, vel indirectè
„ adversùs præfatnm noſtrnm Decretum re-
„ motionis ſupradicti Petri Archiepiſcopi,
„ nec non damnationis, & prohibitionis me-
„ moratarum ejus ſcriptionum quocunque
„ idiomate hactenus edita, &, ſi quæ impo-
„ ſterum edi contigerit, tenore præſentium
„ damnamus, & reprobamus, ac pro damna-
„ tis, ac reprobatis perpetuò haberi debere
„ decernimns. Ac proinde omnium, & ſin-
„ gulorum, tam ſupra deſcriptorum, quàm
„ aliorum quorumlibet ſimilium libellorum,
„ librorum, epiſtolarum, operum, ſeu opu-
„ ſculorum impreſſionem, deſcriptionem,
„ lectionem, retentionem, & uſum omnibns,
„ & ſingulis Chriſtifidelibus, etiam ſpecifi-
„ câ, & individuâ mentione, ac expreſſione
„ dignis, ſub pœnâ excommunicationis, per
„ contra facientes ipſo facto, abſque aliâ
„ declaratione incurrendâ, à qnâ nemo à
„ quoquam, præterquam à nobis, ſeu à Ro-
„ mano Pontifice pro tempore exiſtente, niſi
„ In mortis articulo conſtitutus, abſolutio-
„ nis beneficium valeat obtinere, omnino
„ inrerdicimus, & prohibemus: Volentes,
„ & Apoſtolicâ authoritate mandantes, ut
„ quicunque libros, libellos, epiſtolas, ope-
„ ra, vel opuſcula prædicta, vel eorum ali-
„ quod penès ſe habuerint, illa, ſeu illud
„ ſtatim atque præſentes literæ eis innotue-
„ rint, teneantur tradere, atque conſignare
„ locorum Ordinariis, vel Hæreticæ pravita-
„ tis Inqniſitoribns, qui exemplaria ſibi ſic
„ tradita illico flammis aboleri curent. Inſu-

„ per

„ per ſub pari excommunicationis pœna in„ terdicimus ſimiliter, & prohibemus, nè „ quis in concionibus, lectionibus, aut aliis „ ad populum ſermonibus prædictum noſtrum Decretum in cauſa memorati Petri „ Archiepiſcopi, ſummâ quidem maturitate, „ & juſtitiâ editum, ullo tempore, vel quovis „ prætextu impugnare præſumat, vel eidem „ quomodolibet auſu temerario contraire.

Ita Clemens XI. Pontifex ex certa ſcientia, & de plenitudine poteſtatis ſtatuit, ac decernit. Sed quid Anti-Pontificius Queſnellus? Furore æſtuans mox calamum arripit, & librum parat non exiguum in annum proximum videlicet 1708. hoc titulo: *Divers abus, & nullitez du Decret de Rome.* Ideſt, *Abuſus varii, & nullitates Decreti Romani dati 4. Octobris 1707. circa res Eccleſiæ Catholicæ in Belgii Batavici Provinciis.*

Pag. 8. „ Non amplius (inquit Queſnellus) illicitum eſt hoc tempore de Romanæ „ Curiæ judiciis conqueri, quando videmus „ illic innocentiam, & juſtitiam oppreſſam.

Pag. 11. „ Inter illos, quibus ſcatet Ro„ mana Curia, homines cupidos, & ſuis po„ tiùs inhiantes commodis, quàm Eccleſiæ „ juxta Evangelium, Sacros Canones, & ju„ ſtitiam, adminiſtrandæ ſtudioſos, ſunt illi „ Scriptores Cenſurarum, Decretorum, & „ Brevium.

Pag. 21. „ Abſolutiſſima, & abundans „ Præſulis defenſio eſt, quòd Roma accuſa„ tum audire in ſuis noluerit Apologiis: qui „ error proculdubio tolerari non poteſt: Sed „ expreſſam contra eum in Decreto ſenten„ tiam prorſus nullam reddit, atque irritam.

Quandonam unquam in Eccleſia, aut Republica licitum fuit, poſt auditum in judicio reum, quantum, imò plus quàm audiri voluit (quod Sebaſteno obtigit toto quo in urbe moratus eſt biennio) quandonam, inquam licuit poſt cauſam ſupremæ Authoritatis ſententiâ terminatam, judices odioſis apud plebem ſcriptis laceſſere, & quaſi plebis ſuffragiis velle contra Principes, & Supremi Tribunalis ſententiam prævalêre?

Pag. 23. „ Ad implendam iniquitatis „ menſuram neceſſe fuit digniſſimi Præſulis „ *Declarationem*, & *Reſponſionem* iteratæ poſt „ triennium cenſuræ novâ maculâ aſpergi; „ Sed nova illa ſanctio, æquè violenta ac „ prior, in hoc verò ſceleſtior eſt, quod dam„ net opuſcula, quibus prioris Decreti in„ juſtitia demonſtrata eſt: Quæ demonſtratio „ debuiſſet pudore ſuffundere Authores in„ juſtitiæ, & eis ſaltèm indixiſſe ſilentium „. Ita *tantillus homo* Queſnellus, & ſuæ *tenuitatis conſcius*.

Pag. 27. „ Poteratne Epiſcopus ſilere „ laceſſitus publicè, tanto dedecore, tam ra„ tionis omnis inope accuſatione, quâ non „ ipſe ſolus, ſed univerſus in ipſo Epiſcopo„ rum ordo læditur? Silentium ejus maniſe„ ſta fuiſſet prævaricatio „. Epiſcopalis ſcilicet Dignitatis cura Queſnellum angit. Fuitne Epiſcopalis Ordo læſus damnatione Sergii Monothelitæ, & tot Arianorum, ac Pelagianorum Antiſtitum? In ſolo ſcilicet poſt Janſenium Sebaſteno Epiſcopalis Ordo patitur: Sed non paſſus eſt in damnatione dogmatum Cameracenſis Archiepiſcopi, à quibuſdam Epiſcopis, adeò etiam Queſnello venerandis, poſtulatâ, tanto plauſu à Queſnello exceptâ, atque ipſi Antiſtiti acerbis ſcriptionibus exprobratâ. Non patitur Epiſcopalis Ordo in quadraginta Præſulibus, quos Queſnelliani, ob Documentum Paſtorale contra 101. proſcriptos à Clemente XI. articulos, tot inſectantur contumeliis. Prætereo Illuſtriſſimos Lucionenſem, & Rupellenſem, alioſque tot verborum aculeis, & publicarum Denuntiationum jaculis à Queſnelli defenſoribus impetitos. Sed nemo pejùs de Epiſcopali ordine meritus eſt, quàm Queſnellus, non ſolùm infami epiſtolâ, quam pro damnato *Conſcientiæ caſu, Epiſcopum* mentiens ſcripſit; Sed maximè quando Epiſcopos plures à Summo Pontifice, à fide Eccleſiæ avellere, atque in diri ſecum ſchiſmatis, & hæreſeos barathrum pertrahere indies molitur. Ibidem pergit Queſnellus, & cenſuram Pontificiam vocat *brutum fulmen*. Eâdem paginâ de Romanis Cenſoribus ait: „ Semper eſſe mutos in „ allegandis factis, ſeu propoſitionibus, quæ „ confuſis eorum ſanctionibus feriuntur; at „ eloquentes, & phraſibus plusquàm opor„ teat copioſos, quoties ſibi ſtatuunt quem„ piam contumeliis proſcindendum „. Non prævidit tunc tam falſus vates, quàm doctor erroneus ſolvendas importunis ſuis provocationibus linguas, & proferendos plures ſuos hæreticos, & aliis reſpectivè cenſuris notatos articulos.

Pag. 53. „ Si Cenſores indicaſſent ſin„ gulas, quas feriunt, Propoſitiones: ſi affixiſ„ ſent ſingulis cenſuras proprias, non du„ bito quin adhuc facilius fuiſſet cenſuras „ omnes in ipſos retorquendo convertere „ Cenſores; ac demonſtrare, quòd penès „ ipſos ſit falſitas, contumelia, calumnia, in„ juſtitia, ſcandalum, temeritas, error, & „ ſchiſma: Præterea quòd quicunque do„ ctrinis, & veritatibus traditis in Sebaſteni, „ & ei adhærentium lucubrationibus offen„ duntur, parum illuſtratum habeant intel„ lectum. Denique, quòd *aures* in Decreto

„ *pia* appellatæ, minimè ad judicandum ſint
„ idoneæ, atque earum ſcandalum puerile
„ ſit, inſtructionem quidem exigens, ſed non
„ ut propter illud canon, ac juſtitia deſera-
„ tur „. Ita novæ Eccleſiæ, novæ Fidei, ac
Religionis arbiter ſe ſupra Romanum Ponti-
ficem Queſnellus erigit.

Pag. 73. „ Satis apparet ſtylum iſtiuſ-
„ modi Brevis eſſe Jeſuiticum: Ac peſſimè
„ conſuleret honori Sedis Apoſtolicæ, qui
„ ejus compoſitionem Succeſſori Principis
„ Apoſtolorum tribueret. Breve illud veriſ-
„ ſimè dici poteſt origo diviſionis, & ſchiſ-
„ matis. Iterum dico diviſio iſta fœtus eo-
„ rum eſt, qui Breve progenuerunt.

Pag. 71. „ Non poteſt placere Romanæ
„ Curiæ, quod ei objicere cogamur, & quod
„ totus orbis clariſſimè perſpiciat domina-
„ tûs ambitum, qui in univerſis Romanæ Cu-
„ riæ actibus principem locum tenuit ab ini-
„ tio controverſiæ Sebaſteni uſque in præ-
„ ſentem diem. Ambitus ille in omnium le-
„ gentium oculos ſingulis Decreti periodis
„ inſilit.

Pag. 109. „ Nullus ampliùs Romæ eſt
„ Cardinalis Norîſius: Videtur vir tantus
„ omnem antiquitatis Eccleſiaſticæ noti-
„ tiam ex tota Italia ſecum ad Superos ab-
„ duxiſſe. Quamvis nec ipſe in ſequendo
„ hujus luminis ductu conſtans fuerit: adeò
„ regionis illius aër contagio obnoxius
„ eſt „: Credo tamen Queſnello, & Arnal-
do futurum fuiſſe longè ſalubriorem, quàm
Hollandicum. Reperiſſet illic eminentem
Eccleſiaſticæ antiquitaris non in ſolo Nori-
ſio eruditionem, nec magis eo mortuo extin-
ctam, quàm cum Arnaldo, & Queſnello è
Gallia profugientibus, tota Galliis exceſſe-
rit loquendi, & ſcribendi peritia.

Pag. 130. „ Si deſcribendæ eſſent ex-
„ plicationes, quas paſſim Canonum inter-
„ pretes *Plenitudini* illi *poteſtatis* attribuunt,
„ implendum eſſet volumen maximum, unde
„ non alia emergeret utilitas, quàm ut om-
„ nium oculis exponerentur humani inge-
„ nii aberrationes incredibiles, & exceſſus
„ adulationum, aut ignorantiæ ad ſtultitiam
„ uſque, & blaſphemiam pertingentes.

Pag. 155. „ Interpretando *Poteſtatis*
„ *Apoſtolicæ plenitudinem*, quæ in Decreto
„ anni 1707. memoratur, & prout in Bullis
„ Pauli IV. Pii V. & aliorum Pontificum, uti,
„ & in Brevi CLEMENTIS XI. ad Regem
„ Galliæ 1706. intelligitur, apparet Roma-
„ nam Curiam illis vocibus abolêre jus præ-
„ cipuum Ordinis Epiſcopalis, & velle An-
„ tiſtites redigere ad ſortem infimam; quaſi
„ aliud ad eos non pertineat, quàm ſimplex
„ Romanorum mandatorum executio, &
„ obedientia ſervilis.

Cur non dicit obedientiam, qualis fide-
lium ſubditorum eſt erga Principem, Reli-
gioſorum erga Prælatum, Domeſticorum er-
ga Patrem familias, uxorum erga maritos,
orphanorum erga tutores, filiorum erga
parentes? Sed homini, ſeditiones, & ſchiſ-
mata meditanti, odioſiſſima ſemper magis al-
lubeſcunt nomina. Quid enim ſeditioſis, &
rebellibus magis familiare eſt, quàm Princi-
pem de tyrannide accuſare, quaſi velit ſub-
ditos in viliſſimam mancipiorum redigere
ſervitutem?

Pag. 187. „ Iſtiuſmodi enuntiationibus
„ Decreti læditur authoritas Epiſcopalis pa-
„ riter, & Regia; quia nulla Conſtitutio po-
„ teſt obtinere vim legis in quocunque Re-
„ gno, niſi priùs ritu ſolito illic promulgata
„ fuerit; neque promulgari poteſt niſi autho-
„ ritate Principis. Si lex Eccleſiaſtica ſit,
„ præter authoritatem Principis, aut ejus
„ Senatûs, neceſſaria eſt facultas Epiſcopi,
„ poſtquàm cum Eccleſiaſtico ſuo Senatu
„ judicaverit, legem Eccleſiæ ſuæ eſſe uti-
„ lem, & nihil continere juri ſuo, Diœce-
„ ſeos tranquillitati, aut commiſſarum ſibi
„ ovium ſaluti adverſum „: Unde Queſnel-
lo judice, nulla Pontificis Conſtitutio, nulla
lex, etiam Concilii Oecumenici obſtringere
unquam poterit Angliam, Hollandiam, Da-
niam, Sueciam, Moſcoviam; Quandonam
enim Pontificia, aut Synodica Conſtitutio à
Principe, vel Senatu ibi promulgabitur? Ab
omnibus pariter novis legibus, ac fidei defi-
nitionibus abſolventur Chriſtiani, quicun-
que in Epiſcopum inciderint hæreticum, vel
hæreticis patrocinantem. Neque jam Epi-
ſcopi, niſi cum Senatu ſuo Eccleſiaſtico, fidei
judices ſtatuuntur. Contra illa CLEMENTIS
XI. in Decreto verba, *in Concionibus*, *Cate-
chiſmis*, *Lectionibus*, *aut aliis ad populum ſer-
monibus*, invehitur Queſnelli audacia, ſicut
aliàs contra Decretum S. Congregationis In-
dicis, quo feriebantur ejus in Leonis Magni
Opera *Notæ*, *ac Diſſertationes* „: Mandatum
„ (inquit) bonis moribus adverſatur; illi
„ autem, qui Pontificem induxere, ut excom-
„ municationem ſtringeret in tranſgreſſo-
„ res, habent cur ſibi metuant, nè fulmen
„ iſtud in ſua capita convertant, atque in
„ Supremi Numinis Tribunali velut hoſtes
„ Eccleſiæ puniantur „. Quis hæreticus,
aut ſchiſmaticus adversùs Eccleſiæ Miniſtros,
& condemnationis ſuæ Authores tantundem
effutire non poterit?

Pag. 216. „ Semper res Eccleſiæ in pe-
„ jus ruerunt ex quo tempore Romana Curia
„ ſibi

„ ſibi attrahere cœpit univerſa; ubique cre-„ vit morum corruptio: ubique relaxatio di-„ ſciplinæ„. Mallet ſcilicet Queſnellus, mallent cæteri novarum hæreſum artifices, ut Romani Pontifices intrà Romanæ Diœceſeos limites curam reſtringerent; reliquarum verò ſibi commiſſarum à Chriſto ovium ſolicitudinem à ſe abdicantes, transferrent penitùs in Epiſcopos, ut ſupremam in ſuis ſinguli Eccleſiis exercerent in poſterum authoritatem. Iſtud ſibi commodum indè promittunt hæretici, quòd ubicunque aliquem incautum in ſua retia pertraxerint Antiſtitem, ejus tuti patrocinio neminem metuerent ſuis molitionibus obſiſtentem; nullis aliunde imperiis, minis, correptionibus coërcerentur, ab omni anathemate ſecuri. Tum nempe mores corrigent, inclinatam tunc erigent diſciplinam; dum fidem deſtruxerint; & cum Sedis Apoſtolicæ obedientiâ omnem exuerint religionem. Relegatæ autem diſciplinæ, & invaleſcentium vitiorum exprobratio Queſnello cum hæreticis omnibus communis eſt. Quis enim novaturiens viam ſibi ad perfidiæ triumphum ſtravit, niſi obtentu purioris ethicæ, veteris inſtaurandæ probitatis? De Euſebianis ait Baronius ad annum 336. num. 37. *Uſque dum vixit Conſtantinus, ſi quod bellum Catholicis intulerunt, nequaquam ut Ariani; at potiùs ut bonorum morum vindices præſtiterunt, ſed & Eccleſiaſticæ diſciplinæ cuſtodes, cùm Athanaſium damnaverunt, . . . ſe exhibuerunt*. Hac fraude circunvenerunt Imperatorem, ut ipſe deplorat in epiſtola ad Theognim & Nicomedienſes, quæ eſt apud Theodoretum Hiſt. Eccleſ. lib. 2. cap. 29.

Pius Dux Saxoniæ Georgius ſcribens ad Regem Angliæ, de Lutheri fraudibus queritur, quòd plurimos ſpurcus hypocrita feſellerit obtentu *Eccleſiaſticos abuſus ad priſtinæ Religionis ſeveritatem corrigendi. Hac velut perſonâ tectus, magno ſpectatorum plauſu in orbis penè univerſi theatro tragœdiæ ſuæ initium dedit.* Sic Luthero patrocinans Eraſmus ad Moguntinum Antiſtitem ſcribit: *Paulatim evaneſcebat vigor Evangelicæ doctrinæ, & futurum erat, ut rebus ſemper in deterius prolabentibus, tandem prorſus extingueretur illa ſcintilla Chriſtianæ pietatis, ut non reaccendi poterat extincta charitas: ad ceremonias plusquam Judaicas ſumma religionis vergebat. Hæc ſuſpirant, & deplorant boni viri*, qualis cùm Luthero fuit Eraſmus, & ferè cùm ſuis hodie ſequacibus eſt Queſnellus. Non minùs morum, & diſciplinæ diſſolutioni ingemuit Calvinus lib. 4. inſtitut. cap. 5. *Omnia illic*, inquit, *à Chriſti inſtitutione adeò diſſimilia ſunt, imò aliena; adeò ab antiquis Eccleſiæ inſtitutis, ac moribus degenerarunt*. Et nuperus Janſeniſta famoſus Eugenius de Gelder Brugenſis in *ultimâ voce Zelatricis innocentiæ*, deplorabat vehementiùs pag. 115. *Quòd multas propoſitiones Michaelis Molinos talibus terminis conceperint*, denuntiatores Jeſuitæ . . . . *ut per condemnationem Molinos* (*quem aliqui magis infelicem, quàm nocentem autumant*) *& prætenſæ ejus doctrinæ videantur voluiſſe eliminare illud parum, quod reſtat ſupernaturalis operationis Spiritùs vivificantis*. Sed in hoc Eugenius ille Romanæ Curiæ, quàm Queſnellus reverentior eſt; quòd prior in ſolos Jeſuitas, hic in ipſam Apoſtolicam Sedem eliminari ferè ab Eccleſiâ Spiritûs Sancti culpam conjiciat.

Sed nunc favete animis, Catholici, ſi Clemens XI. cum tot præcedentibus Janſenianæ, & Bajanæ doctrinæ adverſariis Pontificibus, *corruptioni morum & relaxationi diſciplinæ viam* latam aperuerit, ſpem facit Queſnellus ſecuturi aliquando Pontificis, qui nihil agendo reſtituet rem, laxas ſcilicet habenas permittendo Novatoribus, nihil ſibi quod extra Italiam geritur, vel etiam extra Epiſcopatûs Romani terminos attrahendo. Is probè ſtuduerit Auguſtino, & cæterorum veterum Patrum, ac Pontificum traditioni.

Sic pag. 219. „ Nihil ſimile metuendum „ eſt à Pontifice, qui ſapiet, & bene inſtru-„ ctus erit doctrinâ traditionis: qui limites „ noverit poteſtatis ſuæ: cui neque Decre-„ torum, aut Decretalium literarum inter-„ pretes, neque recentiores ſui Scholaſtici „ caput impleverint ideis, quas de Papali „ authoritate confinxere, falſiſſimis. Deni-„ que cui neque animum corruperit ambi-„ tio &c. „ Quis credat talia Queſnello excidere potuiſſe? Sed eò omnia hactenus memorata ſatis diſpoſuere, & hic paucis, atque apertiùs prodit, quod tantis ambagibus ante voluit indicatum: videlicet Clementem XI. & quotquot Pontifices Janſenii, & Baji erroribus obſtiterunt, ignaros fuiſſe traditionis Patrum, plenos falſis Scholaſticorum opinionibus, inflatos, corruptos ſuperbiâ, & ambitione. Sed nè Authoris verba duriùs cuipiam fortè videar interpretatus, addo ſententiam ejus Gallicam: *Il ne faut rien craindre de ſemblable d'un ſouverain Pontife, qui ſera eclairé, & bien inſtruit de la doctrine de la tradition: qui connoitra les bornes de ſa puiſſance, qui n'aura point l'eſprit rempli de fauſſes idées, que les Decretaliſtes, & les ſcholaſtiques modernes ſe ſont faites de l'autorité des Papes, ni le cœur corrompu par l'ambition &c.* Hic iterum te, Lector Catholice, obteſtor, eſtne veriſimile quòd Author ille *Tantillus homo conſcius ſit tenuitatis ſuæ*? Indigetne adverſariorum exagge-

Digitized by Google

aggerationibus, & calumniis, ut in eum *Tanti Pontificis indignatio provocetur*?

Quæres quid Queſnellum movere potuerit, ut cauſam Sebaſteni, & aliquot ipſi adhærentium Schiſmaticorum, tam acriter aſſumeret contra Supremum Chriſti Vicarium, nec in unum fureret Clementem XI. ſed tot quoque Sanctiſſimos anteriores Pontifices contumeliarum dentibus laceraret? Sebaſtenus Janſenianæ factioni, ut in *Cauſa Queſnelliana* panditur, re & nomine *Pater Bonifacius* erat: Queſnellus cum Arnaldo è Galliis profugus à Miſſionariis illis hoſpitio diu exceptus, ac deinceps quantum opus habuit, cum Gerberono adjutus, hanc beneficiis gratiam rependere voluit. Sed & in illis Baji, ac Janſenii ſequacibus tam caræ ſibi hæreſeos Queſnellus egit pariter defenſorem, quod libro ad finem vergente minimè diſſimulat. Sic enim pag. 222. ait: „ Crederes „ ferè Gerſonem lumine Prophetico depin„ xiſſe ſilvam illam Brevium, atque Bulla„ rum, quæ Româ contra Bajum, & Janſe„ nium promanarunt, & tantis hodiè moti„ bus concutiunt Eccleſiam. Miror, ſcripto„ tem quinque contra Janſenium Bullas nu„ merare inter inſignia à Dei bonitate præ„ ſtita Eccleſiæ beneficia. Quicunque eam „ ſapienter amant, & de Bullis judicium fe„ rent, non ex bona Pontificum intentione, „ ſed ex malis, quæ eas in Eccleſiâ ſecuta „ ſunt, non facilè capient, quid illæ utili„ tatis Eccleſiæ adferre potuerint; quia nul„ la hæreſis, nullus error in eis proſcribitur, „ qui multo tempore ante damnatus non „ fuerat, & tunc quoque damnabatur ab om„ nibus, quibus eum calumnia affinxerat.

Poſterius hoc Queſnelli mendacium ſæpius convictum tractatu proximo videbimus; Quod, & cæteras Novatoris illius ad retinendam Janſenianam hæreſim verſutias ſaluberrima ſubruit Clementis XI. Conſtitutio, incipiens *Vineam Domini Sabaoth*; Sed vel ideo Clemens juxta Queſnellum veræ ſcientiæ *lumine deſtitutus eſt*, *rudis in doctrina traditionis*, *ignorans poteſtatis ſuæ limites*: ideo ipſi *caput obtuſum*, *ac plenum falſis Decretorum, ac Decretalium Epiſtolarum interpretationibus*, & pariter *cor ambitione corruptum*. Denique ideò Clemens XI. Queſnello non *ſapit*, nec *ſapienter amat Eccleſiam*. Sed quis eam ſapienter amat præter Queſnellum cum ſuis Baji, Janſenii, & damnatorum in utroque dogmatum obſtinatiſſimis defenſoribus; qui nempe ſoli noverint componere Chriſtum cum Belial, hæreſim cum Eccleſiâ? Quare oportet univerſos per Orbem Catholicos, Doctores, Epiſcopos, Cardinales, atque ipſum Summum Pontificem Bajanâ, ac Janſenianâ hæreſi initiari, aut ſaltèm ab ea damnanda impoſterum abſtinère, niſi è Catholicorum *Sapienter Eccleſiam amantium* numero apud Queſnellum excidere maluerint.

Hæc hæreticæ ſapientiæ palma à nobis Queſnello relinquitur; amoris autem in Eccleſiam, ſi non alia ipſi probatio ſit, quàm Bajaniſmi, & Janſeniſmi pertinax retentio, *Tantillus homo* cum ſua Sanctis ignota ſapientiâ, cum nova ſecta ſua, cum nova Eccleſia à nobis, & omnibus Catholicis dimittendus eſt. Denique ſolæ propoſitiones ex Obſervationum moralium libro excerptæ, & dein Clementis XI. Conſtitutione profligatæ, ſatis poterant *tanti Pontificis* contra Queſnellum *indignationem excitare*, ut aliorum ſuggeſtione, aut provocatione opus non fuerit.

Quis enim Chriſti Vicarius ſe ab indignatione contineat, videns in tot Propoſitionibus omnes Pontificum contra Bajum, & Janſenium definitiones contemni: Regulam quartam Indicis Tridentini tot Pontificum authoritate firmatam, tantâ impudentiâ impugnari: facultatem excommunicandi Sedi Apoſtolicæ eripi, niſi totius Eccleſiæ conſenſus acceſſerit: ſpretis excommunicationibus foveri rebellium contra Pontificias definitiones pertinaciam: accuſari Sedem Apoſtolicam de dominatu noxio ſupra fidem fidelium: redargui palàm omnes poteſtates, atque adeò Apoſtolicam tanquam contrarias prædicatoribus veritatis? Quis roleret pluribus iſtiuſmodi ſeditioſis, ac ſchiſmaticis enuntiationibus Chriſtianum populum adversùs Eccleſiæ Præpoſitos novitatibus hæreticis adverſantes, à *tantillo homine* commoveri?

CAPUT XI.

Expenditur Secundus Epiſtolæ Queſnellianæ paragraphus.

Talibus præmiſſis diſpoſitus Queſnellus, *Pio*, inquit, *mentis affectu humillimè provolutus ad exoſculandos Sanctitatis veſtræ pedes accedam, cum debita Succeſſori Principis Apoſtolorum reverentiâ, quem uti Apoſtolici Primatûs heredem colo, ac veneror: & agnoſco Supremum ejus Vicarium, qui appellatus à Deo Pontifex, Princeps Paſtorum conſtitutus eſt.*

Sed quæ *pietas* credatur eſſe, in hæreſeos ſæpius damnatæ defenſore audaciſſimo, & omnis Eccleſiaſticæ poteſtatis contemptore? Quis *pius animi* hæretici *affectus* erga Clementem XI. tot fulminibus novos hæreti-

reticos ſetientem ? Non inanibus hìc indulgendum ſuſpicionibus : Scripta Queſnelli contra hunc Pontificem, quorum partem minimam retulimus, tam luculentum de acerbiſſimo in eum odio teſtimonium præbent, ut nemo mentis utcunque ſanæ, non percipiat putidam hìc Authoris hypocriſin, aut ludum ſcenicum, dum ſe *pio mentis affectu*, & quidem *humillimè provolutum ad exoſculandos Sanctiſſimi Pedes accedere* reſtatur ? Quæ autem in *Dialogis* contra priorem Novi ſui Teſtamenti, & Obſervationum Moralium condemnationem, atque in ipſum condemnationis Authorem CLEMENTEM XI. effutiit inverecunda, ſatyrica, ſcurrilia, neſcio an in mitiſſimo Chriſtiani Orbis tribunali cenſerentur aliter, quàm gravi admodum, poſſe ſupplicio expiari.

Sanctiſſimum Dominum noſtrum minimè *Sanctum* exiſtimare debuit Queſnellus, cùm in *Abuſibus* pag. 219. ei animum tribuit *ambitione corruptum*, *& præ ſuperbiâ nullos poteſtatis ſuæ limites agnoſcentem*. Fallacia itaque in Queſnelli epiſtolâ ſunt verba, & omnis veri ſenſûs vacua, quæcunque aliàs venerationem Pontificis ſignificare viderentur. Hanc fraudem diſcere Queſnellus potuit à Pelagio versùs Innocentium Primum, à Wickleffo versùs Urbanum VI. à Luthero versùs Leonem X. quos hæreſiarchas conſtat humaniſſimis verbis nihil niſi fumos leves Pontificibus dediſſe, non reverentiæ causâ, ſed deceptionis. In hoc autem Pelagii, Wickleffi, Lutheri epiſtolæ Queſnellianâ demiſſiores ſunt, & Pontificum magìs reverentes, quòd à Chriſti Vicario ſuas illi opiniones corrigi, ſeque ejus judicio parère velle, ſaltèm vocibus ſimularint; Queſnellus verò præter appellationes honorificas, nihil ei Catholicæ exhibeat Obedientiæ, nihil ſubmiſſionis.

Pelagius enim *Hæc fides eſt*, inquit, *Papa Beatiſſime, quam in Eccleſiâ Catholicâ didicimus, quamque ſemper tenuimus, & tenemus, in quâ ſi minùs peritè, aut parum cautè aliquid fortè poſitum ſit, emendari cupimus à te, qui Petri, & Fidem, & Sedem tenes*. Urbano VI. Wickleffus, *Gaudeo planè detegere cuitunque Fidem meam, & ſpecialiter Romano Pontifici; quia ſuppono, quòd ſi ſit Orthodoxa, ipſe Fidem meam humiliter confirmabit; &, ſi ſit erronea, emendabit .... Volo humiliter, etiam per mortem, ſi oporteat, emendari*. Lutherus in Theſium ſuarum Analyſi, quam Leoni X. dedicavit : *Hic verò*, inquit, *Beatiſſime Pater, proſtratum me pedibus tuæ Beatitudinis offero cum omnibus, quæ ſum, & habeo. Vivifica, occide; voca, revoca; approba, reproba, ut placuerit. Vocem tuam, vocem Chriſti in te præſidentis, & loquentis agnoſcam. Si mortem merui, mortem non recuſabo*. Queſnellus oſculatur Pedes CLEMENTIS XI. *cum debita Principi Apoſtolorum reverentiâ, quem*, inquit, *colo, & veneror*; ſed de obedientiâ nihil legitur. Pelagius Innocentium non modò Primatûs, ſed etiam *Fidei* agnoſcebat heredem, *qui Petri*, inquit, *& Fidem, & Sedem tenes*: At Queſnellus CLEMENTEM ſolius Cathedræ, & Primatûs heredem ſtatuit. Et quomodo agnoſceret heredem Fidei eum, qui Fidem Queſnelli in *moralibus Obſervationibus* priùs damnaverat? Quæ nempe Pontifici in libro illo hæretica ſunt, Queſnellus Auguſtiniana judicat, & ad Fidem Catholicam pertinere. Vis autem, Lector, intelligere, quid tribus illis honorificis appellationibus *Succeſſor Principis Apoſtolorum, Heres Primatûs Apoſtolici, & Supremus Chriſti Vicarius* ſignificatum Queſnellus cupiat ? Nihil aliud, quàm *quòd inter Epiſcopos ſit velut natu major inter fratres*. Hæc ejus comparatio eſt in *Dialogis* anni 1709. pag. 331.

Ægidius de Witte Candidorum Janſeniſtarum Coryphæus Queſnello amicus, & arctâ junctus Janſeniſmi neceſſitudine, an. 1685. ſolitâ ſuâ temeritate, candidè tamen, ſic ſenſum ſuum, ſuorumque expreſſerat propoſitione 2. inter 4. ad examen Facultatis Theologicæ Lovanienſis delatas : *Papa non eſt, niſi primus Epiſcopus; nec illi competit inter Epiſcopos major poteſtas, vel prærogativa, quàm, quæ competit Plebano, ſive Paſtori S. Rumoldi, reſpectu aliorum Paſtorum Parochialium ejuſdem Civitatis, & ea, quæ competit primo Scabino Civitatis Gandavenſis, ſive aliarum Civitatum reſpectu aliorum inferiorum Scabinorum*. De qua Propoſitione ita cenſuit Facultas Theologica Lovanienſis, ſeu pars ejus major : *Judicamus eam cenſurari poſſe, ut ſcandaloſam, & pernicioſam*. Dixi, *ſeu pars ejus major*; quia anti-Pontificii quidam neque damnare volentes propoſitionem, neque auſi publicè approbare, ſilentii indecori tenebras præ luce veritatis elegerant. Gabriel Gerberon ſub ficto nomine Franciſci Manſeau; in *Examine Reſponſi ad querelas contra modum agendi Archiepiſcopi Mechlinienſis* pag. 182. propugnans Ægidium de Witte, *Hujus*, inquit, *Authoris generosè perſecutionem patientis propter juſtitiam doctrina injuſtè proſcripta eſt, per neſcio quam miſerabilem cenſuram quorundam Theologorum Lovanienſium*.

Sub id temporis Arnaldo annis gravi velut fatiſcenti Athlanti, Alcides Queſnellus cum fratre ſubvenerat, de quibus Ludovicus du Vaucel, aſſumpto Walloni nomine, Generalis in Urbe Agens Janſeniſtarum datis Bruxellas ad Erneſtum Ruth-dans 24. Martii

tii 1685. literis gratulatur: *Habetis*, inquit, *modò viros, qui Dominum Davi* (Arnaldum) *ſublevare valeant. Arctum hic ſervabo ſilentium de novis iſtis hoſpitibus*. Tunc potiſſimùm ex illo Arnaldi, & utriuſque Queſnelli latibulo velut ex equo Trojano prodiere tot ſcripta exitialia, velut incendiariæ faces, quibus hactenus Belgium arſit. Inter ſcripta illa fuêre quatuor pro condemnatâ à Lovanienſibus *Ægidii de Witte*, ſeu *Candidi*, doctrinâ: *Judicium æquum: Judicii æqui defenſio: Reſponſio ad Obſervationes ulteriores: Epiſtola cujuſdam Eccleſiaſtici de mente S. Auguſtini circa Authoritatem Pontificis*.

In *judicio æquo* pag. 4. dicitur, *Neque ſcandaloſum eſt, neque pernicioſum dicere, Pontificem eſſe in Eccleſiâ per Concilium Oecumenicum repræſentatâ, id quod Præſes eſt in Concilio Arcano*. Ubi Pontificis cum Arcani Concilii Præſide videtur paulò honorificentior, quàm cum primo Scabino Magiſtratûs, aut Plebano, ſeu principis Eccleſiæ Paſtore comparatio; Verùm ſenſu quodammodò convenit; quod duriùs Queſnellus exprimit in citatis *Dialogis* pag. 68. dicens: *Pontificem Romanum, & cæteros in ſuis Diœceſibus Epiſcopos* Æqualem *habere judicandi de dogmatibus poteſtatem*. Tertia Ægidii Candidi propoſitio, quatuor teſtium, interpoſito juris-jurandi Sacramento, denuntiatione ſic continetur: *Ad hoc, quod aliquis ei opponeret, Archiepiſcopos, & alios Epiſcopos in publicis literis ſolere dicere ſe eſſe Dei, & Apoſtolicæ Sedis gratiâ tales. Reſpondit eſſe abuſum, & errorem à quingentis circiter annis introductum, nec primis decem ſeculis Epiſcopos tali modo fuiſſe locutos, ſed dum rem quandam haberent cum Papa, ſive Epiſcopo Romano, eum ſimpliciter nominaſſe Confratrem; non autem Papam, vel Pontificem, adducendo in probam ſui dicti, Jacobum præſediſſe in conſeſſu Apoſtolorum, non Petrum; Quia hic conſeſſus celebrabatur in Diœceſi Jacobi*.

Quam Propoſitionem hâc cenſurâ notavere Lovanienſes ,, :Cum judicemus Archie-
,, piſcopos, Epiſcopos, Dei, & Apoſtolicæ
,, Sedis gratiâ eſſe, & fuiſſe tales, antequam
,, in literis ſuis hoc dicerent, judicamus te-
,, merarium eſſe, formulam illam erroris, &
,, abusûs accenſare. Si autem, ut juſtificatio
,, habet, ſolùm *Novitatis* formula illa taxata
,, ſit, etſi non falſum, tamen malè ſonans eſt.
,, Et quantum ad exemplum Jacobi præſi-
,, dentiæ in ſua Diœceſi, præſente Petro,
,, quatenus per hoc inſinuari videtur Pe-
,, trum non fuiſſe ſupra Jacobum ſaltèm in
,, Diœceſi Jacobi, & ſic innuitur tacitè, Pa-
,, pam non eſſe ſupra Epiſcopos in Diœceſi
,, ipſorum, erroneum eſt. In motivo tamen
,, juris, ſeu defenſione ſua videtur negare ſe
,, dixiſſe, attento, quod dicat fieri poſſe, ut
,, Petrus in conſeſſu illo Primatûs ſui jure
,, ceſſerit ,, : Quæ tricæ ad excuſandas excuſationes in peccatis!

Quarta Ægidii propoſitio eſt ,, : Di-
,, ctum Chriſti: *Tu es Petrus, & ſuper hanc*
,, *Petram ædificabo Eccleſiam meam, ſolùm*
,, *fuiſſe dictum Petro perſonaliter, non in illo*
,, *ſucceſſoribus ſuis*.

Facultatis Censura: Ad quartam ,, : Si ita intelligatur, ut poteſtas Cla-
,, vium à Chriſto Matth. 16. promiſſa, &
,, poſtmodum data, negetur ſucceſſoribus
,, conceſſa, cenſemus poſſe ut hæreticam
,, cenſurari ,, .

His pro Apoſtolica Authoritate judiciis Lovanienſes indignationem totius factionis anti-Pontificiæ incurrerunt; adeò, ut è Gallicano Belgio Epiſcopus à Queſnello in ſui patrocinium citari ſolitus, ita ſcripſerit Inſulis anno 1688. ad Martinum Steyalrt epiſtolæ pag. 29. *Veſtram Facultatem ſemper veneratus ſum, Frater, ſed vix temperem, quin iſtam, quâ Domini de Witte ſcripta inuſta ſunt, cenſuram minus juſtam eſſe exiſtimem, nè dicam præcipitem. Nihil in ſcriptis Domini de Witte deprehendi, niſi Catholicum; imò ſententiam ejus puto ad fidem Divinam pertinere, & à Deo reſeratam*. Et tamen nullus ex iſtis Antipontificiis eſt, nullus ex Janſeniſtis, qui cum Queſnello non adhibeat omnes honoris titulos à Queſnello Clementi XI. ad blandiendum pariter, & fallendum attributos. Eſt, inquiunt, Pontifex *Succeſſor Principis Apoſtolorum*, ſed Princeps ille, etſi dignitate primus, ut inter fratres natu maximus, ut ordine primus inter Canonicos, & inter Senatores, ſive, ut Ægidius loquebatur inter *Magiſtratûs Scabinos prior Scabinus*, nullum tamen in cæteros Apoſtolos jus habuit, velut Superior in ſubditos, cùm juxta novos Auguſtini diſcipulos eſſent omnes in univerſalis Eccleſiæ gubernatione æquales.

Quæ hæreſis pluribus eorum libris tradita, ab Innocentio X. anno 1647. 14. Januarii Anathemate confixa eſt. Verba Decreti ſunt: ,, Editus eſt anno 1645. liber Gallico
,, idiomate impreſſus cui titulus: *De l'auto-*
,, *ritè de Saint Pierre, & de S. Paul, qui re-*
,, *ſide dans le Pape ſucceſſeur de ces deux Apô-*
,, *tres*, abſque nomine Authoris, & im-
,, preſſionis loco. Hujus libri evulgationem
,, ſubſecuta eſt editio alterius libri anonymi
,, eodem idiomate impreſſi, cui titulus: *La*
,, *Grandeur de l'Egliſe Romaine etablie ſur*
,, *l'autoritè de Saint Pierre, & de S. Paul*.

,, Nec

„ Nec non Epiſtolæ ejuſdem argumenti Latino idiomate conſcriptæ, ac typis excuſæ, plurimis adductis, atque congeſtis Sanctorum Patrum, Summorum Pontificum, Sacrorum Conciliorum, & Doctorum locis. Quocirca, nè in re tanti ponderis error aliquis mentibus Chriſtifidelium irreperet, libris prædictis de mandato Sanctiſſimi maturè examinatis, locisque adductis diligenter inſpectis, ac ponderatis, Sanctiſſimus relatâ unanimi Theologorum ad hoc ſpecialiter deputatorum cenſurâ, & auditis votis Eminentiſſimorum, ac Reverendiſſimorum Dominorum Cardinalium Generalium Inquiſitorum, propoſitionem hanc: *S. Petrus & S. Paulus ſunt duo Eccleſiæ Principes, qui unicum efficiunt:* vel *ſunt duo Eccleſiæ Catholicæ Coryphæi, ac Supremi duces ſummâ inter ſe unitate conjuncti:* vel *ſunt geminus univerſalis Eccleſiæ vertex, qui in unum diviniſſimè coaluerunt:* vel *ſunt duo Eccleſiæ Summi Paſtores ac Præſides, qui unicum caput conſtituunt;* ita explicatam, ut ponat omnimodam æqualitatem inter S. Petrum, & S. Paulum ſinè ſubordinatione, & ſubjectione S. Pauli ad S. Petrum in poteſtate ſupremâ, & regimine univerſalis Eccleſiæ, hæreticam cenſuit, ac declaravit.

Arnaldus Præfationi libri De frequenti communione eandem propoſitionem inſeruiſſe viſus eſt, vocans *Sanctum Petrum, & Sanctum Paulum duo capita Eccleſiæ, quæ tantum faciunt unum*. Hæc propoſitio magnam Arnaldo creavit invidiam, nec alia ipſi, aut ejus ſociis ad eludendam hæreſeos cenſuram, occurrit excuſatio, quàm quod propoſitio in præfatione illa, non exprimeret *omnimodam æqualitatem* inter duos illos Apoſtolos, in qua cenſuræ ratio fundaretur. Verùm non ſic Arnaldus, aut Queſnellus elabitur. Non enim ad evadendam hæreſeos notam ſufficit negare *æqualitatem omnimodam*, quam neque aſſeruère damnatorum operum Anthores, ſed neganda eſt *omnimoda æqualitas in poteſtate ſupremâ, & regimine univerſalis Eccleſiæ*, & agnoſcenda, *ſubordinatio, & ſubjectio Sancti Pauli ad Sanctum Petrum*. Hanc nunquam agnoſcere viſus eſt Arnaldus, aut Queſnellus, aut ullus utrinſque aſſeela: quia *ſubordinatio* illa, & *ſubjectio* nimiùm contraria eſt Novatoribus volentibus Epiſcopos ſubducere jugo obedientiæ Romano Pontifici debitæ. Si verò Sanctus Paulus S. Petro ſubordinatus, & ſubjectus non fuerit, non eſt cur ſubordinati, & ſubjecti fuerint Joannes, Jacobus, & cæteri Apoſtoli, qui, quidquid ſit de zelo, quidquid de prædicationis, aut ſanctitatis merito, certè poteſtate Paulo non fuère inferiores. Cùm autem ſicut Romanus Epiſcopus ſuccedit Petro, cæteri Antiſtites aliis Apoſtolis (& quidem omnimodâ poteſtatis æqualitate juxta Arnaldiſtas) non eſt cur Antiſtites cæteri Romano ſubordinati, & ſubjecti dicantur. Satis ſe Pontifici tribuiſſe Novatores exiſtimant, ſi eum ut ſuperiùs Queſnellus, agnoſcant præcellentem, ſicut *inter fratres primogenitum*. Nè igitur te, Lector, fallat honorifica *Principis Apoſtolorum*, aut ejus *Succeſſoris* appellatio, in qua concedenda Janſeniſtæ ad fallendos Catholicos non uſque adeò difficiles ſunt; non enim Principis nomen apud illos ſonat poteſtatem juriſdictionis in omnes eos, quorum Princeps dicitur, ſed tantummodo dignitatem præcipuam, primum locum, ut primus Canonicus, primus Scabinus inter ſuos principem locum dicitur obtinere. Sic & princeps Eccleſia appellatur, quæ cæteris ejuſdem civitatis, aut oppidi eminet dignitate; etſi in eas nulla ei competat juriſdictio. Hinc intelligis, quid apud Queſnellum, & reliquos Janſeniſtas ſit, Pontificem vocari *Primatûs Apoſtolici heredem*. Non plus ſignificatum volunt titulo *Vicarii Chriſti*, & quidem Vicarii ſupremi; nam omnes Epiſcopi, omnes Paſtores, omnes Sacerdotes Vicem Chriſti obeunt, ejuſque ſunt in eo munere Vicarii; ſupremus autem eſt Pontifex Romanus; quia Diœceſeos excellentiâ & primatûs, ut jam expoſitus eſt, prærogativâ maximus. Ita Queſnellus cum ſuis, dum blandiri videtur Pontifici magnis nominibus, non niſi pulverem in legentium oculos injicit, ut obcæcet.

De ſimili hæreticorum ad decipiendos Pontifices fallaciâ ſub impietate Samariæ videtur vaticinatus Michæas: *Venit uſque ad Judam, & tetigit uſque ad portas populi mei, uſque ad Jeruſalem*. In quod S. Hieronymus obſervat: *Portas illa quidem tetigit; ſed Urbem mediam intrare non potuit*. Aut ſi perfida ſanctitatis ſimulatio, ut in Quietiſmo contigit, aliquandiu vigilantiam ſupremorum Judicum eluſiſſe videatur, damnationemque diſtuliſſe; divino tamen ſpiritu Pontificibus aſſiſtente fit, ut ea ſententia non alium in finem tanto tempore ſuſpenſa appareat, quàm ut matura libratio hæreſim feriret fortiùs, ac certiùs proſterneret.

Oſculari ſe Queſnellus ſimulat Sanctiſſimi *pedes*, cujus *caput* veluti *vanitate, & erroribus plenum*, *cor* velut *ambitione corruptum* calumniatur. Sed & hæreticorum oſcula, non minùs quàm ſicariorum ſuſpecta ſunt. Oſculantur hoſtes, & amici, illi proditionis, hi benevolentiæ affectu: oſculo Judas Chri-

ſtum tradidit : Judæ Diſcipuli idem in Chriſti Vicarios moliuntur; ſed qui propter omnium hominum ſalutem tradi ſe paſſus eſt, non patierur ſuos vicarios in Eccleſiæ, & Religionis perniciem circunveniri.

CAPUT XII.

Expenditur epiſtolæ paragraphus tertius.

,, VERUM (proſequitur Queſnellus)
,, eadem illa nomina, quibus primùm
,, exterreor, ſimul etiam invitant,
,, & conſolantur, addunrque piam mihi, con-
,, ſtantemque fiduciam, accedendi propiùs
,, ad Apoſtolicam veſtram Sedem, ubi cer-
,, tiſſimum eſſe debet perfugium veritati,
,, quæ, ut olim Tertullianus, hoc unum ex-
,, optat, nè inaudita damnetur. Nè mireris,
,, Beatiſſime Pater, ſi non meam, ſed verita-
,, tis cauſam appellem eam, quæ coram Vo-
,, bis jam agitur, occaſione libri, cui ritulus
,, eſt : *Conſiderationes morales in novum Do-*
,, *mini noſtri* JESU *Chriſti Teſtamentum* : ad
,, cujus examen inſtitutam eſſe authoritare
,, veſtrâ Congregarionem nuper accepi.

Quid habeant *illa nomina*, ut magnopere Queſnellum *exterreant*, ſi ejus, & ſociorum ſenſu accipiantur, non video. Sic enim magna quidem *Nomina* ſunt, ſed magnæ ſignificationis apud Novatores expertia, ut capite ſuperiore deteximus. Quis etiam credat, Queſnellum nominibus Pontificum *terreri*, qui emiſſa ab eis excommunicationum fulmina, Catholicis omnibus maximè terribilia, ridet, atque contemnit? Sic in *Epiſtola Abbatis ad quendam Romanæ Curiæ Prælatum* Queſnellus de ſe, & ſuis aſſeclis reſtatur pag. 30. *Romani majore pollent ingenio, quàm ut credant nos terreri ſententiâ latæ excommunicationis Pontifici reſervatæ*. Non rerreri Pontificiis cenſuris Queſnellum, ipſi facilè credimus aſſerenti. Hanc enim audaciam plurimis ſcriptis dudum reddidit manifeſtam. Sola ejus adversùs Conſtitutionem UNIGENITUS rebellio hæreticis pariter, & Catholicis notiſſima, Authorem convincit teſtimonio multiplici, & ineluctabili de publico Romanorum Pontificum, & cenſurarum omnium contemptu.

Quâ igitur fronte ander hypocrita fingere, ſe tantâ veneratione CLEMENTEM XI. proſequi, ut vel ſolis dignitatum ejus *nominibus terreatur*. Non minùs abſurdum, atque impudens eſt *invitationis*, *conſolationis*, *fiduciæ* commentum. Quis enim credat adeò inſanire Queſnellum, ut *confidat* Apoſtolicam Sedem revocaturam judicium dogmaticum, & approbaturam quatuor tomos, tanquam veritati in omnibus conſonos, in quibus poſt examen, ut rei graviras poſtulabat, maturum, ac diligens, deprehendit præter corruprionem Scripturarum, *propoſitiones ſeditioſas, temerarias, pernicioſas, erroneas, aliàs damnatas, & Janſenianam hæreſim manifeſtè ſapientes*, ut CLEMENS XI. in Decreto anni 1708. declaravit? Non eſt Romanus Pontifex, ut quidam Epiſcopi tam in condemnationibus, quàm in approbarionibus dogmaticis, facilis adeò, ut hodie ædificatum cogatur dies craſtinus deſtruere. In Decretis ad mera humana facta pertinentibus, quæ teſtimoniis hominum fallacibus nituntur, errorem ſubinde Pontificibus contigiſſe, & mox ubi innotuit, fuiſſe retractatum, non ibo inficias; atque ea æquitas Sedis Apoſtolicæ, non exigua ejuſdem laus eſt, quàm utinam imitari ſemper videremus Epiſcopos, & inferiorum etiam laicorum tribunalinm Judices! Quot ſcandala ceſſarent puſillorum, & oppreſſiones innocentium! Sed in dogmatibus ad fidem, & bonos mores pertinentibus, quidquid hæretici, aut novatores garriant, Pontifices unquam Decreta falſa, aur noxia ex Cathedra condidiſſe hactenus non vidimus; ut proinde nihil in ſimilibus fuerit retractandum.

Si autem Queſnellus primum erroris exemplum in ſuarum opinionum damnarione occurriſſe exiſtimer, confidatque primum fore retractationis, nimiùm temerarius eſt, & ſpe deluditur inaniſſimâ. Quàm enim miſera forer Eccleſiæ conditio, & Divinis promiſſionibus contraria, ſi Apoſtolica Sedes errores, & hæreſes in Bajo pridem, Janſenio, atque eorum ſequacibus damnatos, in Queſnelliano quatuor tomorum Opere approbaret! Longè maxima ſcilicet Eccleſiæ pars, imò Eccleſia extra Galliam penè univerſa; ipſius quoque Galliæ pars præcipua, atque adeò fidelium plerique Ducem ſequentes Sedem Apoſtolicam, cum ipſa à Fide Catholica deſciviſſeut.

Oportet calumniatorem eſſe memorem. Queſnellus in Dialogis contra Decretum 1708. quo idem ejus liber primùm damnatus eſt, pag. 177. *Non eſt*, inquit, *ampliùs in uſu Romæ injuſtorum judiciorum revocatio*. Unde igitur tanta *ſolatii*, & *fiduciæ* Queſnello cauſa? quaſi apnd CLEMENTEM XI. prævalitura eſſet ſuppoſita à Queſnello veritas, ab eodem Pontifice damnata, tanquam *error* adhuc aliàs proſcriptus, & *Janſenianam hæreſim manifeſtè ſapiens*? Perſpicuum eſt prætenſam Queſnelli *veritatem* triumphare in Pontificis judicio non poſſe abſque ſuperioris revocatio-

tione ſententiæ. Unde vel *conſolatio*, & *fiducia* ficta eſt, vel non tam aliena ab uſu Romano eſt, quàm ab eo aſſeritur, *injuſtorum judiciorum revocatio*. Inſignis autem impudentia Queſnelli eſt, in Epiſtolâ ad Summum Chriſti Vicarium datâ, vocare opiniones ſuas *veritatem*, quas noverat ab eodem paulò ante cenſuris tam gravibus condemnatas.

Nullus hæreticus eſt, qui errorum ſuorum ſordes, *veritatis* aurum non æſtimet, aut pretioſiores auro uniones. S. Auguſtinus lib. 32. contra Fauſtum cap. 17. *Nunquid enim*, inquit, *eſt hæreſis, quæ non* VERITATEM *ſe nominet? Et quantò eſt ſuperbior, tantò magis ſe etiam perfectam nominat* VERITATEM. In hoc Queſnellus paſſim ſuperba ſequitur hæreticorum veſtigia; omnis enim Janſeniana novitas, à Pontificibus damnata, ipſi indubitata veritas eſt. Sic profligato à CLEMENTE XI. *Caſu conſcientiæ* ad ſtabiliendam hæreſim à Janſeniſtis ſubdolè adornato, cum quadraginta Sorbonici ad imprudentis ſuffragii retractationem juſſu Pontificis, Regis, & Archiepiſcopi adigerentur, in quas non erupit querelas Janſeniana Queſnelli religio, & pietas! Varia ſcripta anonyma confecit in oppreſſæ, ut ait, juſtitiæ, & *veritatis* Janſeniſticæ patrocinium. Ac tandem concludit felices illos paucos, Archiepiſcopo, Regi, Pontifici rebelles, utpote quibus obtingeret, glorioſam pro veritate pati perſecutionem. Videri de hoc poteſt juridicus contra eum proceſſus, ſive *cauſa Queſnelliana* artic. 18.

Damnavit idem Pontifex veritatem in Sebaſteno, ſi fides Queſnello eſt. Juxta eundem Alexander VIII. in pleriſque ex 31. Propoſitionibus veritati maculam aſperſit: Alexander VII. niſi per Auguſtinianæ *veritatis* latus ſenſum Janſenii ferire non potuit. Unde nova ſecta icones Janſenii typis edidit, & quaquaverſus, Romam uſque diſſeminavit, hoc lemmate limbum circumeunte: *Scuto circundabit te veritas ejus*. Libertus Fromondus, unus ex duobus teſtamenti Janſeniani curatoribus, quibus famoſi operis poſthuma incubuit editio, illius Epiſcopi vitam deſcribens, recenſitis variis ejus animi dotibus, *Ad illas*, inquit, *naturæ dotes, acceſſerat ſtudium noctu, diuque infatigabile, &* VERITATIS *immenſus amor; rogatus aliquando à ſodali quodnam Dei attributum maximè ei eſſet cordi, & veneraretur*, VERITATEM *reſpondit. Et ſæpe inter horti ſui ſpatia, & ſolitarias meditationes, viſus, auditusque eſt oculis in cœlum ſublatis, erumpere in hanc vocem*: O VERITAS! Quam ut à Scholaſticis obſcuratam, & Eccleſiæ vix amplius cognitam ſecuriùs reſtitueret, tantâ cavit ſolicitudine, ut in ejus ad Sancyranum literis deprehenſum eſt, nè Eccleſia ac potiſſimùm Roma reſciret, quod moliebatur opus, antequam typis editum in omnes diſpergeretur urbes, Provincias, ac regiones. Sed Eheu! inquiunt ejus diſcipuli, eliminarâ cum libro tantâ orbis luce, cum eâ fugiſſet ab Eccleſiâ *veritas*, niſi penès Arnaldum, Queſnellum, atque horum diſcipulos hoſpitium reperiſſet pariter, & aſylum, nè in Portu quidem Regio ſatis tuta. *Veritates*, ait Queſnellus propoſ. 95. *eò devenerunt, ut ſint lingua, quaſi peregrina pleriſque Chriſtianis, & modus eas prædicandi, eſt veluti idioma incognitum... Neque ſatis advertitur, quòd hic defectus ſit unum ex ſignis maximè ſenſibilibus ſenectutis Eccleſiæ, & iræ Dei in filios ſuos*.

Quibus autem Authoribus tanta pernicies potiſſimùm imputanda eſt? Romanis Pontificibus, inquit Queſnellus, Cardinalibus, Epiſcopis, Imperatori, Regibus, & cæteris Chriſtiani orbis Principibus: *Deus* ſcilicet *permittit, ut omnes poteſtates ſint contrariæ prædicatoribus* VERITATIS, *ut ejus victoria attribui non poſſit, niſi Divinæ gratiæ*: Juxta Queſnelli propoſitionem *96*.

Quando Sorbona centum, & triginta Doctorum ſuffragiis Arnaldi propoſitionem de negata *Petro peccanti gratiâ, ſinè qua nihil poterat*, execrata eſt, velut *temerariam, impiam, blaſphemam, anathemate damnatam, & hæreticam*, narrat Queſnellus in præfatione CAUSÆ ARNALDINÆ. Pag. 25. Quod „ Arnaldus ſolus cùm ambularet in ſuperiore „ quodam ambulacro exteriorum ædium „ Portûs-Regii Pariſienſis, rei eventum ex„ pectans, & coram Deo indè ſecutura men„ te perpendens, ſubitò in illius animum, hæc „ Auguſtini verba, velut cœlitus immiſſa in„ currerunt: *Quia non in me perſecuti ſunt* „ *niſi* VERITATEM, *ideo adjuva me, ut certem* „ *pro* VERITATE *uſque ad mortem* „. Ideo etiam Queſnellus Arnaldi effigiem *Cauſæ Arnaldinæ* præfigens hanc ei ſubnexuit epigraphen *Antonius Arnaldus Doctor in Fide, &* VERITATE. Sed tanta Janſenianorum de *veritate* gloriatio, ut cætera pleraque, ex fœtentibus hæreticorum veterum hauriri potuit lacunis; De Manichœis ſcribit lib. 3. confeſſion. cap. 6. Auguſtinus: *Dicebant* VERITAS, *&* VERITAS; *multi eam dicebant, & nuſquam erat in eis*.

Si *veritatem* quærit Queſnellus, eam non turbido contra Sedem Apoſtolicam ingenio, non ſchiſmatico definitionum ejus contemptu, non tumore, & ſuperbiâ, ſed piâ ſubmiſſione repetiet: amoveat à ſe perniciosum illud, & meritò ab Alexandro VIII. proſcriptum novæ hæreſeos axioma: *Ubi quis invenerit doctrinam in Auguſtino clarè fundatam, il-*

Digitized by Google

lam abſolutè poteſt tenere, & docere, non reſpiciendo ad ullam Pontificis Bullam. Si ad Bullas contra Bajum, Janſenium, & eorum ſocios, ac diſcipulos Queſnellus reſpexiſſet, non in tot damnatos antea errores, & hæreſes temerarius proruiſſet. Sapientiâ, & eruditione plurimùm cedere ſe noverit Hieronymo, teſte Eccleſiâ, *in exponendis Sacris Scripturis Doctori maximo*. Hic tamen ſcientiæ ſuæ fidere noluit; ſed de tribus Hypoſtaſibus Damaſum Pontificem conſulens, *Obteſtor*, inquit, *Beatitudinem tuam, per crucem Domini, ut mihi literis tuis, apud quem in Syria communicare debeam, ſignifices .... Diſcernite obſecro, non timebo tres hypoſtaſes dicere, ſi jubetis. Quamobrem obteſtor Beatitudinem tuam, ut mihi epiſtolis tuis, ſive tacendarum, ſive dicendarum hypoſtaſeon detur authoritas.*

Si Doctor maximus adeò ſe Pontifici docilem exhibet, ut ejus judicium etiam ultro epiſtolâ ſupplice expoſcat, ejus determinationi obedientiam pollicitus, non iteratum, non diligentius examen poſtulans, minùs verò exanimis leges ſuperbè præſcribens, quomodo *tantillus homo* Queſnellus, *& tenuitatis ſuæ conſcius* proſcripta à tot Pontificibus dogmata, non ſolùm reducere in Eccleſiam audet; ſed etiam CLEMENTI XI. ſcribens repetitis vicibus appellare *veritatem*? Veritatem ſcilicet Pontifex errorum, & hæreſum nomine damnaverit. Hoc novus hæreticus pro ſua impudentia ſupremo Chriſti Vicario, ſinè ambagibus exprobrare voluit; quoniam aliter non poterat inuſtam à Sede Apoſtolica ſuis opinionibus maculam furibundus ulciſci.

Si *veritatem* diligit, non eam in alia quærat Cathedra, in nulla certiùs reperturus, quam Romanâ; nam ut Auguſtinus epiſt. 105. aliàs 166. ad Donatiſtas rectè monet; *In Cathedra unitatis* (Deus) *doctrinam poſuit veritatis*. Idem Sanctus Doctor in pſalmo contra partem Donati: *Numerate Sacerdotes, vel ab ipſa Petri Sede .... Ipſa eſt petra, quam non vincunt ſuperbæ inferorum portæ*. Et Concilium Calchedonenſe actione 29. in proſphonetico ad Martianum Imperatorem de Romano Pontifice enuntiat, quòd ſit *fidei propugnator impenetrabilis ab omni errore, quod eum Deus providerit doctrinis, eum per omnia veritati adſtringens, ut quemadmodum Petrus &c.*

Sed hæc fruſtrà occinuntur, inculcantur hæreticis, quandiu inflati ſuperbiâ animi non detumuerint. Rogandus primùm Deus, ut demiſſionis, obedientiæ, charitatis infundat affectum; nam Auguſtinus lib. 32. contra Fauſtum cap. 18. ait: *Non intratur in veritatem, niſi per charitatem.* Et in pſalm. 118. ſerm. 22. *Nè quiſquam præpoſterus, antequam habeat humilitatem obedientiæ, velit ad altitudinem ſapientiæ pervenire .... Cuſtodienda eſt obedientia, ut percipiatur ſapientia. Et perceptâ ſapientiâ, non eſt deſerenda obedientia.* Omnis autem hæreſeos mater ſuperbia eſt, teſte iterum S. Auguſtino ſerm. 46. de Paſtoribus in Ezech. 34. *Diverſis*, inquit, *locis ſunt diverſæ* (hæreſes) *ſed una mater ſuperbia omnes genuit.*

CAPUT XIII.

Examinatur Queſnellianæ Epiſtolæ paragraphus quartus.

» DE hoc (inquit Queſnellus) in No-
» vum Teſtamentum Opere, cui
» Deus ab annis pluſquàm quadra-
» ginta, ultra quàm præſumere fas erat, be-
» nedixit, non adeò confidenter loqui aude-
» rem; niſi certiſſimè mihi conſcius eſſem,
» nihil ſtudii, ac laboris à me eſſe prætermiſ-
» ſum, ut liber ad informandam pietatem
» præcipuè ſcriptus, à certâ, conſtantique
» normâ Fidei, quàm Romana, ac Catholica
» profitetur Eccleſia, nullâ in re deflecteret.
» Regulam à Sancto Concilio Tridentino
» præſcriptam accuratè, ac religioſè ſecu-
» tus ſum. Librum ipſum antequam prodi-
» ret in lucem, Epiſcoporum authoritati, &
» arbitrio plenè ſubjeci; adeò, ut penès ipſos
» fuerit, aut delere penitùs, aut emendare
» quidquid vel explicatione, vel correctio-
» ne aliquâ indigere identidem judicarent.

Ita Queſnellus. Nunquid frontem exuiſſe, & inſigniter impudentem eſſe oportuit homuncionem, qui in eâ ad Summum Pontificem epiſtolâ, quâ, & *tenuitatis ſuæ conſcius* videri vult, & debitam Summo Chriſti Vicario reverentiam profiteri, ſtatim ei exprobret, quod ſuo *in Novum Teſtamentum operi*, tam horridis antea cenſuris notato ab eodem Pontifice, *Deus, ultra quàm præſumere fas erat, benedixerit*? Uberes ſcilicet pietatis fructus produxerint *Obſervationes illæ, & Notæ* quas deteſtatus fuerat Pontifex velut exitiales, *habentes quidem ſpeciem pietatis, ſed ad virtutem ejus abnegandam ſubdolè deducentes, in quibus paſſim occurrunt doctrinæ, & propoſitiones ſeditioſæ, temerariæ, pernicioſæ; erroneæ, aliàs damnatæ, & Janſenianam hæreſim manifeſtè ſapientes.*

Si illa *Dei benedictio* appellatur, quod liber multos ſuis imbuerit erroribus, quòd plurimos acquiſiverit Janſenianæ hæreſi proſelytos, ſimilis eſt Queſnelli gloriatio Mahumetanorum, Lutheranorum, Calviniſtarum jactantiæ. Inter maxima nempe Divinæ providen-

Digitized by Google

videntiæ beneficia, & prodigia Mahumetani numerant, quòd tantos in orbe progreſſus Alcoranum fecerit. Talem quoque velut Divini Numinis benedictionem Sectæ ſuæ ſtatim ab initio conceſſam Lutheri, & Calvini aſſeclæ venditant, qualem alii non Divinam, ſed diabolicam veriùs appellaverint. Quæ enim hæreſeos benedictio eſſe poteſt, niſi maximè terrifica maledictio? In iſtis autem errorum, ac ſectarum progreſſibus nihil admiratione dignum eſſe oſtenderunt pridem Catholicæ Fidei propugnatores.

Non Alcorani liber, non qualiſcunque religionis umbra, ſed armorum potentia, & ei juncta poligamiæ licentia fidem Turcicam propagavit: Lutheranam ſolutio ab omni lege Eccleſiaſtica, abrogatio Sacramenti pœnitentiæ, votorum, & bonorum operum; ac potiſſimùm Eccleſiaſticorum proventuum ad profanos Principes translatio. Similia Calvinianam perfidiam in tot provincias invexêre. Hujus incrementi cauſam deſignat Eminentiſſimus Pallavicinus in Hiſtoria Tridentini Concilii, tom. 2. lib. 14. cap. 12. *Acceſſit,* inquit, *ad ipſius* (Calviniſmi) *adjumentum, aut ſaltèm ad Fidei Catholicæ detrimentum, quod varii homines amœnis, non bonis literis præditi, eò* (in Gallias) *è Germania acceſſiti à Franciſco I. Galliarum Rege, Muſarum apprimè ſtudioſo, ſecum detulerant illis floribus obvolutos angues ſuis in regionibus exortos... Dum tamen inter homines potentiâ tenues ea ſe continuit hæreſis, nec Principum patrocinium nacta eſt, haud multum ſolicitudinis attulit; quippe invalida reſiſtere, nedum terrere; ſed non diu fuit, ut è tabernis ad turres conſcenderit... Proceres Regii Sanguinis, aliique æmuli Guiſiorum, ſtudia omnia converterunt, ut factionem aliquam extentam, quaſi quoddam corpus animarent... Tres conditiones huic factioni, ad id quod moliebatur, opus erant, ingens numerus, odium præſentis regiminis, & robur ex auxiliis externis, viciniſque. Hæ omnes conditiones mirificè conveniebant in nova Secta. Hoc hominum genus pro ſuâ vivendi ratione infenſum cuique Imperio Monarchico, ſive ſacro, ſive profano, audax, novarumque rerum cupidum, quæ ex propenſione, quæ ex utilitate, & ad confinia munitum innumeris Catholici nominis hoſtibus &c. Decretum eſt Edictum adversùs veteris religionis perturbatores; ſed languidâ formâ, & compluribus improbatâ, tametſi moderatorum conſiliorum authoribus.* Talis fuit Calviniſtarum in ſuis primordiis benedictio, hinc in tantam crevere potentiam, ac multitudinem. Janſeniſmi ab initio progreſſum, & progreſsûs cauſam deſcribit idem Eminentiſſimus eodem tomo lib. 15. cap. 7. „ Vixit (inquit) hac poſtremâ „ ætate, in Belgio Cornelius Janſenius Iprenſis Epiſcopus, in eadem Lovanienſi palæſtra educatus, qui Baji doctrinis imbutus, eaſque amplexatus, ſi minùs ut novas, certè ut ſingulares, pertinax plurimorum annorum ſtudium clam impendit ad eas confirmandas. Quare earum præcipuas in lucem revocavit, ſcribendi formâ, quo meliore, eo deteriore, hoc eſt ad perſuadendum aptiore, eaſque in quodam ſuo volumine inſcripto *Auguſtinus*, attribuit ſanctiſſimo, maximoque Doctori. Hoc volumen per typos editum, ſparſumque poſt mortem Janſenii, proſcriptum eſt ab Apoſtolica Sede, cujus judicio Author in ſuo teſtamento ibidem impreſſo ſubjecerat ſuas omnes ſententias; quanvis adderet, videri ſibi vix quidquam in illis mutari poſſe. Non tamen à Pontificio interdicto effectum eſt, quin opus illud mirificos habuerit progreſſus, non ſolùm in Belgio; ſed in Gallia, atque etiam in Polonia.

Habet hic Queſnellus Janſenianæ ſuæ hæreſeos *mirificos* ab ipſo exordio *progreſſus*. Nunc audiat unde ei tanta non cœleſtis, ſed avernalis benedictio obvenerit. Ita Cardinalis proſequitur: *Quod ideo accidit quoniam pluribus in locis Baji doctrina ſopita potiùs fuerat, quàm extincta, tum ob efficaciam copioſæ eruditionis, ſtylique artificioſi; tum quia accedebat ad Calvini errorem, quo regiones illæ conſperſæ ſunt; tum demum, quia hujuſmodi doctrina auferens reipsâ homini in hoc ſtatu libertatem non peccandi, obtentu humani arbitrii deprimendi, & cuncta Deo tribuendi, latratus conſcientiæ in ſinu ſceleſtorum ſopit, & criminum pudorem abſtergit: hoc eſt, duo illa ſupplicia, cæteroqui nec ſeparabilia, nec tolerabilia à quovis, quantumvis fortunato, obduratoque peccatore.* Quæ verba, vel me tacente, facilè quivis perſpiciat damnatis quatuor Queſnelli voluminibus non minùs, quàm Janſeniano operi convenire. Quod mirificos illa progreſſus in Gallia, & Belgio fecerint, ideo accidit, quoniam pluribus in locis Baji, & Janſenii doctrina ſopita potiùs fuerat, quàm extincta: & dimiſſis tantiſper propoſitionum damnatarum vocibus ſucceſſerant ſynonimæ, ut rudi potiſſimùm vulgo, & fœminis verborum corticem magìs, quàm ſententiarum nucleum attendentibus, peſtifera dogmata nihil damnati præ ſe ferre viderentur. Plurimum quoque ad illiciendos incautorum animos, ut Queſnellianum opus avidiùs legerent, conferebat ſermonis, ac ſtyli elegantis lenocinium.

Sic Origenes homilia 2. in illud Jeremiæ cap. 51. *Calix aureus Babylonis*, ait: „ Nabu-

„ buchodonoſor volens decipere homines „ per calicem Babylonis doloſum, non miſcuit in vaſe fictili, quòd parabat potari; „ ſed neque in paulò meliore, & æreo vaſe, „ vel ſtanneo, &, quod iſta præcellit, argenteo; verùm eligens vas aureum, in eo poculum temperavit, ut qui videns decorem „ auri, dum radiantis metalli pulchritudine „ delectatur, & totus oculis hæret in ſpecie, „ non conſideret quid intrinſecùs latitet, & „ arripiens calicem bibat, neſciens calicem „ Nabuchodonoſor: ſed animadverte peſſimorum dogmatum verba mortifera, qualem habeant compoſitionem, qualem decorem eloquentiæ, qualem rerum diviſionem. Meus Jeſus contra fecit, ſciens aureum calicem Zabuli, & præcavens nè aliquis ad fidem ſuam veniens ſuſpicaretur, „ etiam Chriſti talem eſſe calicem, qualem „ requirat, & per ſimilitudinem materiæ formidaret errorem: Ideo curavit, ut habe- „ remus theſaurum iſtum in vaſis fictilibus. „ Sæpe vidi aureum calicem in pulchro ſermonis ornatu, & dogmatum venena conſideraus, deprehendi calicem Babylonis.

S. Hieronymus in Micheæ caput 2. „ „ Dulcia, inquit, ſunt hæreticorum carmina, & ſuavi voce populos decipientia: nec „ poteſt eorum cantica præterire, niſi qui „ obturaverit aurem ſuam, & quaſi ſurdus „ evaſerit „. Huc quoque refert idem Sanctus Doctor illud proverbiorum: *Nè attendas fallariæ mulieris; favus enim diſtillans labia meretricis, & nitidius oleo guttur ejus; noviſſima autem illius amara quaſi abſynthium, & lingua acuta quaſi gladius biceps*.

In quod ſic animadvertit lib. 2. comment. Proverb. cap. 5. „ Cùm in ore hæreticorum „ dulcedo eloquentiæ, non ad ſufficientiam „ ſolummodò, verùm etiam ad ſuperfluitatem reſonat, ob id falſitas, quia aptè proferri cernitur, veritas à ſtultis æſtimatur „. Hâc fallaciâ utinam Queſnellus ſolos ſtultos circunveniſſet! Sed quicunque iſtiuſmodi verborum illecebris in hæreſeos, & ſchiſmatis retia ſe pertrahi paſſi fuerint, etſi in aliis ſapere videantur, in præſenti re graviſſimè ſinè dubio deſipiunt. Iſta eſt una inter progreſsûs hæretici cauſas, quàm Priſcillianus, Arius, Neſtorius, Pelagius, & plura veterum ac recentium hæreticorum monſtra Queſnellum edocere potuerint. Ex iſto fonte partim profluxerit hæreticorum *benedictio*, quam Queſnellus *Deo* non meliore tribuit ratione, quàm cæteri hæreticorum.

Alia nihilo ſalubrior *benedictionis* illius origo, à Tridentino hiſtorico deſignatur, quòd ſyſtema Janſenii accederet ad Calvini errorem, quo Gallia, & Belgii provinciæ reſperſæ ſunt. Unde quotquot illic Calvinianam hæreſim, ſeu profitebantur palàm, ſeu fovebant animo, non poterant non ſuſcipere avidè librum Janſenii, ac poſtea Queſnelli, quos conſtat, & inter ſe ubique, & cum Calvino in pleriſque dogmatibus de auxiliis gratiæ ac libertate arbitrii convenire. De *Benedictione* Janſeniani voluminis apud Calviniſtas teſtabatur Paulus Calonus Eccleſiæ Leerdamenſis in Hollandia Calvinianus Adminiſter anno 1641. 13. Februarii ſic ſcribens ad Janſenii fratrem Catholicum: *Die quintâ hujus menſis vir honoratus Haga-comitis exhibuit mihi volumen ingens, & præclarum fratris tui.... Continet liber hic defenſionem unius ex præcipuis religionis veræ Chriſtianæ articulis ſub nomine S. Patris Auguſtini. Iſtud ipſum dogma eſt, quòd apud nos conſtanter traditur, & prædicatur: pro cujus defenſione dilectiſſimus frater tuus teſtatur, ſe multa Lovanii ſuſtinuiſſe prælia, multa indigna perpeſſum. Atque etiam jam indè à Pontificio apud Bruxellenſes Nuntio, Jeſuitarum artibus concitato, liber idem proſcriptus eſt. Gratias ago Deo, & agam publicè, pro tam propitio lumine, quo fratris tui intellectum illuſtrare dignatus eſt. Laudem meretur frater tuus ſingularem, quem prædicare nunquam deſinam... Mox ubi fratris tui librum nactus fuero, ad gregis mei ædificationem illo, ut par eſt, utar*. Idem Janſenii liber à Giſberto Voëtio, Jacobo Friglando, Hugone Grotio, & aliis paſſim Calvinianis approbatus, mille in cœlum laudibus evectus eſt, etiam poſtquam Sedis Apoſtolicæ fulminibus ad inferos detruſus fuerat.

Inſignem in Calvinianâ pietate progreſſum ex libro Janſenii fecerit Joannes Wierts, qui cùm eſſet Principi Auriaco à Conſiliis, tamen occupationibus publicis tot horas ſuffuratus eſt, ut in lucem ederet librum hoc titulo: *Centuria colloquiorum Dei, & animæ, quibus Janſenianam de Gratia doctrinam è Campo diſputationis Martio in placidum meditandi Elyſium, compendio tranſducere conatus eſt*. Verus autem Janſeniani operis fructus fuit, quòd eodem teſte Wiertſio, *exarſerit ſubitò illa diſſidii Theologici flamma, quæ poſtmodum Gallias, aliaſque Chriſtiani Orbis regiones pervagata, charitatis ſcholas, contentionis reddidit palæſtras*. Idem effectus eſt *Obſervationum Moralium* Queſnelli, ut tota novit, & luget Eccleſia. Non minùs *benedictionis* hæreticæ conſecutus eſt Janſenianus *de Gratiâ Catechiſmus* variis titulis, & editionibus etiam poſt damnationem donatus, qui, teſte Calviniſta Melchiore Leydeckero Theſi 56. *Medullam Janſeniani voluminis continet*. Ibi-

Ibidem, *Implevit hic, inquit, latè ſtatim Chriſtianum ferè Orbem, multoſque à Jeſuitis averſos, Janſenii fide imbuit, quorum ſimul aperuit oculos, ut viderent injuſtas Pontificum in Iprenſem iras, vanaſque Bullas*; ut in ejuſdem Calviniſtæ ſententia omnes Tridentinæ contra Calvinum definitiones injuſtæ ſunt, vanæ, atque irritæ.

Tantus autem *Obſervationum Moralium*, & ſimilium Queſnelli, Arnaldique operum *fructus* eſt, ut iiſdem teſtibus, nominatim Queſnello, in Traditione Romanæ Eccleſiæ de gratia tomo 3. pag. 152. *ſuper materia de gratia non ſit ampliùs ſolidum diſſidium Calviniſtas inter, & Catholicos*, quales ſcilicet cum Queſnello cæteri Janſeniani ſunt. Approbans illud Calviniſta Petrus Jurieux libro de Spiritu Arnaldi: *Verum eſt*, inqnit, *quod ad nos omnino acceſſerint in materia de gratiâ*. Ideò Queſnelli liber tanto ſtudio defendi meruit à Calviniſtis, inter quos non infimi ſunt *Conſiderationum indifferentium* Author, & novorum publicorum in Hollandia ſcriptores, qui ſemper Janſenianis prompti ſunt, ut quid. quid ad communem cauſam pertinens ſuggeritur, cum guſtu à ſe, & forſitan gratis referatur. Cui fœderi alacres ſe jungunt Lutherani, Joannes Frickius Ulmæ, Joannes Wolfangus Jagerus, Joannes David Speidelu, Georgius Fridericus Zugelu Tubingæ. Talis Queſnello & ejus *operi benedictio* parum honorifica eſt apud Catholicos.

Non magis ad commendationem utriuſque faciunt tot libelli famoſi, tot invectivæ, & ſatyræ contra Conſtitutionem Apoſtolicam, contra Religioſos, Epiſcopos, & Cardinales, atque ipſum ſupremum Chriſti Vicarium. Hi *fructus* novi Euangelii ſunt. Tales ut ignoti fuere Apoſtolis, & Sanctis Patribus, ita à Chriſti ſpiritu ſunt alieniſſimi; & novis hæreticis proprii. Agnovit eos, & deteſtatus eſt in Lutheranis, quorum initio patrocinium ſuſceperat, Eraſmus lib. 19. Epiſtolarum, Epiſt. ad Melanchtonem, *Qui poſſum*, inqnit, *mihi perſuadere illos agi ſpiritu Chriſti, quorum mores tantum diſcrepant à doctrina Chriſti? Olim Euangelium ex ferocibus reddebat mites, ex rapacibus benignos, ex turbulentis pacificos, ex maledicis benedicos: Hi redduntur furioſi, rapiunt per fraudem aliena, concitant ubique tumultus, maledicunt etiam de ſe bene-merentibus. Novos hypocritas, novos tyrannos video, ac nè micam quidem Euangelici ſpiritûs. Si Luthero eſſem addictiſſimus, magis etiam iſtos odiſſem, quam nunc odi, ob Euangelium quod ſuis moribus reddunt invidioſum*.

Ipſe Lutherus in poſtillâ domeſtica ſuper Euangelium Dominicæ primæ Adventûs de ſuis ſic queritur: *Mundus quotidie redditur deterior: Diabolus jam catervatim in homines ingreditur, ut nunc in tam ſplendidâ Euangelii luce ſint magis avari, injuſti, crudeles, protervi, multò denique deteriores quàm priùs in Papatu fuerant*. Idem tom. 2. Wittemb. edit. fol. 280. *Quò diutius prædicatur, tantò deteriores fiunt homines*. Et in præfatione poſtillæ Eccleſiaſticæ: *Noſtrorum pleroſque ſepticeps ille Diabolus invaſit, & deteriores evasère, quàm in Papatu fuerant*. Hi *fructus*, hæ *benedictiones* fuêre novi Euangelii apud Lutheranos, quibus utcunque ſimiles in Queſnelliani Euangelii præconibus, & contra cenſuras Apoſtolicas defenſoribus experimur. Quoties in Novis Hollandicis, quibus ſua interſeri paſſim curant Janſeniſtæ, ut ex ipſorum, præcipuè Walloni, literis pridem deprehendimus, quoties, inquam, in novis iſtis publicis legimus, omnia in Galliis, propter Queſnelliani libri, & excerptorum ex eo dogmatum prohibitionem, tumultibus concuti, ipſis Pariſiis ſeditionem horridam imminere, ſi obedientia erga Conſtitutionem Pontificiam, & contra refractarios pœna gravior urgeatur!

Ita potentiſſimi Regis animum, quem totius Europæ arma dejicere non potuerant, neque ad ſua penitùs vota flectere, Janſeniana Queſnelli factio aggredi auſa eſt, & terrere minis, fors etiam parata phanaticorum exemplo, ſi opus foret, vim vi repellere. De quo quidquid ſit, illud certiſſimum eſt, ſtupendam in omnibus paſſim Queſnelli diſcipulis temeritatem, ac pervicaciam reperiri, in fœminis etiam rabiem. Tales potuerint eſſe fructus *benedictionum*, quas Queſnellus ad ſuas Amaſones, etiam Provinciis diſſitas, mittere ſolitus eſt, ut anno 1701. 27. Julii Portûs-Regii Monialis ſenior literis teſtatur ſe *tranſmiſſam ab eo benedictionem utroque flexo poplite veneratione maximâ accepiſſe*. Si cæteras Queſnelli, & *operis* ejus *benedictiones*, qnas ipſe in præſenti ad Pontificem epiſtola magnificè jactat, diſcutere cum diſtincta fructuum relatione voluero, illis ſolis tomus integer replebitur. Sed nunc ad alia properandum.

Si liber Queſnelli *ad informandam*, ut ait, *pietatem præcipuè ſcriptus* eſſet, peteret Author, ſaltèm nunc, à Pontifice, ut dimiſſis, expunctis, damnatis tot ejus erroribus, retentis aliis ad pietatem inſtillandam magis idoneis liber corrigi, correctus iterum prodire poſſet. Sed tanta in defendendis omnibus, & ſingulis articulis obſtinatio, prorſus aliud Authoris eſſe conſilium demonſtrat; verſipelle ſcilicet ſtudium reducendæ ab inferis

feris Bajanæ, atque Janſenianæ hæreſeos ſuperadditis utrique quibuſdam novitatibus, ut ſolent hæreticorum ſectæ tempore perfici, & errorum faciliùs incrementa capere, quàm corrigi decrementis. *Nihil ſtudii ac laboris*, ab Authore *prætermiſſum eſſe, ut liber à certâ, conſtantique normâ Fidei, quàm Romana, ac Catbolica profitetur Eccleſia nulla in re deflecteret*, crederemus affirmanti, ſi exemplo Cameracenſis Archiepiſcopi, aut alterius Catholici in abdicandis poſt damnationem erroribus, promptum ſe, ac facilem præbuiſſet. Sed tam obdurata in iis contra Sedem Apoſtolicam propugnandis obfirmatio, benignam adeò de Queſnelli intentione exiſtimationem impediunt.

Quod Author regulam à S. Tridentino Concilio præſcriptam de ſubjiciendo ante editionem opere judicio Epiſcopi accuratè ſecutus ſit, laudem meretur; ſed non hoc uno Decreto Tridentinæ Synodi Statuta, Definitiones, Canones terminantur, quos ſi aliquanto accuratiore ſtudio, & majore religione expendiſſet, non in tot impegiſſet errorum ſcopulos, quos Pontificia, & multiplex non ſolius Clementis XI. vetuit Conſtitutio, ut tractatu proximo demonſtrabitur. Qui verò tam docilem ſe exhibet uni, alterive Epiſcopo, cur tam moroſus, difficilis, rebellis eſt Summo Pontifici, qui paſcendis non ſolùm agnis, ſed etiam ovibus, confirmandis in Fide fratribus æquè ac filiis à Deo eſt præpoſitus? Ideòne tutus in Fide eſt, quia liber à tribus, quatuorve Epiſcopis probatus? Arianiſmus, & plures aliæ hæreſes damnoſiſſimæ aliquando plurimos nactæ ſunt Epiſcopos approbatores; nunquam verò Romanos Pontifices, præſertim ex cathedrâ definientes.

Sed neque Epiſcopos Queſnellus, & Janſeniani cæteri reverentur, neque eorum judicio quidquam deferunt, niſi ubi ſuis cenſent erroribus ſuffragari. Solus Arnaldus Novatoribus illis pluſquàm Romanus Pontifex erat, pluſquàm omnes Epiſcopi. Et quidem Queſnellus, qui omnia Summorum Pontificum de ſuis libris, & opinionibus judicia, ac Decreta contumeliis dilacerat, librum ſuum typis edendum priùs Arnaldi judicio ſubjicit, hac declaratione, quæ eſt in proceſſu ſeu *Causâ Queſnellianâ pag.339. Scinde, reſcinde, adde, muta omnia pro libitu, rata omnia babebo, & grata*. Coupez, tranchez, ajoutez, faites tout le changement qu il vous plaira, tout sera bien fait.

Ipſe Ægidius Candidus, ingenio quantunvis indomito, docilem tamen ſe Arnaldo præſtitit in graviſſima de pœnitentiæ Sacramento quæſtione à nobis aliàs referenda.

Denique nec tanta ſubmiſſione, & veneratione Queſnellus librum ſuum ſubdidit judicio Pariſienſis Archiepiſcopi, quantam comminiſcitur præſens ejus ad Clementem XI. epiſtola. Sic enim eodem tempore quo Archiepiſcopus correctionem libri meditabatur, ſcripſit Queſnellus in epiſtola anni 1699. 23. Aprilis. *Sino agere bonum Abbatem D. Antonium à S. Bernardo* (Antonium Cardinalem de Noailles) *quomodo enim impedire potero? Gaudeo, quòd non adhibear in conſilium: quod bene factum fuerit, admittam; ſi quid autem ſit quod approbari nequeat, à me amoliri potero, dicens, nullam me in eo babere partem. Modò nihil immutetur circa loca notata, bene eſt. Scio eum aliquibus priùs dixiſſe, quod proximam editionem permiſſurus eſſet juxta approbationem priſtinam; id quidem deberet ad retundendas temerarias adverſantium accuſationes; verùm ſatis video ejus inconſtantiam. Mais je vois bien qu'il Saigne du nez*. Quæ ubi in *causâ Queſnellianâ* pag. 424. relata ſunt, ſtatim ſubditur: nec minus irreverenter dixerat in literis uno menſe ante datis *Ago gratias Typographo pro dono decem* (fortè exemplarium.) *Miror R. P. Antonium à S. Bernardo* (Cardinalem Noaillium) *agere ea, quæ tantum famæ ſuæ afferant detrimentum. Homo iſte omnia corrumpit*. Cet homme la gate tout.

CAPUT XIV.

De laudibus fraudulentis, quæ in Queſnelli epiſtola tribuuntur Cardinali Noallio, & Benigno Boſſuetio Epiſcopo Meldenſi.

DE hæreticorum in laudando perfidia monet nos Sanctus Cyprianus epiſt. 49. ut nobis ſolicitè caveamus, quia, inquit, *ad hoc adulantur ut fallant, nunquam fideles ut diligant*. Nihil liberalius Janſeniſtis, in profundendis pleno cornu laudibus eorum, quos operum ſuorum approbatores quâcunque arte nacti fuerint. Quibus ſeu veris, ſeu falſis encomiis id conſequuntur, ut & lucubrationibus ſuis, quibus viros ſummos ſuffragari conſpicitur, non levis accreſcat authoritas, & data ſemel approbatio non facilè retractetur. Plurimi quoque deinceps alii, ut pauci laudis omnis contemptores ſunt, encomiorum illecebrâ invitantur, ut ſuum libris iſtiuſmodi minùs ægrè calculum adjiciant. Certum enim, atque exploratum quilibet habet, ſe longè, latèque, apud exteros etiam, & poſteros, ad quos Janſenianorum volumina pervenerint, celebratum iri

velut

velut oracula ſcientiæ, veluti pietatis cæterarumque ſacraria virtutum.

Sed fidelibus ſuſpecta debet eſſe laus omnis, quæ hæreticos habeat Authores: &, uti à probatis viris celebrari honorificum eſt, ſic ab improbis operoſiùs commendari, famæ potiùs noxium eſt, quàm veræ argumentum dignitatis. Quas hic Queſnellus ſingulis ſuis quaqua ratione ſuffragatoribus Epiſcopis laudes accumulat, non eſt animus examinare, minùs verò honorem debitum detrahere. Cardinalem in primis Noallium, ac Benignum Boſſuetium Epiſcopum Meldenſem, qui præcipui patroni à Queſnello referuntur, ut par eſt, veneror: neque in eorum elogiis hic aliud reprehenſum eupio, quàm mentem laudantium fraudulentam, qui eos, quos vilipendere, & odiſſe clam deprehenduntur, palàm blanditiis, atque adulationibus demulceant. Copioſa fallaciæ iſtius detegendæ argumenta ſuppeditat liber *Cauſa Queſnelliana* toto Articulo 19. cui titulus: *Quod poſtquam ipſemet erga Eminentiſſimum Cardinalem Noallium ſuum Archiepiſcopum ſummam publicè profeſſus eſſet venerationem, ſuoſque libros illius emendationi abſolutè ſubjeciſſet, interim dictum Eminentiſſimum Dominum literis ſuis ad amicos ſcriptis, indignis modis perſtrinxerit, & dum libellum eidem Eminentiſſimo Domino ſummè injurioſum deteſtari ſe ſimularet, eum ad familiares ſuos ſcribens ſummè laudaverit, tanquam moderatiſſimè ac nervoſiſſimè ſcriptum.*

Videri hæc poſſunt in eodem proceſſu pluribus allegationibus ex Queſnelli ſcriptis ſtabilita pag. 423. & ſequentibus. Ita ſcripſerat Queſnellus D. Willart anno 1698. 7. Februarii. *Non ſatis conſiderat* (Archiepiſcopus Pariſienſis) *quanta ſit culpa in ſupremo totius ordinis Præſide, qualis eſt Dominus Antonius à S. Bernardo* (idem Archiepiſcopus) *damnare, & permittere, ut Theſibus publicis damnentur propoſitiones, velut ſcandaloſæ, impiæ, blaſphemæ, quæ ſunt ipſius Fidei Catholicæ, & Eccleſiæ dogmata, quale eſt propoſitio Arnaldi, & illius ſcriptoris quem Generalis iſte aggreditur* (Archiepiſcopus) *ut nihil dicam de injuria illata Abbati Seniori, adversùs quem conclamatum fuit, ut ejus nomen in ordine redderetur odioſum. Sufficere non debet Generali zelus pro obſervatione Regulæ .... conſervanda quoque ipſi in ſuo ordine eſt puritas doctrinæ, ſeque ejus defenſorem apertè, & publicè profiteri debet, omnemque ſuam defenſioni ejus impendere authoritatem. Si autem non ſolummodo eam non tueatur; ſed deſerat, vituperet, damnet, exprimere ſatis nequeo quanta hæc mihi coram Deo appareat culpa, & quàm idonea ſit, ut benedictionum cæleſtium curſum ſiſtat; quàm metuendum ſit nè* Deus *eam graviſſimè puniat, & quàm propterea neceſſarium ſit, ut qui peccatum in tam ſancto, tam ſublimi munere commiſit, ejus magnitudinem intellectu comprehendat: non indormiſcat præconceptæ opinioni, quaſi bonum opus præſtiterit: oportet oculis prorſus apertis peccatum ſuum perſpiciat, ejus effectus pœnitentiâ præveniat, humiliando ſe propterea in hac vitâ .... Quidquamne tentatum eſt ad Generalem juvandum, ut extrahatur è fovea, in quam ſe præcipitem egit? Non exiſtimo; ſed faſcinatus manet laudibus, & adulatione, quibus ſcatent epiſtolæ, quæ dicatis ei Theſibus præfiguntur.*

Ad eundem 9. Aprilis ejuſdem anni 1698. *Multo magis vereor, nè peccato quod commiſit, indignum ſe reddiderit, ut damnum illatum reſarciat: & nè propheta, qui venundatus fuit ad maledicendum populo Dei, non mereatur à Deo adigi ad benedicendum. Timeo quoque, nè Antonius à Sancto Bernardo* (Antonius Noailles) *nimiâ pollens authoritate, in hac cauſa prævaleat* adversùs Janſeniani Caſûs approbatores, *& ſimul nè indignus ſit cæleſti lumine, qui nullo modo diſpoſitus apparet ad pœnitentiam.*

Sæpius Queſnellus de Eminentiſſimo hoc conqueritur, quod anno 1696. *Expoſitionem fidei* Gerberonianam gravibus cenſuris perſtrinxerit, tanquam *continentem propoſitiones reſpectivè falſas, temerarias, ſcandaloſas, impias, blaſphemas, Deo contumelioſas, & derogantes ejus bonitati, percuſſas anathemate, hæreticas, & temeritate intolerabili inſtaurantes doctrinam quinque propoſitionum Janſenii.* Cenſuram hanc, quæ Catholico cuilibet videri debuit æquiſſima, Queſnellus in epiſtola anni 1698. 18. Septembris vocat *culpam anni 1696.* In eadem epiſtola adversùs Archiepiſcopum Pariſienſem exclamans, *Quàm*, inquit, *funeſtum eſt Antonio à Sancto Bernardo mutaſſe ſtationem!* Catalaunenſem ſcilicet Epiſcopatum cum Pariſienſi, in quo ad complacendum Curiæ, ut Queſnellus calumniatur, Janſenianam hæreſim, in Gerberonii *Expoſitione fidei* damnavit, quàm in quatuor Queſnelli voluminibus magnificè probaſſe viſus fuerat. Dialogo veteranum inter, & juniorem Theologum pag. 20. aſſui debuit lacinia, jubente Queſnello, qua dicitur, *Reverà admittendum quod in damnatione expoſitæ à Gerberono fidei Archiepiſcopus ſe decipi paſſus fuerit, quòd nimium auſcultaverit præjudiciis, ſeu præconceptis in juventute opinionibus, & aures nimis faciles iniqua ſuadentibus præbuerit. Malo ſuo directorem conſcientiæ nactus eſt obſirmatiſſimum contra Janſeniſmum.* Quem Queſnellus voluiſſet non alium credi, in Janſenii,

ſenii, & ejus ſequacium libris exiſtere, quàm inconcuſſam, ac tutiſſimam Auguſtini, atque Angelici doctrinam.

Adde, inquit Queſnellus, *quòd aula Reginæ matris, cui familia Archiepiſcopi addictiſſima erat, cane pejus, & angue oderit prætenſum Janſeniſmum, quod magna undiq; eſſent adverſùs phantaſma illud præjudicia, quodque dum Noallius Clericus in minoribus conſtitutus Sorbonæ limina terere cœpit, vix aliud ſciretur de veteri contra Arnaldum cenſurâ, quàm quod ad ſuſcipiendum Baccalaurei gradum tam religioſa ejus ſubſcriptio exigeretur, quàm anathema contra Lutherum. Dein ſtudia pro gradu licentiæ otium ipſi non reliquère examinandæ cenſuræ neceſſarium; non diu poſt ſucceſsère labores Epiſcopatûs, quem noſti, quàm præmaturè adierit, & quantâ ſemper geſſerit ſolicitudine*; ut ad ſcientiam Theologicam acquirendam multum temporis non ſuperfuerit. *Sed*, proſequitur Queſnellus, *ut dicam candidè, quòd cenſeo, inter neceſſaria Epiſcopatûs officia, & ſtudia eſt, inveſtigare funditùs veritatem doctrinæ, ad quod vereor nè multi Epiſcopi non ſatis attendant.... Erravit Noallius*, inquit Queſnellus, *in damnanda Expoſitione fidei* Gerberoniana *velut hæreticâ, in qua plerique eruditorum non alia reperère dogmata, quàm Scripturarum, & Traditionis, ubi tantus Antiſtes Janſeniſmi toxicum ſe detexiſſe arbitratus eſt. Omnes ingenii lumine præditi cenſuram Expoſitionis vocant deceptionem, & errorem circa factum, qui obeſſe nequeat veritati*. Quia ſcilicet librum *Expoſitionis Fidei* non intellexerit, & longè alio, quàm oportuerat, ſenſu fuerit interpretatus. Quam dein cenſuram mendax Queſnellus fingit ab Archiepiſcopo fuiſſe retractatam, ex eo quòd ſententias, quas priùs condemnaverat ut hæreticas, poſtea appellaverit duriores, *ſentimens outrès*. Unde Cardinalis meritò uteretur illo pſalmi 101. *Qui laudabant me, adverſùm me jurabant*.

Quid enim ex antecedentibus illis concludas, quàm Archiepiſcopum ſcientiâ Theologicâ eſſe leviter tinctum, qui parum ſtuduerit ante Epiſcopatum, in eo, curis aliis diſtractus, ſtudiis otium vix habuerit: erroneis aliorum judiciis, & conſiliis ſe abripi paſſus, hæreticam exiſtimaverit, & ut talem damnaverit *Expoſitionem Fidei*, non niſi Scripturarum, & Traditionis veritatibus conſtantem? Quo ſuppoſito, quid magni ponderis afferet Archiepiſcopi illius authoritas, & approbatio præſtita quatuor Queſnellianis *Conſiderationum Moralium* voluminibus? Cur in immenſa illa ſententiarum multitudine falli non potuit, hæreſim pro veritate Catholicâ approbans, qui in molis exiguæ libello clariſſimo, quaſi cæcutiens, & *Expoſitionem Fidei* maximè dilucidam non intelligens, Scripturas, & Traditionem tanquam venenum rejecerit, Fide Catholicâ velut hæreſi condemnatâ? Cur igitur talis Archiepiſcopi authoritas Pontificem impedire debuit à feriendo Queſnelli opere, & excerptis ex illo propoſitionibus poſt tot accuratiſſima examina configendis? Accedit, quòd Queſnellus in epiſtola anni 1698. 18. Septembris ait de eodem Cardinale, *quòd dum ex officio, ordine, dignitate, incumberet ei veritatis defenſio, eam deſeruerit timore, defectu luminis, puſillanimitate, reſpectu humano, præventione*. Qui rationibus minimè legitimis veritatis defenſionem, ad quam tot nominibus obſtringitur, deſerit, nunquid in periculo videtur eſſe proximo, errores, ſi pro eis rationes ſimiles occurrerint, amplectendi, atque defendendi?

At irrefragabile ſaltèm eſſe Queſnellus jubet defuncti Meldenſis Epiſcopi pro libro ſuo teſtimonium. *Hoc ſponſore*, inquit, *& vindice, ſi Conſiderationum Moralium liber conſiſtere ſecurus, intactuſque non poſſit, quid jam tutum eſſe poteſt, & extra cenſuræ periculum?* Quæro ego ex Queſnello, quis tam irrefragabilem uni recentiori Antiſtiti tribuerit authoritatem? Damnavit meritò Alexander VIII. propoſitionem hanc trigeſimam inter triginta, & unam: *Ubi quis invenerit doctrinam in Auguſtino clarè fundatam, illam abſolutè poteſt tenere, & docere, non reſpiciendo ad ullam Pontificis Bullam*. Multò minùs unius nuperrimi Meldenſis Epiſcopi approbatio, & qualiſcunque defenſio ſecurum reddere poteſt librum, quem dein Sedes Apoſtolica, maturo præmiſſo examine, graviſſimis notis cenſuit perſtringendum. Sic Author epiſtolæ librum ſuum ante annos aliquot ab hoc Chriſti Vicario fuiſſe confixum noverat, cujus ſupremo judicio opponere, ac præferre impudens audet unius defuncti Epiſcopi ſuffragium, quaſi illud etiam poſt ſolemnem damnationis ſententiam *ſecurum* præſtare debeat librum, & veluti *intactum*, ſpreto quocunque Sedis Apoſtolicæ anathemate. Creſcit autem inſigniter impudentiæ nota in Queſnello ex iis, quæ ipſe aliàs de Meldenſi ſcripſerat tanquam de viliſſimo homunciove cujus judicii nulla, aut vix ulla habenda ſit ratio.

Audiatur Queſnellus in epiſtola anni 1698. 18. Septembris ad Willartium, *Dominus du Perron* (in cifra Janſeniana Dominus Boſſuet Epiſcopus Meldenſis) *Videtur mihi nullius penitùs authoritatis*. ME PAROIT UN TRES PAUVRE HOMME, *Propheta claudicans in utranque partem: tales veritatem nolunt cognoſcere, nè*

nè ſequi teneantur. In alia ad eundem Willartium epiſtolâ, *Oportet*, inquit, *Dominum du Perron ſtulteſcere*, IL FAUT QUE LA TETE LUY TOURNE. *Quod dicit in occulto, velim prædicet ſuper tecta: non ſolùm ſe reddet ridiculum; ſed & omnium in ſe tela convertet; Homo eſt nihil habens veræ juris-prudentiæ, quia libri plures in lucem editi ſunt, quibus eum proteri neceſſe ſit*. Has epiſtolas, hæc ſua de Boſſuetio judicia typis prodiiſſe, & in omnium verſari manibus exploratiſſimum Queſnello eſt. Quâ igitur fronte nunc ejus patrocinium ad tantum authoritatis gradum evehere apud Chriſti Vicarium audet, *ut eo ſponſore, eo vindice, ſecurus conſiſtere debeat Conſiderationum Moralium liber*, quantunvis gravibus antea cenſuris à Sede Apoſtolica condemnatus? *Homo nihili, miſerabilis, contemptu dignus*, Gallicè UN TRES-PAUVRE HOMME, *propheta claudicans in utranque partem, qui veritatem nolit cognoſcere, nè ſequi teneatur, homo nullius judicii, ſubverſi cerebri*, quomodo ſat ponderis habere valeat, ut ejus approbatio omnes Sedis Apoſtolicæ contra librum cenſuras, vel ſiſtere debeat, vel elidere?

Pergamus nihilominus Queſnellum audire tam maleſanis exclamationibus copioſum, quàm ſolidarum inopem rationum. *Quid*, inquit, *Catholici ſentient? Quid Acatholici jactabunt, ſi tanti viri judicium de regula fidei periclitetur, quo duce, & penè ſolo inter totius Orbis Antiſtites, Catholicæ fidei ſcriptis editis defenſore, victrix Eccleſia de omni hæreſi, & ſchiſmate per annos pluſquam quadraginta triumphavit?* Quid enim verò ſentient Catholici, ſi quidem Queſnellianæ de Boſſuetio ſententiæ crediderint? Quomodo, inquient, in Fide Eccleſiæ Romanâ, & Apoſtolicâ firmabimur ſcriptis illius Antiſtitis, quem præcipuus ejus cliens, & encomiaſtes exhibet velut *prophetam, qui claudicat in utranque partem*, velut *miſerabilem*, & *nullius ponderis Authorem, nullius prudentiæ*, qui *veritatem non vult cognoſcere, nè ſequi teneatur*, denique velut *hominem cui cerebrum inverſum ſit*. Quid jactabunt hæretici, ſi non meliores habeat res Catholica defenſores? Quis veritatem, ſicut oportet, propugnari exiſtimet à veritatis hoſte, vel contemptore, qui eam refugit, nè ad ſequendum obſtringatur?

Adeóne omnes hæretici hebetes ſunt, & debellatu faciles, ut quadraginta annorum ſpatio, de omnibus triumpharit ſcriptor unus *miſerabilis, ineptus, veritatis lumini occludens oculos, & ab ea averſus adeò, ut, nè ſequi eam debeat, etiam cognoſcere detrectet*, denique *ſcriptor* unus *turbato capite inſaniens*? Sic hæretici ex ipſis Queſnelli verbis, ſi vera fuerint, colligent inanitatem triumphi, quem Queſnellus Eccleſiæ aſſerit ex ſolis Boſſuetii lucubrationibus, quarum dejecto tot nominibus ſcriptore, doctrinæ quoque concutitur, ac dejicitur authoritas. Sed, inquies, diſtingue tempora, ſcribendi occaſiones, & materiem, haud difficulter fortaſſe, tam varias Queſnelli de Meldenſi Epiſcopo ſententias conciliabis. Sapuit is ſcilicet, ac de hæreticis omnibus, & ſchiſmaticis triumphavit, & per illum Fides, atque Eccleſia, dum contra utriuſque hoſtes, aut pro Queſnelli opere decertavit. Deſipuit autem, & omnes à Queſnello impactas contumelias promeritus eſt, quoties Janſeniſmum, tanquam hæreſim reipſâ exiſtentem, ejuſque ſectatores fuerit averſatus.

Sic Alexander VIII. qui priùs Cardinalis viſus forſan aliquibus fuerat minùs favere Jeſuitis in Congregatione de Propaganda Fide, dein ad Pontificatum aſſumptus, quibus non elogiis, ac blanditiis à Janſeniana factione fruſtrà tentatus fuit, ut in illas partes penitùs traheretur! Ad Petri Cathedram evecto ſtatim applaudebant Novaturientium in Hollandiâ Primipili epiſtolâ plurium nominibus ſignatâ, cujus hoc eſt exordium: *Sanctiſſime Pater: una omnium, qui Chriſtum ſincerè diligunt, lætitia eſt, Te Eccleſiæ à Deo datum eſſe Paſtorem, qui illam non ab exteris ſolùm hoſtibus apertè eam impetentibus defendas; ſed etiam à Domeſticis, qui Chriſtianæ Fidei, ac pietatis leges adulterando, gregem Chriſti peſtifero pabulo corrumpunt; eos verò Apoſtolico vigore tuearis, qui in partem ſolicitudinis vocati, paſcendis ovibus ſibi commiſſis ſedulò invigilant*. Sed paulò poſt damnatis triginta, & unâ propoſitionibus Janſeniſtarum, tantam eorum indignationem idem Pontifex incurrit, ut execrationi eis fuerit; & converſis in opprobria laudibus, indignus Pontificatu, indignus Chriſtiano nomine, & cœtu Fidelium judicatus.

Neque eorum odium cum vitâ terminatum eſt: animam ejus poſt obitum perſecuti ſunt; indignam cenſuere ſuffragiis, exequiis, atque omni memoriâ. Ita Wallonus Hollandorum iſtorum, & Janſeniſtarum omnium in Urbe Agens, ad Arnaldum ſcribebat anno 1691. 3. Februarii *Pontifex ad Dei Tribunal evocatus eſt, redditurus rationem ſui Decreti in Inquiſitione conditi, & ſuæ Bullæ contra 4. articulos Cleri Gallicani*. In epiſtola ad Queſnellum eodem anno 17. Martii: *Non ſolus tu defunctum Pontificem atro excommunicationis calculo notas; ego adduci non potui, ut vel uni ex ſolemnibus exequiis pro eo in Baſilica S. Petri celebratis intereſſem; Nè orare qui-*

dem pro eo poſſum, ant ejus ad Aram meminiſſe. Non in ſolius Alexandri VIII. deteſtatione ſtetit Janſeniſtarum odium: etiam in cæteros Pontifices derivatum eſt. Sic anno 1702. 13. Julii Queſnello ſe pandit Wallonus. *Quòd de Pontificibus ſcribis, etiam mihi inciderat; ſed cavero ſenſum meum hic explicare, quanquam ipſorum uſtionem parùm metuam.*

Nunc ad Queſnelli objectionem directè reſpondeo: Si Boſſuetii *judicium de regula fidei periclitetur*, ſi etiam damnetur à Pontifice, ſentient Catholici, & inter Acatholicos minùs iniqui, accidiſſe errorem Boſſuetio, quòd humanum eſt: labi contigit Sancto Cypriano, Tertulliano, Origeni, & aliis eruditionis famâ, atque Apologiarum pro Fide contra hæreticos multitudine, ac præſtantiâ Boſſuetio non inferioribus. Majorne is fuit Auguſtino, qui à Manichæiſmo converſus in Semipelagianiſmum proruit, ac libris Retractationum plura errata ſua corrigens, ſe hominem non erubuit confiteri? Neque ea errata cæteris ejus ſcriptis authoritatem detrahunt; ſed fidem optimam probat lapſuum retractatio. Quod igitur evênit Sanctiſſimo Hipponenſi Antiſtiti, locum quoque obtinet in Meldenſi; nam is poſtquam *Defenſionem* ſcripſerat *Obſervationum in Novum Teſtamentum* ſub initium anni 1699. contra famoſum problema, quòd prodierat 1698. dein hortatu Illuſtriſſimi Carnotenſis Epiſcopi *Obſervationes* illas ſtudioſiùs introſpiciens, benigniorem, quàm de iis præpropere tulerat ſententiam, in ſeveram mox convertiſſe deprehenditur cenſuram, teſte ipſo Willartio notiſſimo factionis aſſeclâ in epiſtola ad Queſnellum datâ anno 1699. die 27. Martii. *Quædam*, inquit, *ſuſpicio eſt, P. du Perron* (Epiſcopum Meldenſem) *huic libro adverſari*. Quòd tunc ſolummodò ſuſpicabatur, certiùs aſſecutus eſt anno ſequenti. Sic enim 1700. die 30. Januarii Queſnellum literis monuit: *Nihil novi ſcio de tumultu, quem excitant quatuor Fratres* (quatuor volumina Obſervationum) *præter hoc unum, ſcilicet Dominum du Perron iis etiam adverſari; ſed illud tantùm heri reſcivi.*

Eodem anno 1700. Abbas Dambes, vero nomine Abbas Conet, epiſtolam acerbam dedit ad Epiſcopum Meldenſem, qui ad Cleri Galliani Comitia Pariſios venerat, in qua ſic eum increpare audet: *Multos novimus, quibus dixiſti, quinque illas propoſitiones* (in Janſenio damnatas) *in libro Patris Queſnelli reperiri*. Dein addit: *Nec è memoria tua fortaſſe excidit, Illuſtriſſime Præſul, te nuper faſſum eſſe cuidam Archiepiſcopo, qui in Comitiis erat, puros, & apertos Janſenii errores hoc libro contineri.*

Hæc in ſecundo contra Qneſnelli librum documento Paſtorali ad Clerum, & populum ſuum dato 1711. 14. Maji, duo integerrimi Galliarum Antiſtites Lucionenſis, & Rupellenſis referunt, ac dein meritò adversùs peſſimam Janſeniſtarum fidem ita exclamant:

„ Poſt teſtimonium tam apertum, tam
„ clarum, præſertim profectum ab uno ex
„ hujus factionis Principibus... quis non
„ mirabitur, quis non execrabitur eorum
„ malam fidem, atque audaciam, qui in lu-
„ cem nnpet ediderunt librum hujus Præſu-
„ lis ſcriptum anno 1699. quo *Obſervationes*
„ commendantur (quas ſciunt anno inſe-
„ quente ab eodem damnatas fuiſſe) & ſimul
„ aſſerere non dubitarunt ipsâ præfatione,
„ *Illuſtriſſimum Epiſcopum Meldenſem eas Ob-*
„ *ſervationes in Novum Teſtamentum ſemper*
„ *multi feciſſe*. Hoc verò longè magis mirum
„ videtur, aut potius fidem omnem ſuperat,
„ quòd quanvis teſtimonium illud adeò ex-
„ preſſum, multis ab hinc annis cum autho-
„ ritate editum fuerit, nec ullus unquam
„ repertus ſit, qui epiſtolam ex qua excer-
„ ptum eſt, recuſare anderet; Janſeniani ta-
„ men non vereantur hodiernâ die ſuam ma-
„ lam fidem quaſi teſtatam facere, ac publi-
„ cis monumentis conſignare, dum Illuſtriſ-
„ ſimum Præſulem *Obſervationes ſemper ap-*
„ *probaſſe* aſſerunt, licèt contrarium ipſi aſ-
„ ſeruerint, & quidem eo ſcripto, quòd in-
„ ficiari non audent. Sic ſæpe Divina per-
„ mittit providentia, ut hæretici infamiæ
„ notam ultrò ſibi inurant, & quaſi deditâ
„ operâ id agant, ut homines perditi, atque
„ impudentes ab omnibus habeantur. Quam
„ ob rem, Fratres chariſſimi, Epiſcopus Mel-
„ denſis ſatis purgatur ab iis ipſis, qui con-
„ tendebant hujus uti authoritate, ut perni-
„ cioſum illum librum defenderent. Quan-
„ quam quid iis omnibus eſt opus, ut eam,
„ quàm falsò ſibi tribuunt Novatores au-
„ thoritatem, iis omnino auferamus? Satis
„ erit proferre teſtimonium, quòd in gra-
„ tiam Epiſcopi Meldenſis nuper dedit do-
„ ctiſſimus ſimul, & ſapientiſſimus, & non
„ minùs probitate morum, atque aliis animi
„ dotibus, quàm dignitate clarus Senator,
„ qui aſſerit ſæpenumero ſe audiviſſe ab Il-
„ luſtriſſimo Epiſcopo Meldenſi, cùm dice-
„ ret, *Obſervationes* Queſnelli eſſe pernicio-
„ ſas, apertos Janſenii errores iis contineri,
„ nec eas legi debere ab iis, qui Chriſtia-
„ nam pietatem profiterentur „.

Tnm inquirunt iidem duo Epiſcopi, *quibus dolis uſi fuerint Janſeniani, ut eum* (Meldenſem Antiſtitem) *ante occuparent*. Quàm quæſtionem ita ipſi diſſolvunt: *Ii, quorum ſco-*

pus erat, ut Illuſtriſſimus Præſul Obſervationes illas approbaret, excerpſerunt quaſdam ex libro propoſitiones, quas ad eum miſerunt, ex quibus judicare poterat nihil eſſe in iis OBSERVATIONIBUS *Fidei orthodoxæ contrarium in iis, quæ ad gratiam Divinam pertinent. Hinc factum eſt, ut ſcriberet librum, quem hodie proferunt; ſed ex eo nihil poſſunt conficere, poſtquàm ipſi docuêre quàm brevì Epiſcopus Meldenſis ſententiam mutaverit*. Cur autem illam *Obſervationum Moralium* apologiam, neque Reverendiſſimus Author, neque, eo vivente, alius in lucem edidit? Cur tantum theſaurum Queſnellus abſconditum latêre paſſus eſt? Hanc à pluribus reddi video rationem, quòd, cùm eo conſilio compoſita eſſet iſta defenſio, ut præfigeretur Queſnelliano operi in nova edirione, quàm Queſnelli fautores correctiſſimam promittebant, præſcripſit Illuſtriſſimus Meldenſis centum, & vigiuti correctiones: in quibus admittendis Queſnellianos tergiverſari perſpiciens, etiam defenſionem ſuam Meldenſis ſtatuit ſupprimendam.

Quapropter etſi Queſnelliani deſcriptum exemplar ex authographo haberenr, vivenre Antiſtite, de eo altum ſiluêre, aliàs ab ipſo facilè convincendi. Sed quæcunque demum Epiſcopo illi occaſio ſcriptionis fuerit, quæcurque etiam mutatæ ſententiæ, mutaſſe eum nemo audeat inficiari, vel revocare in dubium. Unde ſtupenda elucet Queſnelli perfidia ſimul, & impudenria, quòd mutationis illius maximè conſcius, à duobus memoratis Epiſcopis Lucionenſi, & Rupellenſi publicè redditus certior, nihilominus nullo facto mutationis indicio, Boſſuetium citare non vereatur, velut ſibi omnimodè patrocinantem. Quaſi ſola ejus authoritas Pontificem cohibere debuerit, nè ullis Queſnelli propoſitionibus cenſuram inferret, aliàs expoſirurus ſe juſtis Fidelium querelis, & inſultibus hæreticorum. Verùm inanis iſta, & ſolo nixa mendacio formido fuit. Potiùs habet Queſnellus cum ſuis ejuſdem mendacii reis, quòd metuat, nè ſibi à Petro per ſucceſſorem dicatur, quod olim Ananiæ, & Sapphiræ, *Quid utique convênit vobis tentare Spiritum Domini?* Et *Non es mentitus hominibus; ſed Deo*. Quin tantò gravius, & pernicioſius Queſnelli, quàm Ananiæ, & Sapphiræ mendacium eſt, quantò doctrinæ ſanitas, & fides opibus præſtat, quantò interitus fidei, quàm avaritia deterior eſt, quantò latiùs extenditur damnum Eccleſiæ univerſæ privato paucorum, & ſpirituale, atque æternum prævalet temporali.

S. Chryſoſtomus in illud act.5.v.7. *Uxor ejus neſciens, quòd factum fuerat*, inquirit, unde contigerit, neminem Sapphiræ ingredienti dixiſſe, quid Ananiæ contigiſſet, *Non eſt*, inquit, *auſus quiſquam annuntiare, quod acciderat; adeò Petrum obſervabant, & reverebantur, eique obediebant.* Quàm ab hac obſervantia, reverentia, obedientia remotus eſt Author epiſtolæ, cum reliquis tam novæ Eccleſiæ, quàm novi Auguſtini diſcipulis, verè anti-Pontificiis!

Si tamen irrefragabilem adeò Meldenſi, quàm illi Queſnellus arrogat, conceſſerimus authoritatem, quo plus ea ponderis habuerit, magìs ipſum opprimet Queſnellum, convictura certius de *puris*, *apertisque Janſenii erroribus*. Hæc enim ſola, veraque Boſſuetii de *Obſervationibus Moralibus* ſententia eſt, non ex ante traditis, & dein retractatis colligenda; ſed ex retractatione ipſa, & dein conſtanti, cui immortuus eſt, judicio. Alioqui Doctorum Maximus Auguſtinus, Semipelagianorum Patronus æquè ac Boſſuetius Queſnelli ſtatueretur, quòd inter blaſphemias omnis probè Catholicus rejiciet. Receptiſſima nempe juris regula eſt, quòd *prioribus derogent poſteriora*, in Spe. de teſte §.1. ver. quid ſi dicis l. nam, & poſteriores ff. de legi. Hinc corruunt cætera, quæ ad inanem oſtentationem, & imperitorum fraudem de Boſſuetii authoritate, ac præſtito ab eo priùs *Obſervationibus Moralibus* patrocinio tetricè inculcantur.

Sic nempe proſequitur Queſnelli epiſtola: „ Quæſo, & obteſtor, Beatiſſime Pa-
„ ter, dignetur Veſtra Sanctitas, inter tot di-
„ verſas pro universâ Eccleſiâ ſolicitudi-
„ nes, quibus illa premitur, etiam aliquot
„ horas impendere, perlegendo huic opu-
„ ſculo, quod ad explicationem, & defen-
„ ſionem libri, qui jam examini ſubjicitur,
„ tantus, & tam celebris Epiſcopus compo-
„ ſuit. Fieri non poteſt (ſinat enim me San-
„ ctitas Veſtra paulò liberiùs loqui) fieri, in-
„ quam, non poteſt, ut vir adeò eruditus, in
„ rebus Theologicis tam ſubactus, atque
„ verſatus, Regulæ Fidei in primis tenax, ad-
„ versùs errores omnes ſemper attentus,
„ apertam ejuſmodi operis defenſionem ſuſ-
„ ceperit, quod, ſi qua fides adverſariis eſt,
„ deteſtandas hæreſes contineret. Sed quas
„ hæreſes Sanctiſſime Pater? Eas ſcilicet, quæ
„ à Beatiſſimis Deceſſoribus veſtris Inno-
„ centio X. & Alexandro VII. atque etiam
„ poſtea à Sanctitate Veſtrâ per Conſtitutio-
„ nem *Vineam Domini Sabaoth* meritò dam-
„ natæ, excidere incauto non poterant, &
„ adversùs quas erecto zelo Illuſtriſſimus
„ idem Meldenſis Epiſcopus cum aliàs ſem-
„ per fuit, tum eâ præſertim occaſione at-
„ tentus eſſe debuit, cùm accuſationes no-
„ mi-

Digitized by Google

„ mine Janſeniſmi intentatas diluere, ac re-
„ fellere ſuſcepiſſet „.

Non neceſſe fuit horas aliquot à Sanctiſſimo Domino impendi legendo opuſculo, quod Author ipſe luci exponere noluit; ſed præpropere compoſitum tetractavit; Queſnellus autem dignâ Janſeniſtarum Principe perfidiâ in publicum protruſit poſt Authoris obitum, & nullâ revocationis factâ mentione; imò ſubſtituto ei ſplendidiſſimo in præfatione mendacio, *quòd Meldenſis Epiſcopus* CONSIDERATIONES MORALES *ſemper magni fecerit*. Quanquam, & hoc certum habeat Queſnellus, opuſculum, etſi nullo dignum examine, eo tamen Romæ, etiam jubente Sede Apoſtolica, non caruiſſe. Neque oculos tantùm ſubiit inferioris ordinis Theologorum, ſed etiam Cardinalium, atque ipſius Pontificis. Alterum hìc Queſnelli mendacium eſt: ſentire ſe ſimulat, propoſitiones quinque ab Innocentio X. Alexandro VII. CLEMENTE XI. eſſe *meritò damnatas*, dum non alium in eis ſenſum damnabilem agnoſcit, quam qui à Propoſitionibus *alienus* eſt, & qui non niſi *malignè eis affingi poteſt*, ut, & Janſeniſtarum Legati coram Innocentio X. declararunt in prima libelli ſupplicis columna, & qui ſenſus, ut inter nos, & adverſarios convenit, nec à Janſenio, nec ab ullo in Eccleſia Theologo unquam traditus eſt, aut defenſus. Proinde quoties Queſnellus propoſitiones meritò damnatas agnoſcere videtur, aliter dictum non intelligat lector, quàm de ſenſu fictitio, qui nulli unquam Theologo, adeóque nec Romanis Judicibus venit in mentem. Hunc tamen ſenſum ridiculum cenſuris eorum Janſeniſtæ adſcribere ſolent; Queſnellus in primis, qui propterea *plus luminis* deſiderat in Sede Apoſtolica, ut videat, quòd nemo non videt, ſenſum illum alienum, non fuiſſe à Janſenio traditum, nec ab ejus ſequacibus defendi. Adiri poteſt *Cauſa Queſnelliana* art. 9.

Eâdem fallaciâ profiteri Queſnellus poſſet propoſitiones 101. à CLEMENTE XI. *meritò damnari*, ſubintelligendo ſenſum à libro *Obſervationum moralium* protſus alienum. Ita ſenſum ſuum velut à cenſurâ Pontificiâ immunem retineret, & ſimul illuderet Eccleſiæ, videreturque definitionibus Apoſtolicis obtemperans, quas ſcriptionibus pluſquàm ſchiſmaticis inſectatur. Sed probroſa hæc nimiùm apparet demiſſio, & Janſeniſmi proſelytis, ac tironibus periculoſa, qui in animum facilè inducerent, faciendam ſibi, ſi Catholici eſſe vellent, à Queſnelli dogmatibus ſeceſſionem. Nè tamen, ubi viget Fidelium erga Summum Paſtorem obedientia, ab officiis, beneficiis, Ordinibus Sacris excludantur, magnâ Janſenianæ reipublicæ jacturâ, Queſnellus, vel quiſcunque conſiliorum ejus, & ſenſuum intimorum particeps, modum ſuggerit, quo ſalvis omnibus Queſnelli opinionibus, quilibet damnare valeat propoſitiones 101. & quidem in omni ſenſu, qui à Pontifice profligatur. Hic modus traditur, libro Gallico cui titulus: *Conſtitutio Sanctiſſimi Patris Noſtri Papæ* CLEMENTIS XI. *cum obſervationibus*, ubi aſſeritur pag. 361. *Manifeſtum eſſe, quòd ſi liber damnetur ob propoſitiones ſecundùm ſe, ſive in ſenſu obvio intellectas, Conſtitutio ſit ipſa magis damnabilis, quàm liber, qui per eam proſcribitur*. Quibus ſimilia toto opere diſperſa ſunt uſque ad pag. 368. Audaciâ tandem in fraudem converſâ, methodus traditur illudendi Eccleſiæ, & Conſtitutioni UNIGENITUS, quoties opus fuerit ei ſubſcribere, adeóque damnare propoſitiones 101. ſed ſubintellecto eis ſenſu exotico, quem conſtat neque à Queſnello, neque ab ullo ejus ſocio fuiſſe affirmatum. Sic igitur Author ſubdolus telam ſuam doloſiſſimam illic pertexit dicens: *Quòd Sanctiſſimus Pater damnat, remotiſſimum eſt à ſenſu Traditionis ſanctæ, & ſcripturarum, qui idem eſt atque Propoſitionum, & libri Queſnelliani ſenſus proprius, & obvius; condemnat autem ſenſus illos impios, & hæreticos* (ſed improprios, à Propoſitionibus alienos, & fictitios) *quos Obſervationum moralium Author ubique tanta indignatione rejicit, & declarationibus tam diſertis, tam dilucidis negat. Illos tamen Pontifex ſuppoſuit eſſe ſenſus Authoris: illos impetit: illos ferit cenſurâ, quæ tantas turbas excitat. Et quidem ad talem Conſtitutionis intelligentiam, atque interpretationem ipſa nos adigit S. Sedis reverentia, ac veneratio*. Quod ſi nugari non eſt, ac Conſtitutionem, authoritatemque Pontificiam irridêre, neſcio quis luſus, quis contemptus in re graviſſima magis indignus, magis irreligioſus valeat cogitari. Indè perſpicere poſſunt Eccleſiæ Præſides, quæ fides habenda ſit Janſeniſtarum declarationibus, & profeſſionibus obedientiæ erga Conſtitutiones Apoſtolicas, cùm ad Sacros Ordines, aut Beneficia aſpirant, à Magiſtris mendacibus, ac perfidis edocti reſtrictiones etiam in juramentis, quales vel Caſuiſtarum laxiſſimus deteſtaretur.

Priſcillianiſtis ſacrilegam hanc fraudem adſcribit Auguſtinus libro de Hæreſ. cap. 70. *Jura, perjura, ſecretum prodere noli*; recens verò Janſeniſtarum Secta, Queſnello duce, interpretationibus, quas præter ipſos nemo aſſequitur, nemo non dixerit ineptiſſimas, eludit profeſſiones omnes Fidei, juramenta omnia peſſumdat. Quiſquis porrò explicationes illas, & reſtrictiones adhibere ſuo loco, & tem-

tempore noverit, hic in numerum aſſumitur *Eruditorum*, de quibus Arnaldus in epiſtola ſecunda ad Fratrem ſuum Andegavenſium Præſulem ait: *ſubſcriptiones illas* (Formulæ contra Janſenium) *quaſi meras ceremonias ſpectant, quibus neceſſe non ſit congruere interiorem mentis aſſenſum, atque adeò hâc perſuaſione imbuti, licèt quinque propoſitiones in Janſenio exſtare non credant; tamen id ſubſcriptione ſuâ confirmare nihil verentur. Notum eſt, magnam Eruditorum partem, à quibus ejuſmodi ſubſcriptiones extortæ ſunt, hoc animo, quod poſtulabatur, præſtitiſſe. Non ignoras, Illuſtriſſime Præſul, res à me totâ Galliâ pervulgatas narrari*. Hæc Queſnello viſa ſunt digna, quæ ad ſuorum inſtitutionem insererentur pag. 490. libri ſui, quem fallaciſſimo titulo vocat *Defenſionem Eccleſiæ Romanæ, & Summorum Pontificum*. Verùm fucata iſta mendacia, & perjuria non adhibent Janſeniani ſinè neceſſitate, vel utilitate alicujus ponderis, qualis eſt nè *ſecretum prodant*; ſeu animum Janſeniſmo addictum: nè Janſeniſtæ agniti excludantur Ordinibus Sacris, officiis, & beneficiis. Placuerat fraus eadem Henricianis hæreticis contra quos S. Bernardus ſerm. 65. in cant. *Quid faciemus*, inquit, *his maligniſſimis vulpibus, ut capi queant, quæ nocêre, quàm vincere malunt, & nè apparere quidem volunt; ſed ſerpere? ... Denique indixere latebras ſibi, firmaverunt ſibi ſermonem nequam, Jura, perjura, ſecretum prodere noli*: Noli perdere officium, beneficium, aut Ordine Sacro excludi.

Nullos tamen texendarum fraudum peritiores Magiſtros nacti ſunt Auguſtini Iprenſis diſcipuli, quàm Arianos de quibus S. Ambroſius lib. de Orthodoxa Fide contra Arianos cap. 1. *Multas quidem*, ait, *& graves hæreſes novimus à plurimis ebullire, & veneni vice ad intimum pectus canceris ſui virus infundere; ſed vinci illi vel facilè poſſunt, vel facilè vitari, quorum primâ propoſitione omne conſilium pectoris proditur. At verò hi, quibus multa nobiſcum paria ſunt, facilè poſſunt innoxias mentes, & ſoli Deo deditas, fraudulentâ ſocietate percutere, dum malorum ſuorum virus per bona noſtra defendunt. Nihil enim periculoſius his hæreticis eſſe poteſt, quàm, qui cùm integrè per omnia decurrant, uno tamen verbo, ac ſi veneni guttâ, meram illam, ac ſimplicem fidem Dominicæ, & exinde Apoſtolicæ traditionis inficiant. Unde vehementer nobis cavendum eſt, nè ſe vel ſenſibus, vel auribus noſtris hujuſmodi aliquid latenter inſinuet; quia nihil tam cogit in mortem, quàm ſub obtentu fidei fidem violare; ut enim gypſum aquâ permiſtum, lac colore mentitur, ita hic per veriſimilem confeſſionem traditio inimica ſuggeritur. Qua de re non ſimilitudo confeſſionis; ſed ſenſus mentis eſt ponderandus, quo confeſſio ipſa firmatur*.

CAPUT XV.

Expenditur, quod Queſnellus ex allatis pro ſe patrociniis concludit.

,, REputet igitur (inquit) Sanctitas
,, Veſtra, Beatissime Pater; opus non
,, jam meum; ſed ipſum de hoc qua-
,, licunque Opere, graviſſimorum Theolo-
,, gorum, ac doctiſſimorum Epiſcoporum ju-
,, dicium ad examen revocari, Eccleſiamque
,, ipsâ rei novitate attonitam, ac ſuſpenſam
,, expectare, quid de eo libro, qui per an-
,, nos 40. approbantibus, ac commendanti-
,, bus tantis Epiſcopis, per totam Galliam,
,, vicinaſque provincias lectus eſt, Apoſtoli-
,, ca veſtra Sedes judicatura ſit.

,, Nè ſupereſt quidem ambiguarum vo-
,, cum prætextus; tametſi enim diſſidentium
,, ſcholarum variæ opiniones id effecerint, ut
,, voces, & locutiones ferè omnes de gratia
,, Chriſti jam ſint ambiguæ, dum de re ipſa
,, diſcrepantes Theologi, eaſdem tamen San-
,, ctorum Patrum locutiones, ad ſuum ſen-
,, ſum quique pertrahunt, neque penitùs à
,, me vitari potuerit quædam ambiguitas in
,, libro ejuſmodi, in quo Patrum magis,
,, quàm ſcholaſticorum locutiones adhiben-
,, dæ erant, & breves, contractaſque ſenten-
,, tias, eaſque præciſas ab invicem, non col-
,, ligatas, nec connexas eſſe, ipſa inſtituti
,, operis ratio neceſſariò poſtulabat. Tamen
,, ſic illas omnes verborum argutias expli-
,, cuit Illuſtriſſimus idem Meldenſis, & ad
,, exactiorem Fidei regulam revocavit, ut eâ
,, parte nihil jam poſſe deſiderari videatur.
,, Fateor igitur Sanctissime Pater, aſſequi me
,, omnino non poſſe, quid jam in eo libro
,, reprehendatur. ,,

Si opus, Queſnelle, jam non tuum ſit; ſi illud à te penitùs abdicaris anno 1712., quo Epiſtolam hanc ad Clementem XI. dediſti, cur, ut alias dein editas à te libri vindicias taceam, triennio poſt *Querelâ & proteſtatione* publicâ Conſtitutionem Unigenitus tanto impetu aggrederis, librumque velut tuum tanto molimine defendis? Minimè novum in Eccleſia eſt, ad examen revocari judicium *graviſſimorum Theologorum, & doctiſſimorum Epiſcoporum*, quales à veritate ſubinde in rebus minimè levibus aberraſſe, norunt omnes in Hiſtoria Eccleſiaſtica non peregrini. Quæ comparatio quinque, vel ſex Antiſtitum, cum ingenti illa multitudine Arianorum, etiam Epiſcopali dignitate fulgen-

Digitized by Google

gentium ? Donato, Pelagio quot favête Antiſtites ? Africani longè plures Cypriani ſententiam approbarunt, quàm Queſnellus enumerèt ſui opetis defenſores. Plus autem ſcientiæ Theologicæ his adſcribere, quàm illis; nè Queſnellus quidem audeat, aut ipſi, qui ſupetſunt Queſnello faventes Epiſcopi, ſibi ttibui patiantut. Quantam Antiſtitum, & Doctorum ſeriem oſtentat Arnaldus ſuffragantem libro *de frequenti Communione*! His multum cedit numerus Queſnelli, neque hic ſuorum eruditionem præferre voluerit, eruditioni omnium patrocinantium Arnaldino volumini.

Non tamen propterea cenſuit Innocentius X. abſtinendum ſibi à damnatione propoſitionis de bicipiti Eccleſiâ, neque Alexander VIII. parcendum propoſitionibus decimæ ſextæ, decimæ ſeptimæ, decimæ octavæ, inter 31. etſi ex libro *de frequenti Communione* excerptas fuiſſe Sedi Apoſtolicæ conſtiterit. Quis autem Epiſcopus conqueri auditus eſt, quaſi de illatâ tot Præſulibus contumelia? Nec ullus mirari viſus eſt, ſi Arnaldum, Queſnellum, Gerberonum, Wallonum, Janſeniſtas notiſſimos excipias, propoſitiones à tot Epiſcopis imprudentiùs approbatas, ad Sedis Apoſtolicæ Tribunal examinandas deferri. Inter *Epiſcopos doctiſſimos* à Queſnello adducitur Cardinalis Noallii in Archiepiſcopatu deceſſor Franciſcus de Harlay, cujus authoritatem ſubvertere Janſeniſtæ mille contumeliis conati ſunt, ſparſo etiam per compita libello famoſo, quo promittebatur præmium divinanti, *cujus fidei, aut religionis eſſet Archiepiſcopus*.

Contemptos à Queſnello Eminentiſſimum Noallium, & Illuſtriſſimum Boſſuetium oſtendi capite præcedenti. Cæteros etſi multis etiam nominibus venerandos, eruditione tamen claros extra Queſnelli vindicias non legimus, neque ſcio an aliud dederint hactenus eruditionis ſpecimen extra Gallias notum, præter Queſnelliani operis approbationem, & fortè mandati aliquid de non admittenda Conſtitutione UNIGENITUS. *Theologos*, qui pro Queſnello calculum dederint, credamus ejus teſtimonio eſſe omnes *graviſſimos*; nam ſi alia deforent, ſcientiæ defectum ſupplet quodcunque præſtitum Janſeniano operi ſuffragium. Talibus Novatorientium elogiis pridem aſſuevimus. Hanc hæreticorum fraudem Franciſcus Simonis parte ſecundâ primam poſuit, *ſe, ſuoſque ſolos magni æſtimare, ipſiſque Eccleſia oſtentare formidabiles; cæteros contemnere omnes. Cæcos facit homines ſuperbia: non tamen nullo conſilio ſuperbi ſunt hæretici; hoc agunt ut ſupercilio ſuo Eccleſiam ipſam terreant, nè quid auſit contra hæreſim*. Diceres Authorem ab annis quadraginta Queſnelli epiſtolam proſpexiſſe. A multis ſeculis Leontius lib. 1. contra Neſtor. & Eutych. in principio, *Se ipſos*, inquit, *ſapientes eſſe jubent, & ſunt tanquam ex juſſione, & edicto ſapientiâ præditi, quos eruditos eſſe fecit velle tantùm*.

Waldenſis ſimile teſtatur de ſui temporis hæreticis. *Wickleffus*, inquit, *Doctores repente facit ſua legis: Si aut ſemel hæreſi ſuâ balneati, fonte labia proluant Caballino; aut ſi in ſuo bicipiti ſomniaſſe Parnaſſo ſe meminerint, ut ſic repentè poëtæ prodirent.... ipſi ſemipagani*. Scilicet, ut obſervat Tertullianus lib. de Præſcriptionibus adverſùs hæreſes cap. 16. *Nuſquam faciliùs proficitur, quàm in caſtris rebellium, ubi ipſum eſſe illic, promereri eſt*. Verùm extra novos hodie Auguſtini diſcipulos, & eis quomodolibet patrocinantes, nihil Queſnello & ejus aſſeclis doctum eſt, nihil ſolidum, nihil ſanctum, aut ullo dignum encomio. Extra factionem illam ſcilicet omnia corruptiſſima ſunt. Aliàs retulimus Queſnelli ſub fictitio *Abbatis* titulo *epiſtolam ad quendam Romanæ Curiæ Prælatum*, ubi pag. 31. dicitur *maxima pars Cardinalium, & Theologorum Romanorum nihil intelligere*.

Gerberon in *Epiſtola conſolatoria ad Authores Catholicos, quorum libri Romæ configuntur*, ait, *Cenſuræ illæ fiunt ab iis, qui nullo modo, nè leviſſimè quidem verâ Theologiâ tincti ſunt*. Idem in libello *Strena, & monita ſalutaria data Inquiſitoribus pro anno* 1703. pag. 4. ait: *Patiamini ut pro irritis, & nullis habeantur omnes veſtræ Bullæ, quibus Auguſtinum* Janſenii *damnatis, cujus nè idioma quidem Latinum percipitis*.

Canonicus Le Noir, ficto nomine Domini *Bruleur*, anno 1703. 3. Martii ad Queſnellum ſcribens de Galliæ Epiſcopis, conqueritur, *pleroſque Antiſtites in illis Quæſtionibus controverſis ignorantes eſſe, nec velle diſcere*. Joannes Van Heumen Miſſionarius Hollandiæ in epiſtola typis edita anno 1704. vocat *Monachos ſpiritualem Eccleſiæ facem*: Henricus Schoor Baccalaureus Lovanienſis in Mercurio querulo pag. 4. vocat *Mercurium Monachorum, & mendaciorum Deum*, pag. 8. ait *Monachis ſinciput per multa ſecula non fuiſſe ſanum*. Ægidius de Witte in Denuntiatione ſolenni Bullæ CLEMENTIS XI. *vineam Domini Sabaoth*, alloquens Eccleſiam ait: *Conjuraſſe contra te videtur univerſitas populi Chriſtiani à minimo uſque ad maximum*, præter Janſenii diſcipulos, præter quos pag. 8. *Terra infecta eſt à lue Pelagiana*.

Alius libellus, *Depulſio excommunicationis attentæ in Matthiam Torckium* anno 1709. pag.

Digitized by Google

pag.16. ait *Perjuriis putreſcit Clerus; diſcipli-na corruit; vera Chriſti gratia abjicitur, Pelagius Vineam Domini depaſcit*. Pag. 8. *Sed quod denique, ajet quis, ingentibus hiſce malis confuſionem penè Babylonicam Eccleſiæ invehentibus perfugium, aut remedium? Certè nullum expectandum ab Urbe Româ, quæ totius ægritudinis, quâ à plantâ pedis uſque ad verticem Eccleſia luctuosè atteritur, præcipua, & prima cauſa eſt*. Unde igitur malis tantis remedium? A ſolis Auguſtini Batavici diſcipulis, Ægidio De Witte, Matthiâ illo Torckio, Queſnello, eorumque ſequacibus ac Patronis. Præter illos nemo ſapiens, nemo doctus, nemo Catholicus: omnes Pelagianis, aut Semipelagianis tenebris involuti. Familiaris illa ſemper hæreticis fuit de ſuis jactantia, & minùs tolerabilis aliorum omnium contemptus.

De Arianis teſtatur Alexandriæ Patriarcha Alexander in epiſtola encyclica apud Theodoretum lib. 1. hiſtor. Eccleſiaſticæ capit. 3. *Quinimmo*, inquit, *nec ullum collegarum noſtrorum, qui ubique gentium ſunt, ad mediocrem ſcientiam perveniſſe, ſolos ſe ſapientes jactant .... ſibi ſolis ea eſſe patefacta, quæ in nullius unquam ſub ſole cogitationem venire potuerint. O impiam arrogantiam, veſaniam immenſam, inanem gloriam, cum furore conjunctam, ſpiritum ſatanicum, qui in eorum mentibus callum obduxit!* S. Gregorius in cap. 19. Job. cap. 12. *Habent hoc hæretici proprium, ut de inani ſcientia ſua arrogantiâ inflentur, & rectè credentium ſimplicitatem ſæpe derideant*. Cæcos ſcilicet, ut ſuperiùs notat *Simonis*, facit homines ſuperbia; verùm, ut non minùs ſolerter idem obſervat, non ſunt hæretici nullo conſilio ſuperbi, ſed *ut ſupercilio ſuo Eccleſiam ipſam terreant, nequid auſit contra hæreſim*.

Imponit Queſnellus, dum fingit, *Eccleſiam ipſâ rei novitate attonitam, ac ſuſpenſam, expectare, quid de eo libro Apoſtolica Sedes judicatura ſit*. Toto quadriennio ante, nempe anno 1708. 13. Julii Sedes Apoſtolica judicium ſuum palàm enuntiaverat, librum gravibus cenſuris feriens. Illas toto Quadriennio ignorare Queſnellus non potuit, cùm contra eas non exiguæ molis opere in *colloquia* digeſto invectus ſit. Ex cenſuris illis utcunque diſcere potuit, quid in libro à Sede Apoſtolica præcipuè reprehenderetur. Sed iis non contentus, vult deſignari diſtinctiùs propoſitiones, quæ talibus cenſuris occaſionem dederint. Cui deſiderio cùm votum Regis Chriſtianiſſimi, & Cardinalis Noallii acceſſerit, annuit Pontifex, & novo imperato examine, Queſnelli deſiderium ſu-

petavit; plures exprimens ejus propoſitiones, quàm condemnari nova factio voluiſſet.

Nè ſupereſſe quidem ambiguarum vocum prætextum, niſi in aliquibus propoſitionibus, quæ *captioſæ* declarantur, etiam nos agnoſcimus; cæteras perſpicuas eſſe ipſa lectio convincit. Senſum pleræque præ ſe ferunt abſurdiſſimum, obvium, quem à Pontifice damnari ſatis exploratum eſt. Quapropter multa de eorum intellectu diſputatio minimè neceſſaria, & parum utilis videtur, niſi Novatoribus, ad afferendas potiùs luci tenebras, quàm tenebris lucem.

Neque Catholicarum claſſium inter ſe diſſidia effecerunt; ſed Janſeniſtarum argutiæ efficere conatæ ſunt, ut voces, & locutiones ferè omnes de gratia Chriſti fierent ambiguæ. Catholico ſcilicet Theologorum pallio opus eſt hæreticis, nè turpitudo nuda diſpliceat. Sanctorum Patrum ſententias, quas *Obſervationibus Moralibus* Queſnellus inſeruit, ab eodem perfidè corruptas fuiſſe, demonſtrabit Tractatus proximus.

Frivola eadem Baji, cùm adhuc Pontificiæ ſententiæ obluctaretur, excuſatio fuit, ſe Patrum magis, quàm Scholaſticorum vocibus uti ſolitum; ideò à poſterioribus non intellectum, & perperàm explicatum accuſari. Sed ſaniorem dein Bajo mentem Deus indidit, quando, abjectis cavillationibus, veram eum demiſſionem, atque obedientiam edocuit, cujus omnes Catholici Queſnellum videre cupiunt imitatorem, ut lugentes hactenus vident ſequacem errorum. Benignis quidem interpretationibus lenire Meldenſis aliquando ſtuduit quarumdam in Queſnello locutionum duritiem; ſed dein inſpecto attentiùs opere, expertus agnovit, fruſtrà laborari in excuſandis erroribus, ubi hæreſis tot locis inculcata, & nimiùm manifeſta eſt. Teſtimonium ejus de hoc vidimus ſuperiore Capite, ab ipſis relatum adverſariis. Teſtimonii veritatem confirmabit ampliùs Tractatus ſequens de Propoſitionibus damnatis.

CAPUT XVI.

De jactata à Queſnello puritate verſionis Novi Teſtamenti.

„ QUOAD Novi (inquit) Teſtamenti „ verſionem Gallicam, cautus effugi quidquid in aliis verſionibus „ Apoſtolicæ Sedi diſplicuiſſe intellexi. Verſionem vulgatam accuratè ſecutus, nihil de Græcis textibus intermiſeui. Literalem vulgatæ ſenſum ad literam dedi, ab omni paraphraſi datâ operâ abſti-

„ abſtinui. Si pluribus vocibus unam ali-
„ quando reddidi, id propter inopiam lin-
„ guæ ex neceſſitate factum eſt, nè ſenſus
„ ipſe fraudaretur, aut ſacri textûs vis, at-
„ que efficacia minueretur. Si quid tamen
„ incauto excidit, quod emendatione di-
„ gnum videatur, libentiſſimè corrigam „. Quali in cæteris verſari ſolet, etiam hìc utitur Queſnellus fide peſſimâ. Quid enim? An non legit Clementis IX. Pontificis cenſuram editam anno 1668. 20. Aprilis adversùs famoſam verſionem Gallicam novi Teſtamenti Montibus Hannoniæ, ut præ ſe fert, typis vulgatam, atque hanc declarari *temerariam*, *damnoſam*, *à vulgata editione prædicta difformem*, *& offendicula ſimplicium continentem*? Centenos autem Articulos in verſione Catalaunenſi, ſeu Queſnellianâ difformes à verſione vulgata, deprehendet quiſquis utranque conferre voluerit. Delibemus aliquos: in Epiſtola 1. ad Cor. cap. 7. num. 9. Monet Apoſtolus Cœlibes ut, *ſi non ſe continent, nubant*. Quod Queſnellus vertit *que s'ils ſont trop foibles, pour ſe contenir, qu'ils ſe marient*: *Si ſint nimis infirmi ad ſervandam continentiam, nubant*. Quæ verſio & diſſimilis eſt vulgatæ, ut patet, & in Janſenianis Authoribus admodum ſuſpecta, nè infirmitatis nomine ea intelligatur, quæ continentiam reddat incontinentibus impoſſibilem. Apoſtolus autem, ut rectè obſervat Chryſoſtomus lib. de Virginitate cap. 39. *Non dixit, ſi non poſſunt, verùm ſi non ſe continent*, vitio voluntatis liberæ, non virium ſufficientium defectu. Eadem corruptio placuit interpreti Montenſi.

In epiſtola ad Epheſios cap. 1. v. 5. docemur de Deo, quod *Prædeſtinavit nos in adoptionem filiorum per Jeſum Chriſtum in ipſum ſecundùm propoſitum voluntatis ſuæ*. Verſio Queſnelli: *Nous ayant prædeſtinè par un pur effet de ſa bonne volontè, pour nous rendre des enſans adoptiſs en Jeſus Chriſt*. Ideſt, *Qui prædeſtinavit nos ſolò effectu ſuæ bonæ voluntatis, ut nos reddas filios adoptivos*. Ubi Gallicum *pur* æquivalens Latino *ſolus* additum à Montenſi Interprete amplexus avidè eſt Queſnellus, ut eſſet irrefragabile quodammodo ex ipſo Pauli textu argumentum pro prædeſtinatione ad gloriam merè gratuitâ. Quæ quidem ſententia aliunde probabilis, non debuit corruptâ ſacrilegè Scripturâ temerè confirmari. Videtur Queſnellus ſeqni voluiſſe exemplum Lutheri, qui legens *fidem juſtificare*, addidit *ſolam*.

Joannis cap. 17. v. 12. *Quos dediſti mihi, cuſtodivi: & nemo ex eis periit, niſi filius perditionis*. Queſnellus vertit: *J'ay conſervè ceux, que vous m'avez donnez: & nul d'eux s'eſt perdu; mais celuy-là ſeulement, qui etoit enfant de perdition*. Quaſi Scriptura diceret, *quos dediſti mihi cuſtodivi, & nemo ex eis periit*; SED SOLÙM *filius perditionis*; adeò ut filius perditionis Judas non fuiſſet unus ex eis, quos Pater Chriſto dederat. Quæ quidem interpretatio placuit etiam Montenſi interpreti, & ante ipſum Calvino in cap. 17. Joannis; ſed Sanctorum Patrum nemini. Vulgatam interpretationem ſequuntur S. Chryſoſtomus, Cyrillus Alexandrinus, Theophylactus, S. Auguſtinus, Nonnus, S. Thomas, Hugo Cardinalis, Maldonatus, & cæteri paſſim Catholici. Verba Auguſtini tract. 106. in Joan. ſunt: *Sed ut de his, quos tum habebat, diſcipulis, hæc loqui intelligatur, illud magis urget, quod paulò poſt ait*: CUM ESSEM CUM EIS, SERVABAM EOS IN NOMINE TUO. QUOS DEDISTI MIHI, CUSTODIVI; ET NEMO EX EIS PERIIT, NISI FILIUS PERDITIONIS; *Judam ſignificans, qui tradidit eum; ex iſto quippe duodenario numero Apoſtolorum ſolus periit*. Idem tradit S. Thomas comment. in Joan. cap. 17. Sed utì Calvino, ita Janſenianis à vulgatâ, & catholicâ Scripturæ editione recedendum fuit; quia illa docendo etiam filium perditionis à Deo Patre fuiſſe datum Chriſto, nimis perſpicuè indicat æterni Patris, adeôque Chriſti voluntatem præſtandi ſufficientia gratiæ auxilia ad ſalutem, etiam non prædeſtinatis: atque ita Chriſtum ſua merita Patri non pro ſolorum electorum æternâ ſalute obtuliſſe, ſed etiam pro aliorum.

In eodem Joannis capite 17. ante verſum 20. collocat Queſnellus hunc, quem Janſeniano affectu fingit, titulum: *Jeſus prie pour les elus*. *Jeſus orat pro electis*. Quòd autem ibi Chriſtus non pro ſolis oret electis, patet ex ipſo, qui immediatè ſequitur, verſu 20. *Non pro eis autem rogo tantùm, ſed, & pro eis, qui credituri ſunt per verbum ipſorum in me*. Igitur pro omnibus fidelibus. Alibi etiam pro Crucifixoribus oravit.

Joan. cap. 6. v. 45. *Omnis, qui audivit à Patre, & didicit, venit ad me* Queſnellus *Tous ceux donc qui ont oui la voix du Pere, & ont etè enſeignèz de luy, viennent à moy*: *Omnes, qui audiverunt vocem Patris, & fuerunt docti ab ipſo veniunt ad me*, ubi verbum *doceri* ſubſtituitur perfidè pro *diſcere*? Eadem fuit verſio Montenſis, & continet ſecundam propoſitionem hæreticam Janſenii *Interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ nunquam reſiſtitur*. Nam ſi omnis quem Pater per gratiam docuit, ad eum veniat, nunquam Deo per gratiam nos docenti reſiſtimus; quòd falſiſſimum eſt, & hæreticum; quia etſi Deus, ut in ſcholis Magiſter optimus, bene doceat, multi tamen qui *docentur*, non *diſcunt*, non proficiunt, ut-

potè

potè negligentes, ſocordes, dyſcoli, qui diſcere non cupiunt; ſed animum à Magiſtro *docente* avertunt, nihil ſtudii, nihil laboris adhibere volentes, ut veritatem propoſitam, ſicut oportet, apprehendant..

Matth. cap. 19. v. 11. *Non omnes capiunt verbum iſtud, ſed quibus datum eſt.* Queſnellus exemplo Montenſis interpretis vertit: *Tous ne ſont pas capables de cette reſolution: mais ceux-là ſeulement qui en ont receû le don. Non omnes idonei ſunt, ut capiant verbum iſtud, ſed ſolùm, qui donum illud acceperint.* Quæ quidem verſio quibuſdam etiam Catholicis placuit, at maximè Calvino, Bezæ, Kemnitio, & aliis hæreticis paſſim recentioribus; ſed ſenſu diſpari. Nam Catholici, qui legunt *non omnes eſſe capaces*, negationem capacitatis non rigidè accipiunt; ſed pro negatione propenſionis, pro nimia averſione, pro magna difficultate, ita ut negetur tantùm capacitas practica, & voluntaria, quæ ad actum redigatur. Sic Bellarminus tom. 1. l. 2. de Monachis cap. 11. *Significat enim*, inquit, *non omnes intelligere practicè, ideſt non admittere, non perſuaderi, non approbare, quòd dictum eſt*, NON EXPEDIT NUBERE. De muliere garrulâ dicitur, quòd non poſſit ſilere, quòd non ſit capax ſervandi arcanum: de fratribus Joſeph, quòd non poſſent ei quidquam pacificè loqui: de guloſo, quòd ſibi temperare non valeat. Quibus locutionibus haud negari poteſtatem ſimplicem, & propriè dictam, ſive antecedentem, ſed conſequentem, & conjunctam cum actu, ſatis perſpicuum eſt. At non minùs exploratum eſt, plus velle Queſnellum, Montenſem Interpretem, & cæteros Janſenianos, qui negantes gratiam ſufficientem, ſimul aſſerunt, abſente gratiâ efficaci, non ſolummodò nihil nos agere, ſed nec poſſe: unde coguntur dicere cum Janſenio, præcepta aliqua, & conſilia Evangelica eſſe obſervatu impoſſibilia, quoties non ſervantur. Queſnelli itaque interpretatio, ſenſu ejus, & Janſenii accepta, favet hæreſi propoſitionis primæ Janſenianæ de impoſſibilitate aliquorum præceptorum, quoties efficacis gratiæ auxilium abſuerit. Sed & favet argumento Calvini contra votum caſtitatis l. 4. Inſtitutionis cap. 13. & Kemnitii in Concilium Trident. de cœlibatu cap. 4. ubi contendunt hæretici, votum caſtitatis perpetuæ non poſſe eſſe prudens, quia neſcimus utrum caſtitas perpetuò nobis futura ſit poſſibilis.

Non enim in illorum, & Janſeniſtarum ſententia ſervari poteſt caſtitas ſinè gratia ex ſe efficaci, quàm non ſemper Deus tribuit, ubi neque efficax orationis auxilium, quod neceſſarium juxta eoſdem eſt, ut orari poſſit, ſicut oportet, ut continentiæ gratia efficiens, quæ ſola ſufficiens eſt, obtineatur. Catholicis autem gratiam ſufficientem ſemper paratam ſtatuentibus, facilis eſt argumenti Calviniani ſolutio; reſpondemus enim cum Apoſtolo 1. Cor. 10. v. 13. *Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari ſupra id quod poteſtis, ſed faciet etiam cum tentatione proventum, ut poſſitis ſuſtinère*: & certè ſuſtinebitis, ſi cooperationem in veſtrâ poſitam libertate Divino junxeritis auxilio. Quare S. Chryſoſtomus in hunc locum *His*, inquit, *datum eſt, qui ſponte id eligunt: quod ideo dixit, ut oſtenderet ſuperiori nobis auxilio eſſe opus (quod quidem omnibus illud expetentibus paratum eſt) ſi volumus in hac lucta ſuperiores evadere.* Eadem eſt communis Patrum ſententia, quos longo ordine citabimus tractatu ſequenti, præcipuè contra propoſitionem ſecundam & aliquot ſequentes de gratiâ.

Matthæi 20. v. 22. *Poteſtis bibere calicem, quem ego bibiturus ſum*, Queſnellus vertit: *Pouvez vous boire le calice, que ie dois boire? Poteſtis bibere calicem, quem ego bibere debeo?* Quaſi Chriſtus non liberè; ſed neceſſitate conſtrictus animam ſuam poſuerit. Similis verſio eſt Matthæi cap. 26. v. 21. *Amen dico vobis, quia unus veſtrûm me traditurus eſt*, Queſnellus vertit: *Ie vous dis en verité, que l'un de vous me doit trahir*, quaſi diceret Salvator: *Amen dico vobis quia unus veſtrûm me debet tradere*, quod vergit ad errorem Calvini, facientis Deum Authorem proditionis. Sed & communis Eccleſiæ ſenſus eſt cum S. Leone, & Hieronymo, ideo Chriſtum iſtud dixiſſe, ut Judam à concepto crimine converteret ad pœnitentiam; quaſi Servator diceret, inquit S. Leo, *Redi in integrum & depoſita furore reſipiſce: clementia invitat, ſalus pulſat, ad vitam vita te revocat.* Parum autem accommodata invitando Judæ ad pœnitentiam fuiſſet oratio, quæ Chriſto à Queſnello affingitur; *unus veſtrum me debet tradere.*

Matth. 23. v. 33. *Serpentes, genimina viperarum, quomodò fugietis à judicio gehennæ?* Queſnellus vertit: *Serpens, race de viperes, comment pourrez vous eviter d'etre condamnez au feu de l'enfer: Quomodò poteritis fugere à judicio gehennæ?* Videtur novus interpres ubique captare occaſionem imponendi Chriſto duritiem, & adſtruendi cum Janſenio neceſſitatem peccandi, & incurrendi damnationem. Si vulgatam Queſnellus *accuratè*, ut ait, ſequitur, *nihil de Græcis textibus intermiſcens*, cur illud 2. Cor. cap. 11. v. 5. *Exiſtimo enim nihil me minus feciſſe à magnis Apoſtolis*, vertit, *Mais ie ne penſe pas avoir eté inferieur en rien aux plus grands d'entre les Apôtres. Exiſtimo autem me in nullo inferio-*

rem fuiſſe præcipuis Apoſtolorum. Nempe hæc, quæ juxta Græcum eſt expoſitio, propter obſcuritatem magis relinquit locum Theodoro Bezæ, & Janſeniſtis Calviniſtarum ſectatoribus, ut Paulum faciant authoritate nullo modo inferiorem Petro. Quæ hæreſis ab Innocentio X. anno 1647. condemnata eſt. Rectè Cornelius a Lapide reſpondet Bezæ, quod nos Janſeniſtis; Paulum non fuiſſe inferiorem in laboribus, & gratiis Apoſtolicis, & paſſionibus, de quibus ibi agebatur, non in primatu, de quo minimè cum Petro contendit, neque, ſe negat ei ſubditum. Ita interpretes Catholici accipiunt etiam illud cap. 12. v. 11. *Nihil enim minus fui ab iis, qui ſunt ſupra modum Apoſtoli*; Sed hæreticis fixum eſt, ubique occaſionem quærere ſtabiliendi errorem. Prætereo innumeras alias Textûs ſacri, & verſionis vulgatæ mutationes, præſertim non apertam cum Janſenianis novitatibus paſſim notis, præ ſe ferentes connexionem.

Senſum ſanum patitur, ſed & pernicioſum obvium titulus hic à Queſnello præfixus Euangelii S. Joannis capiti 10. §. 3. *Brebis de Jeſus entendent ſa voix: ne peuvent perir; Oves Chriſti audiunt vocem ejus: perire non poſſunt*: Iſtud toto capite nuſquam aſſeritur, neque verum eſt acceptum ſenſu poteſtatis antecedentis, quæ ſola libertatem conſtituit, & propriiſſimè dictam neceſſitatis antecedentis expertem facultatem. Quod prædeſtinati perire non poſſint, ſuppoſitâ prædeſtinatione, & ut in ſcholis loquimur, in ſenſu compoſito prædeſtinationis, ac poteſtate conſequente, ſive cum actu conjunctâ, nemini dubium eſt. Sed cum poteſtatis nomine paſſim intelligatur antecedens, quæ, ut dixi, propriiſſima, & libertati unicè ſufficiens poteſtas eſt, videtur conſultiùs, & ad animarum fructum utiliùs dicendum cum Cornelio a Lapide in Joannis cap. 10. v. 28. „ Dupli-
„ ces ſunt oves Chriſti, primò omnes fide-
„ les, & Chriſtiani: ſecundò omnes; & ſo-
„ li prædeſtinati, electique ad gloriam. His
„ ſecundis propriè competunt hæc verba
„ Chriſti; priores enim, puta fideles omnes,
„ ſunt oves Chriſti gregales, & communes,
„ è quibus multi pereunt, & damnantur.
„ Ita S. Auguſtinus oſtendit de ovibus
„ quare non pereant: de ovibus enim, de
„ quibus dicitur; *Novit* Dominus qui ſunt
„ ejus, nec lupus rapit, nec fur tollit, nec
„ latro interficit. Poſteriores ergo ſunt oves
„ Chriſti è grege fidelium electæ, & ſingu-
„ lares, è quibus nullus perit, ſed omnes ſal-
„ vantur: de prioribus tamen quoque ait
„ Chriſtus; *Ego vitam æternam do eis*; quan-
„ tum ſcilicet ex me eſt, quia nimirum pro-
„ mitto eis vitam æternam, meamque opem,
„ & gratiam, omniaque neceſſaria ad illam
„ ipſis offero, optoque ut ſalventur. Quod
„ ergo nonnulli ex eis pereant, & damnen-
„ tur, non mea, ſed ipſorum eſt culpa, qui
„ me audire, gratiæque meæ cooperari no-
„ lunt. Nam nec Diabolus, nec quis alius,
„ tam potens eſt, ut eas rapere poſſit de ma-
„ nu mea; ſi ipſi in ea permanêre velint, no-
„ lintque rapi. Gratia enim mea, quam eis
„ do, tam potens eſt, & valida ut, ſi ei coo-
„ perari uſque ad finem vitæ velint, nemo
„ eos poſſit à me abripere; ſed ſi ipſi liberè
„ me relinquant, non eſt hic raptus, ſed li-
„ ber eorum abitus, apoſtaſia, diſceſſus. Ita
„ Cyrillus, Leontius, Theophylactus, Mal-
„ donatus. Vult enim dicere Chriſtus, nul-
„ lam eſſe tantam vim, quæ fideles à ſe abſ-
„ trahere, & abripere poſſit; eſto ipſorum
„ libertatis ſit, poſſe à Chriſto abire, eum-
„ que deſerere „.

CAPUT XVII.

De Jactata à Queſnello omnium Obſervationum ſuarum veritate.

„ Quantum verò, (inquit) ad Mora-
„ les ipſas in Textum novi Teſta-
„ menti Conſiderationes, de qui-
„ bus, quantum exiſtimo, præcipuè
„ agitur, ſi in opere tamdiu à piis viris per-
„ lecto, tam ſeverè à graviſſimis Theologis
„ caſtigato, tam eruditè à doctiſſimis Epiſco-
„ pis vindicato, qui omnes aliud nihil, quàm
„ veritatem ipſam, & Eccleſiæ utilitatem
„ ſpectabant, difficultatis tamen aliquid
„ etiamnum ſupereſt, id profectò non aliun-
„ de poteſt oriri, quàm aut ex aliqua for-
„ taſſe vocum ambiguitate, aut ex brevita-
„ te ſententiarum, aut ex eo quod Theolo-
„ gi exteri idiomatis Gallici vim, ac pro-
„ prietatem non ſatis aſſequantur; quod ex-
„ traneis ſolet contingere, quibus illius
„ uſus, & exercitatio deeſt „.

Solo digna Queſnello audacia, atque impudentia eſt; ſummum Pontificem tali epiſtolâ convenire, quâ dum reverentiam profitetur, ac demiſſionem, ſolenne ejus judicium, & prolatam ſupremâ authoritate ſententiam accuſare non veretur de ignorantia, imprudentia, injuſtitia, de tot erroribus, quot illa cenſuris *Conſiderationes morales* quadriennio ante confixerat. Non levis enim imprudentia, & injuſtitia fuiſſet, ob ſolam *vocum ambiguitatem* Conſiderationes illas, ſeu Obſervationes à pluribus Epiſcopis approbatas proſcribere, tanquam continentes *Do-*

Ctri-

ctrinas, & propoſitiones ſeditioſas, temerarias, pernicioſas, erroneas, aliàs damnatas, & Janſenianam hæreſim manifeſtè ſapientes.

Neque ſententiarum brevitas poſſet Pontificis judicium ab imprudentiæ, & injuſtitiæ macula expedire; non enim, ubi doctrina omnis ſana eſt, poteſt ſententiarum brevitas judicibus æquis, & ſapientibus, ſufficiens præbere cenſuris tam atrocibus argumentum. Neque purgaret eos ſermonis Gallici ignorantia; nam quis æquus, & ſapiens publico, ac ſupremo judicio ſtatuat de doctrina Catholica, vel hæretica libri, eo conſcripti idiomate, quod non intelligit? Sed neque Pontifici, neque S. Officii Cardinalibus, neque Conſultoribus, neque Qualificatoribus deeſt linguæ Gallicæ intelligentia abundè ſufficiens, ut de ſanitate, vel perverſitate doctrinæ *Conſiderationum moralium* valeant judicare. Denuntiatum quidem nuper vidimus librum illum etiam Accademiæ Gallicæ, cujus eſt de puritate ſermonis decernere, atque in eo de plurimis linguæ defectibus accuſatur; ſed ſcriptori laus illa non facilè extorquebitur, quòd ſtylo ſuccincto, plano, ac facili ſua paſſim dogmata enuntiet; tunc ſolùm obſcuritatis aliquid ſtudioſiùs immiſcens, quando ars hæreticis familiaris dictat, horrificæ novitatis venenum verbis mitioribus, ac ferè Catholicis occultandum.

Non minùs ab hæreticis diſcere potuit, quòd Pontificio contra librum ſuum judicio opponere audeat plurium Theologorum, & Antiſtitum approbationes. Sic Author panegyreos Janſenianæ in prologo galeato pag. 4. *Numerus*, inquit, *laudantium virorum quinquaginta ſex, tum Eccleſiaſticis dignitatibus, tum doctrina gradibus, tum Theologicis Cathedris, tum Religioſo inſtituto, ac ſingulari vita ſacratioris pietate illuſtrium.* Pag. 6. *At quorſum, inſuſurrabit fortaſſe quiſpiam, longa illa, ac faſtidioſa tot perſonarum, ſuis quarunque gradibus, titulis, dignitatibus, inſtitutis, inſignitarum producta enumeratio? Nimirum ut apud illibata mentis, ut maturæ ſagacitatis judices non dubiâ conſecutionis lege concludam, rem eſſe humanitùs, ſeu, ut ſchola loquuntur, moraliter impoſſibilem, ut numeroſus iſte eruditorum Senatus, videlicet tam ſcientiâ præditorum, tam religione præſtantium, tam loco diſſitorum, tam ſtudiis diſſimilium, librum in materia controverſa ſcriptum, non dico approbarint; ſed inauditis planè encomiis in æthera tulerint, qui non tantùm quinque hæreſibus ſatus, ſed horridâ continuarum hæreſeon concatenatione pertextus eſſet.*

Conſtat tamen, magnificos illos quinquaginta ſex, Janſeniani operis approbatores erraviſſe. Longè plures ſuffragatores, nec minùs eruditos, quàm pro ſe Queſnellus recenſeat; nacti fuêre hæreſiarchæ veteres Donatus, Eutyches, Arius, ac Pelagius, & quidem Arius ex Epiſcopali ordine tam multos, ut orbis ſe factum quodammodo miraretur Arianum. Verùm Divina, quæ Petri naviculam ſemper dirigit, providentia, deficientibus aliquot à fide Epiſcopis, ipſa non deficit, & per ſucceſſores Petri eam omnium adverſantium procellis ſtatuit ſuperiorem. Si teſte Angelico 22. quæſt. 11. art. 2. ad 3. *Contra* Summi pontificis *authoritatem nec Hieronymus, nec Auguſtinus, nec aliquis Sacrorum Doctorum ſuam defendit ſententiam*, quanto minùs Queſnellum decuit ſuas defendere *Conſiderationes Morales*, contra latam ante quadriennium supremâ authoritate cenſuram! Hanc non elidet quorumdam Queſnello ſuffragantium, ſive Theologorum, ſive etiam Antiſtitum approbatio, quorum omnium, ſi æquâ lance expendatur, authoritas, uni Hieronymo, vel Auguſtino minimè comparanda, ipſo Queſnello judice, ſtatuetur. Quiſquis igitur ſive Presbyter, ſive Epiſcopus, etiam nonnullis conſpirantibus, errorum zizania in Eccleſiæ agro diſſeminare præſumpſerit, non is fidei regulam nobis præſcribere poteſt; ſed cum S. Bernardo epiſtola 189. dicimus Summo Pontifici: *Ipſe Deus te conſtituit ſuper gentes, & Regna, ad quid, niſi ut evellas, & deſtruas, & ædifices, & plantes?* Epiſt. 191. *Tuum eſt de cætero, Beatiſſime Pater, providere, nè in diebus tuis aliquâ hæreticæ pravitatis maculâ decor Eccleſiæ maculetur. Tibi commiſſa eſt ſponſa Chriſti, amice ſponſi: tuum eſt tandem uni viro virginem caſtam exhibere Chriſto.*

CAPUT XVIII.

Examinantur tria Queſnelli poſtulata.

,, IGITUR (inquit) ad SANCTITATIS
,, VESTRÆ pedes, animo proſtratus,
,, BEATISSIME PATER, triplex ab illa
,, beneficium ſupplex expoſtulo. Primum
,, eſt, ut regula ab Alexandro felicis memo-
,, riæ Papa VII. in Obſervationibus ad deci-
,, mam indicis Regulam de examinandis li-
,, bris præſcripta, etiam in hac occaſione te-
,, neatur: ut ſcilicet inter Conſultores, aut
,, Qualificatores, qui vel de libro ipſo, vel
,, de propoſitionibus è libro extrahendis,
,, ſuffragium ferent, non alii annumerentur,
,, niſi quos doctrinâ, morumque integritate
,, probatos, ab omni ſuſpicione intactos, &
,, à partium ſtudio, atque ab amoris, & odii
ſtimu-

„ ſtimulis prorſus remotos eſſe Sanctitas
„ Vestra certò cognoverit.

„ Secundum eſt, nè libri hujus examen
„ committatur, niſi Theologis, qui longo
„ linguæ Gallicæ uſu ſatis exercitati ſint, ut
„ neceſſe non ſit ad verſiones recurrere, for-
„ taſſe minùs accuratas. Increbuit enim ru-
„ mor, Sanctissime Pater, ad hoc exa-
„ men adhibendam eſſe Latinam quamdam
„ verſionem, nec meam, nec à me unquam
„ lectam, nec à Gallis hominibus concinna-
„ tam, nec ad poſteriores editiones Gallicas
„ emendatam; ad quam proinde minùs
„ æquum eſſet, libri hujus diſcuſſionem re-
„ vocari.

„ Tertium eſt momenti longè gravio-
„ ris, quod, Beatissime Pater, à Clementiâ,
„ & æquitate veſtrâ inſtantiſſimè flagito, nè
„ ſcilicet inauditus, & indefenſus condem-
„ ner. Si enim juſtæ defenſioni locus, ipſis
„ etiam ſceleratis, vel apud gentes immani-
„ tate barbaras, ſemper reſervatur, quantò
„ æquius eſt, ab Apoſtolica Sede non dam-
„ nari Sacerdotem inauditum, hâc præſer-
„ tim occaſione, ubi non de obſcuro quo-
„ dam, ac nullius momenti libello agitur,
„ ſed de eo libro, qui authoritatem jam ob-
„ tinnit longo fidelium uſu corroboratam,
„ legitimorumque Superiorum, ac graviſſi-
„ morum Epiſcoporum, & Theologorum ap-
„ probatione confirmatam: Quo judicio pe-
„ riclitante, ſimul totius ferè Galliæ, quæ
„ librum hunc ſinè offenſione per annos pluſ-
„ quàm quadraginta legit, judicium in di-
„ ſcrimen adducitur. Advolutus igitur ani-
„ mo ad Sanctitatis Vestræ pedes enixè ſup-
„ plico, ut Clementia Veſtra jubeat com-
„ municari mecum, ac declarari mihi propo-
„ ſitiones eas, quæ ſigillatim excerptæ, &
„ quaſi cenſurâ dignæ ad Apoſtolicum Ve-
„ ſtrum Judicium delatæ ſunt: ut, ſi qua pro-
„ poſitio ſit, aut manifeſtè erronea, aut quæ
„ ad errorem vel tendat, vel tendere poſſe
„ videatur, eam abſque ambiguitate, aut ter-
„ giverſatione, vel retractem, vel explicem,
„ nè quis de doctrinâ, aut mente meâ, aut
„ de vero, & genuino libri mei ſenſu dubi-
„ tandi locus ſuperſit, unde facti quæſtio rur-
„ ſum enaſcatur „. Hæc Queſnellus.

Primum poſtulatum antequàm proponeretur, conceſſum à Sanctiſſimo Patre eſt, adeò, ut nullus è Conſultoribus, vel Qualificatoribus ad libri, vel propoſitionum examen adhibitus ſit, niſi quem *doctrinâ, morumque integritate probatum, ab omni ſuſpicione intactum, & à partium ſtudio, atque ab amoris, & odii ſtimulis prorſus remotum* eſſe Pontifex cognoverit. Sed quando id Queſnello perſuadebitur, quando cæteris Janſeniſtis, quibus nemo doctus eſt, nemo pius, niſi qui impiis eorum erroribus conſenſerit? Fueritne in Theologorum delectu magis providus Clemens, quàm Innocentius XI. contra Propoſitiones triginta, & unam? Dum Pontifex ille damnavit articulos ſexaginta quinque, quos Janſeniana charitas ſolis ſuis tribuit adverſariis; tunc quidem *os Domini locutum eſt*, tunc Sapientiſſimum, æquiſſimum fuit Conſultorum, aliorumque ad cenſuras concurrentium judicium. At quando propoſitiones triginta, & una Janſenizantium, ab eodem Pontifice examini ſubditæ, & gravibus dignæ cenſuris judicatæ ſunt, Decretum autem ab Alexandro VIII. promulgatum eſt; tunc Juſtitia Romanum Tribunal deſtituerat, tunc Conſultores, & quicunque Theologi ad examen vocati, uti, & Eminentiſſimi Cardinales Doctrinæ, prudentiæ, integritatis expertes penitùs fuêre, uti, & eorum deceſſores, qui Baji, & Janſenii opiniones cenſuerant proſcribendas. Ita Queſnellus in *Epiſtola* typis edita fictitio *Abbatis* nomine *ad quemdam Romanæ Curiæ Prælatum*: Illic *maxima pars Cardinalium, & Theologorum* (quos Pontifex ad Propoſitionum cenſuras adhibet) *nihil intelligit*. Illic *Cenſores Romani modicam habent antiquitatis notitiam, imò ſæpe ignorant, quòd in novis Theologis eſt optimum: Suſdeque per nefas condemnant pro libitu, quidquid non conſentit cum ideis ſuis Theologicis, quæ ſæpe falſiſſimæ ſunt, vix quidquam habentes de Theologia Patrum*.

Janſeniſtarum vulgò *Candidorum* Princeps in prologo galeato ad Janſenianam panegyrim pag. 31. ex Sanctamoreo ait: *Factum vidit Roma, ut ii, quorum plerique, teſte P. Paſcaligonio, S. Auguſtini ſcripta nec à limine ſalutaverant, ac multi nè vel prima principia, vel ipſos terminos rei, de qua tractabatur, intelligebant, judicium tulerint*. Et tamen ibidem citato Cardinale Sacchetto teſte, *in Urbe non fuêre Theologi magìs periti, & idonei, quibus liceret de materia tanti ponderis pro merito ſententiam dicere*. Adeò miſera eſt Urbis conditio, tanta doctorum hominum illic raritas, vel potiùs inopiâ, & omnimodus defectus, dum Janſeniana hæreſis, & quæcunque connexa illi novitas proſcribitur. *Solos* ſcilicet *ſe ſapientes*, ſolos ſe eruditos hæretici *jactant*, inquit Alexander Patriarcha Alexandriæ apud Theodoretum, & S. Irenæus lib. 1. contra hæreſes cap. 1. *Nos quidem arguunt quaſi idiotas, & nihil ſcientes, ſemetipſos extollunt*.

Non minùs certus debet eſſe Pontifex, quantumcunque probos, & integerrimos Cenſores delegerit, iniquos fore, & pravis animi affectibus impulſos, ſi quid Queſnello di-

diſplicens decteverint; ſemper is cauſabitur, quòd in memorata *Abbatis Epiſtola* effutit pag.39. *Miniſtri Curiæ Romanæ ſeduci ſe à factionibus ſinune in Propoſitionum examine*, & *cenſuris*. Pag. 15. *in Cenſuris Romanis modica apparet æquitas*, & *amor pacis*. Pag. 30. *certum eſt, Decreta civilia magìs juſtitiæ, & æquitati conformia eſſe, quàm Decreta Romanæ Curiæ*. Rurſus pag. 15. *Cenſurarum Romanarum ſcopus eſt, fovere diſcordiam inter Religioſorum Ordines*, & *Theologos Catholicos*. Quamdiu damnabitur, vociferare perget, ut in Dialogis circa Priorem *Obſervationum Moralium* proſcriptionem in præfatione, *iram injuſtam Romanæ Curiæ adversùs Cleri Comitia fuiſſe veram cauſam emiſſi fulminis in librum, & Eminentiſſimum ejus Approbatorem*. Nulla quidem Approbatoris mentio in Decreto eſt; ſed ingenium Queſnelli ſchiſmaticum ubique diſſeminandis diſcordiæ zizaniis intentum, accuſare coram toto orbe audet Summum, & verè Sanctiſſimum Chriſti Vicarium, quaſi vindictæ ſuæ, ut ait, iniquiſſimæ litaſſet doctrinam ſanam, eamque in libro per omnia Catholico cenſurâ hæreſeos commaculaſſet. Quomodo igitur nunc hypocrita ſe ad Pontificis *pedes animo proſtratum* ſimulat, & Conſultores poſcit, ac Qualificatores *ab omni ſuſpicione intactos*, & *à partium ſtudio*, *atque ab amoris*, & *odii ſtimuli prorſus remotos*, qui totam *Romanam Curiam*, atque ipſum in primis Pontificem odii ſtimulis adeò pulſatum exhibet, ut cenſuram hæreſeos libro Catholico impingat, atque ita fallat Eccleſiam in re graviſſima, veritati non levius vulnus, quàm authoris famæ per calumniam infligens.

In ipſo opere pag.4. ad objectam ſibi eamdem Clementis XI. Bullam ſolitâ ſuâ impudentiâ Queſnellus reſpondet: *Non eſt cur exiſtimes Decreta omnia, quæ Pontificis præ ſe nomen ferunt, æquè juſta eſſe. Eorum Authores homines ſunt ſimiles nobis: Roma eſt cæterarum inſtar curiarum, immo plus quàm cæteræ theatrum humanorum*, & *pravorum affectuum*, *ubi avaritia*, *vindicta*, *æmulatio*, *artes ſubdolæ non minùs*, *quàm alibi dominantur*. Unde quoſcunque ad examen alterum Conſultores, ac Theologos Pontifex adhibuerit, ſi ſententia feratur Queſnelli guſtui non accommodata, non aliâ ab ipſo ſubmiſſio expectanda eſt, non aliud reſponſum quàm priori ſimile, audaciſſimo factionis Schiſmaticæ Coryphæo dignum. Hanc ſuſpicionem minimè temerariam, ea quæ Conſtitutionem Unigenitus ſecuta ſunt Queſnelli opera, comprobarunt.

Non major ſpes eſt fore, ut Poſtulato ſecundo Pontifex unquam ſatisfacere valeat. Qualificatorem Pontifex delegerat virum idiomatis Gallici intelligentiâ abunde inſtructum, doctrinâ, pietate, modeſtiâ præſtantem, atque omni prorſus majorem exceptione. Quia autem Queſnelli liber in eo primùm judicio condemnatus eſt, quibus ab effræni, ſcriptore dicam, an hiſtrione, conviciis Qualificator impetitus eſt! Nunquam igitur Queſnellus acquieſcet, niſi nationis Gallicæ Theologis libri diſcuſſio committatur. Si verò & illis cauſam referentibus Queſnellus ceciderit, in promptu iterum *Querela*, & *proteſtatio* erit, illos non fuiſſe quales Alexand. VII. præſcripſerat, & Queſnellus Poſtulato priore expetiit, *ab omni ſuſpicione intactos*, & *à partium ſtudio*, *atque ab amoris*, & *odii ſtimulis prorſus remotos*. Quiſquis enim Sorbonicos, & quoſvis alios Galliæ Theologos noverit, fatebitur omnes Janſenio, vel favere, vel adverſari, nullos reperiri medios, & quis Chriſtianus doctrinam catholicam inter, & hæreticam medius eſſe poſſit? A quibuſcunque ergo Qualificatoribus, Conſultoribus, Judicibus damnari librum, & propoſitiones ſuas Queſnellus conſpexerit, ſemper redibit calumnia, ſe ab adverſariis damnatum.

Verùm cujus ſectæ perverſiſſimæ hæreticus idem cauſari nequeat? Quis proinde ſacris judicibus non poterit opponere, quòd Judices non fuerint *ab omni ſuſpicione intacti*, & *à partium ſtudio*, *atque ab amoris*, & *odii ſtimulis prorſus remoti*? Quomodo autem Romani damnantes librum Gallicum, ſatis illud Idioma calluerint, quando proſcribentes Janſenium, nè Latinum quidem, ſi Janſeniſtis credimus, aſſecuti ſint? Sic audax Gerberonus, vel quiſquis eo adjutore, & mangone edidit, infamem *ſtrenam Quæſitoribus Fidei* deſtinatam pag. 4. *Sinite ut Decreta veſtra omnia habeantur tanquam irrita*, *quibus Auguſtinum* (Janſenii) *damnatis*, *cujus nè idioma quidem Latinum percipitis*. Ut itaque ſecundo Queſnelli Poſtulato juxta ejus mentem Pontifex annuat, evocandi neceſſario è Gallis ſunt non linguæ ſolummodo, & Theologiæ periti, ſed Janſeniano pariter conſperſi pulvere, qui omnibus Queſnelli ſententiis ſuffragentur, certè nullas cenſurâ dignas pronuntient, aliàs non erunt ipſi *à ſuſpicione intacti*, *non à partium ſtudio*, & *odii ſtimulis remoti*.

Tertium Poſtulatum non minùs fraudulentum eſt; nihil enim apparet æquius, quàm ut nemo damnetur inauditus, nemini denegetur locus defenſionis, qui uſus omnium gentium legibus firmatus eſt. Verùm quod in perſonarum damnatione locum obtinet, & à Sede Apoſtolicâ ſolicitè ſervatur, ad libros

Digitized by Google

libros nullâ juris diſpoſitione, nullo ſtatuto, aut fixâ conſuetudine extenditur. Longè videlicet diſpar ratio librorum, & perſonarum eſt. Niſi reus audiatur, incertum paſſim erit ſive de facto, ſive de facti ratione, & æquitate, vel iniquitate judicium. Nam quod ab aliorum teſtimoniis pendet, quæ ſæpe fallacia ſunt, minùs firmum eſſe ſolet, & Rei defenſione convelli poterit, vel confeſſione ab omni dubio liberari. Sed liber typis editus, vel quodcunque ſcriptum bonitatem ſuam, vel malitiam præ ſe fert, ipſum in judicio accuſatum, auditur pro ſe, & contra ſe loquens, dum legitur, & accurato diſcutitur examine: tum demum de ſenſu ejus obvio fertur ſententia. Si autem liber conſideratis enuntiationum terminis hæreticus ſit, hæreticis, erroneis, impiis, blaſphemis, ſeditioſis ſcatens dogmatibus, ſufficietne ad ejus abſolutionem, ſi Author Catholico à ſe animo ſcriptum eſſe teſtetur, aut ſi propoſitionibus ſenſu obvio hæreticis ſenſum affinxerit catholicum quidem, ſed à communi acceptione alienum? Liber utilitati animorum, vel nocumento potiſſimùm idoneus eſt juxta ſenſum, qui ſtatim in oculos, & animos legentium inſilit; non juxta alienum, & fictitium, quantumcunque eum à ſe fuiſſe intentum, Author, ſacramento etiam interpoſito, affirmarit.

De libro Queſnelli, & ejus doctrina hactenus judicium fertur, non de Authore: in librum, & propoſitiones ejus evibratur anathema, non in ſcriptorem; quo ſi & ipſe feriendus eſſet, audiretur priùs, & ſervato juris ordine, enuntiaretur ſententia. Ad judicandum autem de libro, vel propoſitionibus ex eo deſumptis minimè neceſſarium eſt audiri, vel conſuli ſcriptorem, cujus cauſa propriè, & directè non agitur. At, inquies, agitur ſaltèm indirectè, quia libri, & propoſitionum damnatio, præſertim ſi impietatis, blaſphemiæ, ſchiſmatis, vel hæreſeos cenſuram complectitur, non poteſt non maculam diffundere etiam in Authorem. Non eo inficias; ſed neque poteſt reus de gravi crimine condemnari, & infami affici ſupplicio, quin maculæ aliquid aſpergatur ejus conſanguineis, præſertim proximis, immo & familiaribus, & amicis, ideone in reum de crimine certiſſimo etiam ſuâ confeſſione convictum proferri ſententia non poterit, niſi illorum prius omnium, etſi maximè diſſitorum, defenſio audiatur? Queſnellus pluſquàm mille milliaribus Italicis ab Urbe diſſitus eſt; ſcribit ſe eò proficiſci non poſſe; procuratorem pro ſe, quod facilè poſſet, nullum conſtituit, ſed vult omnes accuſatos libri Articulos ſibi tranſmitti, & à ſe ex Hollandiâ expectari defenſionem, ſive ut loquitur *explicationem*, &, ſi alicubi opus fuerit, *retractationem*. Quid ſi autem ipſa explicatio Sedi Apoſtolicæ viſa fuerit ambigua, fraudulenta, & involvendo potiùs Propoſitionum ſenſui, quàm exponendo idonea, certè minimè ſufficiens ad excuſandum ſenſum obvium, & ab impietatis, blaſphemiæ, ſchiſmatis, hæreſeos crimine, cenſuraque liberandum? Quid ſi & ipſa Queſnelli defenſio peſtilens, & prorſus damnanda videatur, rurſùmne Romanis in Hollandiam recurrendum eſt, & ſententia interim ſuſpendenda? Quis denique ſcribendi, reſcribendique, & per tanta terrarum ſpatia toties remeandi finis? Perſpicuum eſt hac ratione, neque Queſnello, neque CLEMENTE XI. vivente litis terminum ſperari potuiſſe.

Quod de *retractatione* promittit, nonminùs inane, frivolum, & fallax eſt; quis enim Queſnellum unquam humilem, unquam ſubmiſſum, & obedientem Sedi Apoſtolicæ, aut ulli ejus definitioni, vel decreto vidit? Quis non ſemper ſuperbiâ tumidum, pertinacem, indomitum, ſupremæ Authoritatis, & Decretorum omnium ſibi non faventium contemptorem? Gerberonianæ audaciæ, & novæ ejus Bajanorum operum editioni cum ſchiſmaticis contra Pium V., Gregorium XIII., Urbanum VIII. vindiciis applauſit; omnia contra Janſenii librum, & doctrinam ab eodem Urbano, Innocentio X., & ſequentibus Pontificibus, Decreta arguit partim injuſtitiæ, partim ignorantiæ: *Diſſertationum* ſuarum *in S. Leonis Opera* cenſuram, tanquam *libellum famoſum*, *divinis humaniſque legibus repugnantem*, dilacerat conviciis, atque proculcat: Non aliter excipit Decretum Alexandri VIII. contra Articulos triginta & unum. Nihil magis irreverens, & ſchiſmaticum poteſt excogitari, quàm varia Queſnelli ſcripta contra ſanctiones omnes Apoſtolicas in cauſa Archiepiſcopi Sebaſteni. Temeritatem ubique, & impudentiam ſpirat *Epiſtola*, à Queſnello nomine *Epiſcopi ad Epiſcopum* data, contra Pontificiam famoſi *Casûs Conſcientiæ Cenſuram*. Sed nè longiùs abeam, Queſnelliani *Dialogi* contra primam *Obſervationum Moralium* damnationem ſatis nos edocent, atque convincunt, quid de promiſſâ *retractatione* judicandum ſit. Illic pag. 15. minatur, quòd *quando* errores, & exceſſus quibus Obſervationum Moralium liber ſcatere dicitur, exhibiti fuerint, calumniatores ſuos *ad incitas redacturus ſit*, *& facies eorum oppleturus ignominiâ*.

Hic autem, ut patet, calumniantium nomi-

nomine potiſſimùm veniunt Pontifex, & Cardinales, cum Conſultoribus, & Qualificatoribus, qui cenſuras, calumniarum nomine à Queſnello appellatas, *Obſervationibus Moralibus* inflixêre. Unde manifeſtum eſt quàm altè infixa animo ejus ſit contumacia; ut prodigio ſimile foret, ſi ſententiam Queſnellus priùs, quàm pellem Æthiops mutaret. Ullusne Janſeniſta annorum ſexaginta ſpatio viſus, vel auditus eſt, errorem retractatione publicâ abdicaſſe? Quid igitur ſanioris mentis prudenter expectes ab obſtinatiſſimo factionis Principe, cui præcipuæ gloriæ loco pertinacia eſt? Quæ Bullam UNIGENITUS conſecuta ſunt, ſchiſmatica Queſnelli contra eam *Proteſtatio*, excitatum ab eo totâ Galliâ incendium, inclinata apud multos in interitum fides, in pluribus extincta charitas, ſolutum unitatis vinculum membrorum cum Capite, aut ſolis ſinè ſenſu vocibus retentum (excuſſo Chriſtianæ obedientiæ jugo) verſa in contemptum publicum, quæ hactenus ab hypocritis ſimulabatur reverentia, ſatis perſpicuè demonſtrant, qualis in Queſnello fuerit ad retractationem diſpoſitio.

Atque hanc abſque divinatione, aut temeritate prædicere quivis facilè potuit, vel ex hoc, quo pridem gloriatus eſt Janſeniano axiomate, ſeu prætenſo privilegio Schiſmaticis atque hæreticis proprio, quod in *epiſtola Abbatis ad quemdam Romanæ Curiæ Prælatum* pag. 18. *ſic exprimit: habemus nos hoc ſingulare præ cæteris, quo nobis bene eſt, quodque ſemper tenebimus, quod ſimus in poſſeſſione eamdem ſemper proſequendi ſemitam, quidquid prohibeant Romani Cenſores, & quodcunque Decretum ab hoc tribunali emanaverit*. Tam aperto Romanæ authoritatis contemptui non adverſatur præſens ſimulata promiſſio; non enim retractationem addicit, ſi eam Pontifex imperaverit, ſed ſi *qua propoſitio ſit, aut manifeſtè erronea, aut ad errorem tendere poſſe videatur*, Judicio ſcilicet Queſnelli, quod nullus ei Pontifex unquam perſuaſerit. Neque tum retractatio promittitur certa; ſed vel retractatio, *vel explicatio*, quæ talis futura eſt, qualem in obfirmato, & doloſiſſimo Janſeniſtarum Principe hactenus experitur Eccleſia.

De Genuino *Obſervationum Moralium* ſenſu ad centum, & unum Articulos pertinente, nullus Theologis dubitandi locus ſupereſt: Theologis, inquam, candorem, veritatem, & pacem, non tricas, non diſſidia, non rebellionem amantibus. Quiſquis in hodiernis controverſiis non planè rudis eſt, ſingulorum damnatorum dogmatum ſenſus facilè perſpicit, & cum his ſenſus libri, in quo, ut ſcopæ diſſolutæ, Articuli ferè omnes nullis annectuntur circumſtantiis, è quibus plus aliquid lucis hauriri valeat, quàm in ipſis ſplendeat propoſitionibus. Earum ſenſum non incongruè expreſsêre quadraginta Gallicani Præſules, qui Pariſios, à Rege vocati convenerant, ut de Conſtitutionis acceptatione uniformi conferrent conſilia, & explicationibus planis, ac perſpicuis diſſiparent tenebras, quas Conſtitutioni clariſſimæ affundere tentabant, more ſuo, iniquitatis filii.

Queſnelli quoque liber phraſi commodâ ad uſum communem omnium virorum, ac mulierum conſcriptus, non ſtudio, ſed ſolâ paſſim lectione opus habet, ut intelligatur, etiam ſinè duce, ſinè interprete, modò linguæ Gallicæ non penitùs imperitus ſis. Et quidem quam Propoſitionibus lucem Queſnellus attuliſſet? Nempe pro luce tenebras; ut in *Explicatione Apologetica* ad dignoſcendum ſuum de gratia ſenſum, remittit nos ad quinque Lalanii, ſive Girardi Articulos, ſtudio ad ambiguitatem, & fraudem compoſitos, qui proinde ad ipſum, alioſque ei ſimiles à Janſeniſmi ſuſpicione purgandos, minimè ſufficiunt. De mente Queſnelli intimis fortè pectoris occultata receſſibus, non judicat Eccleſia, neque nobis laborandum eſt. Si ex Queſnelli ſcriptis hactenus editis, mens ejus non ſatis pateſceret, fruſtrà requireretur nova ab eo declaratio, quæ ſemper eiſdem reſtrictionibus foret obnoxia. Præſumitur ſcilicet quivis, niſi de ſimulatione conſtiterit, ſentire quod ſcribit, adeòque propoſitionibus Queſnelli ſeditioſis, impiis, blaſphemis, hæreticis (quamdiu illas contra judicium Eccleſiæ mordicus retinet) ſeditioſus, impius, blaſphemus, hæreticus animus reſpondêre.

Minatur denique, niſi propoſitionum ſenſum ipſe deſignaverit, *enaſcituram rurſum facti quæſtionem de genuino libri ſenſu*; quaſi is innoteſcere Eccleſiæ nequeat, niſi facem novam præferente Queſnello.

Quid autem ſi tergiverſari, & eludere ipſi iterum lubeat Apoſtolicam Sedem, nihil abſque erroris periculo definire Eccleſia unquam poterit de propoſitionum, & voluminis, unde excerptæ ſunt, ſenſu obvio? Quem ſenſum in mente geſſerit, nulli æquè, ac Authori poteſt eſſe perſpectum; at ſenſus obvius libri, & propoſitionum cuivis Theologo, idiomatis Gallici non imperito tam poteſt certò pateſcere, ut nullum in eo diſcernendo ſubſit erroris periculum: à quo niſi ſupremos Eccleſiæ judices exemptos eſſe DEUS voluerit, quomodo neceſſitati fidelium ſatis cenſebitur proſpexiſſe? Si enim, ut contendunt adverſarii, Eccleſia errare poſſit in judicando quis effati alicujus, vel ſcri-

pti dogmatici ſenſus ſit, univerſa Fides Catholica in diſcrimen vocabitur. Et quidem articuli, quos Concilia in Auguſtino contra Pelagii hæreſim approbarunt,tanquam Fidem Catholicam continentes, revocari poterunt in dubium, an ſatis fuerint à Conciliis intellecti.

Neque ſanæ doctrinæ ſatis conſulitur,admiſsâ etiam Eccleſiæ authoritate falli neſciâ in judicando, an propoſitio (de cujus ſenſu conſtiterit,*quis ſit*) hæretica, vel orthodoxa haberi debeat; ſi abſque erroris periculo diſcernere Eccleſia nequeat, quis genuinus, & obvius propoſitionis ſenſus ſit. Semper enim hæreticis aperietur janua, ut, quibuſcunque definitis ab Eccleſia, vel damnatis dogmatibus,dubium moveant,an Concilium,vel Pontifex, ſive definiti, ſive damnati articuli ſenſum aſſecutus fuerit; quia nequit certum eſſe judicium de veritate vel falſitate, de bonitate vel malitia doctrinæ, ſi ejus ſenſus non fuerit intellectus cum certitudine. Sic univerſa ſubruetur traditionis authoritas. Quid enim certi ex ea conficiet Eccleſia, ſi nulla patrum volumina, nullæ eorum enuntiationes intelligi certò valeant?De ipſius Scripturæ ſenſu, in quo ſolo percipiendo adverſarii ſtatuunt Eccleſiam ab erroris periculo immunem, ſi diſceptatio emerſerit, quomodo dirimetur? Examen inſtituetur diligens, ut cognoſcatur quomodo Patres, & præteriti temporis Eccleſia eum Divini Oraculi textum explicuerint; verùm & huic explicationi, atque intelligentiæ errorem ſubeſſe poſſe docent adverſarii, ſuſque deque habentes, num cunctas fidei regulas reddant inutiles, ejuſque concutiant fundamenta, modò ex fidei ruina ſperent ſe poſſe contra toties repetita Eccleſiæ judicia, librum Janſenii, cum univerſis ſuis dogmatibus ſtabilire.

Quis ſenſus germanus propoſitionis ſit, nulli unquam ante Janſenii tempora in animum incidit quæſtionibus facti annumerare; verùm Janſenianis id modò opus eſt, in ſua contra Eccleſiam rebellione, ut eorum ſe tueantur authoritate, qui in facti quæſtionibus errorem Pontificibus, atque Conciliis obrepere poſſe exiſtimant. Vident ſcilicet, admiſsâ definitionum certitudine circa Articulos, ſeu propoſitiones ſingulas, facilem gradum fieri ad certitudinem in condemnandis capitibus, & libris, qui ex propoſitionibus componuntur.

Idem Janſeniani voluminis defendendi amor compellit ipſos admittere,quod Sacrorum canonum, ſanctionum, legum omnium Eccleſiaſticarum, & civilium ſenſus, intellectus, explicatio, non ad jus, ſed ad factum pertineat, quod abſurdiſſimum eſſe, & ab omni ſano judicio alienum quivis facilè percipit, ſi Janſeniſtas, in Janſenii gratiam cæcutire pertinaciter volentes, exceperis. Cùm autem Queſnellus, & ejus ſocii propitios ſibi velint eſſe S. Thomæ diſcipulos, eorum hic audiant, & ſequantur judicium. Magiſter Bartholomæus à Medina in 3. part. D. Thomæ quæſt. 16. art. 1. ait: *Imò dico, quòd poteſt errare contra fidem, qui non conformatur Eccleſiæ Catholicæ in modo loquendi, ut ſi talis ſentiret Eccleſiam Catholicam non eſſe regulam infallibilem ad proponendas veritates fidei in proprietate ſermonis; nam ille erraret contra Articulum fidei de infallibilitate Eccleſiæ ad proponendum.*

Magiſter Dominicus Bannez in 2. 2. D. Thomæ quæſt. 11. art. 2. §. *Circa ſecundam concluſionem dubium eſt an ex verbis inordinatè &c.* ita ſcribit: *Cùm aliquis loquitur inordinatè ſic ut talis locutio ſit prohibita ab Eccleſia; exiſtimat autem ille Eccleſiam errare in hoc, quod ita loquendum definit, vel etiam putat licitum eſſe aliter loqui, quàm Eccleſia definiat; & dicimus hunc eſſe hæreſim, & habere errorem in mente, ſcilicet hunc: Eccleſia non eſt regula infallibilis ad definiendum modum loquendi in rebus fidei.* Quàm concluſionem copioſè probat, tandem concludens: *Sentit igitur pertinaciter circa dogma fidei, qui negaverit loquendum eſſe de Myſterio Trinitatis, ut loquitur Eccleſia, & ſimiliter de aliis myſteriis, etiamſi errorem non habeat circa Myſterium Trinitatis.*

Audit Queſnellus doctrinam ſuam erroris in Fide, atque hæreſeos damnari à Theologis præclariſſimis, & quidem ipſiuſmet Scholæ Thomiſticæ, cui ſe adhærentem adeò, atque conformem plenis buccis ubique prædicat, ſeu potiùs ſimulat ad incautos decipiendos: Non tamen hujus ſolùm hæreſeos reus eſt, quòd aliter, quàm Eccleſia definierit, loqui, ac ſcribere ſibi licitum ſtatuat; ſed in graviſſimis præterea Fidei, ac Religionis Articulis toto ſenſu, ac dogmate ab Eccleſia eum diſſidere, ſequens de Propoſitionibus Tractatus luculentiſſimè convincit.

CAPUT XIX.

Finis Epiſtolæ diſcutitur.

„ Obreptor præterea (inquit) Sanctitatem Veſtram, Beatissime Pater, „ nè ulla ratio habeatur tot calumniarum, „ quæ in me ſæpius abſque ullis argumentis, „ & ex inaniſſimis conjecturis jactatæ ſunt, „ quæque io ipſum etiam librum „ recidere poſſent, ſi propoſitiones extractæ

in

Digitized by Google

„ in alienum à meo ſenſum contortæ, ex di-
„ ctis, & calumniis adverſariorum, quod
„ Apoſtolicæ æquitatis non eſt, magis quàm
„ ex mente, ſcopo, propoſito, inſtitutoque
„ meo æſtimarentur. Utinam verò poſſem
„ Sanctitati Vestræ plenam, & aper-
„ tam fidei, doctrinæque meæ rationem co-
„ ram reddere! Non me ſanè locorum di-
„ ſtantia, non itinerum difficultas, non
„ aſperitas viarum, non pericula, non in-
„ ſidiarum metus deterrerent: Sed ho-
„ mini ætate jam affectâ, & propemodum
„ Octogenario temerarium eſſet, tantum,
„ & tam arduum iter ſuſcipere, in quo
„ procul dubio ante deficerem, quàm Ur-
„ bis ſanctæ conſpectu perfrui liceret, &
„ ſacris Apoſtolorum liminibus allabi. Ho-
„ rum igitur veneranda veſtigia, ſimulque
„ Beatitudinis Vestræ, Sanctissime Pater,
„ toto mentis, & cordis affectu humillimè
„ exoſculor, & quod poſſum, religioſè, &
„ cum omni obſervantiâ conteſtor, me &
„ fuiſſe ſemper, & ad ultimum uſque vitæ
„ ſpiritum ſemper futurum, Eccleſiæ Fidei,
„ Catholicæ unitati, Sedis Apoſtolicæ au-
„ thoritati, ac primatui addictiſſimum, &
„ Sanctitatis Vestræ cultorem obſervantiſ-
„ ſimum. Cujus Apoſtolicam benedictio-
„ nem ſuppliciter poſtulo cùm ea reveren-
„ tia, ac ſincera veneratione, quæ fidelem
„ Eccleſiæ Catholicæ Alumnum, Chriſtiani-
„ que Sacerdotii participem decet. Ut Deus
„ Optimus Max. Sanctitatem Vestram Gre-
„ gi ſuo diutiſſimè ſervet incolumem ex ani-
„ mo optat, vovetque Sanctitatis Vestræ.

„ BEATISSIME PATER.

„ *Humillimus, obedientiſſimuſque fi-*
„ *lius, ac famulus, Paſchaſius Queſ-*
„ *nel, Pariſienſis Diœceſis Presbyter*
„ *indignus*,

Queſnello nulla objicio crimina præter ſcripta ſua, quæ, ſi ſua eſſe negaverit, pariter negare poterit ſolem lucere in meridie. Non exiſtimo tamen fore, ut ullum à me ſibi imputatum opus, à ſe ſcriptum inficiari audeat, aut velit. Franciſcus Simonis Tractatu de fraudibus hæreticorum parte 2. fraude 12. *Expoſtulationibus*, inquit, *hæreticorum honori, & famæ ſuæ detrahi exclamantium, dum ſua ſibi dogmata adſcribuntur, nè commoveare, Lector Chriſtiane. Quæ ſua agnoſcunt dogmata, aſperſa librô, eadem ſua inficiantur recitata, aut deſcripta è libro. Inficiantur verò, donec erit tutum agnoſcere. Tantiſper læſam ſibi famam, ejulant fraude peſſimâ. Famæ Hæreticorum qui ſtudet, is fruſtrà eſt: famam illis proſtituerunt libri ſui.*

Si igitur ex ſcriptis ſuis Author convincitur de omnibus, quæ ei toto præſenti opere imputantur, omnibus querelis ejus facilè reſpondebitur, *famam illi proſtituiſſe libros ſuos*. Unde quidquid de adverſariis ſuis, velut nimiùm contra ſe aſperis, queratur Queſnellus, ut Abaillardus de Melliſluo, ſperare nobis liceat, fore ut ſupremo Eccleſiæ Paſtori, & ejus in terris Vicario zelus noſter non diſpliceat, quemadmodum non diſplicuit Bernardi, cui Innocentius epiſtolâ, quæ apud Bernardum eſt 194. ſic reſpondit: *Dolemus, quoniam, ſicut literarum veſtrarum inſpectione, & miſſis à veſtra Fraternitate nobis errorum capitulis cognovimus, in noviſſimis diebus, quando inſtant tempora periculoſa, in Petri Abaillardi perniciosâ doctrinâ, & prædictorum hæreſes, & alia perverſa dogmata, Catholicæ Fidei obviantia pullulare cœperunt. Verùm in hoc maximè conſolamur, & omnipotenti Deo gratias agimus, qui in partibus noſtris pro patribus tales filios ſuſcitavit ... qui novi hæretici calumniis ſtudeant obviare.*

Etſi autem veriſſima ſint quæcunque Queſnello aliunde, quàm ex *Obſervationibus Moralibus* objiciemus, ſecurus tamen eſſe poterat ex perpetuo Sedis Apoſtolicæ uſu, in propoſitionum examine non attendi probitatem, vel improbitatem Authoris, ut in Cameracenſis Archiepiſcopi integerrimi placitis condemnatis patuit; ſed judicari de libris, & propoſitionibus ſecundùm obvios eorum, & proprios ſenſus, in quibus ab Eccleſia intelliguntur, & juxta quos prodeſſe, vel nocêre ſolent animis legentium. Mens, ſcopus, propoſitum, inſtitutumque Authoris præſumitur, quod ejus verba in obvia, & propria ſignificatione denuntiant. Hanc normam ut ſemper aliàs ſecuta eſt Apoſtolica Sedes, etiam hîc eam tenuiſſe Catholicis omnibus indubitatum eſt. Si aliud venditare perrexerint Janſeniſtæ, Lutheranis, & Calvinianis ſuffragantibus, meminerint morem eſſe malæ cauſæ patrocinantium, ubi rationes ſolidæ eis deſunt, figmentis iſtiuſmodi, & inanibus ſuſpicionum umbris defendere iniquitatem.

Quàm parum autem veriſimile eſt, quod Queſnellus comminiſcitur, ſe unicè in votis habere, ut poſſit Sanctiſſimo D. N. fidei, doctrinæque ſuæ rationem coram reddere: quod non eum pericula, non inſidiarum metus, aut alia deterrerent: ſola obſit affecta ætas, quâ *procul dubio ante deficeret, quàm Urbis ſanctæ conſpectu perfrui liceret, & Sacris Apoſtolorum liminibus allabi*! Walonus Queſnelli in Urbe Agens, aliquantò ante conſpicatus, ſibi tutam non eſſe ampliùs commorationem

Romæ,clam,inſalutato Pontifice,ſe ſubduxerat;dein in ditione Veneta penè captus, totâ Italiâ profugus, reliquam fruſtrà circumſpiciens Europam Catholicam, aſylum,quod inter fideles non reperiebat, oblatum à Queſnello inter Batavos avidè amplexus eſt.Et adhuc Queſnellum exclamare non pudet literis ad Sanctiſſimum Pontificem,ac typis divulgare, quòd flagret deſiderio, ſi per ætatem liceret, accurrendi Romam, & Sedi Apoſtolicæ *reddendi coram fidei,doctrinæque ſuæ rationem!*

Fingamus itaque, Queſnelle, te Romanum iter ſuſcepiſſe, & jam ex agro Latio proſpicere eminentia Vaticani faſtigia; quas tibi cogitationes trepidas non dictaret, tot ſcriptorum tuorum infamium contra Apoſtolicam Sedem, & Sanctiſſimas ejus Conſtitutiones recordatio! Tua contra Summi Pontificis authoritatem, contra totius Romanæ Curiæ dignitatem, imò contra Fidem, & Eccleſiam facinora minimè latère Chriſti Vicarium, & Eminentiſſimos Patres: teneri nefanda tua ſcripta noſti, quæ manu tua exarata eſſe negare non poteris. Hæc dum animo tuo obverſarentur, quomodo Urbis portas ſubire auderes? Quomodo nomen tuum profiteri? An non in mentem tibi veniret illud Iſaiæ 14. *Qui te viderint, ad te inclinabuntur, teque proſpicient. Nunquid iſte eſt vir,qui conturbavit terram, qui concuſſit regna?* Haberent omnium ordinum viri præcipui, de quo te convenirent: Sacrarum Congregationum Theologi, Qualificatores, Conſultores, & cæteri Romanæ Curiæ Adminiſtri, cur tot convitiis, & calumniis eos coram toto orbe proſcideris, quaſi *nihil intelligant, factionibus duci ſe ſinant,in librorum,opinionumque cenſuris* quaſi *ſurſque deque condemnent pro libitu, quidquid Theologicis eorum ideis falſiſſimis non conſentit*; quaſi *ſcopus eorum ſit fovere diſcordiam*; quaſi *ſibi perſuadeant,ſua decreta non bene concepta fore, niſi novis tricis implicent ſententias*;quaſi *Romanum Tribunal ſit ſpelunca latronum* UNE COUPE-GORGE? Eminentiſſimi Patres agere tecum injuriarum poſſent, quod eorum *Congregationes* neges *à Sede Apoſtolica inſtitutas*, neges eſſe *Sacras*, quòd Cardinalem definias *hominem indutum veſte rubrâ*, quaſi nullâ dignitate, nullâ poteſtate à vulgo prætetea ſecernatur, quòd eorum pleroſque, qui propoſitionum examini à Pontifice præficiuntur, velut idiotas *nihil intelligentes* publicè depingendo, in contemptum fidelium, & hæreticorum adducere ſtudeas. Sed vel maximè quâ fronte ad Summi Pontificis thronum accedere propiùs auderes, memor tot ſcriptionum, quibus Sanctiſſimum, ejuſque authoritatem indigniſſimè læſiſti, præſertim in ſchiſmaticis tuis *Dialogis* contra priorem *Obſervationum moralium* Pontificiam cenſuram?

Sed miſſis innumeris aliis, quibus redarguere poſſet temeritatem tuam, quærere ex te Sanctiſſimus poſſet, unde hoc tibi, tuiſque *præ cæteris Mortalium ſingulare vindices, quòd ſitis in poſſeſſione, eamdem ſemper tenendi ſemitam, quidquid opponant Cenſores Romani, & quodcunque Decretum ab hoc Tribunali emanaverit?* Cur aſſeras *majore ingenio præditos Romanos, quàm ut credant vos terreri ſententiâ latæ excommunicationis Pontifici reſervatæ?* Quæ oratio num Theologi Romanam affectantis communionem eſt, an apertè ſchiſmatici? Similis eſt quæ ſequitur: *Quando Romanorum Pontificum fulmina juſta ſunt,quando non apparet admixta prava animi affectio, quando veritati nullatenus præjudicant, quando nihil damnant, niſi errores, & quando in forma legitima eos damnant, laudamus, & approbamus ſententiam, quanquam Tribunal agnoſcere non poſſimus.*

Itane fili, aſſumere poſſet Pontifex, ſi tamen filius es, qui Patri obedientiam exhibere detrectas?Ubi tua,quâ glotiari adeò ſoles, Traditionis notitia? Num excidit quod S. Ignatius Martyr dignus Apoſtolorum diſcipulus ſcripſit in epiſtola ad Romanos de Cleto, & Clemente Petri ſucceſſoribus? *Qui*, inquit, *his non obedit, Atheus prorſus, & impius eſt, & Chriſtum contemnit, & Conſtitutionem ejus imminuit*, quâ videlicet ſtatuitur; *Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam: Tibi dabo claves regni cælorum: Paſce oves meas.* Sanctum Ignatium ſequitur S. Irenæus Lugdunenſis Epiſcopus lib. 3. adversùs hæreſes cap. 3. *Ad hanc* inquit *Eccleſiam*, de Romanâ loquens, *propter principaliorem Principatum neceſſe eſt, omnem convenire Eccleſiam, in qua ſemper ab iis, qui ſunt undique, conſervata eſt ea, quæ eſt ab Apoſtolis Traditio.*

Tribunal hoc agnovit Hieronymus, & ejus ſibi eſſe ſententiâ ſtandum, ita ſcribens de tribus Hypoſtaſibus ad Damaſum: *Diſcernite obſecro, non timebo tres Hypoſtaſes dicere, ſi jubetis. Quamobrem obteſtor Beatitudinem tuam, ut mihi epiſtolis tuis ſive tacendarum, ſive dicendarum Hypoſtaſeon detur authoritas;* S. Auguſtinus lib. 2. de verbis Apoſtoli contra hæreſim Pelagianam ſcribens, *Jam enim*, inquit, *de hac cauſa miſſa ſunt ad Sedem Apoſtolicam duo Concilia, indè etiam reſcripta venerunt, cauſa finita eſt.*

Tribunal Apoſtolicæ Sedis agnovêre cum Auguſtino duo iſta Concilia, & quidem ita ut controverſia, quæ eorum authoritate terminari non poterat, Sedis Apoſtolicæ judicio finiretur. Scribit quidem Queſnellus

ſe

ſe *Pariſienſis Diœceſios presbyterum* : Hujus continuò Antiſtitis authoritatem, & ſententiam implorat : hujus ſe, non Sedis Apoſtolicæ judicio ſubmitrit. Non meminit autem quod ſeculo quarto Optatus Milevitanus lib. 2. contra Parmenionem ſcripſit; *Negare non potes, ſcire te in Urbe Româ Petro primò Cathedram Epiſcopalem eſſe collatam, in qua una Cathedra unitas ab omnibus ſervaretur; ut jam ſchiſmaticus, & peccator ſit, qui contra ſingularem Cathedram, alteram collocaret*. Seculo tertio S. Cyprianus lib. 4. Epiſt. 9. *Qui Cathedram Petri, ſupra quàm fundata eſt Eccleſia, deſerit, in eccleſia ſe eſſe non confidat*.

Queſuellus Romæ ſatis intelligeret præſtandam à ſe, aut fingendam erga Ponrificem obedientiam. Quot autem propoſitionum, quot famoſorum libellorum exigeretur retractatio! Non ſufficerent inanes illæ verborum phaleræ, & offuciæ, qualibus in præſenti epiſtola Pontificem, & cum eo Eccleſiam ludere conatur, cùm ſcribit, ſe, *& fuiſſe ſemper, & ad ultimum uſque vitæ ſpiritum ſemper futurum Eccleſiæ fidei, Catholicæ unitati, Sedis Apoſtolicæ authoritati, ac primatui addictiſſimum*, & SANCTITATIS VESTRÆ *cultorem obſervantiſſimum*. Nomine *Eccleſiæ*, cujus Fidei ſe ſemper addictiſſimum fuiſſe, & futurum ait Queſnellus, intelligere non poreſt Romanam, utpote à qua tot Articulis diſſidet, quot in Bajo, Janſenio, & eorum ſequacibus Sedes Apoſtolica damnavit; quibus ſi addideris 101. propoſitiones ex *Obſervationibus Moralibus* excerptas, facilè deprehendes Queſuellum ducentis ſaltèm enuntiationibus à Romana Eccleſia diſſentientem, in illarum plurimis hæreticum. *Catholicæ unitati addictiſſimus* eſt; ſed acephalæ, &, ſi catholica unitas vocanda ſit, quam aliqnot ſchiſmaticorum turba conſtituit, paucæ hæreſes ſunt, quæ in Eccleſia permanere nollent, dum tolerarentur.

Sed damnatâ hæreſi, exulare ſe ab Eccleſia noverit, quiſquis Sanctioni contumax obluctatur. *Ego Beatitudini Tuæ communione conſocior, ſuper illam Petram ædificatam Eccleſiam ſcio .... quicunque tecum non colligit, diſpergit, hoc eſt, qui Chriſti non eſt, Antichriſti eſt*, ſcribebat S. Hieronymus ad Damaſum Pontificem epiſt. 57. Non colligit cum Pontifice Queſnellus, ut omnibus notum eſt; atque adeò diſpergit, neque Chriſti eſt. Cujus igitur? Ariani tanto muniti adhærentium etiam Epiſcoporum præſidio, longè magis veriſimili ratione, quàm Queſnellus jactare poterant *unitatem Catholicam*, utì & Pelagiani. Hi Juliani tumulo inſcripſerant, mendax illud epitaphium, ut refertur in præfatione ad opus perfectum S. Auguſtini : *Hìc in pace quieſcit Julianus Epiſcopus Catholicus*; quod ab Epiſcopis Catholicis non ante nonum ſeculum doloſo lapidi, & impiis Juliani cineribus ereptum eſt.

Verecundiæ ſi quid reliquum fuerat, exuiſſe debuit Queſnellus, quando CLEMENTI XI. ſcribere auſus eſt, ſe *Sedis Apoſtolicæ authoritati, ac primatui addictiſſimum ſemper fuiſſe*, & hodierni Pontificis *Cultorem obſervantiſſimum*. Quem enim ſcriptionum Queſnellianarum utcunque conſcium latêre poteſt, nullum fuiſſe hactenus hæreticum, antequam Eccleſiæ palàm bellum indiceret, Sedis Apoſtolicæ authoritati, ac vero primatui infenſiorem, ut plura ſuperiùs allata ſpecimina abunde demonſtrant? Scilicet authoritati, ac primatui Pontificis addictiſſimus eſt, dum in libello *Jugement equitable* Pag. 2. ſcribit, *Cenſurâ dignam eſſe propoſitionem enuntiantem, quòd Pontifex ſit ſupra Concilium*: Dum in Epiſtola Abbatis ad quemdam Romanæ Curiæ Prælatum, pag. 31. rejicit velut *ridiculum, quod Pontifex ſe ſolum ſtatuat Judicem Conciliorum, & Magiſtrum Eccleſiæ*: dum ait ſe Pontificis *Tribunal agnoſcere non poſſe, etiam ubi juſta judicaverit*: dum *nimiæ ſimplicitati tribuit, terreri excommunicationibus Pontifici reſervatis*: dum ait, *ſat notum eſſe quàm parum Pontifex conferat ad condenda Decreta, & quàm ineptus ſit, ut multum ad id conferat*. Plura iſtiuſmodi indigniſſima prætereo.

Non ita ſensêre Galliarum Antiſtites octogintaquinque ſcribentes ad Innocentium X. *Experta eſt*, inquiunt, *nuper Beatitudo Sua, quantum Apoſtolicæ Sedis in gemini Eccleſiæ capitis errore profligando valuerit authoritas: continuò ſedata eſt tempeſtas, atque ad Chriſti vocem, & imperium venti, & mare obedierunt. Quam ob rem flagitamus*, BEATISSIME PATER, *ut clarâ firmâque de propoſitionum iſtarum ſenſu prolatâ ſententiâ, cui Reverendiſſimus ipſe Janſenius morti proximus opus ſuum ſubjecit, caliginem omnem diſcutias, animos fluctuantes componas, diſſidia prohibeas, Eccleſiæ tranquillitatem, ſplendoremque reſtituas*.

In tota Queſnelli Epiſtola nihil eſt, quo tantam in Pontifice authoritatem agnoſcat, nihil quo ſe ejus ſententiæ obſecuturum promittat; ſed potiùs ſignificat, ſe maris, & ventorum tempeſtatibus ferociorem, dum illæ Chriſti imperio quieverunt, utì Chriſto per Innocentium loquenti turbines Eccleſiæ ceſſerunt; at Queſnellus tumentes ſuperbiæ ſuæ fluctus demittere nequaquam proponit, quantumvis per CLEMENTEM XI. Chriſtus imperia iterarit. Quare rurſus dicere cogor, ipſos Hæreſiarchas, priuſquam Eccleſiæ libellum

Digitized by Google

lum repudii publicè dediſſent, paſſim plus reverentiæ, & ſubmiſſionis Pontificibus deferre, ſaltèm exteriùs ſolitos, quàm Queſnellum. Innocentio ſcribebat Pelagius: *Hæc eſt fides*, Beatissime Pater, *quam in Eccleſia Catholica didicimus, quamque ſemper tenuimus, & tenemus, in qua ſi minus peritè, aut parum cautè aliquid fortè poſitum ſit, emendari cupimus à te, qui Petri, & fidem; & ſedem tenes.*

Cœleſtius à duobus Conciliis damnatus, recurrit ad Zoſimum Pontificem, libellum offerens hoc ſpecioſo exordio: *Si fortè ut hominibus, quiſpiam ignorantiæ error obrepſerit, veſtrâ ſententiâ corrigatur.* Videri de hoc poteſt S. Auguſtinus lib. de Peccato Originali cap. 7. Dein interroganti Zoſimo, num ſe Innocentii deceſſoris ſui ſententiæ ſubmitteret, *Beati Papæ Innocentii ſe literis conſentire profeſſus eſt*, apud Auguſtinum ibidem: & lib. 2. ad Bonifacium cap. 4. *Imò* apud Paulinum lib. Gratulat. ad Zoſimum *Cæleſtius ſe omnia, quæ Sedes illa damnaret, damnaturum eſſe promittit.* Ibid. *Beati Papæ Innocentii literis non eſt auſus obſiſtere*: auſus eſt pridem Queſnellus plurium, ut vidimus, Pontificum Decretis repugnare, & apertè audet in hac epiſtola contemnere Decretum Clementis XI. contra librum *Obſervationum Moralium*, contra quod aliàs quoque ſcripſit abſurdiſſimos *Dialogos*. Nuſquam verò obedientiam addicit, nuſquam præſtat. Quam non Leoni Pontifici Eutyches promiſit, ut ex ipſius Leonis ad Flavianum datis literis manifeſtè colligitur? Eam Urbano VI. pollicitus eſt Wickleffus apud Sanderum lib. 7. de viſibili Monarchia, ita ſcribens Chriſti Vicario: *Gaudeo planè detegere cuicunque fidem meam, & ſpecialiter Romano Pontifici; quia ſuppono quòd, ſi ſit Orthodoxa, ipſe fidem meam humiliter confirmabit: &, ſi ſit erronea, emendabit... Volo humiliter etiam per mortem, ſi oporteat, emendari; &, ſi in perſona propria ad votum potero laborare, vellem præſentiam Romani Pontificis humiliter viſitare.*

Fraudulentum quidem viſitandi Pontificem deſiderium imitari viſus eſt Queſnellus; ſed non ſubmiſſionis, atque obedientiæ profeſſionem; quamvis & ipſa in Wickleffo ſubdola fuerit. Non minùs epiſtola Lutheri, quâ Theſium ſuarum Analyſin Leoni X. dicavit, præ ſe ferre viſa eſt reverentiam erga Chriſti Vicarium; multò etiam magis ſubmiſſionem, atque obedientiam, quàm Epiſtola Queſnelli. Lutherus ait: Beatissime Pater *proſtratum me pedibus* Tuæ Beatitudinis *offero cum omnibus quæ ſum, & habeo. Vivifica, occide; voca, revoca; approba, reproba, ut placuerit. Vocem tuam, vocem Chriſti in te præſidentis, & loquentis agnoſcam. Si mortem merui, mortem non recuſabo.* Perſpicit hìc Queſnellus ſe obedientiæ erga Pontificem profeſſione vinci vel à pervicaciſſimis hæreſiarchis; quam quidem in illis infidam fuiſſe eventus docuit, uti & omnem Queſnelli contextam verbis ambiguis venerationem.

Ulembergius in vita Lutheri ad annum 1518. *Quæ*, inquit, *paulò poſt ſecuta ſunt, teſtantur, eum hâc ſubmiſſione nihil aliud ſpectaſſe, quàm ut captaret favorem hominum, atque interim, dum res ſuas ſtabiliret in Germaniâ, Summo Pontifici glaucoma objiceret, aut fumos, quod ajunt, venderet.* Quid aliud de Queſnelli epiſtola judicare poſſumus, quàm ideo ſcriptam eſſe, ut poſt Pontificiam de propoſitionibus ſententiam typis ederetur, fundamentum qualecunque præbitura ſchiſmaticæ *querelæ, & proteſtationi*, quæ nuper in lucem prodiit ſummo Eccleſiæ ſcandalo, & funeſtioris præſagio tempeſtatis? Stabilitis ſcilicet Queſnellus rebus ſuis in Hollandiâ per Antipapales aliquot novæ Eccleſiæ Miſſionarios, nunc curas impigre extendit in Gallias, ubi jactum pridem novæ hæreſeos ſemen, quod paulatim, ſed propter metum Potentiſſimi Regis ſubtimidè radices egerat, poſt ejus obitum metu aliquantulum remittente, incrementa ſua liberiùs oſtentat.

Et quidem pluribus apparet hodie ea novitas tanto firmata robore, ut inſtar proceræ arboris inflectere eam nulla vis poſſit, exſcindere ſit perdifficile, exurere fortè periculoſius. Verùm non eſt abbreviata manus Domini, & quod impoſſibile hominibus, Deo facillimum eſt. Quidquid evenerit, excidere Chriſti promiſſum non poteſt, nec ulla inferorum vis adversùs Eccleſiam prævalere: terra, quibuſcunque concuſſa motibus, in æternum ſtat; ſic fundata ſupra immobilem petram Eccleſia; quæ, ſi quid alicubi inundatione forſitan deperdere viſa fuerit, alibi ſua damna alluvionibus reſarcit, ſubinde etiam cum fœnore. Sed nos ex his ſalebris pedem referentes expectat propugnanda magis cominùs Apoſtolica Sanctio.

FINIS PROLEGOMENORUM.

I N D E X,

ET SYNOPSIS

Rerum in Prolegomenis contentarum.

Arabicus Numerus paginam, Romanus columnam deſignat.

A

ABAILARDUS [*Petrus*]

S. Bernardo bellè deſcriptus. *Pagina* 22. *columna* I.

De eo, ut accuſatore perperàm conqueritur. 99. II.

ÆGIDIUS CANDIDUS. V. DE WITTE

AETIUS [*Hæreticus.*]

Queritur, opuſculum ſuum ſibi eſſe ſubreptum ad accuſandum. 36. I.

AGUIRRE [*Cardinalis.*]

Circa quinque famoſos articulos judicium ſuſpendit, & negat, eos ſufficere purgando alicui de Janſeniſmo. 57. II. *& ſeq.*

ALECTENSIS EPISCOPUS.

Ejus liber Pontificiâ ſententiâ proſcriptus, & ad rogum damnatus defenditur à Queſnello. 65. I.

ALEXANDER VIII.

Ut ad Pontificatum evehitur, à Novatoribus laudatur: damnatis deinde 31. Janſeniſtarum Propoſitionibus, iiſdem odio, & execrationi eſt. 83. II. *& ſeq.*

AMBROSIUS [*Sanctus.*]

Arianorum fraudes depingit. 87. I.

ARIANI.

Horum non errores tantùm, ſed & fraudes detectæ ab Athanaſio, Epiphanio, & Auguſtino. 21. II.

Fraudum artifices peritiſſimi: horum diſcipuli Janſeniſtæ. 87. I. & II.

Horum arrogantia ſe ſolos æſtimantium Janſenianæ ſimilis. 89. I.

A PRECIPIANO [*Humbertus Guilielmus, Archiepiſcopus Mechl.*)

Fert ſententiam in Queſnellum, maximè ratione *Obſervationum Moralium*. 26. I.

Et quaquaverſum ſpargendam curat. *ibidem*.

ARNALDUS [*Abailardi diſcipulus.*]

Graphicè depictus à S. Bernardo, Othone Friſingenſi, & Gunthero Ligurino. 22. I.

ARNALDUS [*Antonius.*]

In difficultatibus ſuis propoſitis Domino Steyaert ſentit, adhærendum S. Auguſtino clarè loquenti, non reſpiciendo ad ullam Pontificis Bullam. 37. I.

E ſolo Clero vult adſciſci Quæſitores Fidei. 38. II.

In Moniales Portûs Regii partem patrimonii effundit. 41. II.

Juxta eum S. Petrus, & S. Paulus ſunt duo Eccleſiæ capita, quæ tantùm faciunt unum. 73. I.

Magna hinc ei creatur invidia. *ibidem*.

Excuſat ſe, quod id non intellexerit de omnimoda æqualitate. *ibidem*.

Hæc excuſatio detergendo errori non ſufficit. *ibidem*.

Nunquam agnoſcere viſus eſt in S. Paulo ſubordinationem, & ſubjectionem ad S. Petrum. *ibidem*.

Ex hac ejus propoſitione fluit, cæteros Epiſcopos Romano Pontifici ſubjectos non eſſe. 73. II.

Damnatus à Sorbona (ſi fides Queſnello vitæ ejus Scriptori) veritatem in ſe damnatam ingemuit. 75. II.

Ejus effigiei hæc à Queſnello ſubnexa epigraphe: *Antonius Arnaldus Doctor in fide, & veritate. ibidem.*

Ejus judicio, & arbitrio penitùs ſubmittit Queſnellus *Obſervationes* ſuas *Morales*. 80. I.

Se ei etiam docilem præbuit ipſe indomitus Ægidius De Witte. *ibidem*.

Multi, ejus judicio Eruditi, ſubſcriptionem formulæ contra Janſenium, ut meram ceremoniam habent, licitamque ajunt, quamvis ſubſcribentes contrarium in animo ſentiant. 87. I.

Ex ejus opere *De frequenti Communione* tot Theologorum, & Epiſcoporum approbationibus munito damnata eſt ab Innoc. X. Propoſitio de bicipiti Eccleſia, uti & plures aliæ de Sacramento Pœnitentiæ ab Alexandro VIII. 88. I.

AUGU-

Digitized by Google

AUGUSTINUS [*Sanctus*.]

Manichæorum mores, & flagitia deſcripſit. 21. II.

Ei, ſi Queſnello in erroribus conſentiret, adhærendum non eſſet, teſte S.-Thoma. 37. I.

Janſenio inferior eſt juxta Ægidium De Witte. 37. II.

Traducitur ab Elia Dupin, ut magnus opinator, novator, ineruditus, vacillans Theologus. 37. II. *& ſeq.*

Contemptui habitus à Joanne Launoy. 38. I.

Agnoſcit doctrinam veritatis in cathedra unitatis. 76. I.

Cauſam finitam ait, quòd Romà reſcripta venerint. 100. II.

B

BAJUS [*Michael*.]

Queritur, ſe non intelligi, & propterea perperàm explicari. 89. II.

Pontificiæ ſententiæ ſe ſubmittit. *ibid.*

Ejus operum nova editio procuratur à Gerberono. 96. II.

BANNEZ [*Dominicus Thomiſta*.]

Tradit Eccleſiam eſſe infallibilem in definiendo quis ſit libri ſenſus. 98. II.

BASILIDES [*Hæreticus*.]

Ejus vita, & mores ab Epiphanio vulgati. 22. I.

BERENGARIUS.

Si ei creditur, Innocentius Pontifex à S.Bernardo in Abailardum ſuccenſus eſt. 27. II.

Conqueritur de S. Bernardi Abailardum denuntiantis prætenſâ perfidiâ. 36. I.

BERNARDUS [*Sanctus*.]

Henrico hæretico pietatis larvam detraxit. 22. I.

Item Petro Abailardo. *ibidem*.

Item Arnaldo Abailardi diſcipulo. *ibidem*.

Henricianorum hæreticorum fraudes deſcribit. 87. I.

Juxta eum Summus Pontifex nobis fidei regula eſt. 93. II.

Ejus Abailardum accuſantis zelus gratus Innocentio Pontifici. 99. II.

BOSSUETIUS [*Jacobus Benignus, Meldenſium Epiſcopus*.]

Quibus præſtigiis deluſus *Obſervationes Morales* defenderit? 32. II. & 84. II. *& ſeq.*

Sententiam mutat, & quâ occaſione? 33. I. & II. & 84. I. & II. *& ſeq.*

Poſt mortem ejus quàm falsò dicatur *Obſervationes Morales* ſemper magni feciſſe? 33. II.

Poſterioris ejus de iis judicii habenda eſt ratio, non prioris. *ibidem*.

Alibi à Queſnello laudatus, alibi habitus ut nullius authoritatis, judicii, prudentiæ, ut Propheta claudicans in utramque partem. 82. II. *& ſeq.*

Dum duriores quaſdam Queſnelli locutiones mollire ſtudet, fruſtrà ſe eſſe deprehendit, cùm *Obſervationes Morales* erroribus ſcateant. 89. II. *Vide* DAMBES.

BREVE ALEXANDRI VII.

Datum ad Antiſtites Galliæ poſt expoſitos ei quinque famoſos articulos. 43. I. & II.

Ejus ſcopus. *ibidem*.

Eo abutuntur Janſeniani. *ibidem*.

Iis tamen non patrocinatur. 44. I.

Ejus verba *ad ſaniorem doctrinam inducti* non referenda ad quinque articulos. *ibid.*

Si referenda eſſent, erraſſet Pontifex, teſtimonio Queſnelli. *ibidem*.

Quamvis referrentur, ſola hinc ſequeretur quinque articulorum approbatio negativa. 44. II.

BRIGODIUS.

Captus cum Queſnello, & Gerberono. 26. I.

BRULEUR. *Vide* LE NOIR.

C

CALONUS [*Paulus, Calvinianus*.]

Impensè laudat Janſenii volumen. 78. II.

CALVINISMUS.

Unde ejus progreſſus, & dilatatio? 77. I.

CALVINUS.

Jactat S.Auguſtinum totum à ſe ſtare. 36. II.

CASUS CONSCIENTIÆ FAMOSUS.

Ejus reſolutio Romæ damnata: retractata à pluribus malè habet Queſnellum. 24. I.

CATECHISMUS

De gratia à Janſenianis compoſitus medullam Janſeniani voluminis continet, teſte Leydeckero Calviniano. 78. II.

CAUSA QUESNELLIANA

Inſtituta à Vicario Mechlinienſi, nunc Brugenſi Antiſtite. 26. I.

Ejus exemplaria quamplurima in Urbem miſſa, & quaquaverſum diſtributa. *ibidem*.

CLEMENS XI.

Ejus Conſtitutio *Univerſi Dominici gregis*, qua *Obſervationes Morales* generatim damnat. 30. II. *& ſeqq.*

Altera *Unigenitus*, qua 101. Propoſitiones Obſervationum Moralium configit. 1. *& ſeqq.*

CLERUS GALLICANUS

Formulam decernit ſubſcribendi Conſtitutioni Alexandri VII., quod malè habet Janſenianos. 42. II.

COELESTIUS

Erga Pontificem, ſaltèm in ſpecie, Queſnello docilior. 102. I.

CON-

CONCILIUM CALCHEDONENSE.
Agnoſcit Romanum Pontificem *Fidei Propugnatorem impenetrabilem ab omni errore*. 76. I.
CONSIDERATIONES MORALES. *Vide* OBSERVATIONES MORALES.
CONSTITUTIO *Unigenitus*.
Refertur. *Pag.* 5. *& ſeqq.*
Quàm ſtolidè Jeſuitis attributa, & prætenſæ offenſioni CLEMENTIS XI. in Eminentiſſimum Noaillium,& Queſnellum. 27. II.
Ejus edendæ vera ratio. 27. II. *& ſeq.*
Ob mala quædam indè oritura omittenda non fuit. 28. I. *& ſeqq.*
Ejus ſpecialis neceſſitas ex Eccleſiæ Gallicanæ periculo; ex Regis, Antiſtitum Galliæ, & ipſius Eminentiſſimi Noaillii poſtulatione. 29. II. *& ſeq.*
CONSTITUTIO *Univerſi Dominici gregis. Vide* CLEM. XI.
CONVENARUM ANTISTES.
A Janſenianis in patrocinium adſcitus. 42. II.
CYPRIANUS [*Sanctus*.]
Ait ob hæreticorum minas, & inſidias ab eorumdem condemnatione abſtinendum non eſſe. 28. II.
Ei in Concilio Africano plures Epiſcopi ſuffragati ſunt, quàm numeret Queſnellus ſui operis defenſores; & tamen illius ſententia à Sede Apoſtolica reprobata eſt. 88. I.
Juxta eum, qui Cathedram Petri deſerit, in Eccleſia non eſt. 101. I.

D

DAMBES [*Abbas Couet*.]
Exprobrat Boſſuetio ſiniſtrum de Obſervationibus Moralibus, tanquam purum putum Janſeniſmum continentibus, judicium. 33. I. & II.
Fatetur diſertè, Boſſuetium, quas priùs probarat *Obſervationes Morales*, reprobare. 84. I.
DE FROMAGEAU.
Colligit ex libro *Obſervationum Moralium*. 199. articulos tanquam erroneos. 25. II.
DE GELDER [*Eugenius*.]
In opere ſuo *Ultima Vox zelatricis Innocentiæ* ait, condemnatione Michaëlis Molinos eliminatam eſſe ab Eccleſia operationem Spiritûs Sancti. 69. II.
DE LA FONTAINE [*Jeſuita*.]
Traducitur à Petro Gratiano, tanquam qui circumvenerit Eminentiſſimum Ferrari, & Pontificem in cauſa Bullæ *Unigenitus*. 42. I.
DELBECQVE [*Dominicanus*.]
Contemnitur à Du Vaucel, aliàs Walono. 40. I.
DE LIGNY [*Petrus*.]
Explodit gratiam Thomiſtarum ſufficientem, & prædeterminationem phyſicam. 39. II. *& ſeq.*
Ridet devotiones externas Roſarii, &c. 40. II.
Thomiſtarum gratiam ſufficientem vocat ſtultitiam. 55. II. *& ſeq.*
Declarat coram Deo, ſe credere, nullam amplius poſt Adami lapſum dari gratiam ſufficientem. *ibidem*.
Item libertatem indifferentiæ non eſſe, niſi chimæricam, &c. 56. II.
Totum Prædeterminantium ſyſtema repudiat. *ibidem*.
DE WITTE [*Ægidius*, *profligatus Janſeniſta*.]
A Queſnello defenſus. 23. II.
Fatetur, Janſenium in toto ſuo *Auguſtino* idem ſemper conſtanter ſentire. 35. I.
Ait Eccleſiæ doctrinam doctrinæ Janſenii illigatam eſſe, hujuſque librum libris omnibus, poſt Canonicas Scripturas, vel non cedere, vel etiam eſſe præferendum. 37. II.
Item, ſi ejurandus eſſet Hipponenſis Auguſtinus, vel Iprenſis, potiùs ille, quàm iſte. *ibidem*.
Ejus *Inſtructio ad Fideles* plena rebellione, ſchiſmate, & hæreſi. *ibidem*.
Invehitur in gratiam Thomiſtarum ſufficientem. 39. I. & II.
Fraudulentos agnoſcit 5. famoſos articulos. 45. II.
Nomen gratiæ ſufficientis à falſis quibuſdam Thomiſtis excogitatum ait, & nequitiam maximam vocat. 56. I. & II.
Ait, Papæ non competere aliam prærogativam reſpectu cæterorum Epiſcoporum, quàm quæ Plebano, vel Paſtori Cathedralis Eccleſiæ reſpectu aliorum Paſtorum Parochialium ejuſdem Civitatis. 71. II.
Juxta eum neque ſcandaloſum eſt, neque perniciosum dicere, Pontificem eſſe reſpectu Concilii Oecumenici id, quod Præſes eſt reſpectu Concilii arcani. 72. I.
Item, ab Epiſcopis per abuſum dicitur, quod *Apoſtolicæ Sedis gratiâ* tales ſint. Antiquitus Pontifex ab iis nuncupabatur ſimpliciter *Confrater*. Præſedit Jacobus in Concilio Jeroſolymitano, quia coactum erat in ejus Diœceſi. *ibidem*.
Rurſus juxta eumdem hæc verba: *Tu es Petrus, &c.* dicta ſunt Petro perſonaliter, non ſucceſſoribus. 72. II.
Hæ ejus Propoſitiones probantur à Queſnello, ut Catholicæ. *ibidem*.
Utcunque ferox ingenio, tamen ſe Arnaldo docilem præbuit. 80. I.
Ait, videri ſibi contra Eccleſiam conjuraſſe uni-

univerſitatem populi Chriſtiani à minimo uſque ad maximum,& terram infectam eſſe à lue Pelagiana. 88. II.
Ex Sanctamoræo vocat P. Paſcaligonium in teſtem ignorantiæ, & inſcitiæ Romanorum Conſultorum in cauſa Janſenii, cùm tamen Cardinalis Sacchetti, tantopere ab eo laudatus, teſtetur non fuiſſe Theologos in Urbe magis petitos, quibus liceret de materia tanti ponderis pro merito ſententiam dicere. 94. II.

DOMINICANI.

Eorum Roſarium, Tertius Ordo, &c. exploſa à Petro De Ligny, ab Authore *Defenſæ Libertatis Belgicæ*, & Theodoto de Viaixnes. 40. II.
Iidem à Walono, ſeu Du Vaucel fœdè vituperati. 41. I.

DU PIN [*Elias*.]

Egregius S. Auguſtini contemptor. 37. II. *& ſeq.*
Item Sancti Thomæ. 38. I.

DU VAUCEL [*Ludovicus, aliàs Walonus.*]

Aucupatur Thomiſtarum gratiam, quos in ſinu contemnit, & inter hos Patrem Delbecque, & Natalem Alexandrum. 40. I. & II.
Impingit Dominicanis crudele convitium. 41. I.
Pro Alexandri VIII. anima nè orare quidem ſuſtinet, vel ad aram meminiſſe, vel exequiis intereſſe. 83. II. *& ſeq.*
Ejus præceps, trepidaque ex Urbe fuga,& in Hollandiam tranſitus. 99. II. *& ſeq.*

E

ECCLESIA.

Videtur, juxta Janſenianos, in eam conjuraſſe univerſitas Populi Chriſtiani; infecta eſt à lue Pelagiana. 88. II.
Juxta eoſdem ejus diſciplina corruit: ruina irreparabilis eſt. 89. I.
Ejus infallibilitas. *Vide* Senſus libri Dogmatici.
Omnis alia ad Romanam convenire debet, juxta Sanctum Irenæum. 100. II.

ECCLESIA GALLICANA.

Ejus 85. Epiſcopi neceſſariam Pontificis authoritatem ducunt ſedandis Eccleſiæ motibus. 101. II.

EPIPHANIUS [*Sanctus.*]

Impugnans hæreſes, paſſim earum authores depingit. 21. II.

EPISCOPI.

Si in errorem trahantur, deferendi, ut adhæreatur Petro per Pontificem loquenti: Hæc agendi ratio exemplis teſtatiſſima. 33. II. *& ſeqq.*
Subinde plures cum graviſſimis Theologis à veritate aberrant: unde non mirum, ſi eorum judicium quandoque à Pontifice ad examen revocetur. Ejus rei exemplum non unum. 87. II. *& ſeq.*

ERASMUS [*Deſiderius, Roterodamenſis.*]

Ejus de Lutheraniſmi fructibus judicium. 79. I.

F

FACULTAS LOVANIENSIS.

Cenſuram inurit variis Propoſitionibus Ægidii De Witte quoad æqualitatem poteſtatis in Pontifice, & cæteris Epiſcopis. 71. II. *& ſeq.*

FENELON [*Franciſcus, Archiep. Cameracenſis*]

Ejus, licèt integerrimi Præſulis, *Placita Sanctorum* à Sede Apoſtolicâ damnata. 99. II.

FERRARI [*Cardinalis.*]

Ei calumnia impingitur à Petro Gratiano. 42. I.

FORMULA

Subſcriptionis Conſtitutioni Alexandri VII. imperata à Clero Gallicano Janſeniſtas commovet. 42. II.

FRIGLANDUS [*Jacobus, Calvinianus.*]

Auguſtinum Janſenii commendat. 78. II.

FROMONDUS [*Libertus.*]

Teſtamenti Janſenii, & poſthumi ejus operis edendi curator tribuit Janſenio *Immenſum Veritatis amorem, &c.* 75. I.

G

GERBERONUS [*Gabriel.*]

A B Illuſtriſſimo Mechlinienſi Regi Chriſtianiſſimo traditur ſecuriùs cuſtodiendus. 24. II.
Ejus *Expoſitio Fidei* damnatur ab Eminentiſſimo Noaillio. 25. II.
Conſentit Ægidio de Witte quoad æqualitatem poteſtatis in Pontifice, & cæteris Epiſcopis. 75. II.
Dicit, cenſuras Romanas ab iis cudi, qui nè leviſſimè quidem verâ Theologiâ tincti ſunt. 88. II.
Imò Inquiſitores Romanos, nè idioma quidem Latinum Janſeniani voluminis intelligere. *ibidem.*
Novam curavit omnium Baji operum editionem. 96. II.

GILBERT [*Jacobus, Duacenſium Cancellarius.*]

Ait verè, & legitimè concludi: *Titius non ope-*

operatur bonum,ergo non poteſt illud operari. Item: *Poteſt bonum operari, ergo operatur*. 49. I.
Dicit,Semipelagianos admiſiſſe gratiam verè interiorem, neceſſariam etiam ad initium Fidei. 51. II.

GIRARDUS

Quinque famoſorum articulorum faber. *Vide* LALANIUS, & QUINQUE ARTICULI.

GRATIA PRÆDETERMINANS

In quinque famoſis articulis uſurpata ad fucum faciendum, & ſic ab ipſo Janſenio admiſſa. *Vide* QUINQUE ARTICULI.

GRATIA SUFFICIENS THOMISTARUM

Exagitata, contempta, rejecta à Ludovico Montaltio, aliàs Blaſio Paſchale, Ægidio de Witte, Petro De Ligny, & ſimilibus. 39. I. *& ſeqq.*
A Janſeniſtis non verè ſufficiens exiſtimatur. 47. I.
Ab artificibus 5. Articulorum fraudulenter adhibita, neque ab ipſo Janſenio horum ſenſu repudianda. *Vide* QUINQUE ARTICULI.
Dum *Gratiæ ſufficienti* addunt Janſeniani particulas *Thomiſticè, ſenſu Thomiſtico, apud Thomiſtas*, ſunt apud illos particulæ alienantes. 48. II. 51.II. *&* 55.II. *& ſeq.*

GREGORIUS PAPA [*Sanctus*]

Juxta eum, Hæreticis proprium eſt, ſcientiâ ſua inflari, Fidelium ſimplicitatem deridêre. 89. I.

GROTIUS [*Hugo, Calvinianus*]

Laudat Janſenii volumen. 78. II.

H

HARLAY [*Franciſcus, Archiepiſcopus Pariſienſis*]

A Janſenianis proſciſſus famoſo libello,ubi promittitur præmium divinanti, *cujus* hic Antiſtes *Fidei ſit, & Religionis.* 88.I.

HENRICIANI HÆRETICI

Perjuri: hos imitantur Janſeniani. 87. I.

HENRICUS HÆRETICUS.

Ei pietatis larva detracta à S.Bernardo. 22.I.

HÆRESES.

Unde ſit, ut ſubinde diu graſſentur impunè? Producuntur exempla. 28. I.
Iis ſolemne eſt, ubi damnantur, mala quædam, & turbas progignere. Exemplis res illuſtratur. 29. I.
Eæ ſpecialiter damnandæ, quæ pietatem, & ſanctitatem mentiuntur. 29.II.
Earum mater ſuperbia. 76. II.
Unde earum magna brevi tempore incrementa? Exempla hanc in rem multa. 76. II. *& ſeqq.*
Earum fructus. 79. I. *&* II.
Avidè bibuntur, quòd ſermonis, & ſtyli lenocinio propinentur. Veritatis hujus exempla. 77. II. *&* 78. I. *&* II.

HÆRESIARCHÆ.

Eutyches, Arius, ac Pelagius plures quàm Queſnellus numerarunt ſuffragatores; nec tamen anathemati ſubducti. 93. II.
Ante ſuam ab Eccleſia defectionem, ergà ejus Caput, in ſpecie ſaltèm, Queſnello fuêre reverentiores. Probatur exemplo Pelagii, Cœleſtii, Eutychetis, Wickleffi, Lutheri, &c. 100. II. *& ſeqq.*

HÆRETICI.

Iis detrahenda larva, & cur? 21.II. *& ſeqq.*
In eo nulla læſio charitatis. *ibidem*.
Multorum exempla, quorum à Sanctis Patribus, aliiſque detecta eſt infamia, & hypocriſis. *ibidem*.
Horum mos eſt, condemnationem ſuam accuſantium invidiæ tribuere. Hujus rei luculentiſſima exempla. 27. I. *&* II.
Iiſdem ſolemne eſt, dogmatum ſuorum approbationes emendicare ab Epiſcopis. Hujus rei rurſum exempla. 32. I. *&* II.
Solent dogmatibus hæreticis admiſcêre quædam in ſpeciem contraria, ut fucum faciant: Exemplum eſt in Luthero, Janſenio, Pelagio, &c. 34. II. *& ſeqq.*
Iiſdem uſuvenit, queri de perfidia, aut inſcitia ſuorum denuntiatorum. Exempla ſunt in Pelagio, Aëtio, Berengario, Wickleffiſtis. 35. II. *& ſeq.*
Tegunt ſe ferè authoritate Magiſtrorum Catholicorum. In exemplo ſunt Pelagius, Petilianus, Wickleffus, Lutherus, Melanchton, Calvinus. 36.I. *& ſeqq.*
Catholicis fœderari cupiunt, ut eos ſecum præcipitent. 41. I.
Religioſos Ordines ineſcare ſtudent, & beneficiis obſtringere, erroribus ſuis imbuendos. Ita fecêre Julianus, & Marathonius. *ibidem*.
Eorum contumeliis quid reſpondendum ex S. Cypriano? 42. I.
Eorum blanditiis aures obturandæ. 42. II.
Obtendunt ſemper pietatem, & puriorem Ethicam. Probatur exemplo Euſebianorum, Lutheri, Calvini, &c. 69. I. *&* II.
Pelagius, Wickleffus, & Lutherus modeſtiùs, ac reverentiùs ad Pontifices ſuos ſcripsêre, quàm Queſnellus. 71. I. *&* II.
Solent, teſte S.Auguſtino, hæreſim ſuam appellare *Veritatem*. Probatur exemplo non uno. 75. I. *&* II.

Soli, & repentè ſapiunt. 88. II.
Iis proprium, juxta Sanctum Gregorium, ſcientia ſuâ inflari, Fidelium ſimplicitatem deridere. 89. I.
Juxta Sanctum Irenæum, alios quaſi idiotas, & nihil ſcientes arguunt; ſe ipſos extollunt. 94. II.
Iis famam proſtituunt libri ſui. 99. I.

HIERONYMUS [*Sanctus*.]

Ejus reverentia, & ſubmiſſio erga Sedem Apoſtolicam. 76. I.
Juxta eum dulcedo eloquentiæ facit, ut hæretica falſitas, veritas reputetur à ſtultis. 78. I.
Item, qui cum Eccleſiæ capite non colligit, diſpergit, & non eſt Chriſti. 101. I.

I

JANSENIANI

Largiores ſunt erga Moniales, quàm erga Viros Religioſos. 41. II.
In Religioſos Ordines contumelioſi. *ibidem*.
Adoptata ab eis Eraſmi Rotterodamenſis calumnia. *ibidem*.
Ut declinent ſubſcriptionem Conſtitutionis Alexandri VII. à Clero Gallicano imperatam, & indignationem Ludovici XIV. adſciſcunt patrocinium Convenarum Antiſtitis, & fraudem quinque articulorum adornant. 42. 2.
Fidem fallunt datam Alexandro VII. ſtandi decretis ejus. 43. II. *& ſeq.*
Abutuntur verbis *doctrinæ ſanioris* ex Brevi Alexandri VII. 43. II.
Quæ tamen iis non patrocinantur. 44. I.
Gratiam inefficacem nunquam verè, & ſimpliciter ſufficientem vel admittunt, vel vocant, ſed callidè reſtringunt per particulas, juxta eos, alienantes, *Thomiſticè, ſenſu Thomiſtico, apud Thomiſtas*. 48. II. *& ſeq.*
Eorum *neceſſitas infallibilitatis* eſt antecedens, niſi quod conſequatur Adami, & noſtram in eo libertatem. 49. II.
Fallaciter dicunt eſſe in homine activæ indifferentiæ genus. 50. I.
Mordicus tuentur primam partem quartæ Propoſitionis Janſenianæ, hiſtoricam videlicet; ut patet ex libello trium columnarum col. 2. Toti ſunt in eludenda ſecunda parte hæretica. 51. II.
Non alio, quàm Janſenii ſenſu dicunt in quinto ex famoſis articulis, Chriſtum antecedente voluntate ſalutem omnium voluiſſe, & ſufficiens pro omnibus pretium obtuliſſe. 53. I.
Ex eorum mente nonniſi unus eſt damnatarum Janſenii Propoſitionum ſenſus. 54. I.
Juxta eos gratia ſufficiens non impedit, quin veriſſimum ſit quidquid Janſenius, quidquid Arnaldus, & Queſnellus tradiderunt. 56. I.
Cur gratiæ *Thomiſticè ſufficientis* rem ferant; non autem nomenclaturam? *ibidem*.
Dum inter ſe confidenter agunt, rident libertatem indifferentiæ, poteſtatem proximam, ſenſum diviſum, & compoſitum Thomiſtarum, uti & horum gratiam ſufficientem. *ibidem*.
Alexandrum VIII. pro excommunicato habent. 83. II.
Quibus dolis uſi ſint, ut Boſſuetio Meldenſi Epiſcopo approbationem *Obſervationum Moralium* elicerent? 84. II. *& ſeq.*
Illudunt Eccleſiæ, ſuppeditando modum damnandi 101. Propoſitiones, ſubintellecto eis videlicet ſenſu exotico, quem nec Queſnellus, nec Queſnelliſtæ intendunt. 86. II.
Nè beneficiis, & dignitatibus excludantur, imitantur perjuros Priſcillianiſtas, & Henricianos. 86. II. *& ſeq.*
Juxta eos putreſcit Clerus, diſciplina Eccleſiæ corruit, &c. nullum his malis expectandum remedium ab Urbe Româ totius ægritudinis cauſâ. 88. II. *& ſeq.*

JANSENISMUS.

Unde ejus progreſſus, & dilatatio? 77. I. & II. & 78. I. & II.

JANSENIUS [*Cornelius*, *Iprenſis Epiſcopus*]

Subinde videtur catholicè loqui, ut fucum faciat. 34. II.
Tamen in toto opere ſibi conſtat, teſte ipſo Ægidio De Witte. 35. I.
Non aliam ait profiteri ſe doctrinam, quàm S. Auguſtini. 37. I.
Hinc ejus liber *Auguſtinus* dictus. *ibidem*.
Et ejus ſequaces *Diſcipuli Sancti Auguſtini*. *ibidem*.
Ejus de Sancto Thoma, & Scholaſticis Religioſis ſiniſtrum, & ſuperbum judicium. 38. I.
Odit prædeterminationem phyſicam. 38. II. *& ſeq.*
Conſentit primo ex quinque famoſis articulis. 46. I. *& ſeqq.*
Dicit, eumdem ſe effectum tribuere gratiæ ſuæ indeclinabiliter efficaci, qui à Thomiſtis prædeterminationi phyſicæ tribui ſolet. 46. II.
In omnibus juſtis volentibus, & conantibus agnoſcit gratiam non ſolùm habitualem, ſed etiam actualem aliquam carentem effectu, ad quem non ſufficit: ita tamen ut hac inſtructi vitio ſuo cadant. *ibidem*.

In

In iiſdem, præter liberi arbitrii flexibilitatem, admittit propinquiorem aliquam poteſtatem per habitus Fidei, & Charitatis. 47. I.

Ab actuali ſufficienti auxilio admittendo alienus non eſt, modò non re; ſed nomine ſufficiens intelligatur. *ibidem*.

Conſentit ſecundo ex quinque articulis. 48. I.

Se à Thomiſtis diſcernere, & tamen ſub eorum terminis latêre ſtudet. 48. II.

Suam gratiam efficacem etiam *Prædeterminantem* vocat. *ibidem*.

Ejus ſenſus compoſitus, & diviſus eum, ejuſque aſſeclas ab hæreſi ſecundæ Propoſitionis Janſenianæ non purgat. 48. II. *& ſeq.*

Nuſquam admittit gratiam verè, & ſimpliciter ſufficientem. 49. I.

Conſentit tertio ex quinque articulis. 49. II. *& ſeqq.*

Ejus axioma eſt: *Quod ampliùs nos delectat* (delectatione indeliberatâ) *ſecundùm hoc operemur neceſſe eſt*. *ibidem*.

Quantâ vafritie Thomiſmum ſimulet. 50. II.

Conſentit quarto ex quinque articulis, quâ parte hæreſim continet. 51. I. *& ſeqq.*

Calvino verbotenus adverſatur, re ipſa aſſentitur. 51. I.

Sibi in toto opere conſtat, ut fatetur *Apologia Panegyreos Janſenianæ*. 52. I.

Quinto ex quinque articulis conſentit. 52. II.

Juxta eum voluntas antecedens ſalvandi omnes non eſt niſi ſterilis erga eorum ſalutem complacentia, qualis eſt erga ſalutem Dæmonum. 53. I. & II.

Et Chriſtus obtulit quidem pretium, quod omnium ſaluti ſufficeret, ſed hoc ad ſolotum Prædeſtinatorum ſalutem direxit; ad juſtorum verò non electorum juſtitiam dumtaxat temporalem. *ibidem*.

Ejus iconi circumponitur hoc lemma: *Scuto circumdabit te veritas ejus*. 75. I.

Eidem veritatis immenſus amor à Liberto Fromondo adſcribitur. *ibidem*.

Ejus volumen *Auguſtinus* dictum impensè laudatur ab hæreticis. 78. II. *& ſeq.*

JESUITÆ.

Iis inſulsè attribuitur emanatio Conſtitutionis *Unigenitus*. 27. I.

In eos aperta, & ſtolida Queſnelli indignatio. 38. II.

A Queſnello Theologorum numero excluduntur. 45. I.

IGNATIUS [*Martyr*.]

Pro Atheo, & impio Chriſti contemptore habet, qui ſe Sedi Apoſtolicæ non ſubjicit. 100. II.

INNOCENTIUS X.

Damnat Propoſitiones de æqualitate poteſtatis in S. Petro, & S. Paulo à Janſenianis traditas. 72. II. *& ſeq.*

IRENÆUS [*Sanctus*]

Juxta eum hæretici alios arguunt quaſi idiotas, & nihil ſcientes; ſemetipſos extollunt. 94. II.

Juxta eumdem omnem aliam Eccleſiam ad Romanam convenire neceſſe eſt. 100. II.

JULIANUS [*Pelagianus*]

Pelagianorum condemnationem odio, invidiæ, & factionibus Sancti Auguſtini tribuit. 27. I. & II.

Non pepercit amplo patrimonio, ut egentes Religioſos ſibi devinciret. Id imitantur Janſeniani. 41. I.

JURIEUX [*Miniſter Calvinianus*]

Fatetur Janſeniſtas ad Calvinianos omnino acceſſiſſe in materia de Gratia. 79. I.

L

LALANIUS [*Natalis*]

Quinque articulos vel fabricat, vel à Girardo fabricatos promovet. 49. II.

Quomodo tertiam Janſenii Propoſitionem, ſuam, & ſuorum eſſe declaret: *ibidem*, *& 50. I.*

Convenitur de duplici fallacia in cauſa quinque articulorum. 52. II.

LAUNOY [*Joannes*]

S. Auguſtini contemptor: ejus epiſtola poſthuma à CLEMENTE XI. damnata. 38. I.

LE NOIR [*Canonicus*, *ficto nomine dictus Brûleur*]

Ait, pleroſque Galliæ Antiſtites in quæſtionibus controverſis ignorantes eſſe, nec velle diſcere. 88. II.

LEONTIUS

Cauſam dat, cur licitè hæreticorum vita, & mores deſcribantur. 22. I. & II.

Ejus de hæreticis, ſe ſolos æſtimantibus, judicium. 88. II.

LEYDECKERUS [*Melchior*, *Calvinianus*]

Ejus ſententia de Janſeniano Catechiſmo de Gratia. 78. II. *& ſeq.*

LUCIONENSIS EPISCOPUS. *Vide* OBSERVATIONES MORALES. *&* QUESNELLUS.

LUPUS [*Chriſtianus*, *ex familia S. Auguſtini*, *Doctor Lovanienſis*]

Pro merito redarguit *Diſſertationes*, *& Notas Queſnelli in Opera S. Leonis*. 61. I. & II.

LUTHERUS

Proſcriptionem ſuorum dogmatum Cajetano, Eckio, & Monachis adſcribit. 27. II.

Subinde ſcripſit, in ſpeciem ſaltem, contrarias

ria; non tamen propterea ab errore abſolvendus. 34. II.
Auguſtinum totum ſuum facit. 36. II.
Ejus de fructibus hæreſis ſuæ judicium. 79. II.
Erga Pontificem Queſnello, ſaltèm in ſpecie, ſubmiſſior, & docilior. 102. II.
Ejus in hac agendi ratione finis, favorem hominum aucupari, & qualecunque fundamentum præbere meditatis querelis. *ibid.*

M

MANICHÆI.
EOrum mores, & flagitia deſcripta à Sancto Auguſtino. 21. II.

MARATHONIUS [*Macedonianus hæreticus*]
Largus in Cœnobitas Macedonianâ impietate imbuendos. Sequaces in hoc habet Janſenianos. 41. I.

MEDINA [*Bartholomæus, Thomiſta*]
Tradit Eccleſiam eſſe infallibilem in determinando quis ſit libri ſenſus. 98. II.

MELANCTHON [*Lutheranus.*]
Ei Lutherus totus Auguſtinianus eſt. 36. II. *& ſeq.*

MERCURIUS CONQUERENS [*Theologus Lovanienſis*]
Religioſis Ordinibus convitiatur. 41. II.

MISSIONARII E' CLERO HOLLANDIÆ
Multi in tranſverſum acti ab adventu Arnaldi, & Queſnelli in Hollandiam, 42. II.

MONIALES
Portûs Regii ab Arnaldo patrimonii parte donatæ. 41. II.
Earum Abbatiſſa, miſſis ſibi à Queſnello de Arnaldo reliquiis, illum, ut alterum Eliſeum ſuſcipit, duplicis Arnaldi ſpiritûs heredem. 60. I.
Eædem tranſmiſſas ad ſe Queſnelli benedictiones flexo genu excipiunt. 79. II.
Belgicæ, Janſeniani Directoris ære, Monaſterium, & Templum flammis abſumpta reſtaurant. *ibidem.*
In Moniales Janſeniani effuſiores, quàm in Viros Religioſos. *ibidem.*

MONTALTIUS [*Ludovicus, vero nomine Blaſius Paſchalis*]
Gratiam Thomiſtarum ſufficientem exagitat, & explodit. 39. I.

MORALIS PRAXIS JESUITARUM
Famoſus libellus, authore Queſnello. 23. I.

N

NATALIS ALEXANDER [*Dominicanus*]
COntemptui, & ludibrio habitus à Du Vaucel, & reprehenſus à Theodoro de Viaixnes ob ſcripta ſua de Roſariis. 40. I. & II.

NEESEN [*Laurentius*]
Rotundè fatetur, cum gratia Chriſti non conſiſtere potentiam proximam ad agendum, & non agendum. 51. II.

NESTORIUS [*hæreſiarcha*]
Ejus vita, & molimina à Theodoreto deſcripta. 21. II.

NOAILLIUS [*Cardinalis, & Archiepiſcopus Pariſienſis*]
Ægrè fert, damnari particulares Propoſitiones *Obſervationum Moralium* ab Epiſcopis Lucionenſi, Rupellenſi, & Vapincenſi. 26. II. *& ſeq.*
Temerè dicitur ab Hexaplis offendiſſe CLEMENTEM XI. denunciatione libri Sfondratiani; falſiſſimè autem ex minùs honorificâ receptione bullæ *Vineam Domini Sabaoth* orta condemnatio *Obſervationum Moralium.* 27. II.
Ejus laudabile ſtudium in imperanda correctione *Obſervationum Moralium*; ſed non ſufficiens tollendo earum ſcandalo. 35. II.
Alibi à Queſnello laudatus, alibi contemptui habitus. 81. II. & 82. I. & II.

NORISIUS [*Cardinalis.*]
Ei ſoli inter Purpuratos adſcribitur à Queſnello antiquitatis Eccleſiaſticæ notitia; ſimul tamen inconſtantiæ nota inuritur. 66. I.

NOTÆ QUESNELLIANÆ
In Opera Sancti Leonis. *Vide* LUPUS.
Schiſmaticæ, & contumelioſæ in decretum Sacræ Congregationis Indicis. 23. I.

NOVUM TESTAMENTUM
A Queſnello in verſione ſua vitiatum. 90. I. *& ſeqq.*
Hujus loci ex Apoſtolo: *Si non ſe continent, nubant*: ſuſpecta eſt hæc in Queſnello verſio: *Si ſint nimis infirmi ad ſe continendum*, quaſi continere ſe non poſſint; quod repugnat Chryſoſtomo in hunc locum. 90. I.
Hic textus *Prædeſtinavit nos . . . ſecundùm propoſitum voluntatis ſuæ* perperàm vertitur *Prædeſtinavit nos ſolo effectu ſuæ bonæ voluntatis*, quaſi hìc adſtrueretur prædeſtinatio ad gloriam merè gratuita: utraque hæc corruptio ex Montenſi verſione adoptata eſt. *ibidem.*

Ex Joanne: *Quos dediſti mihi, cuſtodivi, & nemo ex iis periit, niſi filius perditionis*; redditur gallicè, *Quos dediſti mihi, cuſtodivi, & nemo ex eis periit; ſed* SOLUM *filius perditionis*: quaſi non etiam Judas Chriſto à Patre datus ſit: quæ interpretatio ex Calvino, & Montenſi verſione adſcita repugnat Sanctis Patribus, & inter alios S. Auguſtino. 90. II.

Titulus præfixus capiti 27. Joannis dicit, Chriſtum illic pro ſolis electis orare, quod falſum eſt. *ibidem*.

Item ex Joanne: *Omnis, qui audivit à Patre, & didicit, venit ad me*: gallicè perperàm redditur à Queſnello: *Omnis, qui audivit à Patre, & ab eo doctus eſt, venit ad me*, quaſi Deo nos per gratiam docenti nunquam reſiſtamus, quæ eſt ſecunda Janſeniana. Convenit etiam hic cum Montenſi damnata verſione. 90. II.

Ex Matthæo: *Non omnes capiunt verbum iſtud, ſed quibus datum eſt*. Queſnellus cum Montenſi vertit: *Non omnes* IDONEI *ſunt, ut capiant verbum iſtud*; quæ quidem corruptio in ſenſu Catholico non perniencioſa, in Janſenianis peſſima eſt, hinc inferentibus, conſilia Euangelica eſſe ſervatu impoſſibilia, quoties non ſervantur. Idem intulit Calvinus: quod repugnat Scripturæ, & Sanctis Patribus. 91. I. & II.

Item ex Matthæo: *Poteſtis bibere calicem, quem ego bibiturus ſum*: Gallicè exprimitur: *quem ego debeo bibere*: & hic *Unus veſtrûm me traditurus eſt*, redditur *me* DEBET *tradere*; quaſi nec liberè Chriſtus ſit mortuus, nec liberè Judas Chriſtum tradiderit; quod ultimum vergit ad Calvini impietatem ſtatuentis Deum proditionis authorem. Utrumque refellitur. 91. II.

Rurſus ex Matthæo: *Quomodo fugietis à judicio gehennæ*? transfertur *Quomodo poteritis fugere à judicio gehennæ*? Quaſi ſit peccandi, vel in peccato manendi neceſſitas. *ibidem*.

Illud ad Corinthios 2. *Exiſtimo enim, nihil me minus feciſſe à magnis Apoſtolis*, juxta textum Græcum ita gallicè enuntiatur: *Exiſtimo autem, me in nullo inferiorem fuiſſe præcipuis Apoſtolorum*; Unde Janſeniani (uti & olim Theodorus Beza) inferunt, Paulum Petro authoritate, & poteſtate æquari, quæ eſt hæreſis ab Innocentio X. damnata. 91. II. & *ſeq*.

Titulus hic: *Oves Chriſti audiunt vocem ejus, perire non poſſunt*, præfixus à Queſnello S. 3. cap. 10. Joannis, capax eſt ſenſûs boni & mali: cæterum nullibi illic dicitur, quòd oves Chriſti perire non poſſint. 92. I.

Novum Teſtamentum Montenſe à Clemente IX. damnatum. 90. I.

O

OPSTRAETE [*Joannes*]

Non ſatis honorificè ſentit de S. Thoma. 38. I.

Docet, Semipelagianos admiſiſſe gratiam verè interiorem, etiam ad initium Fidei neceſſariam. 51. II.

OPTATUS MILEVITANUS.

Ei Schiſmaticus, & peccator eſt, qui contra Romanam Cathedram alteram collocat. 101. I.

ORIGENES

Marcionis, & Valentini Diſcipulos dignis coloribus depinxit. 21. II.

Ei nocentiſſima hæreſis, quæ ſpecie ſauctitatis fallit. 29. II.

Hæreſum progreſſum tribuit ſermonis, & ſtyli, quo propinantur, lenocinio. 77. II. & *ſeq*.

OBSERVATIONES MORALES.

Earum errores breviter confutantur. 13. & *ſeqq*.

Quaquaverſum diſtrahuntur, & omnium manibus teruntur. 25. I.

Colliguntur ex iis 199. Articuli quaſi erronei à D. De Fromageau. 25. II.

Ab Epiſcopo Aptenſi decreto publico interdicuntur, & cenſuris notantur. 26. I.

Damnantur Romæ Brevi Apoſtolico anno 1708. 26. II.

Earum edendarum facultatem revocat Rex Chriſtianiſſimus. *ibidem*.

Eaſdem, iiſque excerptas Propoſitiones aliquot damnant Epiſcopi Lucionenſis, Rupellenſis, & Vapincenſis, quod ægrè fert Eminentiſſimus Noaillius. 26. II. & *ſeq*.

Revocantur Romæ ad examen rogatu Regis Chriſtianiſſimi, & Eminentiſs. Noaillii, ut ſingulares indè Propoſitiones cenſurâ dignæ excerpantur. 27. I.

Generatim primùm damnatæ reddiderant ferociores Queſnellum, & Queſnellianos. 30. I. & II.

Undenam à minùs cautis aliquot Epiſcopis approbatæ? 32. II. & 33. II.

Quam bonâ fide, quantâ integritate denuntiatæ? 34. I. & II.

Qualitercunque correctæ non ſufficiebant tollendo ſcandalo priorum editionum. 35. II.

Earum correctiones quantùm differant à retractationibus S. Auguſtini? *ibidem*.

Magno plauſu exceptæ, & celebratæ à Calviniſtis, & Lutheranis. 79. I.

Digitized by Google

Earum fructus, ſeditio, & ſchiſma; non minùs, quàm Phanaticorum rebellio pertimeſcenda. 79. II.
Antequam ederentur, judicio, & arbitrio Arnaldi à Queſnello penitùs ſubmiſſæ fuerunt. 80. I.
Solam lectionem, & linguæ notitiam requirunt, ut intelligantur. 97. II.

P

PELAGIUS

Aliquando viſus eſt ipſi Pontifici Zozimo reſipuiſſe, & ferè Sancto Auguſtino impoſuit. 35. II.
Queſtus eſt, libros inemendatos ſibi ſurreptos eſſe ad accuſandum. *ibidem*.
Erga Pontificem, ſaltèm in ſpecie, Queſnello ſubmiſſior. 102. I.

PETRUS GRATIANUS.

In Religioſos Ordines, & Pontificem ſacrilegè contumelioſus. 41. II.
Ejus epiſtola ſecunda ad Lovanienſes Theologos injurioſa Eminentiſſimo Ferrari, quem à Patre De la Fontaine circumventum mentitur. 42. I.

PONTIFEX.

Ejus eſt determinare veritates Fidei. 37. I.
In doctrinæ examine rationem non habet probitatis, vel improbitatis authoris. 99. II.

PRÆDETERMINATIO PHYSICA

Exoſa Janſenio. 39. I.
Exploſa à Petro De Ligny, & Matthæo Rouvroy. 40. I.

PRISCILLIANISTÆ

Perjuri: iis ſimiles Janſeniani. 86. II.

PROBLEMA FAMOSUM.

Ejus juſta proſcriptio Pariſiis, & Romæ, non favet *Obſervationibus Moralibus*. 25. II. *& ſeq.*

PROPOSITIONES CENTUM ET UNA

Non in exotico, ſed obvio ſenſu damnatæ ſunt. 34. II.
In iis damnandis nihil, legitimè requiſitum, à Judicibus prætermiſſum eſt. *ibidem*.
Ab iis damnandis abſtinêre non debuit Pontifex ob quædam fortè à Queſnello alibi tradita in ſpeciem contraria. *ibidem*.
Earum ſenſus ſatis planus, ac perſpicuus eſt. 97. I.
Et non incongruè expreſſus à 40. Gallicanis Præſulibus. 97. II.

Q

QUESNELLUS [*Paſchaſius*]

Probitatis, & ſanctitatis famam apud ſuos aucupatur, præſertim apud Moniales Portûs-Regii. 21. I. & II.
Ejus inſtitutum, defectio, mores, & ſcripta. 22. I. & II.
Triginta, & ampliùs annis, quibus in Belgio degit, omnia turbat. 23. I.
Ejus *Epiſtola* ſub nomine *Abbatis ad quemdam Romanæ Curiæ Prælatum* referta contumeliis adversùs Romana Tribunalia. 23. I. & II.
Ejus libelli famoſi adversùs Senatum Regium Provinciæ Hannoniæ, Magiſtratum urbis; & Antiſtites aliquot, qui Mechliniam convenerant. 23. II. & 59. I.
Proſcindit Breve Clementis XI. ad fœderati Belgii Catholicos; uti & Decretum ſacræ Inquiſitionis contra Sebaſtenum, 23. II. & ſeq.
Ejus ſeditioſa *Epiſtola* ſub nomine *Epiſcopi ad Epiſcopum*, occaſione retractatæ à pluribus reſolutionis famoſi *Casûs conſcientiæ*. 24. I.
Edit duplicem falſi nominis *Defenſionem*; alteram *Duorum Brevium Innocentii XII. ad Epiſcopos Belgii*; alteram *Romanæ Eccleſiæ, & Summorum Pontificum contra Leydeckerum*. 24. I. & II.
Utraque hæc defenſio Romæ damnatur. 24. II.
Ejus machinationibus occurritur per Bullam *Vineam Domini Sabaoth*. *ibidem*.
Mortuo Arnaldo ſuccedit, ut ſit Caput Janſenianæ factionis. *ibidem*.
Ejus odium in Apoſtolicam Sedem liquet ex ſcriptis ejus contra Cenſuram *Obſervationum Moralium*. *ibidem*.
Carceratus erumpit in Hollandiam. *ibidem*, & 26. I.
Ejus evaſio Eccleſiæ certo modo utilis. *ibidem*.
Captus fuit cum Gerberono, & Brigodio, & ſcriptis quamplurimis. *ibidem*.
Seditioſus, & hæreticus duplici tractatu Gallico demonſtratur. *ibidem*.
In erroribus ſuis pertinax. 34. II. & 35. II.
Correctiones adhibitas in poſterioribus editionibus *Obſervationum Moralium*, ut adiaphoras habet. 35. II.
Quàm falsò dicat, ſe profiteri doctrinam Sanctorum Auguſtini, & Thomæ. 37. I.
Omni ope ſibi conciliare ſtudet Thomiſtas, & quare? 38. II.
Ejus in Jeſuitas aperta, & ſtolida indignatio. *ibidem*.

Ejus

Ejus quetelæ de Religioſorum Mendicantium potentia in Romanis Tribunalibus. *ibidem*.

Iraſcitur ſuſpectos habentibus quinque famoſos articulos de fraude. 44. II.

Ei omnia pro lubitu clara ſunt, vel obſcura. *ibidem*.

Jeſuitas, Cardinales, Cenſores Romanos à doctrina deſpicit. 45. I.

Mendaciter aſſerit, quinque famoſis articulis omnem ſuam circa materiam 5. Propoſitionum doctrinam contineri. 54. II.

Ejus *Explicatio Apologetica*, quinque articulorum maligna profeſſio, & iis addita declaratio ſimilis, imò pejor eſt confeſſione Pelagianâ, Pontifici Zozimo oblatâ, & primò ab hoc probatâ; ſed poſt detectam fraudem reprobatâ. 55. I. & II.

Falsò aſſerit, Cardinalem Aguirre quinque articulos aptiſſimos judicaſſe ad obturanda calumniantium ora, & fovendam pacem. 57. I.

Ejus Epiſtola ad Clementem XI. articulatim expenditur. 58. *& ſeqq.*

Eam à fraude, & hypocriſi orditur. 58. II.

Ait, ſe tenuitatis ſuæ conſcium, & tantillum hominem vocat, qui nulli hominum ordini conviciando parcit, & omnes judicio ſuo ſubjicit. *ibidem*.

Contra Epiſtolam Philippi IV. Hiſp. Regis quâ Bullæ dogmaticæ ad ſui promulgationem à neceſſitate placiti curialis abſolvuntur, Senatus Belgicos concitat. 59. I.

Caroli II. mandata à Sereniſſimo Bavariæ Electore contra Janſenianos promulgata convellit. 59. I. & II.

Communi conſilio cum Arnaldo, & Erneſto, ſcribit ad Excellentiſſimum Comitem D' Avaux, ut tractatu pacis comprehendantur, præſcriptis etiam Regi Chriſtianiſſimo legibus. 59. II.

Cenſuram Sorbonicam 130. Doctorum adversùs Arnaldum latam, & plurimorum, etiam Eminentiſſimi Noaillii, ſubſcriptione firmatam, iniquiſſimam, caſſam, & irritam declarat. 59. II. *& ſeq.*

Ut alter Eliſeus, duplicis Arnaldi ſpiritûs heres, ſuſpicitur ab Abbatiſſa Portûs-Regii. 60. I.

Ab alio Jeremiæ Gallici (hoc eſt Arnaldi) Baruch appellatur. *ibidem*.

Romanos Sedis Apoſtolicæ Theologos, ſummos Fidei Quæſitores, Cardinales, & Conſultores deſpicit velut imperitos. *ibidem*.

Romanos Pontifices explodit, & impiè lacerat. 60. II. *& ſeq.*

Ejus ſchiſmaticæ *Diſſertationes*, *& Notæ in opera S. Leonis*, ipſi, quem commentatur, Sancto contumelioſæ; ut videre eſt apud Eximium Lupum. 61. I. & II.

Singulas Decreti Indicis partes inſolenter vellicat. 61. II. *& ſeq.*

In opere, cui titulus *Paſchaſii Queſnel ratio Fidei*, cenſuram Operum S. Leonis à ſe editorum, & Cenſores Romanos, ipſumque Pontificem ſacrilegè impugnat. 62. I. & II.

Idem præſtat in ſua falſi nominis *Defenſione Eccleſiæ Romanæ*, in qua mentitur, jam licitum eſſe juramentum juxta formulam Alexandri VII. retinendo ſimul univerſam Janſenii doctrinam; aliaque attexit impudentiſſima mendacia. 63. I. & II.

In Belgio Catholico ſub veſte laica, & in vicinis Provinciis diſſidia excitat. Presbyteros contra Epiſcopos, Clerum Batavicum adversùs Pontificem ſtimulat. 63. II. *& ſeq.*

Juxta illum, evidens eſt, Præpoſitos Bataviæ plus rationis habere, quàm Romanæ communionis Principes, ut examinent Decreta, quæ à Romana Curia in Hollandiam diriguntur. 64. II.

Item Proteſtantes ſunt indubiè magis idonei, ut judicent de cauſa Sebaſteni, ejuſque Paſtorum, quàm Romana Curia. *ibidem*. *& ſeq.*

Defendit Epiſcopi Alectenſis librum à Clemente IX. ignibus damnatum. 65. I.

Juxta eumdem, Sebaſtenus, & ejus Provicarii ab officio amoti, poſſunt, ac debent ad Reipublicæ Hollandicæ Præfectos recurrere, ut horum authoritate ſtabiliantur. *ibidem*.

Prætenſam Injuſtitiam Pontificiorum Miniſtrorum ipſi Pontifici attribuit. 65. II.

Appellat à ſuprema authoritate ad inferioris ordinis Judices. 66. I. & II.

Judicium Tribunalis Romani contra Sebaſtenum impudenter proſcindit. 65. II. *& ſeq.*

Decretum Clementis XI. contra libellos in favorem Sebaſteni editos, abuſivum, nullum, ſceleſtum vocat, & brutum fulmen, &c. 67. I.

Archiepiſcopum Cameracenſem piæ memoriæ, Epiſcopos Lucionenſem, & Rupellenſem acerbis ſcriptionibus inſectatur. 67. II.

Nullus ipſo pejus de Epiſcopali ordine meritus eſt: plures Epiſcopos ab Eccleſiæ Capite, & Fide avellere nititur. *ibidem*.

Romanam Curiam dominandi ambitûs accuſat. 68. I.

Inter Romanos proceres ſoli Eminentiſſimo Noriſio antiquitatis Eccleſiaſticæ notitiam adſcribit; ſimul tamen & inconſtantiæ notam inurit. *ibidem*.

Poteſtatis Apoſtolicæ plenitudinem interpretatur

Digitized by Google

tur voluntatem redigendi Epiſcopos ad ſortem infimam. *ibidem*.

Clementem XI. & Prædeceſſores ejus, qui Baji, & Janſenii errores confixerunt, inſimulat quaſi ignaros traditionis Patrum, plenos falſis Scholaſticorum opinionibus, inflatos, ſuperbos, &c. 69. II.

Quæ cauſa fuerit tuendi tam ſtrenuè partes Sebaſteni, & in Clementem XI. ejuſque Anteceſſores debacchandi. 70. I.

Quam ſimulatè dicat Clementi XI. ſe piæ mentis affectu ad exoſculandos ejus pedes humillimè provolvi, teſtantur ejus in hunc Pontificem ſcripta inverecunda, ſatyrica, & ſcurrilia. 71. I.

Ejus ad Pontificem epiſtola minùs reverens eſt, quàm hæreticorum Pelagii, Wickleffi, & Lutheri. 71. I. & II.

Dum vocat Pontificem heredem primatûs Apoſtolici, ſignificatum vult, eum inter Epiſcopos eſſe velut natu majorem inter fratres. 71. II. *& ſeq.*

Ejus amici De Witte, & Gerberon, profligatiſſimi Janſeniſtæ, idem cenſent. *ibidem*.

Iiſque apertè ſuffragatur. 72. II.

Imponit, dum dicit Pontifici, terreri ſe nominibus Pontificiæ dignitatis, cùm alibi ſcripſerit, Romanos ſapientiores eſſe, quàm ut credant, eum terreri ſententiâ latæ excommunicationis ſoli Pontifici reſervatæ. 74. I.

Falſa, & mendax eſt fiducia, quam præ ſe fert, fore ut *Conſiderationes* ſuæ *Morales*, olim damnatæ, jam in Romano Tribunali ab errore abſolvantur: cùm aliàs dixerit, non eſſe ampliùs in uſu Romæ injuſtorum judiciorum revocationem. 74. II.

Cauſam *Conſiderationum Moralium* appellat *Cauſam Veritatis* formulâ hæreticis uſitatâ. 74. I. *& ſeqq.*

Arnaldinæ iconi hanc ſubnexuit epigraphen: *Antonius Arnaldus Doctor in Fide, & Veritate.* 75. II.

Scribere audet Pontifici, Deum, ultra quàm præſumere fas erat, benedixiſſe lucubrationi ſuæ in Novum Teſtamentum, ab eodem Pontifice ante fulguritæ. 76. II.

Lucubrationis illius mentita benedictio ſimilis eſt Mahumetanæ, & cæterarum ſectarum prætenſis benedictionibus. 76. II. *& ſeqq.*

Fatetur, nullum ſupereſſe ſolidum diſſidium inter ſuam, & Calviniſtarum de gratia ſententiam. 79. I.

Benedictiones ſuas tranſmittit ad Moniales Portûs-Regii, quas hæ genibus flexis excipiunt. 79. II.

Obſervationes ſuas *Morales* penitùs Arnaldi judicio, & arbitrio ſubmiſerat, priuſquam Epiſcopali ſubjiceret. 80. I.

Eas judicio Eminentiſſimi Noaillii non ſubjecit, niſi cum limitatione Eminentiſſimo illi parum honorificâ. 80. II.

Eminentiſſimum Noaillium publicè laudat, clam odit, & vituperat. 81. I. & II.

De eodem conqueritur, quaſi damnaverit *Expoſitionem Fidei* Gerborianam, ut Aulæ gratificaretur. 81. II.

Dicit, Eminentiſſimum præmaturè adiiſſe Epiſcopatum, non inſtructum ſcilicet ſufficienti Theologiæ ſcientiâ. 82. I.

Comminiſcitur inflictam ab hoc Eminentiſſimo cenſuram *Expoſitioni Fidei* Gerberonianæ, ab eodem poſtmodum eſſe retractatam. *ibidem*.

Dicit, eumdem Eminentiſſimum, dum huic incumberet veritatis defenſio, eam deſeruiſſe timore, defectu luminis, puſillanimitate, reſpectu humano, præventione. 82. II.

Ita hunc Eminentiſſimum ab ingenii, & ſcientiæ dotibus contemnit, ut illius judicium, quo *Obſervationes Morales* approbavit, momentum habere non videatur. 82. I.

Meldenſis Epiſcopi authoritate tutum ſe jactat adversùs Pontificiam cenſuram. 82. II.

Alibi Meldenſem depingit, ut nullius authoritatis, ut Prophetam claudicantem in utramque partem, ut qui veritatem nolit cognoſcere, nè ſequi teneatur; ut hominem nullius judicii, ſubverſi cerebri. 82. II. *& ſeq.*

Eum non juvat approbatio primùm à Meldenſi data *Obſervationibus Moralibus*, utpote quas hic poſtmodum reprobavit. 84. I. & II. & 85. I.

Quantâ perfidiâ, & impudentiâ pro ſe citat Epiſcopum Meldenſem, ut ſibi patrocinantem. 85. I.

Quo major Meldenſis authoritas, eò Queſnellianæ hæreſi eſt pernicioſior. 85. II.

Mentitur, Meldenſem *Conſiderationes Morales* ſemper magni feciſſe. 86. I.

Licitam ait ſubſcriptionem formulæ contra Janſenium, ei, qui Janſeniano ſenſui in quinque Propoſitionibus adhæret. 87. I.

Conſiderationes Morales, quas à ſe quaſi abdicarat, dum Clementi XI. ſcriberet; ab hoc condemnatas contumaci *Querela*, & *Proteſtatione* tuetur. 87. II.

Non tot numerat ſui operis ſuffragatores Epiſcopos, quot numeravit Cyprianus in Concilio Africano, & tamen Cypriani ſententia à Sede Apoſtolica reprobata eſt. 88. I.

Non tot ipſi favent, quot favêrunt Arnaldino operi de *frequenti communione*; & tamen

ex

ex hoc plures Propoſitiones damnatæ ſunt ab Innocentio X. & Alexandro VIII. *ibid.*

Inter Antiſtites operis ejus approbatores recenſetur etiam Illuſtriſſimus Pariſienſis Archiepiſcopus Franciſcus de Harlay laceratus à Janſenianis libello famoſo, in quo promittebatur præmium divinanti, *cujus* hic Præſul *Fidei eſſet, aut Religionis*. 88. I.

Queſnello extra ſe, & ſuos aſſeclas nihil doctum, nihil ſolidum, &c. 88. II.

Juxta eum maxima pars Cardinalium, & Romanorum Theologorum nihil intelligit. *ibidem*.

In eadem ad Pontificem epiſtola fingit ſuſpenſam expectatione Eccleſiam, quoad ferendum ſecundum de libro ejus judicium: quaſi in priore reprobatus, in poſteriore deberet approbari. 89. I.

Ejus, & cæterorum Janſeniſtarum argutiæ ambiguas fecère locutiones de gratia Chriſti. 89. II.

Falſum eſt, contra ac Pontifici profitetur, eum Vulgatum Novi Testamenti textum accurstè eſſe ſecutum, & literalem ſenſum ad literam reddidiſſe. 89. II. *&* *ſeqq.*

Verſio ejus Catalaunenſis in pluribus articulis à vulgata diſſidet. *ibidem*.
Vide NOVUM TESTAMENTUM.

Falſum eſt, quod jactat, ſe verſioni ſuæ nihil de Græcis textibus intermiſcère. 91. II.
Vide NOVUM TESTAMENTUM.

Falsò, & impudenter Pontifici oſtentat omnium ſuarum *Obſervationum* veritatem; &, ſi quid difficultatis ſupereſt, id vel ex vocum ambiguitate, vel ſententiarum brevitate, vel ex idiomatis Gallici imperitia oriti. 92. II. *& ſeq.*

Pontificio judicio opponit plurium Theologorum, & Antiſtitum approbationes: quod fortè didicit ab Ægidio Candido in *prologo* ejus *galeato*. 93. I.

Veteres Hæreſiarchæ plura pro ſe numerarunt ſuffragia, quàm Queſnellus, nec tamen Pontificiæ cenſuræ ſubducti ſuut. 93. II.

Triplex beneficium à Pontifice flagitat:

Primum, ut Conſultores adhibeantur ſcientiâ requiſitâ inſtructi, moribus integri, partium ſtudio liberi, &c.

Huic poſtulato abunde ſatisfactum eſt; ſed id Queſnello Romanorum Tribunalium deriſori, & hoſti non facilè perſuadebitur. 94. I. *&* II.

Nam juxta illum Miniſtri Curiæ Romanæ, ſeduci ſe à factionibus ſinunt: parum æqui ſunt: æquiores civiles judices: illorum ſcopus eſt fovère diſcordiam inter Religioſos, & Clerum: injuſtæ Pontificis iræ debetur prima libri ejus damnatio, &c. 95. I.

Secundum beneficium eſt, ut libri examen committatur Theologis in lingua Gallica exercitatis. 94. I. *&* 95. I. *&* II.

Talis Theologus ad prius libri examen adhibitus. A Queſnello conviciis laceratus eſt. 95. II.

Reſtat, ut è Gallia accerſantur Theologi, non linguæ tantùm peritiâ, ſed & Janſeniſmo imbuti, ut Queſnello ad genium ſint. *ibid.*

Tertium beneficium eſt, ut non condemnetur inauditus.

Poſtulatum hoc æqunm foret, ſi de perſona, non de perſonæ libro ageretur. Datur ratio diſcriminis. 96. I.

Ab Authoris probitate, vel improbitate non pendet libri doctrina: ſicut per ſe bona, vel mala eſt, ita per ſe damnanda, vel abſolvenda eſt. *ibidem*.

Queſnellus vellet ſibi Româ tranſmitti articulos condemnandos, & illic ex Hollandia expectari eorum explicationem, vel retractationem: hinc lis interminabilis. 96. II.

Et quid tandem ſperandum à Gerberonianæ audaciæ fautore, & tot Pontificiorum Decretorum profanatore? *ibidem*.

Ejus hactenus agendi ratio, ingenium contumax, & ſchiſmaticum conſilium ſpem non faciunt ſanioris mentis, aut retractationis, quam ſub fallaci conditione Pontifici pollicetur. 97. I.

Pro dignoſcendo ſuo de gratia ſenſu, remittit ad quinque Lalanii, aut Girardi ambiguos Articulos: perinde ambigua foret explicatio, quam daret damnabilibus ſuis Propoſitionibus 101. 97. II.

Minatur Pontifici litem de *Quæſtione facti*, niſi Propoſitionum ſenſum ipſe deſignet. *ibidem*.

Orat Pontificem, nè calumniis credat. 98. II. *& ſeq.*

Quaſi ſcripta ejus objectorum criminum fidem non facerent, nec famam ejus proſtituerent. 99. I. *&* II.

Parum veriſimile eſt, ei in votis eſſe Pontifici coram fidei ſuæ rationem reddere: 99. II. *& ſeqq. uſque ad finem*: nam

Tribunal Romanum appellatur ab eo *Spelunca latronum*: ait ſe illud non agnoſcere. 100. I. *&* II.

Se Antiſtitis Pariſienſis, non Sedis Romanæ judicio ſubmittit. 101. I.

Falsò jactat ſe Sedis Apoſtolicæ Primatui addictiſſimum, & Cultorem Pontificis obſervantiſſimum. 101. I. *&* II.

Nomine Eccleſiæ, cujus Fidei addictiſſimum ſe

Digitized by Google

ſe dicit, non poteſt intelligere Romanam, utpote à qua immanè diffidet. 101. I.
Juxta eum cenſurâ digna eſt Propoſitio aſſerens, Pontificem eſſe ſupra Concilium. 101. II.
Pontificem ineptum dicit, qui multùm conferat ad condenda decreta. *ibidem*.
Reverentiâ, & docilitate multùm cedit prioribus Hæreſiarchis. Probatur exemplo multiplici. 101. II. *& ſeqq.*
Qualicumque ſuâ erga Pontificem reverentiâ aliud non intendit in epiſtola ſua, quàm fundamentum præbêre ſchiſmaticæ ſuæ *Querelæ*, & *Proteſtationi* poſt ſecuturæ, qualis de facto jam typis vulgata eſt: in hoc Luthero ſimilis. 102. II.

QUINQUE ARTICULI FAMOSI.

A Janſenianis proponuntur Alexandro VII. per Convenarum Antiſtitem. 42.I. *& ſeqq.*
Juſſu Pontificis examinantur. 43. I.
A Congregatione plurium Cardinalium æſtimantur ambigui, & ad fraudem ſtudioſè ab Authoribus concinnati. *ibidem*.
Horum ambiguitas brevi argumento oſtenditur. 45. II.
Verborum cortice Thomiſticæ doctrinæ affines ſunt; ſed ex Janſenio deſumpti, & ejus ſenſui re ipſa conformes. 52. I.
Referuntur, & cum 5. damnatis Janſenii Propoſitionibus ſingulatim componuntur, & coincidere oſtenduntur, licèt terminis gratiæ *Thomiſticè ſufficientis*, *& prædeterminantis*, virus ab Authoribus intentum diſſimulent. 45. *ad* 58. *Vide* JANSENIUS.
Ab Ægidio De Witte judicati fraudulenti. 45. II.
Eorum artifices, & primi ex Janſeniſtis patroni eamdem ſemper doctrinam tradere ſe jactarunt; adeòque in his etiam articulis nonniſi Janſenianam ſectantur. 53. II.

R

RHEDONENSIS EPISCOPUS [*Henricus de la Motte Hodencourt*]

SCribit Eminentiſſimo Roſpiglioſi, ut Romæ ſibi caveat à fraude Janſeniſtarum 5. famoſos Articulos fabricantium, & Romæ obtrudentium. 43. I.

RIVETTE [*Petrus*]

Ait ſe rariſſimè uti voce gratiæ *ſufficientis*, & tum adjicere ſe ſemper particulam alienantem *in ſenſu Thomiſtico*. 56. I.

ROUVROY [*Matthæus*]

Prędeterminationem phyſicam explodit. 40. I.

RUPELLENSIS EPISCOPUS. *Vide* OBSERVATIONES MORALES: *&* QUESNELLUS.

S

SANCYRANUS [*Abbas, aliàs Joannes du Verger*]

COntemptor Sancti Thomæ. 38. I. *De eo plurima per decurſum operis*.

SCHOOR [*Henricus*]

Vocat Mercurium Monachorum, & Mendaciorum Deum. 88. II.

SEBASTENUS ARCHIEPISCOPUS [*aliàs Petrus Codde*]

A Pontifice petiit, ut cauſa ſua ad Sancti Officii Tribunal deferretur, atque illius ſtaretur judicio. 66. I.
Ejus *Declaratio*, & *Reſponſiones* gravibus cenſuris à dicto Tribunali notantur: Author verò, antea tantummodò à Vicarii munere ſuſpenſus, tunc penitùs amovetur. *ibidem*.
Hæc omnia Pontificio Decreto firmantur. 66. II.
Dictus *Pater Bonifacius* à ſuâ in Janſenianos beneficentiâ. 70. I.

SEDES APOSTOLICA.

Fidei regula eſt juxta S. Bernardum. 93. II.
Ejus ſumma authoritas agnita ab Ignatio Martyre, Irenæo, Hieronymo, Auguſtino, & Conciliis. 200. II. *& ſeq.*

SENSUS LIBRI DOGMATICI.

In eo determinando Eccleſia eſt infallibilis: & niſi ſit, non ſatis ei conſultum erit. 97. II.
Imò nec Auguſtini articuli contra Pelagium ab Eccleſia approbati, ſatis certi erunt. 98. I.
Si Eccleſia ſit infallibilis in definiendo *qualis* ſit Propoſitionis ſenſus; extra errorem ſit oportet, in determinando *quis* ſit ſenſus. *ibidem*.
Aliter omnes Fidei regulæ convelluntur. *ibid.*
Quis ſit libri ſenſus, non eſt quæſtio facti. 98. I. *&* II.
In hoc declarando infallibilem eſſe Eccleſiam tradunt Thomiſtæ Medina, Bannez, &c. *ibidem*.

T

TERTULLIANUS.

JUxta eum, in Hæreticorum Caſtris verſari, ſtatim apud hos promereri eſt. 88. II.

THOMAS [*Sanctus, Doctor Angelicus*]

Ait contra Pontificis authoritatem nec Hieronymi, nec Auguſtini defendendas eſſe ſententias. 32. I. *&* 93. II.
Item, pertinêre ad Pontificem determinare ea, quæ ſunt fidei. *ibidem*.

Con-

Contemnitur ab Abbate Sancyrano, Janſenio, & Elia Du Pin. 38. I.
De eo parum honorificè ſentit Joannes Opſtraete. *ibidem*.
Quantum Janſenianos, aut Queſnellianos juvare ab ipſis creditur, tantum iiſdem *placet*: unde hi ſe Thomiſtas *in placet* vocant. *ibidem*.

THOMISTÆ.

Thomiſtas *in placet* dicunt ſe Janſeniani, & Queſnelliani ex frigida alluſione. 38. I.
Thomiſtæ quinque famoſos Articulos, non in Janſeniſtarum ſenſu admittere credendi ſunt. 54. II.
Tradunt, Eccleſiam eſſe infallibilem in determinando *quis* ſit libri ſenſus. 98. II.

V

VALERIUS ANDREAS.

JUxta eum, Janſenius S. Auguſtinum vitæ, & ſtudiorum Ducem elegit. 37. I.

VAN ERCKEL [*Joannes*]

Religioſos Ordines proſcindit. 41. II.

VAN HEUMEN [*Joannes, Miſſionarius Hollandiæ*]

Impiè illudit Scapularibus, Roſariis, &c. 40. II.
Monachos vocat *Spiritualem Eccleſiæ facem*. 88. II.

VAN HEUSSEN [*Hugo*]

In Religioſos Viros contumelioſus. 41. II.
A Provicariatu amotus Queſnellum conſulit, an ad Proteſtantes Præpoſitos confugere non liceat, pro convellenda Romani Pontificis diſpoſitione. *Confer* 64. II. *cum* 65. I.
Vapincenſis Epiſcopus. *Vide* OBSERVATIONES MORALES, & QUESNELLUS.
Vergetius. *Vide* SANCYRANUS.

VERITAS

In Petri Sede quærenda. 76. I.

VOETIUS [*Giſbertus, Calvinianus*]

Probat Janſenii volumen. 78. II.

W

WALLONUS. *Vide* DU VAUCEL.

WICKLEFFISTÆ

Conqueruntur de Anglicis Academiis Wicleffum Urbano Pontifici denunciantibus. 36. I.

WICKLEFFUS

Jactare ſolitus, ſe cum antiquis Sanctis, & ſpecialiter Auguſtino, ſentire. 36. II.
Sequaces ſuos repentè facit legis ſuæ Doctores. 88. II.
Ipſo erga Pontificem nihil in ſpecie ſubmiſſius, in quo Queſnellum ſuperat. 102. I.

WIERTS [*Joannes, Principi Auriaco à Conſiliis*]

Janſenianam de gratia doctrinam ad pias, ut vocat, meditationes trahit. 78. II.

WILLARTIUS

Fatetur, Boſſuetium adverſari *Obſervationibus Moralibus*. 33. I.

FINIS INDICIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI

CLEMENTIS XI.

PONTIFICIS MAXIMI

CONSTITUTIO UNIGENITUS

Theologicè propugnata.

Digitized by Google

PARTITIO OPERIS.

P*Ræmiſſis Prolegomenis, ex quibus novæ factionis ingenium, mores, audaciam, contumelias, ſchiſma, rebellionem, effugia, & fraudes cognoſcere licuit; ut quaſi ex arboris indole, natura fructuum prætentaretur, deſcendo cominus ad Propugnationem Conſtitutionis* Unigenitus, *quâ vaferrimæ hæreſis monſtra, vigilanti Summi Paſtoris oculo ſolerter detecta, conteruntur. Stupet inter fraudum ſuarum anfractus deprehenſa; cùmque crimen celare ultra non poſſit, quod in rerum deſperatione ſupereſt, tuendum ſuſcipit; ſed ſemper ſui ſimilis; hoc eſt, non tam armis & ratione, quàm convitiis, malâ fide & dolo. Pontificiam ſcilicet, quâ icta eſt, ſanctionem caninâ rabie impiè mordet & lacerat, producitque in ſui præſidium ſacram omnis generis authoritatem; ſed vel non intellectam, vel truncatam, vel adulteratam. Igitur Conſtitutionis majeſtatem, ſapientiam, & æquitatem demonſtrare aggredior, omnemque, quâ malè pugnat hæreſis, eripere authoritatem, quod longioris erit operæ, quàm difficilioris: ut ſic penitùs exarmata, ſolis ſe protegat Hollandiæ paludibus; valere juſsâ Romanâ Eccleſiâ, & peſtes reliquas ſui acceſſione auctura.*

Totum opus quadrifariam dividimus.

Pars I. verſatur circa Conſtitutionis Exordium, *& priores* 43. Propoſitiones de Gratia.

Pars II. 28 *ſequentes Propoſitiones refellit, quæ ſpectant ad* Virtutes Theologicas, Timorem gehennæ, *iiſque vel oppoſita, vel annexa.*

Pars III. reliquas 30. *confutat, quæ ſunt* De Eccleſia, *&* Eccleſiæ Diſciplina; *ad quam videlicet referuntur* Lectio Scripturæ ſacræ, Uſus Sacramenti Pœnitentiæ, Sacrificium Miſſæ, *&* Excommunicationis ſententia. *Has excipiet defenſa Pontificii Decreti* Concluſio.

Pars IV. denique expendet Querimoniam, & Proteſtationem Queſnellianam, cæteraſque, quas conſequi potui, Janſeniſtarum vindicias: quibus, quaſi lux tenebris, opponentur, quæ pro Bulla Unigenitus *ſive ab Apoſtolica Sede, ſive ab Epiſcopali Ordine, ſive ab Univerſitatibus, ſive aliunde prodiere documenta.*

SAN-

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI

CLEMENTIS XI.

PONTIFICIS MAXIMI

CONSTITUTIO UNIGENITUS,

Providè, ac juſtiſſimè damnans Propoſitiones centum & unam, excerptas ex Libro Gallico *Obſervationum Moralium in Novum Teſtamentum*,

Theologicè propugnata.

PARS I.

Quæ verſatur circa Conſtitutionis EXORDIUM, & priores quadraginta tres PROPOSITIONES de GRATIA.

De Conſtitutionis Exordio CAPUT UNICUM.

Sua dignitas, & æquitas ei aſſeritur.

QUISQUIS non hoſtilibus oculis legere ſolet Pontificum Romanorum Brevia, Decreta, & Conſtitutiones, miratur & laudat elucentem ubique ſapientiam, gravitatem, ſententiarum delectum, verba Scripturarum, ac Patrum aptiſſimè collocata; etiam nitorem atque elegantiam ſermonis. In exordiis ſive captanda eſt benevolentia, ſive exornandæ ſunt laudibus virtutes, ſive reprehendenda vitia, lectoris animus accommodatâ ad perſonas, & materiam oratione diſponitur.

1 Is ſcriptionis modus vehementer diſplicet Queſnello, & ejus ſociis, qui dolent tam congruis ſe perſtringi ſententiis, & ad movendos contra ſe fidelium animos peridoneis. Vellent blanditiis, & adulatione ſuaviter deliniri, aut tam molliter increpari, quàm Ophni, & Phinees ab Heli patre ſuo; quæ nimia in caſtigando lenitas tantam Sacerdoti, & Prophetæ, aliàs optimo, accerſiit maledictionem. Mallent ſaltèm inconditis, & inſulſis phraſibus excipi, quas vulgi poſſent exponere ludibrio. Nunc præter acrimoniam, accuſant compoſitionem veluti nimiùm expolitam, quæ non ſtylum Pontificis referat, ſed Oratoris, ſive, ut ajunt, *Rhetoris*. Hinc apud imperitos authoritatem Conſtitutioni detrahere conantur, quaſi à Rhetore compoſita, non à Pontifice, non plus ponderis habere debeat, non plus mereatur reverentiæ, quàm privati lucubratio ſcriptoris. Quæ ſi valuerit ratio, omnes leges Cæſareæ, omnia Regum, & Principum Edicta, pleræque Epiſtolæ & Documenta Paſtoralia Epiſcoporum, plurimæ Pontificum Bullæ robur amittent, quæ ab inferioribus juxta ſignificatam ſibi à ſuperioribus mentem concin-

nantur, atque ab his dein maturiùs expenſæ, correctæ adoptantur, muniunturque ſubſcriptione, ac ſigillo, quo reddantur authoritate prædite, haud ſecus ac ſi ab iis dictantibus, vel ſcribentibus profluxiſſent. Ad hodiernum autem Pontificem quod attinet, conſtat eum literarum humaniorum amantem ſemper fuiſſe, atque elegantiâ ſermonis, & Rhetoricâ pollere arte, ut elegantiſſima Brevia ad omnes fœderati Belgii Catholicos, ad Regem Chriſtianiſſimum, ad Cardinales, & Epiſcopos Galliæ, Conſtitutiones quoque *Vineam Domini Sabaoth*, & Unigenitus Componere potuerit. Neque in poſterioris exordio quidpiam eſt, quod Pontificis ingenio, manſuetudini, pietati ac ſapientiæ minùs conveniat. Decoquere Queſnelli, & ſociorum ejus ſuperbia non poteſt quod tacitis nominibus vocentur „ Falſi Prophetæ, qui „ veniunt in veſtimentis ovium, Magiſtri „ mendaces, & in deceptione illuſores, qui „ ſplendidâ pietatis ſpecie, prava dogmata „ latenter inſinuantes, introducunt ſectas „ perditionis ſub imagine ſanctitatis, utque „ faciliùs incautis obrepant, quaſi deponen„ tes lupinam pellem, & ſeſe divinæ legis „ ſententiis, velut quibuſdam ovium velle„ ribus obvolventes, ſanctarum Scriptura„ rum, adeôque etiam ipſius Novi Teſta„ menti verbis, quæ multipliciter in ſuam, „ aliorumque perditionem depravant, nequi„ ter abutuntur; antiqui ſcilicet, à quo pro„ geniti ſunt, mendacil parentis exemplo, „ ac magiſterio edocti, nullam omnino eſſe „ expeditiorem ad fallendum viam, quàm ut, „ ubi nefarii erroris ſubintroducitur frau„ dulentia, ibi Divinorum verborum præ„ tendatur authoritas. „

Quæ omnia Queſnelliani ajunt pugnare nimiùm cum eâ, quæ Clementem, & communem Fidelium Patrem deceat, manſuetudine, ac charitate. Verùm quis Catholicus reprehendat Leonem X. quòd Lutherum, & ejus ſocios acriter perſtrinxerit? Quis Alexandrum VII. quòd Janſeniſtas dixerit *Filios iniquitatis*, & Vicarios Cardinalis de Retz Archiepiſcopi Pariſienſis reos *non minùs temerariæ, quàm mendacis narrationis, falſi, patentiſque mendacii aſſertores, ubique malorum zizaniorum in agro Dominico ſeminatores, Eccleſiæ Catholicæ perturbatores, & quod in vobis eſt*, inquiebat, *Authores turpiſſimi ſchiſmatis. Protervia in vobis dignoſcitur, cavillationibus ſubdolis, & circuitibus obviàm eundi Eccleſiæ definitionibus*. Idem Pontifex Authores verſionis gallicæ Miſſalis Romani in linguam Gallicam vocat, *Perditionis filios in perniciem animarum novitatibus ſtudentes, & Eccleſiaſticas ſanctiones, ac praxim contemnentes*.

Polycarpus S. Joannis Apoſtolorum mitiſſimi non degener diſcipulus, Marcioni interroganti, *Cognoſcis nos?* Reſpondit, *Cognoſco primogenitum Diaboli*. Primus & ſupremus Pontifex ac cæterorum norma Chriſtus Jesus, qui omnes diſcere à ſe voluit manſuetudinem, *quia mitis ſum, & humilis corde*; Scribis tamen, & Phariſæis palàm exprobrare non dubitavit, quòd eſſent hypocritæ, *excolantes culicem, & deglutientes camelum, ſepulchra dealbata, genimina viperarum*. Quibus ſi magiſter obtigiſſet Queſnellus, dictaſſet argumentum ſimile ei, quòd contra Clementem XI. objicitur: Chriſtum clementiſſimum, Divinis prædictum oraculis, non poſſe eſſe eum, qui tam acerbis punctionibus Scribas, & Phariſæos exciperet, ac fideli populo redderet odioſos.

Paulum quoque indignum Meſſiâ reputaſſet Apoſtolum, qui Tito in Novatoribus increpandis duritiem commendaret, *Increpa eos durè*. Verùm quâ ratione probabili de Clemente XI. tanquam nimiùm acerbo conqueri Queſnellus poterit, qui reprehenſiones omnes, de quibus queritur, tanquam de inflictis nomini ſuo contumeliis, abundè meruit? Meruit, inquam, etſi cætera deeſſent, tot pernicioſis propoſitionibus, quas Conſtitutio damnat, & quarum perverſitatem horridam mox omnium oculis exponemus. Sed &, ut ab illis tantiſper præſcindamus, non deſunt alia, & quidem plurima, quibus tota reprehenſionum ſeries confirmetur.

Negare in primis non poteſt, ſe conſcium cenſurarum quæ contra Miſſalis Romani editionem vernaculam vibratæ ſunt ab Alexandro VII. Neque magis ignorat cæteras non leviores ab eodem Pontifice ſubdolis Janſeniſmi propagatoribus inuſtas. Has autem, & priores omnes ſciens, & volens, contemptor omnium, in ſe convertere minimè veritus eſt; nam Janſeniſmum toties reſuſcitat: perfidâ ſuâ *Eccleſia Romana, & Summorum Pontificum defenſione*, Vicariorum Pariſienſium mendacia ſchiſmatica impudenter inſtaurat: Miſſale Romanum Gallicè verſum novis poſt damnationem tam horrificam typis edidit, mutato ſubdolè titulo in hunc *L'annèe Chretienne, Annus Chriſtianus*. Eumdem librum per emiſſarium ſuum novi ordinis Subpriorem diſtrahens, obtrudi curavit etiam utriuſque ſexûs Principibus, ut ſe ad ſacram ſynaxim peccato lethifero, & latæ ſententiæ excommunicatione ſacrilegè diſponerent. An non iſta abunde ſufficiunt, ut Queſnellus

cum

cum ſuis ſequacibus annumeretur *Falſis Prophetis, qui veniunt in veſtimentis ovium*? Ut habeatur inter *Magiſtros illos mendaces, & in deceptione illuſores, qui ſub ſplendidâ pietatis ſpecie prava dogmata latenter inſinuant*?

Nunquid ea ſub ſplendida pieratis ſpecie inſinuat Queſnellus, cum in pſeudonyma *Eccleſiæ defenſione* pag. 427. ait; *poſt definitionem quidem non licère quinque propoſitiones* (Janſenii) *defendere; ſed licere, ac ſemper licuiſſe, aliquem ſenſum propoſitionum defendere*? Illum ſcilicet, quem conſtat unicum Janſenii, & omnium ejus eſſe diſcipulorum, atque unicum, proprium, & germanum propoſitionum, ut Janſeniſtarum legati coram Innocentio X. in libello ſupplice trium columnarum profeſſi ſunt. Ita Queſnellus ſe *Romanam Eccleſiam, ac Summos Pontifices contra Leydeckerum defendere* mentitur ipſâ libri fronte, dum toto opere definitiones Pontificum, fidemque Eccleſiæ ſubvertit proditione ſacrilegâ, & cum Leydeckero turpiſſimâ colluſione. Aliud opus ſuum vocat *Defenſionem duorum Brevium Innocentii XII. ad Belgii Epiſcopos*, ubi utrumque Breve in Janſeniſmi defenſionem convertendo ſubruere, & ad deſtruendas Pontificum Conſtitutiones exquiſitiſſimis mendaciis pertrahere conatur. Num ovis manſuetudinem, an belluæ feritatem exhibent Notæ illæ ejus in decretum Congregationis *Indicis*, quo prohibentur diſſertationes ejus in opera S. Leonis? Statim initio ait, *Non eſt decretum, ſed libellus famoſus: Congregatio illa non eſt Sacra*: ſequuntur cætera eodem tenore dicam, an furore? Vide proceſſum Juridicum coram Archiepiſcopo Mechlinienſi, ſeu *Cauſam Queſnellianam* pag. 332. & ſequentibus.

Lupinâ rabie plena ſunt, quæ ſcripſit contra Decretum Alexandri VIII. quo prohibentur Propoſitiones 31. contra Breve Clementis XI. ad omnes Hollandiæ Catholicos: contra Decretum, quo configuntur ſcripta Sebaſteni, & Author à Vicarii Apoſtolici munere amovetur: contra damnationem famoſi Casûs conſcientiæ: contra priorem *Obſervationum moralium* proſcriptionem: contra Archiepiſcopum Mechlinienſem, & ejus digniſſimum Vicarium, nunc Epiſcopum Brugenſem: contra Senatum Regium Hannoniæ: contra Magiſtratum Montenſem. Denique centum iſtiuſmodi indeclinabilibus argumentis, quæ ex ſecuturis quivis facilè conficiet, Queſnellus convincitur, quòd inter *Lupos ſub ovina pelle* meritiſſimè numeretur. Propheta quoque falſus eſt, dum ſuos inani ſpe lactat, fore, ut Chriſti Eccleſia aliquando deveniat Janſeniana. In Notis ad Epiſtolam Domini Steyaert pag. 17. & 18. *Adeò*, inquit, *non perſuadetur, ſenſum ab Authore* (Janſenio) *intentum hæreticum eſſe, ut jam demum credere cœperit Orbis Catholicus, nihil in ipſo non eſſe Catholicum*. Et in manuſcripto, quòd refertur in proceſſu fiſcalis Mechlinienſis pag. 223. ait: *Non agitur de repellenda nunc omni injuria Janſenio ab adverſariis illata; iſtud facile non eſt; Inimici ejus adhuc nimiùm potentes ſunt, & nondum ſatìs luminis eſt Judicibus, ut eò adducantur; expectandum eſt donec illorum odia tempore ſubſederint, atque horum mentibus affuſæ tenebræ diſſipentur*.

Temerarium quoque, & vanum Prophetam Queſnellus agit in Præfatione Cauſæ Arnaldinæ, cum de celeberrima Sorbonæ adversùs Arnaldum cenſura ſic vaticinatur: *Sed tempus erit (cur enim veritatis defenſori id non auguremur, quod ſibi veritas ipſa debere videtur?) tempus, inquam, erit aliquando, cùm Sacra facultas tam indigni judicii pudenda myſteria revolvens, & illatam tam ſibi charo, tam omnibus venerando capiti injuriam exhorreſcens, conflatam indè invidiam à ſe depellere ſeriò cogitabit, cenſuram è ſuis commentariis eraſam, exciſam volet, eamque paucorum conſiliis, & molitionibus confectam Facultati ipſi falſiſſimè adſcribi, Orbi Catholico denuntiabit*. Prophetiæ ſuæ vanitatem jam perſpexerit Queſnellus, quando pluribus annis poſt, adeò non abrogata cenſura eſt, ut novo Decreto eam Facultas voluerit in perpetuum confirmari; rurſumque ſanxerit, neminem ad gradum Academicum unquam admiſſum iri, niſi ſe ei ſubſcriptione obſtrinxerit. Veridicus tamen ſubinde vates eſt Queſnellus, cùm ſuam, & ſuorum contra Sedis Apoſtolicæ Decreta rebellionem denuntiat, & orituras indè Eccleſiæ turbationes. Veridicus, inquam, tunc vates eſt; ſed ſimilis Dæmonibus, qui tempeſtates, quas ipſi excitare decreverint, facilè prædicunt.

Verùm multiplex in Sacris paginis eſt prophetici nominis uſurpatio, teſte Cornelio à Lapide in cap. 14. epiſt. 1. ad Corinthios. v. 5. dicens *Paulum hic nomine Prophetiæ maximè concionem, ac doctrinam comprehendere*. Quâ ſignificatione Queſnellus meritò Propheta falſus dicitur, utpotè falſitatis minimè vulgaris, ſed impiæ, blaſphemæ, hæreticæ doctor ſubdolus, & pertinax: ad cujus convictionem, ſi argumenta cætera deficerent, ſufficiunt Propoſitiones ejus, quas præſens Conſtitutio proſcripſit. Certiſſimè autem exordio Conſtitutionis, lector Catholice, aſſentias, ubi hanc lucubrationem evolveris, aut ſi non vacet, ſolam inſpice Dedicationem Prolegonis præfixam, quæ *Unigenito Dei Filio* inſcripta eſt: Lupum ubique deteges ſub ovina pel-

pelle, ſub mendaci epigraphe *Chriſtianarum Meditationum*, & *Doctrinæ moralis Euangelicæ*. Fallit quoque plurimùm Queſnelli Declamatio, qua in Pontificem invehitur, tanquam poteſtatis ſuæ limites tranſgreſſum, quaſi occultos, & ſoli Deo pervios animi receſſus ſcrutari temerè præſumpſerit; cùm axioma Theologis, & legum Doctoribus ſit, *Eccleſiam non judicare de internis*. Propoſitionum ſcilicet Author judicari non potuerit lupus ſub ovinâ pelle, niſi ab eo, qui animum introſpexerit; ſed neſcit Queſnellus axioma pariter ab omnibus receptum, quòd *Malum, & damnum illatum ſemper præſumitur malo animo, niſi probetur contrarium, vel prævaleat alia præſumptio*, ff. ad legem *Acquili*. Item *ſi obſtetrix*, §. fin. & l. ſeq. & l. item *Mella*. in 1. reſponſo, & de re jud. cap. 1.

Quid autem hìc contrariæ præſumptionis Queſnellus adferet, quo mali præſumptio elidatur? an vitam ſuam, & ſcripta præterita paſſim omnibus nota, plena novitatibus contra definitiones Pontificias audaciſſimè defenſis, plena rebellione, & irreverentiâ, plena contumeliis, & aſſertis ſchiſma ſpirantibus?

Alexander VII. non ſcrutabatur cordium intima, dum Janſeniſtas iiſdem, quibus Queſnellus ſolet, cavillationibus Bullam Apoſtolicam cludentes, vocavit *filios iniquitatis*. Neque Orthodoxis diſplicuit Leonis X. de Luthero, & ejus ſequacibus judicium; neque illud de merè internis fuit, cùm de Luthero Bullâ Exurge Domine, ait: *Exterminare eam* (Eccleſiam) *nititur aper de ſylva*: de eodem, & ejus aſſeclis: *Inſurgunt magiſtri, introducentes ſectas perditionis, ſibi celerem interitum ſuperinducentes .... qui zelum amarum habentes, & contentiones, in ſuis gloriantur, & mendaces ſunt adversùs veritatem ... quorum mentem pater mendacii excæcavit, ex veteri hæreticorum Inſtituto apud ſemetipſos ſapientes, Scripturas eaſdem aliter, quàm Spiritus Sanctus flagitet, proprio dumtaxat ſenſu, ambitionis, auræque popularis causâ, teſte Apoſtolo interpretantur, imò torquent, & adulterant*: Quid amplius de Queſnello, & ſociis ejus habet Bulla Unigenitus? Et quid minus illi merentur? Scapham ſcapham vocant ubique Pontifices, & ligonem ligonem. Nullaue opera, nullaue dicta, aut ſcripta animum ſat produnt impium, hæreticum, ſchiſmaticum, ut de hoc judicium ſinè temeritate ferri poſſit ab homine, nec opus Divinâ revelatione ſit? Nullus negaverit veros hypocritas fuiſſe duos prætenſos Belgii reformatores, Gallum unum, Belgam alterum, utrumque Arnaldo, & Queſnello devotum, utrumque criminibus infamem, & à Rege Chriſtianiſſimo carceri mancipatum.

De meris internis non judicat Eccleſia, neque ullus mortalium niſi temerè judicare poteſt. Sunt tamen interna aliqua, quæ dictis, factiſque foràs proſiliunt, ſuique indubitatum omnibus faciunt indicium. Si presbyterum, quem pia loquentem audieris, in turpiſſimis actibus deprehenſum, cenſeas ſpurcum animo eſſe, & hypocritam, nemo temeritatis te accuſabit, nemo injuſtitiæ. Hæreſis autem pertinaciter defenſa, non minus crimen eſt quàm fornicatio. Concilium Conſtantienſe ſeſſ. 8. præmiſſo Euangelio, *Attendite à falſis prophetis*, ſententiam pronuntians adversùs errores Wickleffi, exordium inſtituit, quale Clemens XI. præfigit damnationi dogmatum Queſnelli: *Fidem Catholicam*, inquit ſynodus, *ſinè qua, ut ait Apoſtolus, impoſſibile eſt placere Deo, à falſis ejuſdem Fidei cultoribus, imò perverſis impugnatoribus, & per ſuperbam curioſitatem intendentibus plus ſapere, quàm oportet, mundi gloriam cupientibus &c.* Ibidem dicitur, *novorum certaminum, quæ vetus ille, & invidus hoſtis*, Diabolus, *ſuſcitavit, Dux, & Princeps Joannes Wickleff pſeudo-Chriſtianus, qui dum viveret, adversùs Religionem Chriſtianam, & Fidem Catholicam pertinaciter aſſeruit, & dogmatizavit plures articulos*, quorum 45. referuntur. In articulos autem ſimilis ſententia fertur ei, quæ in Queſnellianos. Dein contra ipſum Authorem: *Hæc Sancta Synodus definit, & ſententiat eumdem Joannem Wickleff fuiſſe notorium hæreticum, pertinacem, ac in hæreſi diſceſſiſſe, anathematizando ipſum pariter &c.* Fuitne temeraria Synodus, aut animi penetralia ſoli Deo nota inveſtigare præſumpſit, cum de Wickleffo, & ejus ſociis declaravit, quòd falſi fuerint *Fidei cultores, imò perverſi impugnatores, per ſuperbam curioſitatem intendentes plus ſapere, quàm oportet*, quòd in hoc *mundi gloriam quæſierint*, quòd Wickleffus fuerit *pſeudo-Chriſtianus, Hæreticus, pertinax, & in hæreſi diſceſſerit* è vita? Hæc omnia ſat certis conſtabant externis indiciis, ut de perverſo animo Concilium abſque erroris periculo judicaret.

Idem eſt de Leonis X. adversùs Lutherum ſententia: idem de Clementis XI. contra Queſnellum; quanquam hæc mitior in eo ſit, quòd ab Authoris nomine abſtineat, nec in eum anathemate, aut nè ſuſpenſionis quidem pœnâ animadverterit; ſed ſalutiferâ, & ſolummodo confuſâ, quâ plus meritus fuerat, objurgatione. Omitto Joannem Huſs in eodem Concilio non ſolâ opinionum damnatione, ſed vehementi pariter reprehenſione mulctatum, qua hypocriſis ejus, & lupinus ſub ovinâ pelle latens animus detegitur, ac dein de Sacri

Ordi-

Ordinis gtadu dejectus, btachio traditur Seculari.

Comparatio hæreticorum cum lupis, & falſorum prophetarum nuncupatio ſemper in uſu fuit Eccleſiæ. Hic locus Matthæi 7. *Attendite à falſis Prophetis, qui veniunt ad vos in veſtimentis ovium, intrinſecùs autem ſunt lupi rapaces*, inquit S.Hieronymus, *de hæreticis intelligendus eſt, qui videntur continentiâ, caſtitate, jejunio, quaſi quadam pietatis ſe veſte circumdare; intrinſecùs autem habentes animum venenatum ſimpliciorum fratrum corda decipiunt*. De Arnaldo Hæretico ita S. Bernardus epiſt. 195. ad Rogerium Epiſcopum ait: *Arnaldum loquor de Brixia: homo eſt neque manducans, neque bibens: ſolo cum Diabolo eſuriens, & ſitiens ſanguinem animarum: unus de numero illorum, quos Apoſtolica vigilantia notat habentes formam pietatis, virtutem illius penitùs abnegantes: & ipſe dominus: Venient*, inquiens, *ad vos in veſtimentis ovium, intrinſecùs autem ſunt lupi rapaces*. S. Ambroſius l. 7. in Luc. cap. 10. de hæreticis ſic monet: *Nec vos moveat, quòd formam prætendere videntur humanam, etſi foris homo cernitur, intus beſtia fremit; & ideo eos lupos eſſe non dubium eſt, juxta Domini* Jesu *Divinam Sententiam... Veſtitum ovis habet, facta prædonis: foris ovis, intus lupus eſt, qui modum non habet rapinarum, qui tanquam in nocte ſcythico duratus gelu, cruentus ora circumvolat, quærens quem devoret*.

Ipſe Auguſtinus, licèt alicubi moneat, nihil objiciendum hæreticis, niſi quòd non ſint Catholici; tamen lib. 2. de ſymbolo ad Catechumenos cap. 13. ait: *Hæreticus Arianus non inſultet Eccleſiæ: lupus eſt, agnoſcite: ſerpens eſt, ejus capita conquaſſate: blanditur, ſed fallit: multa promittit, ſed decipit*. Et Arianum alloquens. O, inquit, *lupe male! O ſerpens inique! O ſerve nequiſſime!... Ergone hæretice veſtis nudum, ut exſpolies intus Chriſto veſtitum? Ad hoc paſcis eſurientem, ut animæ auferas cibum cœleſtem? Ad hoc das pecuniam, ut ſic tibi iſti vendant Chriſtum rebaptizandum, quemadmodum Judas Judæis Chriſtum crucifigendum? Pecunia tua tecum ſit in perditionem*. Ubi S. Doctor de prava hæretici intentione non immeritò judicat; uti & S. Ambroſius, quòd *lupus intus* ſit, qui *foris ovis*, & qui *foris homo cernitur, intus beſtia fremat quærens quem devoret*. De Arnaldo illo nominatim S.Bernardus ait, quòd ſub forma pietatis, virtutem illius penitùs abneget, & jejunans, eſuriat cum Diabolo, *ſitiens ſanguinem animarum*.

Denique nullus mortalium dubitat, quin ea ſæpiſſimè dentur externa indicia, è quibus de animo ſeu probo, ſeu perverſo, ſententia ferri valeat minimè temeraria. Nullus verò ptomptior Queſnello, & ejus ſociis eſt in divinandis hominum cogitationibus, & affectibus, abſque ullo ſigno, ſed ſolo libito confictis. Sic omnes Pontificum definitiones contra Baji, & Janſenii errores eludunt, tribuentes Pontificibus mentem, quâ definitiones omnes reddant inutiles, utpote quâ nihil decîdant, de quo fuerat controverſia. Sic & Alexandri VIII. contra Propoſitiones 31. intentio à Novatoribus illis ſubinde explicatur, ut aërem feriat; nullius autem Theologi opinionem.

Quàm facilis Queſnellus cum ſuis aſſeclis ſit in conjecturis de animo Jeſuitarum, tanquam adverſantium omni bono, finemque ſibi ubique præfigentium Societatis dominatum, teſtantur tot Queſnelli, Arnaldi, & ſimilium volumina de *morali praxi Jeſuitarum, Artes Jeſuitica, Tuba magna, Tuba major*, & ſimiles libelli famoſi ſinè fine, & numero. Sed nempe Societas pridem apud Janſeniſtas jus famæ perdidit, adeò ut in ejus accuſationibus nulla æquitatis regula ſervanda ſit. Ab hiſce progreditur Queſnellus ad Romanam Curiam, atque ad ipſum Supremum Pontificatûs apicem, cujus intimas ſcrutari intentiones, mores, acta, ſententias, etiam dogmaticas probris, atque calumniis arrodere, dilacerare minimè formidat in Apologia contra priorem Obſervationum moralium, & Novi Teſtamenti ſui Gallici condemnationem.

Titulus Apologiæ eſt, *Entretiens ſur le decret de Rome contre le N. T. de Châlons accompagnè de Reflexions morales: Dialogi circa Decretum Romanum adverſùs Novum Teſtamentum Catalaunenſe cum Obſervationibus moralibus*. Juverit ex Dialogis iſtis lacinias quaſdam deſcribere, ut ex iis lector perſpiciat, nihil Queſnello eſſe magìs familiare, quàm de internis animi motibus ferre ſententiam. In Dialogorum præfatione dicitur; *Quandoquidem ira Curiæ Romanæ adverſùs ultima Cleri Gallicani Comitia, atque eorum Præſidem Eminentiſſimum noſtrum Archiepiſcopum, fuerit vera ratio, quæ Curiam illam adduxit ad vibrandam contra eundem Antiſtitem, & librum ab eo approbatum cenſuram 13. Julii 1708. neceſſe fuit injuſtæ illius iræ detegere fundamentum*. In libro pag. 4. *Romanorum Decretorum Authores ſunt homines ſicut nos: Roma æquè ac cæteræ Curiæ, imò plus quàm cæteræ, eſt theatrum humanorum affectuum, ſeu paſſionum. Amor commodi temporalis, offenſio, invidia, tricæ non minùs ibi dominantur, quàm alibi*. Sorbona propoſitiones aliquas faventes authoritati Sedis Apoſtolicæ proſcripſerat: Alexander VII. Sorbonæ audaciam repreſſit acri Decreto. Contra hoc Queſnellus pag. 8. excandeſcit:

Opor-

Oporteret, inquit, *ſibi oculos eruere, ut quis non videret Romanorum contra Cenſores Sorbonicos contumelias profluxiſſe ex ſola indignatione, quòd viderent eos adulatorum, & Canoniſtarum Italorum exceſſibus adverſari:* pag. 10. *Ex modo, quo ea Alexandri Bulla excepta eſt, ſatìs colligis non deeſſe nobis modum muniendi nos contra cenſuras, quaſcunque ira, & odium Romanis dictaverit.*

Clemens IX. ſpeciali Diplomate confixit Rituale Alectenſe cum inſtructionibus editum. Hâc autem cenſurâ illud notavit Pontifex, quòd *non ſolùm contineat nonnulla ab ipſo Rituali Romano juſſu felic. record. Pauli Papæ V. edito aliena; ſed etiam doctrinas quaſdam, & propoſitiones falſas, ſingulares, in praxi periculoſas, erroneas, & conſuetudini in Eccleſiâ communiter receptæ, atque Eccleſiaſticis Conſtitutionibus oppoſitas, & repugnantes, quarum uſu, & lectione Chriſtifideles in jam damnatos errores ſenſim induci, ac pravis opinionibus inſici poſſent.* Tum prohibet librum ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ; *exemplaria* autem *omnia* ad Epiſcopos delata, & quæcunque alia jubet, *nullâ interpoſitâ morâ, igne comburi.* Quid ad hæc audax Queſnellus? *Tertium id*, inquit eâdem pag. 10. *exemplum Decreti eſt, quod* non æquitas, non ratio; *ſed ſpiritus vindictæ peperit. Noſti Rituale Alectenſe? Hactenus in illo genere non comparuit liber magìs numeris omnibus abſolutus: Decretum autem*, inquit, pag. ſequenti *fœtus furoris eſt.*

Pag. 12. *Sæpe quidem calumniis ſcatent Decreta, atque hæ allegantur tanquam rationes veræ, quæ ad cenſuram impulerint; ſed revera prorſus aliud ſubeſt, videlicet odium adversùs Authorem, vel approbatores, vindicta, aut quid ſimile minimè decens Apoſtolicam Sedem.*

Pag. 15. *Quando*, inquit, *exhibiti fuerint errores, & exceſſus, quibus Obſervationum moralium liber turgère dicitur, tunc ejus Author, & approbatores confuſione obruent calumniarum artifices, qui Pontificem decepère.*

Pag. 28. *Præter Decreta jam memorata, ad quæ non amor doctrinæ ſanæ, aut zelus Fidei Romanos induxerit; ſed odium, & vindicta, niſi brevitati ſtuduiſſem, recensère poteram multò plura adversùs libros Domini de Marca Archiepiſcopi Pariſienſis, contra Archiepiſcopum Senonenſem, Epiſcopos Convenarum, & Bellovacenſem, contra quatuor Antiſtites, contra Dominum De Launoy, contra P. Alexandrum, contra Dominum Du Pin, & plures alios minùs recentes; nam quos protuli omnes noſtri ævi ſunt, & contra quos ira Romanæ Curiæ manifeſtiùs efferbuit.*

Pag. 29. *Si hodiernus Archiepiſcopus Pariſienſis jura ſua ſacra, quorum veluti depoſitorum Cuſtos eſt, tradidiſſet, ſuiſque perſuaſiſſet Collegis, nè doctrinæ Judices, ut verè ſunt, agerent, ſi inerti adulatione Vicarii tantùm Pontificii munus ſuſcepiſſet, veluti ſervilis mandatorum ejus executor; nullis erga eum Roma peperciſſet blanditiis: Prædicatus in Italia fuiſſet, tanquam ſtudioſiſſimus Apoſtolicæ Sedis, ejuſque gloriæ fideliſſimus defenſor. Sed quia nolens ſe de gradu dejicere, partes egit Epiſcopi; ideo Romana Curia modos omnes quærit, quibus eum deprimat, atque divexet.*

Iſtud ſcilicet Queſnello non eſt de intentionibus judicare; aut ſibi fortè jus vendicat in Romanam Curiam, quod in cauſâ ſuâ negat Summo Chriſti Vicario. Quanquam hic non aliter de Queſnelli hypocriſi judicavit, quàm Eccleſia de manifeſtis, & pernicioſis hæreticis, pietatis ſpeciem præ ſe ferentibus, omni tempore fideles monuit, nè à fraudulentis illis pietatis Doctoribus ſinerent ſe in errorem ſimul pertrahi, & interitum.

Sed non tam citò dimittenda nobis eſt Queſnelli Apologia, in qua non niſi ad trigeſimam uſque paginam pervenimus, cùm ſuperſint ultra trecentas, præcedentibus nihilo meliores. Omnes quidem referri unius capitis anguſtiæ non patiuntur; quare ſatis erit ſeligere articulos aliquot ad propoſitum hìc nobis finem apertiùs conducentes.

Pag. 131. „ Pro Romanis (inquit) Con-
„ gregationibus examinatores eligi debe-
„ rent magìs idonei; at ſæpe fit prorſus op-
„ poſitum; uti, & in Cleri Comitiis, ubi qui
„ dominanrur, eligunt quandoque Præſules
„ juniores, aulicos, parum intelligentes; ſed
„ ſibi penitùs devotos; non adeò ut commiſ-
„ ſum ſibi negotium examinent, quàm ut
„ damnent certiſſimè, vel approbent, prout
„ illorum intentioni, & guſtui cenſuerint
„ convenire „. An non hìc iterum Author pſeudopoliticus de arcanis animorum conſiliis, tum Apoſtolicæ Sedis, tum Cleri Gallicani, ſeu præcipuorum ejus Antiſtirum inaniſſimè judicat?

Pag. 136. „ Quantò magìs timendum,
„ poſtquam Romana Curia ſe reddidit ne-
„ ceſſariam introductione Bullarum ad Epi-
„ ſcopatus, & excogitatis aliis artibns, quæ
„ ambitioſos in ſervitutem redigunt iſtius
„ Curiæ, eiſque ora obſtruunt! „ An neque illud Queſnello eſt de Apoſtolicæ Sedis, & Epiſcoporum intentionibus decernere?

Pag. 141. „ Quàm pulchra eſt epiſtola
„ S. Leonis, & apta, ut amorem conciliet er-
„ ga Pontifices, ſi tam bonâ hos fide agere,
„ & ſcribere videremus! „

Pag. 164. „ Satis percipio totum iſtud
„ non eſſe, niſi politicum, ſive in iſtiuſmodi
„ ptohi-

„ probibitionibus (librorum) non dominari „ niſi inordinatos animi motus Romanæ Curiæ. „

Pag. 165. „ Quid igitur agendum nobis ſupereſt, niſi ut duo illa Decreta conſideremus tanquam fraudibus obtenta, & „ prorſus indigna, ut eorũ ratio habeatur? „

Pag. 170. „ Talis agendi modus æſtimari non poteſt, niſi velut facinus ſcandaloſum, quo lethiferum Epiſcopatui vulnus „ infligitur. Epiſcopi indigniſſimè depri- „ muntur... Decretum eſt plenum abuſibus „ innumeris. „

Pag. 177. „ Non ampliùs moris eſt Romæ revocare judicia injuſta... Næ is parùm perſpectam haberet Romanam Curiam, qui expectaret fore, ut actuum ſuorum rationem redderet, præcipuè ubi negotium factionis, & paſſionis eſt: ubi ratio „ in conſilium adhibita non fuit; ſed ubi „ Romani ſatis conſcii fuerunt, ſe agere „ contra omnem rationem. „

Pag. 190. „ O quàm modò clarè video „ condemnationem Novi Teſtamenti Catalaunenſis, & Obſervationum moralium eſſe „ merum factionis negotium, conſpirante „ Cenſorum virulentorum malitiâ. „

Pag. 191. „ Imò verò condemnatio illa „ eſt opus tenebrarũ, & horrendæ factionis. „

Pag. 196. „ Author prioris epiſtolæ demonſtrat, non niſi ignorantiam, odium, invidiam, & calumniam diabolicam potuiſſe „ accuſationes Janſeniſmi, aut aliorum errorum ſuggerere contra *Obſervationes morales*. „

Pag. 199. „ In hac turba Seductorum, „ qui cingunt latus Pontificis, judicia iſtiuſmodi non ſunt attribuenda Sanctæ Sedi; „ ſed iis, qui mille artibus decipiunt illius „ Sedis Antiſtitem, & cujus nomine, atque „ authoritate abutuntur „. Nunquid obtentu ſimili omnia Principum edicta eludere facillimum eſt?

Pag. 210. „ Decretum contra *Obſervationes morales* dictavit violenta paſſio, & „ cupiditas: deſtitutum eſt omni formâ Canonicâ: eſt Sacris Judiciorum Eccleſiaſticorum regulis contrarium: adeò ut dicere „ liceat, ſententiam illam enuntiatam eſſe „ *Tyrannicâ poteſtate, non authoritate canonicâ* „.

Pag. 213. „ Adulatores Pontificibus „ dixerunt, ipſos omnia jura, omnes leges „ Eccleſiaſticas geſtare in pectore, ut de iis, „ prout viſum fuerit, diſponant. Non aliud „ quàm de veris veneni propinatoribus ſtatuere poſſum de talibus Canonum Interpretibus, qui Romanam Curiam ſtolidis „ ſuis opinionibus infecerunt, qualis fuit „ Auguſtinus quidam Anconitanus, quem in „ Beatorum numerum referunt. Omnes, qui „ ambitione ducuntur, quibus Curia illa „ plena eſt, iſtiuſmodi opinionibus applaudunt. „ An neque iſtud eſt de Intentione judicare? Verùm, & Romanam Curiam contumeliis, atque calumniis proſcindere Queſnello ludus eſt. Nec Beatis cœlo receptis parcit. Hæc omnia ipſi, & cæteris Janſeniſtis licent; non licet autem Supremo Chriſti Vicario deteſtabilem eorum hypocriſim, incautis ſimplicium mentibus exitialem, Salvatoris exemplo reprehendere! Pergamus ad nova Queſnellianæ temeritatis ſpecimina.

Pag. 219. „ Nimis (inquit) perſpicuum „ eſt ex tota agendi ratione Romanæ Curiæ, „ & factionis illic dominantis conſpiratione „ fixam fuiſſe libri oppreſſionem. Voluêre „ Romani ſe occultis inſidiis, ſeu proditione „ vindicare: non Authorem charitate corrigere, ſecundùm illud: *Non correctior, ſed proditor*. „

Pag. 225. „ Si utcunque noveris rationem cenſurarum iſtarum, quas Romani „ credi volunt Apoſtolicas, omnia hæc verba magnifica, *diſcuſſionis accuratæ, Theologicâ ſcientiâ præſtantium Magiſtrorum, conſenſûs unanimis*, non alio apud te loco erunt, „ quàm inanes plerunque, & ſenſu vacui ſoni. „ Voces illæ merces ſpuriæ ſunt, ad circumveniendos ſimplices, & nimis credulos, „ adhiberi ſolitæ „. Neque id Queſnello eſt de intentionibus judicare.

Illuſtre ſpecimen Queſnellianæ charitatis dicam, an impudentiæ eſt, quòd ſcribit pag. 228. & 229. adversùs virum non minùs pietate, quàm ſapientiâ, & eruditione conſpicuum, cui SS. Dominus Noſter commiſerat examen libri, ac relationem. Nec ipſum ſolum contumeliis proſcindit; ſed totam Preſbyterorum Miſſionibus addictorum Congregationem, cui ille adſcriptus eſt. Nuſquam magis ſatyricum Queſnellus agit, Sacri Ordinis ſui, & affectatæ gravitatis oblitus. Theatrum expetit, & comœdum *Moliere*, ipſe quovis hiſtrione impudentior; nec enim *Moliere*, nec alius illo petulantior momus, niſi atheus, vel antichriſtianus, examina Fidei, & religionis, à Chriſti Vicario inſtituta, jocis ſuis, & nugis ſic impetere, ac profanare præſumeret.

Pag. 275. Poſitâ Comici parte reſumit Queſnellus tragicam: quaſi vehementi dolore perculſus, lachrymis penè ſanguineis deplorat Sedis Apoſtolicæ *authoritatem, atque honorem adeò temere exponi, & cauſa implicari peſſima, imprudentiâ, & paſſione eorum, quibus nimiùm Pontifex fidit*. Simul tandem ad *preces*

ces convertitur, *ex intimo*, ut ait, *corde profeſſas*, ut Deus tantum crimen condonet omnibus cenſuræ authotibus. *Oro*, inquit, *Deum quàm poſſum ardentiſſimè, nè tantum ſcelus puniat, quemadmodum ſacrilegium execæcati illius Principis* (Joachimi Regis Juda) *ultus eſt graviſſimis adversùs Regem, Regnum, & Regis poſteros ſuppliciis*. Quis non miretnr tantam Queſnelli charitatem? Sed magis vereor, nè hæc ejus oratio in novum ei vertatur peccatum, qnòd de qualibet impiorum oratione poſt videbimus ab eo perpetàm aſſertum. Queſnelli charitas hìc, & oratio, eſt ſimilis Calvinianæ pro avertenda à Pontificiorum mentibus cæcitate, ut lumen videant, quo Calvinus Dei Eccleſiam illuſtravit. Sed crimen *Conſtitutionis eum pluribus aliis ejuſdem Curiæ exceſſibus*, Queſnello Judice, tantum eſt, ut *magnus eum inceſſerit metus, nè major* illorum ſit iniquitas, quàm ut pro avertenda ultione exaudiri tam ſeria ſua poſſit apud Deum deprecatio. *Plurimùm*, inquit, *timeo; nè Conſtitutio illa eum pluribus ejuſdem Curiæ exceſſibus gravem tandem in ſuos Authores concitet vindictam*.

Pag. 282. ait „ Conſtitutio adeò nullius ponderis eſt, ut nè in diſceptationem „ quidem pertrahi valeat, num tutius ſit ei „ obedire, quàm teſiſtere. „

Pag. 283. „ Denique Conſtitntio eſt eſfectus paſſionis: eſt condita ſinè ulla cauſa, „ ſinè ratione, ſolo dominandi Spiritu, & chimericæ poteſtatis Supremæ, abſolutæ, arbirratiæ præſumptione. Credaſne abſque „ Divini Nominis offenſâ poſſe te fovere „ tam perniciosa dogmata, quæ univerſam „ peſſumdatum, & perditum eunt Eccleſiam,„? Peccatum itaque Queſnello eſt Conſtitutionis receptio. Hujus peccati reus in primis eſt Summus Pontifex, rei Cardinales omnes (unum ſi exceperis) rei Epiſcopi, & Fideles quicunque Paſtoris Supremi mandato obtemperant. Immunes verò à peccato ſunt, imò Religioſi Fidei, & Eccleſiæ defenſores, qui Conſtitutionem rejiciunt, perguntque cum Queſnello damnatas omnes propoſitiones, etiam impias, blaſphemas, hæreticas inter tutiſſima Auguſtini dogmata, & fidei oracula numerare.

Nunc lectorem, quemlibet Catholicum judicem, rogo, an non illud ſit lupum agere ſub ovina pelle, & an in toto Conſtitutionis Exordio verbum ſit nimis aſperum, adversùs tam ſacrilegam tenebrionis illius Archi-hæretici perfidiam, arque temeritatem.

Prætermiſeram declamationem patheticam, quæ eſt pag. 276. contra libri ſui combuſtionem priori Pontificis Decteto imperatam. *Quid nempe horribilius*, inquit, *quàm non ſolas Obſervationes eum verſione Gallicâ; ſed ipſum Sacroſanctum textum verſioni, & Obſervationibus junctum flammis infamibus addicere?* Verùm potuitne textus ſacer à verſione, & Obſervationibus ſeparari? atque ita potuitne ille eximi incendio, dum harum deſtructionem, nè in poſterum nocerent, bonum Eccleſiæ poſtulabat? Lutherus, Beza, & plures alii Scripturarum interpretes hæretici non ita Scripturas corrupêre, quin in pluribus reddiderint integras. Et quis hæreticorum liber de religione differens, non plurimos textus refert, prout in vulgata Catholica noſtra editione exprimuntur? Ideone libris illis debebitur reverentia, ut lacerari nequeant, vel igne aboleri, nè Sacra Verba eum profanis, & hæreticis pereant? Nec Deus, nec ullus hominum ignorat, combuſtionis rationem piam eſſe, ac religioſam, nè ſcilicet Chriſtiana Fides ac religio in legentium animis pereat, & cum ea fructus Scripturarum ipſiuſque Divini Sanguinis, ac Paſſionis.

Eâdem paginâ prior CLEMENTIS XI. Sanctio contra librum Obſervationum moralium accuſatur *calumniæ atrocis*, & cujus nè minima quidem à Cenſoribus afferri valeat probatio. Nempe Decretum Pontificium in forma Brevis editum declarat, quòd liber Obſervationum moralium *Sacrum ipſum Novi Teſtamenti textum exhibeat damnabiliter, nec ſinè auſu temerario vitiatum*; Queſnellus autem exiſtimat, aut potiùs exiſtimare ſe ſimulat, dictum iſtud à Pontifice de textu Latino, non de ſolo Gallico; quaſi verſio intelligi nequeat *textûs* nomine. Tum igitur editio noſtra vulgata quantumvis authentica, vocari non poterit Sacer Textus, quia pars ejus longè maxima non Latinè primùm conſcripta eſt, ſed ex Hebræo, & Græco idiomate in Latinum converſa. Scriptura quidem primigenia, quando verſionibus opponitur, magis propriè intelligitur vocabulo *Textûs Sacri*; at ubi verſio cum gloſſis, ſeu animadverſionibus, ut in Decreto illo confertur, tunc uſu receptiſſimo, Scripturæ verſio non Latina ſolùm, ſed etiam Gallica *Sacer Textus*, & *Scriptura Sacra* appellatur, ut diſcernatur à Notis, ſeu Obſervationibus. Non adeò communis usûs ignarus eſt Queſnellus, ut illud exploratum non habeat; ſed ignorantia ſimulanda fuit, ut materia videretur idonea accuſationi. Si verò neget *Sacrum Textum* verſione ſuâ Gallicâ, *damnabiliter nec ſinè auſu temerario vitiatum*, ſive verſionem ſuam vitiis damnabilibus, & temerariis laborare, reſponſionem convincentem videat cap. 5.

In Conſtitutionis UNIGENITUS Exordio

dio etiam illud Queſnello, & ejus ſociis diſplicet, quòd impiam eorum molitionem detegens Sanctiſſimus dicat: *Utque faciliùs incautis obrepant, quaſi deponentes lupinam pellem, & ſeſe Divinæ legis ſententiis, velut quibuſdam ovium velleribus obvolventes, ſanctarum Scripturarum, adeòque etiam ipſius Novi Teſtamenti verbis, quæ multipliciter in ſuam, aliorumque perditionem depravant, nequiter abutuntur: antiqui ſcilicet, à quo progeniti ſunt, mendacii parentis exemplo, ac magiſterio edocti, nullam omnino eſſe ad fallendum expeditiorem viam, quàm ut, ubi nefarii erroris ſubintroducitur fraudulentia, ibi Divinorum verborum prætendatur authoritas.*

Quæ verior, quæ fidelibus ſalubrior, & magis neceſſaria ſaluti animarum fieri à Chriſti Vicario potuit denuntiatio? Quotquot hæreſes, & impia dogmata Conſtitutione Unigenitus proſcribuntur, ferè veluti delapſa cœlo myſteria, & ſpiritûs ſancti oracula, à Novatoribus prædicantur: quæ ſingulis verſibus apponuntur obſervationes, quaſi ex Divinorum Verborum viſceribus erutæ, quid aliud, ſi præcones illos audierimus, ſonare poſſunt, quid aliud legentibus ingerere, quàm cogitationes pias, & ignitos erga Deum, & proximum charitatis affectus? Adeò illic omnia Divinis unctionibus plena ſunt, ut inſpirent penè nolentibus ſanctitatem. Talem itaque librum fidelium manibus eripere, eſt fideles præcipuo privare pietatis ſubſidio, obicem ponere ſanctitati, & ad Chriſtianam contendentibus perfectionem obſtruere ſemitam. Denique, inquit Queſnellus in iiſdem Dialogis pag. 281. *Romanum illud Decretum* (anni 1708.) *eſt irritum, & nullum omni genere nullitatis, conditum ſinè cauſa, ſinè forma Canonica, ſinè ratione, quin potiùs contra omnem rationem, contra omnes formas, & nullo penitùs nixum fundamento, quàm prætenſâ ſupremâ, & abſolutâ poteſtate.*

Quid igitur obedientiæ, & ſubmiſſionis expectemus erga Conſtitutionem Unigenitus? *Querela* ejus contra eam, *& Proteſtatio* typis edita, in omnium verſatur manibus, non libello protruſa anonymo, ſed apertâ fronte Queſnelli expreſſo nomine, &, nè quid ad ſolemnitatem requiras, etiam ipſius manu ſcripta Authoris. Si deſit teſtimonium Notarii, ignoſcendum eſt; quia ſcribens in Hollandia, Communionis Catholicæ Notarium, præſertim Apoſtolicum, in promptu non habuerit; niſi fortè nullus Catholicus ram ſchiſmaticum, & nefarium opus ſuâ firmare voluerit ſubſcriptione. Calvinianus autem, qui facilè Amſtelodami ad talia paratus occurreret, non addidiſſet operi pondus; ſed apud Catholicos detraxiſſet. Querelæ iſti, & proteſtationi repellendæ locus erit, ubi propoſitiones confutavero. Hic tantùm moneo, non eſſe cur ea Queſnelli temeritas cuiquam admirationi ſit; nam nihil novi apparet, & inſoliti: in Queſnello quidem, cui ab annis plus quàm triginta, quibus novitates ejus ab Eccleſiæ, & Reipublicæ Moderatoribus reprimi cœpere, nulla phraſis familiarior fuit, quàm ut de omni Decreto ſibi infeſto aſſereret, *eſſe ſinè ulla ratione, & formâ debitâ, contrarium veritati, & æquitati, irritum, & nullum*; ita ſcripſit contra Decretum Magiſtratûs Montenſis, atque ipſius ſupremi Senatûs Regii. Ita contra inſtructiouem, & mandatum Paſtorale plurium Belgicorum Antiſtitum, præcipuè dein contra ſententiam Archiepiſcopi Mechlinienſis, quâ effracto carcere profugus, citatus, & contumax condemnatur.

Eâdem irreverentiâ excepit Decretum Romanum S. Congregationis Indicis contra Diſſertationes ſuas, & Notas in Opera S. Leonis. Eâdem impudentiâ impugnavit, diſcerpſit condemnationem 31. Propoſitionum ab Alexandro VIII. editam, & à Clemente IX. proſcriptionem Ritualis Alectenſis: uti, & ab eodem Pontifice confixionem Montenſis Teſtamenti: denique omnia Brevia, & Decreta Clementis XI. contra Sebaſtenum (Queſnello, & toti factioni Janſenianæ nuper *Bonifacium*) contra famoſum *Caſum conſcientiæ*, & ejus approbatores, contra cæteras Janſeniſtarum cavillationes, & tentata fruſtrà effugia. Minimè Janſeniſtis placent, qui in Conſtitutionis Exordio memorantur Theologiæ Magiſtri, quibus Propoſitionum examen authoritate Apoſtolica commiſſum eſt, & inſtitutum coram duobus primùm controverſiarum peritiſſimis Cardinalibus Ferrari è Sacra Dominicanorum Familiâ, & Fabroni è Clero.

Tenuit examen illud plus quàm annum integrum. Suffragiis ad Summum Pontificem delatis, voluit Sanctiſſimus diſcuſſionem coram ſe repeti, *adhibito*, ut teſtatur, *etiam aliorum plurium Cardinalium conſilio, quàm maximâ diligentiâ, ac maturitate, ſingularum inſuper Propoſitionum cum ipſo-met libri textu exactiſſimè factâ collatione, pluries iteratis Congregationibus*; Ita ut, ſi tempus comprehendamus quod cenſuram anni 1708. anteceſſit, facilè quadriennio liber ille Romanorum Theologorum, Cardinalium, atque ipſius Pontificis ſtudia occuparit. Quod Sanctiſſimus Dominus de *diligentiâ maximâ* in propoſitionum examine adhibitâ teſtatur, veriſſimè etiam de impenſâ à ſe operâ intelli-

gere potuit; non enim ſolummodo Congregationibus intereſſe voluit, & ſummâ præfuit attentione; ſed compoſitis, & manu propriâ conſcriptis à ſe in propoſitiones ſingulas doctiſſimis animadverſionibus tam ſolidè, tam perſpicuè, tam disertè Conſultorum expendit ſuffragia, ſuamque quoad propoſitiones ſingulas enuntiavit ſententiam, ut Sancti Gregorii, & Leones Maximi revixiſſe, atque in Clemente Pontifice, etiam verè Maximo, differere viderentur. Si talis labor, talis diſcuſſio adverſariis non ſufficiat, quid unquam ſufficere eis valeat non aſſequor. Sed fruſtrà intenditur illuſtrando intellectui, quamdiu manſerit obfirmatæ pravitas voluntatis.

Antequam tam ſalutiferum Conſtitutionis Exordium dimittam, fructus etiam nobis colligendus eſt ex eo, quod adversùs diabolicum hæreticorum, & (quoniam Queſnellus de ſe ſuiſque intelligi vult) etiam recentium Novatorum aſtum ſapientiſſimè monemur, ubi dicitur, *Utque faciliùs incautis obrepant, quaſi deponentes lupinam pellem, & ſeſe Divinæ legis ſententiis, velut quibuſdam ovium velleribus obvolventes, ſanctarum Scripturarum, adeòque etiam ipſius Novi Teſtamenti verbis, quæ multipliciter in ſuam, aliorumque perditionem depravant, nequiter abutuntur: antiqui ſcilicet, à quo progeniti ſunt, mendacii parentis exemplo, ac magiſterio edocti, nullam omnino eſſe ad fallendum expeditiorem viam, quàm ut, ubi nefarii erroris ſubintroducitur fraudulentia, ibi Divinorum verborum prætendatur authoritas*. Præceſſit pridem ſimilis monitio S. Ambroſii l. 4. in Luc. cap. 4. *Non te capiat hæreticus, quia poteſt de Scripturis aliqua exempla proferre: nec ſibi arroget, quòd doctus videatur. Utitur, & Diabolus teſtimoniis Scripturarum, non ut doceat, ſed ut circumſcribat*.

Quod paucis complectitur Ambroſius, copioſè deducit Vincentius Lerinenſis Commonitorii cap. 35. de ſubdolis hæreſeos propagatoribus dicens: „ Videas eos volare „ per ſingula quæque ſanctæ legis volumina „ .... lege Pauli Samoſateni Opuſcula, Priſcilliani, Eunomii, Joviniani, reliquarumque peſtium, cernas infinitam exemplorum congeriem, propè nullam omitti paginam, quæ non Novi, aut Veteris Teſtamenti ſententiis fucata, & colorata ſit. „ Sed tantò magis cavendi, & pertimeſcendi ſunt, quantò occultiùs ſub Divinæ legis umbraculis latitant. Sciunt enim fœtores ſuos nullis ferè citò eſſe placituros; „ ſi nudi, & ſimplices exhalentur: atque idcirco eos cœleſtis eloquii, velut quodam „ aromate aſpergunt.... faciunt, quod hi „ ſolent, qui parvulis auſtera quædam temperaturi pocula, priùs oras melle circumlinunt, ut incauta ætas, cùm dulcedinem „ præſenſerit, amaritudinem *non reformidet* „. Ob hanc fraudem ait iſtos à Chriſto notatos Matt. 7. velut *pſeudo-prophetas, & in veſtitu ovium lupos rapaces*; à Doctore quoque Gentium 2. Corinth. 11. *Pſeudo-apoſtolos, operarios ſubdolos, transfigurantes ſe in Apoſtolos Chriſti*. Iterum Vincentius cap. 13. *Quid faciet Diabolus miſellis hominibus, qui ipſum Dominum Scripturarum teſtimoniis appetivit? .... Sicut tunc caput capiti, ita nunc quoque membra membris loquuntur .... membra ſcilicet Diaboli membris Chriſti, perfidi fidelibus, ſacrilegi religioſis, hæretici poſtremò Catholicis*.

Dein hæreticis applicat illam Diaboli ſuaſionem: *Mitte te deorſum; ſcriptum eſt enim &c.* Matth. 4. *Si quis*, inquit, *interroget quempiam hæreticorum, unde probas? Unde doces? .... Statim ille .... ſcriptum eſt enim: & continuò mille teſtimonia, mille exempla, mille authoritates parat, de Lege, de Pſalmis, de Apoſtolis, de Prophetis, quibus novo, & malo more interpretatis, ex arce Catholica in hæreſeos barathrum infelix anima præcipitetur*.

Quapropter ea Catholicis omnibus altè impreſſa hæreat S. Athanaſii admonitio diſp. 1. contra Arianos: *Igitur denuntio vobis, ut quiſque caveat, nè ab iis decipiatur .... Sed potiùs ac ſi Judaica impietas Chriſtianam Fidem invaderet, zelum Domini zelate .... nè ſuſtinueritis eos, qui novis rebus ſtudent, etiamſi dictiones ex Sacris Literis ſcribant .... nam & Diabolus loquebatur ex Sacris Literis; ſed tamen æquè illi os obturatum eſt à Salvatore*. Quod quidem Salvatori facilè fuit; verùm quis Divinitate non præditus ſatis obturet ora hæreticorum, in luto hæreſeos permanere volentium, & diu, noctuque importunè ranarum inſtar in Batavicis paludibus coaxare? Illic Queſnellus laicâ tutus poteſtate, Eccleſiæ ridet Anathemata, & excuſſo Oratorii jugo, cujus deinceps cohibebitur imperio? In Catholicorum Principum ditionibus optima Novatoribus fræna ſunt carceres; illic manus impiæ cohibentur à ſcriptione; & impeditur, nè, ſi forte adhuc vocibus furere, & animo inſanire novi hæretici voluerint, alteri, quàm ſibi furor, aut inſania noceat.

Pri-

Prima propoſitio damnata.

Quid aliud remanet animæ, quæ Deum, atque ipſius gratiam amiſit, niſi peccatum, & peccati conſecutiones, ſuperba paupertas, & ſegnis indigentia, hoc eſt generalis impotentia ad laborem, ad orationem, & ad omne opus bonum? *Obſervat. Moral. Luc.* 16. ℣. 3.

CAPUT I.

Æquitas damnationis oſtenditur.

Deus apud diligentes ſe manſionem facit, donec peccato lethifero pellatur. Repudium autem non paritur innltus; ſed amore converſo in odium, repellentem ſe gratiâ privat, & adoptione. Senſus autem damnati Articuli eſt, quòd peccato mortifero animam ſubeunte, nihil in ea donorum cœleſtium remaneat; ſed ſolum *peccatum, & peccati conſecutiones, ſuperba paupertas, ſegnis indigentia, generalis impotentia ad laborem, ad orationem, & ad omne opus bonum.*

Verùm ſi præter enumerata nihil remaneat, ubi Fides? Ubi Spes? Definiente Tridentino Concilio ſeſſ. 6. de Juſtificat. can. 28. *Si quis dixerit, amiſsâ per peccatum gratiâ, ſimul & Fidem ſemper amitti; aut Fidem, quæ remanet, non eſſe veram Fidem, anathema ſit.* Si omnia quæ damnata propoſitio enumerat, reperiantur ſemper in quolibet juſtitiam deſerente, quomodo ad eam redire peccator unquam poterit, peccati ſtatum ſemper comitante *impotentiâ ad omne opus bonum*? Sinè bono autem opere non agitur pœnitentia, ſinè hac peccatum non remittitur.

Monentur peccatores Luc. 13. v. 3. *Niſi pœnitentiam egeritis, omnes ſimiliter peribitis.* Dicitur omnibus, etiam peccatoribus, & his maximè ad Philip. 2. v. 12. *cum metu, & tremore veſtram ſalutem operamini.* Quomodo pœnitentiam agere, quomodo ſalutem operari poteſt laboris, & omnis boni operis impotens? Nulli rigidiùs, quàm Queſnellus cum ſuis, accipiunt illud Lucæ 18. v. 1. *Oportet ſemper orare, & non deficere.* At quando implebit illud peccator, manente generali *impotentiâ ad laborem, ad orationem, & ad omne opus bonum*? Quis cætera enumeret præcepta, quæ peccator in hac Queſnelli ſententia tranſgreditur neceſſariò?

Si nihil in peccatore ſit niſi peccatum, & peccati conſecutiones, ſuperba paupertas, & ſegnis indigenria; quis ex his fructus expectandus, niſi turpis, & illicitus, ut peccetur in omnibus actibus? Sic reſuſcitabitur Articulus 16. Joannis Huſſ à Conſtantienſi Concilio damnatus: *Si homo eſt vitioſus, & quidquam agat, tunc vitioſè agit.* Non enim juxta propoſitionum Authorem dantur actus indifferentes in individuo. Vide propoſitionem 44. & 45. Incurrit itaque ſimul Queſnellus cenſuras à Pio V., à Gregorio XIII., & Urbano VIII. latas adversùs hunc Articulum 35. inter 79. *Omne quod agit peccator, vel ſervus peccati, peccatum eſt*, & 40. *In omnibus ſuis actibus peccator ſervit dominanti cupiditati.* Neque impedire poteſt, quin illi ſerviat neceſſariò; nam peccator juxta Queſnellum *impotens eſt ad omne opus bonum*: adeòque ad amandum Deum: per propoſitionem autem ejus 45. *Amore Dei in corde peccatorum non ampliùs regnante, neceſſe eſt ut in eo carnalis regnet cupiditas, omneſque actiones ejus corrumpat.* Certum tamen, & Fide Catholicâ tenendum eſt, *eum, qui poſt baptiſmum lapſus eſt, poſſe per Dei gratiam reſurgere.* Negantibus, anathema infligit Tridentinum ſeſſ. 6. de Juſtificatione can. 29. ubi per gratiam intelligi etiam actualem, quæ ſemper, aut ſæpiſſimè præcedat tempore juſtificationem, conſtituatque peccatorem baptizatum intrinſecè potentem pœnitere, apud omnes Theologos eſt exploratiſſimum.

Nunc prætenſum Auguſtini diſcipulum ex Auguſtino convincamus. Nunquid Romani veteres peccatis gravibus inquinati, impii fuêre, & Gentiles? Aliquid tamen in iis agnovit Auguſtinus præter *peccatum, & generalem impotentiam ad laborem, & ad omne opus bonum*, cùm epiſt. 5. ad Marcellinum dicit: *Rempublicam primi Romani conſtituerunt, auxeruntque virtutibus: etſi non habentes veram pietatem erga Deum verum, quæ etiam illos in æternam civitatem poſſet ſalubri religione perducere .... Deus enim ſic oſtendit, quantum valerent civiles, etiam ſinè vera religione virtutes.* Lib. 5. de Civit. cap. 12. *Romani juſtitiâ, & actibus ſtrenuis promeruerunt à Deo imperium.* Epiſt. 99. *ut excepto Dei cultu, in quo erraverunt, ... non ſolùm civibus; ſed etiam hoſtibus imitandi meritò proponantur.*

Digitized by Google

Epiſt. 130. de Polemone hortationibus Xenocratis ad meliorem frugem reducto, adhuc tamen Gentili, ſic ſcribit: *Polemo ergo, ſi ex luxurioſo continens factus, ſciret, cujus eſſet hoc donum, & Deum, abjectis ſuperſtitionibus Gentium, piè coleret, non ſolùm continens, ſed etiam veraciter ſapiens, & ſalubriter religioſus exiſteret: quod ei non tantùm ad præſentis vitæ honeſtatem; verùm etiam ad futuram immortalitatem ſerviret*. Lib. de ſpiritu & Litt. cap. 36. *Ipſi homines erant, & vis illa naturæ inerat illis, quâ legitimum aliquid anima rationalis, & ſentit, & facit; & ſicut non impediunt à vitâ æterna juſtum quædam peccata venialia, ſine quibus hæc vita non ducitur; ſic ad ſalutem æternam nihil proſunt impio aliqua opera bona, ſine quibus difficillimè vita cujuslibet peſſimi hominis invenitur*.

Nè verò exiſtimemus tantùm officio bona vocari, non etiam fine, & abſolutè, præmiſerat: *In numero etiam hominum impiorum, nec Deum verum veraciter, juſtèque colentium quædam facta legimus, vel novimus, vel audivimus, quæ ſecundùm juſtitiæ regulam non ſolùm non vituperare poſſumus; verùm etiam meritò, juſtèque laudamus: quanquam ſi diſcutiatur, quo fine fiant, vix inveniuntur, quæ juſtitia debitam laudem, defenſionemque mereantur*. Ubi etſi vix inveniantur, inveniuntur tamen.

Iſtud in damnata propoſitione, *quid aliud remanet animæ*, ſi in rigore intelligatur, excludit omne donum cœleſte, ſaltèm naturæ limites excedens. Quid igitur fiet charactere Baptiſmi, Confirmationis, Ordinis? Ita peccatores deſinent eſſe Chriſtiani, membra Eccleſiæ, Sacerdotes, Epiſcopi, ipſe Pontifex Supremâ excidet dignitate. Sic confirmabitur, ſaltèm ſi primam partem exceperis, articulus 30. Joannis Huſſ in Concilio Conſtantienſi damnatus: *Nullus eſt Dominus civilis, nullus eſt Prælatus, nullus eſt Epiſcopus, dum eſt in peccato mortali*. Similis fuit Wickleffi articulus in eadem Synodo proſcriptus, cui favet Queſnelli propoſitio 72.73.74.75.76.77.78. ubi ſoli juſti dicuntur membra Eccleſiæ.

Undenam verò Queſnellus primæ propoſitionis tam horridæ fundamentum arripere potuit? Reflexio ejus eſt in illud Lucæ. *Quid faciam? quia Dominus meus aufert à me villicationem: fodere non valeo; mendicare erubeſco*. Communis apud Sanctos Patres, & Interpretes explicatio eſt textui maximè conformis, quòd, etſi rerum à Deo nobis commiſſarum apud homines videamur Domini; apud Deum tamen meri ſimus adminiſtratores, redditurì aliquando ſingularum rationem. Potiſſimùm hic mentio divitiarum eſt, quæ *mammona iniquitatis* vocantur, quia plurimorum peccatorum illecebræ, ſive, ut Hieronymus in caput 6. Matth. ait, quia paſſim *de iniquitate collectæ ſunt*; & epiſt. 150. ad Hedibiam quæſt. 1. *Omnis dives aut iniquus, aut iniqui hæres*. Monet Chriſtus divitiis ſobriè, ac juſtè utendum, maximè erogandas ex iis eleemoſynas in pauperes, ut eorum precibus, & patrocinio, dum accedente morte villicatio à nobis auferenda eſt, recipiamur in æterna tabernacula ab eo, cui, in pauperibus, eleemoſynæ datæ ſunt. Tunc nempe laborare nemo poterit, nec mendicare, aut mendicatio inutilis erit, ut fuit Virginum fatuarum.

Non igitur ſermo eſt de iis rebus quibus juſtus privatur, dum juſtitiâ excidit, neque de ejus tunc virium defectu, ſed de privatione, & impotentiâ, quæ eſt in vitæ termino, quando univerſæ villicationis ratio reddenda eſt, villicatio ipſa nunquam reſtituenda. Reſtituitur verò gratia ſanctificans cum donis omnibus annexis cuilibet pœnitenti, dum adhuc in via eſt. Hinc evidens fit, à Queſnello ex præſenti parabola perperàm colligi impotentiam ſervandi præcepta, quaſi comitantem neceſſariò quodlibet lethale delictum. Cujus collectionis falſitas patet quoque ex omnibus tum veteris, tum novi Teſtamenti Scripturis, quæ peccatores omnes obſtringunt mandatis, excitant ad pœnitentiam, invitant ad ſalutem. Neque villicus quamdiu vivit, & valet, omni victum lucrandi facultate deſtituitur: neque quæ indicatur impotentia fodiendi, eſt propriè dicta, & antecedens, ſed conſequens, quia piget fodere non vult, ut mulier garrula tacere. Ignavorum nempe, muliercularum, ac puerorum eſt, quâcunque occurrente difficultate, impotentiam obtendere. Sic Origenes homil. 9. in Joſue ſub finem: *Qui dicis, quæ mandantur, implere non poſſum, quid tibi videtur aliud, quàm inter mulieres, quæ nihil virile poſſunt, eſſe numerandus?* Et S. Chryſoſtomus homil. 16. in epiſt. ad Hebr. *Quomodo ergo, inquis, multi non poſſunt?* Reſpondet. *Quomodo ergo multi nolunt? Si enim voluerint, omnes poterunt.... habemus quippe cooperatorem, & adjutorem Deum: tantùm velimus, tantùm opere accedamus ad rem ipſam*.

Dum Queſnellus ex iſta Euangelii parabola fabricare novit errorem tam exoticum, minùs miror tantam novatum paſſim hæreſum eluviem: neque ad fingendas quotidie alias multo ingenio opus videtur; ſed temeritate tantùm, ac pertinaciâ. Et quidem ex præſenti parabola ſiquis comminiſcatur, licitum eſſe ſurripere aliena ad dandam eleemoſynam; reprobos à Chriſto rejectos, ab aliis Sanctis in cœlum recipiendos; gratiam ſanctificantem

tem propter peccatum ablatam, pœnitentiâ non recuperari &c. errabit in ſingulis ſtolidè; ſed neſcio an Queſuellus errori ſuo ſpecioſius ex eadem parabola eliciat argumentum. Hinc pariter colligitur, cur novatores omnes, & hæretici tam avidè mulieribus, & imperitiſſimæ plebi obtrudant Sacros Codices; quia nullus error tam abſonus eſt, ad quem textus aliquis obſcurior à ſophiſta malevolo trahi nequeat, quantumcunque repugnans, & errori certiſſimè contrarius.

Prima itaque Queſnelli propoſitio jure optimo à CLEMENTE XI. rejecta, & condemnata eſt: neque conqueri Author poteſt, quòd inter hæreticas, & aliis reſpectivè cenſuris notatas collocata ſit. Forte S. Cyprianus lib. contra Novatianum vocaret *Cainam hæreſim, quæ non niſi occidere geſtit*; ſi enim in quolibet peccatore eſt *generalis impotentia ad laborem, ad orationem, & ad omne opus bonum*, Sacramentum pœnitentiæ peccatoribus eripitur, atque ipſa ſit illis pœnitentia impoſſibilis. Unde & illud Conſtantini Imperatoris dictum Aceſio Novatianorum Epiſcopo, applicari Queſnello poſſet: *O Aceſi, pone ſcalam, & ſi potes, aſcende ſolus in Cœlum*.

CAPUT II.

Adverſarii objecta diluuntur: præcluditur effugium: Catholica veritas uberiùs declaratur.

Frivola quædam ad oſtentationem magìs, & imperitorum ſeductionem, quàm ad ſerium erroris firmamentum ab adverſariis proferuntur, quale eſt illud Concilii 2. Arauſicani: *Hoc Deo propitiante, & prædicare debemus, & credere, quod per peccatum primi hominis, ita inclinatum, & attenuatum fuerit liberum arbitrium, ut nullus poſtea, aut diligere Deum ſicut oportet, aut credere in Deum, aut operari propter Deum, quod bonum eſt, poſſit, niſi gratia eum, & miſericordia divina prævenerit*. Quid in his Concilii verbis eſt, quod non omnes omnium temporum Catholici profiteantur? Quis enim dubitet, quin *per peccatum primi hominis, ita inclinatum, & attenuatum fuerit liberum arbitrium, ut nullus poſtea, aut diligere Deum* SICUT OPORTET *&c. poſſit, niſi gratia eum, & miſericordia divina prævenerit*?

Procul dubio poſt peccatum primi hominis indiguimus gratiâ Liberatoris, ſinè qua diligere Deum, credere in Deum, & reliqua, *ſicut oportet*, bona propter Deum operari minimè poſſumus. Ideo gratia, & miſericordia Divina nos prævenit. At juxta damnatum articulum quævis anima, quæ Deum, atque ejus gratiam, ſeu amicitiam amiſit, ita deſeritur à Deo, ut nullum ei auxilium ſufficiens ad opus ſalutiferum præſtet; ſed eum relinquat *in generali impotentia ad laborem, ad orationem, & ad omne opus bonum.* Videtur quidem Queſnellus, ut damnati articuli duritiem mitiget, velle eum nunc à ſignificatione propria, & magis obvia abſtrahere, quaſi *amittere Deum, atque ipſius gratiam*, hic non dicatur omnis, qui lethiferè peccando Dei amicitiâ, & gratiâ ſanctificante excidit; ſed is ſolùm, qui omni etiam actuali auxilio in peccati pœnam privatur. Verùm excuſatio inepta eſt: Nam manifeſtè nimiùm ſupponit, & inſinuat articulus, omnem animam, hoc ipſo quo Deum, & ejus gratiam, ſeu amicitiam amiſit, deſtitui à Deo pariter, abſque omni ſufficienti ſubſidio ad virtutem, ut nihil ei remaneat niſi peccatum, & peccati conſecutiones cum *generali ad omne opus bonum impotentiâ*. Præterea à veritate, & doctrinâ ſanâ alienum eſt, peccatores ullos ita à Deo abjici in hac vita, ut dum rationis compotes manent, nulla eis ad reſipiſcendum, nulla ad orandum, aut ad ullum opus bonum gratia ſufficiens offeratur.

Oppoſitum docemur à Concilio Lateranenſi ſub Innoc. III. cap. Firmiter. *Si*, inquit, *poſt ſuſceptionem Baptiſmi quiſpiam relapſus fuerit, per veram pœnitentiam ſemper poteſt reparari*. Non minùs dilucidè Doctor Angelicus par. 3. quæſt. 52. art. 6. ad 3. *Homines quamdiu vivunt, poſſunt ad fidem, & charitatem converti; quia in hac vita non ſunt homines confirmati in bono, vel malo, ſicut poſt exitum ex hac vitâ*. Ibid. quæſt. 86. art. 1. C. *Dicere, quòd aliquod peccatum ſit in hac vita, de quo aliquis pœnitère non poſſit, erroneum eſt; quia per hoc tolleretur libertas arbitrii, & derogaretur virtuti gratiæ cujuſcunque peccatoris ad pœnitendum*. Plura hæretico huic primæ propoſitionis ſenſui clarè adverſantia, & irrefragabilia proferam ex tota antiqnitate, etiam ex Scripturarum oraculis teſtimonia, ubi contra proximè ſequentes damnatos articulos diſputabitur. Ait Queſnellus doctrinam ſuam fundari in illo Chriſti: *Sinè me nihil poteſtis facere*. Verùm dicitne Chriſtus, ſe peccatoribus, vel omnibus, vel multis, vel aliquibus ſaltèm deeſſe, qui omnes, nemine penitùs excepto, ad ſe peccatores invitat, omnibus auxilium ſpondet, & reconciliationem? Matth. 11. v. 29. *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos*.

Ultimum Queſnellus præſidium ſtatuit in ſententiâ Ludovici Granatenſis parte 2. Memorialis, ubi de primi hominis peccato refertur ſic enuntians: „ Adeò pauper, nudus, & ad omne bonum ineptus homo ex
„ pec-

Digitized by Google

,, peccato remanſit, ut nullum prorſus ad ju-
,, ſtitiam gradum facere poſſit, ad nullum
,, opus bonum manum extendere, non ape-
,, rire os ad invocandum Jesu nomen, nul-
,, lam Deo gratam orationem fundere, niſi
,, Deus ipſe porrexiſſet manum, eumque ſuâ
,, gratiâ excitaſſet ,, . Nihil hìc niſi Catholicum, & communi Patrûm, Scholaſticorumque ſuffragio confirmatum. At ubi dicitur quamcunque animam lethalis delicti vulnere ſauciam, adeò ſinè medicamine à Salvatore derelinqui, ut nihil ei remaneat *niſi peccatum... & generalis impotentia ad laborem, ad orationem, & ad omne opus bonum*? Contra nihil magis adverſari Scripturis SS., Traditioni Patrum, & communiſſimo Doctorum, atque Eccleſiæ ſenſui, novit, quisquis in doctrina Eccleſiaſtica non omnino rudis eſt, & novitatis amore non penitùs obcæcatus. Quis enim neſciat, Civitatis Ninive malitiam aſcendiſſe ad Deum, Jonæ cap. 1. & tamen cap. 3. ,, Cùm cœpit Jonas introire in Civi-
,, tatem itinere diei unius, & clamavit, & di-
,, xit, adhuc quadraginta dies, & Ninive ſub-
,, vertetur: crediderunt viri Ninivitæ in
,, Deum, & prædicaverunt jejunium, & ve-
,, ſtiti ſunt ſaccis à majore uſque ad mino-
,, rem: & pervênit Verbum ad Regem Nini-
,, ve, & ſurrexit de ſolio ſuo, & abjecit ve-
,, ſtimentum ſuum à ſe, & indutus eſt ſacco,
,, & ſedit in cinere: & clamavit, & dixit, in
,, Ninive ex ore Regis, & Principum ejus di-
,, cens, homines, & jumenta, & boves, & pe-
,, cora non guſtent quidquam: nec paſcantur,
,, & aquam non bibant: & operiantur ſaccis
,, homines, & jumenta, & clament ad Do-
,, minum in fortitudine, & convertatur vir
,, à via ſua mala, & ab Iniquitate, quæ eſt in
,, manibus eorum. ,,

Clamaſſe eos ad Dominum in fortitudine, & egiſſe pœnitentiam congruam colligitur ex eo, quod ibi ſubjungitur, *Vidit Deus opera eorum, quia converſi ſunt de via ſua mala: & miſertus eſt Deus ſuper malitiam, quam locutus fuerat, ut faceret eis, & non fecit*, ubi certiſſimo conſtat Divini Spiritûs teſtimonio, homines, qui Deum, atque ipſius gratiam peccando amiſerant, non *remanſiſſe* penitùs in *ſuperbâ paupertate, & ſegni indigentia, hoc eſt generali impotentiâ ad laborem, ad orationem, & ad omne opus bonum*.

Joëlis cap. 1. ſic hortatur Deus peccatores: *Convertimini ad me in toto corde veſtro, in jejunio, in fletu, & in planctu, & ſcindite corda veſtra, & non veſtimenta veſtra. Convertimini ad Dominum Deum Veſtrum, quia benignus, & miſericors eſt, patiens, & multæ miſericordiæ, & præſtabilis ſuper malitia.* Eſſet prorſus indigna Deo hortatio, ſi in omnibus peccatoribus nihil remanſiſſet præter enumerata à Queſnello, præcipuè *generalem impotentiam ad laborem, ad orationem, & ad omne opus bonum*.

Similis eſt hortatio ad pœnitentiam, & promiſſio Divinæ clementiæ Ezechielis 18. Daniel cap. 4. Regem peccatorem, & idololatram excitat ad faciendam eleemoſynam: *Rex conſilium meum placeat tibi, peccata tua eleemoſynis redime*.

Iſai. cap. 1. Deus peccatores ſic alloquitur. *Quieſcite agere perversè, diſcite bene facere, quærite judicium, ſubvenite oppreſſo, judicate pupillo, defendite viduam; & venite, & arguite me, dicit Dominus, ſi fuerint peccata veſtra ut coccinum, quaſi nix dealbabuntur, & ſi fuerint rubra ut vermiculus, velut lana alba erunt.*

Lib. 3. Regum cap. 21. de ſceleratiſſimo Rege Achab dicitur: *Non fuit alter talis ſicut Achab, qui venumdatus eſt, ut faceret malum in conſpectu Domini.... Abominabilis factus eſt in tantum, ut ſequeretur idola.* Attamen cùm audiſſet Achab ſermones Eliæ, ſtatim ſubjungitur: *Scidit veſtimenta ſua, & operuit cilicio carnem ſuam, jejunavitque, & dormivit in ſacco, & ambulavit demiſſo capite: & factus eſt ſermo Domini ad Eliam Theſbiten dicens: nonne vidiſti humiliatum Achab coram me? Quia igitur humiliatus eſt mei causâ, non inducam malum in diebus ejus; ſed in diebus filii ſui inferam malum domui ejus.* Si Achab, qui malitiâ cæteros ſupergreſſus enuntiatur, non fuit *tamen impotens ad omne bonum*, cur tanta calamitas cunctis tribuatur peccatoribus?

Exodi cap. 1. Obſtetrices Ægyptiæ, etſi idololatræ, timuerunt Dominum, & ſtudiosè ſervaverunt infantes maſculos Iſraëlitarum. *Bene ergo fecit Deus obſtetricibus.... & quia timuerunt obſtetrices Deum, ædificavit eis domos.* Unde evidens fit, mulieres iſtas, etſi gravibus inquinatas peccatis, tamen bonum hìc opus exercuiſſe; malum enim Deus Sanctus, & Juſtus præmio remunerari non poteſt.

Joſue cap. 2. Rahab meretrix, perculſa timore Domini, exploratores à Joſue miſſos ſervavit ab interitu, dimittens eos per feneſtram, & ſalubri conſilio adjuvans.

Act. cap. 8. Monet Petrus Simonem Magum, *Roga Deum, ſi fortè remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui.* Potuit igitur Simon orate Deum quantumvis impius.

Chriſtus Lucæ 11. dicit: *Nunc vos Phariſæi, quod deforis eſt calicis, & catini, mundatis; quod autem intus eſt veſtrûm, plenum eſt rapinâ, & iniquitate. Stulti, nonne qui fecit quod deforis eſt, etiam id, quod intus eſt, fecit? Verumtamen quod supereſt, date eleemoſynam, & ecce omnia munda ſunt vobis.* Si Phariſæi pleni rapi-

pi-

pinâ, & iniquitate poterant eleemoſynam dare, & ſibi procurare veram munditiem ſive juſtitiam; non erant igitur deſtituti bonorum operum poteſtate.

Lucæ 18. *Duo homines aſcenderunt in templum, ut orarent, unus Phariſæus, & alter publicanus*; & quidem poſterior oravit ſicut oportuit, ut viam ſibi ad juſtitiam ſterneret.

Epiſt. 1. ad Cor. cap. 13. ait Apoſtolus, *Si diſtribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & ſi tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt*. Et paulò ante. *Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil ſum*. Unde Auguſtinus lib. 15. de Trinit. cap. 18. *Fides ſinè charitate juxta Apoſtolum eſſe poteſt, prodeſſe non poteſt*. Cenſet itaque Apoſtolus, & cum eo Auguſtinus, poſſe eſſe bona opera in peccatoribus, quibus tamen ad ſalutem perducendis ſufficere nequeunt, quamdiu illi charitate, & juſtitiâ deſtituuntur.

Iterum Auguſtinus homilia 43. cap. 6. *Nolite deſperare peccatores: orate .... incumbite orationibus peccatores: confitemini peccata veſtra: orate ut depellantur; orate ut minuantur: orate ut nobis proficientibus ipſa deficiant*. Lib. de Spiritu, & litera cap. 28. *Sicut non impediunt à vitâ æternâ juſtum quædam venialia, ſinè quibus hæc vita non ducitur, ſic ad ſalutem æternam nihil proſunt impio aliqua bona opera, ſinè quibus difficillimè vita cujuslibet peſſimi hominis invenitur*.

Hipponenſi concinit Aquinas 3. parte quæſt. 89. art. 2. ad 3. *Dicendum, quòd Deus recordatur bonorum, quæ quis facit in ſtatu peccati, non ut remuneret in vita æterna, quæ debetur vivis operibus, ideſt ex charitate factis, ſed remunerat ea temporali remuneratione*. Eodem articulo citat Angelicus Hieronymum dicentem: *Si quando videris inter multa mala opera facere peccatorem quemquam aliqua, quæ juſta ſunt, non eſt tam injuſtus Deus, ut propter multa mala obliviſcatur paucorum bonorum*.

Denique nihil frequentius, nihil certius eſt in Doctrina Chriſtiana, quàm poſſe peccatores agere pœnitentiam, redire in viam juſtitiæ, & damnationem meritos, Deo poſſe opitulante ſalvari. Alioqui fruſtraneæ eſſent, & Deo indignæ hortationes peccatorum ad pœnitentiam, & ad quæcunque opera bona, quibus ſe ad juſtitiam diſponere, & Dei iram à ſe avertere conentur. Si verò damnata propoſitio ſubſiſteret, ſalus, juſtificatio, converſio, & quilibet pœnitentis actus redderetur peccatoribus impoſſibilis. Quo dogmate quid poteſt aptius excogitari, ad obdurandos impios, ad extinguendum in illis omne bonorum operum ſtudium, inducendam deſperationem, & impœnitentiam perpetuam. Tam horrifica conſectaria, non ſubtili argumentorum acumine elicita, ſed ſponte ex Queſnelli Articulo profluentia, omnibus quidem Catholicis execrabilia ſunt, & ipſum Authorem adigunt, ut ea ſibi diſplicere, & ſe minimè intenta declaret. Sed adducere eum hactenus non potuêre, ut à ſe ſcriptum articulum rejiceret, atque damnaret. Ad hoc magis opus eſt dexterâ Excelſi.

Ad alia loca ex ſacra authoritate petita, quæ Hexaplorum Author Catholicæ veritati opponit, pari facilitate, & datâ etiam operâ infra reſpondebitur, ubi ea vel his affinia ad ſimilium errorum patrocinium ab Adverſario allegantur.

Secunda Propoſitio damnata.

JESU Chriſti gratia, principium efficax boni cujuſcunque generis, neceſſaria eſt ad omne opus bonum: abſque illa non ſolùm nihil fit, ſed nec fieri poteſt. *Obſerv. Moral. Joan.* 15. *v.* 5.

CAPUT I.

Propoſitio adverſatur Scripturis Sacris.

1 Patet propoſitionis ſenſus, non ſolùm nihil boni fieri re ipſa, ſed nec fieri poſſe ſinè gratia obtinente effectum: nullum ſinè ea obſervari poſſe præceptum, ſaltèm quod affirmativum vocamus, & liberum voluntatis exercitium, atque actionem bonam requirit. Idem ſtatue de præceptis negativis, quoties tentationum ſtimuli, niſi elicito actu vitiis contrario, ſuperari nequeunt. Nunquam igitur juxta damnatum articulum eſt poteſtas boni operis ſinè gratiâ efficaci: neque hæc unquam eſt ſinè effectu, ut per ſe notum eſt. Atque ita quisquis omittit actus fidei, ſpei, charitatis, pœnitentiæ, religionis, miſericordiæ, juſtitiæ, & cætera virtutum opera, etiam dum præcipiuntur, elicere ea non potuit.

2 At quomodo Apoſtolus ad Rom. 1. v. 19. & ſequentibus dicit, gentiles *eſſe in excuſabiles*, in eo quòd Deum ex rebus conditis agnoſcentes, non ſicut Deum glorificaverint? Excuſatio illis juxta Queſnelli principium in promptu foret: defuit nobis *gratia efficax:* abſ-

abſque illa non ſolùm nihil boni facimus; ſed nec facere poſſumus.

3 Quâ ratione Apoſt. 1. ad Cor. 16. horrendum vibrat *anathema* in eum, *qui non amat Dominum noſtrum* Jesum *Chriſtum*, ſi deſtitutus gratiâ efficaci amare non potuit?

4 Qua æquitate Chriſtus Matth. 25. in judicio exprobrabit impiis, quòd opera miſericordiæ prætermiſerint, ſi quo ea præſtare poſſent, non habuerunt? Nemo rationis compos ab eo qui nihil habet, vel comparare ſibi poteſt, pœnas exiget non datæ eleemoſynæ: nemo cibum poſtulat ab eo quem ſcit fame emori; nemo veſtem à nudo, nemo viſitationem captivorum, vel infirmorum ab eo qui fractis cruribus nec movere ſe poteſt. Nemo verò, niſi injuſtiſſimus, ideo ſuprema illis ſupplicia inferat, quia impoſſibilia non fecerint. Quomodo igitur mittentur ideo in ignem æternum ab eo cujus natura bonitas eſt, & ſapientia? Meritò Ennodius Ticinenſis Epiſcop. l. 2. Epiſt. 19. ait: *Inter homines à recti diſcordat affectu qui à ſubjectis exigit, quod in poteſtate non tribuit. Hoc de Deo quâ conſcientiâ ſentiatur, attendite.*

5 Si vera eſſet damnata propoſitio, pleræque Scripturarum invitationes, & monitiones ad virtutem, præſertim pœnitentiam, ad perſeverantiam, & ſalutem, eſſent fallaces; reſtringi enim ad paucos deberent, quæ diriguntur ad univerſos. Infinitus nempe reproborum eſt numerus; exiguus verè pœnitentium, & ſalvandorum, ſi cum priore conferatur. Quotquot autem converſi non ſunt, nec ſalvati, converſionem, & ſalutem conſequi nequiverint, ſi damnatum dogma ſubſiſteret. Contra quod veriſſimè S. Thomas obſervat in epiſt. 1. ad Cor. cap. 1. lectione 1. *Non videretur eſſe fidelis Deus, ſi nos vocaret ad ſocietatem Filii, & nobis denegaret, quantum in ipſo eſt, ea, per quæ pervenire ad vitam poſſemus.*

6 Si Queſnellum audiviſſet Chriſtus, non dixiſſet, *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos*, Matth. 11. v. 28. Sed, venite ad me pauci, quibus gratia efficax obtigit; quia ſinè illa non ſolùm nullus ad me venit, ſed nec venire poteſt. Juxta eumdem errorem non potuiſſet Deus vocare tam multos ad cœnam magnam, & Filii nuptias; multò minùs debuiſſet irâ commoveri adversùs eos, qui ſe excuſaverant, ſi horum nullus venire potuerit. Rectiùs Auguſtinus lib. 83. qq. q. 68. ait: *Ad illam enim cœnam, quam Dominus dicit in Euangelio præparatam, nec omnes qui vocati ſunt venire voluerunt; neque, illi qui venerunt, venire poſſent, niſi vocarentur. Itaque nec illi debent ſibi tribuere qui venerunt, quia vocati venerunt: nec illi, qui noluerunt venire, debent alteri tribuere, ſed tantùm ſibi; quoniam ut venirent vocati, erat in libera voluntate.*

7 Cum Queſnelli opinione conciliari nullo modo poteſt illud 2. Petri 3. v. 9. *Nolens aliquos perire, ſed omnes ad pœnitentiam reverti.* Quomodo vult Deus omnes ad pœnitentiam reverti, ſi tam pauci reverti poſſunt, qui efficaci gratia donati ſunt? Idem cenſe de iſto Ezechielis 18. v. 23. & 21. v. 31. *Nunquid voluntatis meæ eſt mors impii, dicit Dominus, & non ut convertatur à viis ſuis, & vivat? Quare moriemini Domus Iſraël? Quia nolo mortem morientis dicit Dominus: revertimini, & vivite.* Reſpondebunt omnes æternæ morti deſtinati: quomodo noluiſti mortem noſtram? Quomodo voluiſti converſionem & vitam, qui non dediſti nobis nec præparaſti media neceſſaria, ſinè quibus æternum vivere vel ab impietate reverti nullus noſtrûm potuit?

8 In Queſnelli ſententia verum ſenſum non patitur illud Iſaiæ 65. v. 2. & Rom. 10. v. 21. *Expandi manus meas totâ die ad populum non credentem, & contradicentem.* Si enim ex iis qui non credunt, nè unus quidem ſit qui credere valeat, quis ſeriò Deum conqueri exiſtimet, negato ipſis omni ſufficiente auxilio?

9 Non magis ſeria, nec magis juſta eſſet querela Chriſti apud Matt. 23. v. 37. *Quoties volui congregare filios tuos quemadmodum gallina congregat pullos ſuos ſub alas, & noluiſti?* Quis enim intelligat, Chriſtum voluiſſe congregare eos, qui congregari non poterant, & quos nec juvare voluit ut venire ad ſe poſſent?

10 Expungenda quoque eſſet Dei exprobratio apud Iſaiam c. 5. v. 4. *Quid eſt quod ultra debui facere vineæ meæ, & non feci? An quod expectavi ut faceret uvas, & fecit labruſcas?* Facilis eſſet, & juſtiſſima vineæ reſponſio: O ſumme rerum omnium Conditor, qui, quid ſingularum valeant vires, perſpectiſſimum habes, quomodo à me uvas expectaſti, quam ſciebas nihil niſi labruſcas facere poſſe? Exprobras mihi culturam quaſi tanta fuerit, ut ad copioſam vindemiam abunde ſufficeret: ſed revera defuit cultura neceſſaria, ſinè qua nihil uvarum produci à me poſſe, ſapientia tua non ignorat. Ita ſe contra Deum defendens vinea, ſi vera eſſet propoſitio damnata, litem evinceret, atque ipſum Deum in ſui traheret patrocinium, teſte Cyrillo Alexandrino ad illud Iſaiæ 5. Quid est quod ultra &c. Ubi ſic Deum loquentem inducit. *Si rerum ad uſum, & utilitatem neceſſariarum, quidpiam à me, qui plantaveram, fortè*

fortè prætermiſſum fuerit, cauſæ nihil dicam, neque pœnas exigam. Cùm verò rebus tam utilibus plenam, nulliuſque rei indigam fecerim, & jam ſpinas tamen portat; Num igitur inertem, num deſidioſum agricolam dicet, an potiùs illos accuſabit, qui tantâ ſolicitudine curati à me adeò fertilitatem neglexerunt?

11 Haud difficilior eſſet apologia *quinque virginum*, quas Chriſtus immeritò vocaverit *fatuas*, ſi vaſis oleum defuit, non virginum negligentiâ, ſed neceſſitate, ſeu defectu poteſtatis. Quam hìc ſponſus culpam reperiat, cur virgines oſtium pulſantes repellat?

12 Apoc. 3. v. 20. *Ecce*, inquit, *Deus*, *ſto ad oſtium & pulſo. Si quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi, intrabo ad illum*. Quis prudens ſtabit ad oſtium ejus pulſans, quem ſcit aperire non poſſe? Nos verò contra damnati Articuli Authorem Catholicè credimus, plurimorum à Deo oſtium pulſari, qui ſufficiente auxilio præventi, aperire poſſent; ſed culpâ ſuâ negligunt, vel magis damnabili pervicaciâ nolunt.

13 Exprobratio act. 7. v. 51. *Vos ſemper Spiritui Sancto reſiſtitis* nihil habet ſani judicii, & æquitatis, ſi abſque efficaci auxilio nunquam, ut docet damnata propoſitio, obedire potuerint.

14 I. Joan. 2. v. 2. De Chriſto dicitur *Ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris; non pro noſtris autem tantùm, ſed etiam pro totius mundi*. I. Timoth. 4. v. 10. *Qui eſt ſalvator omnium hominum, maximè fidelium*. Omnes, ſi Queſnellum audierint, reclamabunt infideles: nobis Salvator ille non eſt, qui nihil nobis promeruit, quo ex infidelitate emergere poſſemus. His voces ſuas, & querelas jungent omnes indurati peccatores: Nobis, inquient, nihil gratiæ conceſſum eſt, nihil unquam ſeriò oblatum, quo obdurationem vel depellere poſſemus, vel evitare. Inſurgent cum eis omnes reprobi dicentes: Quomodo Chriſtus fuit propitiatio pro peccatis noſtris, qui nihil nobis unquam impertiit, vel præparavit, quo liberationem à peccatis conſequi ullus noſtrûm valuerit, prout oportuit ad ſalutem? Quapropter ſi de cœleſti beatitudine, & æterna ſalute ſermo eſt, nullo ſano ſenſu Chriſtus dici potuit ullius noſtrûm ſalvator; ſed ſolummodo electorum. Hæc neceſſaria eſt Queſnelliani Articuli ſequela minimè Catholica.

15 Fruſtrà ſibi damnata propoſitio patrocinium quærit ex illo Chriſti Luc. 16. v. 3. *Sine me nihil poteſtis facere*: ut enim veriſſimum eſt, nihil boni ſalutiferi, de quo illic agitur, fieri poſſe ſinè Chriſti gratiâ; ſic à veritate alienum eſt, nihil boni naturalis, & honeſti fieri ſinè gratiâ poſſe. Hæreſeos autem cenſuram propoſitio ſinè dubio mereretur, dum negat abſque efficaci gratiæ auxilio conſiſtere veram exercendi boni operis libertatem, ut nullus opus præceptum, quod omiſit, præſtare valuerit. Igitur ſinè gratiæ Chriſti ſubſidio nihil ad ſalutem proximè, vel remotè conducens facere poſſumus; poſſumus tamen abſque auxilio efficaci, modo ſufficiens adfuerit, ut contra Janſeniſtas tenet Eccleſia, & iterum contra Queſnellum Sedes Apoſtolica definivit.

CAPUT II.

Eadem Propoſitio contraria eſt traditioni Patrum.

1 QUærit Clemens Rom. vel quiſquis eſt Author lib. 3. Recogn. *Dic quomodo Deus judicat ſecundùm veritatem unumquemque pro actibus ſuis, ſi aliquid agere in poteſtate non habet? Judices fruſtrà legibus præſunt, & puniunt eos qui malè agunt; non enim in ſua poteſtate habuerunt.* Juxta Queſnellum omnes, quibus defuit gratia efficax ad perficiendum opus præceptum, atque adeò omnes qui omiſſione operis præcepti peccaverunt, rectè puniuntur, etſi per ſecundam propoſitionem damnatam in ſuâ poteſtate non habuerunt, ut opus impoſitum faciendo non peccarent.

2 Juſtinus Apologiâ ad Imperatorem Antoninum: *Niſi libero arbitrio genus humanum, & res turpes fugere poteſt, & pulchras, ac bonas ſequi, extra cauſam culpamque eſt eorum, quæ modò aguntur*. Juxta Queſnellum genus humanum, quotieſcunque deſtituitur gratiâ efficaci, ſive quotieſcunque res pulchras, ac bonas non ſequitur, eas ſequi non potuit, nec tamen extra culpam eſt.

3 Irenæus l. 4. adversùs hæreſes Capiti 71. hunc titulum præfigit: *Oſtenſio, quod homo liber ſit, & ſuæ poteſtatis, ad hoc quòd poſſit eligere bona, vel contraria*. Queſnellus ait, omnem hominem qui malè agit, bona eligere non potuiſſe.

4 Idem Sanctus Pater Caput ſic concludit: *Hi autem, qui illud* (bonum) *non operantur, judicium juſtum recipient Dei, quoniam non operati ſunt bonum, cùm poſſent operari illud*. Queſnellus docet, hos qui bonum non operantur, judicium juſtum recepturos Dei, etſi quod operati non ſunt, operari non potuerint.

5 Iterum Irenæus cap. 72. *Sed quoniam omnes ejuſdem ſunt naturæ, & potentes retinere, & operari bonum, & potentes rurſum omittere, id eſt non facere, juſtè laudantur, & dignum recipiunt teſtimonium electionis bonæ, & perſeverantiæ: alii verò accuſantur, & dignum perci-*

*percipiant damnum;eo quòd juſtum,& bonum reprobaverint.*Queſnellus illos pronuntiat accuſari juſtè, & dignum percipere damnum, qui bonum nec retinere, nec operari potuerint.

6 S. Cyprianus lib. 3. ad Quirinum Capitis 1. num. 52. hunc titulum dat. *Credendi, vel non credendi libertatem in arbitrio poſitam in Deuteron. Ecce dedi ante faciem tuam vitam, & mortem: bonum, & malum: elige vitam tibi, ut vivas.* Quam credendi libertatem in arbitrio poſitam, non ad ſolos riſtringi fideles; ſicut nec facultatem eligendi vitam ſolis competere juſtis, & prædeſtinatis, apud omnes Theologos in confeſſo eſt. At, ſi Queſnellum audiverimus, ſolis credentibus convenit prima: ſolis juſtis, & prædeſtinatis altera: utpote qui ſoli credendi, & vitam eligendi, habent gratiam efficacem, ſinè qua cæteri non ſolùm non credunt, nec vitam eligunt; ſed nec credere poſſunt, aut eligere.

7 Idem Sanctus Sermone de Nativitate: *In alterutrum poteſt libertas arbitrii flectere.* Liberatem hanc in peccantibus non agnoſcit Queſnellus, quos ad malum ſolummodo, non verò ad bonum ſe flectere potuiſſe exiſtimat.

8 Methodius Sermone de reſurrect. *In nobis ſitum eſt credere, & non credere: in nobis rectè facere, & malè facere.* Queſnellus in ſolis fidelibus, & quidem tunc ſolummodo dum actu credunt, agnoſcit credendi poteſtatem; uti & poteſtatem benè faciendi in iis ſolis qui bene faciunt, nec aliàs, quàm dum bene faciunt.

9 Lactantius lib. 4. divin. inſtit. cap. 24. *Qui dat præcepta vivendi; amputare debet excuſationum vias, ut premium ſic conſtitutum parentibus; quia poterant non parère ſi vellent, & non parentibus pœna; quia poterant parère, ſi vellent.* Queſnellus excuſationibus vias latiſſimas aperit, ſtatuens *non parentibus pœnam*; etſi parère non poterant.

10 Athanaſius Homilia de ſemente: *In te ſitum eſt, veliſne te ipſum lolium fieri, & pabulum brutorum animalium, an potiùs in frumentum mutari.* Quod omni homini Athanaſius proponit, Queſnellus ad ſolos reſtringit efficaci gratiâ donatos, quòd poſſint in frumentum mutari, cæteris omnibus poteſtatem adimit impediendi, nè lolium fiant, & pabulum brutorum.

11 Rurſus Athanaſius contra Idola: *Anima libera eſt, & ſui arbitrii; poteſt enim ut ad bona ſe inclinare, ita bona quoque averſari.... quæ enim liberum ſui jus, arbitriumque intuetur, ſentit ſe in utramque partem corporeis membris uti poſſe, tum ad ea quæ ſunt, tum ad ea quæ non ſunt. Ea verò, quæ ſunt, bona appello; ea quæ non ſunt, mala.* Juxta Athanaſium id poteſt quæcunque anima libera; juxta Queſnellum nulla anima poſt Adæ peccatum *inclinare ſe poteſt ad bona*; ſed inclinari debet à gratiâ efficaci, quæ nullis niſi bona agentibus obtingit. Juxta Athanaſium etiam qui *bona averſatur, poteſt ſe ad ea* pro ſua *libertate*, pro ſuo *arbitrio inclinare*: Queſnellus negat.

12 Ephrem Syrus ſerm. de vitâ relig. *Voluntas cùm libera ſit, ac ſui juris, tanquam agricola quidem eſt, naturæ noſtræ conſuetudines pravas inſerens, & bonas, ſicut ipſa voluerit.*

13 S. Baſilius in oratione QUÒD DEUS NON SIT AUTHOR MALORUM: *Anima*, inquit, *ſoluta omni neceſſitate, & vitam in ſua poteſtate conſtitutam ex Deo accipiens, poteſtatem habet, & facultatem in boni contemplatione, & ſpiritualium fruitione manendi; habet autem & à bono deflectendi facultatem.* Fallit illimitata S. Baſilii enuntiatio, ſi ſolummodo præſente gratia efficaci adſit poteſtas, ſeu facultas in boni fruitione manendi.

14 S. Epiphanius in Hæreſi phariſ. quæ eſt 16. *Propterea quod poſſit peccare, & non peccare, ab aliis peccatorum ſupplicia ſumantur; alius verò laudem referat rectè factorum.* Queſnellus vult ſupplicia ſumi ab iis, qui non poterant non peccare, omittentes ſcilicet bona opera præcepta, quæ ſinè gratia efficaci exercere non poterant.

15 S. Gregorius Nyſſenus lib. 7. de philoſophia cap. 2. *Concupiſcere & non concupiſcere, mentiri & non mentiri, & quæcunque talia, in quibus conſiſtunt virtutis, & vitii opera, hæc ſunt noſtro libera arbitrio.* Quomodo virtutis, & vitii opera ſunt in noſtra poteſtate, ſi nemo qui bonum opus omittit, illud facere potuerit?

16 S. Hieronymus lib. 2. contra Jovinianum cap. 2. *Liberi arbitrii nos condidit Deus, nec ad virtutes, nec ad vitia neceſſitate trahimur: alioquin ubi neceſſitas eſt, nec damnatio, nec corona eſt.* Juxta Queſnellum damnatio eſt, ubi non eſt peccati vitandi poteſtas, adeòque ubi eſt vera peccandi neceſſitas; in omnibus ſcilicet præceptum virtutis opus prætermittentibus; utpote quibus gratia efficax defuit, ſinè quâ non ſolùm nihil fit, ſed nec fieri poteſt.

17 S. Chryſoſtomus hom. 22. in Gen. 5. *Nonne manifeſtum eſt, ſuâ quemvis voluntate, vel virtutem, vel malitiam eligere? Nam niſi ita eſſet, & ſi natura noſtræ pravitas inſita eſſet, neque illos puniri, neque iſtos virtutum retributiones accipere oporteret.* Juxta Queſnellum quiſquis virtutem non eligit, eam eligere non potuit; & tamen ob electionis omiſſionem punietur.

18 Idem Sanctus Hom. 2. de Lazaro: *Perſpicuum*

Digitized by Google

ſpicuum eſt quod in nobis ſitum eſt, ut vel obtemperemus, vel non obtemperemus Diaboli inſidiis: neque ullam neceſſitatem patimur ab illo. Juxta Queſnellum quotieſcunque diabolo bona opera diſſuadenti obtemperamus, non fuit in poteſtate noſtra inſidiis ejus reſiſtere, vel ſuaſionibus diſſentire. Unde in Queſnelli principio patimur inſuperabilem omittendi boni operis, etiam præcepti, neceſſitatem.

19 Rurſus idem Sanctus Hom. 19. in Gen. ait: *Peccatori nullas admonitiones prodeſſe; non quia non poteſt, ſed quia non vult.* Queſnellus docet, cuicunque peccatori ad converſionem admonitiones non proſunt, prodeſſe non potuiſſe; quia ſinè gratia efficaci non ſolùm nihil boni facimus, ſed nec facere poſſumus.

20 S. Auguſtinus lib. de ſpiritu & litt. cap. 34. *Conſentire vocationi Dei, vel ab ea diſſentire propriæ voluntatis eſt.* Adeóque quiſquis diſſentit, poterat conſentire. Juxta Queſnellum autem ex omnibus, qui diſſentiunt vocationi Dei, nè unus quidem conſentire potuit, quia defuit illi gratia efficax, ſinè quâ non ſolùm nihil fit, ſed nec fieri poteſt.

21 Idem Sanctus lib. 2. de Geſtis cum Felice Manich. cap. 4. *Habet unuſquiſque in voluntate, aut eligere quæ bona ſunt, & eſſe arbor bona; aut eligere quæ mala ſunt, & eſſe arbor mala... hoc ergo Dominus dicens aut facite illud, oſtendit eſſe in poteſtate quod facerent, & quia ſi bonum eligerent, præmium illius acciperent, ſi malum eligerent, pœnam illius ſentirent.* Si Queſnellum audimus, nullus, qui eſt arbor mala, efficere potuit, ut eſſet arbor bona: omnes, qui prætermiſſione operis præcepti peccarunt; etſi bonum eligere non potuerint, nec malum fugere; tamen pœnam illius ſentiunt.

22 Idem Sanctus lib. 50. homiliar. hom. 16. *In tuo arbitrio Deus poſuit, cui pares locum, Deo, an diabolo.* Quod Auguſtini dictum, ut patet, non ad eos tantùm qui Deo locum parant; ſed etiam ad alios dirigitur: juxta Queſnellum autem ex omnibus, qui poſt lapſum Adami locum paraverunt diabolo, nè unus quidem fuit, qui Deo locum parare potuerit, nè unus quidem, in cujus hoc Deus poſuerit arbitrio.

23 Idem lib. 3. de Lib. arb. cap. 18. *Quis peccet in eo, quod nullo modo caveri poteſt? Peccatur autem; caveri igitur poteſt.* Juxta Queſnellum quiſquis præcepti operis omiſſione peccat, cavere peccatum illud non potuit, nec tamen à culpa liberatur, aut pœna.

24 In Queſnelli ſententiam Auguſtinus hanc cenſuram evibrat, libro de Fide contra Manichæos cap. 9. *Quis enim non clamet, ſtultum eſſe præcepta dare ei, cui liberum non eſt quod præcipitur, facere: & iniquum eſſe, eum damnare, cui non fuit poteſtas juſſa complere?* Damnat Queſnellus omnes præcepta opera non implentes; etſi nulli eorum fuerit implendi poteſtas.

25 Rurſus idem Sanctus lib. de Duabus animabus cap. 11. docet *Neminem vituperatione, ſuppliciove dignum, qui id velit, quod juſtitia velle non prohibet,* AUT ID NON FACIAT, QUOD FACERE NON POTEST. *Nonne iſta cantant & in montibus paſtores, & in theatris poëtæ, & indocti in circulis, & docti in bibliothecis, & magiſtri in ſcholis, & Antiſtites in locis ſacris, & in orbe terrarum genus humanum?* At Queſnellus non ſolo Auguſtino; ſed & toto genere humano ſapientior, docet omnes oppoſitum; videlicet ut deinceps cantent, & in montibus Paſtores, & in theatris Poëtæ, & indocti in circulis, & docti in bibliothecis, & Magiſtri in ſcholis, & Antiſtites in locis ſacris, & in orbe terrarum genus humanum, omnes vituperatione, & ſupplicio dignos eſſe, qui opus præceptum non faciunt, quod facere non potuerint.

26 S. Paulinus Epiſt. 8. ad Severum *Quæ ergo miſero mihi ſuppetit venia peccati? Agnovi bonum, & feci malum, cùm æquè mihi liberum eſſet bonum facere.* Falleris Pauline, ſi Queſnello fides eſt: nunquam feciſti malum quando potuiſti bonum facere: nec unquam bonum facere potuiſti, quando feciſti malum; utpote deſtitutus gratia efficaci, ſinè qua non ſolùm nihil boni fit, ſed nec fieri poteſt.

27 Cyrillus Alexandrinus lib. 4. in Joannem cap. 3. *Liberum homo animal eſt, & poteſt, ſive dextrum virtutis, ſive ſiniſtrum vitii velit, iter eligere.* Quænam eligendæ virtutis libertas in eo, qui gratiâ caret efficaci, ſi abſque ea nihil boni, ut Queſnellus aſſerit, fieri poteſt?

28 Idem Cyrillus lib. 9. cap. 10. *Rationali creaturæ liberam poteſtatem Creator largitus eſt, & ſua voluntatis habenas unicuique commiſit, ut in eo ſit, quidquid probaverit, eligere;* Quam poteſtatem liberam ad bonum conceſſit Deus omnibus, quibus negat gratiam efficacem, ſi abſque illa non ſolùm nihil fit, ſed nec fieri poteſt?

29 Author libri 2. de Vocatione gentium cap. 12. *Certiſſimè noverimus, nullum fidelium à Deo non diſcedentem relinqui, neque cujuſque ruinam ex divina eſſe conſtitutione diſpoſitam.* Ex damnatâ verò propoſitione ſequeretur, omnes, etiam fideles, dum opus præceptum non implent, magis propriè à Deo relictos dici, quàm ab eo diſceſſiſſe; quia in bono perſeverare non poterant, deſtituti gratiâ efficaci

caci, ſinè quâ nihil operis præcepti vel boni *ſieri poteſt*.

30 Ennodius Ticinenſis epiſtolâ ad Conſtantium: *Inventus eſt, qui arbitretur, in unâ tantùm parte, quæ deterior eſt, eligendi datam eſſe licentiam. O ſchiſmaticam propoſitionem! quæ juxta Apocalypſim, ſcriptas habet in fronte blaſphemias! quæ iſta libertas eſt, ubi hoc ſolum datur velle, quod puniat? Aut quare electionem nominet, ubi unam tantùm partem aſſerit eſſe conceſſam?*

31 Si vera eſt damnata propoſitio, quotiescunque abeſt gratia efficax, in unâ tantùm parte, quæ deterior eſt, eligendi datur licentia: hoc ſolum datur velle, quòd Deus puniat. Imo electio propriè non eſt, *ubi unam tantùm partem aſſerit eſſe conceſſum*. Quapropter meritò dicitur iſtiuſmodi doctrina *ſcriptas habere in fronte blaſphemias*, cùm Deo affingat in imperando ſtultitiam; injuſtitiam verò, ac tyrannidem in puniendo.

32 Gregorius Magnus lib. 33. Moralium cap. 20. *Ideo nequaquam cæleſtis patriæ præmia æterna percipiunt, quia ea dum promereri poterant, ex libero arbitrio contempſerunt*. Juxta propoſitionem damnatam, ex omnibus, qui æterna præmia contempſerunt, nullus ea promereri potuit, utpote gratiâ deſtitutus efficaci, ſinè qua nihil fieri poteſt.

33 Damaſcenus lib. 2. de Fide cap. 27. *Poteſtatem habet* (peccator) *refrænare appetitum, & ipſum ſequi.... merâ arbitrii poteſtate malitiæ inventor effectus*. Juxta Queſnellum nullus, qui mali appetitum ſequitur, frænare eum potuit; unde merâ neceſſitate, & non *merâ arbitrii poteſtate malitiæ inventor effectus eſt*.

34 Idem Sanctus Dial. contra Manichæos. *Quod in poteſtate noſtra ſitum eſt, nempe ut data bona conſervemus, vel facimus, vel negligimus*. Juxta Queſnellum nullus ex iis, qui data bona negligunt, ea conſervare in poteſtate habuit; quia nullus, præſente gratiâ efficaci, bona negligit; eâ abſente, nullus bona facere poteſt, aut ea, bene operando, conſervare.

35 S. Anſelmus lib. de Concordia præſcientiæ, & prædeſtinationis cap. 1. agens de caſu neceſſitatis, ubi aut vita, aut rectitudo relinquenda eſt, ait: *Licèt enim neceſſe ſit aut vitam, aut rectitudinem relinquere; nulla tamen neceſſitas determinat, quam ſervet, aut deſerat: nempe ſola voluntas determinat ibi quod tenrat, nec aliquid facit jus neceſſitatis, ubi operatur ſola electio voluntatis. At ubi non eſt deſerendi rectitudinem voluntatis, quam habet, neceſſitas, palàm eſt, quia non deeſt ſervandi poteſtas, ſive libertas. Semper enim hæc poteſtas libera eſt*; etſi non ſemper adſit gratia efficax. Si autem juxta Anſelmum ſemper ſit poteſtas ſervandi rectitudinem voluntatis, etiam cum vitæ jacturâ, quod ſinè bono voluntatis actu tentationi contrario fieri non poteſt, multò magis manebit ſinè efficaci gratiâ poteſtas ad alios virtutis actus minùs arduos. Prætereo Theophylactum, in Joan. cap. 13. Oecumenium in 1. Timoth. 2. Eutymium in Joan. 6. Bernardum de gratia, & libero arbitrio.

36 Omittere non poſſum illuſtrem locum S. Odonis Abbatis Cluniacenſis, qui floruit ſæculo 10. Is lib. 2. coll. num. 13. ait: *Naturæ fragilitatem opponimus Deo, quaſi neſciat ille, quales nos fecit, & oblitus noſtræ humanæ fragilitatis impoſuerit homini mandata, quæ ferre non poſſit. O cæcam veſaniam! O profanam temeritatem! dupliciter quippe Deum videmur incuſare: neque enim juſtus, qui poſſe dedit, impoſſibile aliquid imperare poteſt: neque qui pius eſt, hominem condemnare pro iis, quæ vitare non poteſt. Et quomodo ſtaret, quod ipſe perhibet, jugum meum ſuave eſt? Hanc itaque nec juſto iniquitatem, nec pio crudelitatem adſcribamus*. Adſcribit tamen Queſnellus docens, quòd ſinè gratiâ efficaci, quæ omnibus peccantibus denegata eſt, non poſſit opus bonum, etiam præceptum exerceri; & tamen pro ejus omiſſione condemnentur, atque ita damnentur pro peccatis, quæ vitare non potuerunt.

CAPUT III.

Eadem Propoſitio damnata adverſatur Definitionibus Conciliorum.

1 SI tantùm aſſeruiſſet Queſnellus, ſinè Chriſti gratiâ nullum opus ſalutiferum fieri poſſe, conſentientes ſibi habuiſſet omnes Catholicos cum Arauſic. Concilio Can. 7. „ Si quis per naturæ vigorem
„ bonum aliquod, quòd ad ſalutem perti-
„ net vitæ æternæ cogitare, ut expedit, aut
„ eligere, ſive ſalutari, ideſt, Euangelicæ
„ prædicationi conſentire poſſe confirmat,
„ abſque illuminatione, & inſpiratione Spi-
„ ritûs Sancti, qui dat omnibus ſuavitatem in
„ conſentiendo, & credendo veritati, hære-
„ tico fallitur ſpiritu, non intelligens vocem
„ Dei in Euangelio, dicentis: Sinè me nihil
„ poteſtis facere „. Et Can. 9. „ Divini eſt
„ muneris, cum & rectè cogitamus, & pedes
„ noſtros à falſitate, & injuſtitiâ continemus;
„ quoties enim bona agimus, Deus in nobis,
„ atque nobiſcum, ut operemur, operatur.

2 Verùm, dum novus Theologus non ſolùm ad actionem, ſed etiam ad agendi poteſtatem requirit auxilium gratiæ, non qualecunque; ſed efficax, ſeu quod effectu ſuo non deſtituitur, excedit doctrinæ Eccleſiaſticæ limites,

Digitized by Google

mites, & Sacris Conciliis, etiam Arauſicano adverſatur. Sic enim illud can. 25. docet. *Hoc etiam ſecundùm Fidem Catholicam credimus, quòd acceptâ per Baptiſmum gratiâ, omnes baptizati, Chriſto auxiliante, & cooperante, quæ ad ſalutem pertinent, poſſint & debeant, ſi fideliter laborare voluerint, adimplère.* Non omnes tamen, etiam baptizati, & juſti, occurrente præcepto, & boni operis exercendi debito, gratiam ſemper habent efficacem, ut Catholicis contra Calviniſtas compertum eſt. Igitur abſente efficaci auxilio aliud non deeſt, quod veram conferat præcepti operis facultatem.

3 Concilium Valentinianum III. ſub Lothario anno 855. aſſerit *nec ipſos malos ideo perire, quia boni eſſe non potuerunt; ſed quia boni eſſe noluerunt, ſuoque vitio in maſſa damnationis, vel merito originali, vel etiam actuali permanſerunt.* Juxta Queſnellum nulli adultorum potuerunt eſſe boni, ex iis qui mali ſunt; nulli ſalvari ex iis, qui pereunt. In Queſnelli itaque ſententiâ, refragante Concilio, dicetur, malos ideo perire, quia boni eſſe non potuerunt.

4 Concilium Lateranenſe ſub Innocentio III. Cap. FIRMITER *ſi poſt ſuſceptionem Baptiſmi quiſpiam relapſus fuerit in peccatum, per veram pœnitentiam ſemper poteſt reparari.* Dogmatica Concilii propoſitio neminem excipiens ad omnes pertinet poſt Baptiſmum lapſos. Non igitur ſoli habentes gratiam efficacem, ſed omnes, etiam ii, qui non convertuntur, poſſunt veram pœnitentiam agere, converti, & amiſſam Filiorum Dei adoptionem recuperare, ſufficiente præſtito, vel oblato ſubſidio.

5 Tridentinum ſeſſ. 6. de juſtific. cap. 11. *Deus impoſſibilia non jubet, ſed jubendo monet, & facere quod poſſis, & petere quod non poſſis, & adjuvat ut poſſis.* Ibidem: *Nemo temerariâ illâ, & à Patribus ſub anathemate prohibitâ voce uti debet, Dei præcepta homini juſtificato ad obſervandum eſſe impoſſibilia.* Eſſent autem impoſſibilia omnibus juſtificatis, qui gratiâ efficaci carent, ſi ſinè hac nihil boni fieri poſſet, etiam dum imperatur.

6 Contra hunc errorem quoque eſt, quod in eodem Tridentino Decreto ſequitur: *Qui autem diligunt, ut ipſemet teſtatur, ſervant ſermones ejus, quod utique cum Divino auxilio præſtare poſſunt.... Quo ſit, ut juſti ipſi eo magis ſe obligatos ad ambulandum in via juſtitiæ ſentire debeant, quo liberati jam à peccato, ſervi autem facti Deo, ſobriè, juſtè, & piè viventes proficere poſſint per Chriſtum* JESUM, *per quem acceſſum habuerant in gratiam iſtam. Deus namque ſuâ gratiâ ſemel juſtificatos non deſerit, niſi ab eis priùs deſeratur.*

7 In quem locum Andreas Vega, qui Tridentino interfuit, lib. 11. cap. 11. ait, *Patres non ſimpliciter, & abſolutè dixerunt, juſtos poſſe ſervare mandata; ſed adjecerunt hoc temperamentum:* CUM AUXILIO DIVINO. *Et ut ſciremus, hoc auxilium tam patens, quàm neceſſarium nulli deeſſe juſtorum, mox ſubjecta ſunt illa verba totius ſuavitatis plena: Deus namque ſuâ gratiâ ſemel juſtificatos non deſerit, niſi ab eis priùs deſeratur.*

8 Cardinalis Bellarminus lib. 1. de gratiâ, & lib. arbit. cap. 11. *Concilium Tridentinum hoc loco apertiſſimè docet, Deum non deſerere, quia non denegat auxilium.*

9 Idem teſtatur Joannes Wiggers doctor Lovanienſis in 1. 2. q. 109. art. 10. Et prædeterminationis phyſicæ defenſor Franciſcus Zumel diſp. 4. de auxilio efficaci, & ſuffic. ſect. 1. *Dices, Deum non dici deſerere, quando non dat auxilium piè vivendi; ſed quando avertitur ab amicitiâ alicujus; & hoc modo non deſerere, niſi priùs deſeratur &c. Sed contra hoc eſt Concilium Tridentinum, apertiſſimè docens, Deum non deſerere, quia non denegat auxilium;* nam dicit eos, qui piè vivunt, poſſe in bono proficere, quia Deus non deſerit, niſi deſeratur. Seſſ. 6. cap. 11. meritò Zumelius cum Wiggero, & Bellarmino id ait à Tridentino *apertiſſimè doceri*; neque video qua ratione veriſimili negari poſſit. Videamus in exemplo: Pater dilecto filio promittit hereditatem, ſeque eum *non deſerturum, niſi ab eo priùs deſeratur.* Aſt, inquit, *Serva ſermones meos.* An cuiquam ſapienti incidere poteſt, patrem iſtum filio imperaturum ut volet per aëra, & quia volare non poteſt, erepturum ei hereditatem? Conquerenti dein filio, quòd pater promiſſis non ſteterit, poſſètne parens reſpondere, filium non volando rebellem fuiſſe; hac rebellione privationem hereditatis promeritum; receſſiſſe eum priùs à patre, quàm ab eo deſertum; ideo cætera quoque rebellium incurriſſe ſupplicia? An filius vitio ſuo deſerit patrem, & non pater priùs deſerit filium, ſi mandet impoſſibilia, nullo præſtito vel oblato auxilio, quo poſſibilia fiant?

CAPUT IV.

Eadem Propoſitio damnata repugnat Definitionibus Summorum Pontificum.

1 BOnifacius VIII. de reg. juris in 6. reg. 6. ſic definit: *Nemo poteſt ad impoſſibile obligari.* Idem ponitur in Decretis diſt. 4. obligarentur autem omnes ad actus virtutum impoſſibiles, qui actus illos, ur-

Digitized by Google

urgente præcepto, non elicerent, utpote deſtituti gratiâ efficaci, ſinè quâ juxta ſecundam Queſnelli propoſitionem nihil boni fieri poteſt, ſive omne bonum impoſſibile eſt.

2 Prima inter quinque Janſenianas propoſitio, *Temeraria, impia, blaſphema, anathemate damnata, & hæretica*, judicio Innocentii X. Alexandri VII. & aliorum Pontificum, præcipuè Clementis XI. eſt hæc: *Aliqua Dei præcepta hominibus juſtis, volentibus, & conantibus ſecundùm præſentes, quas habent vires, ſunt impoſſibilia, deeſt quoque illis gratia, quâ poſſibilia fiant*. Ubi de inefficaciter volentibus, & conantibus Janſenio ſermonem eſſe, conſtat ex ipſo libro 3. de gratiâ Chriſti cap. 13. unde propoſitio excerpta eſt, ubi de juſtis illis paulò poſt verba propoſitionis damnatæ dicit: *Cujus* (concupiſcentiæ) *reniſu fit, ut vires voluntatis diſtrahantur, atque ita homo non plenè velit, non integre velit, non totâ voluntate velit*.

3 Et ſatis certum apud omnes eſt, volitionem, atque conatum efficacem eſſe ipſam præcepti obſervationem, vel ab ea inſeparabilem. Hoc ſuppoſito, Queſnelli propoſitio continet ſenſum totius primæ Janſenianæ. Nam juxta Queſnellum, quandocunque juſtus deſtituitur gratiâ efficaci, etſi velit, & conetur, ſecundùm præſentes quas habet vires, præcepta Dei ſervare non poteſt, ſive præcepta Dei ſunt ipſi ſervatu impoſſibilia: deeſt quoque gratia, quâ poſſibilia fiant. Secunda Janſenii propoſitio hæretica eſt: *Gratiæ interiori in ſtatu naturæ lapſæ nunquam reſiſtitur*, nempe reſiſtentiâ efficaci, de qua ſola ibi ſermo eſt; omnis ſcilicet gratia in ſtatu naturæ lapſæ juxta Janſenium ſemper obtinet effectum, cujus in illis circumſtantiis capax eſt. Ita docet lib. 1. de gratia Salvat. cap. 1. *Nullum adjutorium ſufficiens datur poſt lapſum, quin ſimul efficax ſit*. cap. 25. *Nulla omnino gratia Chriſti ſuo effectu caret, ſed omnis efficit, ut voluntas velit, & aliquid operetur*: Hoc ſenſu cap. 24. dicit: *Gratiam Dei Auguſtinus ita victricem ſtatuit, ut non rarò dicat, hominem operanti Deo per gratiam non poſſe reſiſtere*. In quibus etſi Janſenius graviſſimè erraverit, gratiæ tamen efficaci nunquam reſiſti evidens eſt. Unde quisquis in hoc ſtatu omnem gratiam credit efficacem, terminis omninò æquivalentibus aſſerit, *gratiæ interiori in ſtatu naturæ lapſæ nunquam reſiſti*; uti advertunt omnes, qui Janſenii erroribus ab initio in hunc uſque diem bellum indixêre; inter quos Cardinalis de Aguirre in defenſione Cathedræ S. Petri diſput. 21. ſect. 2. ex citatis Janſenii verbis ſic concludit: *Itaque manifeſtum eſt ex mente Janſenii, interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ nunquam reſiſti*, tùm *aſſerat, in hoc ſtatu omne adjutorium ſufficiens eſſe efficax*. Atqui juxta propoſitionem Queſnelli ſinè gratia efficaci in hoc ſtatu nihil poſſumus, adeôque nulla gratia eſt ſufficiens, quæ non eſt efficax; imò nulla gratia inefficax datur; quorſum enim detur auxilium inutile, quòd nihil valeat, & ſolum inane auxilii nomen ſortiatur? Atque ita præſens Queſnelli propoſitio complectitur ſenſum hujus ſecundæ Janſenianæ, *Gratiæ interiori in ſtatu naturæ lapſæ nunquam reſiſtitur*.

4 Continet etiam hujus tertiæ pariter hæreticæ: *Ad merendum, & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ non requiritur libertas à neceſſitate, ſed ſufficit libertas à coactione*. Si enim ſinè gratia efficaci nihil poſſumus boni facere, nullam tentationem ſuperare, quoties gratia efficax deeſt; neceſſariò tunc ſemper omittimus bonum, etiam præceptum, & neceſſariò tentationi ſuccumbimus. Atqui omittendo bonum præceptum peccamus, & demeremur, uti & tentationi ſuccumbendo. Igitur juxta Queſnellum ad demerendum in hoc ſtatu non requiritur libertas à neceſſitate; ſed ſufficit libertas à coactione. Quæ autem demeriti, eadem & meriti eſt ratio.

5 Quinta Janſenii propoſitio ſic habet: *Semipelagianum eſt dicere, Chriſtum pro omnibus omnino hominibus mortuum eſſe, aut ſanguinem fudiſſe*. Quam hâc cenſurâ perſtrinxêre Pontifices. *Falſam, temerariam, ſcandaloſam, & intellectam eo ſenſu, ut Chriſtus pro ſalute dumtaxat prædeſtinatorum mortuus ſit; impiam, blaſphemam, contumelioſam, Divinæ pietati derogantem, & hæreticam declaramus, & uti talem damnamus*.

6 Si autem ſinè gratiâ efficaci nihil boni facere poſſumus, ut docet Queſnelli propoſitio, clarum eſt nullum adultum ſinè gratiâ efficaci poſſe ſalutem conſequi, aut mereri, nec minùs evidens eſt, nullum, præter prædeſtinatos, habuiſſe gratiam efficacem ad conſequendam ſalutem; ſoli igitur prædeſtinati juxta eundem potuêre ſalutem conſequi: ergo ſalutem ſolorum prædeſtinatorum Chriſtus ſuâ morte promeritus eſt, ſolorum prædeſtinatorum ſalutem ſeriò voluit, pro ſolorum prædeſtinatorum ſalute Patrem oravit: iis ſolis auxilia ſufficientia, quibus perſeverare in juſtitiâ, & ſalvari poſſent, largitus eſt, aliis nec obtulit, nec præparavit.

7 Veniamus ad propoſitiones ab Alexandro VIII. damnatas. Inter 31. prima eſt: *In ſtatu naturæ lapſæ, ad peccatum formale, & demeritum ſufficit illa libertas, quâ voluntarium, ac liberum fuit in causâ ſuâ peccato originali, & voluntate Adami peccantis*. Si ſinè gratiâ efficaci

Digitized by Google

caci præcepta ſervari nequeant, aut peccata vitari, qui gratiâ illâ carent, peccant neceſſariò, & tamen demerentur juxta Queſnellum. Igitur in ejuſdem ſententia ad peccatum formale, & demeritum ſufficere debet libertas in Adamo, cùm ea, quæ perſonalis dicitur, prorsùs nulla ſit.

8 Secunda propoſitio ab Alexandro VIII. proſcripta. *Tametſi detur ignorantia invincibilis juris naturæ, hæc in ſtatu naturæ lapſæ operantem ex ipſa non excuſat à peccato formali.* Si non excuſat impotentia indeclinabilis, neque neceſſitas invincibilis, qualis apud Queſnellum eſt in deſtitutis gratiâ efficaci, non eſt unde excuſet invincibilis ignorantia; ſi enim excuſaret, eſſet quia peccatum ex tali ignorantia non eſſet liberum, atqui nec liberum eſt peccatum ſinè gratiâ efficaci juxta Queſnelli principium, & tamen non deſinit eſſe peccatum formale, & demeritum.

9 Tertia propoſitio inter 31. damnatas: *Non licet ſequi opinionem, vel inter probabiles probabiliſſimam.* Si neque impotentia, neque neceſſitas operantem à culpa eximat, non eſt cur eximat probabilitas, etiam maxima. Ratio enim ob quam ſumma probabilitas dicatur reddere actionem licitam, eſt quòd certitudo paſſim in moralibus haberi nequeat: unde ſi non liceret ſequi opinionem probabiliſſimam, imponeretur jugum humanæ infirmitati intolerabile; quòd non eſt præſumendum imponere Deum voluiſſe, qui *jugum ſuum ſuave* prædicat, & *onus leve*. Sed ea ratio apud Queſnellum nihil ponderis habet, qui Deum nobis fingit non ſolùm gravia, ſed etiam impoſſibilia præcipientem.

10 Quarta propoſitio. *Dedit ſemetipſum pro nobis, oblationem Deo, non pro ſolis electis; ſed pro omnibus, & ſolis fidelibus.* Cùm hujus Author dogmatis vidiſſet damnatam Janſenii propoſitionem 5. velut impiam, blaſphemam, & hæreticam, *intellectam eo ſenſu, ut Chriſtus pro ſalute duntaxat prædeſtinatorum mortuus ſit*, exiſtimavit ſe tutum fore ab anathemate, ſi Chriſtum diceret mortuum pro omnibus, & ſolis fidelibus; non quidem pro omnium fidelium æterna ſalute, ſed juſtificatione, ſaltèm temporanea; non autem pro juſtificatione infidelium, & eorum, qui nunquam juſtitiam conſequuntur; cùm juxta Authorem illum æquè ac Queſnellum omnis gratia ſit efficax, nulla merè ſufficiens; adeóque ſinè gratiâ efficaci nihil boni ad juſtitiam conducentis fieri poſſit. Ex quo ſuppoſito utriuſque principio invictè ſequeretur, Chriſtum dediſſe ſemetipſum oblationem pro juſtificatione ſolorum fidelium.

11 Quinta propoſitio: *Pagani, Judæi, Hæretici, aliique hujus generis, nullum omnino accipiunt à* Jesu *Chriſto influxum, adeóque hinc rectè inferes, in illis eſſe voluntatem nudam, & inermem ſinè omni gratiâ ſufficienti.* Quia juxta Queſnelli propoſitionem 45. & tres ſequentes, peccant illi in omnibus actibus, adeóque nullam habent gratiam efficacem; ſinè efficaci autem nihil poſſumus juxta propoſitionem Queſnelli ſecundam; unde ſinè efficaci omnis alia eſſet fruſtranea, atque inutilis; quem enim uſum haberet, vel habere poſſet? *Hinc rectè inferes*, eodem Authore, *voluntatem in Paganis, Judæis, Hæreticis, aliiſque hujus generis eſſe nudam, & inermem ſinè gratia omni ſufficienti*, atque ita *nullum omninò accipere illos à* Jesu *Chriſto influxum*.

12 Sexta propoſitio: *Gratia ſufficiens ſtatui noſtro non tam utilis, quàm pernicioſa eſt, ſic ut proinde meritò poſſimus petere* A Gratia sufficienti libera nos Domine. Si abſque gratia efficaci nihil boni fieri poteſt, nulla etiam poterit ſuperari tentatio: cui igitur uſui erit gratia ſufficiens, niſi ut reddi videamur magis debitores?

CAPUT V.

Eadem propoſitio damnata contraria eſt Scholaſticis, proſcripta ab Epiſcopis, & ſæpiùs à Sorbona.

1 S. Thomas in qq. diſputatis q.2. de pot.art.3. *Voluntas in quantum voluntas eſt, cùm ſit libera, ad utrumlibet ſe habet, agere & non agere, velle vel non velle: & ſi reſpectu alicujus voluntas ſit determinata, hoc non eſt in quantum voluntas.* Juxta propoſitionem damnatam, quiſquis omiſſione operis præcepti peccat carens gratiâ efficaci, non habuit in poteſtate ſua agere, & velle, ſed ſolùm non agere, & non velle, adeóque voluntas ejus non fuit libera, quia non habuit ſe ad utrumlibet.

2 Idem lib.3. contra gentes cap.73. *Voluntas*, inquit, *habet in poteſtate producere hunc effectum, vel illum, propter quod eſt contingens ad utrumlibet.* Juxta propoſitionem damnatam voluntas omittens actum præceptum, non habuit in poteſtate illum ponere; igitur neque hic libera fuit, ſive contingens ad utrumlibet.

3 Idem Angelicus in qq. diſputatis q. de malo q.6. de electione: *Quidam poſuerunt, quòd voluntas hominis ex neceſſitate movetur ad aliquid eligendum, nec tamen ponebant, quòd voluntas cogeretur.... hæc autem opinio eſt hæretica. Tollit enim rationem meriti & demeriti....*

Si

Si enim non ſit liberum aliquid in nobis, ſed ex neceſſitate movemur ad volendum, tollitur deliberatio, exhortatio, præceptum, & punitio, & laus, & vituperium.

4 Idem 1. parte quæſt.83. art.3. *Proprium liberi arbitrii eſt electio; ex hoc enim liberi arbitrii eſſe dicimur, quòd poſſumus unum recipere, alio recuſato, quod eſt eligere.* Propoſitio damnata omnibus gratia efficaci carentibus ſolam relinquit poteſtatem peccandi, & opus præceptum omittendi; non autem illud ponendi, aut volendi: atque ita peccamus neceſſariò; ſic tollitur vera ratio demeriti, tollitur deliberatio, exhortatio, præceptum, punitio, & vituperium. Hæ quidem rationes propoſitionem præcipuè damnabilem reddunt; ſed & impiis placent maximè, & novatoribus ad hæreſim diſſeminandam opportuniſſimæ ſunt; ut de Bajaniſmo & Janſeniſmo, cur tantos in Gallia, & Belgio progreſſus fecerint, examinans Cardinalis Palavicinus in Hiſtoriâ Concilii Tridentini par.2.lib.15.cap.7. obſervat, & aliàs à me relatum eſt. Aquinati conſentit Scotus in 2.diſt.37. q.2. §.Respondeo si Deus: *Non eſt juſtitia debita à voluntate creata, niſi in quantum in poteſtate ejus eſt rectè agere, ita quòd nulla intelligitur ſubtractio cauſæ prioris, ob cujus defectum non poſſit voluntas rectè agere.* Queſuelli propoſitio omnibus partibus Scotiſticæ opponitur. Vult enim juſtitiam deberi à voluntate creatâ, etiam dum in poteſtate ejus non eſt rectè agere, & dum intelligitur ſubtractio cauſæ prioris, ſeu gratiæ ob cujus defectum voluntas rectè agere non poſſit.

5 Duobus ſcholæ principibus Angelico, & Subtili conſentiunt hic omnes paſſim Scholaſtici, quorum verba referre infinitum foret, & legentibus moleſtum. Loca quædam indicare ſufficiat. Ockam in 1.diſt.38.q.unica. Gabriel in 1.diſt.38.q.unicâ art.1.& alibi. Joannes Major in 1.diſt.1. q.3.4.7.19. & in 2.diſt. 25. per 4.quæſtiones. Almainus tract. 1. mor. cap.1.nota.1. & ſequent. Petrus de Aliaco in 1.q.11.art.1.& q.12.art.3. Franciſcus à Victoria in relect. de pervenientibus ad uſum rationis, num.4.5. Dominicus Soto lib.1.de natura & grat.cap.16. Waldenſis lib.1.doct.fidei à cap.22.uſque ad 30. Durandus in 1.diſt.47. q.1. num.6. & in 2. diſt.24. p.1. q.2. num.12. Guilielmus Altiſiodorenſis lib.2.ſumm.tr.11. q.2. Cajetanus 1.p.q.14.art.13. & q.22. art.4. & q.41.art.2.& in 1.2.q.10.art.4. Ferrarienſis lib.1.contra gentes q.82.89. §. *Ad omnia iſta.* Joannes Eckius in Enchiridio loc. comm. loco 31. Roffenſis in art. 36. contra Lutherum, Andreas Vega lib.2. in Trid. à cap.12. ad fin. libri & lib.6.cap.7.8.

6 Adversùs tantam authoritatem erigere ſe non ita pridem auſus eſt quidam Duacenæ Academiæ Cancellarius, Janſenio, & Arnaldo devotus, qui tum in dictatis publicis, tum in theſibus typo editis ſuſtinuit ſecundæ propoſitionis Queſnellianæ doctrinam, ut ex his Epiſcopi Tornacenſis literis ad Cancellarium datis 1687. 27. Junii manifeſtum eſt: *Significas, Frater, te nihil niſi juſtum, & religioſum defendere, cùm ais: Quicumque caret gratia efficaci, mandata Dei non ſolùm non adimplere, ſed nec adimplere poſſe. Et hic eſt totius tui de gratia Syſtematis cardo, atque, ut ita dicam, occulta macula. Sed quodnam, amabo Frater, diſcrimen intercedit inter tuam puram putam doctrinam, & primam è quinque ab Innocentio X. atque Alexandro VII. damnatam propoſitionem, diſertis verbis à Janſenio Iprenſi conceptam?* Contra hujus Antiſtitis cenſuram excipere novi Auguſtini diſcipuli non poſſunt, utpote quem ſæpius arbitrum elegerint, & producere ſolent velut patronum.

7 Neque ſuſpectus iis eſſe poteſt Epiſcopus Atrebatenſis, qui anno 1687. die 13. Auguſti tractatum de gratia ab eodem Cancellario in Schola Theologica dictatum, & *recognitum*, propter memoratam propoſitionem, & alias ſimiles damnavit, *tanquam continentem Doctrinam falſam, temerariam, hæreſeos condemnatam Conſtitutionibus Innocentii X. & Alexandri VII.*

8 Saltèm omni exceptione major apud adverſarios debet eſſe Cardinalis de Noailles Archiepiſcopus Pariſienſis, qui anno 1696. 20. Auguſti librum Gallicum Gabrielis Gerberon, cui titulus: *Expoſitio Fidei circa gratiam, & prædeſtinationem* ſe examinaſſe teſtatur, *& facilè in eo agnoviſſe totum Janſeniani dogmatis venenum*, nempe *propoſitionem primam, quæ eſt origo, & fundamentum cæterarum: quâ* Justis cadentibus adimitur gratia, sine qua nihil possumus: Tum Cardinalis ſubjungit: *Supervacaneum foret alias ejuſdem libri propoſitiones referre; inhærendo autem Conſtitutionibus Innocentii X. & Alexandri VII.* librum damnat, *tanquam continentem Aſſertiones reſpectivè falſas, temerarias, ſcandaloſas, impias, blaſphemas, Deo contumelioſas, derogantes ejus bonitati, percuſſas anathemate, & hæreticas.* Igitur totum Janſeniſmi *venenum, fundamentum, & originem* damnatarum in eo propoſitionum agnoſcit Eminentiſſimus, relatam ex libro, *Expoſitio fidei*, aſſertionem, quæ cum ſecunda Queſnelliana prorſus convenit. Dum enim *Expoſitio fidei* adimit juſtis cadentibus gratiam efficacem, nihil aſſerit, quod ab ullo vocati poſſit in dubium. Sed quòd ſinè ea non detur gratia ſufficiens, neque præceptum ſer-

ſervari, aut quidquam boni fieri valear, hoc in urraque propoſitione Scripruris Sacris, definirionibus Conciliorum, & Romanorum Ponrificum, hoc Patrum traditioni, hoc univerſæ Eccleſiæ ſenſui, & certiſſimis Fidei noſtræ principiis adverſarur.

9 Eumdem errorem damnavit Sorbona ſæpius; nam, ut prætercam Doctorum Pariſienſium, aurhoritare Regis, & Archiepiſcopi delectorum, cenſuram adversùs ſcripta Duaceni Cancellarii, de quibus in Proleg. pag. 49. col. 1. ur nil dicam de cenſurâ plurium ſimiliter Deputatorum adversùs Epiſtolas Moutalrii, Noras Wilhelmi Wendrokii, & Diſquiſitiones Pauli Irenæi; celeberrima eſt cenſura rrium Epiſcoporum cum cenrum, & viginri ſeptem Doctoribus data in Comiriis generalibus, anno 1656. dic ultima Januarii, & poſtridie confirmara contra hanc Antonii Arnaldi propoſitionem, *Defuit Petro tentato Gratia, ſinè quâ nihil poterat*; quam condemnarunr velut *temerariam, impiam, blaſphemam, anathemate damnatam, & hæreticam*.

10 Contra Arnaldum aurem propoſitionis Aurhorem, eadem *Sacra Facultas ipſum à ſinu ſuo repellendum, expungendumque ex albo Doctorum ſuorum, atque à corpore ſuo planè reſecandum cenſuit, & ipſo facto repulſum, expunctum, reſectumque declarat, niſi intrà diem decimum quintum menſis Februarii proximè ſequentis mentem ſuam mutaverit, & huic præſenti cenſuræ ſubſcripſerit, coram Domino Decano, Illuſtriſſimis Epiſcopis, Doctoribus, & prædictis Deputatis. Nè verò longiùs ſerpat ſuperior illa Arnaldi doctrina, & quaſi lues, quæ jam multorum animos occupavit, eadem Sacra Facultas decrevit, neminem poſt hac, aut è Doctoribus ad Comitia, & alia qualibet jura ad ipſam pertinentia, aut è Baccalaureis ad ullos actus Theologicos, ſive ad diſputandum, ſive ad reſpondendum admiſſum iri, niſi ante huic quoque cenſuræ ſubſcripſerit: atque etiam, ſi quis Arnaldi ſuperiora illa probare, aſſerere, docere, prædicare, vel ſcribere ſit auſus, eum ab eadem Facultate prorſus repellendum eſſe. Decrevit inſuper hanc cenſuram ſuam prælo mandandam, & publicandam eſſe, ut omnes intelligant, quantum eadem Facultas peſtilentem, & exitialem illam doctrinam execretur, ac deteſtetur.* Quod Decretum in hunc uſque diem accurarè obſervatum eſt, & nuper irerum ſolenniter confirmarum. Millenos igirur eſſe oporruit, qui huic cenſuræ ſexaginra annorum ſpatio ſubſcripſerint; inter quos non pauciores dein forſiran fuêre Epiſcopi, quàm in Concilio ſubinde Oecumenico numerati ſunt.

CAPUT VI.

Corollarium ex ſuperioribus. Secundæ propoſitionis error ratione Theologicâ, & naturali convincitur.

1 NOn multo ſtudio opus eſt, ut argumenta excogitentur adversùs errorem tam exoricum. Cuivis Theologiæ mediocriter perito facilè occurrunr plurima invicta, & manifeſta adeò, ut aſſequi nequeam quo faſcino, quibus præſtigiis rot ſibi conciliaverir, etiam poſt damnationem Apoſtolicam fautores. Tantùm colligenda ſunt quæ in Scripturis, Conciliis, Patribus, ac Doctoribus ſuperiùs ſparſa dedimus.

2 Si abſque grariâ efficaci nihil boni facere poſſumus, nulla ad bonum datur gratia ſufficiens inefficax. Fruſtraneum enim foret & ſapientiſſimo Largitore indignum auxilium, cui cooperari nemo valear. Fruſtranea ſimul reddunrur præcepra, inutiles exhorrariones ad bonum iis, qui efficaci gratiâ deſtiruti ſunt; nam quis ſapiens horterur ad impoſſibile? Quis niſi barbarus, ryrannus, ſtultus illud imperet? Quis niſi injuſtus, puniar omittentem, quod facere non poruit? Minæ omnes, & promiſſa, blandiriæ, & rerrores, invitationes & improperia, quem finem iſthic habent, quem effectum? Cùm autem inſipientia, crudeliras, injuſtitia Numini vero ineſſe nequeant, quale ſibi Numinis monſtrum fingunt Janſeniani, quale Eccleſiæ obtrudere cupiunr? Fallacem faciunt Redemprorem, omnes ad ſe vocantem: mendacem ſtaruunt Stephanum, & Spirirum S. in eo dicentem Judæis: *Vos ſemper Spiritui Sancto reſiſtitis*: Non enim reſiſtitur Spiritui efficaciter rrahenri; tractio autem inefficax, & ſufficiens Queſnello nulla eſt: inefficax & non ſufficiens prorſus inurilis.

3 Sublarâ ad bonum libertate, inducitur peccandi neceſſitas: fruſtrà ſcilicer de obedientiâ deliberarur, ubi nulla eſt parendi poteſtas. Culpam verò, aur peccatum propriè dictum quis edoceat reperiri, ubi non eſt facultas virandi? Sed & componere demeritum cum neceſſirate poſt Innocentii X. contra Janſenium Conſtitutionem nullus audeat Carholicus; atque ipſi hodie erubeſcunt hærerici. Peccatoribus conrra Deum conquerendi ratio iſto Queſnelli principio ſuggeritur, peccaris laxantur fræna, perit religionis, virrutis, boni omnis ſtudium, omnis ſaluris cura. Sic majorem nulli morum diſſolurionem invehunt, quàm qui aliàs videri

S cupiunt

cupiunt rigidioris ethicæ Magiſtri, & novi Eccleſiæ Reformatores; quibus meritò intorſeris illud Sancti Auguſtini: *Vos eſtis morum ruina, qui ipſius fidei, ſupra quam mores ædificandi ſunt, nitimini fundamenta ſubvertere*.

4 At, inquiet Queſnellus, tam cruda, qualia hìc nobis imponuntur, minimè admittimus; ſed averſamur, & auditu ſolo nobis horrorem incutiunt; cui reſpondeo, recepto ab omnibus axiomate, tolle antecedentia, ſi vis cavere ſequentia. Alioqui nec Theologi, nec Philoſophi nomen meretur, qui, poſito improbo antecedente, conſequens neceſſarium, & evidens non agnoſcit. In jure quoque tam civili, quàm Eccleſiaſtico *antecedens trahit ad ſe conſequens* l. *quamvis*, & ibi Bald. C. de Fideicom. & l. 11. ff. de Juriſ. om. judi.

5 Cumque conſequentia, græcè ἀκολουθία, ſecundùm Philoſophum ſit ex præcedentibus illatio, multa permittuntur per conſequentiam, quæ principaliter non admitterentur, *Facit*. Lex 1. ff. de Authorit. tut. Abbas in c. fin. de for. comp. Adde text. ſingu. & ibi. Bartol. in l. Interdum §. Qui furem ff. de Furt. pro limitatione l. Solemus, §. Latrunculator, ff. de Judi. & Bart. in l. Quotics per illum text. c. de Judi. & in l. Omni innovatione c. de Sacroſancta Eu. & in l. Titia, ff. ſolut. matr. & facit quod dixi. Sup. in verbo Acceſſorium, & vide l. Moris 91. ff. de Pe. de ſponſa. Cum apud de of. dele. Cum ſuper Abbatia ff. de Injur. l. 1. §. Fin. ibi per conſequentiam.

CAPUT VII.

Solvuntur Objectiones Explicationis Apologeticæ.

1 Nusquam Queſnellus propoſitionem ſecundam defendit operoſiùs, quàm *in Explicatione Apologeticâ*, adverſùs Decretum Lucionenſis, & Rupellenſis Antiſtitum, & aliquot annis ante in *Anatomiâ ſententiæ Archiepiſcopi Mechlinienſis*. In primis provocat nos ad Patrem Antoninum Maſſovliè Ordinis Prædicatorum, qui in ſuo libro *Sanctus Thomas ſui interpres* Diſſertatione 3. Quæſt. 1. art. 3. ſic ait „ Cùm dictum eſt „ Joannis 6. v. 44. *Nemo poteſt venire ad me*, „ *niſi Pater, qui miſit me, traxerit eum*. v. 66. „ *propterea dixi vobis, nemo Poteſt venire ad* „ *me, niſi fuerit ei datum à patre meo*. Joan. „ 15. v. 5. *Sinè me nihil poteſtis facere*, & 1. „ ad Corinth. 12. v. 3. *Nemo poteſt dicere*, „ *Dominus Jeſus, niſi in Spiritu Sancto*; & „ alia ejuſmodi plura, quibus nemo eſt, qui „ S. Auguſtinum, & S. Thomam magiſtros „ audierit, qui non exiſtimet ſignificari efficacem gratiam, & quidem tantam, ut tractio dici potuerit, quæ vim quamdam adhibitam ſignificare videtur, & quâ *Violentia adhibeatur, non voluntas excitetur*, ut „ advertit S. Auguſtinus tract. 26. in Joannem „.

2 Illationem, quam ex his verbis in perditæ ſuæ cauſæ adjumentum, elicere molitur Queſnellus, prævenit P. Maſſovliè, eique datâ operâ reſpondet verbis mox ſequentibus; quæ pro inolita ſua perfidia non ſuppreſſiſſet Author *Explicationis Apologeticæ*, niſi peſtiferis doctrinæ ſuæ principiis diſſentanea eſſe intellexiſſet. Sic igitur pergit P. Maſſovliè: „ Inde ſtatim inferri poſſe videtur; ergo cùm deeſt efficax gratia, etiam „ deeſt reipſa poſſe, neque verè, ac reipſa „ Dei præcepta poſſibilia dici poterunt, „ quamdiu deerit efficax gratia; ſiquidem „ *nemo poteſt venire* ad Chriſtum, ac veniendi „ & credendi præceptum implere, niſi ipſum „ Pater trahat, & quidem efficaci gratiâ trahat. Sed occurrit obſervatio ſupra poſita „ duplicis ſufficientis auxilii. Utrumque veriſſimum eſt, ſinè eâ Divinâ Patris tractione neminem poſſe & venire ad Chriſtum, „ & credendi præceptum implere: & tamen „ ſinè ea tractione poſſe hominem & venire ad Chriſtum, & credendi præceptum „ implere. Dupliciter enim ipſum *poſſe* intelligi poteſt: eſt enim poſſibilitas ſola ex „ *ſolo adjutorio ſinè quo*: eſt & poſſibilitas conjuncta cum actu, & ut D. Auguſtinus loquitur, *Poſſibilitas cum effectu* Lib. de Gratiâ Chriſti, qua ſcilicet voluntas ipſa donatur ex addito *adjutorio quo*. Nemo igitur poteſt venire ad Chriſtum niſi tractus à „ Patre, illa ſcilicet poſſibilitate, quæ cum „ actu conjuncta eſt, *ex adjutorio quo*, ſed „ tamen poteſt venire ad Chriſtum etiam „ non tractus ea poſſibilitate ſola, quæ eſt ſinè effectu „.

3 Hactenus Venerandus Thomiſta. Supponatur igitur locutio eſſe non incongrua, quòd ſine gratiâ efficaci non detur *poſſibilitas conjuncta cum actu, poſſibilitas cum effectu*: quæ locutio aliud ſignificare non poteſt, niſi quòd actus, ſive effectus nunquam detur ſinè gratiâ efficaci, vel quòd ſinè eâdem gratiâ non detur complexum ex potentia & actu, ſive effectu. Sanè etiamſi nunquam actus ſive effectus, & conſequenter nunquam complexum ex potentia & actu, vel effectu reperiatur ſinè auxilio efficiente, indè tamen minimè juvatur damnata propoſitio, quæ ſinè gratiâ efficaci non ſolum actum negat, nec ſolum complexum ex potentia & actu, ad quod negandum ſufficit unam partem deficere; ſed ſingu-

ſingulas illas partes negat, tam potentiam, quàm actum. Gratiam ſufficientem, quæ non ſit efficax, omnes Catholici hodie contra Calvinum & Janſenium admittunt: ſufficiens autem auxilium, quod ob impotentiam antecedentem non poſſit obtinere effectum, neque auxilium aliud efficax, ſi neceſſe ſit, videtur manifeſtam præ ſe ferre ipſis terminis oppoſitionem, & impoſſibilitatem.

4 Quod autem tam in Angelici, quàm Auguſtini ſententia ſinè gratia ad Chriſtum efficaciter trahente ſit in poteſtate noſtra tractionem illam efficacem conſequi, atque ita ſi non ſemper immediatè, ſemper ſaltèm mediatè ad Chriſtum venire poſſimus, efficaci ſcilicet tractione, quam nobis Deus ſemper offert paratam, ultro manum omnibus porrigens, audiamus Aquinatis, & citatum ab ipſo Hipponenſis Antiſtitis Commentarium in caput 6. Joannis lect. 1. „ Tertia, inquit, „ quæſtio eſt de hoc quod dicit (Chriſtus) „ quod nemo venire poteſt, niſi tractus à Pa„ tre; quia ſecundùm hoc ſi nullus veniat ad „ Chriſtum, non imputatur ei, ſed ei qui „ non trahit eos. Reſpondeo dicendum, „ quod verè nullus venire poteſt niſi tractus „ à patre; nam ſicut grave per naturam non „ poteſt per ſe ſurſum ferri, niſi trahatur ab „ alio, ita cor humanum ex ſe ad inferiora „ tendens, non poteſt ſurſum elevari, niſi „ tractum. Si verò non elevatur, non eſt „ defectus ex parte trahentis, qui quantum „ in ſe eſt, nulli deficit, ſed eſt propter im„ pedimentum ejus qui non trahitur.... „ Deus autem omnibus ad trahendum ma„ num porrigit, quantum in ſe eſt: & quod „ plus eſt, non ſolùm attrahit manum reci„ pientis; ſed etiam averſos ad ſe conver„ tit „. Mox refert & approbat monitum Auguſtini ad omnes homines pertinens: *Semel accipe, & intellige, nondum traheris; ora ut traharis*. Quiſquis igitur nondum ſe trahi ſentit ad pœnitentiam, atque ita ad Chriſtum non poteſt immediatè venire, poteſt tractionem illam & immediatam veniendi poteſtatem oratione obtinêre.

5 Verùm Queſnellus non admittens gratiam ſufficientem, quæ non eſt efficax, nulli re ipſa non oranti concedit veram orandi facultatem: nulli manum Dei non arripienti imputare poteſt quod non arripiat, deſtitutus illam arripiendi poteſtate. Unde & cum Queſnelli ſententiâ conciliari non poteſt aſſertio Angelici quod *Deus omnibus ad trahendum manum porrigat, quantum in ſe eſt*; rurſus quod, *ſi quis non elevetur, non ſit defectus ex parte trahentis, qui quantum in ſe eſt, nulli deficit; ſed quod ſit propter impedimentum ejus qui non trahitur*. Atque ita omnibus qui nondum trahuntur ad amandum Deum ſuper omnia, etſi immediatè ad Chriſtum per amorem illum venire nequeant, poteſtas tamen adeſt mediata, cùm poſſint tractionem illam impetrare orando, & faciendo quod in ſe eſt, cum qualicunque Divinæ gratiæ auxilio.

6 Non minùs doloſum ſe, & iuſidum præbet Queſnellus objiciens nobis Dionyſium Carthuſianum. Hunc nempe adfert in Joan. cap. 6. v. 44. dicentem: *non ſolùm non venit; ſed nec poteſt venire.... niſi perduxerit mentem ejus ad me, infundendo ei fidem & gratiam*. Locus mutilatione perfidâ corruptus eſt; nimis ſcilicet evidens erat, locum, ſi referretur integer, nihil Queſnello ad erroris ſui patrocinium conferre. Sic habet Carthuſianus: *Nemo poteſt venire ad me, id eſt, non ſolùm non venit, ſed nec poteſt venire ad me, interiori acceſſu per fidem & charitatem, niſi Pater qui miſit me, traxerit eum: id eſt per ſuam charitatem & pietatem inclinaverit, atque perduxerit mentem ejus ad me, infundendo ei fidem & gratiam, quibus mihi ſpecialiter uniatur & incorporetur*. In proprio, & obvio verborum ſenſu, *infuſa fides, & gratia infuſa, quibus Chriſto ſpecialiter unimur, & incorporamur*, ſunt fides habitualis, & gratia ſanctificans, quæ eſt juſtificationis noſtræ cauſa formalis, de qua hic nulla nobis eſt controverſia: ſed de gratia actuali quæ juſtificationis cauſa eſt efficiens.

7 Quis autem Catholicus dubitet, quin nullus juſtificetur, aut juſtificari, ſaltèm in hoc ordine decretorum, valeat, atque adeò nullus ad Chriſti amicitiam, aut ſalutem venire ſinè infuſione fidei, aut gratiæ ſanctificantis? Effectum formalem abſque cauſa formali, utpote formâ, quâ intrinſecè conſtituitur, non poſſe exiſtere ſatis certum eſt: neque cauſam formalem in ſubjecto ſinè ſuo effectu, quo neque tempore, neque naturâ prior eſt. At quid indè argumenti formari poteſt pro cauſa efficiente, quaſi hæc exiſtere nequeat ſinè ſuo effectu, quaſi nulla in homine poteſtas bene operandi ſit, niſi cùm bene operatur? Quid ni dicat etiam hominem ſinè omnibus, quorum capax eſt, operationibus eſſe non poſſe, neque Deum ipſum ſinè creatura? Quo quid cogitaveris ab exploratiſſima omnibus veritate remotius? Vidit id ſatis perſpicax adverſarius; ideo ea quæ de gratia habituali ſermonem Carthuſiano eſſe convincebant, cautus ab ejus ſententiâ reſcidit.

8 Sed neque ille Dionyſius, ſi nomine gratiæ accepiſſet illuſtrationem aliquam intellectûs, & motum voluntatis Divinum, debebat gratiam poſt fidei, & charitatis infuſio-

fuſionem, ſed primo loco nominare, velut neceſſariam ad eos, ſeu actus ſeu habitus, diſpoſitionem. Dionyſium alieniſſimum eſſe à ſenſu, quem ei affingere Queſnellus voluit, patet vel ex ipſo capite 6. ad v. 66. ubi religioſus Author expendens illud Chriſti, *Nemo poteſt venire ad me, niſi fuerit ei datum à Patre meo*, ita ſibi objicit; *ſed dicet aliquis, ſi nemo poteſt venire, niſi Deus dederit, ergo qui non venit, per impotentiam excuſatur. Deus namque ultra vires nil exigit. Sed reſpondendum*, inquit, *quod à nobis ipſis nil poſſumus, & tamen poſſumus quidquid Deus præcipit nobis; quia ſecundùm Philoſophum id dicimur poſſe per nos, quod poſſumus per amicos; quoniam ergo Deus quantùm in ſe, paratus eſt opem impendere, imò & gratiam influit, dummodo fecerit homo quod in ſe eſt; ideo per impotentiam non excuſamur, ſed poſſumus, quod jubemur*. Ubi juxta Dionyſium poſſumus facere quod jubemur, etiam quando quod jubemur non facimus. Et ideo nulla nobis ſuppetit excuſatio, nulla allegatio impoſſibilitatis. Quærendum hìc ex adverſario, quid per gratiam ultimo loco nominatam Dionyſius intellexerit, habitumne per ſe ſanctificantem, an illuminationem & excitationem eò diſponentem? Si diſponentem, igitur ſolis naturæ viribus, quantùm poteſt, operans, gratiam certò conſequitur, quod adverſarius non admiſerit. Si autem gratiam intellexerit per ſe juſtificantem, negare non poterit, eandem ſuperius eſſe ejuſdem vocabuli ſignificationem.

9 Ipſo quod nobis objicit Queſnellus capite, videre, ſi voluiſſet, poterat eandem apud Carthuſianum uſurpationem *Gratiæ* v. 37. *& eum qui venit ad me*, inquit, *per mentis ſuæ converſionem, Fidem, & Charitatem, vel qui facit quod in ſe eſt, quamvis nondum gratiam habeat, non ejiciam foràs, ideſt non ſeparabo eum à grege electorum meorum, nec à pietate mea ipſum excludam; ſed incorporabitur mihi*. Eumne ſibi Chriſtus *incorporabit*, qui ſolis naturæ viribus, & ſinè ullo gratiæ auxilio fecerit quod in ſe eſt? Concedere non poteſt adverſarius, neceſſe igitur eſt ut agnoſcat nomine *gratiæ* à Dionyſio intelligi habitum ſanctificantem, non auxilium tranſiens, ut ſenſus ſit, eum, qui facit quod in ſe eſt divino auxilio, quamvis nondum gratiam ſanctificantem habeat, non ejiciam foràs; ſed ad meam tandem amicitiam ſalutemque perducam.

10 Adeò Carthuſianus non vult ullos à ſalute, aut mandatorum poſſibilitate excludere, ut in cap. 1. Joan. v. 9. enuntiet, *Illuminat omnem hominem quantum in ſe eſt, ſicut vult omnes homines ſalvari, ita quòd nemo excuſatur, ſi non fuerit illuſtratus*.

11 In his Theologorum ſententiis ſimul explicatur ac depellitur, quidquid Queſnellus ejuſque commilitones objiciunt ex verbis Salvatoris: quibus Janſenianus Author *Animadverſionum* in ſecundum Queſnelli Articulum, addit illud Sapientiæ 8. v. 21. *Et ut ſcivi quoniam aliter non poſſem eſſe continens, niſi Deus det, & hoc ipſum erat ſapientiæ, ſcire cujus eſſet hoc donum, adii Dominum, & deprecatus ſum illum ex totis præcordiis*; quod Author ſic vertit, *Comme je ſcavois, que je ne pouvois avoir la continance, ſi Dieu ne me la donnoit*, id eſt, Ut ſcivi quoniam aliter non poſſem habere continentiam niſi Deus illam daret. Textus vulgatæ cùm ait, non poſſem eſſe continens niſi Deus det; in rigore tantum poſtulat ſubintelligi, *ut poſſim eſſe continens*; non autem ad hoc ut poſſim eſſe continens, requirit actu dari continentiam. Certum enim eſt, multos reperiri incontinentes, qui continentes eſſe potuerint, alioqui incontinentia ipſis imputari ad culpam, & demeritum non poſſet; eſſent enim incontinentes neceſſariò, & quidem neceſſitate antecedente: quæ cum demerito non conſiſtit, ut conſtat ex damnatione propoſitionis tertiæ Janſenianæ.

12 Supponamus tamen, ut plures interpretantur, agi hìc non de poſſibilitate ſimplici, ſed conjuncta cum actu, ſeu cum effectu; ut ſenſus ſit, non poſſem habere vires ad ſervandam continentiam, itaut eam reipſa ſervarem, niſi Deus, & vires illas, & ipſam continentiam largiretur; conforme id erit textui Græco, qui pro non poſſem eſſe continens ponit, *Non ero continens*: huic quoque conſonat textus Arabicus, dicens: *Et cùm cognoviſſem me non alio modo tenere illam, ſi DEUS illam non dediſſet*. Verùm indè nullo modo ſequitur ſecunda Queſnelli propoſitio, quòd ſinè gratiâ efficaci non ſolùm nihil boni fiat, ſed nec fieri poſſit; quod idem eſt, ac ſi dicatur, quotieſcunque non eſt actus bonus, vel effectus bonus, non eſt ejus eliciendi poteſtas, atque ita quoties aliquod DEI præceptum non ſervatur, ſervari non potuit, quod eſt damnatum in prima Propoſitione Janſenii.

13 Hic exclamat Queſnellus in *Explicatione Apologeticâ* pag. 81. ſe infinito diſcrimine diſtare ab errore primæ Propoſitionis (in Janſenio) condemnatæ „ Qui in eo ſitus eſt,
„ quòd præcepta Dei ſint impoſſibilia juſto
„ volenti, & conanti conatu debili, & quòd
„ nulla gratia ullam ipſi, dum labitur, tribuat
„ facultatem. Multum profectò itineris conficiendum, multæ ſubintelligendæ ſunt
„ ſuppoſitiones, ut verba mea (inquit) ad
„ ſenſum illum hæreticum transferantur.
„ Pri-

„ 14 Primò,ſupponendum eſſet,quòd, cùm „ dicitur juſtus ſibi derelictus, dicatur pri- „ vatus omni gratiâ, quod neque aſſerui, „ neque veritati conſonum eſt, quia ſaltèm „ ipſi adeſt habitualis gratia, & charitas, „ quæ & magna gratia eſt, & poteſtatis gra- „ dus juſto tribuit congruos charitati.

„ 15 Secundò,ſupponendum eſſet,juſtum, „ qui non habet gratias omnes actuales ſatis „ fortes, ut reipſa legem Dei impleat, & ſu- „ peret tentationem, omni aliâ carère gra- „ tiâ, quæ novam habituali ſuperaddit po- „ teſtatem, quod & ſinè ratione diceretur, „ & à me affirmatum non eſt.

„ 16 Tertiò,ſupponendum eſſet,juſtum ten- „ tatione pulſatum, & ſimilibus gratiis de- „ ſtitutum, non habere alias ad virandam „ occaſionem, aut orandum, quamvis non „ oret, *prout oportet*, ut exaudiatur.

„ 17 Quartò,ſupponendum eſſet,quod cui „ nulla adeſſet actualis gratia, impoſſibile „ foret agere, & hoc falſum eſt; nam ſolis „ naturæ viribus, impulſu ambitionis, avari- „ tiæ, aliorumque vitiorum,quandoque per- „ ficiuntur magis ardua, quàm quæ divinis „ legibus imperantur; quamvis non fiant *ſi- „ cut oportet*, motivo charitatis Dei, atque „ juſtitiæ. Quod autem à ſic perficiendis „ impedit, non eſt difficultas præceptorum, „ ſed animorum corruptio, defectum pote- „ ſtatis inferens ſolummodo voluntarium.

„ 18 Quod fit quando volumus,aut non fit „ quando nolumus, in noſtra poteſtate eſt. „ Quiſquis mandata Dei ſervare vult vo- „ luntate forti, atque perfectâ, ſervat hoc „ ipſo.

„ 19 Quapropter ſupponendo hominem eſſe „ omni etiam gratiâ privatum; ſi labitur,ve- „ riùs dicitur noluiſſe benè agere, quàm non „ potuiſſe; quia potuiſſet ſi voluiſſet, & po- „ teſtatis defectus ex prava ejus voluntate „ eſt, ex cupiditate, & obſtinato inanium, „ quæ in peccato ſunt, illecebrarum amore. „ Nihil igitur eorum, quæ voluntate fiunt, „ impoſſibile appellandum eſt. Atque hoc „ eſt, quod Cardinalis Bellarminus poſt Au- „ guſtinum obſervat lib.6. de gratiâ, & libe- „ ro arbitrio cap.15. dicens: *Ad ſecundum „ reſpondeo; converſionem ſemper eſſe in pote- „ ſtate liberi arbitrii, quoniam poteſt ſemper „ converti, quando voluerit. Id enim dicitur „ eſſe in poteſtate, ut Auguſtinus definit lib. de „ ſpiritu, & litera cap.31. & lib.5. de Civita- „ te Dei cap. 10. quod adeſt quando volumus, „ & quando nolumus non adeſt: quo ſenſu ad- „ mittit Auguſtinus ibidem fidem eſſe in pote- „ ſtate liberi arbitrii, quia credit homo ſi vult, „ & ſi vult non credit. Cæterum ipſum* VELLE CREDERE, *aut* CONVERTI, *non po- „ teſt homo habere,niſi per gratiam prævenien- „ tem acceperit, ut poſſit.*

„ 20 Quintò,denique ſupponi deberet,quod „ uſus fuerim voce IMPOSSIBILE, aut IM- „ POSSIBILITAS, *voce illa temerariâ, & à „ Patribus ſub anathemate prohibitâ*,ut decla- „ rat Tridentina Synodus ſeſſ.6. cap.11. ve- „ tans, nè quis *Dei præcepta homini juſtifi- „ cato ad obſervandum eſſe impoſſibilia* affir- „ met, quod neque in Obſervationibus, ne- „ que in ullo meo opere aſſerui. Nè quidem „ de peccatore ullo quantumlibet obdurato, „ & cæco, unquam à me abſolutè ſcriptum „ reperietur, quod benè agere nequeat, ſed „ quod non poſſit ſinè gratia. „ Huc uſque Queſnellus.

21 Veriſſimè *Janſenianam hæreſim* Alexander VII. Conſtitutione *Regiminis Apoſtolici*, appellat *colubrum tortuoſum, cujus caput attritum eſt, in varios gyros, & cavillationum deflexus euntem*. Quot enim gyros, quot deflexus cavillationum non continet citata hujus Janſeniſtarum Coryphæi oratio! Adeò à damnato in Janſenio primæ Propoſitionis errore non recedit *diſcrimine infinito*, ut nè lato quidem ungue, aut ullo apice ſecernatur, ſi ſenſum, & ſignificationem, non inanem vocabulorum ſonum ſpectaveris. Neque tam longa, ut Queſnellus exiſtimat, vel exiſtimare ſe fingit,ratiocinationum ſpatia nobis emetienda fuerunt, ut ſecundi Queſnelliani articuli cum primo Janſeniano conformitas oſtenderetur.

22 Sed quoniam tortuoſus coluber attrito iterum capite gyros, & cavillationum deflexus varios non prætermittit, à Fidei, & Eccleſiæ Propugnatoribus non contemptu dimittendus eſt, ſed rationum, cenſurarumque acinace in fruſta concidendus.

23 Primus ſuppoſitionum gyrus,nihil continet præter ridiculum ſomnii Queſnelliani fœtum. Quid enim opus eſt ſupponere habitualis gratiæ, & charitatis abſentiam, ut quis reus agatur erroris, & hæreſeos in hoc primo Janſenii articulo condemnatæ, *Aliqua Dei præcepta juſtis volentibus, & conantibus ſecundùm præſentes,quas habent vires,ſunt impoſſibilia,deeſt quoque illis gratia, quâ poſſibilia fiant?*

24 Habitualis gratia, & cum ea habitualis charitas adeò non ſupponitur deeſſe, ut ipſis Propoſitionis verbis clariſſimè adeſſe ſignificetur, cùm ii, quibus præcepta dicuntur impoſſibilia, appellentur *Juſti*. Quis vel leviſſimè tinctus Theologiæ principiis, aut Fidei rudimentis, neſciat omnem juſtum habituali gratia, & charitate præditum eſſe? Hoc nempe quod & fœminæ, & pueri norunt, ignoravère

vêre doctiſſimi Fidei, & Religionis Magiſtri in Chriſtiani Orbis Metropoli, quibus Propoſitionum examen à Sede Apoſtolica commiſſum eſt: ignoravere Cardinales, atque ipſi Summi Pontifices Propoſitioni primæ dicentes anathema; quia juxta Queſnelli ſomnium, ſeu putidiſſimum mendacium, putaverint hominibus juſtis à Janſenio negari habitualem gratiam, & charitatem.

25 Neque Janſenius omnem, nempe incompletam, & ſalvandæ libertati minimè ſufficientem, ſervandorum præceptorum potentiam juſtis illis denegavit; nam poſtquam Propoſitionem primam iiſdem, quibus in damnatione exprimitur vocibus, tradiderat lib.3. de Gratia Chriſti, cap.13. nihilominus cap. 15. diſtinguit 4. poſſibilitatis in præceptorum obſervatione modos, quorum tres primos in juſtis omnibus agnoſcit. *Poſſumus*, inquit, *ea ſervare primò remotiſſimè, per ſolam liberi arbitrii flexibilem facultatem ad bonum, & malum. Secundò, paulò propinquiùs per Fidem, quamvis dilectione Dei, & actuali Dei adjutorio, interniſque viribus charitatis careamus. Tertiò, multò pleniùs, propinquiùſque per charitatem, per quam homo juſtificatur. Quartò completiſſimè, quando Sancti Spiritûs inſpiratione ſic voluntas præparatur, ut non nudè poſſit, ſed etiam velit.*

26 Hic exultant Janſenianæ hæreſeos patroni. Si, inquiunt, ut patet, Janſenius tres poſſibilitatis modos in omnibus juſtis profeſſus eſt, quomodo damnatur ejus ſenſus in primâ Propoſitione, ſive, quod idem eſt, prima Propoſitio damnatur in ejus ſenſu?

27 Reſpondeo, quia tres illi poſſibilitatis modi, tantùm incompleti ſunt, improprii, & ad ſalvandam libertatem nequaquam ſufficientes, ut omnes noverunt Catholici; atque ipſe faſſus eſt Janſenius lib.2. de Gratia Chriſti cap.1. dicens: *Cujus medicinali gratiâ, & adjutorio, niſi vires priſtinæ reſtaurentur, tam eſt impoſſibile voluntati, ut bene velit, & operetur, quàm homini cæco ut videat, vel ſurdo ut audiat, tibiis fracto ut rectè gradiatur, quamvis eis, & lux, & ſpecies, & ſcipiones, & omnia cætera ſanitatis adjumenta ſuppetant.* Ubi non obſtantibus tribus ſuperioribus poſſibilitatis modis ſinè gratiâ actuali, eâque efficaci, quæ ſola à Janſenio, *Chriſti gratia medicinalis, & adjutorium* vocatur, præceptorum aſſeritur impoſſibilitas, & quidem non moralis tantummodo; ſed & phyſica, ut ex triplici addita comparatione manifeſtum eſt.

28 Secunda prætenſa ſuppoſitio non minus frivolum Queſnelli commentum eſt. Quis enim Janſenii adverſarius ei unquam affinxit, aut primæ ejus damnatæ propoſitioni, quòd omnem penitùs à Juſtis cadentibus excluſerit actualem gratiam, quæ aliquid poteſtatis ſuperaddat habituali? In ipſa damnata Janſenii propoſitione declaratur agi de *Juſtis volentibus, & conantibus ſecundùm præſentes quas habent vires*; ſed volentibus & conantibus voluntate, & conatu debili, ſecundùm præſentes gratiæ debilis, & non ſufficientis vires, majore concupiſcentiæ ardore illas neceſſariò ſuperante, juxta famoſum Janſenii principium, *Quod magis nos delectat, delectatione indeliberatâ* (ſeu gratiæ, ſeu concupiſcentiæ) *ſecundùm id velimus* (volitione deliberatâ) *& operemur neceſſe eſt.* Ut igitur Janſenio, Queſnello, & eorum ſequacibus tribuamus primæ propoſitionis Janſenianæ hæreſim, minimè opus eſt, à nobis ſupponi, quòd Authores illi *Juſtis volentibus, & conantibus ſecundùm præſentes, quas habent vires*, omnem penitùs denegent gratiam actualem, ſed quòd denegent ſufficientem. Quid ad præcepti impletionem conferre poteſt inſufficiens? Non plus quàm ala una ad volandum, ſive ut Janſenii comparationibus utamur, quàm lux & ſpecies cæco, ut videat; fractis utriſque cruribus ſcipiones, ut quis rectè gradiatur.

29 Non minùs inane eſt tertium ſuppoſitionis figmentum; non enim ſupponimus, nec ullatenus ſupponere neceſſe eſt, Janſenium, ſive Queſnellum, ut primæ Janſenianæ hæreſeos reus ſit, negaſſe juſtis labentibus omnem gratiam ad vitandam peccati occaſionem, aut ad orandum; quid enim rurſus juvat eos habuiſſe gratiam aliquam, ad vitandam occaſionem, aut orandum, ſi ad neutrum effectum gratiam habuerint ſufficientem, ſive, ut in propoſitione Janſenii exprimitur, deſit illis gratia, qua præcepta poſſibilia fiant, vel immediatè, vel mediante oratione congruâ, quâ proximè & immediatè ſufficiens gratia obtineatur? Ita deeſt juxta Queſnellum gratia ſufficiens, ut poſſimus occaſiones vitare, vel orare ſicut oportet, quoties occaſiones non vitamus, nec oramus re ipſa ut oportet. Tunc enim gratia deeſt efficax ut patet: ſinè illâ juxta Queſnellum, *non ſolùm nihil boni facimus, ſed nec facere poſſumus*: Non igitur occaſiones malas vitare, non orare ſicut oportet, ſive ut Auguſtinus loquitur, quomodo, & *quantùm res talis, & tanta* (gratia) *petenda eſt.*

30 Quarti ſuppoſiti vanitas, & falſitas prioribus non cedit; nam, & Janſenii ſenſum in primâ ſua propoſitione, uti & in cæteris anathemate perſtrictum ſcimus, nec tamen negaſſe Janſenium, quòd ſubinde præcepti alicujus tranſgreſſio ſinè gratia impediri valeat ſolis naturæ viribus, & impulſu ambitionis,

nis, avaritiæ, aliorumque pravorum affectuum: quamvis præceptum non ſervetur, nec ſuperetur tentatio, ſicut oportet; ſed ut clavus clavo, vitium vitio pellitur. Sic dicit Janſenius, fornicationis tentationem ſubinde ſuperari poſſe ſinè gratiâ, motivo ſolius avaritiæ, aut ſuperbiæ: attamen abſque victrice gratiâ ſemper peccato aliquo hominem quemcunque neceſſariò labi.

31 Audiatur lib. 4. de ſtatu naturæ lapſæ cap. 18. *Ita*, inquit, *peccato periit libertas arbitrii ad faciendum bonum, ut ante gratiam non ſolùm non poſſit univerſam legem moralis boneſtatis implere; ſed nec unam quidem, nec unum opus ejus. Ita inducta eſt peccandi neceſſitas, ut in omni actu, quo legem ſibi videtur vel ſervare, vel tranſgredi, reus alicujus peccati teneatur.* Lib. 3. cap. 15. *ſinè gratiâ ſuperari non poteſt ulla tentatio, vel ſi ſuperetur, alio etiam peccato ſuperatur*. Non itaque ad imputandum Queſnello ſenſum hæreticum propoſitionis primæ à Janſenio intentum, neceſſe fuit ſupponere, quod Queſnellus à nobis neceſſariò ſupponi exiſtimat, ſinè gratia ſolis naturæ viribus, ſed uno peccato aliud declinari non poſſe. Cur enim credidiſſemus Queſnellum Janſenii adeò in cæteris paſſim ſtudioſè ſequacem, hìc recedere ab eo voluiſſe? Non receſſiſſe autem, allata ejus reſponſio convincit. Magna ſcilicet eſt Queſnelli, & Janſenii erga proximos benignitas, ut eis, quoties gratiâ inſuperabiliter efficaci adjuti non fuerint, perpetuam imponat peccandi neceſſitatem; optionem tamen relinquat inter peccata, velintne potius V. G. ambitioni, aut avaritiæ, quàm fornicationi conſentire. Sic miſero indecliuabiliter mactando magnum, Queſnello Judice, ſolatium, magna libertas præſtaretur, oblatâ inter gladios electione ejus, quo mallet occumbere. Sed, & in hac quantumvis exigua concedenda peccantibus libertate, dormitaſſe Janſenium, vel fallere voluiſſe, exploratum eſt. Si enim, ut hæreſeos ſuæ fundamentum ſtatuit, nos velle, & operari neceſſe ſit, ſecundùm id, quod ampliùs nos delectat, delectatione indeliberatâ, quomodo tentationem fornicationis avaritiâ, aut ambitione vincere quis poterit, ubi carnis illecebra magis, quàm pecuniæ, aut honoris amor delectaverit?

32 Dolo etiam pudendo plenum eſt, quod ait Queſnellus, omnes, abſente gratiæ auxilio, à juſtitia decidentes, cadere, *non ex difficultate præceptorum; ſed ex corruptione animorum, defectum poteſtatis inferente ſolummodo voluntarium.* Quæ corruptio animi prævia eſt in eo, qui hactenus juſtus fuit, nunc autem primùm, negato omni auxilio ſufficiente, laberetur? Defectus poteſtatis, ex denegatione omnis ſufficientis auxilii, quomodo hic eſt labenti voluntarius, niſi quatenus verum eſt, eum voluntatè labi, ſed non voluntate liberâ, utpote quàm impedire non poteſt; niſi etiamnum Queſnello placeat damnatus hic 39. articulus Baji: *Quod voluntariè fit, etiamſi neceſſariò fiat, liberè tamen fit?*

33 Quod fit quando volumus, aut non fit quando nolumus, in noſtra eſt poteſtate, ſi tum velle, tum nolle poſſimus; at ſi volitioni neceſſitate adſtringimur, neque nolitio, neque volitio in noſtra dicetur eſſe poteſtate. Atqui deficiente gratiâ, cùm juxta Queſnellum nihil boni agere poſſimus, non adeſt poteſtas volendi efficaciter ſervare præcepta; ſed eorum impletionem, & volitionem ea implendi efficacem prætermittimus neceſſariò. Quid enim aliud eſt prætermittere neceſſariò, quàm facere non poſſe? Imò omnia, quæ voluntate fiunt, tunc impoſſibilia dicenda ſunt, quando velle eſt impoſſibile, ut bene velle abſente gratiâ efficaci eſt impoſſibile, ſi juxta Queſnellum nihil ſinè illa boni facere poſſumus.

34 Quare, cùm Queſnellus ait, *Hominem omni gratiâ privatum bene agere potuiſſe, ſi voluiſſet*, etſi nec bene velle potuerit, atque adeò nec bene agere, imitatur ſtolidam Wickleffiſtarum argutiam, quàm Waldenſis tom. 1. lib. 1. cap. 15. vocat *Gloſſam communem Wickleffi, & generale emplaſtrum. Sub hac*, inquit, *gloſſa communi*, POTEST SI VULT, *ſedent omnes Wickleffiſtæ ſecuri, non tamen ſicut Elias ſub Juniperi umbrâ; ſed ſicut Jonas ſub bedera. Accedat igitur vermis ille, qui eſt prima veritas, mentiar, ſi radices hujus gloſſæ non comedat, unde herba marceſcat. Cur negas Deum poſſe majorare mundum? Quod tamen poteſt, ſi cùm vult, poteſt. Non, inquis: Cur hoc? Quia non vult, & nihil poteſt, niſi volens. Jam ecce ſuppoſui tibi, quòd velit. Non, inquis, poteſt velle, ſed, ſi vult, poteſt.*

35 Quam ſtropham expendens Franciſcus Simonis lib. de Fraudibus hæreticorum parte 2. Fraude 13. exclamat: *Pro! Vitilitigatorem graphicum. Imitatores habuit Lutherum lib. de ſervo arbitrio; Rivetum in ſum. controv. tract. 4. q. 3. & quos non hæreticos libertatis hoſtes?* Hos ſequi placuit Queſnello dum non aliam tribuit libertatem, quàm ſub conditione impoſſibili: Homo ſcilicet juxta ipſum deſtitutus omni gratiâ, etſi nec bene agere, nec bene velle potuerit, tamen *potuiſſet bene agere, ſi voluiſſet*. Pro quo errore ſuo fruſtrà citat Cardinalem Bellarminum, quo nemo clariùs ipſi adverſatur.

36 Sic nempe Eminentiſſimus ait, cap. 8.

Tunc

Tunc cùm non poſſunt ſinè converſione vitare peccatum; Deus nunquam deeſt, & ſi non præbet auxilium, quo peccator poſſit immediatè converti, aut ſervare mandatum, quod tunc ſervandum occurrit; tamen præbet ſaltèm auxilium, quo poſſit deſiderare, & petere majus auxilium; quod ſi non facit, ſuâ culpâ illud non habet, & ſuâ culpâ in tentatione ſuccumbit. Et in fine cap. 7. *Reſtat igitur ut omnes homines ſemper habeant auxilium neceſſarium ad non peccandum, aut certè non poſſint non peccare, ac per hoc peccando non peccent, nec juſtè puniri queant.* Ubi quot numerantur verba, tot ſpicula configunt adverſarium ſtatuentem nos peccati reos, & juſtè puniendos, ſi præcepta non ſervaverimus abſente auxilio ad non peccandum, ſive ad præceptum ſervandum neceſſario.

37 Quintæ & ultimæ prætenſæ ſuppoſitionis neceſſitas, non minùs vana eſt. Quis enim ſanæ mentis Theologus dixerit, neminem accuſari poſſe ſenſûs hæretici in primo Janſeniano articulo condemnati, niſi uſus fuerit voce *impoſſibilia*? Vetat quidem Tridentina Synodus, nè quis *temerariâ illâ, & à Patribus ſub anathemate prohibitâ voce utatur, Dei præcepta homini juſtificato ad obſervandum eſſe impoſſibilia*; Sed ideone licet idem ſignificatum voce ſynonimâ affirmare? Et quidem poſt Romanorum Pontificum contra Janſenium Conſtitutiones, in quibus non ſolus verborum ſonus, ſed maximè *ſenſus Propoſitionum obvius, ſenſus ab Authore intentus proſcribitur*, & ut hæreticus juberur ejurari ab omnibus, qui ad Alexandrinæ ſubſcriptionem Formulæ adiguntur? Et quæ alioqui tam Sacroſancta Fidei definirio eſt, aut quæ hæreſeos condemnatio, quæ non facillimè eludatur, ſi liceat aliis vocibus negare ſenſum definitum, aut retinere, aſſerere, defendere condemnatum? Sic etſi definitum ſit, Chriſtum eſſe verum hominem, negare hæretico in promptu foret Chriſtum eſſe animal rationale, & quotieſcunque decernitur definirum, negari de eodem poſſet definitio.

38 Præcepta hominibus eſſe obſervatu impoſſibilia, & homines præcepta obſervare non poſſe, vocabula parum diverſa ſunt, ſenſus idem: ita viſum ſemper fuit SS. Patribus: & quiſquis Latini idiomatis non ignarus eſt, idem utrobique intelliget. Sic Auguſtinus vocibus illis promiſcuè ut ſynonimis uritur. Qui enim libro 2. de peccatorum meritis, & remiſſione cap. 3. dicit: *Nec præciperet Deus homini, quod eſſet humanæ impoſſibile voluntati*, Lib. de naturâ, & gratiâ cap. 67. ait: *Quæcunque iſta cauſa eſt voluntatis, ſi non poteſt ei reſiſti, ſinè peccato ei ceditur... An tanta fallacia eſt, ut caveri omnino non poſſit? Si ita eſt, nulla ergo peccata ſunt. Quis enim peccat in eo, quod caveri nullo modo poteſt; peccatur autem; caveri igitur poteſt.... Sive ergo immineat* (tentatio) *ſive inſit, caveri poteſt*.

39 Quare interrogatus Belga Theologus à ſuo Antiſtite, quantum Doctor N.N. diſtaret à Janſeniſmo? Non incongruè reſpondir, eum diſtare, *quantum impotentia ſervandi præcepta diſtat ab impoſſibilitate*. Atqui, inquiebat Autiſtes, idem eſt hominem non poſſe ſervare præcepta, & eſſe ea homini ad ſervandum impoſſibilia. Ita, reſpondit Theologus, & mihi ſemper viſum eſt; ſed acuti homines diſcrimen in eo ſitum perſpiciunt, quòd impoſſibilitas teneat ſe ex parte objecti, impotentia ex parte ſubjecti: priore locutione indicari impoſſibilitatem præceptorum ſecundùm ſe, propter nimium, quod ſecum afferunt onus: poſteriore tantùm indicari defectum virium in ſubjecto. Sic volatus ſecundùm ſe non eſt impoſſibilis, cùm aves volitent; ſed nobis deeſt volandi poteſtas, defectu alarum, quæ omni animali ſunt ad volandum neceſſariæ. Hoc autem (ajebat Epiſcopus) diſcrimen ſi ſufficeret, poſſet nobis Deus volarum præcipere, non volantibus ærerna inferre ſupplicia, cauſando, defectum virium in ſubjecto non excuſare, modò non ſit impoſſibilitas objecti. Quæ cavillatio indigna eſt Theologo, & quovis prædito ratione.

40 Parum itaque, imò nihil ad vindicandum Queſnellum ab hæreſi propoſitionis primæ Janſenianæ conduceret; ſi nunquam voce *impoſſibilia* uſus fuiſſet, quando oſtendimus eum clariſſimè æquivalentes adhibuiſſe. Non enim nudus verborum ſonus, ſed ſenſus maximè hæreſim facit.

41 Denique eſt cur dubitem an non reſtrictioni obnoxium ſit, quòd air Queſnellus vocem *impoſſibilia*, ubi de præceptis agitur, in nullis unquam ſuis ſcriptis reperiendam. Non enim inficiabitur ſe eſſe Authorem libri, cui titulus *Defenſe de l'Egliſe Romaine, & des Souverains Pontifes contre Leydecker*. Edita autem defenſio eſt ſub nomine Domini Germain, & cenſetur proſecutio operis *Tradition de l'Egliſe Romaine ſur la grace par Monſ. Germain*, ubi & Authoris nomen idem convenit, & materia operis.

42 Hic tom. 3. parte 2. cap. 4. toto art. 2. ſatìs prolixo, plus quàm 20. paginas implet, ut oſtendat quòd *non poſſe*, & *impoſſibile*, unum idemque ſint. *Quia*, inquir, *nihil mihi poſſibile eſt, niſi quantùm mihi adeſt illud faciendi, omittendive poteſtas, atque eatenus erga illud liber ſum. Pari ratione nihil mihi impoſſibile eſt, niſi quantùm nunc me deficit poteſtas, vel partim,*

vel

vel omnimodè, prout facultas, ſeu poteſtas omnimoda, vel pars ejus defuerit. Ubi concludit, tam *impoſſibile*, quàm *non poſſe* à Patribus ſemper ut ſynonima circa mandatorum obſervationem adhiberi. *Cùm*, inquit, *paſſim non dicatur, quidpiam re ipſa poſſibile alicui, niſi quando revera habet quidquid ad illud faciendum eſt neceſſarium, negari non poteſt, niſi ſubvertendo communem loquendi rationem, quin congruè aſſeratur, non poſſe hominem aliquid facere, id ipſi non eſſe poſſibile, eſſe eidem impoſſibile, quando non omne ad actionem neceſſariò requiſitum adeſt, & vel unum ex requiſitis ad agendum deeſt, etſi adeſſent cætera . . . Suppoſito igitur, quòd gratia efficax neceſſaria ſit ad exercendam, ſicut oportet, quamcunque pietatis actionem divinâ lege imperatam, dici poteſt abſque ullo errore, aut erroris periculo, quòd is, cui auxilium ad præcepti impletionem neceſſarium non eſt datum, implere præceptum nequeat, impletio ipſi hoc ſenſu non ſit poſſibilis, denique quòd illo ſenſu impletio eidem ſit impoſſibilis. Non aſſero illi eſſe abſolutè impoſſibilem, quia alio ſenſu poſſibilis eſt*: nempe remotiſſimè per naturam, propinquiùs per fidem, & habitum charitatis, ſi fidelis & juſtus ſit: præterea quia Deus ſemper in poteſtate habet auxilia ſufficientiſſima, & efficacia, quando voluerit, impertiri. Nihil horum negavit Janſenius.

43 Atque adeò à Queſnello velim edoceri, in quo hic doctrinæ apice ab eo, vel damnato ejus articulo diſſentiat. Nam neque damnata ejus aſſertio enuntiat, aliqua Dei præcepta eſſe hominibus *impoſſibilia abſolutè*, ſive in omnibus circumſtantiis, ſed tantummodo *ſecundùm præſentes quas habent vires, deeſſe quoque illis gratiam, quâ* hìc & nunc *poſſibilia fiant*. Unde impoſſibilitas à Janſenio affirmata, non fuit niſi reſpectiva; quia creſcente poſtmodum gratiæ auxilio, vel decreſcente ardore tentationis, præceptum, quod antea impoſſibile obſervatu juxta Janſenium fuerat, juxta eundem redditur poſſibile; quin imò inſuperabiliter, atque indeclinabiliter adimpletur.

44 Si cum Thomiſtis adverſarius, ut ſæpius jactat, ſentiret, rectiùs ab eorum docendi formulis non recederet; ſed prætermiſſis horridis, atque hæreſim prorſus ſapientibus effatis ſuis, diceret E. G. cum Didaco Alvarez de Auxiliis diſp. 112. *Chriſtum omnibus adultis conferre auxilium ſupernaturale intrinſecum ad implenda præcepta naturalia, quæ, ſuppoſito peccato, per vires naturæ impleri non poſſunt, & illud auxilium recipi ab omnibus pro loco, & tempore, quo præceptum obligat, & præſertim dari omni homini ad uſum rationis venienti, &, ſi eo bene utatur, infallibiliter dandum auxilium ſufficiens, ad immediatè credenda myſteria fidei*.

45 Diceret & cum Didaco Nugnez Cabezudo tom. 2. in 3. part. q. 86. ad art. 1. concl. 2. *Impoſſibile eſt, quòd peccatores ſalventur, niſi agant pœnitentiam; ſed omnibus dat Deus auxilium ſufficiens ad ſalutem; ergo etiam ad pœnitentiam*. Et quæſt. 1. ad art. 2. aſſerit *Chriſtum dediſſe omnibus auxilium ſufficiens, ut agant pœnitentiam*.

46 Non minùs deberet ipſi placêre illud Goneti Tom. 1. Tract. 4. diſp. 4. art. 5. *Si homines eſſent impotentes ad implenda præcepta ſupernaturalia, & carerent auxiliis ſufficientibus ad illa obſervanda, non peccarent illa tranſgrediendo, vel omittendo, quamvis talis impotentia, & carentia auxiliorum proveniret ex peccato Adami, & eſſet voluntaria in capite*. Utinam & diceret cum Vincentio Ferre tom. 2. tractatu 9. de Voluntate Dei num. 647. *Omnes homines tenentur ad ſalutis conſecutionem; ergo poſſunt illam conſequi: hoc poſſe dant auxilia ſufficientia ad conſecutionem beatitudinis*.

47 Num. 650. *Eſto homo per peccatum contraxerit immediatam carentiam auxiliorum, ſufficienter tamen ſcimus ex Tridentino, quod Deus impoſſibilia non jubet; ergo ſemper erit fatendum, quod per Chriſtum Salvatorem reſtituta ſint hominibus auxilia ſufficientia ut poſſint obſervare mandata; aliàs Deus juberet impoſſibilia*. Et apud eum Soto in 4. diſt. 14. art. 10. *Quod nunquam per Deum ſtat, quo minùs quicunque peccator reconciliari cum ipſo valeat; nemini enim auxilium ſpeciale denegat, quod ad reconciliationem ſufficit*.

48 Quibus recentiùs accedit Pater Maſſoulié diſſ. 4. q. 3. art. 3. dicens: *In communi Theologorum ſententiâ etiam cum homo reipsâ V. G. non convertitur, ipſi tamen Deus confert ſufficientia auxilia ex antecedente voluntate, & ſincero etiam ipſius ſalutis amore, quibus ſufficientibus auxiliis homo converti poſſit*. Ibid. *Sinceriſſima eſt Divina voluntas, ſinceriſſimus Dei erga omnes amor, ex quo amore omnibus hominibus ſufficientia auxilia confert, & nedum præparat, & offert; ſed & applicat; etſi variis modis: quibus auxiliis majora ſemper accipere, & ſalutem conſequi homo poſſit, niſi ipſe his majoribus auxiliis impedimentum apponat*.

49 Quem articulum concludit ſtatuens, *Hoc duplex veluti principium, quo omnino convincitur, Janſenium* (addo & Queſnellum) *neque admiſiſſe ſufficientem gratiam, neque ullam admittere potuiſſe. Ex quo duplici principio nullum eſt, quod cum D. Thomæ & hujus ſcholæ doctrinâ, rectâ fronte non pugnet. Primum eſt, quod cùm antecedentem Dei voluntatem* dum-

dumtaxat ſtatui innocentiæ proſpicere vellet, ſola ſufficientia auxilia huic ſtatui conceſſit, eaque à ſtatu corruptæ naturæ ablegavit, cui proſpicit ſola voluntas conſequens. Secundum eſt, quod negaverit à Deo omnibus auxilia, gratiamque offerri: neque etiam deſertionis cauſam quærendam eſſe exiſtimaverit, cur Deus deneget gratiam, niſi quia eam dare non vult. Hinc enim conficitur, nullam eſſe in homine potentiam, neque intrinſecam ex ſufficienti auxilio collato, & recepto, ſed neque etiam extrinſecam ex auxilio ſaltèm oblato, ad implenda Divina præcepta: Quæ omnia adeò à D. Thomæ doctrinâ aliena ſunt, ut priùs cœlum, terramque miſceat, quàm ea Janſenii placita cum puriſſimis D. Thomæ dogmatibus conjungantur. Ita hìc Angelici diſcipulus paſſim apertum Janſenio bellum indicens, atque in id incumbens religioſè, ut communia ſcholæ ſuæ dogmata à Janſenianis, non vocibus ſolùm, ſed ſenſibus ſecernat.

50 Cur autem Queſnellus cum omnibus ſuis novis Auguſtini diſcipulis, Thomiſtarum patrocinium tanto ambitu implorantibus, tam laudabile hic eorum exemplum non ſequitur? Cur loqui pudeat, cum quibus ſe ſentire gloriatur? Verùm affectatio amicitiæ minimè ſincera eſt; ſed fraudulenta, & pernicioſa ſimulatio. Norunt ſcilicet adverſarii tam ſe ubique conſentire Janſenio, quàm hunc fuiſſe ſcholæ Thomiſticæ infeſtum. De quo plura in Prol. cap. 6. & 7.

51 Videndum nunc quid Queſnellus ab Africanis Patribus, quid præcipuè ab Auguſtino ſibi ſperet præſidii. In explicatione Apologeticâ pag. 85. ait. Secundùm Canones Carthaginenſes approbatos, confirmatos, & ad omnes Eccleſias miſſos à Sede Apoſtolica, non licet aſſerere, quòd *etiamſi gratia non daretur, non quidem facilè; ſed tamen poſſimus etiam ſinè illâ implêre Divina mandata*, quod vetatur can. 80. cui addi poſſet 79: *Item quiſquis dixerit, eamdem gratiam Dei per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum propter hoc tantum nos adjuvare ad non peccandum, quia per ipſam nobis revelatur, & aperitur intelligentia mandatorum, ut ſciamus quid appetere, quid vitare debeamus; non autem per illam nobis præſtari, ut quod faciendum cognoverimus, etiam facere diligamus, atque valeamus, anathema ſit.*

52 Canones illos meliùs, quàm Queſnellus novit Apoſtolica Sedes, eoſque univerſa amplectitur Eccleſia; ſed longè aliud eſt nos ſinè gratiâ nihil boni ſalutiferi agere; aliud nos ſinè gratia efficaci, & quidem quæ inſuperabiliter, & indeclinabiliter obtineat effectum, nihil boni agere poſſe, nullum poſſe obſervare mandatum.

53 Præcipua hæc ſunt quæ in *Explicatione Apologetica* ad erroris ſui defenſionem Queſnellus attulit ante Conſtitutionem UNIGENITUS. Omitto quos objicit Societatis JESU Theologos, quos cùm conſtet omnes gratiam ſufficientem admittere, infenſiſſimi hoſtes ſunt illius novitatis, quæ ſtatuit quòd ſinè efficaci gratia non ſolùm nihil faciamus boni, ſed nec facere poſſimus. Quodnam enim gratiæ ſufficientis officium eſt, ſi nè poſſe quidem tribuat? De Auguſtino mox.

CAPUT VIII.

Solvuntur objectiones reliquæ, præſertim Hexaplorum.

1 EXHAUSERAT Queſnellus armamentarium ſuum ante Conſtitutionem, ut moras definitioni injiceret, vel etiam perpetuum, ut ſibi fors blandiebatur, impedimentum. Conſtitutione dein editâ, etſi pertinax Novatorum turba cum magiſtro clamoſiùs tumultuata ſit; præter tetricas tamen repetitiones, & quædam Patrum effata prioribus haud abſimilia, nihil magnopere video allegari.

2 Auguſtinus, inquiunt, libro de Gratia Chriſti cap. 26. contra Pelagium ait: *Gratiam Dei, quâ Charitas Dei diffunditur in cordibus noſtris, per Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis, ſic confiteatur, qui vult veraciter confiteri, ut omnino nihil boni ſinè iſta quod ad pietatem pertinet, veramque juſtitiam, fieri poſſe non dubitet.* Hìc callidè ſiſtunt adverſariorum nonnulli, ſed Hexaplorum Author defectum ſuorum ſupplens, quod in textu ſequitur, addit, unde verus Auguſtini ſenſus dignoſcatur: *Non quomodo iſte* (Pelagius) QUI CUM DICIT, PROPTEREA DARI GRATIAM, UT QUOD A' DEO PRÆCIPITUR, FACILIÙS IMPLEATUR, *quid de illa ſentiat, ſatis oſtendit, ſcilicet quòd etiam ſinè illa, etſi minùs facilè, fieri tamen quod Divinitus præcipitur, poteſt.*

3 Docet igitur Auguſtinus contra Pelagium, gratiam Dei non ſolùm neceſſariam eſſe ad faciliùs poſſe; ſed ad poſſe ſimpliciter. Nè verò Hæreſiarcha Catholicos more ſuo ludificet, dicendo ut refertur cap. præcedenti, *Quod bene loqui poſſumus, Dei eſt*, & quod poſſumus bene cogitare, Dei eſt, ſubintelligendo quatenus Deus dedit nobis naturam; nè, inquam, Pelagius fallat nomine gratiæ, intelligendo ſolummodo *naturam*, *legem*, *atque doctrinam*, de quo eum Auguſtinus accuſat cap. 31. & antea cap. 7. ac 10., S. Doctor ab eo exigit aliam majorem gratiam, & naturæ ordine ſuperiorem. Hujus quidem gene-

Digitized by Google

generis nobiliſſimam commemorat ſpeciem, *quâ Charitas Dei diffunditur in cordibus noſtris, per Spiritum Sanctum qui datus eſt nobis*. Non quaſi nulla veri nominis gratia ſit naturâ excellentior, præter eam *qua charitas Dei &c.* ſed quod hæc etiam & præcipuè ab omni Catholico agnoſcenda ſit.

4 De Charitate, quæ per Spiritum Sanctum in cordibus noſtris diffunditur, ait Apoſtolus, 1.Cor.13. *Omnia ſuffert, omnia credit, omnia ſperat, omnia ſuſtinet, charitas nunquam excidit*, Quod S. Thomas ſic explicat lect.2. OMNIA SUFFERT, *id eſt abſque turbatione omnes defectus proximorum, vel quæcunque adverſa*. Et lect. 3. *Charitas nunquam excidit, quia ſicut in ſtatu viæ, ita permanebit in ſtatu patriæ, & cum augmento*. Nihilominus certum eſt, non omnem Dei charitatem ſemper adeò perfectam eſſe, ut abſque ulla turbatione in quolibet ſubjecto ſufferat omnes proximorum defectus, vel quæcunque adverſa: neque omnem charitatem adeò permanentem eſſe, ut in ſtatu viæ nunquam excidat, ſeu nunqnam peccato expellatur; quem errorem ex Apoſtoli verbis perperam ab aliquibus colligi obſervat S. Thomas, & ea hodiedum Calvinianorum eſt hæreſis, Tridentino anathemate damnata. Sicut nempe ab Apoſtolo Charitatis nomine perfecta deſcribitur, ſic ab Auguſtino gratiæ ſpecies proponitur præcipua, ut hinc certiùs convincatur Pelagius, admittendam eſſe longè aliam gratiam, quæ naturæ, legis, atque doctrinæ finibus non contineatur.

5 Denique dicitur *gratia Dei, quâ charitas Dei diffunditur in cordibus noſtris*, niſi perversâ noſtrâ voluntate impediatur. Idem ſenſus eſt ejus quod profertur ex Auguſtino lib.2. ad Bonifacium cap. 8. Erroneum quippe eſt, imò hæreticum, quod Gratiâ Dei pro actuali auxilio intellectâ, ſemper in cordibus noſtris charitas diffundatur; ſic enim nunquam Dei gratiæ reſiſteretur in hoc ſtatu naturæ lapſæ, quod poſt ſecundi articuli Janſeniani anathema, nullus catholicus aſſeruerit. Magìs qnoqne hæreticum eſt affirmare, *ſinè illâ gratiâ omnino nihil boni, quod ad pietatem pertineat, veramque juſtitiam, fieri poſſe*. Sic enim ſtatueretur, nullum eſſe gratiæ auxilium, niſi quod reipsâ juſtificet, quod nè Janſenio quidem viſum eſt, qui lib. 2. de gratiâ Salvatoris cap.27. fatetur, *Multos Divinitùs colluſtrari, imo verò & in ipſa voluntate motibus Divinæ gratiæ percelli, qui tamen ab ejus internâ ſuaſione & inclinatione diſſentiunt*: & lib. 8. cap.2. ait: *Delectatio victrix, quæ Auguſtino eſt efficax adjutorium, relativa eſt: tunc enim eſt victrix, quando alteram ſuperat; Quod ſi contingat, alteram ardentiorem eſſe, in ſolis inefficacibus deſideriis hærebit animus, nec unquam volet quod volendum eſt*. Ita Janſenius novi agminis ductor à Queſnello temeritate vincitur.

6 Se ipſum quoque Queſnellus ſubvertit, qui 5. articulos à Girardo, conſentientibus Lalanio, & Arnaldo, callidè concinnatos adoptat, in quorum ſecundo dicitur: *Gratia interior duplex eſt; alia efficax, quæ ſemper producit illum effectum, ad quem impellit voluntatem; alia inefficax, quæ voluntatem excitat ad effectum, quem non producit*. Si quoties datur gratia Dei, per eam *diffunderetur charitas Dei in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis*, non appareret, quæ gratia dicenda eſſet *inefficax, & excitare ad effectum, quem non producit*.

7 Si quis ad declinandam hæreſeos cenſuram dixerit, non ita Auguſtini verba accipienda, quaſi omnis gratia talis ſit, ut per eam Charitas Dei diffundatur in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum; ſed tantùm aliquam Dei gratiam iſtiuſmodi in Auguſtini ſententia admittendam eſſe; fruſtrà ea à Queſnello obtruditur ad eliminandum omne auxilium ſufficiens, ſive ad damnati erroris confirmationem, quaſi ſinè efficaci gratia non ſolùm nihil boni operemur, ſed nec operari valeamus. Catholica etiam Auguſtinianæ ſententiæ interpretatio ſuperiùs indicata eſt, ſi dicatur omni gratiâ diffundi in cordibus noſtris charitatem, ſaltèm concurrente aliâ, cui viam ſternit, quamque adducet certiſſimè, ſi libera hominis perverſitas non obſtiterit; Divina enim benignitas, quoties ad juſtificationis & ſalutis opus diſponit, quantumvis remotè, ad finem ultimum cœpta perducet, ſi oblatis gratiæ auxiliis homo non defuerit. Sed hæc iterum interpretatio nihil patrocinii damnato conciliat errori.

8 In quorum uberiorem explicationem iterum reſpondeo, quod, quando Auguſtinus dicit, *nihil boni ſinè illa fieri poſſe*, ſi de ſola gratia efficaci hæc verba intelligantur, non debeant abſolutè accipi, ſed cum modificationibus ab eodem Auguſtino expreſſis, non ſolùm in totâ operum ipſius connexione, ſed etiam in hoc ipſo & immediatè præcedenti capite: ut nempe abſolutè & ſimpliciter non negent, poſſe fieri bonum ſalutiferum, ubi efficax gratia non adeſt, ſed tantùm negent *poſſe* conjunctum cum actu, ſeu poſſe conjungi actum cum carentia gratiæ efficacis. In promptu ratio eſt, quia Auguſtinus apertiſſimè fatetur, ſe non loqui de potentia ſinè actu, ſed de potentia cum actu conjuncta, quàm ipſe cap. 14. ejuſdem libri de gratia Chriſti expli-

explicuerat his verbis: *Omnis qui didicit à Patre, non ſolùm poteſt venire, ſed venit: ubi & poſſibilitatis profectus, & voluntatis affectus & actionis effectus eſt*. Hæc eſt poſſibilitas ſeu potentia conjuncta cum actu, in qua ſimul eſt *& poſſibilitatis profectus, & voluntatis affectus, & actionis effectus*. De hac poſſibilitate agere Auguſtinum, ex eo conſtat, quod cap. 25. ſcribit: *Quomodo enim dicitur*, QUOD POSSUMUS BENE AGERE, DEI EST; QUOD AUTEM AGIMUS, NOSTRUM EST? Cum dicat Apoſtolus, orare ſe ad Deum pro eis „ ad quos ſcribebat, „ nè quid mali faciant, & ut quod bonum „ eſt, faciant. Non enim ait, oramus ut poſ- „ ſitis nihil mali facere; ſed nè quid faciatis „ mali: nec ut poſſitis bonum facere; ſed ut „ bonum faciatis.... Quomodo dicit Pela- „ gius, *quod bene loqui poſſumus, Dei eſt; quod* „ *bene loquimur, noſtrum eſt*, cùm dicat Do- „ minus, Spiritus patris veſtri eſt, qui lo- „ quitur in vobis? Neque enim air, non „ vos eſtis, qui dediſtis vobis bene poſſe lo- „ qui: ſed ait, non vos eſtis qui loquimini. „ Nec ait, Spiritus Patris veſtri eſt, qui vo- „ bis dat, vel dedit poſſe benc loqui; ſed ait, „ qui loquitur in vobis: non ſignificans poſ- „ ſibilitatis profectum, ſed exprimens coo- „ perationis effectum. Quomodo dicit libe- „ ri arbitrii elatus aſſertor, *Quod poſſumus* „ *bene cogitare Dei eſt: quod autem bene co-* „ *gitamus noſtrum eſt*? Cui reſpondet humi- „ lis gratiæ prædicator: non quia idonei ſu- „ mus cogitare aliquid à nobis, quaſi ex no- „ bismetipſis; ſed ſufficientia noſtra ex Deo „ eſt. Non enim ait poſſe cogitare, ſed „ cogitare „. Poſt quæ verba immediatè ſic inchoatur caput 26.: „ Iſtam Dei „ gratiam in Diviuis eloquiis manifeſtam „ eriam Pelagius manifeſtè fateatur. „. Et de eâdem gratia ſermonem proſequeus, versùs finem hujus capitis concludit verbis in argumento relatis, dicens „ Ac per hoc „ gratiam Dei, quâ Charitas Dei diffunditur „ in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum „ qui datus eſt nobis, ſic confiteatur, qui vult „ veraciter confiteri, ut omnino nihil boni „ ſinè illa, quod ad pietatem pertinet veram- „ que juſtitiam, fieri poſſe non dubitet „.

9 Satis exprimit S. Doctor, ſe non loqui de poſſe abſolutè, & ſinè actu; quia jam præmonuerat, Scripturarum teſtimoniis, quibus urgebat Pelagium, non ſignificari potentiam ſinè actu, ſed actum cum potentia, vel potentiam actui conjunctam, ut ex allegatis verbis exploratum eſt. Queſnellus autem adeò hunc ſapientiſſimum docendi modum Sancti Auguſtini non imitatur, ut non modò non exprimat ſe loqui de poſſe conjuncto cum actu & non de poſſe abſolutè; ſed inſuper ita ſententiæ ſua verba diſponit, ut nullum ſimili expoſitioni locum relinquat. Primò enim negat ſinè gratia efficaci *poſſe* conjunctum cum actu, dum dicit, eam eſſe neceſſariam ad agendum, & ſinè ipſa nihil fieri; poſtea verò extemplò ſubdit, *ſed nec fieri poteſt*; quod non niſi ineptiſſimè de alio *poſſe* acciperetur, quàm de *poſſe* ſimpliciter & abſolutè.

10 Alius occurrit reſpondendi modus, fortè in idem rediens cum præcedenti: quod, ſi objecta Auguſtini verba accipiantur de ſola gratia efficaci, non loquatur de impotentia antecedenti, neque de impotentia ſimpliciter; ſed de conſequenti & ſecundùm quid. Quæ reſponſio communis eſt Thomiſtis, & ſcientiam mediam profitentibus. Quod autem illi ab iſtis diverſiſſimè exponant impotentiam conſequentem, nihil id juvat Queſnellum, qui utriſque contradicens, ponit impotentiam ſimpliciter, ubi gratia efficax non adeſt, ut liquet ex terminis damnati ejus articuli, & ex his, quæ paulò ante expoſuimus.

11 Reſpondeo denique, quòd, quando Auguſtinus dicit *ſinè illâ*, non loquatur de ſola gratia efficaci; nec de ſola ſufficiente, ſed de utraque ſimul ſumpta. Quamvis enim Auguſtinus gratiam efficacem intendat concludere conrra Pelagium, ſufficientem tamen minimè negligit, ſed commendat, docet, amplectitur, & confitetur in eiſdem capitibus: & Pelagium urget, ut ipſam ſuffici entem gratiam confiteatur, non in ſuo pravo ſenſu, quaſi quæ ſolùm præbeat faciliùs poſſe id facere, quod propriis viribus poſſumus; ſed in ſenſu Catholico, quaſi quæ det ſimpliciter poſſe ad actus ſalutares, ut manifeſtè conſtat ex ſerie totius Auguſtinianæ ratiocinationis, & præſertim ex verbis excipientibus textum nobis ab Adverſario objectum: ſubdit enim immediatè S. Auguſtinus: „ Non quomodo „ iſte, qui, cùm dicit, *propterea dari gratiam,* „ *ut quod à Deo præcipitur, faciliùs impleatur,* „ quid de illa ſentiat ſatis oſtendit, ſcilicet, „ quod etiam ſinè illa, etſi minùs facilè, fieri „ tamen, quod divinitus præcipitur, poteſt.

12 „ In libro quippe ad Virginem Sacram, „ quod & ſupra commemoravi, cùm dicit, „ *Divinam mereamur gratiam, & faciliùs ne-* „ *quam ſpiritui, Sancti Spiritûs auxilio, reſi-* „ *ſtamus*: ſignificat profectò quid ſapiat. Ut „ quid enim hoc verbum interpoſuit, id eſt, „ *faciliùs*? An verò non erat integer ſenſus, „ *ut nequam ſpiritui, Sancti Spiritûs auxilio,* „ *reſiſtamus*? Sed quantum detrimentum „ hoc additamento fecerit, quis non inrelligat? Volens utique credi, tantas eſſe naturæ vires, quas extollendo præcipitat, ut „ etiam

„ etiam ſinè auxilio Spiritûs Sancti, etſi mi- „ nùs facilè, tamen aliquo modo nequam „ ſpiritui reſiſtatur... Quid opus eſt hoc au- „ xilio, ſi tam forte, tam firmum eſt ad non „ peccandum liberum arbitrium? Sed etiam „ hìc vult intelligi, ad hoc eſſe auxilium, ut „ faciliùs fiat per gratiam, quod etſi minùs „ facilè, tamen putat fieri præter gratiam.... „ Cùm autem *faciliùs* additur, adimpletio „ boni operis etiam ſinè Dei gratia poſſe fie- „ ri, tacitâ ſignificatione ſuggeritur. Quem „ ſenſum redarguit, qui dicit, ſinè me nihil „ poteſtis facere. „ Ex quibus,& aliis, quæ ibidem Auguſtinus ſubnectit, palàm eſt, eum de utraque loqui gratia, & utramque ſimul adversùs Pelagium inferre; ſufficientem ſcilicet, quâ poſſumus, & ſinè qua ſimpliciter non poſſumus ſalutiferum opus implere: & ſimul efficacem, quâ illud implemus, & ſpiritui nequam reſiſtimus,& ſinè qua ſalutariter non implemus,nec reſiſtimus. Cùm igitur de utraque ſimul ſermonem inſtituat, quid mirum eſt, quod dicat *omnino nihil boni* ſalutaris *ſinè illa fieri poſſe*? Utrâque enim ab homine ſejunctâ gratiâ, omnino nihil, quod ad ſalutem pertinet, fieri poſſe, eſt omnibus Catholicis exploratiſſimum. At Queſnellianus damnatus articulus loquitur expreſsè de ſola efficaci, dicendo, quòd ſinè ipſa non ſolùm nihil boni fit, ſed nec fieri poteſt.

13 Eumdem Auguſtini locum integrum, ut à me relatus eſt, intorquet Author Hexaplorum, ſimul columna 5. monens, *P. Queſnellum admittere gratias debiles, initia gratiæ, & quæ non ſemper converſionem peccatoris efficiunt*; quo quidem fuco incautos deludere, & errorem obducere conatur; ſed ſordes minimè abſtergit; nam gratiæ illæ non ita Queſnelli ſenſu debiles ſunt, ut non ſint efficaces, vel ut reſpectu alicujus actûs ſolummodò ſufficientes ſint. Sed debiles appellantur, comparatione fortiorum, quæ integram peccatoris converſionem efficiant. Vocantur etiam debiles comparatione tentationis, ſeu concupiſcentiæ ardentioris, atque ita neceſſariò prævalentis, ut ad ulteriorem effectum gratia ſe extendere nequeat. Verùm cum neque ad vincendam concupiſcentiam, neque ad eliciendam converſionem in Queſnelli,&Janſenii ſententiâ à Deo concedantur, non ſunt ſufficientes ad ullum, qui non conceditur,effectum; ſed operantur inſuperabiliter, & indeclinabiliter quidquid à Deo intenditur, & ad quidquid operandum in his tentationum circumſtantiis idoneæ ſunt, ita ut nulla gratia juxta Queſnellum & Janſenium, plus hic & nunc operari valeat, neque liberum arbitrium cum eâ, quàm quod re ipsâ, & inſuperabiliter operatur.

14 Placet quoque damnati erroris defenſoribus illud epiſtolæ Innocentii I.quæ eſt inter Auguſtinianas centeſima octogeſima prima, aliàs nonageſima prima. *Quamvis redemiſſet hominem à præteritis ille peccatis, tamen ſciens iterum poſſe peccare, ad reparationem ſibi, quemadmodum poſſet illum & poſt corrigere, multa ſervavit: quotidiana præſtat ille remedia, quibus niſi freti, confiſique nitamur, nullatenus vincere humanos poterimus errores. Neceſſe eſt enim, ut quo auxiliante vincimus, eo iterum non auxiliante vincamur*. Certum eſt, nos niſi cœleſtibus confiſi niteremur auxiliis, non poſſe humanos vincere errores, ſed de ſalute, & obſervatione mandatorum neceſſariò deſperaturos. Ut enim Divino auxilio vincimus, (non enim ſinè illo vincimus) neceſſe eſt eo abſente ſuperemur: atque is unicus totius epiſtolæ ſenſus, & finis, cuilibet integram legenti manifeſtus eſt. Non verò Sanctiſſimi Pontificis verbis ſubeſt,quem unicè adverſarii adamant, ſenſus Janſenianus, & hæreticus, quòd ſicut Deo non auxiliante, neceſſariò vincimur, ita auxiliante neceſſariò vincamus; unde ſequeretur, omne Dei auxilium eſſe efficax,nulli unquam in ſtatu naturæ lapſæ reſiſti,imò nec poſſe reſiſti, ſeu diſſentiri:quod conſonat propoſitioni 2.& 4.Janſenii.

15 Sex paginas priores implet Hexaplorum Author citationibus textuum, quibus ſtabiliat primam Propoſitionis partem: *Quod Jeſu Chriſti gratia principium efficax boni cujuſcunque generis neceſſaria ſit ad omne opus bonum*. Quam partem (ſi excipias, quod indefinitè gratiam Chriſti aſſerat efficacem) exiſtimo à nemine fuiſſe accuſatam, neque eam damnationi articuli anſam præbuiſſe. Sed multitudine textuum, quantumvis ſcopo ſuo inutilium, faſcinare Author voluit imperitos.

16 Secundam propoſitionis partem defenſurus, eam à priore duabus paginis ſejunctam ſic proponit: *Abſque illâ (gratiâ) non ſolùm nihil fit, ſed nec fieri poteſt*. Quaſi verò damnatum ſit, & defenſione egeat, quòd ſinè gratiâ nihil ad ſalutem pertinens fieri poſſit. Maluit ſcilicet ſolam vocem *Gratia*, non autem *gratia efficax* includere parentheſi, ut ſententia Catholica proſcripta vulgi oculis appareret. Hic rurſus inutili textuum congerie probandum ſuſcipit, de quo nulla quæſtio eſt, nos ſinè gratiâ non ſolùm nihil ſalutaris boni facere, ſed nec poſſe. Probationis initium ducit ab illo libri 3. de imitatione Chriſti cap. 55. *O quàm maximè eſt mihi neceſſaria,Domine,tua gratia ad inchoandum bonum,*

ad

Digitized by Google

ad proficiendum, & perficiendum! Quæ verba ad confirmationem damnati dogmatis adeò viſa ſunt adverſario opportuna, ut eorum repetitione controverſiam concludendam duxerit, addens quæ in eodem capite mox ſequuntur: *Nam ſinè ea nihil poſſum facere. O verè cœleſtis gratia, ſinè qua nulla ſunt propria merita... Quid ſum ſinè ea, niſi aridum lignum, & ſtirps inutilis ad ejiciendum? Tua ergo me Domine gratia ſemper præveniat, & ſequatur, ac bonis operibus jugiter præſtet eſſe intentum per Jesum Chriſtum filium tuum. Amen.*

17 Senſus piiſſimi ſcriptoris ab omnibus Catholicis ſatis intellectus, & prorſus obvius eſt, quòd ſinè gratiâ nihil boni ſalutiferi facere poſſimus, non autem quòd ſinè gratiâ efficaci; negando ſinè ea non ſolùm actum, ſed etiam potentiam, ut apertè negat damnata propoſitio: *Abſque illa non ſolùm nihil fit; ſed nec fieri poteſt*. At, inquies, *ſinè eâ* non ad gratiam tantummodò referendum eſt; Sed ad *gratiam neceſſariam ad inchoandum bonum, ad proficiendum & perficiendum*. Tunc enim ſequitur, *ſinè ea nihil poſſum facere*. Ergo juxta librum de imitatione Chriſti ſinè gratia efficaci nihil boni facere poſſumus. Reſpondeo interpretationem eſſe ineptiſſimam, & non ſolùm Fidei Catholicæ, ſed ipſis quoque Fidei corruptoribus Queſnello & Janſenio contrariam. Si enim nihil boni facere poſſumus ſinè gratiâ efficaci, neceſſariâ ad inchoandum bonum, ad proficiendum, & perficiendum, nemo bonum inchoare poſſet, niſi ſimul proficeret, & perficeret; atque ita non potuiſſet adoleſcens Euangelicus mittere manum ad aratrum, cùm, teſte Salvatore, reſpiciens retro non profecerit, nec perfecerit, quod ſuadebatur.

18 Quomodo juxta eamdem interpretationem Queſnellus admittit *gratias debiles, initia gratiæ, & quæ non ſemper converſionem peccatoris efficiunt?* Et quomodo ibidem agnoſcit gratias, *quæ non ſemper producunt effectum, quem poſſent, quæque ſinè fructu manent ob animi corruptionem?* Gratia, quæ non ſolùm *incboationem* boni operis, ſed *profectum* quoque & *perfectionem* efficit, minimè dicenda eſt *manere ſinè fructu*, eſſe *gratia debilis*, & *ſolum gratiæ initium*.

19 Objiciunt Hexapla etiam S. Fulgentium dicentem libro primo de veritate prædeſtinationis cap. 20. *Operatur ergo gratia, & illuminationem in hominibus, & ſalutem, ut mandata legis, quæ donec homo implêre non poterat, non tantùm inutiliter, ſed etiam damnabiliter audiebat, adjutorio gratiæ præventus, non ſolùm ſancta, & juſta, & bona eſſe noverit, verùm etiam charitatem accipiat, quâ poſſit & diligere, & implere, quod diſcit*. Ex qua hujus ſententiæ parte Author eruit, quod ſinè gratiâ efficaci non ſolùm nihil fiat boni, ſed nec fieri valeat? Nam per *gratiam*, quæ *operatur illuminationem & ſalutem*, vel intelligitur omnis gratia, vel aliqua tantùm. Si omnis, certiſſimè falſa, & hæretica eſt interpretatio; quòd enim non omnis gratia operetur ſalutem, Catholicis omnibus compertum eſt, & Divinis oraculis ſæpiſſimè revelatum. Si aliqua tantùm gratia operetur ſalutem, quid indè pro efficacia omnis gratiæ conficies, quaſi præter eam nulla detur ſufficiens, quæ ſalutem operari poſſit, etſi reipſa non efficiat? Deinde evidens eſt, *charitatem* hìc intelligi non poſſe propriè dictam, ſive pro habitu, ſive pro actu; conſtat enim, neque habitum charitatis prærequiri, ut quis mandatum aliquod diligere poſſit, & implêre; alioquin nullus in peccato exiſtens ullum poſſet diligere, & ſervare præceptum: nec minùs perſpicuum eſt, non prærequiri actum amoris Dei elicitum, & deliberatum; ridiculum enim eſt, & naturæ lumini adverſum, quòd, ut quis diligere poſſit, prærequiratur deliberata dilectio.

20 Supereſt, ut *charitas* hìc accipiatur impropriè, pro amore Juſtitiæ indeliberato, ut ſubinde accipitur ab Auguſtino, quo amore indeliberato, & cœlitus nobis indito fit, ut etiam amore deliberato, & meriti capace diligere poſſimus, & implere quod diligitur. Sed amorem illum indeliberatum abjicere poſſumus, atque adeò non ſequitur, quòd omnis gratia tribuens poteſtatem, largiatur & actum deliberatum, ſive quòd nullibi ſit poteſtas boni faciendi, niſi cùm bonum reipſa efficitur.

21 Nec obeſt, ſi dixeris, Fulgentium loqui de gratia efficaci, quandoquidem agat de illa, quæ *operatur & illuminationem in homine, & ſalutem*: ad gratiam igitur efficacem referri, quod in eodem contextu ſubdit, dicens: *Quâ poſſit & diligere, & implere quod diſcit*: gratia itaque efficax eſt, quæ dat poſſe. Reſpondeo enim primò, etiam de gratia ſufficiente verè aſſeri, quòd operetur in hominibus ſalutem, concurrente ſaltèm aliâ, cui viam ſternit, quamque adducet certiſſimè; ſi libera hominis perverſitas non obſtiterit. Reſpondeo ſecundò, non loqui Fulgentium de ſolo efficaci auxilio, neque de ſolo ſufficienti; ſed de utroque ſimul. Reſpondeo tertiò, Fulgentium agere de potentia diligendi, & implendi conjuncta cum actu, non ſinè actu. Et tandem reſpondeo quartò, ſermonem Sancto eſſe de potentia conſequente. Quæ omnia paulò ante expoſui copioſiùs, reſpondens ad authoritatem Auguſtini initio hujus

hujus capitis objectam. Quis enim dubitet, quin tanti Doctoris veſtigia deſerere noluerit ſapientiſſimus diſcipulus?

22 Non plus præſidii Queſnello adferunt Hexapla ex S.Bernardo tractatu de gratiâ, & lib.arbit. cap.1. cùm ait: *Tu fortè putaveras, tua te creaſſe merita, tuâ poſſe ſalvari juſtitiâ, qui nec ſaltem Dominum Jeſum dicere potes, niſi in Spiritu Sancto? Itane oblitus es, quis dixerit, Sinè me nihil poteſtis facere? Et, Neque currentis, neque volentis, ſed Dei miſerentis eſt? Quid igitur agit, ais, liberum arbitrium? Breviter reſpondeo: Tolle liberum arbitrium, non erit quod ſalvetur; Tolle gratiam, non erit unde ſalvetur.* In totâ, ut patet Bernardi oratione, ſolùm traditur, quod nihil poſſimus boni facere ſinè gratia. Sed cur, quod de gratia in genere dicitur, ad efficacem ab erroris patrono reſtringitur?

23 Tandem & ad Concilium Tridentinum CLEMENS XI. provocatur. Illud nempe, inquit, Hexaplorum compilator, Queſnello favet ſeſſ. 6. cap. 16. ubi dicitur: *Cùm enim ille ipſe Chriſtus Jeſus, tanquam caput in membra, & tanquam vitis in palmites, in ipſos juſtificatos jugiter virtutem influat, quæ virtus bona eorum opera ſemper antecedit, & comitatur, & ſubſequitur, & ſinè quâ nullo pacto Deo grata, & meritoria eſſe poſſent.*

24 De ſolis illic juſtificatis ſermonem eſſe, neminem fugere poteſt; ſed & per virtutem vel intelligitur habitus charitatis, & tunc Tridentini textus ad præſentem controverſiam non pertinet: vel intelligitur auxilium gratiæ actualis, & tunc verum eſt, quòd ſinè illa virtute nullum opus noſtrum poſſit eſſe meritorium, aut placere Deo, neque ſic Tridentinum damnato articulo ſuffragatur; nam aliud eſt ſinè gratiæ auxilio nullum opus poſſe eſſe meritorium, aliud ſinè auxilio efficaci, ſive re ipſa operante, nullum tale opus fieri poſſe. Sic anima eſt, quæ reminiſcitur, intelligit, vult; ſinè illa homo nec reminiſci, nec intelligere, nec velle poteſt: ideòne dicendum eſt, hominem non poſſe reminiſci, intelligere, velle, niſi animam habeat actu reminiſcentem, intelligentem, volentem?

25 Non prætermittenda hîc eſt Hexaplorum perfidia, dum ea Tridentini verba: *Sinè qua* (virtute) *nullo pacto Deo grata, & meritoria eſſe poſſent* opera, ita vertunt. *Sans elle non ſeulement ils ne pourroient rien faire, qui meritât d'être recompensè, mais même, qui pût plaire a Dieu en aucune maniere.* Aliud ſcilicet eſt, opera facta ſinè gratia efficaci non poſſe eſſe meritoria, aliud, nos abſque gratia efficaci elicere opera meritoria non poſſe. Tam enim anterius iſtud verum eſt, quàm poſterius falſum; quia in priori negatur operi naturali poteſtas meriti, in poſteriori ante gratiam efficacem negatur poteſtas efficacem gratiam conſequendi, atque ita exercendi opus meriti capax.

26 Quapropter demum ſupponamus, Tridentinum dicere, quòd ſinè gratiâ efficaci *opera noſtra nullo pacto Deo grata, & meritoria eſſe poſſint*, nè inde quidem ſequitur, quòd ſinè gratia nihil boni non ſolùm fiat, ſed nec fieri poſſit. Nam in antecedente rantummodo negatur poſſibilis compoſitio meriti cum opere naturali, ſive earente gratiæ influxu: in conſequenti negatur compoſitio poteſtatis eum negatione actûs. Certum autem omnibus Catholicis eſt, quantumvis inficientur Janſeniani, cum negatione actûs optimè conjungi agendi facultatem, etſi conſentiamus omnes Tridentino, opera ſinè auxilio Dei, & quidem efficaci facta, nullo pacto poſſe Deo grata eſſe, & meritoria.

27 Non magis Definitioni Pontificiæ obeſt Concilii 2. Arauſicani Canon VII. in Hexaplis objectus: *Si quis per naturæ vigorem, bonum aliquid, quod ad ſalutem pertinet vitæ æternæ, cogitare ut expedit, aut eligere, ſive ſalutari, ideſt Euangelicæ Prædicationi conſentire poſſe confirmat, abſque illuminatione, & inſpiratione Spiritûs Sancti, qui dat omnibus ſuavitatem in conſentiendo, & credendo veritati, hæretico fallitur ſpiritu, non intelligens vocem Dei in Euangelio dicentis: Sinè me nihil poteſtis facere: & illud Apoſtoli: Non quòd idonei ſimus cogitare aliquid à nobis, quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt.*

28 Cujus Canonis, ſeu Capituli ſenſus optimè exprimitur, hoc ejus titulo in editione anni 1629. *Quòd viribus naturæ bonum aliquid, quod ad ſalutem pertineat, cogitare, aut eligere ſinè gratia non poſſimus.* Sed aliud eſt, nos non poſſe ſinè gratia, aliud eſt non poſſe ſinè gratiâ efficaci. Poſterius, non prius deſtruit omnem gratiam ſufficientem. Rectè contra Pelagium definit Arauſicana Synodus, conſenſum, & fidem ſalutarem non eſſe ex nobis ſinè gratia; ſed Spiritum Sanctum dare *omnibus* conſentientibus, & credentibus *ſuavitatem in conſentiendo, & credendo veritati*; ſed & ſuavitatem ad conſentiendum, & credendum multis impertit, qui neque conſentiunt, neque credunt, pervicaciâ humanâ reſiſtente Divinæ gratiæ illecebris.

29 Hactenus de columna Hexaplorum tertiâ. Quartæ robur in ſequenti præcipuè collocat Author *Obſervatione*. „ Sanctorum „ (inquit) Auguſtini, & Thomæ diſcipuli, ab „ utroque ſuo Magiſtro, à Scripturis, & tra„ ditione didiceerant, gratiæ ſe ipsâ efficacis, ad

„ ad omne pietatis opus neceſſitatem. Uſque „ ad diem 8. menſis Septembris proximè „ elapſi nemo auſus fuerat hoc eis crimini „ vertere, & crimen illud hodiedum mate- „ ries gloriæ eſt. Verùm ſi nemo eos de dog- „ mate, & ſenſu accuſare auſus ſit, crimi- „ nandi anſa quæſita eſt in vocibus, & mo- „ do loquendi. Nam poſt controverſias ex- „ ortas occaſione libri Janſenii, quidam Mo- „ liniſtæ exoticis ineptiis, quas non facile à „ mala fide purgaveris, permiſsâ adverſa- „ riis ſuis gratiæ efficacis neceſſitate, eos in „ crimen vocarunt; quòd uterentur voce „ *non poteſt*, & dicerent, hominem ſinè gra- „ tiâ ad agendum neceſſariâ *non poſſe agere*. „ Unde nobis neceſſitas impoſita fuit, hanc „ illuſtrandi quæſtionem: quòd variis lucu- „ brationibus præſtitum, nempe inter cæte- „ ras ſecundâ & tertiâ *Epiſtolâ*, vulgò *Pro-* „ *vinciali*, *Defenſione Conſtitutionis Innocen-* „ *tii X.* Authore Domino de Lalane, & *Ar-* „ *naldi diviſa in quatuor partes diſſertatione*, „ quæ refertur in libro, cui titulus *Cauſa Ar-* „ *naldina* „ : Huc uſque Hexapla.

30 Quinam hìc Auguſtini Diſcipuli vocentur, minimè obſcurum eſt; nempe Lalanius Janſenianæ ad Innocentium X. legationis quodammodo caput; ſub ficto Ludovici Montaltii nomine Blaſius Paſchalis Provincialium epiſtolarum Author, & Antonius Arnaldus Janſenianæ hæreſeos à Sorbona reus perenni ſententiâ condemnatus, tres præcipui Janſenianorum dogmatum, etiam poſt anathema, defenſores, atque adeò ipſe Janſenius, aliàs *Auguſtinus Iprenſis*, appellantur *Auguſtini Diſcipuli*.

31 Fruſtrà autem tentat Queſnellus componere cum doctrina Thomiſtica efficacis ſuæ gratiæ Ideam, utpote non ſupponentis auxilium verè ſufficiens, quo ramen palàm fatentur Thomiſtæ, ſic potentiam liberam ad actum ſalutarem inſtrui, & conſtitui, ut nihilominus ſoluta perſtet, & inviolata ad diſſentiendum, etiam ſub tractu efficacis gratiæ, Deo internè vocanti, & excitanti. Cui libertati, juxta eoſdem, nihil officit neceſſitas orta ab efficaci auxilio; cùm hæc tantummodo conſequens ſit, teneatque ſe ex parte actûs ſecundi: quorum nihil Queſnelli ſententiæ congruit.

32 Quantâ verò fraude moliatur fictitius ille Sancti Auguſtini Diſcipulus in partes gratiæ ſuæ antecedentem neceſſitatem inferentis, trahere ſcholam S. Thomæ, non alio opus eſt quàm ipſius Janſenii teſtimonio; qui lib. 3. de gratia Chriſti Salv. c. 3. effutit, nihil monſtruoſius gratiâ ſufficiente ab efficaci diſtincta poſſe proferri: & lib. 2. c. 24. & ſeqq. gratiæ interiori in ſtatu naturæ lapſæ nunquam reſiſti. Quid quod lib. 8. de gratia Chriſti ſuam efficacem gratiam à Thomiſtica ſeptem diſcriminibus ſeparat, atque ab ea gravibus cenſuris inceſſenda non abſtinet. Sic primæ editionis Lovanienſis tomo 2. col. 182. ait: „ Prædeterminatio illa Phyſica deſtruit prorſus magnam illam libertatem, & bene vi- „ vendi poteſtatem, quam Auguſtinus, Pontifices, & Concilia nos in Adamo amiſiſſe „ teſtantur.... Quòd ſi tunc per phyſicam „ prædeterminationem debebat fieri effe- „ ctus, quemadmodum Authores ejus tra- „ dunt, jam funditus illa doctrina Auguſti- „ ni, & Conciliorum labefactata corruet. „

33 Col. 582. & 583. „ Ex quibus omnibus (inquit) perſpicuè oſtenditur, nihil „ capitalius principiis Auguſtini, nihil quod „ ejus doctrinæ magis ex diametro repu- „ gnet, effingi poſſe, quàm quòd Adami ad- „ jutorium in phyſicâ illa prædeterminatio- „ ne ſitum fuerit. „

34 Tomo 3. columna 821. „ Qui medicinalem Chriſti Gratiam ſic defendere co- „ nantur, ut eam in talem prædeterminatio- „ nem phyſicam transforment, magis profe- „ ctò Ariſtotelici, quàm Auguſtiniani ſunt; „ nam talis prædeterminatio ſic aſſerta.... „ univerſam doctrinam ejus innumeris locis „ traditam, inexplicabili confuſione contur- „ bar... tollit, obſcuratque veram radicem „ neceſſitatis gratiæ medicinalis... denique „ cogitur inferre non exiguam vim Scriptu- „ ris Sacris.

35 Non crimini vertimus gratiam ſe ipſâ efficacem, modò talis ſtatuatur, ut eâ præventum liberum arbitrium poſſit diſſentire, quæque verè ſufficientem non excludit. Calvinianam autem, & Janſenianam efficaciam, utroque illo ſenſu Catholico deſtitutam deteſtari deſinemus nunquam, frendeant licèt prætenſi Auguſtiniani, cum Gebennenſibus Iprenſes.

36 Nihil inepti, nihil exotici in eo eſt, quod admiſsâ gratiæ efficacis neceſſitate, non toleretur in Calvini & Janſenii ſequacibus, quòd dicant illâ gratiâ non ſolummodo nihil boni fieri, ſed neque poſſe. Non tolerat id Sorbona, quæ anno 1655. pluſquàm centum Doctorum ſuffragiis damnavit hæreſeos in Arnaldo, utque Sorbonici deinceps omnes damnare cogantur, Decreto Facultatis perpetuo ſtabilitum eſt. Proſcriptum verò Arnaldi dogma priùs fuerat in Janſenio à Sede Apoſtolica, & nunc ab eadem configitur in Queſnello. Frivola itaque Hexaplorum obſervatio eſt, hujus erroris inſectationem ſolis tribuere Moliniſtis; ſed & nimia his conceditur gloria, ſi ſoli contra hæreſim anathematis cenſeantur Authores. Porro nè lectoribus,

ribus, Janſenianarum fraudum, minùs fortè conſciis illudat ea Hexaplorum aſſertio, *Hominem ſinè gratiâ* (efficaci) *ad agendum neceſſariâ non poſſe agere*, detegendum hic perſpicuè ejus venenum eſt.

37 Neminem ſinè gratia efficaci agere opus ad ſalutem, vel juſtitiam conducens, omnibus exploratum eſt; hinc rectè ſtatuitur *Gratia efficax ad agendum neceſſaria*. Verùm ea efficacis gratiæ neceſſitas, omnibus hoc auxilio carentibus non infert defectum poteſtatis agendi propriè dictum, ſeu antecedentem, ſed conſequentem tantummodo, & liberâ hominis determinatione poſteriorem; nam quiſquis ſufficiente auxilio inſtructus eſt, in ſua poſitum habet poteſtate vel illud reddere efficax, vel aliud efficax obtinere. Sic ipſi cum cæteris Catholicis Thomiſtæ, ut Balthazar Navarrette in 1. partem q.19. art.8. controv.19. *Aſſerit ergo noſtra propoſitio, quòd collato auxilio ſufficienti, ſi homo non reſiſtat, Deus ex ſua liberalitate confert auxilium efficax tanquam complementum actuale*. Joannes à S.Thoma in primam partem ad quæſtionem 23. diſput.5. pag.218. *Non habere*(auxilium efficax) *eſt ex impedimento quod voluntariè præſtat, occupando ſe circa aliud voluntariè, & reddendo ſe incompoſſibilem, & repugnantem illi auxilio efficaci*. Gonzales de Albelda in 1. partem D. Thomæ diſp.58.num.16. *Indubiè tenendum eſſe cenſeo, voluntatem creatam, ſolùm ſufficienter adjutam à Deo habere ultimum complementum potentiæ activæ: habere totam illam virtutem, quæ ſufficit, & requiritur, ut in actu primo ſit ultimatè completa, & proximè expedita ad conſentiendum Deo*; adeòque ad obtinendum auxilium efficax. Quis probè Catholicus ita non ſentit? Non igitur ea eſt ſolummodo *Moliniſtarum* ſententia, quòd ſinè gratia efficaci ad agendum neceſſaria ſit agendi poteſtas.

38 Et quidem in ipſis quinque articulis à Queſnello totiès jactatis art. 2. adſtruitur gratia quædam, *Thomiſtarum ſenſu ſufficiens, cui poſſit voluntas conſentire, nec tamen, ſi abſit gratia efficax, unquam conſentiat*, NON DEFECTU ANTECEDENTIS POTESTATIS; *ſed liberâ ſui ipſius in oppoſitum determinatione*. Quæ aſſertio, ſi fraudulento ſenſu non accipitur, ſubruit propoſitionem damnatam: qua, abſente auxilio efficaci, non ſolùm actus, ſed & poteſtas agendi denegatur.

39 Saltèm dubitari non poteſt, quin in operibus ex genere ſuo indifferentibus, qualia ſunt ſedere, ſtare, incedere, poteſtas agendi ſit ante præbitum à Deo concurſum, & tamen concurſus Dei ad agendum eſt neceſſarius; non igitur ſolorum eſt, ut volunt Hexapla, Moliniſtarum placitum, quòd etſi aliquid dicatur ad actionem neceſſarium, non propterea eo abſente neganda ſit actionis eliciendæ poteſtas.

40 Sic pariter rejicitur, quod Hexapla ingerunt columna 4. ex ſcripto defuncti Meldenſis Epiſcopi, *Debuiſſe aſſertum* Queſnelli *explicari benigniùs, ſic nempe, ut ſinè gratiâ efficaci nihil poſſit fieri potentiâ cum actu conjunctâ*, quod propriè nihil aliud eſt quàm ſinè auxilio efficaci, nos nihil agere, quemadmodum Deo ad quemcunque actum, etiam indifferentem, non concurrente, nunquam à nobis agitur, atque ita nunquam nobis eſt agendi poteſtas ſimul cum actione. Non tamen neganda ſimpliciter, & abſolutè eſt agendi poteſtas ante concurſum à Deo præſtitum: ita neque ſimpliciter, & abſolutè tolli nobis à Queſnello debuit bene agendi facultas, quoties non bene agimus, ſive quoties Deus auxilio actum largiente non concurrit.

41 Obſtruit Queſnellus omnem excuſationi aditum, omnem benignæ interpretationi, qua aliàs credi poſſet, non poteſtatem ſimpliciter tollere voluiſſe abſente efficaci auxilio, ſed actum ſolummodo, ſive locutione pluribus familiari, potentiam actui conjunctam, ſicut Eccleſia orat Dominica VIII. poſt Pentecoſtem, *Largire nobis quæſumus Domine, ſpiritum cogitandi, quæ recta ſunt, propitius, & agendi, ut qui ſinè te eſſe non poſſumus, ſecundùm te vivere* VALEAMUS: ubi manifeſtum eſt non ſolùm peti ſecundùm Deum vivendi poteſtatem, ſed maximè vitam ipſam ſecundùm Sanctiſſima Dei placita tranſigendam, ſive poteſtatem bonis actibus conjunctam. Tali, inquam, interpretationi via obſtruitur ipſis damnatæ propoſitionis verbis, quibus diſertè exprimitur non ſolius negatio actûs, ſive potentiæ complectentis ſimul actionem, ſed potentiæ ſimpliciter, diſtinctiſſimè enuntiando abſque gratia efficaci, *non ſolùm nihil fieri, ſed nec fieri poſſe*.

42 Profectò ineptiſſima alioqui, & vel à pueris explodenda foret Queſnelli aſſertio, ſi poteſtatem agendi omnibus efficienti auxilio carentibus negando, tantùm intendiſſet inficiari poteſtatem actui conjunctam, quod aliud non ſignificat, quàm actum non poni ſinè auxilio efficaci. Tunc ſcilicet propoſitionis ſenſus eſſet, ſinè efficiente gratia non ſolùm nihil fieri, ſed nec fieri. Quis ſapiens ita loqui exiſtimandus eſt? Quis de omni non ſedente aſſerat, quòd non ſolùm non ſedeat, ſed nec ſedere poſſit: & de aſſerti hujus falſitate convictus non ad nugivendulos rejiciatur, ſi dicat ſe tantummodo facultatem actui connexam inficiatum, ſeu tantùm affirmaſſe, quòd non ſedens non ſedeat? Nugas itaque

mittamus, & Queſnelli propoſitionem hæreticam ſenſu proprio, & obvio intellectam Sede Apoſtolica præeunte damnemus.

CAPUT IX.

Examinantur Obſervationes propoſitæ nomine Theologorum Galliæ.

1 Novas deſperatiſſimæ cauſæ ſuppetias promittit anonymus Author libelli cui titulus *Varia Theologorum Galliæ obſervationes in Conſtitutionem S.D.N.* Clementis *Papæ XI. quæ incipit* Unigenitus Dei Filius. Pag. 34. „ Secundæ (inquit) propoſitionis cenſura „ plures, eaſque graviſſimas, tum in ſcholis „ Theologicis, cum in plebe Chriſtiana que„ relas excitavit. Conqueruntur primò quòd „ hujus propoſitionis excerptores, verba „ contextûs Gallica non ſecundùm proprie„ tatem vocum; ſed pro arbitrio ſuo Latinè „ reddiderint: qua in re ſenſus non ſemel „ depravatus eſt; Gallica namque verba na„ tivum hunc ſenſum exprimunt: *Gratia* „ *Chriſti, qui principium eſt efficax cujuſcun-* „ *que boni, neceſſaria eſt ad omne opus bonum* „ *&c. La grace de J. C. principe efficace de* „ *toute ſorte de bien, eſt neceſſaire pour toute* „ *bonne action &c.* Quæ verſio omnem accu„ ſandæ propoſitionis prætextum tollit, ut „ conſideranti patet. Verùm ut hîc gratiæ „ ſufficientis negatæ error, qui Janſenianus „ eſt, obtrnderetur, hoc pacto ea verba Lati„ nè referuntur: Jesu *Chriſti gratia princi-* „ *pium efficax boni cujuſcunque generis, neceſ-* „ *ſaria eſt ad omne opus bonum: abſque illa non* „ *ſolùm nihil fit, ſed nec fieri poteſt*. Quæ „ verſio ſignificat, ſine gratia, quæ eſt prin„ cipium efficax, nihil boni fieri poſſe. Un„ de Cenſores ſequi neceſſariò exiſtimarunt, „ hic ita adſtrui gratiæ efficacis neceſſita„ tem, ut gratiæ ſufficienti auferatur omnis „ poteſtas cujuſquam boni efficiendi. At „ certè illas voces *principium efficax* non ad „ gratiam; ſed ad Chriſtum gratiæ fontem „ referendas eſſe, mulra ſuadent. „

2 Multa iſta pluribus paginis labore inutili Author extendit, non ut veritati lucem afferat, ſed luci tenebras. Verùm & has facilè diſſipabit veritas ipſa, & ineluctabile ex ipſo adverſarii patrocinio eliciet argumentum, quo plurimi Queſnelli Articuli de Janſeniano errore, atque hæreſi convincantur.

3 Quiſquis ante Bullam Unigenitus in *Obſervationibus Moralibus* Gallicis legit propoſitionem, de qua hîc diſceptatio eſt, non dubitavit eam intelligere, prout Latinè exprimit Conſtitutio, ut nempe *principe efficace*, non referatur ad Jesum *Chriſtum*, ſed ad ejus *gratiam*. Hanc acceptionem communiſſimus loquendi uſus poſtulat, & obtinuit hactenus apud omnes. Nam etſi principium omnipotens omnis boni ſit Chriſtus, non ſolet is tamen paſſim ſive Gallicè *Principe efficace* ſiveLatinè *Principium efficax* appellari. Prædicatum iſtud, præſertim ab eo tempore quo de efficacitate gratiæ à Scholaſticis diſputatum eſt, Divino tribuitur auxilio, eique quodammodo ſoli receptiſſima conſuetudine reſervatur. Neque conveniens foret ejus ad Chriſtum translatio juxta ipſos maximè Auguſtini diſcipulos, & quoſcunque talis gratiæ intrinſecè efficacis defenſores; penès quos omnem ſemper obtinet effectum, cujus in talibus circumſtantiis capax eſt. Chriſtum autem ſemper efficere quidquid poteſt, nemo ſanæ mentis affirmaverit. Et quidem ad Queſnelli Articulum quod attinet, neminem ante ejus cenſuram aliter *Principe efficace* in textu Gallico accipientem, neminem aliter interpretantem videre mihi licuit, vel audire.

4 Epiſcopi Lucionenſis, & Rupellenſis, qui præcipuam vitæ partem in ſcientia Theologica perdiſcenda, tradendaque aliis poſuêre, in documento Paſtorali anno 1712. ante Conſtitntionem Unigenitus pag. 16. ita propoſitionem Queſnelli ex Gallico Latinè reddiderant: *Gratia Chriſti omnis boni principium efficax, neceſſaria eſt ad omne bonum opus, ſive magnum ſive parvum, ſive facile ſive difficile, ad inchoandum, ad continuandum, ad perficiendum. Sinè illa non ſolùm nihil fit, ſed nihil fieri poteſt.* Dein relatis duobus aliis Queſnelli textibus, *En* (inquiunt Antiſtites) *Janſenii doctrina, quæ in prima quinque propoſitionum damnata eſt ut hæretica. Potuitne planiùs tradi, quàm in biſce Queſnelli Obſervationibus, quas modò retulimus?*

5 Iſta duorum Antiſtitum contra Queſnellum accuſatio gravior ipſi viſa eſt, quàm ut poſſet ſilentio præteriri. Oppoſuit ei eodem anno librum Gallicum hac inſcriptione: *Explicatio Apologetica ſententiarum Patris Queſnel.* Illic pag. 93. duplicem deſignat defenſionis viam: primam quòd *Cardinalis de Noailles indulgens Criticorum maximè rigidorum ſcrupulis ſuſtulerit* (ex editionibus poſterloribus) *vocem* Efficace. *Altera eſt, quòd voce* Efficace *retentâ, propoſitionem hic ſtabiliat ſyllogiſmus: ſi verba Chriſti*, Sine me nihil poteſtis facere, *intelligi debent de gratiâ efficaci ex ſe ipſa, oportet dicere & quidem fide certum eſt, quòd abſque gratia efficaci ex ſe ipſa nihil fieri poſſit. Atqui juxta ſcholam Sanctorum Auguſtini*,

ſtini, & Thomæ de tali gratia intelliguntur. Igitur juxta ſcholam utriuſque Sancti Doctoris aſſerendum eſt, & quidem fide credendum, quòd abſque gratia efficaci nihil fieri poſſit. Habemus hìc principium *efficax*, ab ipſo Queſnello applicatum *gratiæ*, & inſtar Articuli Fidei defenſum. In tota autem *Explicatione Apologetica*, quæ admodum prolixa, & ſtudioſa eſt, nuſquam monet, *principium efficax* ad Chriſtum ſolummodo, non ad gratiam pertinere. Nimis ſcilicet frivola tunc ei apparuerit cavillatio.

6 Alius liber à Queſnello pro ſuo agnitus, eſt anni 1713. hoc titulo, *Vani Jeſuitarum conatus*. Hìc pag. 98. & ſequentibus, eodem protſus modo, quo in Conſtitutione exprimitur, propoſitionem ſecundam intelligit, & propugnat concludens pag. 101. *Eam adeò Traditione ſtabilitam eſſe, ut, ſi unquam eam damnari contingeret, ſcandalum maximum foret inevitabile.*

7 Poſt Conſtitutionem Unigenitus quadraginta Epiſcopi Pariſiis congregati in *Documento paſtorali* eamdem propoſitionem intelligunt *de gratiâ, quæ ſemper obtineat ſuum effectum, & ſinè quâ ſit vera agendi boni impoſſibilitas*. Ideo eam impugnant veluti *conſonam primæ propoſitioni in Janſenio condemnatæ*. Quid ad hæc Queſnellus, ſive ejus adversùs Epiſcopos defenſor? In *Animadverſionibus* anni 1714. in lib. *Deliberations &c.* pag. 31. *Verum eſt*, inquit, *Obſervationum Moralium Authorem* (Queſnellum) *aſſerere, quòd abſque gratiâ efficaci nihil fieri poſſit, quòd ſinè ea Chriſtum confiteri non valeamus; ſed aſſerit edoctus à Chriſto*. In margine notatur *prop. 2. & 9.*

8 Anno 1713. edidit Queſnellus *Documenta pro examine Conſtitutionis Pontificiæ adversùs Novum Teſtamentum Gallicum cum Obſervationibus Moralibus*. Illic pag. 16. Propoſitionem 2. integram Latinè refert, & defendit contra definitionem Apoſtolicam. Pag. 20. dicitur: „ Gratia, quâ ſpes elici„ tur, qua lex diligitur, & re ipſa impletur, „ ſecundùm omnes ſcholas catholicas eſt ef„ ficax. Quare igitur aſſerere non liceat, „ *Gratiam* Jesu *Chriſti eſſe principium effi„ cax, ſinè quo nihil fieri poteſt?* „ Pag. 24. ſuggerit quatuor *Obſervationes*, quarum prima eſt: *Propoſitionem condemnatam reperiri in libro junctam pluribus aliis vocibus, quæ oſtendant de quo genere bonorum propoſitio enuntiet*, Gratiam efficacem eſſe principium. In præfatione, & toto opere Queſnellus profiretur ſe ejus Authorem. Videt itaque ineptiſſimus Queſnelli patronus, ipſum ſuum Clientem damnatæ propoſitionis Authorem profiteri illic *Gratiam efficacem eſſe* ipſum *principium bonorum operum*, & non de Chriſto ſolùm aſſeri eſſe *principium efficax*. Neque in totis tomis *Obſervationum*, vel toto Queſnelli *Documento* Verbum eſt, quo in dubium revocet, quin *efficax principium* de Jesu Chriſti gratia intelligendum ſit; nulla mentio fit Principii efficacis referendi ad Chriſtum potiùs, quàm ad gratiam.

9 Una ex præcipuis Queſnelli Apologiis eſt *Conſtitution de Notre Saint Pere le Pape ... avec des Obſervations*. Illic pag. 64. dicitur: „ proſcriptio hujus enuntiationis, *ſinè gra„ tiâ efficaci nihil boni fieri poteſt*, eſt Scriptu„ ræ Sacræ, & Traditionis condemnatio „.

10 Anno 1714. prodiit liber hac inſcriptione: *Judicium Sanctorum Patrum .... Secunda editio operis editi nomine Conſtitutionis* Unigenitus *diviſi in quatuor columnas*. Librum hunc Queſnellus approbat, & adoptat in præmonito *Documenti quarti* pag. 11. In illo adoptato opere pag. 68. propoſitio ſecunda iiſdem vocibus, quibus à Clemente XI. damnata eſt, refertur Latinè, & confertur cum textu Gallico Queſnelli, & contra Conſtitutionem defenditur connectens *principium efficax* cum *gratiâ*.

11 Excrevit *Judicium* illud in famoſum opus ſex columnarum *Hexapla* nuncupatum. Cujus ſecundam teneo editionem ab Authore correctam anno 1715. Illic iterum pag. 220. & ſequentibus exprimitur Latinè propoſitio, & totis viribus propugnatur, *Principium efficax* applicando *gratiæ Chriſti*. Adducitur ibi, ut ſæpe alibi, propoſitionis juſtificatio ſcripta à Boſſuetio defuncto Epiſcopo Meldenſi, cujus hoc elogium ſcribit Queſnellus in epiſtola ad Pontificem typis editâ in *Proteſtatione* anni 1715. pag. 383. Illo *duce, & penè ſolo inter totius orbis Antiſtites, Catholicæ Fidei ſcriptis editis defenſore, victrix Eccleſia de omni hæreſi, & ſchiſmate per annos pluſquam quadraginta triumphavit*. In hac *juſtificatione* Epiſcopus Meldenſis propoſitionem, antequam damnaretur, vindicavit, referendo *principium efficax* ad *Chriſti gratiam*. Et quidem Hexaplorum Author pag. 222. allegatâ Meldenſis Antiſtitis ſententiâ ait: *Ex hac perſpicuum eſt, locutionem eſſe integerrimam, quòd ſinè gratia efficaci, non ſolùm nihil boni fiat, ſed neque fieri poſſit*. Atque hujus enuntiationis cenſuram vocat *ridiculam*.

12 Annus 1714. in lucem dedit librum *Conſiderationum circa Documentum Paſtorale nuperrimi cœtûs Cleri Gallicani*. Illic pagina 157. Author Gallus contra Antiſtitum illorum ſententiam profert, ſeu fingit hoc *latum in ſecundo Cleri ordine teſtimonium*, „ Percurramus omnes Italiæ Eccleſias, om-

„ nes Galliæ, in quibus admiſſa fuerit Con-
„ ſtitutio; inveniemus eas plenas Miniſtris
„ infidelibus, qui ſuis commodis tempora-
„ libus immolarunt, quod debuerant Deo,
„ & honori Eccleſiæ: ubi tamen ſemper præ-
„ dicabuntur eadem veritatis dogmata, quæ
„ annuntiabantur ante: erroribus quoque
„ ipſius Bullæ ſemper dicetur Anathema,
„ prædicatione veritatum, quas Conſtitutio
„ proſcribit: ſemper audietur doceri, quan-
„ quam fortè aliis verbis, *Gratiam Jeſu*
„ *Chriſti, quæ in nobis omne bonum operatur,*
„ *eſſe neceſſariam ad omnem actionem bonam*
„ *ſeu magnam ſeu parvam, ad eam inchoandum,*
„ *proſequendum, finiendum: & quod ſinè illâ*
„ *gratiâ non ſolùm nihil fiat, ſed nec fieri poſ-*
„ *ſit.* „ In margine notatur 2. *Propoſitio.* Teſtimonium autem hoc Author tribuens ſecundo ordini Cleri, eſt collectum ex diſpoſitione Parochorum, Doctorumque Epiſcopis inferiorum, in Gallia contra Conſtitutionem ſeſe declarantium. Illic ſinè fuco, ſinè ambagibus, manifeſtè edicitur, ſemper prædicandum eſſe in Gallia, & alibi, quod *Sinè ea gratia, quæ efficit in nobis omne bonum, non ſolùm nihil fiat, ſed nec fieri poſſit.*

13 Ediſſerat hìc modò adverſarius, qui temerè arrogans ſibi *Theologorum Galliæ* nomen, *Obſervationes varias* protrudit contra Conſtitutionem; ediſſerat, inquam, quinam illi *Galliæ Theologi* ſint, qui conquerantur, quod ita textus Gallicus Latinè redditus ſit, ut exprimat *Jeſu Chriſti gratiam principium efficax*; cùm verti debuiſſet *Gratia Jeſu Chriſti principii efficacis.* Querimoniæ iſtius ineptiſſimum figmentum repellunt teſtimonia luculenta, clariſſima, & omnem rationis compotem prorſus convincentia; inter quæ complura ſunt ipſius Queſnelli; quibus accedit novum ejuſdem Authoris, quod ſubjungo.

14 Eodem anno 1714. *Regulas æquitatis naturalis, & ſani judicii* præſcripſerat Queſnellus *Examini Conſtitutionis editæ 1713. 8. Septembris & propoſitionum in ea damnatarum:* Is libri titulus eſt. Pagina autem 28. ait „ Inter propoſitiones cenſurâ notatas
„ multæ ſunt, in quibus Author enuntiat,
„ quòd omnipotens Jeſu Chriſti gratia poſ-
„ ſibilem reddat obſervationem præcepto-
„ rum, atque ita homini infirmo impoſſibi-
„ lis ea ſit, Deo gratiam ſubtrahente. Iſtud
„ videtur eſſe, quod impetitur cenſurâ in
„ propoſitionibus 1. 2. 4. 6. 7. 9. 28. & plu-
„ ribus aliis. Nè tricas ſectari videar in ope-
„ re, quo me declaro eas maximè averſari,
„ non invitus conſentio Romanis Cenſori-
„ bus, primò, quod in illis propoſitionibus
„ agatur de gratia efficaci, quamvis in revi-
„ ſione operis curatum fuerit, ut ſermo eſſet
„ de gratiâ in communi, ad præcidendam di-
„ ſceptationibus occaſionem. „

15 Pag. 29. „ Cavero igitur deſerere
„ enuntiationem dogmaticam veneranda
„ traditione conſecratam: *Abſque gratia*
„ *efficaci nihil boni utilis ad ſalutem fieri po-*
„ *teſt.* „

16 Pag. 34. „ Jure itaque meritiſſimo
„ concludo, quòd mera cavillatio ſit cenſu-
„ ra propoſitionis hujus: *Sinè gratia efficaci*
„ *nihil boni utilis ad ſalutem fieri poteſt.* „

17. Anno 1715. apparuit *Examen Theologicum Documenti Paſtoralis approbati in Comitiis Cleri Gallicani.* Ibi parte 1. pag. 232. de ſecunda propoſitione ſic habet capitis 22. inſcriptio: *Aſſerere quòd ſinè gratia efficaci nihil boni fieri poſſit, eſt loqui accuratiſſimè, neque ab ea expreſſione recedendum eſt.* Initio capitis: *Quamvis in reviſione Obſervationum Moralium cura fuerit, ut ſermo fieret de gratia in communi, non exprimendo diſtinctè efficacem iis locis, quibus dicitur nihil boni poſſe fieri ſinè gratia; nihilominus Authores Documenti Paſtoralis* (Quadraginta Epiſcoporum, ab aliis plurimis adoptati) *contendunt propoſitiones aliquas, præſertim ſecundam, & nonam intelligi non poſſe, niſi de gratia efficaci. Nolo de hoc vitilitigare, quin & in eorum lubens eo ſententiam.* En *principium efficax* in propoſitione ſecunda applicatum gratiæ.

18 Cap. 23. pag. 244. refertur iterum propoſitio ſecunda cujus examen ſic Author proſequitur: *Nihil itaque ſupereſt, niſi ut oſtendatur, quòd gratia, de qua ſermo eſt, & de qua veritas docet, ſinè ea nos facere nihil poſſe, ſit ipſa gratia efficax. Hoc enim offendit quadraginta Epiſcopos, qui oppoſitam exiſtimant doctrinam eſſe ſuarum ſinguli Eccleſiarum .... Certum autem eſt, traditionem univerſam de efficaci gratia intelligere illud Evangelii,* SINE ME NIHIL POTESTIS FACERE.

19 Pag. 247. Sic concludit: *Nunquid igitur directiſſimè repugnat Verbis Chriſti, & reus ſit blaſphemiæ, quiſquis accuſat de errore hanc propoſitionem:* SINE EFFICACI GRATIA JESU CHRISTI NIHIL BONI FACERE POSSUMUS?

20 Denique anno 1716. novus Queſnelli defenſor Latinus in *Propoſitionum damnatarum collatione cum quibuſdam Sacræ Scripturæ locis, ac Sanctorum Patrûm teſtimoniis* pag. 10. Propoſitionem 2. exprimit ſicut CLEMENS XI., & eamdem ſic acceptam contra Pontificem defendit, nihil muſſitans contra Latinam ex Gallico tranſlationem.

21 Eliſam adverſarius querimoniam ſuorum *Theologorum*, tot teſtimoniis perſpicit; at ſentiet ampliùs cap. ſequenti de ſtolida

con-

convictam fallaciâ: ubi demonſtratas pariter videbit ſuas in defendendo cliente ineptias, dum ejus cauſam prodit potiùs, quàm tueatur. Interim alia ejus Queſnellum excuſandi ratio diſcutienda eſt.

22 Pag. 36. „ Si (inquit) gratia efficax accipiatur, non pro ea, quæ *ſemper* „ *habeat effectum*; ſed ut Sacramenta, quæ „ gratiam efficiunt, niſi ſuſcipientium perverſitas obſuerit. „ Verùm excuſationis futilitas patet. Quis enim efficacis gratiæ nomine aliam hoc tempore intelligit, quàm quæ efficit illud ad quod conceditur? Hic relictis eruditis, deſertis Theologis, abdicato ſenſu obvio, & unicè uſitato, inducitur neſcio quod rude *vulgus*, quod nomine *gratiæ efficacis* intelligat eam, quæ ad effectum producendum idonea ſit, licèt eo ſæpe aliunde impedita careat. Sic ergo juxta hunc adverſarium enuntiationes, quæ in uſu, & intellectu Theologorum omnium, ſenſum erroneum, vel etiam hæreticum continent, prohiberi ab Eccleſia non poterunt, ſi è rudi *vulgo* fortaſſe aliqui illas in ſenſu tolerabili acceperint. De bonitate, vel malitiâ ſeu librorum, ſeu propoſitionum ferre ſolet, & debet Eccleſia judicium, juxta ſenſus obvios, & communiter à ſapientibus intellectos, non ſecundùm alicujus ſophiſtæ argutias, vel hallucinationem imperitorum, qui à Paſtoribus docendi ſunt, non propter eorum inſcitiam, errores, & hæreſes permittendæ.

23 Neque Queſnellus nomine *efficacis* principii, vel gratiæ, etiam ſimpliciter, prout poſt Adami lapſum conceditur, intelligit auxilium, quod ſolummodo idoneum ſit producendo effectui, ſi non etiam efficiat. Evidens iſtud eſt ex propoſitionibus in Conſtitutione proximè ſequentibus, quibus abſque gratia operante, poteſtas operandi ſubtrahitur; imò, ut dixi, nullum aliud agnoſcitur gratiæ auxilium, quàm quod cum effectu certiſſimè connectatur, nullum, niſi quod omnipotenti, inſuperabili, indeclinabili virtute obtineat, quod intendit. Prop. 4. *Ita Domine; omnia poſſibilia ſunt ei, cui omnia poſſibilia facis, eadem operando in illo.* Prop. 9. *Gratia Chriſti eſt gratia ſuprema, ſinè qua confiteri Chriſtum nunquam poſſumus, & cum qua nunquam illum abnegamus.* Prop. 10. *Gratia eſt operatio manûs omnipotentis Dei, quam nihil impedire poteſt, aut retardare.* Prop. 11. *Gratia non eſt aliud, quàm voluntas omnipotentis Dei jubentis, & facientis quod jubet.* Prop. 20. *Vera gratiæ idea eſt, quod Deus vult ſibi à nobis obediri, & obeditur: imperat, & omnia ſibi ſubmiſſa ſunt.* Propoſitio 21. *Gratia Jeſu Chriſti, eſt gratia fortis, potens, ſuprema, invincibilis, utpote quæ eſt operatio voluntatis omnipotentis, ſequela, & imitatio operationis Dei incarnantis, & reſuſcitantis Filium ſuum.* Sunt & aliæ propoſitiones non paucæ eamdem complexæ ſententiam, quas Lector Conſtitutionem inſpiciens, facilè deprehendet.

24 Sed *quid opus eſt*, inquit adverſarius, *tot argumentis, ut vocis iſtius* EFFICACE *ſenſus germanus percipiatur, poſtquam illa vox obliterata eſt in ſequentibus editionibus anni 1699. &c.*?

25. Itane? Vox illa tot millibus exemplarium totâ Galliâ, & vicinis, remotiſque diſperſa regionibus, poſt toties iteratas cum ea editiones, obliterata eſt, quia anno 1699. prætermitti in novis typis cœperit, vocis omiſſione ab Eminentiſſimo Pariſienſi Archiepiſcopo imperatâ, quam diſſimulavit quidem Queſnellus, quia impedire non poterat? Et quo ſe in unius jacturâ vocis facilè conſolaretur, habuit, ſatis conſcius, eam pluribus aliis ejuſdem operis ſui locis remanere quoad ſignificationem, variis figuris, & phraſibus inculcatam.

26 Laudanda hìc quidem eſt Cardinalis intentio tollendi errorem tam noxium; ſed non ideo excuſanda Miniſtrorum ejus incuria, vel mala fides, quod juſſi ab Eminentiſſimo poſt accuratius libri examen, errores annotare, atque expungere illum, quem præcipuè diſplicere Cardinali reſciverant, uno, alterove loco corrigentes, tot aliis reliquerint intactum.

27 Queſnellum autem toleratâ vocis illius ſuppreſſione, nihil propterea dogmatis mutaſſe, liquet ex plurium textuum æquivalentium obfirmatâ retentione, nec minùs pertinacibus etiam prioris textûs integri vindiciis, ac demum ex ejus ad amicos literis, quibus teſtatur, mutationes qualeſcunque in novis editionibus authoritate Archiepiſcopi, & aliorum ſtudio factas, *Criticorum* quaſi maleferiatorum importunis ſolicitationibus, & nimiùm *delicatorum* ſcrupulis extortas, ſe diſſimulando permittere, minimè approbare ſignificat. Plura de hoc extant Queſnelli teſtimonia. Illuſtre illud eſt in ejus literis anni 1699. 23. Aprilis: *Sino*, inquit, *agere bonum Abbatem Antonium à Sancto Bernardo* (Antonium Noailles, Archiepiſcopum Pariſienſem) *& quis modus eum impediendi? Gaudeo me non eſſe conſultum: quod bonum fuerit, approbabitur; ſi quidpiam approbari nequeat, à me facilè amoliar, dicendo, quòd nullam in tali correctione habuerim partem. Opto ut tandem ſeriò finis imponatur. Scimus quod* (Cardinalis Noailles) *pluribus dixe-*

dixerit, quòd quatuor fratribus (quatuor tomis Obſervationum Moralium) *ſuffragaturus eſſet, adhibitâ approbatione, quam dederat in prima ſua Abbatia* (in primo Epiſcopatu Catalaunenſi, ante omnes iſtas correctiones) *atque iſtud quidem facere deberet ad reprimendam obloquentium audaciam. Sed ſatis video, quòd fidem datam non ſervet*. In literis datis uno menſe ante vehementiùs doluerat Queſnellus, quòd *iſte homo omnia corrumpat*: CET HOMME-LA GATE TOUT. Denique hunc correctionis obtentum expendi, & minimè ſufficere oſtendi ampliùs in Prolegomenis cap. 5.

CAPUT X.

Refellitur proteſtatio Queſnelli: atque hic ex prætenſis Galliæ Theologis *de Janſeniſmo convincitur.*

1 Vidimus ſuperiore capite Queſnellum, ſeu ejus vindicem (qui *Deliberationes* Cleri Gallicani edidit, cum Obſervationibus in Documentum ejus Paſtorale) pag. 31. inſigni confidentiâ aſſentientem Epiſcopis tribuentibus Queſnello propoſitionem ſecundam, & nonam, prout in Conſtitutione exprimitur: *Verum eſt*, inquiebat, *Reflexionum Moralium Authorem* (Queſnellum) *aſſerere, quòd abſque gratia efficaci nihil fieri poſſit, quòd ſinè ea Chriſtum confiteri non valeamus; ſed aſſerit edoctus à Chriſto*. In tot aliis adductis à me partim Queſnelli ipſius, partim ei adhærentium teſtimoniis, ſecunda propoſitio eodem prorſus modo explicatur, & ab eis etiam poſt damnationem ſummâ pertinaciâ defenditur.

2 Anno tamen 1714. aliæ comparuerunt *Reflexiones in Documentum Paſtorale* Gallicanorum Antiſtitum, in Quibus pag. 16. triplex ad propoſitionem ſecundam proponitur animadverſio: Prima, quòd *Neceſſe non ſit* in textu gallico *principe efficace de tout bien, intelligere de gratia efficaci*; ſed quod poſſet *connaturaliter referri ad Jeſum Chriſtum, qui eſt principium efficax omnis boni*. Secunda, quòd ſi *principium efficax omnis boni* referatur ad gratiam, neceſſe non ſit illud accipere de gratia efficaci; ſed de omni gratia Salvatoris. Tertia, quòd explicando propoſitionem de efficaci gratia, non contineat illa errorem Janſenio attributum de impoſſibilitate præceptorum in juſtis; ſed quod ſit enuntiatio facilè ſtabilienda ſacris literis, traditione, & ingenti ſuffragantium ſcholaſticorum numero.

3 Demum Queſnellus anno 1715. Conſtitutionem Clementis XI. aggreſſus paſſim eſt ſolemni contra eam typis editâ, atque à ſe ſignatâ *querelâ, & proteſtatione*. In hac collegit quidquid tricarum, ſua, & ſuorum induſtria fraudibus, & vitilitigationibus fœcunda potuit excogitare. Pag. 126. circa ſecundam propoſitionem adhibet fucos ex ſuperiore libello memoratos, & primo ſtatim loco monet *principium efficax connaturaliter accipiendum eſſe, non de gratia Chriſti, ſed de ipſo Chriſto, cui hoc verè conveniat attributum*, Principium efficax omnis boni. Mox tamen ſatis proſpiciens, ſe nemini ſermonis ſcholaſtici utcunque perito perſuaſurum, quòd, ubi de virtute gratiæ Chriſti agitur, attributum *Principii efficacis* non intelligatur de gratiâ, aliud comminiſcitur non minus frivolum, & omnium oculis de mendacio convincendum: ſe ſinè efficaci gratia non negaſſe poteſtatem ſimpliciter, ſed poteſtatem conjunctam cum actu, ſeu effectu, ut talis negatio poteſtatis non plus inferat, quàm negationem actûs.

4 Quoad primum, Chriſtus quidem omnis boni principium eſt, & omnipotens, ſed nomine *Principii efficacis* appellari paſſim non ſolet; uſus verò communiſſimus illud de Chriſti gratiâ efficiente intelligit. Sic antequam damnaretur, propoſitio ab omnibus intellecta eſt, hoc ſenſu à Queſnello contra Lucionenſem, & Rupellenſem Epiſcopos propugnata, uti & dein poſt Conſtitutionem Unigenitus tum ab ipſo reo, tum à plerisque ejus, ut ſupra vidimus, Patronis. Et quamvis Janſeniſtarum hypocriſis, atque in mentiendo temeritas, fortè nulli cedat hæreticorum veterum ſectæ, non exiſtimo tamen Queſnellum eò prolapſum eſſe impudentiæ, ut inficiari audeat ſe cùm *Morales Obſervationes*, ſive *Reflexiones* ſcriberet, *Principium efficax* ad Chriſti gratiam retuliſſe.

5 Ad eamdem ſententiam ſtabiliendam cætera paſſim Queſnelli dogmata conſpirant: inter quæ meritò quadraginta Epiſcopi collocant illud nonum, *gratia Chriſti eſt gratia ſuprema, ſinè qua confiteri Chriſtum nunquam poſſumus, & cum qua nunquam illum negamus.*

6 Quæ propoſitio cùm illimitata, ac dogmatica, proinde æquivalens ſit univerſali, aſſerit omnem Chriſti gratiam eſſe ſupremam, & ab effectu inſeparabilem; ſinè ea verò non effectum ſolummodo abeſſe; ſed etiam deficere poteſtatem: *Confiteri nunquam poſſumus*: qui ſenſus apprimè congruit propoſitioni ſecundæ. Fraudulenta magis; ſed nihilo ſanior eſt propoſitio tertia. *Ita, Domine, omnia poſſibilia ſunt, cui omnia poſſibilia facis, eadem operando in illo*. Quaſi mandata Dei, & conſilia non aliàs poſſibilia ſint homini, niſi

niſi quando illa Deus efficaci operatur auxilio; ſinè quo non ſolùm effectus hominem deſtituat; ſed etiam facultas. Junge illis propoſitionem decimam: *Gratia eſt operatio manûs omnipotentis Dei, quam nihil impedire poteſt, aut retardare*. Tantùm, Lector, memineris, hâc & multis vicinis propoſitionibus omnem Chriſti gratiam intelligi, ac prædicari inſuperabilem. Quid enim aliud eſt, gratiam in communi, atque adeò omnem eſſe operationem manûs omnipotentis Dei, impediri à nemine poſſe, aut retardari? Conſonat Propoſitio 11. *Gratia non eſt aliud, quàm voluntas omnipotentis Dei jubentis, & facientis quod jubet*. Propoſitio 21. *Gratia Jeſu Chriſti eſt gratia fortis, potens, ſuprema, invincibilis, utpote quæ eſt operatio voluntatis Omnipotentis, ſequela, & imitatio operationis Dei incarnantis, & reſuſcitantis Filium ſuum*. Propoſitio 23. *Deus ipſe nobis ideam tradidit omnipotentis operationis ſuæ gratiæ, eam ſignificans per eam, quâ creaturas è nihilo producit, & mortuis reddit vitam*. Tali voluntati, tali gratiæ quis reſiſtere unquam valeat, quis ulli gratiæ unquam diſſentire, ſi hæc aliud non ſit, quàm citata Queſnelli verba indicant, & ex damnatis Propoſitionibus pleræque poſt primam uſque ad vigeſimam ſextam? Accedit trigeſima ſeptima ſic enuntians: *Gratia Adami ſanctificando illum in ſemetipſo, erat illi proportionata: Gratia Chriſtiana nos ſanctificando in Jeſu Chriſto, eſt omnipotens, & digna Filio Dei*.

7 Denique quisquis in hodiernis controverſiis non planè hoſpes eſt, novit Janſenium, & omnes ejus aſſeclas, vulgò *Novos Auguſtini diſcipulos*, non aliam naturæ lapſæ gratiam agnoſcere, quàm quæ inſuperabili virtute efficiat omne id, cui in his circumſtantiis proportionata eſt, ſive quidquid cum ea voluntas hominis hic & nunc operari poteſt. Iſtud ſcilicet famoſum Calvino, Janſenio, Queſnello diſcrimen gratiæ Chriſtianæ eſt, & alterius, quæ obvenerat Adamo; quòd omnis gratia hominis integri ſufficiens eſſet, relictâ ejus arbitrio conſentiendi, ac diſſentiendi electione; omnis verò noſtra voluntatem rapiat virtute inſuperabili ad aſſenſum.

8 Hoc poſito, quo nihil frequentius à Queſnello, & ſociis ejus Novatoribus inculcatur, tot modis conſpicuis, tot exquiſitis phraſibus, & figuris, tot propoſitionibus, etiam in Conſtitutione UNIGENITUS: hoc, inquam poſito, convertamus oculos ad propoſitionem 39. *Voluntas, quam gratia non prævenit, nihil habet luminis, niſi ad aberrandum, ardoris, niſi ad ſe præcipitandum, virium, niſi ad ſe vulnerandum: eſt capax omnis mali, & incapax ad omne bonum*. Imò juxta propoſitionem 40. *Sinè gratia nihil amare poſſumus, niſi ad noſtram condemnationem*: In quem ſenſum conveniunt quoque trigeſima octava, & quadrageſima prima · jungamus modò poſteriores ſententias prioribus, omnem in hoc ſtatu aſſerentibus gratiam efficacem; poteſtne excogitari conſecutio magis legitima, magis evidens, quàm iſta: igitur *abſque gratia efficaci non ſolùm nihil boni fit, ſed nec fieri poteſt*?

9 In hoc cardine verſatur triginta & amplius Propoſitionum materia; qui ſenſus, ut etiam tironibus, & theologiam omninò ignorantibus fiat planus, & apertiſſimus, ad hoc facili ſyllogiſmo reducitur compendium. Omnis, juxta Queſnellum, gratia, in hoc ſtatu eſt efficax; atqui juxta eumdem in hoc ſtatu nihil boni fit, aut fieri poteſt abſque gratia; ergo juxta eumdem abſque gratia efficaci nihil boni fit, aut fieri poteſt.

10 Hinc multiplex inevitabile fluit conſectarium. 1. quòd Queſnellus *Theologorum Gallorum* judicio Janſenianus ſit: juxta illos enim *in Obſervationibus* pag. 34. ſi *principium efficax* referretur ad Jeſu Chriſti gratiam in Queſnelli art. 2., ſequeretur *gratiæ ſufficientis negata error, qui Janſenianus eſt*. Atqui in tam multis Queſnelli articulis à me indicatis evidens eſt *gratiæ ſufficientis negatio*. Queſnellus igitur ex *Theologorum Gallorum* ſententia, de errore Janſeniano in articulis non paucis convincitur. Alterum conſectarium non minùs perſpicuum eſt, quòd, ſi hæreticum ſit aſſerere, ut eſt procul dubio, quòd *abſque gratia efficaci non ſolùm nihil boni fiat, ſed nec fieri poſſit*, Queſnelli doctrina in compluribus Propoſitionibus ſit hæretica, ubi rurſus *Gallos Theologos* mihi conſentire neceſſe eſt. 3. Conſectarium eſt, eoſdem *Theologos*, ſiquidem obſervationes eorum ſunt, quibus inſcribuntur, tam in defendendo Queſnello, quàm in oppugnanda Conſtitutione convinci manifeſtiſſimè de ineptiis: cùm enim *Janſeniani erroris* macula tam multis Queſnelli articulis eorum ſententiâ aſpergatur, in articulis tam multis pariter defenditur eos damnans Conſtitutio. 4. Conſectarium: Negligentes admodum, aut imperitiſſimos, aut, quod pejus foret, perfidos fuiſſe oportuit iſtos Eminentiſſimi Noallii adminiſtros, qui juſſi expungere ubique errorem, imò hæreſim aſſerentem, quòd omnis Chriſti gratia ſit efficax, & *abſque ea non ſolùm nihil boni fiat, ſed nec fieri poſſit*, eamdem longè pluribus, & clariſſimis textibus reliquerint integram, atque intactam, quàm ſuſtulerint. De Viris autem ſagacibus, ingenio, & ſcientiâ aliàs Theologicâ præditis, craſſa adeò ignorantia non præſumitur: unde ſuſpicio ſuboritur ve-

he-

hemens, de eorum cum Novatoribus conſpiratione.

11 Denique correctionis tam mutilæ præcipuus apparet effectus, circumventio, & ruina ſimplicium, qui paucorum textuum ſecuri emendatione, quidquid errorum, & hæreſum illic ſupereſt, fidentiùs haurient, veluti iterato, &, ut ſupponent, accuratiſſimo examine diſcuſſum, probatumque. Quapropter tam infida poſteriorum editionum correctio perſuadere Pontifici minimè debuit, ut errorem multis ante editionibus, & innumeris exemplaribus per Orbem diſperſum impunè graſſari permitteret, non levi religionis detrimento, ac certo exitio animarum.

12 Ultima *Theologorum Gallorum*, ſive *Obſervatoris* (quisquis fortè Belga, aut Leodienſis eorum ad oſtentationem abutitur nomine) excuſandæ propoſitionis ratio eſt, quòd, quando abſente efficaci gratia, negatur poteſtas bene agendi, intelligi debeat *de poteſtate conjuncta cum actu*, ſive *effectu*, ut ſenſus ſit, *abſque gratia efficaci nihil boni fieri poſſe, itaut ſimul fiat*. In hujus ſententiæ patrocinium vocantur Thomiſtæ, cui ſubſcribere ſe, ait Queſnellus in Proteſtatione pagina 132. addens, quòd cùm aſſerit, *privatum efficaci gratiâ legem Dei ſervare non poſſe, aliud non ſignificet, quàm efficax auxilium ad ipſam præceptorum obſervationem eſſe neceſſarium*.

13 Sed quibus id ſperat Queſnellus cum ſuis ſeu veris, ſeu fictitiis *Galliæ Theologis* ſe perſuaſurum? Iis nempe, qui oculos non habent, ut videant diſtingui clariſſimè in ipſa propoſitione damnata potentiam ab actu, & utrumque diſtinctiſſimè negari, cùm dicitur *non ſolùm nihil fit, ſed nec fieri poteſt*. Ut itaque concedamus adverſariis, ſubinde Theologos dicere, quod ſinè gratia efficaci opus ſalutiferum fieri nequeat; at iſtud ipſi ſic explicant, vel ſignificant circumſtantiæ, ut locutio non rigidè, & ſenſu obvio intelligenda ſit de vera negatione potentiæ, ſed actûs ſolummodo, ſive ut Queſnellus in proteſtatione explicat, quòd *efficax auxilium ad ipſam præceptorum obſervationem neceſſarium ſit*. Plus autem affirmat damnatus articulus; cujus Authorem diceres veritum fuiſſe, nè ſenſu catholico intelligeretur de negato ſolummodo actu; ideo, ut ſe verum probaret Auguſtini Batavi potiùs, quàm Hipponenſis, aut Aquinatis diſcipulum, priùs negare voluit actum, ac dein potentiam, nè exiſtimares, eum minus propriè loqui, & per *nihil fieri poteſt*, ſolùm aſſerere defectum actûs, non poteſtatis. Janſenianam hæreſim inſtillare lectoribus voluit, eamque à Catholicorum omnium ſententia ſecernere.

14 Quòd autem in ſupremo Eccleſiæ Tribunali damnata novitas, nunc pallium ambiat Thomiſticum, fruſtrà eſt; hæc enim ſchola cum cæteris Catholicis, abſente efficaci gratiâ poteſtatem ſolùm denegat conſequentem; minimè verò antecedentem, quam Queſnellus ſuam eſſe ſententiam affirmare ſinè manifeſto mendacio non poteſt. Antecedentem enim poteſtatem à conſequente in ipſo articulo diſcernens, utramque perſpicuè, ac diſtinctiſſimè tollit, dicens, *abſque ea* (gratia efficaci) *non ſolùm nihil fit* (ſtatuitur hìc impotentia conſequens) *ſed nec fieri poteſt*: En impotentiam antecedentem. Quapropter ut nullum hactenus, ſive in Scripturis, ſive in Patribus, ſive in ullo ante Janſenium Scriptore, aut Doctore Scholaſtico ſimilis locutionis reperitur veſtigium, fruſtrà Queſnellus ab ulla ſchola catholica patrocinium expectat, hæreſi ſua non minus à Thomiſtis, quàm reliquis Catholicis condemnatâ.

15 Quid verò magis frivolum, quàm quod Queſnelliana *Proteſtatio* pag. 134. ait: *Quantumcunque aliquis ſive juſtus, ſive peccator privetur gratiæ efficacis auxilio, non propterea deſtituitur naturali facultate liberi arbitrii: neque oppoſitum ſalvâ Fide, ac ratione affirmari poteſt*; ut ne à Calvino quidem affirmabitur? Talem poteſtatem agnovit etiam Janſenius; ſed non propterea eximitur ei propoſitio inter quinque hæreticas prima. Quod autem fictitio Sanvictorio Janſenium à Propoſitionis illius invidia liberare volenti reſpondit Eminentiſſimus Aguirre *in Defenſione Cathedræ Sancti Petri* diſp. 21. ſect. 1. convenit quoque Queſnello: *quod ille oppoſitum allegat ex Janſenii lib. 3. de gratia Chriſti capite 25, ſolùm evincit, ipſum conceſſiſſe homini poteſtatem quamdam remotam ad implendum præcepta Dei, quam nequidem Lutherus, Calvinus, Beza, Sanchius, Molinæus, & Pareus jurati Eccleſiæ Catholicæ, & liberi arbitrii hoſtes negarunt*.

16 Non plus ponderis ad liberandum ab hæreſi Queſnellum adfert, quod addit ejus Proteſtatio pag. 135. *Ultra poteſtatem illam naturalem infidelibus, & Sanctis communem, quicunque Fide præditi ſunt, hæc eis facultatem ſuperaddit natura ordine ſuperiorem, quamvis imperfectam, & minimè ſufficientem ad implenda mandata. Si juſti ſunt, quis dixerit charitate eis non tribui gradum tertium poteſtatis?* Quàm bellè didicit Queſnellus lectionem hanc à Janſenio lib. 3. de Gratia Chriſti capite 25. *Iſta*, inquit Janſenius, *quæ de poſſe diximus, quod per Fidem, & Charitatem datur, de donis iſtis habitualibus intelligenda ſunt; nam per illa dicuntur juſti orare, diligere, bene vive-*

vivere, tentationesque ſuperare poſſe, etiam quando nihil iſtorum agunt.

17 *Poſtremò*, ait Queſnellus proteſtans pag.cit.*ſi juſtus ille* præcepta ſervare, & tentationes vincere *cupiat, & conetur, quamvis voluntate ad pugnandum non ſatis forti, neque animo ſatis magno, ut mandata impleat; volitiones iſtæ, & conamina, quantumvis infirma, demonſtrant hominem gratiarum excitantium ſubſidio ad quartum acceptæ poteſtatis gradum eſſe provectum*. Hunc quoque gradum diſcere Queſnellus potuit à Janſenio lib.1.cap.27. ſic monente: *Nec verò moveat quemquam, quod conſtat multos divinitus mente colluſtrari, imò verò & in ipſa voluntate motibus divinæ gratiæ percelli, qui tamen ab ejus interna ſuaſione, & inclinatione diſſentiunt*. In ipſa propoſitione prima Janſenii hæretica volitiones referuntur, & conatus ad præceptorum obſervationem minimè ſufficientes, licèt fuerint ex gratia; non enim Janſenium Pelagio conſenſiſſe, vel Semipelagianis, ſaltèm in ſtatu naturæ lapſæ, omnibus exploratum eſt. Quàm verò notum eſt, Janſenium fuiſſe Scholæ Thomiſticæ hoſtem implacabilem, etſi ſubinde amicitiam finxerit, tam eſt evidens, & indiciis certiſſimis à me in Prolegomenis expoſitum omnium oculis, Janſenii diſcipulos, quod à Magiſtro velut hæreditarium acceperant contra Thomiſtas odium, in hæc uſque tempora conſervaſſe.

18 Manet igitur ſecunda Queſnelli propoſitio omni prorſus Scripturarum, Patrûm, ac Scholaſticorum ante Janſenium ſuffragio deſtituta, & à veris, vel prætenſis *Galliæ Theologis*, ubi Queſnellum maximè defendere conantur, de Janſeniano negatæ ſufficientis gratiæ errore condemnata. Unicum quod Queſnellus hic ſibi reliquum ducit Boſſuetii Meldenſis Epiſcopi patrocinium, Antiſtes ipſe retractatione notiſſimâ deſtruxit; ut ejuſdem deinceps patrocinii allegatio aliud probare non valeat, quàm fidem Queſnelli peſſimam, & dignam novæ hæreſeos, novæ Eccleſiæ capite impudentiam. Vide Prolegomena cap.14., quod abſque indignatione graviſſima contra ſchiſmaticum impoſtorem nunquam legeris.

Tertia Propoſitio damnata.

In vanum Domine præcipis, ſi tu ipſe non das, quod præcipis. *Obſerv. Moral. Act.* 16. *v.* 10.

CAPUT I.

Propoſitio damnata convellitur.

1 IDem, qui ſecundæ propoſitionis ſenſus fuit, eſt etiam præſentis: utraque igitur ejuſdem erroris particeps iiſdem debellatur argumentis, eodem feritur anathemate; præſens tamen quodammodo magìs apertâ fronte præfert blaſphemiam, dum Deo exprobat præceptorum *vanitatem*, quoties indebitum, & plurimis negatum auxilium efficax non impertit. Tali auxilio abſente, negatur poſſibilis præceptorum obſervatio. Unde idem ſequitur dicendum de exercitio cujuſlibet operis boni.

2 Verùm Queſnello tam impiè Deum interpellanti, & efficaci ſubmiſſionis, ac pœnitentiæ gratiâ nondum prævento, reſpondet Deus ipſe. Deuteron. 30. v. 11. & ſeq. *Mandatum hoc, quod ego præcipio tibi hodie, non ſupra te eſt, neque procul poſitum: ſed juxta te eſt ſermo valde in ore tuo, & in corde tuo, ut facias illum. Conſidera, quòd hodie propoſuerim in conſpectu tuo vitam, & bonum, & è contrario mortem, & malum, ut diligas Dominum Deum tuum* (& ſupremo ejus in terris Vicario obtemperes:) *elige ergo vitam, ut & tu vivas*. Hoc cuilibet tam peccatori, quàm juſto, & tempore quocunque inculcat Deus; uti & illud Eccleſiaſtici 15. v. 18. *Ante hominem vita, & mors, bonum, & malum; quod placuerit ei, dabitur illi; quoniam multa ſapientia Dei, & fortis in potentia, videns omnes ſinè intermiſſione*, ut nihil ſufficientis auxilii deeſſe cuiquam patiatur; nam ſi ibidem cap. 18. quæras: *quid eſt homo, & quæ eſt gratia illius?* Reſpondetur, *propter hoc patiens eſt Deus in illis, & effundit ſuper eos miſericordiam ſuam .... Miſericordia autem Dei ſuper omnem carnem*, quantumvis infirmam, & in peccata proclivem: Miſericordia ſcilicet ſufficiens, etſi non in omnibus, præceptorum obſervationem, & ſalutem operans, obſiſtente in plurimis pervicaciâ liberâ voluntatis.

Digitized by Google

3 Prov. 1. *Sapientia foris prædicat, convertimini, en proferam vobis ſpiritum meum:* non ſolùm ſufficiens auxilium, ſed invictiſſimum offero omnibus: verùm *quia vocavi, & renuiſtis, extendi manum meam* ad peccatores ſingulos, etiam ad hæreticos, ſchiſmaticos, & Conſtitutionibus Eccleſiaſticis rebelles, *& non fuit qui aſpiceret: deſpexiſtis omne conſilium, & increpationes meas neglexiſtis..*

4 Eccleſ. 51. *Appropiate ad me indocti*, & ſimul ſuperbiâ tumidi, qui vobis doctrinam,& ſapientiam ſupra Eccleſiam arrogatis, *congregate vos in domum diſciplinæ .... comparate vobis ſinè argento,& collum veſtrum ſubjicite jugo, & ſuſcipiat anima veſtra diſciplinam; in proximo eſt enim invenire eam*. Verùm 2. Theſſal. 2. v. 10. *Charitatem veritatis non receperunt, ut ſalvi fierent; ideo mittet illis Deus operationem erroris*, & vertiginis, *ut credant mendacio*, & mendacia cumulent cæci, ac duces cæcorum,omnes præcipiti abyſſo proximi. Egregiam itaque ſuos precationem docet damnata obſervatio, ut in præceptis implendis, & vitandis criminibus incurii ſint, ac negligentes, ut Deo relinquant omnia,dum ipſi indulgent genio, nulli obſequentes poteſtati: & Gallicanæ, Hollandicæ, Belgicæ libertatis nomine non Deo minùs, quàm Regibus, & Pontificibus rebelles, impiè Deum accuſant, ac præcepta. Etſi enim ſæpiſſimè Deus non det, quod præcipitur, non exquiſitiſſima ſemper ſeligat auxilia, quæ à nobis conſenſum, & obedientiam impetrent, ſemper tamen, urgente præcepti neceſſitate, ſufficientia liberaliter præſtat, aut offert paratiſſima, ut nemini de violatione præcepti ſuppetat excuſatio.

5 Propoſitionis damnatæ error, & ſtulta impietas facilè convincitur exemplis innumeris, nè puerorum quidem captum ſuperantibus. Puer edoctus, quantum ſufficit, characteres formare, ſi addictus luſui impoſitum ſibi ſcriptionis penſum non perſolverit, facietne ſatìs dicens: Magiſter in vanum præcipis, ſi tu ipſe non das, quod præcipis; ſi tu, inquam, à luſu me violentus non retrahis, ſi manum meam chartæ,& ſcriptioni non applicas, ſi non ducis etiam reluctantem? Tam inepta pueri excuſatio culpam non diluet; ſed augebit, & acriori eum ferulæ ſubjiciet caſtigandum. Paterfamilias horâ prandii accubiturus menſæ, intelligit ex famulo nihil ciborum paratum eſſe, coquo laborem detrectante. Accerſi eum paterfamilias jubet, ſciſcitatur cur officio functus non ſit, num fortè ſufficiens materia, inſtrumenta, valetudo, vires ipſi defuerint; reſpondeat piger, materiam, inſtrumenta, vires ſufficientes, omnia ſufficientiſſima ſibi adfuiſſe; ſed ſe deſidiâ torpentem debuiſſe loris, vel fuſtibus ad laborem adigi: dein compendium facturus reſponſionum edicat: *In vanum paterfamilias præcipis, ſi tu ipſe manum operi non admoveas, efficientem id quod imperas.*

6 Et quidem magis impia eſt Novatorum oratio, dum imprudentiam Deo in imperando, imò injuſtitiam, & barbariem tribuunt, quaſi præcipiat humanis viribus impoſſibilia, nec robur, nec auxilia, quæ in promptu habet, ſufficientia largiatur, aut offerat. Talibus damnata Novitas deſidiam mortalium fovet documentis, & obtentibus impiis viam parat. Juxta illam Queſnelli orationem, Cainus, Pharao, & cæteri, qui ab initio mundi fuêre peccatores, à pœnitentiâ averſi, exprobare Deo poſſent, quòd in vanum eos converſionis mandato adſtrinxerit, cum converſionem ipſe non dederit. Verùm Dei contra adverſarios defenſionem ſuſcipiens Author libri 2. de Vocatione gentium cap. 13. reſpondet: *Cùm ergo talis ad Cain loqueretur Deus, nunquid ambiguum eſt, voluiſſe eum, & (quantum ad illum medendi modum ſufficiebat) egiſſe, ut Cain ab illo impietatis furore reſipiſceret? Sed malitia pertinax inde facta eſt inexcuſabilior, unde debuit eſſe correctior.*

7 Contra eoſdem, etiam Pharaonis patronos, cauſam Dei tuetur Auguſtinus libro de Prædeſtinatione, & gratiâ cap. 15. & habetur C. *Nabuchodonoſor* 23. q. 4. *Nabuchodonoſor pœnitentiam meruit fructuoſam; Pharao autem obduravit ſe: qui quantùm ad naturam ambo homines erant, quantùm ad dignitatem ambo Reges: quantùm ad cauſam ambo captivum populum Dei poſſidentes: quantùm ad pœnam ambo flagellis clementer admoniti: Quid ergo fines eorum fecit eſſe diverſos, niſi quod unus manum Dei ſentiens in recordatione propriæ iniquitatis ingemuit, alter libero contra Dei miſericordiſſimam veritatem pugnavit arbitrio?* Chryſoſtomus in epiſt. ad Romanos 9. hom. 16. Deus *quantùm in ſe fuit, Pharaonis miſertus eſt; quod autem ſalvatus non eſt, totum per ſuam ipſius voluntatem ſtetit, itaut quantùm ad eum attinebat, ab illis, qui ſalvati ſunt, nihil minus habuerit.* Non igitur juxta utrumque Sanctum Doctorem, Pharaonis, uti & Caini peccata defectui Divinæ clementiæ, aut gratiæ; ſed libero peccantium arbitrio, cœleſte auxilium abunde ſufficiens rejicienti, imputanda ſunt.

8 In vanum quidem Deus imperaret cæco, aut in tenebris conſtituto, ut legeret; ſic & in vanum juberet infideles, & hæreticos credere, negato Fidei lumine ſaltèm ſufficienti; at hoc liberaliter oblato, ſi mortalium

Digitized by Google

magìs tenebras amantium, quàm lucem, voluntate excluditur; ſi oculos ipſi ſibi libeto claudunt arbitrio, non Dei præcepta veluti vana arguenda ſunt, ſed perverſitas hominum condemnanda. Ita Cyrillus Alexandrinus, lib. 1. iu Joan. cap. 11. ad illud MUNDUS EUM NON COGNOVIT: *Non Verbum Dei, & æternam hanc lucem, ſed imbecillitatem ſuam mundus accuſet. Illuminat enim filius, repellit autem gratiam creatura ... Neglexit ulterius currere, ſuffodit illuminationem ex deſidia, & contempſit hanc gratiam.*

9 Chryſoſtomus Tom. 7. iu Joan. *Illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum: illuminat profectò quantum in ipſo eſt; ſi qui autem ſponte ſuâ, mentis oculis conniventibus, ad hujus lucis radios aciem dirigere noluerunt, non ex luminis natura in tenebris perſtiterunt; ſed ex malitia ſua, qui ſponte tanto ſe dono indignos reddiderunt.* Ibidem: *Qui autem ejus munere freti negligunt, hanc ſuam cæcitatem ſibi ipſis imputent; cùm enim detur omnibus, omnibus pateat, & à nemine probibeatur, perditi quidam, & nequam homines propriâ dumtaxat malitiâ ingredi recuſant.*

10 Ita ſi ad cœnam Euangelicam vocati fuiſſent, qui venire non poterant, vana cenſeri debuiſſet invitatio; non autem, ſi vocati omnes venire potuerint, etſi, vocatione contemptâ, venire detrectarint plurimi, qui proinde vitio ſuo, & pervicaciâ, non invitationis, non invitantis, non ſufficientis auxilii defectu ab Eccleſiâ, à Juſtitiâ, ab æternæ felicitatis arcentur convivio. Sic Auguſtinus lib. octoginta trium quæſtionum quæſt. 68. *Nec illi, qui noluerunt venire, debent alteri tribuere; ſed tantùm ſibi; quoniam, ut venirent vocati, erat in eorum liberâ poteſtate.* Ubi juxta Auguſtinum minimè vana eſt diviua vocatio, etiam dum ad eos dirigitur, qui ab illâ auditum avertentes æternis peritura, ſalutiferis noxia inſaniſſimè anteponunt.

11 Vocationem hi quidem, conſilium, & mandatum quodcunque in vanum accipiunt, ſed non in vanum Divina diſponit providentia. Quodcunque mandatum à Deo homini traditur, ab infinita proficiſcitur bonitate, & humanæ deſiderio ſalutis, certò conſequendæ, ſi, qnam poſſumus, præſtiterimus obſervantiam; mauifeſtam autem reddit ſummam Numinis in puniendo æquitatem, & potentiam, ſi aſpernemur. Sic omne, etiam in humanis, mandatum Principis non inane eſt, cui certum mortis ſupplicium contra tranſgreſſores annectitur; non, inquam, inane mandatum eſt, ſive ad obedientes retuleris, ſive ad contemptores.

12 Auguſtino, & cæteris Patribns conſentit Angelicus in cap. 1. epiſt. 1. Cor. lect. 1. dicens: *Non videretur eſſe fidelis Deus, ſi nos vocaret ad ſocietatem Filii, & denegaret, quantum in ipſo eſt, ea per quæ pervenire ad eum poſſemus:* inanis ea ſcilicet, & doloſa foret vocatio. Verùm talis à nullo cenſetur Catholico, quoties non dantur ea, quibus inſuperabiliter, & indeclinabiliter veniamus. Cujus ratio à Doctore Seraphico traditur in primum diſtinct. 40. art. 4. quæſt. 2. *Defectus,* inquit, *illuſtrationis non venit ex parte Dei, ſed ex parte noſtra.* Item Apoc. 3. *Ecce ſto ad oſtium, & pulſo. Si quis mihi aperuerit, intrabo ad eum &c. Sed ſi peregrinus volens hoſpitari, non recumbit in domo, non eſt cauſa ex parte ſui, ſed ſolùm Oſtiarii. Ergo ſimiliter, & obdurationis non eſt cauſa, niſi qui non recipit Deum pulſantem .... Anſelmus ait: non ideo non habet homo gratiam, quia Deus non dat, ſed quia homo non accipit* oblatam.

13 Hinc novum pro removenda à Dei præcepto vanitatis contumeliâ, ſuggeritur argumentum. Tune nempe imprudenter oſtium pulſatur, quando Oſtiarius aperiendi oſtium non habet facultatem: tunc improvidè, & inaniter ſtaret ad oſtium Deus, & aperiri præciperet, quando, deficientibus nos ad aperiendum viribus, non ſubminiſtraret, nec offerret ſufficientes. Verùm, his abunde præſtitis, ſi pertinax noſtra inurbanitas, pulſanti, roganti, imperanti Deo obſequi renuat, etſi is violentè fores effriugere noluerit, quis ei præter Queſnellum cum ſuis in pulſando, rogando, imperando, exprobret vanitatem?

14 Illud quoque Bonaventuræ, atque Anſelmi convincit adverſarios; *Quòd non ideo non habeat homo gratiam, quia Deus non dat, ſed quia homo non accipit* oblatam. Unde Dens ſicut in offetendo minimè vanus eſt, etſi à nobis repulſus, quod obtulerat, non largiatur; ita nec in vanum præcipete dicendus eſt, etſi rejecto à nobis ſufficienti auxilio, *non det quod præcipitur*. Eodem conſpirat S. Greg. lib. 33. moralium cap. 20. *Idcirco nequaquam cæleſtis gratiæ præmia æterna percipiunt, quia ea nunc, dum promereri poterant, ex libero arbitrio contempſerunt*. Si promereri poterant, quæ promeriti non ſunt, poterant itaque mandata ſervare; neque vana eſt Divina præceptio, etſi libero impiorum arbitrio contemnatur. Iterum Doctor Seraphicus in 1. diſt. 47. art. 1. q. 1. *Deus paratus eſt juvare; ita quòd ſalus non defuit propter defectum ex parte Dei*; igitur neque propter defectum ex parte Dei, defuit reprobis Sanctitas, & ſtabilis mandatorum obſervatio, cum Deus ſemper juvare paratus ſit, ut, quod jubet, ab homine impleatur. Non tamen ſemper quòd jubet, donat efficaci auxilio, quia renuit peccator admittere, quod offertur.

15 S. Anſelmus lib. de concordia præſcientiæ, & prædeſtinationis cap. 3. rectè monet, nudnm, qni à divite veſtem acceperit, debere potiùs benefactori, quàm ſibi rribuere, quòd indutus ſit; ſi verò veſtem abjecerit, vel admittere recuſarit oblatam, nudiras ſoli pauperi, non diviti adſcribenda ſir. Foretne nihilominùs rationi congrua iſthæc pauperis in divitem oratio: Hoc à me denuntiatum habe, qnòd in vanum ſit omnis tua veſtium oblatio: qnantumcunque ut admittam ſuaſeris, qualecunque ſuaſioni junxeris præceptum, nolo accipere oblatum: hortamenta omnia, & præcepta deſpicio, niſi manum ipſe admoveris, & me veſtibus, quas hactenus reſpuo, violentus indueris? Talis quodammodo eſt adverſarii precatio: *In vanum Domine præcipis, ſi tu ipſe non das, quod præcipis.*

CAPUT II.

Solvuntur Objectiones.

1 Quid ad Auguſtinum ſic orantem? *Da quod jubes, & jube quod vis.* Videtur Queſnellus hanc ſancti Antiſtitis otationem paululùm immutatam Obſervationibus ſuis inſerere voluiſſe.

2 Sic eſt, inſerere voluerit; ſed eâ mutatione corruptam, quæ precationem piiſſimam in impietatem convertit. Sanctus Auguſtinus, & quivis alius à Deo petit gratiam ſemper efficacem, dicendo *Da quod jubes, & jube quod vis*: verùm blaſphemia eſt, aſſerere cnm Queſnello, vana eſſe Dei præcepta, quoties auxilium ſufficiens, non efficiens conceditur. Ita facilè novatoribus eſt quamcunque Eccleſiæ orationem, unius alteriusve vocis corruptione in erroris ſui convertere patrocinium.

3 Quid verò habent Acta Apoſt. cap. 16. v. 10. quod talem exigat à Queſnello obſervationem? De Panlo dicirur, *ut autem viſum vidit, ſtatim quæſivimus proficiſci in Macedoniam, certi facti, quòd vocaſſet nos Deus.* Queſnelli itaque argumentnm eſt: Apoſtolus juſſus à Deo prædicare Euangelium, accepit gratiam efficacem, quâ datur qnod præcipitur: ergo omnia Dei præcepta ſunt inania, quories ea efficax Divinæ gratiæ auxilium non comitatur, ubi ex uno facto contingenti, & ſingulari, ac gratuito Numinis favore, infertur neceſſitas univerſalis, & quaſi lex Deo præfigitur, ut nihil imperare homini ſapienter poſſit, niſi efficax mandato junxerit ſubſidium. Simili ratione poſſet Queſnellus ex confirmatione Apoſtolorum in gratiâ, colligere paris confirmationis neceſſitatem in omnibus Apoſtolorum ſucceſſoribus ad prædicandi munus Euangelii vocatis. Verùm *Conſtitutionis* Clementinæ *defenſor* Gallus, pag. 30. tam ineptis Queſnelli rationibus indignarns, cum hoc perſtringit epiphonemate: *Neceſſe eſt fateamur, tam mirabilem eſſe Queſnelli logicam, quàm fidem, neque minùs in eo rationem omnis regulæ expertem eſſe, quàm religionem.*

4 Hexaplorum Author ſeras profligato errori ſuppetias laturus, adducit illud pſalmi 126. *Niſi Dominus ædificaverit domum, in vanum laboraverunt, qui ædificant eam. Niſi Dominus cuſtodierit civitatem, fruſtrà vigilat, qui cuſtodit eam*: in quæ verba Auguſtinus enarratione pſalmi citati, *Nos ergo loquimur foris, ille ædificat intus. Quomodo audiatis, nos advertimus; quid cogitetis, ille ſolus novit, qui cogitationes veſtras videt, ipſe ædificat, ipſe monet, ipſe terret, ipſe intellectum aperit, ipſe ad fidem applicat ſenſum veſtrum. Et tamen laboramus & nos, tanquam Operarii; ſed niſi Dominus ædificaverit domum, in vanum laboraverunt ædificantes eam.*

5 Talibus Propoſitioni tertiæ robur addere conantur Janſeniana Hexapla. Sed eorum Authorem in vanum laboraſſe, ſatis colligitur ex deductis ſuperiore capite. Hìc tamen etiam oppoſitionis temeritatem diſtinctiùs retundamus. Quærir initio Auguſtinus: *Qui ſunt iſti, qui laborant ædificantes? Omnes,* inquit, *qui in Eccleſia prædicant verbum Dei, Miniſtri Sacramentorum Dei. Omnes currimus, omnes laboramus, omnes ædificamus modò, & ante nos alii cucurrerunt, laboraverunt, ædificaverunt. Sed niſi Dominus ædificaverit Domum, in vanum laboraverunt ædificantes eam.*

6 Tum poſt pauca ſequirur, quod objectum eſt. Ex quibus & totâ reliquâ ſermonis parte evidens ſit, nullo modo de vanitate argui divina mandata cum auxilio ſolùm ſufficiente, abſque efficaci, nt arguit damnata propoſitio; ſed Auguſtinus fruſtraneum aie eſſe omnem laborem, & induſtriam prædicantium, qui tantùm aures ſonis inanibus pulſare poſſunt, ſi deſit Dei graria intus illuminans intellectum, & excitans voluntatem. Hoc autem etiam præſtat gratia ſufficiens, quamvis efficax non ſucceſſerit. Contra gratiam itaque ſufficientem, & hominis malitiâ inefficacem, vel contra Dei mandatum tali ſolùm comitanre auxilio, nulla Auguſtino mentio eſt. Humanos verò ſinè Dei Gratiâ conatus, vanos dici non prohibet Clementis XI. Conſtitntio, neque Divini Numinis reverentia; ut prohibet hanc ipſi Deo, ejuſque mandatis, & gratiis ſufficientibus pretioſo

tioſo Chriſti Sanguine comparatis vilem adeò appellationem irrogari, & contemptum.

7 Damnato Articulo non magìs favet S. Auguſtinus lib. de gratia & libero arbitrio cap. 8. ubi totus eſt contra Pelagium, qui *humanam* (potentiam) *ſibi ſufficere ad bene operandum putat, nec adjutorium ſperat à Domino*. Contra quem errorem Auguſtinus: *Proinde*, inquit, *chariſſimi, ſicut ſuperioribus teſtimoniis Scripturarum probavimus Sanctarum, ad bene vivendum, & rectè agendum eſſe in homine liberum voluntatis arbitrium, ſic etiam de gratia Dei, ſinè qua nihil boni agere poſſumus, quæ ſint Divina teſtimonia, videamus.... Si dixeris* (homo) *volo ſervare* (mandata) *ſed vincor à concupiſcentia mea, reſpondet Scriptura libero ejus arbitrio, quod jam ſuperiùs dixi, noli vinci à malo; ſed vince in bono malum; quod tamen ut fiat, adjuvat gratia, quæ niſi adjuverit, nihil lex erit, niſi virtus peccati. Augetur enim concupiſcentia, & majores vires accipit, lege prohibente, niſi adjuvet ſpiritus gratiæ.... Ecce unde dicit homo: volo legis ſervare mandatum; ſed virtute concupiſcentiæ meæ vincor: & cùm voluntas ejus convenitur, & ei dicitur: noli vinci à malo, quid ei prodeſt, niſi gratia ſuccurrente fiat? Dictum eſt libero arbitrio; Fili noli deficere à diſciplina Domini: & Dominus dicit, Ego rogavi pro te Petre, nè deficeret fides tua: homo ergo gratiâ juvatur, nè ſinè cauſa voluntati ejus jubeatur.*

8 Imminente urbi hoſte, Rex ſcribit, & imperat Præfecto nè ſe ab hoſte vinci patiatur; ſi tamen Rex abſque ſufficiente præſidio, annonâ, & apparatu bellico Præfectum deſtituat, reſpondebit is meritò, *Quid prodeſt* monitum, & mandatum, niſi Majeſtate veſtrâ *ſuccurrente fiat* ut reſiſtere valeam? Neceſſariis *ergo* ſubſidiis *juvandus ſum, nè ſinè cauſâ voluntati* meæ *jubeatur*. Neque enim Regis imperium ſinè *ſuccurſu*, & *adjutorio*, neque Præfecti voluntas ſinè viribus ſufficit. At ſufficientiſſimis à Rege copiis, ſufficiente annonâ, & bellico apparatu ſubmiſſis, ſi Præfectus portas occluſerit, nolens ea admittere, vel ſi admiſſis uti ad defenſionem noluerit; ſed urbem ſive vecordiâ, ſive proditione hoſtibus tradat, poſſetne placare Regem, & à ſe culpam ſuppliciumque amoliri dicendo: *In vanum Domine præcipis, ſi tu ipſe non das quod præcipis*, talibus mihi ſuccurrens ſuppetiis, quæ neque ab hoſte ullatenus vinci, neque à me impediri potuiſſent? Poſſetne & ſibi applicare illud Auguſtini, *Cùm voluntas* mea *convenitur, & ei dicitur, noli vinci à malo* (hoſte) *quid ei prodeſt niſi auxilio ſuccurrente fiat*? Poſſetne à ſe vecordiæ intolerabilis, vel proditionis ſceleſtiſſimæ accuſationem depellere, verbis illis Auguſtini ita perperàm intellectis, ſibique applicatis, de requiſitione ſuppetiarum, non ſolùm ſufficientium; ſed prorſus efficacium; quæ non tantum hoſtibus, ſed etiam ſibi fuiſſent inſuperabiles, atque indeclinabiles? Apage iſtiuſmodi commentum, & obtentum frivolum, ad excuſandas excuſationes in peccatis, iniquiſſimè excogitatum. Hac ratione tranſgreſſionum culpâ flagitioſus quilibet liberaretur, eaque in ſanctiſſimum Legis-latorem recideret, quoties efficiente gratiâ non daret ipſe quod præciperet.

9 Abdicatâ itaque falsâ, & acatholicâ Hipponenſis ſententiæ explicatione, ſatis nobis ſit, ipſo ſancto Interprete, dicere quòd *ſinè gratia Dei nihil boni agere poſſimus*, quòdque erret cum Pelagio, quiſquis *potentiam humanam ſibi ſufficere ad bene operandum putat, nec adjutorium ſperat à Domino*. Cum quibus ſimul optimè conſiſtit, quòd non *in vanum Deus præcipiat*, etiam quando non *dat ipſe*, efficaci auxilio, *quod præcipit*.

10 Mox ſubditur in Hexaplis brevis lacinia Gallicè ex ſermone Auguſtini 56. de verbis Apoſtoli. Ego in editione recenti Benedictinorum Pariſienſium, tantùm reperio de verbis Apoſtoli ſermones 50., in editione Lovanienſium pauciores; unde relationis fidem ad examen vocare nequeo. Si ſincera eſt, Auguſtinus dixerit: „ Lex fruſtrà minatur, ubi dominatur iniquitas. „ Quæ aſſertio apud Auguſtinum aliud ſignificare non poteſt, quàm quòd dominante iniquitate, pœnarum comminatio finem non obtineat, qui eſt legis obſervatio. Non indè tamen rectè intuleris, comminationem vanam eſſe, quando graviſſima, quæ violatoribus intentat, ſequuntur ſupplicia. Sic etſi Pharao neque præcepta ſervaverit, neque minis ad obedientiam adductus ſit, atque hoc ſenſu propter duritiem & impœnitens cor ejus, nihil apud eum Moyſes, nihil per Moyſen Deus profecerit; non tamen in vanum abiêre minæ, neque dicendus eſt Deus in vanum præcepiſſe; quia non dedit ei ipſe per efficacem gratiam quod præcepit; ſed mandata Dei Pharao in vanum accepit obſtinatiſſimâ in malo voluntate, ſive, ut Auguſtinus loqui dicitur, INIQUITATE DOMINANTE. Duplici igitur, & ſat lato diſcrimine Auguſtiniana locutio à Queſnelliana diſcrepat, quòd in priori minimè dicatur, neque verè dici potuerit vana comminatio, ut in poſteriore falsò dicitur vana præceptio: Neque ab Auguſtino defectus obedientiæ in Deum conjiciatur, ut conjicitur à Queſnello. Juxta hunc inobedien-

dientiæ ratio deſignatur, efficacis negatio auxilii, cujus largitio in ſolius Dei poteſtate ſit. Juxta Auguſtinum autem, ratio eur legis comminatio hìc fructu carère, & eo ſenſu fruſtranea quodammodo cenſeatur, non tribuitur Deo; ſed hominibus, apud quos liberrimâ eorum & peſſimâ voluntate *dominatur iniquitas*.

11 Fruſtrà Queſnellus obtenderet, non Deum, ſed homines à ſe ſtatui reos criminum, & Authores. Nemo reus tenetur peccati, quod vitare non potuit, uti, Queſnello judice, non potuit, quiſquis gratiâ earuit efficaci, quâ earuiſſe conſtat quotquot in erimina prolapſi ſunt, quotquot Dei violavêre præcepra. Non itaque in alium juxta Queſnelli placita derivari poteſt cujuſeunque tranſgreſſio mandati, quàm in Deum, qui in vanum præcipit, non dando id quod nemo alius dare poteſt, & ſinè quo nemo ullum ſervare præceptum, ſicut oportet, nec aliquod bonum facere, aut vitium ſinè vitio declinare. Patent hæc ex propoſitione ſecunda.

12 Nunc ad Auguſtini librum de Prædeſtinatione Sanctorum ab Hexaplis ducimur, unde quædam referuntur præpoſterè miſcendo & confundendo. Habe lector ut in Auguſtino ſunt, non cap. 18. ſed in fine 19. *Deus igitur operatur in cordibus hominum, vocatione illa ſecundùm propoſitum ſuum, de quâ multum locuti ſumus, ut non inaniter audiant Euangelium, ſed, eo audito, convertantur, & credant*. Ubi nihil favêre damnato Articulo perſpicuum eſt. Quid enim ex eo, quòd in cordibus hominum prædeſtinatorum, de quibus toto libro diſſeritur, Deus operetur vocatione *ſecundùm propoſitum* efficaci, ſequitur ad probandum, quòd omnis vocatio ſit *ſecundùm propoſitum*, & efficax? Quomodo ex eo quòd Deus ſic operetur in electis, ut non *inaniter* audiant Euangelium, ſed, eo audito, convertantur, & credant, ſequitur, quòd alios Deus in vanum, vel inaniter vocet, quotcunque ſcilicet non convertuntur, nec credunt, ſed *inaniter* audiunt Euangelium? Non omnem Dei vocationem eſſe *ſecundùm propoſitum*, ſeu efficacem, liquet vel ex hoc Divinæ ſapientiæ oraculo Matth. 20. v. 16. *Multi ſunt vocati, pauci verò electi*.

13 Multi inaniter, ſeu *in vanum* vocationem accipiunt, non tamen Deus *inaniter* vocat, non in vanum præcipit, ut veniant, etiam juxta Auguſtinum, ut conſtat ex ejus verbis ſuperiùs allatis ex lib. 83. Quæſtionum quæſt. 68. *Ad illam cœnam, nec omnes qui vocati ſunt, venire voluerunt ... nec illi, qui noluerunt venire, debent alteri tribuere; ſed tantùm ſibi, quoniam ut venirent vocati, erat in eorum libera poteſtate .... Qui autem vocatus non venit, ſicut non habuit meritum præmii, ut vocaretur, ſic inchoat meritum ſupplicii, cùm vocatus venire neglexerit*. Quamvis igitur ille vocationem rejiciat, & in ſui vertat damnationem; non tamen Deus vocat, aut præcipit *inaniter*, ut veniat: quia ſic vocat, ſic præcipit, ut ſimul tribuat unde in libera vocati poteſtate ſit venire: promittit æterna præmia, ut veniat; graviſſima, & nunquam terminanda minatur ſupplicia, ſi vocatus *venire neglexerit*. Neque vana Dei promiſſa ſunt, neque inanes minæ, etſi à peccatoribus *in vanum* & *inaniter* audiantur.

14 Inaniſſimè verò in Hexaplis objicitur prolixa Auguſtini ſententia, ex libro ſecundo de peccatorum meritis, & remiſſione cap. 5. *Cùm ergo nobis jubet dicens: Convertimini ad me, & ego convertar ad vos; noſque illi dicimus, Converte nos Deus ſanitatum noſtrarum, & Deus virtutum converte nos; quid aliud dicimus, quàm da quod jubes? Cùm jubet, dicendo: Intelligite ergo qui inſipientes eſtis in populo, & nos illi dicimus: Da mihi intellectum, ut diſcam mandata tua, quid aliud dicimus, quàm da quod jubes? Cùm jubet dicendo: Poſt concupiſcentias tuas non eas, noſque dicimus: Scimus quia nemo poteſt eſſe continens, niſi Deus det, quid aliud dicimus, quàm da quod jubes? Cùm jubet dicendo: Facite juſtitiam, noſque dicimus: Doce me juſtificationes tuas, quid aliud dicimus, quàm da quod jubes? Item cùm dicit: Beati qui eſuriunt, & ſitiunt juſtitiam, quoniam ipſi ſaturabuntur, à quo debemus petere cibum, potumque juſtitiæ, niſi ab illo qui eſurientibus eam, & ſitientibus promittit ejus ſaturitatem?*

15 Non tam multis opus erat, ut perſuaderetur innoxiam, ac ſanctam eſſe orationem, *Da quod jubes*, &, ut in confeſſionibus Auguſtinus addit, *jube quod vis*. Nec ſola eam adhibet Pariſienſis Eccleſia, feſto Sancti Auguſtini, ſed pii omnes altè animo impreſſam tenent, nec ullus poteſt iterare nimiùm. Quis non libenter oret cum Eccleſia univerſa, *Perfice, quæſumus Domine, benignus in nobis obſervantiæ Sanctæ ſubſidium, ut quæ te Authore facienda cognovimus, te operante impleamus*? Quæ eſt oratio feriæ 3. hebdom. 2. quadrageſ. Nemo enim catholicus ignorare poteſt, *Deum eſſe, qui operatur in nobis, & velle & perficere pro bona voluntate*, Philip. 2. v. 13. & nihil nos habere niſi quod accepimus 1. Cor. 4. v. 7. *Quid autem habes, quod non accepiſti*? Sed aliud eſt, Deum operari in nobis, nos à Deo accipere, Deum nobis dare omne bonum: aliud, nobis deeſſe,

ſe, operandi poteſtatem, quoties Deus nobiſcum non operatur, nobis liberum non eſſe à Deo accipere, vel obtinere, niſi quod reipſa dederit: tali ratione eliminaretur gratia ſufficiens, & fallax redderetur omnis Divina vocatio, invitatio, hortatio, præceptio ad juſtitiam, ac ſalutem omnium, quibus juſtitia, & ſalus non obtigerit.

16 Quæcunque filius habet ad vitæ ſuſtentationem neceſſaria, ſuppeditat pater: &, ſi benignior eſt, offert copioſiora, ut diſciplinis liberalibus, & honeſtis artibus inſtituatur: ad eas filium hortatur rationibus, promiſſis præmiis allicit, urget minis ſubindè, nec parcit verberibus. Hæc omnia contemnens filius dyſcolus, nec libros ad ſtudia oblatos volens admittere, nec ſcholas adire, nec audire Magiſtros, nec permittere quidem, ut manus ducatur ad ſcribendum, poteritne de Patre, ac Magiſtris conqueri, quod honeſtis artibus, & ſcientiis inſtructus non ſit, quòd eas non acceperit, quòd eas ipſi non dederint, quas à ſe habere non poſſet? Facile foret Patri, ac Magiſtris reſponſione congruâ refellere querimoniam: ſe nihil quod ſuarum partium erat, omiſiſſe: Patrem præſtitiſſe opem pluſquam ſufficientem, plura quæ optari poſſent, & efficaciſſima liberaliter obtuliſſe, daturum, niſi filius reſpuiſſet: Magiſtros ſimiliter ſuo non deſuiſſe muneri, obtuliſſe documenta convenientia, paratos etiam pueri manum ducere ad ſcribendum, niſi is diſciplinæ impatiens, & pertinax retraxiſſet.

17 Quamvis igitur S. Auguſtinus, & quilibet Deo obſequi cupiens, non ſolùm licitè; ſed prorſus ſapienter & ſanctè ab eo petat ſemper gratiam efficacem, ſive, *ut Deus operetur*, & *det quod jubet*, non tamen piè, nec licitè poteſt mandata Dei arguere vanitatis, quoties auxilium efficiens non conceſſerit, ſeu dicere verbis, & ſenſu Queſnelli *in vanum Domine præcipis*, *ſi tu ipſe non des quod præcipis*.

18 Denique quamvis gratiam, omnibus, ut oportet, petentibus promiſerit, non tamen aliis ullâ ratione debet. Neque hi à culpâ immunes ſunt, ſi non acceperint defectu orationis, quam toties Scriptura commendat, & ad quam tentationum ardor, ac noſtræ infirmitatis cognitio nos obſtringit. Quapropter meritò pro obtinendâ efficiente gratiâ orat Auguſtinus; immeritò Queſnellus attribuit præceptis vanitatem, quoties gratia contemnitur, rejicitur, vel non, ſicut oportet, efficax poſtulatur.

19 Cætera,quæ ex epiſtola Africanorum Antiſtitum, ex Concilii Arauſicani 2. Can. 9. ex Abbate Ruperto, ex lib. 3. de Imitatione Chriſti cap. 14. in Hexaplis congeruntur, aliud non enuntiant, quàm Deum bona omnia in nobis, & nobiſcum operari, de quo nullus Catholicus dubitat, & unde nullâ rationis ſpecie, quidpiam præſidii pro damnato dogmate eruetur. Si ex talibus libro ſuo molem Author accreſcere voluerit, poterat centena iſtiuſmodi in Janſenio, Calvino, Luthero, & ſimilibus libertatis, ac meriti ſubverſoribus coacervata; ſed & in fidei contra eos deſenſoribus ab errore vindicata, facillimè reperire.

20 Tandem ſalutem ex inimico ſperans, Patrem Lalleman, in erroris vocat patrocinium. „ Tertiæ (inquit) propoſitionis expreſſio adeò familiaris in vulgato uſu Chriſtianornm eſt, ut Pater Lalleman ab ea adhibenda continêre ſe non potuerit, quantumlibet prætenſo oppoſitus Janſeniſmo. Sic eſt:in cap.5.Matth. v.22.pag.76. Tom. 1. obſervationem hanc ſtatuit: *In vanum (O Servator) veram mihi demonſtras juſtitiæ ſemitam, ſi, ut in eam ingrediar, gratiâ tuâ non efficias.* Dum quidem prodiit Conſtitutio, atque oculos bono huic Patri aperuit, propoſitionem emendavit, & ſublatis his vocibus *Si ut in eam ingrediar, gratiâ tuâ non efficias*, ſubſtituit, *ſi tuâ gratiâ ad eam ingrediendum non me adjuves*: verùm numqnid ad priorem ejus ſententiam provocare poſſumus, & nonne facilè apparet iſtud Chriſtianiſmi reliquum ex ore hujus Jeſuitæ voces adeò veritati conſonas elicuiſſe „? Hactenus Hexapla.

21 Audiendus nunc eſt pro ſe loquens P. Lalleman in epiſtola ad Hexaplorum Authorem pag.30.&ſeq. „ *Cum dixi in vanum ô Servator, veram mihi demonſtras juſtitiæ ſemitam, ſi, ut eam ingrediar, gratiâ tuâ non efficias*, indicare volui, quod verum eſt, exteriores gratias, & illuſtrationes quoque interiores, nos in juſtitiæ ſemitâ non prorſus collocare, ſive non tribuere nobis ejus acquirendæ poteſtatem, ſed neceſſariam præterea ad hoc eſſe interiorem gratiam voluntatis. Edoctus homo, & viam cognoſcens juſtitiæ, in ea gratiæ ſufficientis auxilio collocatur, quo plena ei tribuitur per eam incedendi facultas. Quid hic niſi orthodoxum, & Queſnellianæ oppoſitum propoſitioni? Ut errorem ejus mea contineret enuntiatio, oportere à me dictum eſſe, *In vanum ô Servator! oſtendis mihi ſemitam juſtitiæ, ſi tuâ mihi gratiâ juſtitiam non dederis*. Vel dicere ſaltèm debuiſſem, *In vanum ô Servator ſemi-*

„ *ſemitam mihi oſtendis juſtitiæ, ſi gratiâ tuâ,*
„ *ut per eam incedam, non efficias.*

22 „ Præterea quando à te convictus fo-
„ rem, idem cum Queſnello enuntiaſſe, quod
„ non enunriavi, eviciſſes me debere cum
„ Queſnello condemnari, non eum mecum
„ abſolvi. Sed & alio adhuc ingenti, cauſa
„ mea à Queſnelliana ſeparatur diſcrimine.
„ Poteſne inficiari, me in libro meo plus
„ quàm centies, & verbis quidem clariſſi-
„ mis aſſeruiſſe, grarias verè ſufficientes,
„ quæ plenam, & expediram ſervandæ legis
„ tribuunt poteſtatem, quibus tamen eam
„ minimè ſervamus? Hoc dogma contra-
„ rium eſt propoſitioni damnatæ, quâ ſtatui-
„ tur Deus, *In vanum præcipiens, ſi non ipſe*
„ *det* per efficacem gratiam, *quod præcipit*.

23 „ Quod autem toto operis decurſu
„ à me traditum fuiſſe inficiari non potes,
„ auſiſne aſſerere à Queſnello in toto ſuo
„ opere inſinuatum vel ſemel? Procul ab eo
„ abfuit; cùm ſenſus propoſitionis obvius
„ tuo judicio non ſit niſi *prætenſus Janſeniſ-*
„ *mus*, à quo rejiciendo Queſnellus remo-
„ tiſſimus eſt. Quapropter expectare meri-
„ tò poruiſſem, fore, ut dum Queſnelli pro-
„ ſcriberetur Articulus in notiſſimo ejus
„ ſenſu, propoſitio mea quæ verbotenus vi-
„ deri poſſet illi ſimilis, acciperetur ſenſu
„ ſaniore, & ſententiis meis palàm explo-
„ ratiſſimis convenienti. Verùm, cùm liber
„ in mea adhuc eſſet poteſtate, ſtatim abſque
„ deliberatione cenſui reſcindendam enun-
„ tiationis partem, quæ ſignificationi pravæ
„ videretur obnoxia. Iſtud porrò eſt unde
„ tibi jus vindicas mihi inſultandi: *Oculos*,
„ inquit, *bono iſti Patri*, *Conſtitutio aperuit*,
„ *& propoſitionem emendavit*.

24 „ Hæc exprobatio mihi encomii loco
„ eſt, neque me pudebit unquam hac ratio-
„ ne inſultantium perpeti opprobria. Enim-
„ verò grates tibi affectu intimo refero,
„ quòd palàm vulgaveris, qnàm ſim deciſio-
„ nnm Eccleſiæ obſervans, quodque mihi
„ gloriæ ducam non ſolùm ſentire cum Ec-
„ cleſiâ, ſed etiam loqui. Utinam idem
„ dici quear de Queſnello, quòd *oculos ei*
„ *aperuerit Conſtitutio*! Gaudium procul du-
„ bio eſſet in cœlo ſingulare ſuper hoc uno
„ peccatore pœnitentiam agente. Verùm
„ tu cenſes Conſtitutionem ad perſuaden-
„ dum ſolis eſſe idoneam ſimplicibus, qui-
„ buſcum Queſnello, & ejus ſequacibus
„ perparum commune eſt. Ais *iſtud Chri-*
„ *ſtianiſmi reliquum bas ori meo elicuiſſe vo-*
„ *ces*, quibus ferè Queſnellianâ normâ lo-
„ cutus ſim, quo non obſcurè indicas, me,
„ propoſitionem corrigendo, amiſiſſe, quid-
„ quid mihi fuerat Chriſtianiſmi reliquum.
„ Quid igitur Chriſtianiſmi ſupereſt Pontifi-
„ ci, & Epiſcopis propoſitiones tor. Queſ-
„ nelli condemnantibus? Quid ſupereſt fi-
„ delibus communem ſequentibus ductum
„ Paſtorum? Ubi itaque eſt vera Chriſti Ec-
„ cleſia? Fortè Amſtelodamum, unde mihi
„ ſcribis, te duce defluxerit „.

25 Hæc Gallico idiomate Pater Lalleman. Addo tam parùm fundatam eſſe Hexaplorum jactantiam de communi apud Chriſtianos uſu tertiæ propoſitionis, ut, dum totam Janſeniana factio ſcrutata eſt antiquitarem, in nullo veterum eam reperire potuerir, in nullo ætatis mediæ, inter recentiores autem ſolus P. Lalleman verbo ſimili, ſed ſenſn diverſiſſimo, & Janſeniſtis maximè contrario locutus deprehenditur, & ſemel qnidem, mox quoque corrigens, quod errori videri poſſet affine. Tandem Hexaplorum Author Queſnellum à pravi ſensûs invidiâ liberaturus columnâ 5. aſſerit, *eum diſertè docuiſſe*, *quòd rejiciatur gratia, quòd repellatur, quòd ei reſiſtatur*; ſeuſu ſcilicet Thomiſtarum, ut Queſnellus in *explicatione apologeticâ* à pag. 68. penè uſque ad finem nititur inculcare; ſed fraude peſſimâ, quando nuſquam gratiam ſufficientem admittit, ſemper ſtatuens omnem in hoc ſtatu inſnperabilem, & indeclinabilem, quantum ad eum attinet effectum, ad quem tribuitur, & ad quem in talibus circumſtantiis ſufficiens eſt. Quia verò gratiam Thomiſticè ſufficientem exiſtimat minimè ſufficere, atque adeò ſuo libertatis evertendæ conſilio non obeſſe, Queſnellus, & cum eo Janſeniſtæ cæteri nunquam gratiam verè, aut ſimpliciter ſufficientem ſtatuunt, ſed ſemper expreſsâ ſolicitè *particulâ*, ut ajunt, *alienante*, in *ſenſu Thomiſtarum, Thomiſticè, uſitatâ apud Thomiſtas appellatione*. Et quidem Hexapla nos remittunt ad epiſtolam Provincialem 2. & 3.; in ſecunda autem ita Montaltii nomine Blaſius Paſchalis Dominicanum alloqnitur: *Certè, mi Pater, ſi quid in Galliâ poſſem, hoc curarem publicè à præconibus prædicari*, Notum omnibus esto, cum omnibus adesse cratiam sufficientem Dominicani dicunt, id eos significare velle, non omnibus adesse cratiam, quæ revera sufficiat. *Hoc facto, tum vobis ſufficientis gratiæ buccinandæ poteſtas fieret; at priùs nullo modo*.

26 Hujuſmodi expreſſiones, & particulæ, quas alienantes vel putant àdverſarii, vel fingunt, quantum à ſenſu ſcholæ Thomiſticæ alieni ſint earum artifices, planè demonſtrant. Etenim Thomiſtæ, quamvis præter ſufficientem gratiâ, quæ potentiam conſtituit proximè expeditam, aliam requirant ad actn agendum neceſſariam, fatentur tamen, eum, cui datur ſuffi-

ſufficiens, habere aliquâ ratione efficacem, non quidem re, & effectu; ſed ſic in ſua poſitam poteſtate, ut ei neganda non ſit, ſi obicem non ponat, quem poteſt non ponere. Fatentur, Deum, qui auxilium ſufficiens conferendo incœpit, ultra proceſſurum, & conferendo efficax, perfecturum quod cœpit, niſi per hominem ſteterit, qui, cùm poſſet Divinæ benignitatis progreſſui non obſiſtere, obſtiterit tamen perversâ ſuâ libertate. Fatentur denique unanimi totius ſcholæ ſententiâ, Deum, ſufficiens largiendo auxilium, in eo offerre & efficax, quòd ex voluntate antecedenti paratus eſt conferre, conferetque, niſi homo, qui poteſt non reſiſtere, reſiſtat ſufficienti, quod accepit. Igitur repudiato Janſeniſmo, admittant Queſnelliani auxilium hoc pacto ſufficiens, quo revera homo & gratiam efficacem obtinere poſſit, & operari, adeò ut illo præventus, hâc procul dubio gaviſurus ſit, ſi illi non reſiſtat, ut poteſt non reſiſtere. Palàm, inquam, edicant Queſnelli Sectatores, eamdem ſibi eſſe ſententiam, aut fateantur, non niſi fraude, fallendique ſtudio ſtatui à ſe gratiam Thomiſticè, ſive Thomiſtarum ſenſu ſufficientem.

Quarta Propoſitio damnata.

Ita Domine, omnia poſſibilia ſunt ei, quæ tu poſſibilia facis, eadem operando in illo. *Obſerv. mor. Marc. 9. 22.*

CAPUT I.

Propoſitionis damnatæ virus detegitur.

1 VEnenum hìc ſubdolâ magìs eſt ſuppoſitione involutum, quàm aperta fronte proditum: & quidem eo nocentius, quo difficiliùs dignoſcitur, ut mortem incautis afferat, priuſquàm ſentiatur. Peſtilentis autem ſuppoſiti virus, quod hìc ſub pietatis velamine afflatur, eſt mandatorum omnium impoſſibilis obſervatio, antequam eam Deus in nobis operetur, ut nemini præceptum violanti fuerit implendi facultas: qui error, quem veriùs hæreſim dixero, manifeſtiſſimis Scripturis, traditione Patrûm, Conciliorum, & Pontificum ſanctionibus, communi ſcholaſticorum conſenſu, & argumentis Theologicis, ipſo naturali lumine confirmatis, abunde ſubverſus eſt in propoſitione 2. & 3. ut novos in eam arietes ciêre ſupervacaneum ſit.

2 Non ei ſolùm, in quo Deus mandatorum obedientiam operatur; ſed cuicunque, etiam rebelli, & operationem Dei ſuâ malitiâ præpedienti, poſſibilem eſſe præceptorum obſervationem, omnia Divina oracula demonſtrant, quæ præcepta imponunt omnibus, omnes ad obedientiam hortantur, omnes ad virtutem, peccatores etiam ad pœnitentiam alliciunt: quæ Dei in omnes miſericordiam, voluntatem erga ſalutem omnium prædicant: quæ malorum imminentium timore impios à peccando abſterrent, omnes erigunt ſpe præmiorum. Hæc enim omnia, ſi præcepta obſervatu ſint impoſſibilia, corruere, & fruſtranea eſſe convincitur, teſte Doctore Angelico, atque ipſo naturæ lumine evidentiùs dictante.

3 Nondum Chriſtus obedientiam Præceptorum in omnibus operatus fuerat, neque operatus eſt deinceps, aut unquam operabitur: & tamen omnibus, ac ſingulis, ſeu exiſtentibus, ſeu futuris prædicat, & credi vult Matth. 11. v. 28. jugum ſuum, & onus eſſe omnibus non ſolùm portatu poſſibile, ſed leve etiam, ac ſuave. In paucis ex infinita peccantium multitudine operatur Chriſtus pœnitentiam, & converſionem: Si autem nulli eorum poſſibilis eſt converſio, niſi in quo Deus eam re ipſa efficit, prorſus fallax, & perfida eſt invitatio Matth. 11. v. 26. *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis &c.*

4 Quis enim ex eo non colligat, omnes laborantes, oneratos omnes, venire ad Chriſtum poſſe; cùm tantâ ab eo benevolentiâ, omnes, excepto penitùs nemine, invitentur? *Non dicit, venite ille & ille*, ut rectè obſervat S. Chryſoſtomus, hom. 39. & cum eo S. Thomas in Catena ad cap. 11. Matth. *ſed omnes, qui in ſolicitudinibus, qui in triſtitiis, qui in peccatis eſtis, non ut expetam pœnas, ſed ut ſolvam peccata, venite, non quoniam indigeo veſtrâ gloriâ; ſed quia volo veſtram ſalutem.* Venire itaque ad Chriſtum poſſunt omnes laborantes, & onerati peccatis, etſi non omnes veniant, neque omnes ad ſe Dominus faciat pervenire. Juxta damnatum articulum facilis, & rationi conſona eſſet Judæorum ad S. Stephani exprobrationem reſponſio; quomodo parêre Spiritui Sancto poſſumus, aut potuere patres noſtri, ſi parêre nemo poſſit, niſi is, in quo Deus obedientiam operatur? Nunquam eam ſcilicet operatus in nobis eſt, cùm ſemper reſtiterimus, atque ita ſemper nobis obedientia impoſſibilis fuit.

5 Falſitatis quoque neceſſe eſt arguat Queſnellus illud S. Petri Epiſt. 2. cap. 3. *Nolens aliquos perire, ſed omnes ad pœnitentiam reverti*. Quomodo enim Deus feriò vult omnes ad pœnitentiam reverti, ſi pœnitentia non aliis ſit poſſibilis, quàm iis, qui eam teipſa faciunt, Deo ipſos ad pœnitentiam perducente? Nec facilè à dolo, & mendacio liberabit Queſnellus iſtud Ezechielis 18. *Numquid voluntatis meæ eſt mors impii, dicit Dominus Deus, & non ut convertatur à viis ſuis, & vivat? Nolo mortem morientis, dicit Dominus; revertimini, & vivite*.

6 Quomodo eſt voluntas Dei, ut, qui in peccatis ſuis permanent, & moriuntur, agant pœnitentiam, & ſalventur; ſi nulli juxta Queſnellum pœnitentia, & ſalus ſit poſſibilis, niſi ei, in quo Deus pœnitentiam, & ſalutem operatur? Nullâ ratione poterit Queſnellus increpationis hujus defendere æquitatem. Prov. 1. v. 24. *Vocavi, & renuiſtis, extendi manum meam, & non fuit, qui aſpiceret: deſpexiſtis omne conſilium meum, & increpationes meas neglexiſtis*. Excuſationem peccatoribus contra Deum ſuggerit damnata propoſitio: quis, inquient, meritò reprehendat, quod ſive conſilium, ſive præceptum impoſſibile non implevermus, aut quis à nobis amplius quàm poſſibile exigat? Nihil autem nobis poſſibile eſſe, niſi quod efficaci in nobis gratiâ operatis, Queſnellus ex divinis oraculis ſibi viſus eſt eruere. Quidquid ergo operatus non es, neque nos tecum, in noſtra poteſtate non fuit ut perficeretur. Omiſſione igitur non delinquimus. Nam juxta regulam juris in naturali juſtitiâ fundatiſſimam, *Nemo poteſt ad impoſſibile obligari*; quale eſt juxta novæ Sectæ placitum, quidquid in hoc rerum ordine omiſſione peccatur.

7 Hinc ſequitur impoſſibilitas præceptorum, etiam in juſtis quoties labuntur: hinc negatio omnis gratiæ ſufficientis: hinc compoſitio demeriti cum peccandi neceſſitate: hinc ſalutis impoſſibilitas in omnibus, qui non ſalvantur. Sic inferorum tenebris tranſcripta à Pontificibus Janſeniana hæreſis, à Queſnello revocatur in lucem, reſtitutis quatuor Janſenii propoſitionibus; Primâ, ſecundâ, tertiâ, & quintâ. Quæcunque demum contra tres priores articulos deducta ſunt, facili huc ratione applicabis.

8 At quænam Scripturæ ſententia, tam pernicioſæ *Obſervationi* occaſionem præbere potuit? Citat Queſnellus reſponſum Chriſti, ad Energumeni patrem, Marc. 9. v. 22. *Si potes credere, omnia poſſibilia ſunt credenti*. Pater nempe, ſe nondum fortiter credere oſtenderat, dicendo, *Si quid potes, adjuva nos miſertus noſtri*; Servatoris autem reſponſio duos ſenſus patitur: videlicet credens omnia impetrare poteſt; & credens omnia poteſt facere, quaſi dicatur; non ſolùm ego dæmonem ejicere valeo; ſed etiam tu, ſi credideris. Utervis porrò ſenſus eligatur, nullo modo favet damnatæ propoſitioni. Ex hoc enim antecedente, *Fidelis poteſt omnia impetrare*, vel *etiam omnia facere*, quomodo ſequitur ergo omnia tunc ſolùm ſunt poſſibilia, cum adeſt gratia efficax? Chriſtus omnium poſſibilitatem adſtruit omni credenti, Queſnellus negat, niſi acceſſerit gratia efficax, quam non ſemper adeſſe, experientiâ nimis frequenti exploratum eſt. Queſnelli igitur obſervatio nullum in verbis Chriſti patrocinium habet, ſed æquiſſimæ damnationis fundamentum.

CAPUT II.

Solvuntur Objectiones.

1 PRimo loco in Hexaplis objicitur illud Apoſtoli ad Phil. 4. v. 13. *Omnia poſſum in eo, qui me confortat*. „ Pro „ *poſſum*, (inquit Cornelius à Lapide) Græcè „ eſt ἰσχύω, id eſt, potens, fortis, validus ſum. „ Secundò, pro *qui confortat*, Græcè eſt ἐνδυναμοῦντι, id eſt, qui me intus corroborat, validum ac robuſtum facit, ſuggerendo ſcilicet animæ, menti, voluntati vires gratiæ ſuæ „. Senſus itaque Apoſtoli eſt, ad omnia potens, fortis, validus ſum virtute, & robore Divinæ gratiæ. Unde quidem rectè inferes, non aliunde, nec priùs, illud in Apoſtolo robur fuiſſe, quàm à Deo ipſum *confortante* acciperet; ſed non indè ſequitur, non priùs, nec aliàs Apoſtolum, aut quemvis alium, poteſtatem, vires, robur ſufficiens habuiſſe, ad quodlibet opus bonum, niſi quandò illud, Deo operante reipſa, exerceret. Nunquid enim Fide certum eſt, plurima ab hominibus omitti bona opera, quæ exercere poterant? Non igitur tunc ſolùm poſſibilia ſunt, quando fiunt, ſed etiam ſæpiſſimè quando noſtrâ negligentiâ omittuntur; adeóque dum ea Deus in nobis non operatur, quia cooperari nolumus. Quâ probabili æquitate mitti in ignem æternum poſſent, qui opera miſericordiæ non exercuerint, ſi, quoties prætermiſère, fuerint ipſis impoſſibilia? Quia juxta novos Theologos nunquam poſſibilia ſunt, quando non exercentur, ſeu quando Deus illa in nobis efficaci non operatur auxilio.

2 Dein provocamur ad illud cap. 13. epiſt. ad Hebræos, *Deus autem pacis, qui eduxit de mortuis Paſtorem magnum ovium in ſanguine teſta-*

teſtamenti æterni, Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, aptet vos in omni bono, ut ſaciatis ejus voluntatem. Quod interpretes paſſim; ſoſte à Lapide, & congruo Græcis vocibus ſenſu, ſic explicant „ Deus vos perficiat, ab„ ſolvat, omnibus ſuis numeris, & partibus, „ quaſi artubus compleat, ut in omni bono, „ gratiâ & virture adaptati, efformati, per„ fecti, & conſummati ſitis. „

3. Ex quibus nihil haberi pro ſtabilienda omnis boni operis impoſſibilitate, ante ipſius operis exercitium, ſolâ verborum lectione perſpicuum eſt. Eam ſcilicet, quæ deſcribitur, perfectionem meritò Hebræis optat Apoſtolus, & quis non eam ſibi, & cæteris piiſſimè deſideret? At præter Calvini, & Janſenii aſſeclas, nemo ab ea pendêre dixerit omnis boni operis poteſtatem. Exhorruit Belgium, quando à Duacenæ Academiæ Cancellario Jacobo Gilbert in ſcholis publicis dictari, & theſibus typo editis divulgari audiit axioma hoc apud Catholicos inauditum, & non unius hæreſeos fundamentum: *In materiâ gratiæ bene ſequitur argumentum ab affirmatione potentiæ, ad affirmationem actûs, & à negatione actûs ad negationem potentiæ: Titius poteſt bonum operari, ergo bonum operatur. Titius non operatur bonum, ergo illud operari non poteſt.* Propter hoc, & quædam alia Doctoribus Sorbonicis ad doctrinæ ejus examen deſtinatis, viſus eſt in ſcholâ Catholicâ minimè tolerandus; hinc juſſu Regis Chriſtianiſſimi à Cathedra, & Academia amotus, exul in carcere nuper vitam finiit. Idem axioma eſt, quod aliis vocibus à Queſnello quarta propoſitione defenditur. Si enim tunc primùm poſſibile ſit opus bonum, quando illud Dominus in homine operatur, evidens eſt in bonis actibus valêre argumentum à negatione actûs ad negationem potentiæ, *Titius non operatur bonum, ergo non poteſt illud operari*: & rurſus ab affirmatione potentiæ ad affirmationem actûs: *Titius poteſt bonum operari, ergo illud operatur*; tunc enim primùm fit poſſibile quando illud Deus in homine operatur: *Ita Domine, omnia poſſibilia ſunt ei, cui omnia poſſibilia facis, eadem operando in illo*:

4 In damnati hujus dogmatis defenſionem, adducitur Græca quædam Diognetis epiſtola, quàm Hexapla vocant *vetuſtiſſimum traditionis, & præcipuâ dignum veneratione monumentum.* In hac epiſtola pondus potiſſimùm afferre proſcripto articulo cenſetur; quod *poſtquam experimento comprobavimus; impoſſibilem in Dei regnum* propriis viribus *ingreſſum, poteſtatem nobis divina potentia tribuit .... Dum itaque manifeſtâ ſuperioris temporis experientiâ convicti fuimus de acquirendæ vitæ impoſſibilitate, in qua verſabatur natura, nunc Deus nobis largiens Servatorem, qui ſalvandi etiam, quod aliàs impoſſibile erat, habeat poteſtatem, mandavit nobis fidem de ejus miſericordia, atque ut eum æſtimemus tanquam noſtrum nutritium, Patrem, Magiſtrum, Conſiliarium, Medicum, noſtram ſapientiam, noſtrum lumen, noſtram gloriam, fortitudinem, & vitam.*

5 Quæ ſententia tanto elogio ab adverſario jactata, adeò ipſi non favet, ut potiùs eum de errore convincat. Nam quòd Deus nobis dederit Salvatorem: quod de ejus miſericordia mandaverit Fidem nobis omnibus ſinè exceptione, quòd is noſtra ſit gloria, & vita, non temporanea ſolùm, ſed æterna, oſtendunt poteſtatem ab actu in plurimis hominum ſeparatam. Sic 1. Timoth. 4. dicitur *Salvator omnium hominum maximè fidelium*, quia ſalutis poteſtatem omnibus hominibus, maximè fidelibus impertit, etſi ſalutem non in omnibus hominibus, etiam fidelibus operetur. Chriſtus medicus eſt omnibus hominibus, quia omnibus ſanitatem offert; etſi non in omnibus efficiat, cùm plerique ſanari nolentes, pereant: Chriſtus lumen eſt, etiam iis illuminandis paratum, qui oculos claudunt. Conſiliarius, & Magiſter eſt docendis omnibus promptus, & à quo omnes conſilio dirigi, & doceri valeant, non omnes velint, quia plurimi auditum à veritate avertentes ad fabulas convertuntur. Habet igitur adverſarius tot exemplis confirmatam Catholicam veritatem, quibus eam ſperabat evertere: habet, inquam, demonſtratam bonorum actuum poteſtatem, etiam dum illos efficaci Deus non operatur auxilio.

6 Traditionem erroris, quàm à Diognete adverſarius texere perperàm cœpit, non feliciùs proſequitur ex Auguſtino, qui in pſalm. 106. aſſerit quidem de peccatore, qui convertitur, *perducitur ad viam fidei .... cùm ergo ibi fuerit, jam ſciens quid obſervare debeat, non nunquam multum ſibi tribuendo, & quaſi de ſuis viribus præſumendo, incipit confligere velle bello contra vitia, & propter ſuperbiam ſuperari. Invenit ergo ſe ligatum difficultatibus cupiditatum, & non poſſe viam propter compedes ambulare, incluſum ſe ſentit difficultate vitiorum, & tanquam muro impoſſibilitatis erecto, portiſque clauſis, qua evadat, ut rectè vivat, non invenit ... exclamat ad Dominum. Secunda ergo tentatio eſt difficultatis, in bene operando ... exclamat, & in hac ad Dominum: liberat Dominus de neceſſitatibus: rumpit vincula difficultatis, conſtituit in operationem æquitatis. Incipit ei jam facile eſſe, quod difficile fuerat, abſtinêre à malis, non adulterare, &c.*

7 Sed quis præter Janſenianos, qui ex

Digitized by Google

omni ligno ſibi norunt ſculpere Mereurium, hic inveniat bonorum actuum negatam poteſtatem, ubicunque eorum deeſt, vel ſuſpenditur exercitium, Deo illud nondum auxiliis efficacibus operante? Impoſſibilitas victoriæ in eo, qui ſe à ſervitute vitiorum expedire utcunque nititur, non antecedens, & rigida; ſed impropria, & merè conſequens eſt, ut patet, *propter ſuperbiam, multum ſibi tribuendo, & quaſi de ſuis viribus præſumendo*; quibus ſolis ſibi pollicebatur victoriam: idcirco de invocanda Salvatoris ope non ſolicitus, donec iteratis cladibus edoctus ſe abſque gratiæ cœleſtis auxilio nihil poſſe, illud implorare cœpit, *exclamans ad Dominum. Tunc eum liberat Dominus de neceſſitatibus, rumpit vincula difficultatis, conſtituit in operationem æquitatis. Incipit ei jam facile eſſe, quod difficile fuerat, abſtinere à malis, non adulterare, &c.* Non tunc primùm cœpit peccatori poſſibilis eſſe de vitiis victoria, quando eum *Dominus conſtituit in operationem æquitatis*; quia antea poſſibilis ipſi erat ad Deum recurſus; ſi autem priùs, ſicut poterat, exclamaſſet ad Dominum, priùs illum Dominus liberaſſet de neceſſitatibus, rupiſſet vincula difficultatis, conſtituiſſet eum in operationem æquitatis: tunc quoque incœpiſſet ei facile eſſe, quod difficile fuerat, abſtinere à malis, non adulterare &c.

8 Quanquam nec impoſſibilitatis nomine hic utitur Auguſtinus in ſignificatione ſtrictâ Theologicâ, ſeu Scholaſticâ, ſed latiore, ſumptâ pro magna difficultate, quemadmodum de quibuſcunque immerſis peccandi conſuetudini vulgò dicitur impoſſibile eſſe, ut à peccando abſtineant: de muliere garrulâ, impoſſibile ut taceat; de fratribus Joſeph propter odium, quo in eum ferebantur, ait Scriptura: *non poterant ei quidquam pacificè loqui*. Et Theophylactus in Joan. cap. 12. *Hoc autem, quod dicit* (Scriptura) *non potuerunt credere, ſignificat noluerunt; nam malus, & improbus homo non poteſt credere, quamdiu talis fuerit, mala ſcilicet eligens, ac volens*.

9 Peccator quidem, de quo loquitur Auguſtinus, abſtinere à peccatis voluit; ſed non ſemper ſicut oportuit: non tam ardenter, quàm poterat, ac debebat, initio voluit, neque humiliare ſe coram Deo, & ejus gratiam demiſſis precibus implorare: ſed ſuperbâ præſumptione, ſolis ſuis pugnare viribus, & vincere. Hæc de ipſis Auguſtini verbis perſpicua ſunt, quæ non latuêre adverſarium; ideo multiplici corruptione Auguſtini ſententiam depravavit: omittit nullo dato omiſſionis indicio, illud: *Incipit* (peccator) *confligere velle bello contra vitia, & propter ſuperbiam ſuperari.*

10 Altera citationis perfidia eſt, quod illud Auguſtini, *Liberat Dominus de neceſſitatibus, rumpit vincula difficultatis, conſtituit in operationem æquitatis*, vertat adverſarius, *Le Seigneur le delivre, en luy rendant le bien poſſible.* Ideſt: Liberat eum Dominus, reddens ei bonum poſſibile: quaſi nullum ei bonum antea *poſſibile* fuiſſet: cùm tamen, Auguſtino teſte, potuerit orare, & divinum implorare ſubſidium, *exclamando ad Dominum*, & coram eo ſe humiliando. Quo pacto ei ulterior gratia, & abſoluta de vitiis victoria concederetur. Unde non impoſſibilitas boni operis antecedens, ſed merè conſequens, & impropriè dicta in peccatore illo ab Auguſtino deprehenditur: ſed & impoſſibilitatis nomine difficultatem ſolummodo ab Auguſtino intelligi, ipſe Sanctus Doctor indicat, dicendo: *rumpit vincula difficultatis*: & *incipit ei jam facile eſſe, quod difficile fuerat*. Deinde, ut adverſarii ignorantiam craſſam, & fraudis ineptias magis patulas faciamus, quid in totâ Auguſtini ſententiâ, etiam ut in Hexaplis corruptè redditur, favet articulo damnato? Supponamus peccatori iſti impoſſibile antea fuiſſe bonum, & nunc, cùm à Deo liberatur, reddi poſſibile, quâ indè legitimâ ratione deducas, tunc tantùm eſſe ei bonum poſſibile, quando poteſtas redigitur ad actum? Neque iſta in vitando malo, & exercendo bono difficultas, quæ in ſuperbo, ac ſuis viribus fidente peccatore eſt, & quædam impoſſibilitas appellatur, occurrit in juſtis, & quidem omnibus. Nam de peccatore illo tandem converſo Auguſtinus verbis ſtatim ſequentibus teſtatur: *incipit ei jam facile eſſe, quod difficile fuerat*. Ac denique progreſſu temporis, & gratiæ fiet, ut magis eum delectet juſtitia, quàm ante delectaverit peccatum.

11 Quomodo igitur, ex ſuperbi peccatoris, & Dei gratiam contemnentis difficultate, quæ merè conſequens, atque impropriè dicta impoſſibilitas eſt, ſequitur, impoſſibilitatem ſimpliciter dictam reperiri in omnibus juſtis cadentibus, contra clariſſimam Auguſtini ipſo objecto loco ſententiam? Et quodnam hic, aut uſquam alibi veſtigium eſt, unde colligas, tunc tantùm eſſe declinandi mali, aut faciendi boni operis poteſtatem, quando illud re ipſa declinari, hoc re ipſa fieri, Deo operante, contigerit? Error hic indubiè hæreticus eſt, utpote à culpa liberans omnia peccata, quantumvis enormia, omnes bonorum operum omiſſiones, & contemptus.

12 Non plus patrocinii adverſario præbet illud Auguſtini lib. 1. retract. cap. 22. *Cùm fortis, & potens voluntas preparatur à Domino, facile fit opus pietatis, quod prius diffici-*

ficile, atque impoſſibile fuit. Ita eſt; ſinè gratiæ auxilio opus pietatis eſſe non ſolùm difficile, ſed etiam impoſſibile, Catholici omnes contra Pelagium profitentur. At nunquam opus pietatis poſſibile eſſe, nunquam voluntatem præparari à Domino, quin opus pietatis fiat, hoc eſt, quod contra Calvinum, Janſenium, Queſnellum, & eorum aſſeclas, non minùs inficiantur Catholici, & meritò proſcripſit Eccleſia.

13 Similis Auguſtini locutio in epiſtola ad Paulinum, uti & S. Proſperi, S. Fulgentii, S. Leonis, Innocentii primi, Cœleſtini, Thomæ à Kempis non alia indiget reſponſione. Innocentii locum etiam ſupra explicui,& cùm iterum verſione ambiguâ ingeratur, iterum affuſæ tenebræ diſſipandæ ſunt. Verum eſt, quod *Deo adjuvante vincimus*; non quaſi quoties adjuvat, *vincamus*; ſed quod nunquam niſi Deo adjuvante, ſuperemus; unde cautè legenda verſio Gallica, *nous remportons la victoire, quand Dieu nous aſſiſte*. Victoriam referimus, quando Deus adjuvat. Si enim dicitur, omne Dei adjutorium ſemper conferre victoriam, hæreſis traditur ſecundæ Propoſitionis Janſenii, *Interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ nunquam reſiſtitur*. Si verò accipiatur, ut ab Innocentio traditur, ſenſu Catholico, aliud non ſignificat, quàm quòd quando vincimus, Deo auxiliante vincamus. Sic & poſterior locutionis Innocentianæ pars, *Neceſſe eſt, ut eo non adjuvante vincamur*, ſenſum hunc exigit orthodoxum: neceſſe eſt, ut, Deo nullatenus adjuvante, vincamur: reſpuit autem ſenſum hunc Janſeniano veneno turgidum: Neceſſe eſt, ut Deo non efficaciter adjuvante, vincamur. Si enim vinci, & peccare neceſſe eſt, quoties deeſt adjutorium efficax, nullum in hoc ſtatu dabitur adjutorium inefficax. Cui enim ſervire poſſet uſui? Quoties deeſſet gratia efficax, præceptum eſſet impoſſibile, quia peccatum neceſſarium. Et tamen peccando, præcepta non obſervando, demereremur. En tres primæ propoſitiones Janſenii hæreticæ; quibus & accederet ſenſus hæreticus propoſitionis quintæ; pro ſolorum enim prædeſtinatorum ſalute Chriſtus mortuus crederetur, ſi nulli alteri adjutorium præparaſſet, ſinè quo cadere, ac tandem perire neceſſe ſit. Si igitur, ut oportet, & ab omnibus Catholicis intelligitur, Innocentii primi ſenſus dicatur, quòd quando vincimus, *Deo adjuvante vincamus*; quando autem nullo modo à Deo adjuvamur, *tunc vinci neceſſe ſit*, nihil hinc præſidii eſt damnato articulo ſtatuenti, nunquam nobis bonum eſſe poſſibile, niſi dum re ipſa efficitur.

14 Singularem vim ponit adverſarius in quodam Sancti Gregorii textu, quem epiſtolarum lib. 7. epiſt. 4. citatâ non reperio (forte erit in editione nova) refertur S. Pontifex, dicens: Semper nobis petendam eſſe gratiam ab eo, ſinè quo nunquam abſque peccato ſumus, & cum quo nunquam abſque juſtitia. Nihil hoc Pontificis effato verius. Cum Deo enim eſſe, & Deum nobiſcum, Deum apud nos manſionem facere, ſignificat nos Dei amicos eſſe; indubitatum autem Fidei Catholicæ dogma eſt, amicitiam Dei nunquam eſſe abſque juſtitia, & ſanctitate, ſeu habitu ſeipſo ſanctificante. Neque minùs inconcuſſus Fidei articulus eſt, hominem Deo, ſeu ejus amicitiâ deſtitutum nunquam eſſe ſinè peccato; ſed qua ratione hinc adverſarius eliciat, nunquam eſſe bonum opus poſſibile, niſi dum re ipſa efficitur? Num fortè ſperavit, incautos aliquos lectores ita verba Gregorii intellecturos, ut dicamur deſtituti gratia actuali nunquam eſſe ſinè peccato? Si ita eſt; igitur & juxta Gregorium præſente gratia actuali nunquam ſumus abſque juſtitiâ quod Calvinianum eſt, & nè à Janſenio quidem admittendum. Deinde ea interpretatio à textu S. Pontificis, etiam prout ab adverſario Gallicè verſus traditur, eſt aliena. *Nous avons* (inquit) *ſans ceſſe beſoin de chercher la force, & de demander la grace de celuy, ſans lequel nous ne ſommes jamais ſans peché, & avec qui nous ne ſommes jamais ſans juſtice*, ubi evidens eſt, *ſans le quel*, & *avec qui* non poſſe referri ad gratiam; ſed ad Deum referri neceſſariò; aliàs enim dicendum fuiſſet, *ſans la quelle*, & *avec la quelle*, relativo juxta omnes Grammaticos reſpiciente ſubſtantivum ejuſdem generis.

15 Univerſæ hìc Hexaplorum obſervationes in columna tertia deſcriptæ ex Meldenſi Epiſcopo, quid ad præſentem quæſtionem faciant, non video. Aliud enim non continent, quàm dici poſſe, quod voluntati Dei non reſiſtatur, nec reſiſti valeat, de quo diſſerendi locus proprius occurret in propoſitionibus de Dei voluntate. Quî interim ex ſuppoſita voluntate Dei abſolutâ, cui nemo reſtiterit, aut reſiſtere poſſit, deduces, nunquam effectum bonum eſſe poſſibilem, niſi eum ipſum Deus efficaci gratiâ operatur? certum eſt, plurimos actus tum malos, tum ſpecie ſua indifferentes eſſe poſſibiles, qui nunquam futuri ſunt, & ab homine liberè omittuntur, ſive ita ut liberam eos eliciendi habeat poteſtatem; idem de omnibus actibus docent Scripturæ, traditio Patrum, & Pontificum contra Janſenium definitiones, à me ſuperiùs contra errorem præſentis articuli allegatæ. Neque indè voluntatis Dei abſolutæ efficaciam deſtrui

ſtrui neceſſe eſt; non enim omnis Dei voluntas neceſſariò abſoluta eſt; poteſt & conditionata eſſe, & permiſſiva, quâ velit aliquid juxta conceſſum homini liberum arbitrium; ut velit nempe opus bonum fieri, ſi homo conſenſerit; vult quoque Deus permittere ſuſpenſionem vel etiam omnimodam boni operis omiſſionem, ſi hanc homo libero voluntatis arbitrio elegerit. Atque ita cum maxima voluntaris divinæ in decretis abſolutis efficacia, optimè conſiſtit bonorum actuum in homine poteſtas, etiam cum eorum liberrima ſuſpenſione, vel omiſſione conjuncta, ſive ita, ut Deus bonos actus in homine non operetur.

Quinta Propoſitio damnata.

Quando Deus non emollit cor per interiorem unctionem gratiæ ſuæ; exhortationes, & gratiæ exteriores non inſerviunt, niſi ad illud magis obdurandum. *Obſerv. Moral. Rom.* 9. *v.* 18.

CAPUT I.

Propoſitionis damnatæ error pernicioſiſſimus convincitur:

1 Interior gratia cor emolliens non alia Queſnello eſt, quàm efficax, nec alia fuit Janſenio. Sufficiens ab utroque ſoli naturæ innocenti tribuitur, à ſolis, inquiunt, Pelagianis in præſenti ſtatu admittenda. Hic itaque Queſnelli in articulo ſenſus eſt: Quandocunque Deus non infundit efficax auxilium, exhortationes, & quæcunque exteriores gratiæ, quales ſunt Incarnatio Verbi, ejus cum hominibus converſatio, prædicatio, exempla ſanctiſſima, inſtitutio Sacramentorum, Sacramenta ipſa, nonniſi ad cor magis obdurandum valent. Is ſenſus articuli obvius eſt; nam gratia efficax, propriè *cor emollit*; non enim obdurati, de quibus in articulo ſermo eſt, dicentur *cor* gerere, *Divinâ gratiâ emollitum*, etſi non omni ſufficiente auxilio penitùs deſtituantur.

2 Unde juxta propoſitionem falleret nos Apoſtolus dum Rom. 3. nulla factâ interioris gratiæ mentione, prærogativas Judæorum in gratiis exterioribus conſiſtentes tantoperè extollit. Quodnam enim iſtud genus prærogativarum eſt juxta Queſnellum non ſerviens, niſi ad cor magis obdurandum, abſente ſaltèm interiore gratiâ efficaci, quam à Judæis longè amovent tres propoſitiones ſequentes? Sic præter efficacem gratiam peccatoribus omnia optima, & aliàs ſaluberrima, pernicioſa fient; omnia vitanda. Quemadmodum enim peccandi occaſiones fugiendæ ſunt, in primis cavendæ occurrent, quæ ad obdurandum, & non niſi ad magis obdurandum inſerviunt. Quapropter peccatores, qui nondum unctione interiore gratiæ cor emolliri ſentiunt, deberent in Queſnelli doctrinâ ſtudiosè fugere omnes exhortationes, & conciones, omnia pietatis colloquia, ſacrificia miſſæ, & quaſcunque functiones ſacras, quæ exteriores gratiæ reputantur: deberent abſtinêre à lectione piorum librorum, ab aſpectu bonorum operum, & piarum imaginum, à viſitationibus Eccleſiarum, & quovis alio exteriore virtutis adminiculo. Quo principio ſic ad praxim redacto, nihil excogitari poteſt magis idoneum ad fovendam peccatorum impœnitentiam; impediendam converſionem, obdurationemque ac cæcitatem mentis perpetuò obfirmandam.

3 Multò minùs Queſnellus deberet obtrudere omnibus promiſcuè Scripturas Sacras; minimè verò prædicare Propoſitionem 79. *Utile, & neceſſarium eſt omni tempore, omni loco, & omni perſonarum generi, ſtudêre, & cognoſcere Spiritum, pietatem, & myſteria Sacræ Scripturæ.* Prop. 80. *Lectio Sacræ Scripturæ eſt pro omnibus.* Limitari ſaltèm oportuiſſet lectionem illam, & ſtudium ad eos ſolos, quibus *Deus cor emollit*, & ad illud tempus, *quando emollit per interiorem ſuæ gratiæ unctionem.* In aliis, vel alio tempore, quem uſum ea lectio, illud ſtudium habere juxta Queſnellum poterit, niſi obdurationis augmentum?

4 Apoſtolus 2. Tim. 3. v. 16. dicit *Omnis Scriptura divinitus inſpirata, utilis eſt ad docendum, & arguendum, & corripiendum, ad erudiendum in juſtitia.* Queſnellus Apoſtolum docuiſſet utilitatem omnem reſtringendam ad ſolos efficaci interiore auxilio donatos: cæteris omnibus Scripturam eſſe pernicioſam, nec niſi pernicioſam eſſe poſſe, ut ſe explicat in obſervat. Moral. ad Rom. 12. v. 7. Verba dabo in fine capitis. De Verbis Chriſti Scriptura teſtatur, *quòd Spiritus, & vita ſint*, quòd *Verba vitæ æternæ*; Queſnellus autem, quòd ſint exitialia, & ad ſolummodo obdurandum idonea, quoties gratia efficax defuerit.

Si

Digitized by Google

5 Si Propoſitionis Author infelicem, & deteſtabilem illum fructum tribuiſſet Lectioni *Obſervationum* ſuarum *Moralium*, & aliarum ſcriptionum infamium contra Magiſtratus ſæculares, & Eccleſiaſticos, contra Epiſcopos, Cardinales, Regiam Majeſtatem, atque ipſam Apoſtolicam Sedem, & Sanctiſſimas ejus Conſtitutiones, nullus ei aſſenſum meritò denegaret. Exemplum enim Monialium Portûs Regii nimis manifeſtum eſt, & plura ejuſmodi in juridico contra Queſnellum proceſſu Bruxellis edito ſunt obvia; ut prætermittam recentiora, in viris etiam majoribus, quos Queſnelliana ſcripta contra Bullam Unigenitus, ad hæreſis patrocinium, & fomentum ſchiſmatis, ſummo Eccleſiæ ſcandalo concitarunt. Tales *exhortationes non niſi ad cor magis obdurandum inſervire*, ultro fatebimur, neque ullus diſſentiet, qui Janſeniano pulvere conſperſus non eſt. Sed ad minùs odioſa redeamus.

6 Pharao apud omnes prototypon obduratorum eſt: cæcitatem ejus, & pervicaciam poſt tot monitiones, ſigna, & prodigia, poſt tot immiſſa Divinitus ſupplicia quis non miretur? Neque dubium eſt, quin Deus, qui vult omnes homines ſalvos fieri, qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, qui non vult aliquos perire, ſed omnes ad pœnitentiam reverti, junxerit mandatis, monitionibus, prodigiis, interiores quaſdam gratias, ſinè quibus exteriores omnes novit haud poſſe ſufficere, ut obedientia, converſio, ſalus valeat obtineri. Queſnellus verò admirationem facilè, ſed nequaquam Catholicè ſolvit, dum, ſicut articulis ſuperioribus omnem ab inobedientia culpam amoverat, ſic innocuam modò præſtat obdurationem; niſi quòd crimen, quo hominem liberat, conjiciat in Deum, non minùs præpoſterus impiorum hominum Patronus, quàm impius accuſator Numinis. Nam etſi, docente Angelico Magiſtro in 2. diſt. 30. q. 1. art. 2. *Ad culpam naturæ, nempe ad peccatum originale non requiratur niſi voluntas in natura illa*; vetumtamen ex eodem ibi pariter conſtat, *ad culpam perſonalem requiri voluntatem perſonæ*, & quidem omni propriè dictâ neceſſitate liberam, ut tota Catholicorum agnoſcit Eccleſia.

7 Rebellionis itaque, quæ fuit in origine, reus fuerit Pharao; at quomodo perſonalis inobedientiæ tot criminibus gravatur, ſi veridicus eſt novus Eccleſiæ reformator Queſnellus? Quia ut Prop. 1. dicitur, *Quid aliud remanet animæ, quæ Deum atque ipſius gratiam amiſit* (ut Pharao amiſit in Adamo, nec in Queſnelli doctrina recuperare unquam potuit) *quid*, inquam, *aliud remanet niſi peccatum, & peccati conſecutiones, ſuperba paupertas, & ſegnis indigentia, hoc eſt generalis impotentia ad laborem, ad orationem, & ad omne opus bonum*, adeòque ad obediendum Dei mandatis? Nec obtigit Pharaoni *gratia efficax*, ſinè qua juxta eumdem Propoſitionis 2. Authorem *non ſolùm nihil boni fit, ſed nec fieri poteſt*.

8 Sic neque in poteſtate Pharaonis fuit orare, quo neceſſarium gratiæ impetraret auxilium, cæcitatem mentis averteret, & obdurationem. Abſque interiore autem illo gratiæ efficacis auxilio, quod cor ungendo emolliat, omnes Dei præceptiones, *exhortationes*, minæ, terrores, omnia ſigna, & prodigia, omnes ultiones, & pœnæ graviſſimæ, demum *quæcunque gratiæ exteriores non inſerviunt niſi ad cor magis obdurandum*. Hactenus Pharaonis, ex Queſnelli dogmatibus concepta contra Deum apologia, quam velim ab Iprenſis Auguſtini diſcipulis videre deſtructam.

9 Nemo patientis Chriſti hiſtoriam legere, vel mente cogitare valeat, quin ſacrilego proditori diſcipulo ſuccenſens, Servatoris amantiſſimi in eum manſuetudinem, & benignitatem attonitus miretur. At Queſnellus, ſi ſuis principiis inſtiterit, faciliùs proditori Judæ reconciliabitur, quàm Chriſto Salvatori. Hic enim diſcipulum eligens, quid juxta Queſnellum miſero contulit, quo is fidem Magiſtro ſervare, mandata exequi, & in accepta juſtitiâ perſeverare poſſet? *In vanum Domine* ab eo exegiſti amorem, *ſi tu ipſe non dederas, quod præcepiſti*. *Ita Domine* tentationum victoria, & proditionis evitatio *poſſibilis ei fuiſſet, ſi poſſibilem feciſſes, eamdem operando in illo*; ſed operatus non es. Melius, inquis, futurum illi erat, ſi natus non fuiſſet: addere poteras ſi in Apoſtolorum Collegium non adoptatus; ſed quid ei præſtitiſti, unde melior fieri poſſet, quàm fuerit? Gratiæ efficaci aſſenſum nunquam negavit: ſinè ea juxta Queſnellum *nihil boni facere potuit*, nullam ſuperare tentationem, præſertim vehementem avaritiæ, quæ ad proditionem impulit. Laborum quidem eum ſocium adſciviſti: dignatus es familiari conſuetudine: exemplis, & monitis ſanctiſſimis inſtruxiſti: non cibo ſolùm quotidiano, ſed & Corpore, & Sanguine tuo in cœna ultima paviſti: abjeciſti te ad ejus pedes, eos laviſti, oſculatus es: admiſſo quoque poſtea proditoris oſculo, amicâ eum ſalutatione complexus es; ſed omnes illæ gratiæ exteriores ad quid inſerviunt, niſi ad cor magis obdurandum, *ſi non emollieris illud per interiorem gratiæ unctionem*, ut te non emolliviſſe certiſſimum eſt? Ita Queſnellus dogmatibus

tibus ſuis impiis, & Anti-Chriſtianis tam accuſatorem Chriſti, quàm Judæ ſe conſtituit defenſorem.

10 Nos, abdicato errorum Magiſtro, cum Eccleſia Catholica ſentiamus. Exhortationes, & cæteræ exteriores gratiæ, licèt ſinè interiore, & efficaci, ſeu *cor emolliente* nullam actionem ſalutiferam operentur, ad aliud tamen, *quàm ad cor magis obdurandum inſerviunt*. Nam, ut prætereeam actus moraliter bonos, quos fortè intrà naturæ ordinem efficiunt, certè ardorem concupiſcentiæ minuunt, arcent pravorum ſocietatem, plurimas peccandi occaſiones, plurima reſcindunt malorum irritamenta. Deinde ſicut voluntas interiore auxilio ſufficiente elevata, poteſt actus elicere ad ſalutem conducentes, ſic exteriores gratiæ ſimili interiore adjutæ auxilio, *etſi cor non emolliente* diſponere utcunque animum poſſunt ad obdurationem deponendam.

11 Denique ſicut blaſphemiam ſapit hæc propoſitio 6. inter 31. ab Alexandro VIII. damnatas: *Gratia ſufficiens ſtatui noſtro, non tam utilis, quàm pernicioſa eſt, ſic ut proinde meritò poſſimus petere*: A GRATIA SUFFICIENTE LIBERA NOS DOMINE, ita neque Catholici ſaporis eſt Articulus Queſnelli, obdurationis calumniam impingens gratiis omnibus exterioribus, quoties interior efficax comitata non fuerit.

12 Tanquam ſingulare Divinæ providentiæ beneficium & exteriorem gratiam prædicare Queſnellus ſolet evaſionem ſuam è Bruxellenſi palatio Mechlinienſis Archiepiſcopi. Hanc exteriorem, non Divinam, ſed diabolicam, ſi ita loqui fas eſt, gratiam, Eccleſiæ Catholicæ luctuoſam fateor, *non niſi ad obdurandum* profugi animum *inſerviiſſe*. Sed utinam ea non inter deſertionis ſigna potiùs, quàm exteriores veras gratias cenſenda ſit! In iſtam nempe ſolitudinem ductus à clementiſſimo Domino videbatur, ut ibi loqueretur ad cor ejus, curis ſæcularibus vacuum, nec pernicioſis amplius diſtractum ſcriptionibus; ſed is intempeſtivâ fugâ elapſus, hæreticæ ditionis libertatem, tam opportunæ ad pœnitentiam ſolitudini maluit anteferre.

13 Similis *exterior* captivitatis *gratia*, quæ eodem die ab eodem Antiſtite alteri obvenerat, hunc ſtatim in eo fructum peperit minimè pœnitendum, ut, qui paulò antè novis typis ediderat omnia Michaëlis Baji opera, cum Notis, & Vindiciis impudentiſſimis contra Bullas Pii V. Gregorii XIII. & Urbani VIII., offerret ſe mox, etſi Gallus, ad ſcribendum pro authoritate Pontificis falli neſcia, etiam in quæſtionibus facti dogmatici. Dein, & Alexandri VII. contra Janſenium formulæ juratus ſubſcripſit. Tertius eodem die à Mechlinienſi Præſule comprehenſus poſt menſium aliquot caſtigationem, ſponte ſuſceptam Janſeniſmum pariter ejuravit; neuter corde per gratiam ſatis emollito; neuter tamen, quantùm tunc apparuit, obdurato: uterque verò ſpem bonam integræ converſionis faciens, ſi temporanea detentionis gratia, in perpetuam commutata, utrumque à pravo ſociorum conſortio ſegregatum, ſubductumque periculis retinuiſſet. Sed partim Regis Chriſtianiſſimi, partim Mechlinienſis Archiepiſcopi clementiâ libertati uterque reſtitutus, ceſſantibus pii hortatoris monitis, ſuccedentibus improbis Janſeniſtarum conſiliis, rediens ad vomitum, non *gratiis exterioribus*, ſed earum privatione animum dicitur *obduraſſe*. Quod triplex exemplum, inſigne Principibus documentum eſt, prætenſis Janſeniſtarum converſionibus non facilè fidendum, nec unquam Eccleſiæ, ipſorumque ſaluti ſatis cautum fore; niſi loco ſecuriſſimo collocatis, ſublato in perpetuum ſcriptionis, ſermoniſque eum ſuſpectis commercio, conſulatur.

14 Ad propoſitionem, à qua tantiſper divertimus, revertamur. Quis ſacri codicis textûs tam atroci obſervationi aperire viam potuit? Remittit nos Queſnellus ad Rom. 9. v. 18. *Cujus vult miſeretur, & quem vult indurat*. Ubi de modo, ſeu mediis, quibus Deus indurat, nullus ſermo eſt, niſi quòd ex oppoſitione miſerationis paſſim interpretes cum Auguſtino colligant, id fieri, *non largiendo malitiam, ſed non impertiendo miſericordiam*. Queſnellus autem quaſi Divini oraculi, & Auguſtinianæ explicationis defectum ſupplêre volens, addit, id Deum exequi gratiarum exteriorum conceſſione abſque interiore efficaci, quæ *cor emolliat*; quin imò gratias omnes exteriores abſque illa *non inſervire, niſi ad illud magis obdurandum.* Quod etſi per ſe ſatis clarum, magis tamen Queſnellus explicat ad Rom. 12. v. 7. *Lex*, inquit, *ipſamet Incarnatio, & myſteria omnia ſunt gratiæ, ſed exteriores, quibus non niſi abuti poſſumus; niſi ſpiritus Dei, ut bene utamur, efficiat*: LA LOY, L'INCARNATION MEME, ET TOUS LES MYSTERES *ſont des graces*; *mais des graces exterieures*, DONT ON NE PEUT QU'ABUSER, *ſi l'eſprit de Dieu n'en fait faire un bon uſage*.

15 Eccleſia verò certiſſimum habet, Divinam *Legem*, *Incarnationem*, Sacramenta, exempla Chriſti, & Sanctorum, Verbum Dei ſcriptum, & traditum, omnia Fidei noſtræ documenta, exhortationes, minas, promiſ-

ſa

ſa cœleſtia, & quaſcunqne gratias exteriores, cum ſufficiente interiore auxilio, quod nulli deeſt, ad bona plutima inſervire, ut tentationes dæmonis non paucas impediant, frænent libidinem, cogitationibus noxiis ſæpe aditum obſtruant, natutales bonas ſuggerant, animum erudiant, concurrant cum ſufficiente interiote gratiâ, ut peccatot ad majora beneficia diſponatur.

16 Accedit eadem propoſitio ad 27. Bajanam à tribus Pontificibus damnatam, *Liberum arbitrium ſinè gratiæ Dei adjutorio non niſi ad peccandum valet*. Si enim res integerrimæ, & ſanctiſſimæ, ut ſunt memoratæ exteriores gratiæ, abſque intetiote auxilio efficaci non niſi ad peccandum, & obfirmandam incriminibus mentem inſerviant, ad quid aliud, abſente efficaci gratiâ, valere poterit liberum arbittium peccato otiginis ſaucium, & vitiatum? In hoc etiam magis abſurda eſt Queſnelli ptopoſitio, quòd ad eximendas à culpa exteriores gratias tequirat auxilium interius efficax, Bajana ab efficaci ptæſcindere videatut, quocunque interiori gratiæ auxilio contenta. Ptæterea ſi exteriores gratiæ ſinè interiore efficaci, ad nihil boni utiles ſint; ſed noxiæ, quid fiet intetiori gratiæ ſufficienti, abſque efficaci? Facilè illam ob ſimilitudinem rationis, cenſurâ non diſſimili Queſnellus involvet, præeunte Duce ſuo Janſenio, qui gratiam ſufficientem vocat *monſtrum ſingulare gratiæ, ſolummodo peccatis faciendis, majorique damnationi ſervient* lib. 3. de gratiâ Chriſti cap. 3. Hinc celebtis Janſeniſtarum otatio, vulgò litania à Joanne Sinnichio compoſita, ab Alexandro VIII. damnata: *A gratia ſuffitiente libera nos Domine*.

17 Nos Authoti propoſitionis & petvicacibus ejus contta Conſtitutionem defenſoribus à Deo impetrare conemur, ut depulsâ cæcitate, & ſublatâ cordis duritie, auxilio gratiæ interioris efficaciſſimo ita illud emolliat, atque inflectat, nè Divinam *Legem, ipſammet Incarnationem & myſteria omnia*, perverſis dogmatibus ſubruere pergant, nè inter illos deinceps indoctos, & inſtabiles numerari debeant, de quibus S. Petrus epiſt. 2. cap. 3. conqueritur quod in epiſtolis Pauli *quædam difficilia intellectu depravent, ſicut & cæteras Scripturas ad ſuam ipſorum perditionem*.

CAPUT II.

Solvuntur Objectiones.

1 JEREMIÆ 5. verſu 3. dicitur, *Percuſſiſti eos, & non doluerunt; attriviſti eos, & renuerunt accipere diſciplinam: induraverunt facies ſuas ſupra petram, & noluerunt reverti*. Ubi Hexaplorum Authot *non doluerunt*, rectè vertit *& ils ne l'ont point ſenti*, & non ſenſerunt. Gravis paſſim ægritudinis, ſtuporis, ac ſæpe delitii, vel amentiæ ſignum eſt, motbos, plagas, verbera, uſtiones non ſentire. Iſtud morali modo accidit Judæis Caucaſo durioribus; nam Prophetâ teſte, *induraverunt facies ſuas ſupra petram*, effrontes, & impudentiſſimi; verùm illud morbi genus non ægris omnibus; ſed pauciotibus, ac fetè depoſitis, ſeu deſperatis accidit; atque ita, quod in Judæis eſt ſingulare, ac penè incredibile perverſitatis exemplum, nequit abſque manifeſtâ injuſtitiâ, & calumnia applicari omnibus, etiam Chriſtianis peccatoribus, dum gratiis exterioribus, quantùm intrà natutæ ordinem poſſunt, utuntur, nondum tamen ad opeta ſalutifeta efficaci, & cor emolliente gratiâ præventi. Non enim peccantium omnium tanta malitia eſt, ut omnibus ad hoc extetioribus gratiis abutantur; ſed & dum quis illis abutitur, ad hoc eæ magis invitæ, & ſuâ repugnante naturâ pertrahi, quam ſponte; aut ex ſuptemi Domini intentione ſervite dicendæ ſunt.

2 Non conſentit Hexaplotum Author; ſed ut exteriores gratias, ſi interior efficax abſfuerit, in ctimen vocat, ita Deum ipſum conſtituit peccatotem. Objiciens enim iſtud Apoſtoli ad Gal. 3. v. 19. *Quid igitur lex? Propter tranſgreſſiones poſita eſt, donec veniret ſemen cui promiſerat, ordinata per angelos in manu Mediatoris*; Sic vertit Gallicè *la loi à etè etablie pour faire des prevaricateurs, juſqu'a l'avenement de ce Fils, que la promeſſe regardoit*. Id eſt *lex ad faciendos prævaricatores poſita eſt*, ita ut finis à Deo legem ſtatuente volitus, ipſæ videantur prævaricationes, quæ impiiſſima fotet Wickleffi, Lutheti, & Calvini hæteſis, à qua temotiſſimus S. Thomas in cap. 3. Galat. lectione 7. hunc locum intetpretans ait: PROPTER TRANSGRESSIONES POSITA EST LEX, *ideſt ad tranſgreſſiones cobibendas, & de hoc habetur 1. Tim. 1. Juſto lex non eſt poſita, ſed injuſtis; Homines malè diſpoſiti indigent retrahi à peccatis per pœnas, & ideo propter ipſos fuit neceſſaria legis poſitio, quæ habet coarctativam virtutem*. Et Paulò ante: *Eſt ergo lex prima data ad reprimendam malitiam, dum ſcili-*

ſcilicet prohibendo peccatum, & puniendo retrahebantur homines à peccato. Et hoc tangit (Apoſtolus) *dicens, propter tranſgreſſiones poſita eſt lex.*

18 Eadem eſt interpretatio S. Hieronymi, Chryſoſtomi, & aliorum, cui S. Thomas poſt Auguſtinum etiam hanc addit: *Secundò lex data eſt ad infirmitatem manifeſtandam. Homines enim de duobus præſumebant, primò quidem de ſcientiâ, ſecundò de potentiâ . . . . & ideo data eſt lex quæ cognitionem peccati faceret. Tertiò data eſt lex ad domandam concupiſcentiam laſcivientis populi, ut diverſis ceremoniis fatigati, neque ad laſciviam, neque ad idololatriam declinarent.* Adeò igitur lex poſita non eſt ad prævaricatores faciendos, ut ad eos cohibendos datam eſſe, ex Scripturis Sacris, & Sanctis ejus interpretibus indubitatum ſit.

19 Eodem capite 3. Sic concludit Apoſtolus: *Itaque lex pædagogus noſter fuit in Chriſto, ut ex Fide juſtificemur. At ubi venit fides, jam non ſumus ſub pædagogo.* In quem locum ita S. Thomas lect. 8. *Quaſi dicat* (Apoſtolus) *ex quo ſub lege cuſtodiebamur, lex fuit noſter pædagogus, id eſt dirigens & conſervans in Chriſto.* Non igitur lex data eſt ut prævaricatores faceret, ſed prævaricationes impediret, ut homines dirigeret, & conſervaret in Chriſto. Quis pater filiis, aut Dominus ſervis pædagogum conſtituat ad *faciendos* eos *prævaricatores*? Inhumanum iſtud conſilium foret, & barbarum. Pædagogi officium eſt, vitia prohibêre, delinquentes caſtigare; minimè verò inducere ad peccandum.

20 Denique Deus velle tranſgreſſores facere non potuit, niſi volendo tranſgreſſiones. Has autem ſi voluit, ubi eſt iſtud pſalmi 5. *Quoniam non Deus volens iniquitatem tu es.* Atque ita actum eſt de præcipuo Dei attributo, quod eſt Sanctitas; actum proinde de Deo ipſo, qui, ſublatâ ſanctitate, nullus eſt, & impoſſibilis.

21 Objicitur Auguſtinus Epiſt. ad Vitalem dicens, de *Doctrina ſalutari Scripturarum Sanctarum* quod vivificare non ſit *opus ejuſdem doctrinæ, quam qui audiunt, & legunt ſinè gratia Dei, pejores ejus efficiuntur inimici.* Et mox: *Liberum arbitrium ad diligendum Deum primi peccati granditate perdidimus, & Lex Dei, atque doctrina, quamvis ſancta, & juſta, & bona, tamdiu occidit, ſi non vivificet ſpiritus, per quem fit, non ut audiendo, ſed ut obediendo, neque ut lectione, ſed ut dilectione teneatur.*

22 Plura iſtiuſmodi ex Auguſtino, & aliis patribus congeruntur in Hexaplis, labore inutili ad finem ab Authore intentum, qui eſt proſcripti articuli defenſio; nunquam enim ex his conficiet, Scripturas Sacras, & Legem ſinè efficaci gratia ad nihil ſervire niſi ad peccandum, ſive ad accerſendam majorem peccantibus obdurationem. Nam neque lex, neque Divina Scriptura, & ejus lectio, etiam ſinè interiore gratia, ſunt per ſe cauſa peccati; ſed concupiſcentia, ſeu fomes peccati, & homo libero ſuo abutens arbitrio, abutitur etiam Scripturis ſanctiſſimis, & legibus optimis contra finem earum, quem ex ſe exigunt, & ad quem à Deo hominibus conceduntur.

23 Hæ quidem occaſionem peccati non præbent; ſed ex ipſis, naturâ ſuâ renitentibus, eam atripit hominum perverſitas. Ut ergo adverſarius intelligat, ad quid boni lex ſuâ virtute ſerviat, quod ejus ex natura ſua, & Conditoris intentione ſit officium, quis finis? Eſt docêre quid bonum ſit, & amplectendum: quid ſit malum, & fugiendum: quod bonum à Deo præcipiatur, vetetur malum; quod huic ſupplicium, illi præmium decernatur: quorum notitia per ſe bona, & utilis eſt ad ſuadendum bonum, & homines a malo avertendos. Hic ſenſus eſt Apoſtoli in variis Epiſtolis, Doctore Angelico interprete, qui cùm fideliſſimus quoque Auguſtini interpres, & quaſi Auguſtinus alter, ipſo fatente Janſenio, fuerit, reſponſionum, probationumque compendium fecero, ſi quæ à me aſſerta ſunt, Apoſtolico textui maximè conformia, verbis Angelici dedero confirmata. In cap. 7. ad Rom. lect. 2. *Sciendum eſt*, inquit, *quòd ſi lex per ſe, & directè cauſaret paſſiones peccatorum, vel mortem, ſequeretur quòd lex eſſet peccatum, ... non autem ſi lex eſt occaſio paſſionum peccati, vel mortis . . . . Et eſt notandum quòd non dicit* (Apoſtolus) *quòd lex dederit occaſionem peccandi; ſed quia ipſum peccatum occaſionem acceperit ex lege. Sic igitur lex rectum aliquid fecit, quia peccatum prohibuit; unde occaſionem non dedit peccandi: ſed homo occaſionem ex lege accipit. Sic igitur intelligendum eſt, quod paſſiones peccatorum, quæ pertinent ad concupiſcentiam peccati, non ſunt per legem, quaſi lex illas operetur; ſed peccatum* (ſeu peccati fomes) *illas operatur acceptâ occaſione ex lege . . . . Deinde cùm dicit* (Apoſtolus) Quod ergo bonum est &c. *Movet quæſtionem quantùm ad legis effectum. Et primò quæſtionem ponit dicens.* Quod ergo bonum est, *ſcilicet in ſe,* factum est mihi mors, *id eſt per ſe cauſa mortis: quod quidem aliquis poterat falsò intelligere ex eo, quod ſuprà dictum eſt, Inventum eſt mihi mandatum, quod erat ad vitam, hoc eſſe ad mortem. Secundò ſolvit per interemptionem, dicens;* Absit, *non poteſt id quod*

quod eſt ſecundùm ſe bonum, & vivificum, eſſe cauſa mali, & mortis ſecundùm illud Matth. 7. Non poteſt arbor bona malos fructus facere.... Mandatum ex hoc ipſo bonum eſt, quod faciat cognitionem peccati: & hoc occaſionaliter, in quantum manifeſtat peccatum.

24 Ex his facilis reſponſio eſt ad illud Auguſtini lib. 83. Quæſtionum Quæſt. 66. *ubi ergo non eſt gratia liberatoris, auget peccandi deſiderium prohibitio peccatorum*, non per ſe, neque ut cauſa, ſed occaſio; non data à prohibente, neque à prohibitione, ſed ſolummodo ab homine accepta, Diabolo & concupiſcentia inſtigante, nempe vulgare dictum eſt, *nitimur in vetitum ſemper*; ſolet namque apprehendi ut multum delectabile, à quo nos præcepti impoſitione, & intentatis ſuppliciis coërceri neceſſe duxerit Legislator; ideoque ardentiùs expetitur à concupiſcentia. Neque Diabolo operæ pretium eſt incitare hominem ad indifferentia, ſeu quæ nullâ lege prohibentur, nullam Deo injuriam inferunt, nullum hominibus ſupplicium, aut detrimentum.

25 Ad peccandum lex propriè non ſervit, etſi ex lege invitâ, & ſemper directiſſimè contrariâ peccatis, occaſionem criminum inſipientia humana accipiat. *Scimus enim, quia lex ſpiritualis eſt*, teſte Apoſtolo ad Rom. 7. *Ego autem carnalis ſum, venumdatus ſub peccato.* Ibidem *Lex quidem ſancta, & mandatum ſanctum, & juſtum, & bonum. Quod ergo bonum eſt, mihi factum eſt mors? Abſit; ſed peccatum* (quo, juxta S. Thomam lect. 2. in fine, notatur *fomes peccati*) *ut appareat peccatum, per bonum operata eſt mihi mortem.* Non igitur lex operatur peccatum; ſed concupiſcentia in occaſionem criminis detorquens legem ſanctiſſimam quantumlibet repugnantem. Multò minùs dici poteſt lex *ad nihil aliud ſervire*, quàm ad peccandum. Diſſimulemus, quòd pro *ubi* in verbis Auguſtini adverſarius Gallicè ponat *par tout*, ubicunque.

26 Sed quâ ratione quod de lege, ſeu peccatorum prohibitione ſolitariè acceptâ dicitur, extendit adverſarius ad omnes gratias exteriores, etiam ſufficientis interioris ſuffultas auxilio? Orationes & ſuffragia Eccleſiæ pro peccatorum converſione ſunt iiſdem exteriores gratiæ; quid autem illæ habent unde peccandi deſiderium in peccatoribus augeatur, etiam abſente gratia efficaci? Idem eſt de Incarnatione Verbi, de Chriſti paſſione, de ſanctiſſimis ejus, & Sanctorum omnium exemplis, atque infinitis aliis ſalutis & juſtitiæ noſtræ exterioribus adminiculis, præſertim comitante, ut dixi, interiore gratia ſufficiente? Cui Sanctorum Patrum, imò cui unquam Catholico incidit aſſerere, quod hæc omnia defectu efficacis gratiæ, *augeant peccatorum deſiderium*? Multò magis abfuêre à docendo, quod ad nihil aliud, quàm ad magis peccandum, ad magis obdurandos peccatorum animos ſerviant. Tanta doctrinæ impietas noſtris temporibus, novis Eccleſiæ reformatoribus ſervabatur.

27 Denique nec objecta S. Auguſtini ſententia agit de *prohibitione peccatorum*, quoties abeſt gratia liberans, ſeu efficax; ſed quoties abeſt *gratia liberatoris*. Quid enim ſi adſit auxilium ad emolliendum cor abunde ſufficiens? Certum Catholicis omnium ſcholarum eſt, per illud excitari animum ad mandatorum cuſtodiam, atque illud vel in quibusdam boni deſiderii motibus conſiſtere, vel illorum cauſam eſſe, ut ipſe Janſenius, omnem quæ in voluntate eſt gratiam, in delectatione & deſiderio boni indeliberato conſtituit. Gratia igitur ſufficiens voluntati infirmæ vires ſuppeditat ad volendum bonum; & ad hujus excitando deſiderium, vim tentationis aliàs fortè non ſuperabilis, imminuit; atque adeò procul abeſt, *ab augendo peccatorum deſiderio*. Unde neque Auguſtinus docet gratiam ſufficientem, vel mandatorum prohibitionem tali gratia ſuffultam & adjutam, ſed eâ prorſus carentem, peccatorum augere deſiderium. Multò verò minùs enuntiat S. Doctor, prohibitionem peccatorum etiam gratiâ ſufficientiſſimâ comitante, ſinè efficaci ad nihil ſervire niſi ad indurationem animorum.

28 Inſtat adverſarius ex S. Auguſtini libro de Gratia Chriſti contra Pelagium cap. 8. *Hinc itaque apparet, hanc eum gratiam confiteri, quâ demonſtrat, & revelat Deus, quid agere debeamus; non quâ donat, atque adjuvat, ut agamus, cùm ad hoc potiùs valeat legis agnitio, ſi gratiæ deſit opitulatio, ut fiat mandati prævaricatio: Ubi enim non eſt lex, ait Apoſtolus, nec prævaricatio: & concupiſcentiam neſciebam, niſi lex diceret,* NON CONCUPISCES: *Ac per hoc uſque adeò aliud eſt lex, aliud eſt gratia, ut lex non ſolùm nihil proſit; verùm etiam plurimùm obſit, niſi adjuvet gratia.*

29 Meritò redarguit Auguſtinus Pelagium, quòd ſolam legem admittat docentem, non gratiam quæ voluntatem adjuvet, ut impleat quod jubetur. Vel hinc meritò Janſenium, & Queſnellum accuſant Catholici, quòd ubi Deum ſtatuunt præcipientem ea, quæ ſinè auxilio gratiæ impleri nequeunt, non fateantur concedere, vel offerre media neceſſaria, quibus humana ſatis juvetur infirmitas, ut implere valeat imperata. Verùm

datis auxiliis ſufficientibus minimè dicit Auguſtinus legem, talibus adjutam præſidiis, *nihil prodeſſe, obeſſe plurimùm*: Dicendo autem Queſnellus nimiùm accedit ad Articulum 6. inter 31. ab Alexandro VIII. juſtiſſimè condemnatos: *Gratia ſufficiens ſtatui noſtro non tam utilis, quàm pernicioſa eſt, ſic, ut proinde meritò poſſimus petere, A gratiâ ſufficiente libera nos Domine.*

30 Homines, qui acceptam legem, & auxilium quodcunque ſufficientiſſimum à Deo datum contemnunt, fructum quidem, qui eſt juſtitia, & ſalus, non percipiunt; ſed ex eo contemptu conſtituuntur rei, quales ſinè lege, & gratia ſufficiente non fuiſſent; non tamen ex lege, aut tali gratia peccatum, & damnatio oritur; ſed ex prava hominum eis abutentium voluntate. Unde perperàm, & impiè affirmatur, legem cum tali auxilio non niſi ad cor magìs obdurandum ſervire. Servit potiùs ut homines, & quæ agenda ſunt videant, & ad agenda, quæ viderint, convaleſcant; neque deerit, ſi per ipſos non ſteterit, auxilium efficax. Quare & ad juſtitiam, & ad ſalutem lex cum gratia ſufficienti maximè ſervit, quia utramque in poteſtate hominis conſtituit, ut eam, ſi cooperari quantùm poteſt, voluerit, certiſſimè conſequatur. Nihil novæ difficultatis afferunt cætera, quæ ex Patribus congeruntur.

Sexta Propoſitio damnata.

Diſcrimen inter fœdus Judaicum, & Chriſtianum eſt, quòd in illo Deus exigit fugam peccati, & implementum legis à peccatore, relinquendo illum in ſua impotentia; in iſto verò Deus peccatori dat quod jubet, illum ſuâ gratiâ purificando. *Obſerv. Moral. Rom.* 11. *v.* 27.

Septima Propoſitio damnata.

Quæ utilitas pro homine in veteri fœdere, in quo Deus illum reliquit ejus propriæ infirmitati, imponendo ipſi ſuam legem? Quæ verò felicitas non eſt admitti ad fœdus, in quo Deus nobis donat, quod petit à nobis? *Obſerv. Mor. Heb.* 8. *v.* 7.

CAPUT I.

Confutatur utraque propoſitio.

1 Cum S. Hieronymo Dial. contra Lucifer. *Taceo de Judaiſmi hæreticis, qui ante adventum Chriſti legem traditam diſſiparunt; quòd Doſitheus Samaritanorum Princeps Prophetas repudiavit, quòd Sadducæi ex illius radice naſcentes etiam reſurrectionem carnis negaverunt: quòd Phariſæi à Judæis diviſi propter quaſdam obſervationes ſuperfluas, nomen quoque à diſſidio ſuſceperunt: quod Herodiani Herodem regem ſuſcepêre pro Chriſto.* Quos etſi non omni ſemper gratiæ auxilio privatos fuiſſe certum ſit, non tamen propriè comprehendit *fœdus Judaicum*, à quo per hæreſim deſciverant, ut Chriſtiani hæretici ab Eccleſia. De veris itaque, & fidelibus Judæis ſermo eſt. His Deum Queſnellus ſtatuit barbarum, ac tyrannum, præcipientem, quæ implere non poterant, neque juvabat, ut poſſent; tranſgreſſores autem graviſſimis mulctabat ſuppliciis.

2 *Deus*, inquit Queſnellus Prop. 6. *Judaico fœdere exegit fugam peccati, & implementum legis à peccatore, relinquendo illum in ſua impotentiâ.* At Auguſtinus libro de fide contra Manichæos cap. 9. *Quis non clamet ſtultum eſſe, præcepta dare ei, cui liberum non eſt, quod præcipitur facere: & iniquum eſſe, eum damnare, cui non fuit poteſtas juſſa complere?* Cuilibet illud rationis compoti dictat naturalis æquitas, & ab Authore naturæ inditum lumen, atque tam ad veterem legem pertinet, quàm ad novam; nec minùs ſacrilegum eſt, Ju-

Judæis legiſlatorem Deum ſtultum affingere, quàm Chriſtianis. Sic qui ultra probabilis æquitatis limites rigidus contra Chriſtianos haberi ſolet morum magiſter, in Judæos quodammodo tam benignus eſt, ut peccatores etiam ſceleſtiſſimos à culpa liberare videatur, niſi renuntiet Auguſtino, lib. 3. de Lib. Arb. cap. 18. docenti: *Quis peccet in eo, quod nullo modo caveri poteſt? Peccatur autem; caveri igitur poteſt.*

3 Si vera eſſet Queſnelli ſententia, non potuiſſet Deus apud Iſaiam cap. 65. v. 2. de Judæis conqueri, *Expandi manus meas tota die ad populum non credentem, & contradicentem.* Reſponderent enim Judæi, *quomodo* expandiſti manus tuas ad nos tota die, quaſi promptas ad ferendum auxilium, modò ad te accedere libuiſſet, & manus extenſas amplecti? Nunquid adeò infirmos noveras, ut neque ad te poſſemus accedere, neque ad te manus extendere, aut tuas amplecti? Si ſeriò nos juvare tibi mens erat, cur nihil dediſti quo miſera levari poſſet *infirmitas*, & viribus noſtris inſuperabilis tolli *impotentia*? Quomodo Iſaiæ 5. v. 4. dicis: *Quid eſt quod debui ultra facere vineæ meæ, & non feci ei? An quod expectavi ut faceret uvas, & fecit labruſcas?* Reſponſio facilis & rationi maximè conſona eſſet; ſi uvas à vinea tua ſapienter expectare volueras, non debuiſti illam relinquere in producendi uvas *impotentia*. Culturam quidem vineæ ſuæ non debet agricola, at niſi adhibeat, eſt cur ſibi, non vineæ ſterilitatem imputet. Dum ergo Deus qualis à Queſnello fingitur, ex Judæis quæreret, *quid eſt, quod debuì ultra facere?* univerſa pro illis reſponderet natura; ſi vindemiam expectaſti uberem, tantum culturæ adhibendum fuit, quantum providentia tua novit neceſſarium, ut uvas vinea producere valuiſſet.

4 Agricola velut inſipiens omnium ſibilis exciperetur, qui de vindemiæ defectu querulus diceret, *quid ultra debui facere vineæ meæ,* quando tam parum ab eo operæ impenſum conſtaret, ut perſpectiſſimum vel ipſe habuerit non ſufficere. Si tamen is à Queſnello edoctus lamenta proſequitur, dicens ſe quidem minimè ignoraſſe, quod relinqueret vineam in producendi uvas *impotentiâ*, voluiſſe tamen ut uvas, & quidem copioſiſſimas produceret; nemo agricolam alio reſponſo dignabitur, quàm, helleboro ipſi opus eſſe, & quibuſcunque eum ipſo volentibus inſanire. Non tamen in Queſnelli, & Janſenii gratiam deſipere nos vult Apoſtolica Sedes, & cum ea nunc Eccleſia univerſa. Quoniam tamen Queſnellus inclamare ſolet Thomiſtas, eorumque ambire patrocinium, audiat Didacum Alvarez diſp. 17. de auxiliis num. 3. de Judæis dicentem: *Habuerunt gratiam verè ſufficientem, per quàm converti potuerunt, & fructus dignos pœnitentiæ facere; aliàs non reprehendiſſet Dominus, quòd uvas non produxerint.* Alvarezio prorſus conſona canet univerſus Thomiſtarum Chorus.

5 Ineptum reddere vult Queſnellus illud Ezechiel. 18. *Nunquid voluntatis meæ eſt mors impii, dicit Dominus Deus, & non ut convertatur à via ſua, & vivat?... Quare moriemini Domus Iſraël? Quia nolo mortem morientis dicit Dominus: Revertimini, & vivite.* Reſpondebit Domus Iſraël, ſi Queſnellum audierit: Quomodo Domine vis, aut velle ſapienter potes, ut revertamur & vivamus, ſi nos in *infirmitate* deſeris, ſi nos *relinquis* in revertendi & vivendi *impotentiâ*? In Queſnelli opinione non potuit Deus cum emphaſi negare; ſed planè affirmare de Judæis debuit, *Voluntatis meæ eſt mors impii, & non ut convertatur à via ſua, & vivat.*

6 Ezechielis quoque cap. 33. cur Deo diſplicet quod Judæi *locuti* ſunt *dicentes: iniquitates noſtræ, & peccata noſtra ſuper nos ſunt?* Veriſſimum dixerint, Queſnello Judice; Deus autem fallere eos voluerit, & in Ezechielis ore poſuerit mendacium, ei imperando: Dic ad eos: *Vivo ego dicit Dominus Deus, nolò mortem impii; ſed ut convertatur à via ſua, & vivat: Convertimini, convertimini.* Quis enim totam hanc Dei enuntiationem à mendacio vindicet, ſi Judæos in *infirmitate*, & converſionis *impotentia reliquerit*? Quomodo Judæis teſtari Deus diſertiùs potuit ſeriam eos convertendi voluntatem, quàm utendo, quibus apud Ezechielem uſus eſt verbis? Quomodo autem Deus efficaciùs velle potuit impiorum mortem, & ut minimè convertantur, quàm juxta Queſnellum *relinquendo* eos in lethiferâ, & ipſis inſuperabili *infirmitate*, & *impotentiâ* converſionis?

7 Iſaiæ cap. 1. Judæis Deus imperat: *Lavamini, mundi eſtote, auferte malum cogitationum veſtrarum... ſi fuerint peccata veſtra ut coccinum, quaſi nix dealbabuntur.* Non hìc Patriarchas, & Sanctos alloquitur Deus; ſed peccatores quoslibet, teſtamenti præſertim veteris. Non igitur, quidquid Queſnellus aliud ſomniet, *reliquit Deus Judæos in infirmitate*, in bonorum operum, converſionis, & ſalutis conſequendæ impotentia.

8 Nè ipſi quidem Cain, Eſau, & Pharao peccatorum obduratiſſimi relicti à Deo fuêre, ita ut nec converti, nec ſalvari potuerint. De Caino ita Author lib. 2. de vocat. gentium cap. 13. *Cùm ergo talia ad Cain loqueretur Deus, nunquid ambiguum eſt, voluiſſe eum, & quantum*

ſum ad illum medendi modum ſufficiebat, egiſſe, ut Cain ab illo impietatis furore reſipiſceret? Sed malitia pertinax indè facta eſt inexcuſabilior, unde debuiſſet eſſe correctior. De Eſau S. Auguſtinus libro 1. ad Simplicianum q. 2. *Noluit Eſau, & non cucurrit; ſed & ſi voluiſſet, & cucurriſſet, Dei adjutorio perveniſſet; qui etiam velle, & currere vocando præſtaret; niſi vocatione contemptâ, reprobus fieret*. De Pharaone idem ſanctus libro de prædeſtin. & gratia cap. 15. & habetur cap. *Nabuchodonoſor*, 23. q. 4. *Nabuchodonoſor pœnitentiam meruit fructuoſam: Pharao autem &c. Quantum ad naturam ambo homines erant; quantum ad dignitatem, ambo Reges, quantum ad cauſam, ambo captivum populum Dei poſſidentes, quantum ad pœnam, ambo flagellis clementer admoniti. Quid ergo fines eorum fecit eſſe diverſos, niſi quòd unus manum Dei ſentiens, in recordatione propriæ iniquitatis ingemuit, alter libero contra Dei miſericordiſſimam veritatem pugnavit arbitrio?*

9 Si verò abdicatis ſacris paginis, & ſanctiſſimis earum interpretibus Queſnellum ſequamur, Pharao *non clementer admonitus* à Deo fuit, neque *contra Dei miſericordiſſimam veritatem libero pugnavit arbitrio*, niſi libertatem cum impotentiâ componas, & neceſſitate; libertatem ſcilicet obediendi, cum obediendi impotentiâ, & libertatem tranſgrediendi cum tranſgreſſionis neceſſitate. Juxta eumdem novatorem neque currere, neque velle Eſau potuit, neque paratum ei adjutorium fuit, quo perveniret ad ſalutem, ad quam nec vocatus eſt, nec vocationem contempſit, utpote quam neque habuit, neque habere, aut ſequi in ejus fuit poteſtate. Caino non plus gratiæ Queſnellus tribuere poterit, quàm Judæis: neque hic igitur potuit ſe *corrigere, ſive ab impietatis furore reſipiſcere*, neque id ſeriò *Deus voluit*, aut ullum *medendi modum ſufficientem adhibuit*.

10 Ad demerendum in lege veteri juxta Queſnelli dogma non requirebatur libertas à neceſſitate; ſed ſuffecit libertas à coactione. Demerebantur enim Judæi, non implendo legem, quam in ſua infirmitate, & impotentia à Deo relicti ſervare non poterant, atque ita tranſgrediebantur neceſſariò. Tertiæ itaque propoſitionis Janſenianæ cenſuram vitare minimè curat Queſnellus. Placet ei quoque propoſitio prima inter 31. ab Alexandro VIII. damnatas: *In ſtatu naturæ lapſæ ad peccatum formale, & demeritum, ſufficit illa libertas, quâ voluntarium, ac liberum fuit in cauſa ſua peccato originali, & voluntate Adami peccantis*; quia, ſuppoſitâ in Judæis obſervandæ legis impotentiâ, non eſt unde Queſnellus tranſgreſſioni legis libertatem acceſſat, niſi à libertate, quæ fuerat in Adamo.

11 Si impotentia ſervandi legem non excuſat, non excuſabit etiam ignorantia invincibilis. Ita in Judæis vera fuiſſet propoſitio 2. inter 31. ab Alexandro VIII. profligatas: *Tametſi detur ignorantia invincibilis juris naturæ, hæc in ſtatu naturæ lapſæ operantem ex ipſa non excuſat à peccato formali*.

12 Neque credit Queſnellus, Chriſtum ſufficientia ſalutis media Judæis promereri voluiſſe, aut ipſos eam potuiſſe conſequi, relictos *in infirmitate, & impotentiâ*, quod accedit ad propoſitionem Janſenii 5. neque recedit à quintâ damnata ab Alexandro VIII. quatenus dicit: *Judæi . . . nullum omnino accipiunt à Jeſu Chriſto influxum, adeòque hinc rectè inferes, in illis eſſe voluntatem nudam, & inermem ſinè omni gratiâ ſufficienti*.

CAPUT II.

Solvuntur Objectiones.

1 Quis Queſnellum hoc legis veteris, & novæ diſcrimen docuit? Non Apoſtolus alterutro locorum in Obſervationibus moralibus citato; nam primus Apoſtoli locus eſt Rom. 11. v. 27. *Et hoc illis à me teſtamentum, cùm abſtulero peccata eorum*. Immediatè ante præceſſerat. *Nolo enim vos ignorare, Fratres, myſterium hoc, ut non ſitis vobis ipſis ſapientes; quia cæcitas ex parte contigit in Iſrael, donec plenitudo gentium intraret, & ſic omnis Iſraël ſalvus fieret, ſicut ſcriptum eſt: Veniet ex Sion, qui eripiat, & avertat impietatem à Jacob*. In quibus verbis, vel toto capite, nihil eſt, unde erui ſapienter, vel utcunque probabili ratione valeat Queſnellianum utriuſque Fœderis diſcrimen, ſitum in eo, quòd Deus in veteri nullum gratiæ auxilium conceſſerit, in novo autem det ſemper efficax; atque ita in veteri *Deus exigat fugam peccati, & implementum legis à peccatore, relinquendo illum in ſua impotentiâ; in iſto verò Deus peccatori det quod jubet, illum ſua gratiâ purificando*. Oppoſitum docet Paulus eodem cap. v. 14. *Si quomodo ad æmulandum provocem gentem meam, & ſalvos faciam aliquos ex eis*. Quomodo Paulus provocare Judæos vult ad æmulandum, ſive imitandum eos, qui ex gentibus ad Chriſtum converſi ſunt, ſi Judæi nullam haberent gratiam, ſed in impotentia relicti eſſent? Quomodo conari vult ex his *aliquos ſalvare*? Poſſuntne ſalvari ſinè gratiâ? Quâ etiam ſinceritate monet illic Paulus Chriſtianos ſingulos, *Noli altum ſapere; ſed time . . . alioquin & tu*

tu excidèris, ſi in Chriſtiano fœdete Deus *peccatori det quod jubet*, *illum ſuâ gratiâ purificando*; vel nihil det ſufficientis gratiæ, ut purificari poſſit, niſi dum purificatur teipsâ? Non plus fundamenti in Sctipturis babet propoſitio 7. Citatut epiſtola ad Hebræos eap.8. v. 7. *Nam ſi illud prius eulpâ vacaſſet, non utique ſecundi locus inquireretur*. In quem loeum ſic commentatur S. Thomas. *Nam ſi illud &c.*
„ Ptobat (Apoſtolus) quòd illud teſtamen-
„ tum, cujus Chriſtus mediator eſt, melius
„ eſt: & facit talem rationem. Si primùm te-
„ ſtamentum non babuiſſet culpam, non quæ-
„ teretut aliud ad ſupplendum defectum
„ ipſius. Sed quæritur, ergo &c. Sed contra
„ Rom. 8. *Lex ergo peccatum eſt? Abſit*.
„ 2 Reſpondco: dicendum eſt, quòd ali-
„ quid poteſt convenire legi dupliciter, vel
„ ſecundùm ſe, & ſic erat bona: vel ratione
„ illorum, quibus data eſt: & ſic dicitur ba-
„ bere culpam propter duo. Ptimò, quia non
„ dabat virtutem ad purgandum commiſſa.
„ Impoſſibile eſt ſanguine taurorum, aut hir-
„ corum auferri peecata; ſecundò, quia non
„ dabat gratiam adjutricem ad vitandum
„ peccata; ſed ad cognoſcendum tantùm.
„ Et ſic erat occaſio peccati „ ubi non dicitur *Deus reliquiſſe bomines propriæ infirmitati*, ſinè gratiâ ut eontendit Queſnellus; ſed quòd Lex gratias non contulerit. Ita explicat S.Thomas in cap.9. lect.2. „ Reſpondeo,
„ dicendum eſt, quòd licet tunc multi per-
„ fecti, & ſancti fuetint, hoc tamen non fuit
„ ex operibus legis, ſupra Rom. 7. *Nibil ad*
„ *perfectum adduxit lex*. Sed hoc fuit per Fi-
„ dem Chtiſti: *Credidit Abrabam Deo, & re-*
„ *putatum eſt illi ad juſtitiam*. Hoc ergo non
„ erat virtute ceremoniarum, aut legalium.
„ Unde frequenter ibi dicitur. *Orabit pro eo*
„ *Sacerdos, & dimittetur illi*. Levit. 5. & in
„ multis aliis locis; quòd ergo mundaret, hoc
„ erat ex Fide „. Confirmat boc Angelicus in fine lectionis 4. dieens: *In veteri lege non virtute Sacramenti; ſed virtute Fidei Chriſti fiebat remiſſio peccatorum*.

3 Atqui neque Fides elici poterat ſinè gratiâ, neque ſinè ea poterant remitti peecata: neque poterant tam *multi perfecti, & ſancti eſſe ſinè fide, & gratia*: nemo ſinè ea ad fœdus cum Deo incundum admittebatur. In ingreſſu fœderis opus erat circumciſione, ſi illa per ſe non juſtificaret, ſive non ex opete operato, ut in ſcbolis loquimur, ſed ex opere operantis, per fidem propriam adultos, per fidem aliorum infantes, poteratne fides hæc elici ſinè gratia? In ipſo fœdere omnes præceptis fidei, ſpei, charitatis, religionis, lapſi etiam pœnitentiæ obſtringebantur. Ptæceptotum autem obſervationem ipſis non fuiſſe impoſſibilem ipſa legis veteris divina oracula ſuperiùs teſtantut, confirmat Patrûm, & Theologorum conſenſus, ipſa ratio theologica, & naturalis evincit. Quod neque ex Scripturis ullis, neque ex ullius Sancti Pattis, aut probati Authoris voluminibus Queſnellus didicit, accipere potuit ex damnato *Janſenii Auguſtino*, qui tomo 3. lib. 3. cap. 5. *Legis-latio*, inquit, *illum babebat ſcopum, ut inſonante præcepto, ac terribiliter pœnas, niſi boc facerent, comminante, gratiæ neceſſitatem, ipſâ gratiæ adjuvantis ſubtractione docerentur*. Ibidem lib. 1. cap. 8. *Lex juſtitiam reddidit difficiliorem, & quaſi muro interpoſito impoſſibilem*. Ibidem lib.3. cap.7. & 8. *Non adfuit bominibus ſub veteri lege viventibus gratia ſufficiens ſervandi legem, vel ullum præceptum ejus, ſed potiùs impediens*. Janſenius autem dogma hoc ſuum fortè à Calvinianis *Contraremonſtrantibus* mutuatus eſt. Hi enim in Specim. Amſtelodamenſi art.57. ſic definiunt: *Judæi, quibus Chriſtus prædieabat, non poterant ſe convertere, aut eredere; nunquam etiam ipſis ſufficiens gratia data eſt, quâ ad converſionem, aut ſalutem pertingerent*. Ante illos Lutherus tom.3. præfat. in vetus Teſtam. *Dicimus legem bonam, & utilem; ſed in bono ſenſu, ſcilicet ad revelandas, & augendas ſpirituales transgreſſiones*.

4 In libro Gallico, cui titulus *Explication Apologetique* pag.143. objicit Queſnellus S. Auguſtinum in expoſitione epiſtolæ ad Galat. num. 24. dicentem, quòd Judæi *illa, quæ ad bonos mores pertinent, implere omnino non poterant; non enim implet eam* (legem) *niſi Charitas*. Reſpondeo, Auguſtinum nec dixiſſe, nec, ſalvâ Fide, dicete potuiſſe abſolutè, & ſimplicitet, quod ei tribuitur; ſed tantummodo, Judæos illos implere omnino non potuiſſe, qui, quod lege præcipiebatur, ſetvabant ſolùm exteriùs metu mortis temporalis, tranſgreſſoribus à Deo quidem conſtitutæ; ſed inferendæ ab hominibus, qui animum non intuentur, externâ legis obſervatione contenti.

5 Non autem loquitur Auguſtinus de iis, qui mandata ſervabant timore Dei vindicis, vel amore obedientiæ, juſtitiæ, vel honeſtatis, qui ad impletionem ptæcepti moralis requiritut. Quapropter impotentia *implendi* præcepta *ad bonos mores pertinentia*, erat in Judæis iſtis ſolùm conſequens liberam eorum determinationem: erat impotentia non abſoluta, & ſimplicitet, ſed ſolùm ex ſuppoſitione ipſis libera, quod non vellent præcepta ſervare, niſi ex ſolo bumano, & ſetvili timore mottis ab hominibus infligendæ; ita

Digitized by Google

ita animo comparati, ut, ſi potuiſſent clam hominibus ea violare abſque mortis periculo, vellent omnino. Patet hic Auguſtini ſenſus ex enunciatione ejus non mutilatâ, ut à Queſnello ſubdolè refertur; ſed integrâ, quam exhibeo: *Opera illa tractare incipit* (Apoſtolus) *quæ ad novum quoque Teſtamentum pertinere, nemo ambigit; ſed alio fine, quo liberos ea facere decet, id eſt charitatis, æternæ ſperantis hinc præmia, & ex fide expectantis, non ſicut Judæi, qui timore ea implere cogebantur; non illo caſto permanente in ſæculum ſæculi, ſed* QUO TIMEBANT PRÆSENTI VITÆ SUÆ; *& ideo quædam opera legis implebant, quæ in Sacramentis ſunt; illa verò, quæ ad bonos mores pertinent, implere omnino non poterant; non enim implet ea, niſi charitas. Quia & hominem, ſi propterea non occidit aliquis, nè & ipſe occidatur, non implet præceptum juſtitiæ; ſed ſi ideo non occidit, quia injuſtum eſt; etiamſi id poſſet facere impunè, non ſolùm apud homines, ſed etiam apud Deum.*

6 Sic igitur juxta Auguſtinum, Judæi non poterant intentione iſtâ humani timoris ſatisfacere præcepto; ſed non ideo impediebantur, quin ſatisfacerent ratione honeſtâ, & motivo virtutis. Hanc eſſe Auguſtini ſententiam, patet ex pluribus ejus textibus clariſſimis ſuperiùs adductis. Et ſanè ad omnes cujuſcunque ſtatûs, ac temporis homines attinet, quod ait lib. 3. de lib. arbit. cap. 18. *Quis peccet in eo, quod nullo modo caveri poteſt? peccatur autem; caveri igitur poteſt.* Peccabant indubiè Judæi non implendo præcepta ad bonos mores pertinentia, implere igitur poterant. Idem de natura, & gratia cap.69. *Eo ipſo, quo firmiſſimè creditur, Deum juſtum, & bonum impoſſibilia non potuiſſe præcipere; hinc admonemur & in facilibus quid agamus, & in difficilioribus quid petamus.*

7 Pag. 140. Objicit Queſnellus Magiſtrum Sententiarum, dicentem lib.3. diſt. 40. *Lex ergo bona eſt, & tamen occidit ſinè gratia, cùm ſit virtus peccati, quæ jubet quod ſinè gratiâ impleri non poterat: gratia autem deerat.*

8 Reſpondeo: Mutilat Queſnellus ſententiam Magiſtri, nè pateat, gratiam Judæis non defuiſſe, ſed obtigiſſe minùs copioſam, quàm nobis, de quo nullus dubitat. Sic Magiſter loco citato: *Lex prohibens peccatum, auget concupiſcentiam, & addit prævaricationem, niſi liberet gratia, quæ gratia* NON SIC ABUNDAT IN LEGE, *ut in Evangelio, vel ſecundùm eorum carnalem intelligentiam. Lex ergo bona eſt, & tamen occidit ſinè gratiâ, cùm ſit virtus peccati, quæ jubet, quod ſinè gratia impleri non poterat: gratia autem deerat, & ideo litera occidens erat.* Gratia ergo deerat non Judæis, ſed legi; quia lex vetus gratiam non continebat, non conferebat ſicut lex nova ratione Sacramentorum, quæ vaſa gratiarum pleniſſima ſunt. Nihil itaque hìc docet Magiſter ſententiarum, niſi quod docent omnes Catholici à damnatis Queſnelli erroribus alieni.

9 Ejuſdem *Explicationis Apologeticæ* pagina 141. objicitur S. Thomas 1.2. q.98. a.1. ad 2. ſic docens: *Lex dicitur occidere, non quidem effectivè, ſed occaſionaliter ex ſua imperfectione, in quantum ſcilicet gratiam non conferebat, per quam homines implere poſſent, quod mandabat, vel vitare quod vetabat.*

10 Reſpondeo, nihil hic iterum aſſeri, niſi quod ab omnibus admittitur. Lex vetus non conferebat hominibus gratiam; ſed Deus. Qui ſenſus S. Doctoris latère Queſnellum non potuit ex articulo immediatè ſequenti: *Ad quartum dicendum, quod quamvis lex vetus non ſufficeret ad ſalvandum homines; tamen aderat aliud auxilium à Deo hominibus ſimul cum lege, per quod ſalvari poterant, ſcilicet fides Mediatoris, per quam juſtificati ſunt antiqui Patres, ſicut etiam nos juſtificamur: & ſic Deus non deficiebat hominibus, quin daret eis ſalutis auxilium.* In quem Aquinatis locum ita notat gloſſa marginalis P. Joannis Nicolai ex Ordine Prædicatorum: *Heccine illa gratia impediens, quam Janſenius lib.3. de gratia Salvatoris cap.8. datam Judæis fuiſſe vult? vah monſtrum!*

11 Præclarus hic Theologus, & ſtudioſiſſimus Doctoris ſui Angelici defenſor, ſi viveret, quâ verborum ſcuticâ exciperet Queſnelli temeritatem, auſi ſic ſcribere pag.141. *Expreſſi idiomate Gallico, quod hic S. Doctor Latio; ei ergo imputetur error, qui mihi adſcribitur!* Exclamaret P. Nicolai: *Vah monſtrum* mendaciſſimum! non ſolùm nihil ſimile geminis tuis perverſis, & in nullo Catholico tolerandis propoſitionibus, ſed planè oppoſitam Aquinas docuit. Tu fingis hominem in lege veteri relictum ſuæ infirmitati, & impotentiæ ſervandi legem, ſibi à Deo impoſitam, adeóque aſſequendi ſalutem. Angelicus verbis diſertiſſimis aſſerit, etſi lex vetus per ſe ad ſalutem, & juſtificationem non ſufficeret, *adfuiſſe tamen aliud auxilium à Deo hominibus ſimul cum lege, per quod ſalvari poterant, ſcilicet fidem Mediatoris,* auxilio ſpecialis gratiæ elicitam; *per quam juſtificati ſunt antiqui Patres, ſicut etiam nos juſtificamur: & ſic Deus non deficiebat hominibus, quin daret eis ſalutis auxilia.*

12 Quætamus nunc ex Queſnello, an iſtud ipſi ſignificet, relinqui homines in ſua *impotentia? Explicationi Apologeticæ* ſuppetias

ſe-

ferunt *Hexapla*, & pro defenſione propoſitionis 7. citant Angelicum Magiſtrum, 1. 2. q. 106. ſed nullo deſignato articulo. Verba tamen Gallica videntur referenda ad illud artic. 3. C. *Lex nova eſt lex gratiæ, & ideo primò oportuit, quòd homo relinqueretur ſibi in ſtatu veteris legis, ut in peccatum cadendo, ſuam infirmitatem cognoſcens, recognoſceret ſe gratiâ indigêre*. Hexapla vertunt *le beſoin qu'il avoit de ſon liberateur*, ideſt, *ſe liberatore indigêre*. Quæ quidem mutatio in alio videri poſſet innocua, in Authore ſuſpecta eſt, nè ſtudio quæſita ſit, ad indicandum, quod ante Liberatoris adventum infirmitati humanæ Liberator non ſuccurrerit, atque ita homo tamdiu *relictus in infirmitate ſit*, & *impotentiâ*.

13 Senſus autem Aquinatis eſt non omnino tunc defuiſſe gratiam, ſed non fuiſſe adeò copioſam, ut ibidem ſe explicat: *Lex nova, ſicut dictum eſt* (art. 2.) *principaliter eſt gratia Spiritus Sancti; quæ abundanter dari non debuit, antequam impedimentum peccati tolleretur, conſummatâ redemptione per Chriſtum*. Alioqui quoad gratiam ſufficientem, hæc hominibus in veteri lege omnino non defuit, ut clariſſimis Angelici verbis ex qu. 98. art. 2. contra *Explicationem Apologeticam* demonſtratum eſt.

14 Sed & in præſenti qu. 106. art. 2. ad 2. videre adverſarius potuit, non per hoc Divum Thomam legem veterem diſcernere à nova, quaſi in hac omnis gratia, quod Deus jubet, efficiat, cùm & in hac ſufficientem, at vitio noſtro non operantem clariſſimè profiteatur. Verba dabo cap. 1. ſequentis Prop.

15 Non magis ſincerum; ſed & lepidum eſt, quod idem pag. 142. opponit authoritatem Cardinalis Cajetani, cujus opera dicit ſe modò in promptu non habere; ſed daturum ejus verba, prout à Pererio referuntur diſput. 4. in cap. 6. Epiſt. ad Rom. *Altera conditio erat negatio divinæ gratiæ adjutricis: lex enim jubebat, & vetabat; ſed non conferebat gratiam; ſinè qua tamen gratiâ, legis edicta, & interdicta ſervari non poterant. Tertia conditio erat, quòd homo ſub lege conſtitutus erat ſibi ipſi derelictus, utpote non adjutus interno gratiæ dono, &c.*

16 Qui malè agit, odit lucem. Cùm mos Queſnelli ſit, quos jure non poteſt, in ſuam ſententiam fraude pertrahere, verba Cajetani mutilanda cenſuit, nè priorum obſcuritas, & apprehenſa durities, conſequentium luce evaneſceret, conſtaretque nihil hîc Eminentiſſimo cum Queſnelli novitate eſſe commune, nihil Conſtitutioni Apoſtolicæ adverſum. Sic nempe Cardinalis apud Pererium proſequitur: *Nec verò putandum eſt, omnes, qui fuerunt ſub lege, caruiſſe gratiâ; ſed quicunque eam habuerunt, non beneficio legis habuiſſe; ſed per quamdam participationem novi ſtatûs gratiæ revelandi*. Minùs tamen accuratè a Pererio verba Cajetani allegata, puriùs ex ipſo fonte hauriamus. *Conditio tertia hinc conſequens eſt, quòd homo ſub lege relinquebatur ſibi ipſi, utpote non adjutus interno dono divinæ gratiæ. Nec per hæc intelligas, novitie, quòd Judæi ante Chriſti adventum ſub lege exiſtentes caruerint gratiâ; quoniam hoc non dicimus; ſed intellige, quòd ex illo ſtatu non habebant gratiam; ſed habebant gratiam, qui illam habebant, ex participatione ſtatûs novi revelandi per Chriſtum; Participabant autem ſtatum novi Teſtamenti fide, & devotione ad Mediatorem Dei, & hominum Meſſiam*. Diſplicuerit fortè Queſnello, ſe hîc ab Eminentiſſimo dedoceri errorem, nè in tirone quidem, ſeu *novitio* tolerandum, ideo quaſi Cajetanum in promptu non habens, maluerit illum ex Pererio truncatum proponere.

17 Oculos quoque non habuerit Queſnellus, ut in Pererio loco à ſe citato legeret; vel intelligere noluit S. Auguſtini ſententiam tract. 3. in Evangelium Joannis: *Lex ergo jubet; Dator verò legis miſeretur, & adjuvat in eo, quod lex jubet. Conantes homines implere viribus ſuis præcepta legis, ipſâ ſuâ temeritate, & præſumptione ceciderunt, & non fuerunt cum lege; ſed ſub lege facti ſunt rei*.

Octava Propoſitio damnata.

Nos non pertinemus ad novum Fœdus, niſi in quantum participes ſumus ipſius novæ gratiæ, quæ operatur in nobis id, quod Deus nobis præcipit. *Obſerv. Mor. Act.* 8. *v.* 10.

C A P. I.

Propoſitionis Confutatio.

1 Quid fiet miſeris peccatoribus, & quibuſcunque fidelibus victrici gratiâ deſtitutis? Queſnellus eos à novo Fœdere penitùs reſcindit, deturbat ex Eccleſiâ; nam novo Fœdere Eccleſia

coaleſcit. Remittuntur ad Fœdus Judaicum; in quo, ſi novus ille Theologus audiatur, *Deus exigit fugam peccati, & implementum legis à peccatore, relinquendo eum in ſua* obſervandæ legis, fugiendi peccati *impotentiâ*, ut Propoſitio ſexta enuntiat. Sed nunquid hæretica eſt aſſertio, peccatores omnes, fidelium, & Chriſtianorum numero excludens, omnibus efficiente gratiâ non donatis eripiens omnem obtinendæ ſalutis, aut juſtitiæ poteſtatem? Sic omnis eliminatur gratia ſufficiens, aperiturque janua propoſitioni ſecundæ Janſenianæ: *Interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ nunquam reſiſtitur*. Sufficiens enim, jubente Queſnello, exulare cogitur à novo Fœdere, ad quod ſola pertinet *nova gratia, quæ operatur in nobis id, quod Deus nobis præcipit*, per quam, *& non niſi per illam, ad novum fœdus pertinemus*, aut Chriſti Eccleſiam. A Teſtamento quoque vetere ſufficiens gratia ſuperiùs abeſſe juſſa eſt: unde peccatis omnibus, quæ ſinè gratia vitari nequeunt, omnis ad demerendum requiſita adimitur libertas, quam fruſtrà à libertate Adami, & noſtrâ in eo poſitâ voluntate derivaveris.

2 Nec tamen ſic peccantibus demeritum auferri Author patitur, nihil veritus cenſuram hæreſeos in tertium Janſenii articulum vibratam. Quoties itaque juſti cadunt, excidunt ſimul novo Fœdere, etſi cadant neceſſariò, deficiente omni auxilio, ſinè quo præcepta obſervari nequeunt, fiuntque impoſſibilia; nec quidquam conceditur, vel offertur quo poſſibilia fierent. Unde juſti deſeruntur à Deo, priuſquam eum deſerant; neque effectu comprobatur, quod ait Apoſtolus 1. Cor. 10. *Fidelis Deus eſt, qui non patietur vos tentari ſupra id, quod poteſtis*. Denique nec ſeria poteſt eſſe omnium ad juſtitiam, & ſalutem vocatio, neque voluntas ſalvandi omnes, neque mors Chriſti pro omnium hominum, vel unius ſaltèm ſalute reprobi. Sed horrida iſtiuſmodi conſectaria Queſnellus non videt, vel, ſi videt, nullum evitandi illa ſtudium eſt homini novitatibus aſſueto, & Sedis Apoſtolicæ, cenſurarumque ejus audaciſſimo contemptori.

3 *Principaliter* quidem, ut S. Thomas 1. 2. qu. 106. art. 1. loquitur, *Lex nova eſt ipſa gratia Spiritûs Sancti, quæ datur per Fidem Chriſti*. Sed & eodem articulo ad 3. Angelicus dicit: *Per Fidem autem Chriſti pertinet homo ad novum Teſtamentum*. Unde quamdiu Fides Chriſti ab homine non perditur, pergit ad novum pertinêre Fœdus, quamvis non ſemper particeps ſit illius gratiæ, quæ operatur id, quod à Deo præcipitur. *Hoc modo lex nova eſt indita homini, non ſolùm indicans, quid ſit faciendum, ſed etiam adjuvans ad implendum*, ait Aquinas eodem articulo ad 2. Atque ea eſt novæ legis præ veteri ſingularis virtus; ſed non omne *adjuvans ad implendum*, ſemper implet, quod præcipitur; ſi voluntas humana, ut ſemper poteſt, cooperari detrectaverit.

4 Nam & ſufficiens auxilium, pervicaciâ voluntatis ab effectu impeditum ad novum fœdus pertinêre docet S. Thomas eâdem quæſt. art. 2. ad 2. *Gratia novi Teſtamenti, etſi adjuvet hominem ad non peccandum, non tamen ita confirmat in bono, ut homo peccare non poſſit; hoc enim pertinet ad ſtatum gloriæ. Et ideo ſi quis poſt acceptam gratiam novi Teſtamenti peccaverit, majori pœna eſt dignus, tanquam majoribus beneficiis ingratus, & auxilio ſibi dato non utens. Nec tamen propterea dicitur, quòd lex nova iram operatur; quia quantum eſt de ſe, ſufficiens auxilium dat ad non peccandum*. *Quid* autem, ut rectè obſervat gloſſa in margine, *niſi actualis gratia ei data, qui tamen peccat? nam ſi habitualis tantùm intelligatur, illuſoria eſſet ratiocinatio S. Thomæ, qui ſinè actuali habitualem non ſufficere dicet infra*. In hoc igitur præcipuè conſiſtit novæ legis, ſupra Veterem excellentia, quod Veterem dederit Deus ſcriptam in tabulis lapideis; novam in tabulis cordis carnalibus: prior nihil gratiæ contulerit, poſterior conferat copioſam, in pluribus efficacem, in cæteris ſufficientem, eamque frequentiorem, fortioremque paſſim, quàm obtigerit antiquis. Copioſior hæc, fortiorque gratia, etiam ſufficiens, ad novum pertinet fœdus; etſi, renitente ſæpe libero arbitrio, impediatur effectus.

5 Præter illa, quæ præcipua ſunt, notat S. Thomas quæſtione citatâ art. 1. ad 2. alia legem novam conſtituentia *Secundariò, ſcilicet documenta, & præcepta exteriùs homini poſita*. Documenta quidem nobiliora, & clariora, præcepta autem pauciora, minuſque difficilia. Non ergo ſolâ gratiâ efficaci ad novum Fœdus pertinemus; ſed etiam Fide Chriſtiana, quam non quolibet peccato lethifero extingui definiit contra hæreticos Tridentinum ſeſſ. 6. cap. 15., & can. 28. Pertinemus præterea maiore gratiarum, etiam ſufficientium copiâ & virtute: pertinemus Sacramentis, & eorum charactere: pertinemus ſingularibus Chriſtianæ religionis præceptis, conſiliis, documentis. Imò credidit hactenus Chriſti Eccleſia, infantes omnes hoc ipſo, quo baptiſmatis Sacramento initiati ſunt, ad ſe pertinere novi Fœderis participes. At novus Theologus tantâ eos ſpoliat prærogativâ, quia nondum ad operandum idoneos, nondum capaces illius novæ gratiæ, quæ in nobis operatur quod præcipit Deus; niſi placuerit

Digitized by Google

cuerit Lutheri ſomnium, quo fingit, infantes, dum baptizantur, actu fidei præditos, ſinè quo placere Deo exiſtimat impoſſibile. Unde & novi Fœderis expertes jubet Queſnellus eſſe omnes perpetuò amentes, etſi in infantia baptizatos. Fortè nec dormientes volet ad novum Fœdus ſeu Eccleſiam pertinere: denique excludemur hoc Fœdere omnes non minimâ vitæ noſtræ parte, quâ cœleſtibus mentis illuſtrationibus, & exciramenris voluntatis efficacibus non occupamur.

CAPUT II.

Solutio objectionum.

1 APoſtolus in Epiſt. ad Romanos c. 7. ait. *Cùm enim eſſemus in carne, paſſiones peccatorum, quæ per legem erant, operabantur in membris noſtris, ut fructificarent morti. Nunc autem ſoluti ſumus à lege mortis, in qua detinebamur, ita ut ſerviamus in novitate ſpiritûs, & non in vetuſtate literæ.* Quibus Apoſtoli verbis auctor Hexaplorum exiſtimat contineri damnatum à CLEMENTE XI. Articulum 8. Ego verò nihil in Apoſtoli verbis video, quod adverſario faveat. Ex quibus autem hic potiſſimùm verbis, & quâ ratione ſuam eliciat ſenrentiam, non indicat. Quoniam itaque divinatione nobis hìc opus eſt, ex eo quòd dicamur nunc ſoluti à lege veteri, ita ur ſerviamus in novirate ſpiritûs, inrelligi voluerit, nos non eſſe lege illâ ſolutos, niſi quantum ſervimus in novitate ſpiritûs, atque adeò *non niſi in quantum participes ſumus ipſius novæ gratiæ, quæ operatur in nobis id, quod Deus nobis præcipit.* Verùm conſeeutio prorſus inanis eſt. Nam aliud eſt, Apoſtolum de ſe, & ſui ſimilibus à ſervitute legis veteris ad Chriſtianam libertatem translatis teſtari, ſe in novitate ſpiritûs ſervire; aliud quòd ſolâ ſpiritûs operante gratiâ à lege veteri ſoluti ſimus, & pertineamus ad novam. Nam & infantes, & infantibus ſimiles amentes, ſi baptizati fuerint, indubiè novo Fœderi adſcripri ſunt, abſque ullo bono opere, aut ullo operantis gratiæ auxilio, cuius nè capaces quidem eos quiſquam meritò dixerir. Neque Chriſtiani cùm dormiunt, omni ceſſante mentis, & gratiæ operatione, deſinunr eſſe novi Fœderis. Lex enim vetus quoad ceremonias à Chriſto pridem ſublata eſt, nec magis peccatores obligat, quàm juſtos. Præceptis verò morum, Chriſtiani omnes obſtringimur æquè ac Judæi. Minùs quoque ex Apoſtoli ſententia ſeqnitur, nos ſolâ efficiente gratiâ, & non aliâ ratione ad novum ſpectare Teſtamentum. Quæ conſecutio ſatìs, ſuperque de vanitate convicta eſt.

2 Non magìs urget nos, quod ad Gal. 5. v. 18. dicitur: *Si ſpiritu ducimini, non eſtis ſub lege.* Hexapla addunt, *ſed ſub gratiâ*; Quod ſi commentarii loco addererur, tolerabile foret; ſed velut textus ſacer aſſui non debuir. Argumentum igitur auctoris ex antecedente Apoſtoli eſt, quod non ſolùm ſub lege ſimus, ſi ſpiritu non ducamur, ſed & quod ſolius efficientis gratiæ præſidio, neque ullo modo aliter ad legem novam pertineamus. Quæ utraque ſequela, & à veritate aberrat, & ab omni regula rationis. Non enim ex oppoſito antecedentis ſequitur oppoſirum conſequentis; Sic etſi veriſſimum ſit, quòd, qui ſemper ſpiritu ducitur ſalvus fiat, non ſequitur, eum, qui non ſemper ſpiritû ducitur, ſalute privandum. Geminus poteſt eſſe Apoſtoli ſenſus, D. Thoma interprete: ex neurro autem ſequi qnod damnatus protrudit articulus, ex ipſis patebit verbis Angelici lect. 5. *Si ſpiritu ducimini, non eſtis ſub lege: poteſt enim referri ad præcepta legis, vel ceremonialia, vel moralia: ſiquidem refertur ad Ceremonialia, ſciendum eſt, quòd aliud eſt ſervare legem, aliud eſſe ſub lege. Servare legem, eſt facere opera legis, non babendo ſpem in eis; ſed eſſe ſub lege, eſt ponere ſpem in operibus legis. In primitiva autem Eccleſia erant aliqui iuſti ſervantes legem; ſed non ſub lege, in quantùm ſervabant opera legis; ſed non erant ſub lege, quaſi in eis ſpem babentes . . . . ſi autem referatur ad moralia, ſic eſſe ſub lege poteſt intelligi dupliciter: Vel quantum ad obligationem, & ſic omnes fideles ſunt ſub lege, quia omnibus data eſt. Vel quantum ad coactionem, & ſic juſti non ſunt ſub lege, quia motus & inſtinctus Spiritûs Sancti, qui eſt in eis, eſt proprins eorum inſtinctus; nam Charitas inclinat ad illud idem quod lex præcipit. Quia ergo iuſti habent legem interiorem, ſponte faciunt quod lex mandat, ab ipſa non coacti. Qui verò voluntatem malè faciendi habent, comprimuntur tamen pudore, vel timore legis, iſti coguntur: & ſic iuſti ſunt ſub lege obligante tantùm, non cogente, ſub quâ ſunt ſolùm injuſti.*

3 Ita quoque S. Anſelmus, Theophylactus, Cornelius à Lapide, & cæteri paſſim. Hinc in clara luce ponitur adverſarij contra Conſtitutionem ineptiſſimum argumentum. Si ſpiritu, ſeu inſtinctu chariratis ſponte ducimini ad ſervanda, quæ lege præcipiuntur, non eſtis ſub lege terrente, comminante, & ſuppliciis invitos cogente; ſed eſtis rali lege quodammodo ſuperiores: Quibus S. Thomas lectione 5. applicar illud 1. Timoth. 1. *Juſto non eſt lex poſita*, SCILICET COGENS, inquit

inquit Angelicus. Ergo quicunque, & quandocunque non ducuntur tali ſpiritu efficiente quod præcipitur, nullo penitùs modo pertinent ad Fœdus novum, & Eccleſiam Chriſti. Quod conſequens, ut in antecedente minimè continetur, fruſtrà ſperatur indè, neſcio quo, ſophiſmate deducendum. Dein congetuntur in Hexaplis plures textus Auguſtini, initio ducto à duabus ejus concionibus, in quibus contra magnos peccatores, qui nihil niſi carnaliter ſperant, nihil niſi carnaliter diligunt, vehementiùs declamat, dicens eos Judæis ſimiles, non ad novum; ſed vetus pertinêre Teſtamentum, quod hominibus carnalibus paſſim carnalia promittit.

4 Verùm ſolutionem ipſa ſuggerit objectio ex Sermone 3. de Agare & Iſmaële, vbi dicitur *Teſtamentum Vetus ad Judæos propriè pertinere*; quo ſatis indicat S. Præſul enuntiationes illas exaggerantes, & concionatoribus uſitatas, quales hic ab adverſario ex Auguſtini ſermonibus proferuntur, eſſe minùs proprias, neque in ſignificationis rigore accipiendas. Cujus rei exemplum quoque habemus in Apoſtolo 1. Tim. 7. v. 8. *Si quis autem ſuorum, maximè domeſticorum curam non habet, fidem negavit, & eſt infideli deterior.*

5 Simile quid poſſet de quolibet peccato mortifero dici contra præceptum Divinitus revelatum. Præceptum nempe implendum, tranſgreſſionem ejus fugiendam eſſe fides docet, cui oppoſitum videtur peccator non velle verbo, ſed opere ſtabilire, vt quilibet peccator Chriſtianus *confitetur ſe noſſe Deum, factis autem negat*, quia, ut obſervat S. Thomas interpretans Epiſtolam ad Titum cap. 1. lect. 4. *qui confitetur Deum, confitetur & ejus poteſtatem, ſcilicet quòd eſt ei obediendum; & ideo ſi non obedit peccando, negat factis, quod confitetur ore.* Ita majores quidem peccatores carnalibus immerſi, etſi nec voce, nec intentione explicitâ Chriſtianiſmo renuntient, factis tamen Judæi potiùs videntur, quàm Chriſtiani.

6 Dein ut iterum Sanctus Thomas 1. 2. quæſt. 106. art. 1. C. *Dicendum*, inquit, *quòd unaquæque res illud videtur eſſe, quod eſt in ea præcipuum, ut Philoſophus dicit in 9. Ethicorum. Id autem quod eſt potiſſimum in lege novi Teſtamenti, in quo tota ejus virtus conſiſtit, eſt gratia Spiritûs Sancti, quæ datur per fidem Chriſti; & ideò principaliter lex nova eſt ipſa gratia Spiritûs Sancti, quæ datur Chriſtifidelibus.* Quiſquis igitur Spiritûs Sancti gratiam peccando amittit, ſpoliat ſe eo, quod in nova lege eſt præcipuum, non tamen ſe ſpoliat omni, quod in nova lege eſt, ut docet Angelicus ibidem, dicens; *Habet tamen lex nova quædam ſicut diſpoſitiva ad gratiam Spiritûs Sancti, & ad uſum hujus gratiæ pertinentia, quæ ſunt quaſi ſecundaria in lege novâ, de quibus oportuit inſtrui fideles Chriſti, & verbis, & ſcriptis, tam circa credenda, quàm circa agenda. Et ideo dicendum eſt, quod principaliter lex nova eſt lex indita; ſecundariò autem eſt lex ſcripta*, continens doctrinam de Sacramentis novæ legis, & cæteris ad Chriſtianos attinentibus.

7 Quæ cùm ita ſint, propoſitio damnata errat graviſſimè in utroque, in quo lex nova conſtituitur; nam & quod in lege nova ſecundarium eſt, propoſitio excludit ſtatuens *nos* NON *pertinere ad novum Fœdus*, NISI IN QUANTUM *participes ſumus ipſius novæ gratiæ; quæ operatur in nobis id, quod Deus nobis præcipit.* Non ita Auguſtinus, qui nuſquam cætera præter gratiam à novo Fœdere excludit; cùm autem ab eo magnos rejicit peccatores, non privat eos omni, quo Fœdus novum conſtituitur, ſed cùm præcipuo careant, quod eſt gratia Spiritûs Sancti in juſtorum cordibus diffuſa, ſimpliciter ab Auguſtino dicuntur non eſſe novi Fœderis; juſti verò, ſive ex Judæis, ſive ex gentibus adventu Chriſti anteriores ad novam legem referuntur, quia ut ſupra monuit Angelicus ex ipſo Ariſtotele, *Unaquæque res illud videtur eſſe, quod eſt in ea præcipuum.*

8 In præcipuo quoque fallit propoſitio; non enim lex nova aut ſolummodo, aut etiam præcipuè conſtituitur *participatione ipſius novæ gratiæ, quæ operatur in nobis id, quod Deus nobis præcipit*, ubi appellatione *gratiæ, quæ operatur*, propoſitio ſignificat, & auctor intelligit actualem efficientem, quod præcipitur. Atqui lex nova, novum Fœdus, novum Teſtamentum non conſiſtit in re ſtatim diffluente, ſeu tranſeunte, & ſe ipsâ deſinente, ut eſt gratia actualis; ſed in re ſtabili, & quantùm ex natura ſua eſt, permanente, ut eſt habitus gratiæ ſe ipſo ſanctificans. Quod & tradit S. Thomas ſuperiùs dicens, *id quod eſt potiſſimum in lege novi Teſtamenti, in quo tota ejus virtus conſiſtit, eſt gratia Spiritûs Sancti, quæ datur per fidem Chriſti*; Nam gratia habitualis eſt, quæ per fidem infunditur, non verò actualis; ſed per hanc fides potiùs generatur. Dicitur autem in hoc habitu tota novi Teſtamenti virtus conſiſtere; quia cùm per ſe Dei amicum, filium & heredem conſtituat, exigit ut à Deo non priùs deſeratur, quàm ipſum homo deſerat; ſed in omnibus ad ſalutem pertinentibus Deus homini præſtò ſit, cum in difficilibus adjuvando &c. Neque hic me exiſtimo ullum habere præter Queſnelli aſſeclas diſſentientem.

Nona

Nona Propoſitio damnata.

Gratia Chriſti eſt gratia ſuprema, ſinè qua confiteri Chriſtum nunquam poſſumus, & cum quâ nunquam illum abnegamus. *Obſerv. Mor. 1.Cor. 12. v. 3.*

CAPUT I.

Propoſitio multiplicis hæreſeos rea convincitur.

1 Dogmatica propoſitio indefinita, ſive Philoſophos conſulueris, ſive Theologos, æquivalet univerſali; ut ſenſus ſit, omnem gratiam Chriſti eſſe ſupremam, ſinè qua confiteri Chriſtum nunquam poſſumus, & cum quâ nunquam illum negamus. Ex omnibus igitur Chriſtum negantibus, nè unus quidem gratiam Chriſti habuit; nec unus confiteri Chriſtum potuit, & in juſtitia perſeverare. Quâ itaque ratione, aut æquitate puniuntur iis ſuppliciis, quibus nihil atrociùs carnificum ſævitia excogitavit? Huic tyrannidi repugnant Divina Scripturarum oracula, univerſa Patrum traditio, definitiones Conciliorum, & Summorum Pontificum, ſenſus Theologorum, & Orthodoxorum omnium, ipſum naturæ lumen, ut contra propoſitionem ſecundam, & ſequentes ampliſſimè demonſtratum eſt.

2 Alterum articuli præſentis vitium, altera hæreſis eſt, quòd cum Chriſti gratiâ nunquam eum abnegemus, quaſi gratiæ Chriſti nunquam reſtiterint, quibus exprobravit Stephanus Act. 7. *Vos ſemper Spiritui Sancto reſiſtitis; ſicut patres veſtri, ita & vos.*

3 Convenit idem Queſnelli articulus cum 1. Janſeniano hæreſeos damnato: *Gratiæ interiori in ſtatu naturæ lapſæ nunquam reſiſtitur.* Diſſentit Apoſtolo Rom. 2. v. 5. aſſerenti: *Benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit: tu autem ſecundùm duritiam tuam, & impœnitens cor theſaurizas tibi iram in die iræ.* Non adducit benignitas Dei ad pœnitentiam ſinè Chriſti gratiâ, ut contra Pelagianos fide certum eſt: & tamen Chriſto per gratiam ad pœnitentiam adducenti ſæpe reſiſtitur, ab iis ſcilicet, qui ſpretâ, vel neglectâ *Dei benignitate ſecundùm duritiem* ſuam, *& impœnitens cor theſaurizant* ſibi *iram in die iræ.* Igitur & cum Chriſti gratiâ, ſive illâ præſente, & ad virtutem excitante, non nunquam Deum deſerimus, & cum quâ Chriſtum confiteri poſſumus, aliquando abnegamus.

4 *Vocavi*, inquit Deus Prov. 1. v. 24., *& renuiſtis; extendi manum meam, & non fuit qui aſpiceret.* Vocatio Divina, & extentio manûs procul dubio veniendi poteſtatem indicat, & gratiæ auxilium ſupponit in vocatis, ſinè quo venire non poſſint, nec ſapienter vocari.

5 Matth. 23. Cum gemitu, & lachrymis exprobrat Hieroſolymæ amantiſſimus Servator, *Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos ſuos ſub alas, & noluiſti!* Venire igitur potuerunt; ſed non ſinè Chriſti gratia. Quomodo itaque omnis Chriſti gratia, eſt *ſuprema, cum quâ nunquam illum abnegamus?* Abnegarunt Chriſtum Judæi plurimi, dum confiteri potuiſſent: venire detrectarunt perversâ voluntate, cùm & velle poſſent & venire, alioqui non futuri tot exprobrationibus, & ſuppliciis obnoxii.

6 Ad omnes, præcipuè peccatores, vocem Domini audituros, dirigitur illud pſalmi 94. *Hodie ſi vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda veſtra.* Obdurant tamen plurimi, non vocantis vitio, non defectu auxilii neceſſarii, quo obſequi poſſent; ſed rebellione liberâ voluntatis.

7 Similiter Apocal. 3. *Ecce*, inquit Deus, *ſto ad oſtium, & pulſo: ſi quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi januam, intrabo ad illum.* Pulſat Deus interiùs animum, pulſat gratiâ, quæ torpentem excitet. Vox Dei gratia ejus eſt, quæ audita ſæpe contemnitur, vel tanquam ſurdis excepta auribus, prætcritur neglecta. *Lavamini, mundi eſtote, auferte malum cogitationum veſtrarum*, ingeminat Deus, & inculcat peccatoribus omnibus Iſaiæ 1. Neceſſe eſt Queſnellus Deum faciat Pelagianum, ſi lavari eos, mundos fieri, auferre malum cogitationum ſuarum ſinè Chriſti gratiâ voluerit. Pleriquc tamen, ut major reproborum eſt numerus, non lavantur, non mundi fiunt, cogitationum ſuarum malum non auferunt, etſi poſſent, aliàs immeritò de obduratione reprehendendi. Multis igitur, qui non convertuntur, gratia Chriſti ad converſionem conceditur, atque adeò non omnis Chriſti gratia eſt *ſuprema, cum qua nunquam illum abnegamus*, aut peccato lethifero offendimus.

8 Componere cum ſententiâ ſuâ nunquam ſatis poterit Queſnellus illud Joan. 1. de Chriſto: *Erat lux vera, quæ illuminat omnem*

Digitized by Google

nem hominem venientem in hunc mundum. 1. Tim. 2. *Deus vult omnes homines ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* 1. Tim. 4. *Qui eſt Salvator omnium hominum, maximè fidelium.* 2. Petri 3. *Nolens aliquos perire; ſed omnes ad pœnitentiam reverti.* 1. Joan. 2. *Ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris; non pro noſtris autem tantùm, ſed etiam pro totius mundi.* Quàm multi nolentes videre, & in errorum tenebris pertinaciter perſiſtentes occludunt oculos Soli Juſtitiæ, & gratiæ Salvatoris, ut lumen ejus videntes, ſint quaſi non videant, & veritati agnitæ obſtinatiùs refragentur! Ita Chriſti gratiâ donati, Chriſti amicitiam, & ſubinde fidem abdicant.

9 Non vellet Deus omnes homines ſalvos fieri, ſi omnis gratia eſſet illa *ſuprema*, quæ à Queſnello deſcribitur; nam abſque gratiæ auxilio neque ſalutem conſequi valemus, neque exercere virtutes ad eam neceſſarias; illa autem ſuprema, & efficax gratia non omnibus obvenit. Quapropter cæteri eâ deſtituti, cùm inferior juxta Queſnellum nulla detur, ſalvari nequeunt. Nulla quoque voluntas ſeria in Deo deſignari poterit, qua ſalutem omnium hominum, vel ſaltèm fidelium exoptarit. Chriſtus propitiatio non eſt pro peccatis totius mundi, ſi iis ſolis peccatorum remiſſionem prometitus ſit, quibus ſupremam illam gratiam impertiit. Neque magis intelligi poteſt, quomodo cæteros voluerit *ad pœnitentiam reverti*, quàm fractis cruribus, nullo adminiculo ambulare. Imò ſenſum hæreticum propoſitionis 5. Janſenianæ de morte Chriſti pro ſalute dumtaxat prædeſtinatorum, ineluctabiliter continet Queſnelli articulus; quia præter prædeſtinatos, nullus *ſupremam* illam gratiam habuit ſinè qua ſalvari nunquam, juxta Queſnellum poſſumus, & cum qua nunquam ſalute excidimus.

10 Denique ex illa propoſitione ſequitur, nullum virtutis actum, qui gratiæ adjutorio indiget, ab ullo mortalium in ſtatu naturæ lapſæ ita prætermiſſum fuiſſe, ut exerceri potuerit: neminem ulli liberè ſuccubuiſſe tentationi, ad quam vincendam gratiâ opus fuit: Neminem denique ullo ſe crimine contaminaſſe, quo pœnam mereretur, ſi illud vitare ſinè tali gratiâ non potuerit; caruit enim ſupremâ illâ, & efficaci, ut per ſe evidens eſt, nec alia in hoc ſtatu datur, ſi Queſnello credimus, quòd multis ſequentibus articulis ab eo mox videbimus confirmatum.

CAPUT II.

Solutio objectionum.

1 Propoſitionem damnatam attribuit Queſnellus Apoſtolo 1. Cor. cap. 12. v. 3. ubi dicitur: *Notum facio vobis, quod nemo in Spiritu Dei loquens dicit anathema Jeſu: Et nemo poteſt dicere Dominus Jeſus, niſi in Spiritu Sancto.* Ex verbis poſterioribus colligit Queſnellus priorem dogmatis ſui partem; poſteriorem ex prioribus. Ignorat ſcilicet novus interpres, quod primis Theologiæ, & vel Doctrinæ Chriſtianæ rudimentis initiati intelligunt, aliud ſcilicet eſſe præſente Dei Spiritu, ſeu gratiâ agere, aliud in ejus ſpiritu, ſeu per ſpiritum, per gratiam. Præſente Dei Spiritu, ſeu gratiâ, ſæpe Deus offenditur, ſæpe abnegatur, teſtante Stephano: *Vos ſemper Spiritui Sancto reſiſtitis, ſicut Patres veſtri, ita & vos.* At *in Spiritu Dei*, ſive per ejus Spiritum, vel gratiam nemo Deum negat, nemo negare poteſt, vel offendere. Quod adeò evidens eſt, ut Catholicorum nullus hactenus vocarit in dubium, nec abſque manifeſta impietate, & blaſphemia vocare poſſet. Ideo confirmatione non indiget. Exhibeo tamen interpretem Angelicum clariſſimè ſuffragantem in 1. Cor. 13. lect. 1. *Nemo in Spiritu Dei loquens dicit anathema* Jesu, *quia nullus per Spiritum Dei peccat mortaliter, quia ut dicitur Sapientiæ 1. Spiritus Sanctus diſciplinæ effugiet fictum ... Dicendum eſt, quod quantum eſt ex Spiritu Dei, homo non facit peccatum; ſed magis à peccato retrahitur. Poteſt tamen peccatum facere ex parte voluntatis humanæ, quæ Spiritui Sancto reſiſtit, ſecundùm illud Actor. 7. Vos autem ſemper Spiritui Sancto reſiſtitis ... Et ideo ſignanter Apoſtolus non dixit: Nemo Spiritum Dei habens; ſed, Nemo in Spiritu Dei loquens.* Sicut autem, ut ibi S. Thomas obſervat, *non per Spiritum Sanctum inhabitantem tollitur facultas peccandi à libero arbitrio totaliter in hac vita*, ita neque per Spiritum Sanctum, quodammodo tranſeuntem, ſive tranſiens auxilium largientem; nam de hoc potiſſimùm loquitur S. Stephanus; cum Judæi, in quos invehitur, Spiritum Sanctum inhabitantem, cui ſemper reſiſterent, non haberent.

2 Ex ſecunda autem Apoſtoli periodo, *Nemo poteſt dicere Dominus* Jesus *niſi in Spiritu Sancto*, rectè colligit Queſnellus *nos ſinè gratia Chriſti confiteri Chriſtum nunquam poſſe.* Verùm perperàm hinc deducit, eamdem gratiam eſſe ſupremam, & cum qua Chriſtum nunquam abnegamus, ſive gratiam ſemper eſſe

Digitized by Google

eſſe efficacem. Nullum in Apoſtoli ſententia verbum eſt, è quo talis obſervatio erui poſſit, vel à temeritatis, erroris, & fortè hæreſeos maculâ liberari.

3 Non magis favet damnato articulo Epiſtola ad Philippenſes cap.1. v.29. quo dicitur, *Quia vobis donatum eſt pro Chriſto non ſolùm ut in eum credatis, ſed etiam ut pro illo patiamini.* Nam etſi utrumque eis gratiæ efficientis auxilio donatum fuerit, quomodo Author Hexaplorum indè conficiet, omnem Chriſti gratiam eſſe talem, eſſe ſupremam, & cum qua nunquam illum abnegamus? Quomodo ex loco Apoſtoli deducet nos ſinè gratiâ ſupremâ, & cum qua Chriſtum nunquam abnegamus, in eum credere, eum confiteri, & pro eo pati non poſſe? Sed facilius Authori fuit, & ad circumveniendum ſimplices magis accommodatum, congerere quaſdam Scripturarum, & Patrûm ſententias, velut damnato articulo patrocinantes, quàm legitimo rationis filo ex eis deducere probabilem cum proſcripto articulo connexionem.

4 Sententiam ex S.Gregorii lib.7. epiſt.4. citatam loco illo non reperiens referam ut ab adverſario in Hexaplis Gallicè verſa eſt. *Il faut donc que nous cherchions la force, & que nous demandions la grace de celuy, ſans qui nous ne ſommes jamais ſans peché, & avec qui nous ne ſommes jamais ſans juſtice.* Quærendum nobis robur eſt, & petenda gratia ab eo, ſinè quo nunquam à peccato immunes ſumus, & cum quo nunquam expertes juſtitiæ. Pontifici prorſùs aſſentio, quòd ſinè Deo videlicet inhabitante, nunquam à peccato immunes ſimus, actuali vel habituali, quodque Deo inhabitante, nunquam ſimus expertes juſtitiæ. Quis id inficiatur, aut tiro Theologus ignorat? Non minùs certum omnibus eſt, ac per ſe evidens, non poſſe illud *ſinè quo*, & *cum quo* intelligi de Deo auxiliante per gratiam actualem; nam neque ſinè tali Dei auxilio ſemper peccamus, ut in ſomno, & quoties mente ſtudiis fortè Philoſophicis, aut aliis indifferentibus, & naturalibus abſtrahimur. Neque Fidei congruit Catholicæ, quod cum actuali gratia nunquam expertes ſimus juſtitiæ.

5 Sic enim nunquam gratiæ interiori in ſtatu naturæ lapſæ reſiſteretur, quæ eſt hæreſis in ſecundo Janſenii articulo damnata in ſenſu Authoris, quem conſtat fuiſſe de gratiâ actuali, non de habitu ſanctificante, quem Janſenius contra Calvinum agnovit aliquando abjici. Præterea non quolibet divinæ gratiæ auxilio ſemper obtineri, aut conſervari juſtitiam, evincit exprobratio S. Stephani: *Vos ſemper Spiritui Sancto reſiſtitis.* Nam ſi nullum gratiæ habuiſſent auxilium, non ei efficaciter reſtitiſſent. Iſaiæ 62. & ad Rom. 10. *Expandi*, inquit Deus, *manus meas tota die ad populum non credentem, & contradicentem.* Quis hujus querelæ juſtitiam intelligat, ſi nullum populo auxilium gratiæ Deus conceſſerit, quo credere potuiſſet? Quod tamen populus juſtus non fuerit, ex divina ſententia exploratum eſt. Iſtiuſmodi de peccatoribus querelæ in Scripturis paſſim obviæ ſunt, uti & hortationes ad pœnitentiam, ſuaſiones bonorum operum, invitationes ad ſalutem, quas ſæpe comitatum eſſe aliquod divinæ gratiæ auxilium, quod tamen juſtitiam non effecerit, omnes Catholici fatentur, nec ipſe diffitetur Janſenius. Non igitur veritati, non Fidei, nec ipſi Janſenio conſonat ea Gregoriani textûs interpretatio, quod, Deo auxiliante per gratiam, nunquam ſimus expertes juſtitiæ. Ideo neceſſe eſt locum accipi de Deo præſente per gratiam ſanctificantem. Qui ſenſus planus, obvius, & apud omnes veriſſimus eſt, quod ſinè Deo nos per gratiam inhabitante nunquam à peccato immunes, neque cum illo unquam ſimus expertes juſtitiæ: neque datur ſtatus peccatum inter, & juſtitiam medius. Verùm ſic Gregorii ſententia, ut patet, nullam penitùs habet cum damnato articulo connexionem, nullam affinitatem.

6 Non majorem argumenti ſpeciem pro illo afferunt verba Auguſtini libro de correptione, & gratia cap.2. cùm dicitur: *Intelligenda eſt gratia Dei per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, quâ ſolâ homines liberantur à malo, & ſinè qua nullum prorſus ſive cogitando, ſive volendo, & amando, ſive agendo faciunt bonum, non ſolùm ut monſtrante ipſa, quid faciendum ſit, ſciant, verùm etiam ut præſtante ipſâ faciant cum dilectione, quod ſciunt.* Exiſtimabat Pelagius legem, atque doctrinam homini ad quodlibet opus bonum exercendum ſufficere: ſatis eſſe quòd oſtenderetur, quid agendum ſit: vires voluntati integras eſſe, peccato originis, quod Pelagio nullum erat, minimè læſas: hominem libero arbitrio ad quodlibet opus bonum volendum, & perficiendum ſat potentem eſſe, atque robuſtum. Gratiæ tamen neceſſitatem, ut Eccleſiæ Præpoſitos falleret, admittere ſe ſimulabat, ſed gratiæ nomine non aliud intelligens, quàm voluntatem gratis, ſeu nullis noſtris præcedentibus meritis à Deo acceptam; legem præterea, atque doctrinam, *quâ quid faciendum ſit, homines ſciant.*

7 De talibus gratiis, perperàm interpretabatur, quidquid de gratiæ neceſſitate ad ſalubriter operandum, ſive Scripturæ, ſive Patres commemorant. Tali acceptioni gratiæ non acquieſcens Auguſtinus, meritò à Pelagio

gio exigit, ut gratiam quoque agnoſcat in voluntate ad omne opus pium neceſſariam: *Quâ ſolâ*, non autem lege, atque doctrinâ, *homines liberantur à malo, & ſinè qua nullum prorſus ſive cogitando, ſive volendo, & amando, ſive agendo faciunt bonum .... præſtante ipsâ faciunt cum dilectione quod ſciunt*. Sed non ideo omnis, juxta Auguſtinum, *gratia eſt ſuprema*, non omnis talis eſt, *ut cum ea nunquam Chriſtum abnegemus*.

8 Aliud ſcilicet eſt, nullum opus bonum ſalutare fieri ſinè gratia efficaci: aliud omnem gratiam eſſe efficacem, nullam carêre effectu. Primum omnes Catholici cum Auguſtino profitentur; poſterius quidem Lutherus, Calvinus, Janſenius cum Queſnello, & ejus ſequacibus contendunt: ſed negant omnes Catholici Conſtitutionibus Apoſtolicis obſequentes. Non omnem Auguſtino gratiam Chriſti eſſe *ſupremam*, & efficacem, evidens eſt ex plurimis Sancti Doctoris textibus, qualis eſt ex lib. 1. de Geneſi contra Manichæos cap. 1. ubi ait, *quòd ſe ad Dei præcepta convertere omnes homines poſſint, ſi velint*. Et lib. 83. quæſtionum qu. 68. *Ad illam cœuam nec omnes, qui vocati ſunt, venire voluerunt .... nec illi, qui noluerunt venire, debent alteri tribuere, ſed tantùm ſibi; quoniam, ut venirent vocati, erat in eorum libera poteſtate*; adeòque habuêre gratiam in voluntate, non ſupremam, neque efficacem.

Decima Propoſitio damnata.

Gratia eſt operatio manûs Omnipotentis Dei, quam nihil impedire poteſt, aut retardare. *Obſerv. Moral. Matth. 20. v. 34.*

C A P. I.

Propoſitio eſt contraria Scripturis Sacris.

1 HActenus Queſnellus ferè ſolis actibus malis ſuſtulerat libertatem, deterſerat ab iis malitiam, & peccatores omni exemerat demerito, ac ſupplicio, quantùm ad ea peccata attinet, quæ ſinè gratia caveri nequeunt: virtutum quoque actus reddiderat impoſſibiles omnibus, à quibus non exercerentur, atque ita Deum fecerat tyrannum, ac batbarum, qui impoſſibilia exigeret, pnniretque graviſſimis ſuppliciis ob delicta, quæ nullo modo liberum fuerat evitare. At ſaltèm actibus bonis, qui efficaci adjutorio eliciuntur, libertatem, laudem, ac meritum reliquiſſe forſitan videbatur. Nunc verò neque his parcens, libertatem, laudem, meritum omne peſſumdat. Quod ut fiat manifeſtius, noto etiam hîc propoſitionem dogmaticam indefinitam ſenſum reddere univerſalem; quaſi diceret: *Omnis gratia eſt operatio manûs Omnipotentis Dei, quam nihil impedire poteſt, aut retardare*. Senſus præterea eſt, non ſolùm quod *manum Omnipotentis Dei nihil impedire poſſit, aut retardare*, ſed neque *gratiam*, quatenus *manûs Omnipotentis Dei operatio eſt*. Non ſolùm igitur, juxta Queſnellum, nulla unquam gratia impeditur, aut tetardatur: ſed nec *impediri*, aut *retardari poteſt*. Quo nihil à ſacris tum novi, tum veteris Teſtamenti Scripturis magis alienum eſt.

2 Prov. 1. v. 24. *Vocavi*, inquit Deus, *& renuiſtis, extendi mauum meam, & non erat, qui aſpiceret*. Hic gratiam Dei, pervicaciâ hominum, vel negligentiâ impeditam fuiſſe, aut retardatam perſpicuè ſignificatur. *Vocatio* enim Dei ad juſtitiam, & extenſio manûs potrectum auxilium indicat, quo venire ad juſtitiam poſſint, qui vocantur; nè vocatio inepta cenſeatur, & Deus homines fallere, vocando ad impoſſibile, & ſimulando ſe manum ad juvandum extendere, quam contractiſſimam teneret, nec arripi vellet, nec auxilium ferre, ſinè quo venire vocatos nullo modo poſſe, ipſi perſpectiſſimum eſt.

3 Iſaiæ 65. v. 2. *Expandi manus meas tota die ad populum incredulum .... qui ad iracundiam provocat me ante faciem meam ſemper*. Credi Deo non poteſt ſinè gratiâ; exprobrari autem nemini debet incredulitas, qui credere non potuerit. Igitur populus iſte aliquando gratiam habuit, quam neglexit, atque ita *gratia*, nè Fidem in Judæis operaretur, ab ipſis aliquando *impedita* eſt, *aut retardata*. Iſaiæ oraculum citae quoque Apoſtolus in Epiſt. ad Rom. cap. 10. v. 21.

4 Rurſus Iſaiæ 5. v. 4. Quærit Deus, *quid eſt, quod ultra debui facere vineæ meæ, & non feci ei? An quod expectavi ut faceret uvas, & fecit labruſcas?* Vineæ ſpiritualis cultura, de qua per allegoriam Deus loquitur, unicè neceſſarium habet Divinæ gratiæ auxilium, ſinè quo cætera omnia in adultis optatos juſtitiæ fructus producere minimè valeant. Hoc igitur auxilium, hæc cultura eſt, quàm planè ſufficientem à ſe vineæ impenſam teſtatur Deus,

Deus, & ipſius vineæ culpâ, ipſius ſolius vitio inutilem redditam conqueritur.

5 Palmo 94. v. 8. *Hodie ſi vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda veſtra*: De voce Dei in cordibus hominum per gratiam loquenti, potiſſimùm ſermo eſt. Hanc vocem ut ſequamur, hortatur Rex propheta. Supponit itaque fieri poſſe, ut ab aliquibus audita negligatur; aliàs fruſtranea, & ridicula eſſet hortatio, nè fiat quod eſt impoſſibile. Impediri itaque, aut retardari à libero hominis arbitrio poteſt Divinæ vocis, ſeu gratiæ, ſaltèm alicujus, effectus.

6 Matth. 20. v. 16. *Multi vocati, pauci verò electi*. Idem cap. 22. v. 3. *Miſit vocare invitatos ad nuptias, & nolebant venire*. Sub parabolâ cœnæ magnæ, & nuptiarum, indicatur Divina invitatio, & vocatio ad Fidem, ad Juſtitiam, ad ſalutem; ad quam vocantur *multi*, & multorum nomine omnes; *ſed pauci* ad eam *electi* perveniunt. Divina autem vocatio, & invitatio, nè ſit ad impoſſibile, complectitur, ſubminiſtrat, vel ſupponit media utcunque ſufficientia, quibus venire vocati, & invitati valeant. Media illa ſunt Divinæ gratiæ auxilia, quæ ſubinde accipientium culpâ ſinè effectu ſunt. Unde exploratum eſt gratiam, ſaltèm aliquam, eſſe talem quam liberum hominis arbitrium *impedire poſſit, aut retardare*.

7 Matth. cap. 23. v. 37. *Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos ſuos ſub alas, & noluiſti*! Non potuit Deus magis teſtatum facere affectum ſuum, curam, & ſolicitudinem erga Judæorum ſalutem, quàm comparatione gallinæ, quâ nulla mater de filiorum ſalute magis ſolicita eſt, magis anxia. Non igitur prætermiſerit Deus proſpicere Judæis de mediis, ſeu gratiis ſufficientibus, quibus ſalutem conſequi poterant; ſed quas perversâ voluntate deſpexerint, vel ad conſequendum finem non prout oportuit, & in eorum erat poteſtate, applicuerint. Aliquæ ergo *gratiæ* à Judæis ad juſtitiam, & ſalutem amantiſſimè vocatis, ſed *congregari nolentibus, impeditæ* fuêre, *vel retardatæ*.

8 Act. 7. v. 51. *Vos ſemper Spiritui Sancto reſiſtitis*, non ſolùm exteriùs vocanti, & docenti per Apoſtolos, ſed etiam interiùs per gratiam, ut Catholici paſſim contra Calvinum, Janſenium, & Lutherum intelligunt. *Impeditur* itaque ſubinde *gratia*, aut *retardatur*.

9 Rom. 2. v. 5. *Benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit; tu autem ſecundùm duritiam tuam, & impœnitens cor theſaurizas tibi iram in die iræ*. Quænam ea eſſet adeò prædicata *Dei benignitas*, & quæ *ad pœnitentiam adductio* ſinè ulla gratia? Si autem, ut evidens eſt, gratia ſupponitur data quidem à Deo, ſed à multis peccatoribus rejecta, qui ſecundùm duritiem ſuam, & impœnitens cor ad pœnitentiam ſe convertere differunt, aut penitùs recuſant, convincitur iterum error Queſnelli, quo ſtatuit nullam *gratiam impediri poſſe, aut retardari*.

10 I. Cor. 6. v. 1. *Exhortor vos*, inquit Apoſtolus, *nè in vacuum gratiam Dei recipiatis*. Quod non de ſolo gratiæ habitu, ſed etiam de actû intelligendum eſt; non enim gratiæ habitus, diu ſinè actu, præterquam in pueris, & amentibus, conſervari poteſt. Unde ſuperflua, & fruſtranea eſſet exhortatio, ſi Apoſtolus cum Queſnello cenſuiſſet omnem gratiam actualem eſſe ejuſmodi, ut nihil eam *impedire valeat, aut retardare*.

11 II. Theſſal. 2. v. 10. *Charitatem veritatis non receperunt ut ſalvi fierent, ideo mittet illis Deus operationem erroris*. Charitatem veritatis recipere nemo poteſt ſinè gratia. Hanc itaque ſupponuntur habuiſſe ſaltèm oblatam, qui charitatem veritatis vitio ſuo recipere noluerunt, ut ſalvi fierent; ideo immiſſâ *erroris operatione* à Deo puniuntur. Denique omnis Scriptura ſignificans gratiam aliquando effectu caruiſſe, invictiſſimo argumento, quod ducitur ab actu ad potentiam, docet poſſe aliquando gratiam impediri, aut retardari, nè effectu potiatur.

CAPUT II.

Decima propoſitio contraria Sanctis Patribus.

1 CLEMENS Romanus Epiſt. 3. de officio Sacerdotis. *Ab initio duo regna ſtatuit Deus, & poteſtatem dedit unicuique hominum, ut illius portio fiat, cui ſe ad obediendum ipſe ſubjecerit*. Quam poteſtatem homini relinquit Queſnellus, dum propoſitione ſecunda negat quidquam boni fieri poſſe abſque gratiâ efficaci; propoſitione autem 10. ſtatuit, omnem gratiam tam eſſe efficacem, ut eam *nihil impedire poſſit*, aut *retardare*? Abſque illa gratia juxta Queſnellum, nos regno ſalutifero addicere non poſſumus, cum illâ non poſſumus nos addicere regno concupiſcentiæ, ac diaboli. Non igitur juxta eumdem *unicuique*, ſed nec ulli *hominum Deus poteſtatem dedit, ut illius portio fiat, cui ſe ad obediendum ipſe ſubjecerit*; ſaltèm in ſtatu naturæ lapſæ.

2 Irenæus lib. 4. cap. 17. *Vis à Deo non fit; ſed bona ſententia adeſt illi ſemper: & pro-*

Digitized by Google

pter hoc, conſilium quidem bonum dat omnibus; poſuit autem in homine poteſtatem electionis. Quænam eſt electionis poteſtas in negotio ſalutis, vel rebus ad ſalutem pertinentibus, ſi abſque gratiâ efficaci nihil boni *fieri poteſt*, & illam *nihil impedire, aut retardare* à conſecutione effectûs? Sic neque ullus concipiat, quomodo in illa ſententia, *Divino verbo omnes vocanti*, juxta Clementem Alexandrinum lib. 2. ſtromatum, *ſit in noſtra poteſtate, parêre, & non parêre*; non enim juxta Queſnellum, abſque gratia efficaci parere vocanti Deo poſſumus, neque cum ea refragari, & à bono opere abſtinêre.

3 Arnobius l. 2. adversùs gent. *Vis ſumere quod offertur, atque in tuos uſus convertere? Conſulueris tu tibi: aſpernaris, contemnis, deſpicis? Te muneris commoditate privaveris: nulli Deus neceſſitatem affert*. Quam nobis immunitatem à neceſſitate Queſnellus relinquit, ſi abſque gratia efficaci nihil boni poſſumus, cum illa autem effectum ejus nec *impedire*, nec *retardare*?

4 S. Chryſoſtomus hom. 46. in Joan. 6. *Non vi, & neceſſitate quadam Deus bonos facere conſuevit: neque electio ejus violenta eſt, ſed ſuaſoria; ut enim intelligas, non cogere vocationem, multos vocatos perire continget. Quamobrem conſtat in noſtro eſſe arbitrio an ſalvemur, an perdamur*. In noſtro id arbitrio poſitum conſtat omnibus, qui cum Eccleſia ſentiunt; nullis qui cum Queſnello; non enim in arbitrio noſtro eſt, quod pendet à ſolo efficaci gratiæ auxilio, ſive quo ſalvari non poſſumus, nec cum eo ſalute excidere.

5 S. Auguſtinus libro de ſpiritu, & litera cap. 34. *Miſericordia Dei prævenit nos; conſentire autem vocationi Dei, vel ab ea diſſentire propriæ voluntatis eſt*. In Queſnelli opinione miſericordiæ Dei nos prævenienti, ejuſque vocationi, ſeu gratiæ diſſentire non poſſumus; non igitur conſentire juxta Queſnellum, vel diſſentire propriæ voluntatis eſt.

6 Idem lib. 83. quæſtionum q. 68. *Nec illi debent ſibi tribuere qui* (ad Cœnam Evangelicam) *venerunt; quia vocati venerunt: nec illi, qui noluerunt venire, debent alteri tribuere; ſed tantùm ſibi, quoniam ut venirent vocati, erat in eorum libera poteſtate*. Ecce vocatos per gratiam, ita ut venire ad fidem poſſent, liberâ tamen voluntate neglexerint. Non ergo omnis gratia talis eſt, ut operationem ejus *nihil impedire poſſit, aut retardare*. Dicetne adverſarius, eos qui non venerunt, gratiâ caruiſſe? Si caruerint, quomodo ait Auguſtinus, eos venire potuiſſe, ſive *ut venirent, fuiſſe in eorum liberâ poteſtate*? Sic adverſarius Auguſtinum Pelagio conſentientem, Chriſto repugnantem redderet, quaſi Chriſtus fruſtrà dixerit, *ſinè me*, ſinè mea gratia *nihil* boni ſalutiferi *poteſtis facere*.

7 Cyrillus Alexandrinus in Joan. 17. lib. 11. cap. 21. *Quòd ſi proditor æqualiter aliis diſcipulis Salvatoris auxilium non habuiſſet, fruſtrà hæc à nobis dicerentur. Sin autem non minùs, quàm cæteri divinâ Gratiâ regebatur; ſed ſuo ipſius judicio in profundum proditionis delapſus ſit, quomodo etiam non ſervavit eum Chriſtus, qui ſuum patrocinium ei præſtitit; qui quantum ad ferendam opem illi attinuerit, ſervaſſet hominem; niſi ultro ille in perditionem inſiliiſſet? Gratia igitur in aliis effulſit, ſervavitque omnes, qui cooperantem ei voluntatem tradiderunt; ſic enim ſalutis noſtræ modus diſpoſitus eſt*. Nihil magis oppoſitum eſſe poteſt doctrinæ Queſnelli, quàm tota hæc Cyrilli ſententia, quâ Judæ non minùs, quàm cæteris Apoſtolis ſufficientis gratiæ auxilium conceditur, quo uti nolens, ſuo ipſius judicio, ſeu liberâ electione in profundum perditionis delapſus eſt: ubinam igitur illa inſuperabilis cujuslibet gratiæ operatio, quam Queſnellus ait, nullo modo *impediri poſſe, aut retardari*?

8 Auctor lib. 2. de vocat. gent. cap. 12. *quod non poteſt, niſi cooperante ſpiritu Dei fieri, eorum meritis deputetur, quorum id potuit voluntate non fieri*. Si, quod ſpiritu Dei, ſive Divinæ gratiæ auxilio fit, potuerit humanâ voluntate non fieri, patet operationem gratiæ non eſſe talem, ut nihil eam valeat impedire.

9 Ibid. cap. 26. *Quod à multis refutatur gratia, ipſorum eſt nequitiæ: quod à multis recipitur, gratiæ Divinæ eſt, & voluntatis humanæ*. Si à multis gratia refutatur, quid evidentius, quàm non omnem gratiam eſſe iſtiuſmodi, quæ *impediri* nequeat, *aut retardari*?

10 Damaſcenus lib. 2. orthodoxæ fidei cap. ultimo: *In nobis eſt, virtuti immanêre, & ſequi Deum nos ad illa vocantem, aut deſerere virtutem*. Juxta Queſnellum, quiſquis virtuti immanet, & vocantem ſequitur, non potuit non virtuti immanere, & Dei ſequi vocationem; quia nemo virtuti immanet ſinè gratia, nec ſinè ea Deum ſequitur vocantem; gratia autem omnis Queſnello invicta eſt, quam nihil *impedire* valeat, *aut retardare*: igitur neque eâ præoccupatus *deſerere virtutem*.

11 S. Anſelmus in 6. Matth. *In Paulo videtur cogens Dei voluntas; ſed non eſt, quia licèt ſit percuſſus; tamen voluntate erat liberâ, ut reſiſteret, ſi vellet*. In quo magis emicuit poten-

potentia gratiæ, quàm in converſione Pauli? ſi autem nè in illo quidem tanta vis gratiæ fuerit, ut voluntas reſiſtere non poſſet, ſubvertitur Queſnelliana neceſſitas, ſeu tanta vis cuilibet gratiæ ab eo attributa, ut nulla illi voluntas humana valeat diſſentire, nihil ejus ſuſpendere effectum.

CAPUT III.

Decima Propoſitio contraria definitionibus Conciliorum.

1 Concilium Tridentinum ſeſs. 6. cap. 5. ita docet: *Tangente Deo cor hominis per Spiritûs Sancti illuminationem, homo inſpirationem illam recipiens, illam & abjicere poteſt*, id eſt gratiæ negare conſenſum, & operationem illam impedire. Ibidem cap. 13. *Deus, niſi ipſi illius gratiæ defuerint, ſicut cœpit opus bonum, ita perficiet, operans velle, & perficere*. Adjecta conditio *niſi ipſi illius gratiæ defuerint*, palàm facit, contingere ſubinde, ut gratiæ diſſentiamus, certè indicat quòd diſſentire poſſimus. Ibid. can. 4. *Si quis dixerit, liberum hominis arbitrium, à Deo motum, & excitatum. . . . non poſſe diſſentire, ſi velit, anathema ſit*. Hoc fulmen Queſnellus declinare non poteſt, quidquid latebrarum captet, vel effugiorum. Nimis enim perſpicua eſt Tridentini ſententia, & nimis aperta Queſnelliani dogmatis cum damnato à Tridentinis Patribus concordia. Clariſſimè nempe ſynonima ſunt, *non poſſe gratiæ diſſentire, & non poſſe operationem gratiæ impedire, aut retardare*.

2 Seſs. 6. can. 6. *Si quis dixerit, non eſſe in poteſtate hominis vias ſuas malas facere, anathema ſit*. Non eſt in hominis poteſtate, quandiu mentis compos eſt, impedire ſemper, nè Deus ullam ipſi gratiam immittat; nam ſpiritus ubi vult ſpirat, & ſæpe maximis peccatoribus, atque in ipſo peccatorum æſtu, ut in Saulo apparuit, Deus veritatis lumen, ignemque Charitatis infundit. Quotieſcunque autem Deus gratiam ſubminiſtrat, iuxta Queſnellum hæc impediri, aut retardari non poteſt. Rurſus ſi eidem Queſnello credimus Propoſ. 40. *Sinè gratiâ nihil amare poſſumus niſi ad noſtram condemnationem*. Edoceat itaque nos Queſnellus, quandonam in poteſtate hominis ſit, vias ſuas malas facere, vel bonas; ſi malas neceſſariò faciat ſinè gratiâ, cum illa neceſſariò bonas; non valens ſcilicet operationem ejus ſuſpendere, minùs impedire.

3 Seſs. 6. can. 5. *Si quis liberum hominis arbitrium poſt Adæ peccatum, amiſſum, & extinctum eſſe dixerit, anathema ſit*.

4 Ibidem *Si quis liberum hominis arbitrium . . . dixerit . . . rem eſſe de ſolo titulo, imò titulum ſinè re . . . anathema ſit*. Quid verò aliud poſt memoratam Queſnelli propoſitionem 10., & 40. nobis remanet libertatis, præter *rem de ſolo titulo*, imò *titulum ſinè re*, dum nec bonum omittere cum gratia, nec malum ſinè gratiâ poſſumus evitare? Seſſ. 6. cap. 11. *Deus ſua gratiâ ſemel juſtificatos non deſerit, niſi ab eis priùs deſeratur*. Teſtibus iis, qui Tridentino interfuerunt, docet Concilium, non ſolùm non ſubtrahendum gratiæ ſanctificantis habitum; ſed nec actualis gratiæ auxilium, quod ſtatus amicitiæ, & adoptionis in Dei filios quodammodo exigit, niſi ab eis Deus priùs per peccatum libero commiſſum arbitrio, deſeratur. Juxta Queſnellum priùs juſtus deſeritur omni gratiæ ſufficientis auxilio, quo in juſtitiâ permanere poſſet. Iſtud enim ſi adeſſet, juſtus non caderet lapſu mortifero, imò neque ſic cadere poſſet, cùm operationem gratiæ juxtà Queſnellum nihil impediat, aut impedire valeat. Cadit autem juſtus; priùs ergo deſeritur à Deo, quàm eum deſerat, ſi Queſnelliano dogmati, deſertâ Tridentini definitione, adhærêre placuerit.

5 Arauſicanum 2. can. 25. *Hoc ſecundùm fidem Catholicam credimus, quòd acceptâ per baptiſmum gratiâ, omnes baptizati, Chriſto auxiliante, & cooperante, quæ ad ſalutem pertinent, poſſint, & debeant (ſi fideliter laborare voluerint) adimplere*. Certum eſt non omnes baptizatos Chriſto auxiliante, & cooperante, quæ ad ſalutem pertinent, adimplere; quia non omnes *volunt fideliter laborare*. Igitur manifeſtum pariter eſt, non omne Chriſti auxilium tale eſſe, *ut impediri, aut retardari* hominis ignaviâ, laborem detrectantis, nequeat.

6 Ibid. inf. *Deus nobis inſpirat, ut & baptiſmi Sacramenta fideliter requiramus: & poſt baptiſmum cum ipſius adjutorio, ea quæ ſibi ſunt placita, implere poſſimus*. Doctrina Concilii ad omnes dirigitur adultos, quibus baptiſmus prædicatus eſt: illis dicit *inſpirare Deum, ut baptiſmi Sacramenta fideliter requirant*; non omnes tamen inſpirationi obtemperant. De omnibus autem Baptizatis dicit, Deum illis inſpirare, *ut cum ipſius adjutorio, ea quæ ſibi ſunt placita, implere poſſint*. Quotidianis tamen, & nimis frequentibus experimentis compertum eſt, non omnes baptizatos hanc Dei inſpirationem ſequi, non omnes quæ ei ſunt placita, ipſius adjutorio implere. Non omnis itaque Dei inſpiratio, non omne auxilium, cum quo quæ Deo placita

cita ſunt, implere poſſumus, à nobis ſemper obtinet ut impleamus: multo minùs tale eſt, ut illi reluctari, ut illud repellere humana ſocordia, vel malitia nequeat.

7 Senonenſe anno 1528. Decreto fidei 15. *Non eſt tale trahentis Gratiæ auxilium, cui reſiſti non poſſit*. Decretum iſtud commentario non indiget; nihil enim poteſt eſſe Queſnellianæ hæreſi magis adverſum. Prætereo quòd doctrina Queſnelli accedat ad hunc 27. Wickleffi articulum damnatum à Conſtantienſi Concilio ſeſſ.8. *Omnia de neceſſitate abſoluta eveniunt*. Nam juxta Queſnellum gratiæ cujuſcunque effectus bonus impediri non poteſt, neque ea abſente actus malus: medius autem, ſeu indifferens nullus eſt Queſnello.

CAPUT IV.

Propoſitio decima contraria Definitionibus Romanorum Pontificum.

1 Quarta propoſitio Janſenii ab Innocentio X. Alexandro VII. Clemente XI. damnata eſt: *Semipelagiani admittebant prævenientis gratiæ interioris neceſſitatem ad ſingulos actus, etiam ad initium fidei, & in hoc erant hæretici, quod vellent, eam gratiam eſſe talem, cui poſſet humana voluntas reſiſtere, vel obtemperare*. Declaravit Sedes Apoſtolica Propoſitionem eſſe falſam, & hæreticam, atque uti talem damnavit. Ubi cenſura falſitatis communi Theologorum judicio afficit partem propoſitionis hiſtoricam, cenſura hæreſeos dogmaticam. Hæreticum ſcilicet eſt, aſſerere, quod prævenienti gratiæ interiori non poſſit humana voluntas reſiſtere, vel obtemperare. Quid autem aliud eſt, gratiam omnem, adeòque etiam prævenientem, eſſe talem, *ut nihil poſſit* ipſam, ſive ipſius operationem, & effectum *impedire, aut retardare*?

2 Secunda Janſenii propoſitio hæretica eſt, *Gratiæ interiori in ſtatu naturæ lapſæ nunquam reſiſtitur*. Magis igitur, ſive evidentiùs hæretica eſt Queſnelli propoſitio negans gratiæ reſiſti poſſe, ſive quod idem eſt, negans operationem ejus poſſe impediri, aut retardari.

3 Tertia Janſenii propoſitio hæretica: *Ad merendum, & demerendum, in ſtatu naturæ lapſæ, non requiritur libertas à neceſſitate; ſed ſufficit libertas à coactione*. In Queſnelli principio nullus actus per gratiam elicitus eſt liber à neceſſitate, quia nullus *impediri poteſt, aut retardari*; & tamen per iſtiuſmodi actus juxta Queſnellum meremur. Porrò quæ meriti, eadem demeriti eſt ratio, neque plus libertatis præceptorum violationibus Queſnellus alibi tribuit, neque plus requirit ad earum demeritum, ut contra ſecundum Queſnelli articulum ſuperiùs oſtenſum eſt.

4 Prima propoſitio Janſenii hæretica, impia, & blaſphema eſt: *Aliqua Dei præcepta ſunt impoſſibilia juſtis volentibus, & conantibus, ſecundùm præſentes quas habent vires. Deeſt quoque illis gratia, qua poſſibilia fiant*. Juxta Queſnelli principium omnibus juſtis, dum peccant omiſſione actûs præcepti ſupernaturalis, quales ſunt fidei, ſpei, & charitatis; & ſimul quoties tentationi ſuccumbunt, quæ ſinè gratia ſuperari non poterat, toties præceptum eſt illis ſecundùm præſentes, quas habent vires, impoſſibile: Deeſt quoque illis gratia, quâ poſſibile fiat. Cùm enim omnis gratia talis ſit juxta Queſnellum, ut ejus operatio *impediri, aut retardari nequeat*, evidens eſt, talem eis gratiam defuiſſe; Alia autem juxta eumdem ſcriptorem non datur, adeòque defuit illis auxilium neceſſarium, ſinè quo præceptum ſervare non poterant.

5 Quinta Propoſitio Janſenii hæretica: *Semipelagianum eſt dicere, Chriſtum pro omnibus omnino hominibus mortuum eſſe, aut ſanguinem fudiſſe*. Hanc propoſitionem falſam, temerariam, ſcandaloſam, *& intellectam eo ſenſu, ut Chriſtus pro ſalute dumtaxat prædeſtinatorum mortuus ſit*, impiam, blaſphemam, contumelioſam, Divinæ pietati derogantem, & hæreticam Summi Pontifices declararunt, & uti talem damnarunt. Illud *pro ſalute dumtaxat prædeſtinatorum* non excludit juſtitiam temporalem reproborum; ſed eorum ſalutem. Hunc enim apud omnes conſtat ſenſum eſſe Janſenii, pluribus libri ejus locis diſertiſſimè expreſſum. Pro nullius autem reprobi ſalute Chriſtus mortuus eſt, ſi nullus reprobus gratiam habuerit, quâ ſalvari poſſet, quamque eum in Queſnelli ſententia non habuiſſe evidens eſt, alioqui enim ſalvus fuiſſet; cùm juxta Queſnellum omnis *gratia ſit operatio manûs omnipotentis Dei, quam nihil impedire poteſt, aut retardare*.

6 Trigeſima nona Propoſitio inter Bajanas damnata à Pio V., Gregorio XIII., Urbano VIII. *Quod voluntariè fit, etſi neceſſariò fiat, liberè tamen fit*. Actus quilibet bonus elicitus per gratiam juxta Queſnellum impediri non potuit, adeòque neceſſarius eſt; contendit tamen ſemper hic auctor eſſe liberum, & meriti capacem. Omitto propoſitiones plures, quæ huc adduci poſſent ex 31. proſcriptis ab Alexandro VIII.

CA-

CAPUT V.

Propoſitio decima contraria communiſſimæ Doctrinæ Scholaſticorum.

1 SANCTUS THOMAS lib.4. contra Gentes cap.70. *Bona Spiritûs Sancti, quantùm eſt de ſe, tantam habent virtutem, quòd hominem ſinè peccato conſervare poſſunt, neque homo peccare poteſt ſecundùm ea vivens: poteſt autem contra ea agere, & ab eis diſcedendo peccare.* Gratia igitur, etſi tantam habeat virturem, ut hominem ſinè peccato conſervare poſſit, ſi is conſervari velit; poteſt tamen ab eo rejici, & impediri nè conſequatur effectum; ſive, ut Angelicus loquitur, *poteſt* homo *contra eam agere, & ab ea diſcedendo peccare.*

2 Idem Sanctus 1. part. quæſt.62. art.3. ad 2. *Modus autem naturalis intellectualis naturæ eſt, ut liberè feratur in ea quæ vult: & ideo inclinatio gratiæ non imponit neceſſitatem; ſed habens gratiam poteſt eâ non uti, & peccare.* Audit Queſnellus, quod, quia homo intellectualis naturæ eſt, ut liberè feratur in ea quæ vult, ideo habens gratiam poſſit eâ non uti, & peccare, adeôque gratiam, ſeu ejus effectum impedire?

3 Rurſus S. Thomas 1. 2. quæſt. 106. art.2. ad 2. *Dicendum quod gratia novi Teſtamenti, etſi adjuvet hominem ad non peccandum; non tamen ita confirmat in bono, ut peccare non poſſit; & ideò ſi quis poſt acceptam gratiam Teſtamenti novi peccaverit, majori pœnâ eſt dignus, tanquam majoribus beneficiis ingratus, & auxilio ſibi dato non utens*, ſive illud impediens, nè potiatur effectu.

4 S. Bonaventura in 2. diſt.26. q. ultima ad 1. *Sicut voluntas movet ſe ipſam ad opera naturalia; ſic adjuta per gratiam movet ſe ipſam ad opera meritoria.*

5 Scotus in 1. diſt.40. quæſt. unicâ. *Iſte qui eſt prædeſtinatus, poteſt damnari; non enim propter ejus prædeſtinationem voluntas ejus confirmata: & ita poteſt peccare, & ita pari ratione in peccato ſtare finaliter*, ſive gratiam finalem abjicere, ſeu impedire.

5 Albertus Magnus 1. parte, quæſt.63. Memb.3. art.2. *Licèt prædeſtinatio præparet iſti gratiam, & gloriam; tamen, quia iſte liberi arbitrii erit, & poteſt ponere obſtaculum Spiritui Sancto, & operationi Divinæ, poteſt impedire, nè conferatur ei gratia, & gloria.* Quamvis hominis malitia nunquam tanta ſit, quanta miſericordia Dei pro peccatoribus etiam maximis mortui, neque impedire poſſit nè ulla unquam ei oboriatur bona à Spiritu Sancto ſuggeſta cogitatio, nullum ab eo immiſſum habeat conſcientia ſtimulum, nullam ad bonum aliquod excitationem in rebelli ſentiat voluntate; poteſt tamen gratiam ſanctificantem impedire ſemper, multis gratiis actualibus obicem ponere, mentem aliò avertere, claudere quaſi oculos Divino lumini, excæcare ſe tandem, ac penitùs obdurare. Semper itaque actum ſalutarem, ad quem cujuſvis gratiæ prævenientis auxilia ordinantur, poteſt homo non ponere, & impedire eorum effectum, gratiam ſanctificantem, & gloriam. Atque ita non omnis gratia Alberto Magno talis eſt, ut impediri effectus ejus nequeat.

6 Huic interpretationi conſentiunt omnes Thomiſtæ. Videri poſſunt Cajetanus 1.2. q.3. a.1. Ferrarienſis 3. contra gentes, capit. 159. Dominicus Soto in explicationibus ſuarum opinionum ad finem lib.4. ſent. Poſt illos Balthazar Navarrete etiam Thomiſta in 1. par. q. 19. art. 8. controv.19. ſic enuntiat: *Licet auxilium ſufficiens ſæpe numero præcedat tempore actualem operationem, tamen non tribuitur per modum habitûs; ſed per modum impellentis ex parte ſuâ ad operationem, cui tamen impulſui multoties reſiſtit. Aſſerit ergo noſtra propoſitio, quòd collato auxilio ſufficienti, ſi homo non reſiſtat, Deus ex ſua liberalitate confert auxilium efficax tanquam complementum actuale.*

7 Joannes à S. Thoma tom.2. in 1. part. ad quæſt.23. diſp.10. a 3. *In primo inſtanti usûs rationis omnes accipiunt ſufficiens auxilium, ad acceptandam legem, & ad res fidei implicitè tum propoſitas: aliqui tamen non accipiunt auxilium ſufficiens ad explicitè & particulariter credendum, & hoc ex culpâ ſuâ, quia reſiſtunt priori auxilio, nec volunt acceptare legem, neque converti ad Deum.*

8 Si Queſnellus audire malit Doctores Lovanienſes, horum agmen ducit Adrianus VI. Romanus Pontifex. quodlib.7. qu.1. versùs finem: *Plurimorum*, inquit, *manus à Deo apprehenduntur, qui tamen extra puteum non trahuntur, quia ſeipſos juvare non ſatagunt; ut ſi jacenti in puteo chorda porrigitur, qua ſe valeat liberare; ſed quia laboris piget, aut pœnam refugit, ſuâ culpâ, non offerentium reſtem, in puteo perſeverat.*

9 Joannes Driedo *de Redemptione generis humani* tract.4. cap.2. *Quemadmodum jam ex duobus æqualiter juſtis contingit alterum libero arbitrio à gratiâ deficere, conſentiendo deſideriis carnis ſuæ, alterum eodem libero arbitrio, innixum Dei auxilio perſeverare: ſic ex duobus adhuc impiis æqualiter indignis, æqualiter divinis inſtinctibus pulſatis, atque admonitis, aut ad Fidem, aut ad cordis pœnitentiam, contingit alte-*

alterum non reluctari; ſed locum dare pulſanti Deo: alterum verò reſiſtere, & permanere in obſtinatione ſua voluntatis. Habuit hic, qui ſic vocatus reſiſtit, in poteſtate ſua non reſiſtere: alioqui neque peccaret, neque ſibi meritum ſupplicii faceret reſiſtendo.

10 Ruardus Tapperus art. 7. contra Lutherum prop.7. *Deus non flectit voluntatem ad alteram contradictionis partem determinando, niſi ſuaſione, & inſpiratione, quam etiam liberum eſt homini ſemper ſequi, & negligere, per quam ipſe operatur in cordibus noſtris velle, & perficere.*

11 Ibidem Propoſitione 10. *Quod ex ſimiliter tractis, & interiùs in corde vocatis, unus credit, & convertitur, contingere poteſt ex ſola arbitrii divinitus præparati libertate: nec aliter contingere poteſt, ſi ſimiliter ſunt affecti, & vocantur ſecundùm quod apti ſunt ad ſequendum; omnibus namque poſitis, quæ præcedunt, & requiruntur ad Fidem, & converſionem, libera manet voluntas, nullaque inducitur neceſſitas, ſe determinandi ad credendum, vel ſequendum vocationem, nec ad oppoſitum.*

12 Cornelius Janſenius Epiſcopus Gandavenſis cap. 90. *Sinè præveniente Dei gratiâ bene quidem velle non poſſumus; ſed prævenientem Dei gratiam nulla neceſſitate amplecti cogimur, ſed liberum eſt amplecti, vel non.*

13 Joannes Malderus Epiſcopus Antverpienſis in Antiſynodicis cap. 8. *Omnino dicendum eſt, poſt Dei operationes in hominis poteſtate manere regenerari, vel non regenerari: converti, vel non converti, & gratiâ efficaci non tolli libertatem noſtræ voluntatis in conſenſu, ad quem nos excitat.* Vide eumdem 1. 2. qu.111. art.3.

14 Joannes Wiggers 1. 2. qu. 3. art. 3. *Agnoſcenda hujuſmodi divinæ gratiæ auxilia, quibus Deus homines prævenit, & incitat, atque adeò ſufficientes vires præbet, ſive ad malum vitandum, ſive ad bonum operandum; quæ ab hominibus tamen negliguntur, nec conſequuntur effectum.*

CAPUT VI.

A quibus Authoribus Queſnellus doctrinam propoſitionis decimæ, & aliquot ſimilium diſcere potuerit.

1 AUthorem nobis Queſnellus Spiritum Sanctum deſignat propoſitionis ſuæ, tribuens ſenſum illi Matthæi 20. v. 34. *Miſertus autem eorum Jeſus, tetigit oculos eorum; & confeſtim viderunt, & ſecuti ſunt eum.* Ita juxta novum interpretem operatur Deus per gratiam omnes actus noſtros ſalutiferos, ſicut per manum Chriſti reddidit viſum cæcis: atqui redditio iſta viſûs eſt operatio manûs omnipotentis Dei, quàm nihil impedire poteſt, aut retardare. Ergo talis eſt operatio gratiæ; ſive ut Queſnellus exprimit; *Gratia eſt operatio manûs omnipotentis Dei, quàm nihil impedire poteſt, aut retardare.* Novo huic interpreti reſpondeo cum omnibus Catholicis, operationem eſſe planè diſparem; nam redditio viſûs eſt operatio ſolius Dei, non cooperantibus cæcis, etſi ab eis priùs petita: multò minùs eſt actus ipſorum liber, quo laudem, & præmium mereantur. Si igitur ex redditione viſûs colligere nos velit Queſnellus efficaciam, & modum operationis Divinæ gratiæ, omnem pariter cooperationem noſtram, & libertatem, omne meritum operibus bonis adimet, utpote quæ erunt opera ſolius Dei, ut eſt redditio viſûs in cæcis. Sic dicere cum Calvino poterit in antidoto Concilii Trid.ſeſſ.6. *Nihil laudis refundi in liberum arbitrium ex bono opere; ſed totum Deo tribuendum.* Et cum Luthero tomo 1. in reſolutione propoſitionum Lipſienſium concl.2. *Fruſtrà garritur diſtinctio ſophiſtarum, actum bonum eſſe totum à Deo, ſed non totaliter; eſt enim totus, & totaliter à Deo.*

2 Si conſectaria Queſnello odioſa appareant, imputet inſigni ſuo in Scripturam commentario. Saltèm ægre non feret, ſi Propoſitionis decimæ, & plurium ſimilium doctrinam hauſiſſe eum ex Janſenio ſuſpicemur. Quanti enim Epiſcopum illum, atque ejus doctrinam faciat, facilè apparet ex variis Queſnelli ſcriptis, quæ referuntur in proceſſu juridico contra eum apud Archiepiſcopum Mechlinienſem inſtituto, & ejuſdem authoritate in lucem edito anno 1704. Janſenius autem tom. 3. lib. 2. cap. 9. *Cùm,* inquit, *adjutorii gratiæ uſus, & non uſus, actio, & ceſſatio libertati ſubditur; vel cæcis manifeſtum eſt, impoſſibile eſſe, ut ſit aliud adjutorii genus, quàm poſſibilitatis, quod Pelagianus error aſſeruit.* Ibid. cap. 3. *Nullum adjutorium gratiæ, cujus uſus ita ponitur in arbitrio voluntatis, ut illo utatur, aut non utatur: ut illud amplectatur, aut deſerat, ut illi conſentiat, aut non conſentiat, ſi voluerit, ad medicinale adjutorium ullo modo pertinère poteſt.* Ibid. cap. 4. *Adjutorium gratiæ ante lapſum Adæ tale erat, ut ab ipſo liberæ voluntatis nutu penderet: Salvaque maneret illa libertatis in utramque partem flexibilis indifferentia: nunc verò tale eſt, quod ſuapte efficaciâ faciat influere facultatem, nec ipſius libero arbitrio ſubjaceat: Sed hoc ipſo quo datur, ſimul uſus ejus, & influxus detur: ſicut hoc ipſo, quo adeſt juſtitia, fit juſtus animus.*

Si

3 Si verò ſententiæ illius originem altiùs repetamus, præter Lutherum ſuperiùs memoratum, inveniemus eam in Calvino tanquam novam tradi, aut ſaltèm tanquam multis ſæculis Eccleſiæ incognitam. Sic lib. 2. inſtitut. cap. 2. §. 10. *Gratia*, inquit, *voluntatem movet, non qualiter multis ſeculis traditum eſt, & creditum, ut noſtræ poſtea ſit electionis, motioni, aut obtemperare, aut refragari; ſed illam efficaciter afficiendo.*

4 Idem in Antidoto Tridentinæ ſeſſionis 6. ſub initium: *In eo ballucinantur* (Patres Tridentini) *quod motum nobis offerri ſomniant, qui mediam electionem nobis relinquat; nihil autem de efficaciâ illâ cogitant*. Ibid. *Denique in eo falluntur, quod nullum obſervant inter regenerationis gratiam, quæ nunc miſeriæ noſtræ ſubvenit, & primam, quæ Adæ data fuerat, diſcrimen .... quod deſereret, cùm vellet &c.*

5 Idem habet Lutherus in Gen. cap. 2.

6 Rurſus Calvinus lib. 2. inſtitut. cap. 3. §. 10. *Talem fuiſſe hominis adhuc ſtantis conditionem concedimus, ut potuerit in alteram partem inclinare; ſed cum ſuo exemplo docuerit, quàm miſerum ſit liberum arbitrium, niſi Deus in nobis & velit, & poſſit, quid fiet nobis, ſi ad eum modulum ſuam gratiam nobis impertitur?*

7 Contra-remonſtrantes Calviniſtæ in ſpecimine art. 75. *Hæc gratia* (omnis ſcilicet, quæ datur in ſtatu naturæ lapſæ) *meritò dicitur irreſiſtibilis, quia non ſolùm reſiſtentiam, & duritiem à corde hominis reipſa aufert; ſed ipſam avertit reſiſtendi potentiam; qui enim convertuntur, reſiſtere non poſſunt ablationi hujus reſiſtentiæ.*

8 Iidem art. 72. *Gratia, cujus virtute, qui vocatur interiùs homo, venit, adeò eſt efficax, & omnipotens tractio, ut ita tracti homines, ejuſmodi tractioni reſiſtere, nec velint, nec poſſint, nec velle reſiſtere queant.*

9 Similia plura habent in Synodo Dordracena articulo 8. 10. &c. Quàm Calviniſtarum Synodum Janſenius legiſſe ſe teſtatur, & laudat in epiſtola ad Joannem Vergerium Abbatem Sancyranum datâ anno 1620; cui Conciliabulo, cùm in plerìſque adeò conformia in ſuo Auguſtino Janſenius doceat, ſuſpicio non levis tum Catholicis, tum ipſis hæreticis eſt, eum doctrinæ ſuæ non parum ex illa pſeudo-ſynodo deſumpſiſſe. Joannes Franciſcus Ottius Calviniani verbi miniſter Tigurinus in oratione de cauſa Janſeniſticâ ſic Janſenianos affatur: *Quid ſi Janſenio veſtro Patrûm Dordracenſium Canones Auguſtinum intentiùs inſpiciendi cauſam attulerint? Quia eadem diſputationis materia, idem ferè tempus, vicinitas, &c.*

10 Videtur doctina eſſe Propoſitionis 10. in Queſnello damnatæ, quàm in Janſenio ita laudabat Paulus Calonus Leerdamenſis in Hollandia Prædicans Calvinianus in epiſtola ad Janſenii fratrem Catholicum ſcripta 13. Februarii 1641. *Continet liber hic* (Janſenii) *defenſionem unius ex præcipuis religionis verè Chriſtianæ articulis ſub nomine S. Patris Auguſtini. Iſtud ipſum dogma eſt, quod apud nos conſtanter traditur, & prædicatur: pro cujus defenſione dilectiſſimus Frater tuus, teſtatur ſe multa Lovanii ſuſtinuiſſe prælia, multa indigna perpeſſum .... Gratias ago Deo, & agam publicè pro tam propitio lumine, quo Fratris tui intellectum illuſtrare dignatus eſt.*

11 Joannes De labadie ex devoto Janſeniſta Ambianenſi, factus Montalbani publicus Calviniſmi miniſter, ac dein novæ Sectæ apud Batavos hæreſiarcha, eamdem Janſenii de gratiâ doctrinam mirificè prædicat in epiſtolâ ad ſuos aliàs Confratres: „ Noſtis (inquit) quod „ eorum eſſem è numero, qui Janſeniſtæ ap- „ pellantur, quales & vos eſſe mihi perſpe- „ ctum eſt. Facilè deprehendetis, omnes (Jan- „ ſeniſtas) aut prorſus, aut partim conſenti- „ re Reformatis, ſolo illos timore, aut puſil- „ lanimitate retineri; humanos eis dominari reſpectus. „ Et paulò ſuperiùs „. Re- „ verâ ſuppoſitâ doctrinâ de prædeſtinatio- „ ne, & gratiâ, qualem Janſenius explicat, „ quamque ſolam oſtendit eſſe veram, & or- „ thodoxam, prorſus eadem eſt, & integra „ doctrina Eccleſiæ Reformatæ. Sola diver- „ ſitas eſt in quodam loquendi modo, de quo „ indubiè brevi inter partes conveniet. Quæ „ cùm ita ſint, nonne hoc eſt pluſquam ſemi- „ reformatum eſſe? Nonne hoc eſt cum Cal- „ vino admittere liberum arbitrium ſervum, „ concupiſcentiam dominantem, neceſſita- „ tem ad malum, Jesum Chriſtum liberato- „ rem electorum tantùm, impotentiam im- „ plendi mandata &c.?

CAPUT VII.

Solutio Objectionum.

1 Duos Scripturæ textus objicit Hexaplorum Author: ex pſalmo 113. v. 3. *Deus autem noſter in Cœlo omnia quæcunque voluit fecit*. Et ex pſalm. 134. v. 6. *Omnia quæcunque voluit Dominus fecit in Cœlo, in terra, in mari, & in omnibus abyſſis.*

2 Nihil amplius continet citata ab eodem epiſtola Africanorum; *Semper quippe voluntas Dei omnipotentis impletur; quia poteſtas ejus nullatenus vincitur: ipſe eſt enim, qui omnia quæcunque voluit, fecit in Cœlo, & in terra, in mari, & in omnibus abyſſis: cujus voluntati nemo*

Digitized by Google

nemo reſiſtit. Plus verò aliquid locus Auguſtini de correptione, & gratia cap. 14. ubi non ſolùm aſſeri videtur voluntas Dei ſemper obtinens effectum, ſed etiam tolli rebus omnibus inferioribus poteſtas quidpiam à Deo volitum impediendi. Sic enim ibi Sanctus Doctor: *Cùm autem homines per correptionem in viam juſtitiæ, ſeu veniunt, ſeu revertuntur, quis operatur in cordibus eorum ſalutem, niſi illo qui, quolibet plantante, atque rigante, & quolibet in agris, atque arbuſculis operante, dat incrementum Deus: cui volenti ſalvum facere, nullum hominis reſiſtit arbitrium? Sie enim velle, & nolle in volentis, aut nolentis eſt poteſtate, ut divinam voluntatem non impediat, nec ſuperet poteſtatem .... Non eſt itaque dubitandum, voluntati Dei, qui in cœlo, & in terra, omnia quæcunque voluit, fecit, & qui etiam illa, quæ futura ſunt, fecit, humanas voluntates non poſſe reſiſtere, quo minùs faciat ipſe quod vult.*

3 Hæc contra communem Eccleſiæ doctrinam de voluntate Dei ſalvandi omnes homines pridem congeſsêre Calviniani, quos ſecutus eſt Janſenius, & Janſenianus, ac Bajanus de gratia Catechiſmus Gallicus, quem anno 1650. Sedes Apoſtolica condemnavit: *Quia in eo continentur quamplures ſententiæ aliàs per felicis recordationis Pium V. Gregorium XIII. & Urbanum VIII. damnatæ*. In cenſura non fit mentio quinque Propoſitionum Janſenii, quia hæ nonniſi triennio poſt ab Innocentio X. proſcriptæ ſunt. Catechiſmus ille interrogat quæſt. 66. *Vultnè Deus ſolos electos ſalvos fieri?* Reſpondet: *Ita. Eos tantùm ſalvare vult, quos prædeſtinavit: at ſolos electos prædeſtinavit. Si vellet omnes, ac ſingulos homines ſalvare, omnes reipſa ſalvarentur: quia omnia quæcunque vult in cælo, & in terrâ, facit; nec eſt, qui poſſit ejus reſiſtere voluntati*. Propter quam & ſimiles aſſertiones, aliaſque non ſaniores, adeò Catechiſmus ille placuit Calvinianis, ut Samuel Mareſius notis illuſtratum, & ornatum encomiis eum novis typis donarit, *in uſum*, ut ajebat, *Eccleſiæ Reformatæ*. Hieronymus Zanchius Calviniſta de prædeſt. cap. 6. *Cùm*, inquit, *Dei voluntas nulla ratione impediri poſſit, & ſit omnipotentiſſima, idcirco nullo modo dici poteſt, Deum ſimpliciter, & propriè velle omnes in univerſum homines ſalvari*. Ibidem: *Cùm voluntas Dei ſit omnipotentiſſima, profectò ſi ſimpliciter vellet omnes ſalvos fieri, omnes ſalvi fierent ..... ideo Pſalmo* 113. *dicitur: Quæcunque voluit Dominus fecit in cœlo, & in terrâ*. Andreas Willetus, vulgò dictus Calvini abbreviator in Synop. Papiſmi lib. de reparat. generis humani pag. 145. *Si Deus omnes homines ſalvos fieri vellet, cur non omnes ſalvarentur? Nam ejus voluntati quis obſiſtit? Neque hic vetuſtiorum Pelagianorum valet effugium, Dei voluntatem non impleri, ſcilicet quia homo adverſatur; ita enim Deo homines potentiores conſtituerentur*.

4 His inter ſuos celebrior Theodorus Beza in Apologia colloquii Mompelgartenſis: *Si verè, & ſimpliciter Deus vellet omnes ſalvos fieri, omnes neceſſariò ad ſalutem perducerentur, quia voluntas ejus eſt omnipotentiſſima*. Sed nunc adverſario directiùs reſpondeamus. In textu Auguſtini callidè omittitur, quod eſt de peccatoribus contra Dei voluntatem facientibus; *de his enim*, inquit Sanctus, *qui faciunt, quæ non vult, facit ipſe, quæ vult*, eos puniendo. Atque hac ratione facilè explicari poteſt quorumdam ſententia aſſerentium, omnem Dei voluntatem efficacem eſſe, dum eam, quæ antecedens dicitur, ſtatuunt conditionatam, ac disjunctivam. E.G. *Volo, ut Judas non prodat Chriſtum, ſed perſeveret in juſtitia, ad quod ei ſufficientiſſima ſubminiſtrabo auxilia, atque adeò volo, ut ſalvetur, ſi modo & ipſe velit, auxiliis utendo oblatis, ut poteſt; vel ſi nolit, graviſſimis in inferno torqueatur ſuppliciis*.

5 Quæ Dei voluntas, ſi Judas gratiis à Deo oblatis uſus fuerit, conſequitur effectum, ſed & ſi gratias reſpuendo traditor eſſe voluerit, nec reſipiſcere, non ideo voluntatem Dei prorſus eluſerit, ſed hæc, proditorem puniendo, manebit invicta. Quemadmodum ſcilicet in actibus intellectûs enuntiatio disjunctiva vera eſt, ſi vel una ex centum disjunctivis partibus veritati conſonet, ita & in actibus voluntatis tota disjunctiva volitio cenſebitur efficax, ſi vel una ex partibus ſub disjunctione volitis, vel imperatis ſortiatur effectum. Hoc ſenſu cum voluntate Dei ſemper invictâ conſiſtunt gratiæ ſufficientes, quarum effectus non retardantur ſolummodo, ſed penitùs impediuntur, non à voluntate Dei, etiam erga reprobos benignâ, ſed ex pervicaciâ hominum divina beneficia contemnente.

6 Qui voluntatem divinam explicandi modus, etſi quoad rem contrarius non ſit communi, meliùs tamen Scholaſticorum Principes Angelicus, & Seraphicus cum Damaſceno voluntatem Dei, in antecedentem, conditionatam, inefficacem, & conſequentem, abſolutam, eamque efficaciſſimam diſtinguunt. Etſi nempe disjunctiva volitio ratione unius partis efficax appelletur, non obeſt tamen, quin erga Judæ in bono perſeverantiam, & ſalutem, complectatur certum divini beneplaciti affectum, inefficacem quidem re-

ſpe-

Digitized by Google

ſpectu finis ultimi, efficacem nihilominus reſpectu mediorum ſufficientium, quæ ex illo Deus Judæ præparaverat, & partim largitus eſt, partim obtulit, quibus Judas, ſi voluiſſet, ut poterat, finem ultimum tenuiſſet.

7 *Secundùm Damaſcenum*, inquit S.Th.in 1. d.46.q.1.a.1. *Verbum Apoſtoli* (Deus vult omnes homines ſalvos fieri) *intelligitur de voluntate antecedente, & non de conſequente. Sed ſecundùm Auguſtinum intelligitur de conſequente.* Unde etſi primo verborum aſpectu appareat, nulla tamen eſt in ſenſibus oppoſitio, ut oſtendit S.Thomas in 1.Tim.cap.2. lect.1. Et de hoc nos, loco proprio, pluribus differemus. Duo hic interim notatu digna ſunt: primum, quod quæcunque hic nobis ex Africanorum Antiſtitum epiſtola, ex Auguſtini lib. de correp. & gratia cap.14. & lib. 1. Operis imperfecti objiciuntur, objecta pridem ſint à Janſenio, & clariſſimè ſoluta à Stephano De Champs lib.3.de hæreſi Janſen.diſput.7.c.16. Alterum eſt, quod ibidem etiam obſervatur; nihil hic nobis à Janſenio, & ejus ſequacibus opponi, quod non ipſi priùs ſibi noverint diſſolvendum. Non enim ſolummodo poſt Angelorum, & primi hominis peccatum cœpit voluntas Dei eſſe omnipotens,& invicta; reſtitiſſe tamen malos Angelos voluntati Dei antecedenti, quam habuit erga perſeverantiam, & ſalutem omnium, atque ad hanc conſequendam media illis copioſiſſima ſuppeditaſſe,fateri cogitur ipſe Janſenius lib.10. de gratia Chriſti cap.1. *Habuit Deus*, inquit, *generalem voluntatem benevolentiæ ergà omnes Angelos,ex qua,quantum in ſe eſt, omnium beatitudinem æternam voluit, omnibuſque propterea beatitudinis conſequendæ media ſufficientiſſima largitus eſt.*

8 Inſulsè quidem Janſenius lib.1.de gratiâ Chriſti cap. 19. explicat Damaſceni ſententiam, quaſi aliud non velit, quàm Deum voluiſſe omnes homines ſalvos fieri ante prævisum Adæ peccatum, atque hanc Damaſceno eſſe voluntatem antecedentem, non autem eam,quæ in adultis præcedit liberum eorum in peccata conſenſum, aut quæ in parvulis mortem cum peccato originis obitam prævertat. Inſulſa, inquam, Janſeniana hæc interpretatio eſt, & teſte Angelico, Seraphico, & cæteris paſſim Catholicis Scriptoribus, Damaſceni ſenſui minimè conveniens. Sufficiat autem,voluntatem Dei aliquam inefficacem eſſe, & tamen media ſufficientia ſubminiſtrantem,vel in adverſariorum principiis agnoſcendam: atque adeò vel caſſo ictu in nos jactari ſpicula ex Scripturis, & Auguſtino, vel iiſdem impeti, & corruere adverſarios.

9 Et quidem certum eſt,Scripturas agnoſcere voluntatem in Deo ſinceram, & media præparantem neceſſaria, quibus homo uti valeat, & ad juſtitiam, ac beatitudinem pervenire; ſed quæ ejus vitio repudientur, atque ita benigniſſimus Dei in illum affectus optatis ſucceſſibus deſtituatur. Quod facillimum foret,centenis tum Novi, tum Veteris Teſtamenti clariſſimis textibus comprobare. Aut enim datur in Deo talis inefficax voluntas, qualis à Doctore Angelico, & Seraphico, duce Damaſceno, antecedens vocatur, aut à mendacio nullus expediet illud æternæ veritatis apud Matth.cap.21. v. 28. teſtimonium: *Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos ſuos ſub alas,& noluiſti!* ideoque congregati non ſunt, ſed v. 38. *Ecce relinquetur Domus veſtra deſerta.* Quod allegoricè dictum eſt de vocatione Judæorum ad fidem, & ſalutem, ab iis pervicaciter, & in ſuum repudiatâ exitium, ut Catholici omnes expoſitores intelligunt.

10 Doloſa profectò, & Chriſto indigniſſima vocatio eſt, qua Matth.11.v.28. *Laborantes & oneratos omnes* ad ſe vocat, ſi non miſeros omnes, & peccatores omnes venire voluerit, quorum tamen plurimi venire neglexerint, atque hac parte inutilem ſibi amantiſſimi Salvatoris vocationem, divinamque benevolentiam reddidère. Quomodo Deus *non vult aliquos perire, ſed omnes ad pœnitentiam reverti* 2. Petri.3. v.9.? Quomodo Deus omnibus inculcari peccatoribus vult illud Ezechiel. 33. & quodammodo cum juramento, *Vivo ego dicit Dominus, nolo mortem impii, ſed ut convertatur impius à via ſua, & vivat: convertimini, convertimini*: Et cap. 18. *Nunquid voluntatis meæ eſt mors impii, dicit Dominus Deus, & non ut convertatur à viis ſuis, & vivat, ... Quare moriemini domus Iſrael? Quia nolo mortem morientis,dicit Dominus: revertimini, & vivite.* Quomodo mortem morientis non vult Deus, ſed ut à via peſſima revertatur, & vivat; ſi nullius morientis vitam, ut adverſarii ſtatuunt, voluerit? Si ſenſus adverſariorum, ſenſus Dei eſt, habebunt reprobi, quod conquerantur de Deo, veluti fallaci, & doloſis invitationibus ad juſtitiam, & beatitudinem eos toties vocante,quos venire noluerit; ſed mediis neceſſariis deſtitutos reliquerit, abſque ullâ pœnitendi, ut oportet, juſtitiam recuperandi, in eaque manendi poteſtate? Tantam Scripturarum lucem nullæ adverſantium offuciæ tenebris involvere, niſi apud cæcutire volentes, poterunt.

11 Num etiam Queſnellus voluntatem in Deo ſenſu communi, & Catholico antecedentem, deſideratiſque à Deo effectibus

carentem, negabit indicatam in hoc Prov. I. *Convertimini: en proferam vobis ſpiritum meum .... Quia vocavi, & renuiſtis: extendi manum meam, & non fuit qui aſpiceret, deſpexiſtis omne conſilium meum, & increpationes meas neglexiſtis?*

12 Sed in re manifeſtâ fruſtrà prolixior ſim: qui etiam volitiones iſtiuſmodi, malitiâ hominum inefficaces apud Auguſtinum videre voluerit, adeat De Champs lib. 3. diſp. 7. cap. 13. hoc titulo *Clariſſimis S. Auguſtini teſtimoniis oſtenditur, Deum velle omnes, & ſingulos homines ſalvos fieri*; è quibus plurimos ſalute excidere, nimis compertum eſt. Sed de hoc etiam nobis, ubi propoſitionum materia magìs propria exegerit, pluribus poſtea diſſerendum.

13 Hactenus ab Hexaplis objecta ad ſolam pertinent voluntatem Dei, nullâ factâ gratiæ mentione, quam damnata propoſitio ab obſtinatis ſui vindicibus præcipuè poſtulabat; nam, etiam conceſsâ efficacitate omnibus Dei volitionibus, ut plura volita ſub disjunctione, vel conditione complectentibus, utì ſuperiùs explicatum eſt, non propterea omnis gratia ſufficiens, & inefficax, à ſcholis Catholicis aſſerta ſubvertitur, nec damnatus Queſnelli ſtabilitur articulus, qui non ſolùm manui Numinis omnipotenti, ſed & cuilibet ejus operationi, cuilibet gratiæ tribuit, quòd eam *nihil impedire valeat, aut retardare*. Hic ſenſus propoſitionis in omnium ſtatim oculos ſponte inſiliens, à nullo Catholico poſt Innocentii X. contra 5. propoſitiones anathema, defendi potuit. Defenſus quidem à Queſnello eſt, qui etiam poſt iteratam à Clemente XI. ſententiam tueri eum contumaciùs perget, niſi aliqua tandem Omnipotentis Dei manûs operatio rebellem ad ſaniora conſilia inflexerit voluntatem, atque hoc Deus tam in Catholico cujuſcunque ſcholæ, quàm in hæretico Calvini, Janſenii, Queſnelli ſyſtemate poterit. Verùm dum talem à Deo gratiam efficaciſſimam petimus, & meritò petit Pariſienſis Eccleſia oratione poſt communionem in Miſſa de converſione S. Pauli, & in hymno ejuſdem feſti, non tamen Eccleſia iſta, neque ulla Catholica affirmat, omnem gratiam, quæ in humanum genus poſt primi hominis lapſum diffunditur, ſic efficacem eſſe, & omni rebellione ſuperiorem.

14 Agnoſcimus cum Auguſtino lib. de corrept. & gratia cap. 14. *Deum ſinè dubio habere humanorum cordium, quocunque placuerit, inclinandorum omnipotentiſſimam poteſtatem, & non eſſe dubitandum voluntati Dei, qui in Cœlo, & in terra omnia quæcunque voluit, fecit, humanas voluntates non poſſe reſiſtere, quo minùs faciat ipſe, quod vult* abſolutè, & efficaciter; *quandoquidem de ipſis voluntatibus quod vult, cùm vult, facit*. Et ut libro I. ad Simplicianum q. 2. idem S. Doctor ait: *Cujus miſeretur, ſic eum vocat, quomodo ſcit ei congruere, ut vocantem non reſpuat*.

15 Infinitas ſcilicet in theſauris ſuis gratias Deus poſſidet, ita ſingulorum hominum voluntatibus congruas, ut quamvis rejicere eas poſſint, non tamen futurum ſit, ut rejiciant: quapropter Deus ſcientiâ nulli obnoxiâ errori, nec inimicâ hominis libertati, tam certus prævidet, ſe eâ gratiâ ab homine obtenturum conſenſum liberum, quàm ſi neceſſitante Janſenii gratiâ eum ad conſentiendum adigeret. Infallibilitas autem, & qualiſcunque effectûs ex tali gratiâ profluentis neceſſitas apparens, non propriè dicta, & antecedens eſt, ſed impropria, & merè conſequens liberum voluntatis exercitium, vel juxta ſcholam Thomiſticam merè conſequens cauſam liberi voluntatis exercitii. Sed neque omnis gratia, neque omnis vocatio Auguſtino talis eſt. Illa magìs ad electos pertinet: alia reproborum eſt, de quibus Auguſt. l. 83. quæſtionum q. 68. dicit: *Nec illi, qui noluerunt venire, debent alteri tribuere; ſed tantùm ſibi; quoniam ut venirent vocati, erat in eorum libera poteſtate*, adeòque eis gratia non deerat, niſi Auguſtinum feceris Pelagianum, qui *liberam* ſalvandi ſe *poteſtatem* hominibus ſinè gratiâ obtingere prædicaret.

16 In Hexaplis Poëta Gallicus ex Proſpero decantat, *Rien ne fait reſiſtance à ſon puiſſant ſecours*. Nihil potenti ejus auxilio reſiſtit. Verùm quid in eo eſt, niſi quod de potenti, ſeu efficaci gratiâ omnes Catholicorum ſcholæ conſenſu docent maximè unanimi, nullam efficacem gratiam deſtitui effectu, eam à nemine rejici, & à nemine quantumlibet indurato ei reſiſti. S. Proſperum agnoſcendam omnibus prædicare voluntatem Dei, ſalvandi omnes homines, atque adeò inefficaces in multis gratias, videbimus in examine Propoſitionum eò pertinentium.

17 Quoſdam hic Janſenianos politicos nihil moror, quorum omnis erga Pontificias contra Bajum, & Janſenium Bullas reverentia, in non nominando Bajo, nec Janſenio ſita eſt, & dum nullum in Janſenio errorem noſcere volunt, ſed eorum ubique erroribus, non ſubmiſſioni inſiſtentes, Formularium cane pejùs, & angue oderunt; tamen ut Catholicos fallant, ajunt, gratiæ interiori in ſtatu naturæ lapſæ ſæpius reſiſti. Sed ludificationem non ſatìs diſſimulant, cùm reſiſti ajunt etiam gratiæ efficaciſſimæ, reſiſtentiâ nempe conſiſtente in luctâ, non deliberatâ voluntatis; ſed in-

indeliberatâ concupiſcentiæ, quæ poſt peccatum in poſteris etiam ſanctiſſimis, ut de ſe Apoſtolus teſtatur, penè continua eſt. Quid, inquiunt, nonne *lapis reſiſtit impetui*, à quo tamen neceſſario vincitur? Quis igitur negет, gratiis etiam inſuperabiliter, & indeclinabiliter efficacibus reſiſti? Quibus reſponderet Eraſmus: *Saxeis hominibus lapideam iſtam ſervate comparationem.* Non ea reſiſtentia eſt, quæ Catholicos ab hæreticis diſcernat: quis enim vel Calvini, vel Lutheri aſſecla concupiſcentiæ luctam adversùs ſpiritum, ejuſque gratiam inficiatus eſt? Reſiſtentia, quàm Catholici à Summis Pontificibus edocti profitemur, & profiteri neceſſe eſt, deliberata eſt, & homini prorſus libera omni neceſſitate; ideoque ad culpam, & demeritum juſtiſſimè imputanda. Hanc ſolam negavit Janſenius in Propoſitione ſecundâ hæreſeos damnatâ: hanc negat, & Queſnellus articulo 10. pariter proſcripto, & ſatis hìc, ut arbitror, ex Scripturis, Patribus, & deductis indè rationibus Theologicis confutato.

Undecima Propoſitio damnata.

Gratia non eſt aliud, quàm voluntas Omnipotentis Dei jubentis & facientis, quod jubet. *Reflex. Moral. in Marc.* 11. *v.* 11.

CAPUT I.

Propoſitionis error triplex.

1 TRiplicem errorem complectitur articulus. Primum, gratiam nihil aliud eſſe, quàm voluntatem Dei. Secundum, gratiam omnem eſſe efficacem, ſive *facere, quod Deus jubet*. Cùm ſcilicet ea dicatur eſſe natura gratiæ, neceſſe eſt eam omni gratiæ convenire, qui error Propoſitioni 10. conſentiens, ex iis, quæ contra illam pluribus capitibus copiosè deducta ſunt, facilè refellitur, ut eum rurſus convellere ſupervacaneum ſit. Tertius error eſt, quod nulla detur gratia, niſi ad opera præcepta.

2 Contra primum, & tertium hìc diſſerendum eſt. Adversùs primum facit, quod Divina gratia ſit Dei donum infuſum animæ: & quidem actualis gratia eſt auxilium, quo ſupra naturæ ordinem, & vires elevamur ad eliciendos actus naturæ viribus ſuperiores. Gratia illa in intellectu, eſt quædam illius illuſtratio, in voluntate excitatio, accenſio, robur ad eliciendos actus arduos, ſuperandas difficultates, ſive ex humanâ infirmitate, & concupiſcentiâ, ſive ex ſuggeſtione dæmonis, ſive aliunde naſcentes. Talem gratiæ ideam nobis tradit communis Scripturarum, Conciliorum, SS. Patrûm, & Theologorum auctoritas: contra quam, Queſnellus cum ſuis *Gratia*, inquit, *non eſt aliud quàm voluntas Omnipotentis Dei jubentis, & facientis quod jubet*. Illuſtratio intellectûs, & excitatio, accenſio, impulſio voluntatis, affectiones quædam animorum ſunt, in nobis à Deo productæ ſinè nobis liberè concurrentibus. Affectiones autem noſtras eſſe Deum ipſum, nec ſana Theologia aſſeret, nec Philoſophia.

3 Quis enim Philoſophus, viſiones E. G. auditiones, cogitationes, quas in nobis experimur, ſuſtineat nihil dici quàm Deum, aut ejus voluntatem? Porrò Auguſtinus inter gratias numerat viſiones quaſdam, ſuaſiones internas, & vocationem libro de Spir. & litt. cap. 34. *Viſorum*, inquit, *ſuaſionibus agit Deus ut velimus, & ut credamus, ſive extrinſecùs per Euangelicas exhortationes*, quæ auxilia quædam exteriora ſunt, *ſive intrinſecùs, ubi nemo habet in poteſtate, quid ei veniat in mentem; ſed conſentire, vel diſſentire propriæ voluntatis eſt.... His ergo modis, quando Deus agit cum anima rationali, ut ei credat; neque enim credere poteſt quodlibet libero arbitrio, ſi nulla ſit ſuaſio, vel vocatio cui credat; profectò, & ipſum velle credere Deus operatur in homine, & in omnibus miſericordia ejus prævenit nos; conſentire autem vocationi Dei, vel ab ea diſſentire, ſicut dixi, propriæ voluntatis eſt.*

4 Longè plura genera gratiarum ſunt, quibus ad bonum excitamur. Variis, & *miris modis*, inquit Auguſtinus lib. 1. contra 2. epiſt. Pelag. num. 37. homo *trahitur ut velit, ab eo, qui novit intus in ipſis cordibus hominum operari, non ut homines, quod fieri non poteſt, nolentes credant, ſed ut volentes ex nolentibus fiant*. Et quidem memoratæ viſionum, ſuaſionum, vocationum gratiæ ad intellectum immediatè pertinent, plures aliæ ad voluntatem, quas Auguſtinus vocat *concupiſcentiam bonam, cupiditatem boni, dulcedinem, jucunditatem, voluptatem, inſpirationem dilectionis, cœleſtem delectationem, dilectionemque ſummi boni* nempe indeliberatam. Sic lib. de ſpiritu, & lit. cap. 4. *ubi Sanctus non adjuvat Spiritus, inſpirans pro concupiſcentiâ malâ, concupiſcentiam bonam, &c.* Lib. 2. ad Bonifacium cap. 8.

cap. 8. *Benedictio dulcedinis eſt gratia Dei*. Lib. de nuptiis, & concupiſcentia cap. 3. *Gratiam Dei*, ait, eſſe *condelectationem Legi ſecundùm interiorem hominem*. Tract. 26. in Joann. *Voluptate traberis, quid eſt trahi voluptate? delectare in Domino, &c. eſt quædam voluptas cordium, &c.* Gratia appellata *delectatio* ubique occurrit in libris Auguſtini contra gratiæ inimicos, quæ cùm neminem in ejus operibus non penitùs peregrinum latêre poſſint, à ſuperflua citationum multitudine abſtineo.

5 Quis autem Catholicus adeò inſaniiſſe unquam deprehenſus eſt, ut illuſtrationes intellectûs, viſiones, ſuaſiones, aut in voluntate inſpirationes amoris, ſuavitatem, dulcedinem, voluptatem ſanctam, concupiſcentiam boni, & delectationem cœleſtem nihil eſſe præter Deum ipſum, aut ſanctiſſimam voluntatem, ſomniaverit? Motus nempe omnes iſti vitales ſunt in animâ, vel in ejus potentiâ ad illas concurrente, ſed minimè determinante, producti. Ideò neque liberi ſunt, neque capaces meriti, ut merito, demeritoque carent cogitationes quælibet indeliberatæ, & motus in voluntate, quibus ratio, ſeu voluntas libera non conſentit.

6 Robur hominis naturale ſinè dubio forma quædam eſt, quæ in homine, velut in ſubjecto quod afficit, recipitur, quamque nullus aſſerat eſſe ſolam Dei voluntatem. An & paſſiones omnes animæ nihil ſunt à Dei voluntate diſtinctum? Nugas iſtiuſmodi velut confutatione ſeriâ indignas quivis ſanæ mentis explodet. Cur igitur naturæ ordinem tranſcendens robur, quo anima peccato originis ſaucia, & infirma ſanatur, ac valida redditur ad reſiſtendum concupiſcentiæ illecebris, & quibuſcunque ſuſcitatis à dæmone perverſis motibus, nihil ſit in anima productum à Deo, atque à divinâ voluntate ſejunctum? Et quidem in hoc, argumentum à naturalibus ad ſupernaturalia translatum valêre, mox authoritate Doctoris Angelici confirmabo.

7 Quando ita novatoribus placet, auxilium, & robur animæ cum Dei voluntate confundere, quomodo, inquies, Queſnellus propoſitione decima *gratiam* appellat *operationem manûs Dei*? Expedire à contradictione Queſnellum, ipſius eſt, non meum. Et ſatis uſitatum erronibus eſt, ut cùm à Fidei Catholicæ tramite, ac Sedis Apoſtolicæ obedientiâ receſſerint, velut excæcati, aut atræ noctis obſiti caligine ubique ceſpitent, impingant, eant, redeantque viam eamdem ſæpius, neſcii ubi tandem figant veſtigia. In Queſnello tamen non vera, ſed apparens tantùm eſt Propoſitionum oppoſitio: nam *operationem manûs omnipotentis Dei* à manu, ſeu voluntate Dei non diſtinguit, ſicut plures Theologi volitiones Dei liberas à voluntate non ſecernunt. Eum eſſe Queſnelli ſenſum, inducor, ut credam, non ſolùm, quia nemo exiſtimandus eſt ſibi velle contradicere, & quantùm fieri poteſt, conciliandæ explicatione commodâ ſunt unius, ejuſdemque Authoris ſententiæ, non invicem ſinè neceſſitate opponendæ; verùm etiam, quia eum cæteris hæreticis hoc videntur habêre Janſeniani commune, ut voces ſubinde pro fallendi opportunitate mutent, etſi ſenſui non renuntient.

8 Confirmor in hac locutionum Queſnellianarum conciliatrice ſententia, ex eo quod in amica Queſnello *Theologia Morali ad mentem*, ut præfertur, *Magni Auguſtini*, breviter propoſita, & expoſita anno 1711. Antverpiæ parte 1. tract. 5. cap. 1. ſic legam: *Quid eſt gratia actualis in hoc ſtatu naturæ lapſæ? Reſpondeo: Si illam conſideres ex parte Dei, non eſt aliud, quàm ipſe Deus gratuitò in nobis operans bonum velle, & perficere. Si autem illam conſideres ex parte noſtra, aliud non eſt, quam effectus ipſius Dei gratuitò in nobis operantis bonum velle, & perficere .... nec opus eſt dicere, quòd gratia in ſtatu naturæ lapſæ ſit qualitas animæ inhærens; cùm Deus operari poſſit* PER SE IMMEDIATE, *quod operari poſſet mediante iſtâ qualitate: Eſt tamen hæc gratia ex parte hominis donum homini intrinſecum; cùm ſit effectus in homine à Deo operante productus.*

9 Magìs intolerabilis eſt error, ſi, ut Propoſitio omnino illimitata eſt, nomine gratiæ accipiatur, non actus ſolummodo; ſed etiam habitus; itaut etiam gratia ſanctificans aliud non ſit, quàm Deus ipſe, ſeu voluntas ejus omnipotens; quod adverſatur Tridentinæ Synodo ſeſſ. 6. cap. 7. definienti de juſtificatione: *Ejus*, inquit, *unica formalis cauſa eſt juſtitia Dei, non qua ipſe juſtus eſt; ſed qua nos juſtos facit, qua videlicet ab eo donati, renovamur ſpiritu mentis noſtræ, & non modò reputamur, ſed verè juſti nominamur, & ſumus, juſtitiam in nobis recipientes uniquique ſuam, ſecundùm menſuram, quam Spiritus Sanctus partitur ſingulis, prout vult, & ſecundùm propriam cujuſque diſpoſitionem, & cooperationem ..... charitas Dei diffunditur in cordibus eorum, qui juſtificantur, atque ipſis inhæret. Unde in ipſa juſtificatione cum remiſſione peccatorum hæc omnia ſimul infuſa accipit homo per Jeſum Chriſtum, cui inſeritur, fidem, ſpem, & charitatem.*

9 Et pridem S. Thomas 1. 2. q. 110. art. 2.
„ Sed contra eſt (inquit) quod ſuper illud
„ Pſalmi, *ut exhilaret faciem in oleo*, dicit
„ gloſſa, *quod gratia eſt nitor animæ*. Sed ni-
„ tor

„ tor animæ eſt quædam qualitas, ſicut & „ pulchritudo corporis; ergo gratia eſt quæ„ dam qualitas.

10 Et in corp. „ In eo, qui dicitur gra„ tiam Dei habere, ſignificatur, eſſe quidam „ effectus gratuitæ Dei voluntatis.... Du„ pliciter ex gratuita Dei voluntate homo „ juvatur: uno modo in quantum anima ho„ minis movetur à Deo ad aliquid cogno„ ſcendum, vel volendum, vel agendum. Et „ hoc modo ipſe gratuitus effectus in homi„ ne non eſt qualitas; ſed motus quidam ani„ mæ... alio modo adjuvatur homo ex gratui„ ta Dei voluntate, ſecundùm quod aliquod „ habituale donum à Deo animæ infundi„ tur; & hoc ideo, quia non eſt conveniens, „ quod Deus minùs provideat his, quos di„ ligit ad ſupernaturale bonum habendum, „ quàm creaturis, quas diligit ad bonum na„ turale habendum. Creaturis autem natura„ libus ſic providet, ut non ſolùm moveat eas „ ad actus naturales, ſed etiam largiatur eis „ formas, & virtutes quaſdam, quæ ſunt prin„ cipia actuum, ut ſecundùm ſe ipſa incli„ nentur ad hujuſmodi motus, & ſic motus, „ quibus à Deo moventur, fiunt creaturis „ connaturales, & faciles. Multò igitur ma„ gis illis, quos movet ad conſequendum „ bonum ſupernaturale æternum, infundit „ aliquas formas, ſeu qualitates ſupernatu„ rales, ſecundùm quas ſuaviter, & promptè „ ab ipſo moveantur ad bonum æternum „ conſequendum, & ſic donum gratiæ qua„ litas quædam eſt „ non verò ſolus Deus, aut ejus voluntas.

11 Qualitatem hanc non admitti à Queſnello, ſuſpicio multorum eſt, non ſolummodo ex Propoſitionis damnatæ vocibus illimitatis, ſed etiam quia neque in antecedentibus, & conſequentibus, aut univerſis Queſnelli operibus notis apparet quidpiam unde iſtiuſmodi qualitas ab eo unquam agnita colligatur. E' contrario conſtat ex documentis in proceſſu juridico Archiepiſcopi Mechlinienſis art. 3. allegatis, eum Baji placitis adhæſere, laudatorem eſſe Bajanarum lucubrationum, quas typis recentioribus donaverat Gerberonus cum Notis, & vindiciis adversùs Conſtitutiones Apoſtolicas, & prævias Academiarum cenſuras, atque omnes Baji adverſarios.

12 Inter Bajanos autem articulos à Sancto Pio V. Gregorio XIII. & Urbano VIII. damnatos, fuit hic 42. *Juſtitia, quâ juſtificatur per Fidem impius, conſiſtit formaliter in obedientia mandatorum, quæ eſt operum juſtitia, non autem in gratiâ aliqua animæ infuſa, quâ adoptatur homo in filium Dei, & ſecundùm interiorem hominem renovatur, ac divinæ naturæ conſors efficitur, ut ſic per Spiritum Sanctum renovatus, deinceps bene vivere, & Dei mandatis obedire poſſit.* Monitus Bajus de offenſione, & ſcandalo ex hac ejus novitate ortis, frigidè primùm reſpondit, ſe non omnem juſtitiæ habitum negare, cùm non dubitaret, quin, ut actibus naturalibus evenit, quod frequentati efficiant habitum, ita & frequentes actus juſtitiæ habitum generent; verùm hi habitus, ut patet, acquiſiti ab homine, non à Spiritu Sancto infuſi ſunt, quos Tridentinum, Doctor Angelicus, & univerſa cum eis tenet Eccleſia. Erravit itaque in hoc Bajus, ſed humili dein ſubmiſſione errores retractavit: utinam Queſnellus, qui in tam multis errantem ſecutus eſt, non deſerat retractantem!

13 Tertius damnatæ Propoſitionis error eſt, nullam admittens gratiam, niſi *quæ faciat quod jubetur*. Quid enim? Suntnè conſilia euangelica confundenda cum præceptis? vel non ſunt bona, & ſalutifera, ut ad hæc opus gratiâ non ſit? Pauperratem quidem Euangelicam in præceptorum numerum tranſtulit Pelagius apud Auguſt. lib. 2. de peccat. orig. cap. 11. & epiſt. 106. dicens: *Divites baptizatos, niſi omnibus abrenuncient, ſi quid boni viſi fuerint facere, non reputari illis, nec eos habere poſſe regnum Dei.* Sed nimis à Pelagio in ſtatu naturæ lapſæ alieni videntur Janſeniſtæ, vel nimis commodis ſuis addicti, ut credi debeant conſilia Euangelica commutare voluiſſe in præcepta.

13 Odium, & contemptus Religioſorum faciliorem ingereret ſuſpicionem, quod conſilia Euangelica inter bona ſalutifera, ad quæ gratia requiritur, haud numerent. Famoſus quoque Janſenii, & Sancyrani aſſecla Claudius Seguenotius ejuſdem cum Queſnello inſtituti, librum edidit, ut Janſeniani ſolent fallaci titulo *de Virginitate*, in quo inter cæteros errores, ſequentes quatuor tradidit meritò à Sorbonæ Comitiis proſcriptos. Primus deſumitur ex pag. 12. *Qui utuntur hoc mundo, tanquam non utantur, habent meritum Virginum, & cœlibem vitam agentium, & ſunt non ſolùm æquè ſancti, & æquè perfecti; verùm etiam æquè puri, & æquè caſti.*

14 Secundus error ex pag. 18. 19. 21. 51. 96. & 97. *Vota nihil addunt perfectionis: ſunt tantùm imperfectorum: ſæpe ſunt impedimenta aliò vocantis Dei: abuſivè vocantur conſecrationes. Obedientia non eſt opus conſilii: paupertas voluntaria ex voto, excluditur à paupertate Euangelica.*

15 Tertius ex pag. 45. *Opera conſilii ubi inſpirata ſunt, & applicata per inſpirationem huic, vel illi perſonæ, ſunt obligatoria, & tranſeunt in præceptum.*

Quar-

17 Quartus ex pag.59. *Actus generandi, qui exerceretur in ſtatu innocentiæ, haberet tantam efficientiam ſanctificationis, quantam habent noſtra Sacramenta.*

18 Sorbona, ut in ejus actis refertur anno 1638. menſe Junio, & rurſus prima Julii „ librum damnavit, utpote continentem multas Propoſitiones novas, falſas, ſcandaloſas; piarum aurium offenſivas, ab inſignioribus pietatis Chriſtianæ operibus averſivas, quietis animarum perturbativas, communi, & omnino tutæ praxi Eccleſiæ contrarias, & hæreſim redolentes. „ Singulas autem Propoſitiones ſpecialibus notavit cenſuris, ut ſequitur.

19 De prima dixit: *Hæc doctrina hæreſim ſapit.*

20 De ſecunda: *Hæc doctrina, quam adſtruit*, prædictus liber, *in præjudicium votorum Monaſticorum, & depreſſionem ſtatûs Regularium, non tantùm eſt deſtructiva ſancti regularum ſtatûs, & averſiva à propoſito laudabilis vitæ cœnobiticæ; verum etiam falſa eſt, ſcandaloſa, temeraria, & erronea.*

21 De tertia: *Hæc doctrina eſt falſa, periculoſa, conſcientiarum perturbativa, & erronea.*

22 De quarta: *Hæc doctrina eſt ſcandaloſa, temeraria, & Sacramentis novæ legis contumelioſa.*

23 Si omnia opera conſilii, ubi inſpirata ſunt, & applicata per inſpirationem huic, vel illi perſonæ, ſint obligatoria, & tranſeant in præceptum, ut Seguenotius propoſit.3. contendit, intelligi utcunque poteſt, cur Queſnellus nullam niſi ad opera præcepta gratiam agnoſcat, in hoc ſuo damnato dogmate: *Gratia non eſt aliud, quam voluntas Omnipotentis Dei, jubentis, & facientis quod jubet.* Fruſtrà nos tam inauditum Catholicis errorem inſectamur, ſi Queſnellus illum à Spiritu Sancto dictatum in ſacris literis invenerit; ut ſe inveniſſe arbitratur Marci 2.v.11. in his Chriſti ad Paralyticum verbis: *Tibi dico, ſurge: tolle grabatum tuum, & vade in domum tuam.* Verùm quæ comparatio lucis ad tenebras, quæ divini hujus pronuntiati ad triplicem Queſnelli hallucinationem? Sanatio Paralytici opus ſolius Dei eſt, ægro non cooperante, cujus non conſenſum neceſſariò requirit, & fieri poſſet ipſo dormiente, nec homini laudem meretur, aut præmium. Suntnè tales actus noſtri ſalutiferi ope divinæ gratiæ eliciti? Sanatio corporis miraculoſa nullam priùs exigit in corpore diſpoſitionem bonam, nullum gratiæ præſidium, nullas vires prævias ad cooperandum; ſanatio autem ſpiritualis in præſenti ſtatu, & cœleſtium decretorum ordine prærequirit in homine auxilium, quo ſupra naturæ vires elevetur, ac ſanitatem ſibi, Deo adjuvante, reſtituat, ſive, homine liberè concurrente, reſtituat Deus. Quando igitur Queſnellus ex tali antecedente diſparatiſſimo, & nullam cum novitatibus connexionem habente, eas ſibi fingere præſumit, neſcio an aliquod nobis exhibere valeat hæreſeos monſtrum, quod minorem in Scripturis ſibi patrocinii ſpeciem, quàm præſens novitas vindicare poſſit.

CAPUT II.

Hexaplorum argutiæ refelluntur.

1 NULLA cauſa adeò perdita eſt, quàm ingenium pervicax hæreticorum non reſtituere ſperet, & contra quaſcumque cenſuras, contra quæcunque anathemata defendere. Hexaplorum Author irrefragabile Propoſitioni patrocinium pollicetur ex Scripturis, Patribus, Doctore Angelico, atque ipſo libello vulgatiſſimo de Imitatione Chriſti.

„ 2 Ezechielis, inquit, cap.11.v.19.& 20. „ legitur: *Spiritum novum tribuam in viſceribus eorum, & auferam cor lapideum de carne eorum, & dabo eis cor carneum, ut in præceptis meis ambulent, & judicia mea cuſtodiant, faciantque ea.*

„ 3 Ad Philipp.2. v.13. *Deus eſt, qui operatur in vobis & velle, & perficere pro bona voluntate.*

„ 4 Ad Hebr.13. v. 21. *Aptet vos* (Deus „ pacis) *in unum locum, ut faciatis ejus voluntatem, faciens de vobis, quod placeat coram ſe per Jeſum Chriſtum.*

5 Hæc referens Hexaplorum Author, uti & Patrum ſententias, temere velut in cumulum conjicit more ſuo; nihil interpretationis, aut deductionis addens, quo oſtendat, quâ ratione ex verbis, quæ memorat, ſacrorum Codicum collegerit, & colligere nos velit proſcripti articuli doctrinam. Aſtutè is quidem in rem ſuam, & commodè; ſic enim multa qualiacunque teſtimonia conglobando, imperitis faciliùs imponitur, quàm ſi deductione legitimâ, quod impoſſibile foret, in damnati defenſionem dogmatis traheret. Nè tamen nihil luminis attuliſſe cenſeatur, in primo textu verbum *faciam* majoribus diſtinguit characteribus, & in tertio *Faciens de vobis*; ſed hoc ſolo indicio nondum conſpicitur, qui unicus eſt Authoris ſcopus, damnati dogmatis confirmatio. Ego verò totius allegationis ad finem intentum inutilitatem demonſtrandam ſuſcipio. Sed nè frequentior me, & Lectorem fruſtrà fatiget re-

pe-

petitio, (nam, qui Scripturis, idem Patribus eſt ſenſus) ſimul textus omnes objectos, ut ab adverſario cumulantur, uno diſpiciendos intuitu exhibeamus.

,, 6 Auguſtinus lib. de perſever. cap. 20.
,, num. 53. DA QUOD JUBES, ET JUBE QUOD VIS.
,, *Quæ mea verba Pelagius Romæ, cùm à quo-*
,, *dam fratre Coëpiſcopo meo fuiſſent, eo præ-*
,, *ſente, commemorata, ferre non potuit, & con-*
,, *tradicens aliquantò commotiùs, penè cum eo,*
,, *qui illa commemoraverat, litigavit. Quid*
,, *verò nobis primùm, & maximè jubet, quam*
,, *niſi ut credamus in eum? Et hoc ergo ipſe*
,, *dat, ſi bene illi dictum eſt: Da quod jubes.*

,, 7 Idem Sanctus lib. de Gratia Chriſti
,, cap. 24. explicans illud Eſtheris cap. 15.
,, v. 11. *Convertitque Deus ſpiritum Regis in*
,, *manſuetudinem.* Sic obſervat: *Quis autem*
,, *non videat, multò majus eſſe, indignationem*
,, *à contrario in lenitatem convertere, atque*
,, *transferre, quàm cor neutrâ affectione præ-*
,, *occupatum, ſed inter utramque medium in*
,, *aliquid declinare? Legant ergo, & intelli-*
,, *gant, intueantur, atque fateantur, non lege,*
,, *atque doctrinâ inſonante forinſecus, ſed in-*
,, *ternâ, atque occultâ;* MIRABILI, ATQUE INEF-
,, FABILI POTESTATE OPERARI DEUM IN CORDIBUS
,, HOMINUM, *non ſolùm veras revelationes, ſed*
,, *etiam* BONAS VOLUNTATES.

,, 8 Rurſum Auguſtinus contra duas epi-
,, ſtolas Pelagianorum lib. 1. cap. 20. *Quid eſt*
,, *autem, quod Eſther illa Regina orat, & dicit:*
,, *Da ſermonem concinnum in os meum, & ver-*
,, *ba mea clariſica in conſpectu Leonis; & con-*
,, *verte cor ejus in odium impugnantis nos? ut*
,, *quid iſta in oratione dicit Deo, ſi non opera-*
,, *tur Deus in cordibus hominum voluntatem..?*
,, *Nunquid homines, qui hæc ſcripſerunt; imò*
,, *ipſe Spiritus Dei, quo Authore per eos iſta*
,, *conſcripta ſunt, oppugnavit liberum hominis*
,, *arbitrium? Abſit: Sed Omnipotentis in om-*
,, *nibus, & judicium juſtiſſimum, & auxilium*
,, *Dei miſericordiſſimum commendavit.*

11 Prætermitto epiſtolam Africanorum Antiſtitum exulum in Sardinia, quia & longior eſt, omnibus ſimul relatis Auguſtini textibus, & nihil amplius ad quæſtionem ſpectans continet. Præcipua & majoribus ab adverſario litteris notata, ſunt, quòd Deus operetur in ſuis, etiam velle; quòd liberum arbitrium, niſi Deus adjuvet, implere mandata non poſſit; quòd poſtquam Deus in homine operatus eſt, homo, quod debet, faciat, etiam propter Deum.

12 Additur S. Thomas, qui explicans illud 1. Cor. 12. v. 11. *Hæc autem omnia operatur unus, atque idem Spiritus*: Ita concludit: Duos itaque habet gratia effectus, primum quod nos faciat abſtinere à peccato, alterum quod nos faciat operari bonum. Quæ concluſio, etſi neque quoad verba, neque quoad ſenſum reperiatur in commentario S. Thomæ ad locum citatum, nihil tamen complectitur, quod damnato faveat articulo, aut communibus ſcholarum placitis adverſetur.

13 Non plus eſt in illo lib. 3. de Imitatione Chriſti, cap. 30. v. 7. ubi Chriſtus inducitur ſic diſcipulum interrogans. *Nunquid mihi quidpiam eſt difficile? Aut ero ſimilis dicenti, & non facienti?* Id eſt, ut rectè Hexapla interpretantur, ero ſimilis promittenti auxilium, & non præſtanti?

14 Cap. 29. v. ultimo ait Diſcipulus: *Quantò mihi difficilius eſt tentationem abigere, vel eam ſuperare, tantò tibi facilior eſt hæc mutatio dexteræ Excelſi.* Similia adverſarius infinita in libris piis, in Patribus, in Interpretibus Scripturarum obvia reperiet, ut exiguo labore ad ea conquirenda opus fuerit; ſed majore opus eſſet ſtudio, ut ea in damnati articuli patrocinium pertraherentur.

15 Quidquid ſit, hic finis objectionum eſt, niſi quod in quarta columna Hexaplorum dicatur, *Hæc Auguſtini oratio*, DA QUOD JUBES, ET JUBE QUOD VIS, *articuli undecimi condemnatione proſcribi; Quis autem abſque horrore videat convelli Auguſtini dogma, enuntians ad Deum attinere, ut quodcunque imperat, largiatur!*

16 Itane ad Deum attinet tribuere gratias omnibus efficaces, quotieſcunque præcepti urget obligatio? Si ita eſt, O quoties huic ſuo muneri, ſed hactenus ſibi, & Eccleſiæ ſuæ ignoto defuit? Quin deeſt quotidie frequentiùs, quàm illud expleat, cùm longè plures Divinis juſſibus refragentur, quàm obtemperent. Iſai. 5. quærebat Deus *Quid ultra debui facere vineæ meæ, & non feci ei? An quod expectavi ut faceret uvas, & fecit labruſcas?* Reſpondent Hexapla; ad te *attinebat* fructus omnes, quos à vinea expectabas, producere: Te illos non producente, vinea producere non poterat; quia juxta doctrinam ſecundi articuli *abſque gratia efficaci non ſolum nihil boni fit, ſed nec fieri poteſt.* Quando vinea nihil omiſit, quod in ſua fuit poteſtate, & quidquid boni potuit, fecit, totum quod ad ipſam *attinebat*, præſtitit.

17 Tu verò Deus, tuis partibus, tuo officio, ac fortè debito defuiſti, non faciens, quod ad te ſolum, Queſnello judice, attinebat. Tibi ergo, non mihi imputa, quod pro uvis, quas à me perperam expectaſti, retuleris labruſcas. Similis in judicio eſſe poterit reproborum omnium reſponſio, & opprobrii in Deum retortio, ubi reos agere volet criminum, quæ, mandata non implendo, commiſerint;

Digitized by Google

rint; atque ita quæcunque fuerit tranſgreſſionum culpa, quæ ſinè gratia evitari nequiverit, cùm juxta Queſnellum nulli detur auxilium ſufficiens, non in homines conjici poterit, omni auxilio deſtitutos; ſed in Deum, ad quem unicè *pertinebat*, efficiente auxilio, *quod imperaverat, elargiri*. . . .

18 Non ita Sancti docuêre, non ita ab Eccleſia, & Divino Spiritu edocti ſunt. Laurentius Juſtinianus lib. de contemptu mundi cap.8. *Noli*, inquit, *ô homo, cùm delinquis, bonitatem damnare Divinam, quòd ſuam tibi minimè prærogavit gratiam, & bene agendi tibi negaverit poteſtatem. Vult quantum in ipſo eſt, omnes homines ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, quatenus in omnibus reperiat, quod coronet*.

19 Et S. Thomas libro 3. contra gentes cap. 159. *Deus quantum in ſe eſt, paratus eſt omnibus gratiam dare; vult enim omnes homines ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, ut dicitur* 1. *Tim*. 2. *Sed illi ſoli gratiâ privantur, qui in ſe ipſis gratiæ impedimentum præſtant; ſicut ſole mundum illuſtrante, in culpam reputatur ei, qui oculos claudit, ſi ex hoc aliquod malum ſequatur, licèt videre non poſſit, niſi lumine Solis præveniatur*.

20 Conſentit Bonaventura ſimul Anſelmi pro ſe referens ſuffragium in 1. diſt. 49. art.4. q.2. de gentilibus: *Gratia omnibus præſto erat.... Anſelmus ait, non ideo non habet homo gratiam, quia Deus non dat, ſed quia homo non attipit*.

21 Et Concilium Senonenſe contra errores Calvini can. 15. *Neque tamen tanta gratiæ neceſſitas libero præjudicat arbitrio; tùm illa ſemper in promptu ſit, & ne momentum quidem prætereat* (urgente præcepto, quòd ſinè gratia ſervari non poteſt) *in quo non ſtet ad oſtium, & pulſet, tui ſi quis aperuerit intrabit ad illum, & cœnabit cum illo*. Ubi gratia non ſolùm ſufficiens, ſed & efficax offertur omnibus, cùm tamen fide certum ſit, non omnes, qui ſufficiente pulſantur, recipere efficacem aut pulſanti aperire; alioquin ad omnes intraret pulſans cœnaretque cum omnibus. Ideo autem non recipitur efficax, nec aperitur, nec patet pulſanti ingreſſus, quia homo pravâ ſuâ voluntate liberè reſiſtit; cùm poſſit, gratia ſufficiente adjutus, non reſiſtere. Quomodo ergo *nihil aliud eſt gratia, quàm voluntas Omnipotentis Dei jubentis, & facientis quod jubet*?

22 Quapropter nec Concilium, nec SS.PP. ſuperiùs relati, cum ſequace Catholicorum turba, panico terrore percelli ſe ſinunt, quem incutere vellet Author Hexaplorum, cùm negari videt *ad Deum attinère, ut, quodcunque imperat, largiatur*: Offerri namque à Deo ſatis eſt eo, quo jam dictum eſt, modo, ut ab illo omnis crudelitatis, & injuſtitiæ ſuſpicio propulſetur; neque tamen extra noxam ſit humana voluntas, utpote quæ liberè obſtiterit, nè Deus, quod fieri juſſerat, largiretur. Ad Deum itaque attinet, præſtare ſemper, vel offerre auxilium ſufficiens, ſinè quo præceptum ſervari nequeat, non tamen *ad ipſum attinet* ſemper, vel invitis obtrudere efficax, reipſa *largiens quod imperarit*.

23 Nunc diſſolvendi eſſent ſuperiorum ex Scripturis, & Patribus objectionum nodi, ſi qui forent; ſed operam perdere eſt, futilia iſtiuſmodi, quæ nihil difficultatis, nihil rationis, vel authoritatis ad quæſtionem pertinentis adferunt, ſtudioſiùs refutare.

24 De tribus nempe erroribus, quorum poſteriores duo apertè hæretici ſunt, propoſitionem ita convinci, ut ſophiſmata Adverſariorum minimè verear. Nunc lector nullo partium ſtudio præoccupate textus ſingulos ſeu Scripturarum, ſeu Auguſtini, ac Thomæ tam Aquinatis, quàm Kempenſis, attentè conſidera, diſcute, ſi libet, voces etiam ſingulas: certus ſum, nec apicem occurſurum, quo vel unus ex tribus erroribus defendatur, vel ab illis liberetur Propoſitio. In hoc enim textus omnes conveniunt, in hoc terminantur, quòd Deus ſit, qui ſuâ gratiâ operatur in nobis omne bonum, tam velle, quàm perficere, & quòd pium, ac ſanctum ſit petere à Deo ut in nobis ſemper, quod jubet, efficiat, adeóque ut ſemper nobis auxilium efficax impertiat. Verùm quis indè colligat, vel unum ex tribus erroribus, quos in damnato articulo oſtendi ſuperiùs, & confutavi?

25 Omnis actus bonus ſalutaris, omnis volitio, & cogitatio bona, quæ ad pietatem pertinet, à Deo in nobis eſt, & per Jesu Chriſti gratiam. Sic omnes Catholici credimus, & ſinè cunctatione profitemur; ſed indè perperàm cum Queſnello deduxeris, *Gratia non eſt aliud, quàm voluntas Dei jubentis, & facientis quod jubet*: ſive gratia non eſt aliud quàm voluntas Dei, non eſt aliquid in anima à voluntate Dei productum. Dein omnis gratia nihil eſt aliud, quàm voluntas Dei omnipotentis & facientis quod jubet, ita ut nulla detur gratia ſufficiens, ſive quæ non faciat reipsâ quod jubetur: denique nulla datur gratia niſi quando Deus jubet, & facit quod jubet; ad Conſilia verò Euangelica, & aliæ perfectionis opera non præcepta, atque ad quaſcunque virtutes exercendas, tunc quando ad eas homo præcepto non adſtringitur, nulla datur gratia. Errores illos, vel ex illis aliquem non videbit ullus ſanæ mentis Theologus contineri in textibus ab adverſario alle-

Digitized by Google

legatis: neque ex iiſdem textibus ulla erni poteſt damnati articuli ab erroribus illis vindicatio. Unde quantumvis textus veneratione digniſſimi ſint, eorum tamen ad præſens inſtitutum applicatio eſt ineptiſſima.

Duodecima Propoſitio damnata.

Quando Deus vult ſalvare animam, quocunque tempore, quocunque loco, effectus indubitabilis ſequitur voluntatem Dei. *Obſerv. Moral. in Marc.* 2. *v.* 11.

CAPUT I.

Repugnat Propoſitio Scripturis Sacris.

1 Queſnellum hìc ſtabilire voluiſſe errorem de voluntate Dei ſalvandi ſolos prædeſtinatos, evidens eſt ex eo, quod Propoſitio illimitata ſecundùm omnes ſenſum faciat univerſalem, ac ſi diceret: *Quandocunque Deus vult ſalvare animam, quocunque tempore, quocunque loco, effectus indubitabilis ſequitur voluntatem Dei.* Senſus ergo Queſnelli minimè obſcurus eſt, omnes & ſolos ſinè dubitatione ſalvari, quos ſalvari vult Deus; omnes autem, & ſolos ſalvari prædeſtinatos quis Catholicus ignoret? Suppoſito utroque antecedente, invictè concluditur Deum omnes, & ſolos prædeſtinatos ſalvari velle. Sed aſſumptum Queſnelli, & minimè probatum de voluntate Dei ſalvandi ſolos eos, qui ſalutis compotes fiunt, ſubruam primò Scripturarum oraculis: ad alios dein locos Theologicos progreſſurus.

2 Ezechielis 33. v. 11. Dicit Deus: *Nolo mortem peccatoris, ſed ut convertatur impius à via ſua, & vivat.* Enuntiatio indefinita, & ad peccatores omnes, nemine excluſo, ſe extendens, demonſtrat Deum nullius peccatoris damnationem velle, ſed converſionem, & vitam æternam omnium.

3 Ibid. v. 10. & ſeq. *Sic locuti eſtis dicentes, Iniquitates noſtræ, & peccata noſtra ſuper nos ſunt... Dic ad eos: Vivo ego dicit Dominus Deus: Nolo mortem impii, ſed ut convertatur impius à via ſua, & vivat. Convertimini, convertimini, impietas impii non nocebit ei.*

4 Ezech. 18. v. 23. *Nunquid voluntatis meæ eſt mors impii; Dicit Dominus Deus, & non ut convertatur, & vivat?*

5 Ibid. v. 32. *Quare moriemini Domus Iſraël? Quia nolo mortem morientis, dicit Dominus; revertimini & vivite.*

6 Iſaiæ 5. v. 4. *Quid eſt, quod debui ultra facere vineæ meæ, & non feci ei? An quod exſpectavi ut faceret uvas, & fecit labruſeas?*

7 Iſaiæ 65. v. 2. & Rom. 10. v. 21. *Expandi manus meas tota die ad populum non credentem, & contradicentem.*

8 Matth. 11. v. 28. *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos.*

9 2. Theſſal. 2. v. 10. *Charitatem veritatis non receperunt, ut ſalvi fierent. Ideo mittet illis Deus operationem erroris.*

10 2. Petri 3. v. 9. *Nolens aliquos perire, ſed omnes ad pœnitentiam reverti.*

11 1. Joannis 2. v. 2. *Ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris, non pro noſtris autem tantùm; ſed etiam pro totius mundi* 1. Tim. 2. v. 4. *Vult omnes homines ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.*

12 Quomodo Queſnellus, reſtrictionum ſaltèm verbotenus inimicus, abſque reſtrictionibus Deo, & quolibet probo homine indignis, hæc omnia cum Propoſitione ſua compoſiturus ſit non video. Imò, ſuppoſitâ Queſnelli ſententiâ, locutiones omnes citatæ, in ſenſu plano, & obvio fallaces erunt, neque à mendacio vindicandæ. Expendamus ſingulas.

13 Quiſquis Deum Ezechielis ore omnibus declarantem audit: *Nolo mortem peccatoris, ſed ut convertatur impius à via ſua, & vivat,* protinus credit, nolle Deum ullius peccatoris, quamdiu in via eſt, æternum interitum; ſed ut omnes convertantur ab impietate ad juſtitiam, & ſalutem. Ingeminatio illa *Convertimini, convertimini,* impiis omnibus iteratò inculcata dubitare neminem ſinit de ſeria Dei erga ipſos benevolentiâ, ut convertantur, & vivant. Reſpondeat Queſnellus Deo per eundem Prophetam interroganti: *Nunquid voluntatis meæ eſt mors impii, & non ut convertatur, & vivat?* Neceſſe eſt vel doctrinæ ſuæ renuntiet, vel Deum redarguat mendacii dicens: Imò Domine voluntatis tuæ eſt mors impii & cujuſcunque non prædeſtinati: vis ut ſoli electi convertantur, ita ut æternum vivant, quia *quando vis ſalvare animam, quocunque tempore, quocunque loco, effectus indubitabilis ſequitur voluntatem tuam.* Verùm, inquiet Deus, nunquid te per eundem Prophetam docui, quod non electorum ſolummodo, ſed reproborum etiam, ſeu per-

pereuntium ſalutem velim, cùm dixi: *Nolo mortem morientis, ſed ut convertatur & vivat*? Audiſne *mortem morientis*, & non ſolùm electi, aut prædeſtinati? Audis, quod illum converti velim, & æternum vivere?

14 Inſtabit Queſnellus: ſi etiam eos, qui pereunt, ſalvare voluiſti, cur nullam eis contuliſti gratiam, quâ ſalvari poſſent? Nam *quando vis animam ſalvam facere, & eam tangis interioris gratiæ tuæ manu, nulla voluntas humana ei reſiſtit*. Quæ eſt Queſnelli Propoſitio 13.

15 Non deeſt Deo, quo Queſnelli confundat pertinaciam, luculentiſſimum apud Iſaiam teſtimonium. *Quid eſt quod vltrà debui facere Vineæ meæ, & non feci ei? An quod expectavi ut faceret uvas, & fecit labruſcas?* Nunquid hic ſatìs dilucidè ſignificatum percipis, non ſolùm, adhibitum à me tactum manûs, & gratiæ qualiſcunque interioris; ſed nihil prætermiſſum culturæ neceſſatiæ, & ſufficientis, ut omiſſis ſcelerum labruſcis, uvas meraciſſimas, fructus æternâ vitâ dignos produceret, ſi voluiſſet, ut velle poterat? Non ergo Divinæ manûs, & gratiæ tactus defuit, ſed cooperatio peccatoris.

16 Non minùs clarè Deus indicat voluntatem erga converſionem, & ſalutem, etiam teproborum, cùm ait: *Expandi manus meas totâ die ad populum non credentem, & contradicentem*; quæ verba non qualemcunque Dei benevolum ſolummodo affectum, ſed curam aſſiduam produnt, ut etiam pertinaces in malo, obſtinatione depoſitâ, ſalventur. *Expandens* Deus *totâ die manus ſuas*, non finit eſſe otioſas; ſed iis pulſat frequenter animum motu interioris gratiæ. Apoc. 3. v. 20. *Ecce ſto ad oſtium, & pulſo; ſi quis audierit vocem meam*, id eſt, audire voluerit, *& aperuerit mihi januam, intrabo ad illum*.

17 Illud *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos*, ut ad omnes peccatores dirigitur, neminem excipiens, miſerè decipit omnes reprobos, ſi Chriſtus eos ad ſe venire non voluerit, nec eoſdem, etſi maximè laborantes, & oneratos, reficere. Quiſquis autem invitat ſeriò, ſi in poteſtate ſuâ habet auxilia ſufficientia, negare non poteſt infirmis, & indigentibus, ut venire valeant, quò vocantur. Queſnellus voluiſſet Chriſtum dicere: Venite ad me non omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, ſed venite ad me ſoli & pauci electi, & ego reficiam vos.

18 Cur Deus offenditur adeò adversùs non prædeſtinatos, quod *Charitatem veritatis non receperint, ut ſalvi fierent*, ſi eos charitatem veritatis recipere, ut ſalvi fierent juxta Queſnellum non voluerit?

19 Iuxta eumdem Petrus dicere non debuit, quod Deus *nolit aliquos perire*; ſed quod nolit aliquos perire electorum. Addere debuit quod non omnes ad pœnitentiam reverti voluit, ſaltèm finalem; ſed quòd hanc ſolis voluerit prædeſtinatis.

20 Queſnello placere non poteſt illud Joan. de Chriſto: *Ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris; non pro noſtris autem tantùm; ſed etiam pro totius mundi*, niſi totius mundi nomine intelligantur ſoli prædeſtinati, & reproborum peccata excipias: quæ interpretatio minimè conformis eſt texrui, ut verba ipſa convincunt. *Salvatorem omnium hominum, maximè fidelium* expungi ex Scripturis oportuit; ſi Deus ſalvari ſolos voluerit prædeſtinatos. Non magis tolerabile illud Queſnello eſt: *Vult omnes homines ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire*. Non omnes enim homines ſalvos fieri certiſſimum eſt; quomodo ergo *quando Deus vult ſalvare animam, quocunque tempore, quocunque loco, effectus indubitabilis ſequitur voluntatem Dei*? Ad componendam nempe hanc Queſnelli ſententiam cum illa Apoſtoli in ſenſu proprio & obvio, oporteret omnes homines ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Scripturis Sacris errori damnato tam perſpicuè refragantibus, facilis conjectura eſt, SS. Patres, alioſque tum veteres, tum recentiores Theologos Orthodoxos ei minimè parrocinari, ut in ſequentibus demonſtrabitur.

CAPUT II.

Duodecima Propoſitio contraria Doctrinæ Conciliorum.

1 Concilium Lateranenſe ſub Innocentio III. cap. *Firmiter* ſic definit: *Si poſt ſuſceptionem Baptiſmi quiſpiam relapſus fuerit in peccatum, per veram pœnitentiam ſemper poteſt reparari*. Definitio, ut patet, univerſos complectitur, quibus contigerit poſt Baptiſmum in peccatum relabi: nemo excipitur ſeu reprobus ſeu prædeſtinatus. Omnibus igitur poſt Baptiſmum lapſis, dum rationis compotes ſunt, offertur ſaltèm gratia, quâ reparari valeant, & ad beatitudinem pervenire. Poſſentne verò pœnitentiâ ad juſtitiam, ſalutemque pertingere, quos Deus antecedenter ſalvare non voluiſſet? Conſtat autem ex relapſis plurimos non reparari, non ſalvari: ergo non ſubſiſtit Queſnelli Propoſitio: *Quando Deus vult ſalvare animam, quocunque tempore*,

re, quocunque loco effectus indubitabilis ſequitur voluntatem Dei.

2 Concilium Arauſicanum ſecundum can. 25. *Hoc*, inquit, *ſecundùm fidem Catholicam credimus, quòd acceptâ per Baptiſmum gratiâ, omnes Baptizati, Chriſto auxiliante, & cooperante, quæ ad ſalutem pertinent, poſſint & debeant (ſi fideliter laborare voluerint) adimplere.* Quæ definitio in ſenſu obvio & communi fidelium acceptione ſignificat, Baptizatos omnes à Deo auxilium ſufficiens habere traditum, vel ſaltèm oblatum, quo ea, *quæ ad ſalutem pertinent, adimplere poſſint, ſi fideliter laborare voluerint*, ut velle poſſunt per gratiam, quæ eis ſaltèm ſufficiens non omnimodè denegatur. Sed hanc Concilii ſententiam non patitur Propoſitio damnata. Nam ſi Deus neminem præter reipſa ſalvandos, ſeu præter paucos electos, ſalutem conſequi velit, cæteros omnes deſtituit abſque ulla gratia, quâ mandata uſque ad finem obſervare valeant, & ea, quæ ad ſalutem pertinent, ac ſufficiunt, fideliter adimplere. Non enim illis concedere poteſt auxilium efficax, vt patet, quo ad Beatitudinem certiſſimè pervenirent: nec præſtare Deus poteſt verè ſufficiens, quod in novo ſyſtemate nullum eſt; nam ſinè efficaci gratia iuxta Propoſitionem ſecundam *non ſolùm nihil boni fit, ſed nec fieri poteſt.* Repugnaret etiam Divinæ ſapientiæ, imò ſtultitiam ſaperet, auxilium excogitare, ac præſtare velle ſufficiens ad effectum impoſſibilem, qualis in caſu eſſet perſeverantia in Dei mandatis, atque juſtitiâ.

3 Quapropter cum damnato articulo non convenit etiam Concilium Valentinum tertium ſub Lothario anno 855. celebratum aſſerens, *Nec ipſos malos ideo perire, quia boni eſſe non potuerunt; ſed quia boni eſſe noluerunt, ſuoque vitio in maſſa damnationis, vel merito originali, vel etiam actuali permanſerunt.* Quomodo verum eſt, *malos non ideo perire, quia boni eſſe non potuerunt*, ſi neminem ex pereuntibus Deus ſalvare voluerit? Nam de bonitate, vel malitia, in qua morimur, & à qua ſalus, vel damnatio pendeat, ſermo eſt.

4 Profectò ex omnibus qui pereunt, in Queſnelli ſententiâ nè unus quidem bonus decedere potuit; alioqui ſalvandus, quem Deus beatitudine donare noluerit. Et quo auxilio in fine bonus eſſe poterat? Num efficaci? quo eum caruiſſe evidens eſt? Verè autem ſufficiens in Queſnelli ſyſtemate præter efficax nullum eſt, neque eſſe poteſt: nam ſi omnis Dei voluntas efficax eſt, cur gratiam daret ſufficientem ad effectum à ſe minimè volitum? Omne bonum neceſſariò Deum habet Authorem, & quidem præcipuum; quomodo autem ad bonum hoc à Deo, tanquam præcipuo per ſupernaturalem gratiam authore, homo reprobus excitari, & allici ſeriò poterit, quod ipſe Deus fieri nullo modo ab eo velit? In doctrina itaque Propoſitionis duodecimæ, ſi vera eſſet, concluderetur invictè contra Valentinum Concilium, *malos ideo perire, quia boni in fine eſſe non poterant.*

5 Actum quoque eſt de Senonenſi Concilio, ſi Propoſitio damnata prævaleat. Quid enim fiet canone ejus 15. quo ſtatuitur: *Neque tamen tanta gratiæ neceſſitas libero præjudicat arbitrio; cùm illa ſemper in promptu ſit, & neque momentum quidem prætereat, in quo Deus non ſtet ad oſtium, & pulſet: cui ſi quis aperuerit, intrabit ad illum, & cœnabit cum illo?*

6 Ad univerſos ratione utentes Canon dirigitur: omnes monet, ut Deo toties pulſanti, & vocanti non obſurdeſcant; ſed januam aperiant, intrare ad ſingulos, & cum eis velut cum amicis, ac filiis cœnare cupienti. Verùm nulli Propoſitionis ſententiâ imbuto perſuaderi poterit, gratiam ſemper omnibus in promptu eſſe, ſi Deus nulli pereuntium ſalutem obtingere voluerit. Nulli quippe eorum offerre poteſt gratiam, & hac auxiliante, juſtitiam in articulo mortis, à quo pendet æternitas. Si quis verò eorum in illo Articulo vel Baptizatus, vel aliunde juſtitiam adeptus ſit, vel antea obtentam eò uſque produxerit, debet tum ipſi Deus neceſſariò omne, quo perſeverare in juſtitiâ poſſet, auxilium ſubtrahere, nè ad ſalutem perveniat, quem Deus eò venire, ſeu pertingere noluiſſet.

7 Quæ eſt iſta perpetua ad oſtium ſtatio, & pulſatio; ſi tunc Deus pulſare deſinat, ingredi nolit, & juvare miſerum, quando jacienda eſt ſalutis alea, quando niſi dirigente, atque auxiliante Numine, quemlibet felicitatis ſorte excidere neceſſe eſt? Fieri non poteſt, ut Deus ſeriò omnium animos pulſet, ſeriò velit ſibi aperiri ab omnibus, ſi *Deo* quidpiam *volente, quocunque tempore, quocunque loco effectus indubitabilis ſequitur voluntatem Dei*; non enim omnes oſtium aperire, Deum non ad omnes intrare, nimiùm exploratum eſt.

8 Deſiderium cœnandi cum omnibus, quantum ex parte eſt benigniſſimi Dei, indicat nobis Senonenſis Synodus. Cœna autem Euangelica, ad quam omnes vocati ſunt, ſed pauci electi, eſt æterna Dei fruitio, quæ finitis diei, ſeu mortalis vitæ laboribus, proponitur. Perſpicuum verò eſt, nullum Deo eſſe verum deſiderium, ſeu ſeriam voluntatem

tem cœnandi cum omnibus, ſi volente Deo cœnare cum aliquo, ſemper fiat, ut cum eo cœnet; *Quando Deus vult ſalvare animam quocunque tempore, quocunque loco, effectus indubitabilis ſequitur voluntatem Dei.*

9 Non melior, quàm Senonenſis, ſors erit Concilii Tridentini, quod etiam corruere neceſſe eſt, ſi ſteterit propoſitio; definit enim hæc Synodus Seſs.6. cap.11. *Deus impoſſibilia non jubet; ſed jubendo monet, & facere quod poſſis, & petere quod non poſſis, & adjuvat ut poſſis. Cujus mandata gravia non ſunt, cujus jugum ſuave eſt, & onus leve. Qui enim ſunt filii Dei, Chriſtum diligunt; qui autem diligunt eum, ut ipſemet teſtatur, ſervant ſermones ejus, quod utique cum Divino auxilio præſtare poſſunt . . . . . & Servi facti Deo, ſobriè, juſtè, & piè viventes proficere poſſunt per* Jesum . . . *Deus namque ſuâ gratiâ ſemel juſtificatos non deſerit, niſi ab eis priùs deſeratur.*

10 Eâdem Seſs. cap.13. *Nemo ut perſeveranter ſtet, ſibi certi aliquid, abſolutâ certitudine polliceatur; tametſi in Dei auxilio firmiſſimam ſpem collocare, & reponere omnes debent; Deus enim, niſi ipſi illius gratiæ defuerint, ſicut cœpit opus bonum, ita perficiet, operans velle, & perficere.*

11 Ejuſdem Seſſionis Can.22. *Si quis dixerit, juſtificatum vel ſinè ſpeciali auxilio Dei, in acceptâ juſtitiâ perſeverare poſſe, vel cum eo non poſſe, anathema ſit.*

12 Can.29. *ſi quis dixerit eum qui poſt Baptiſmum lapſus eſt, non poſſe per gratiam reſurgere, anathema ſit.* Quæ omnia Concilii pronuntiata reſtrictionibus limitanda ſunt; ſi verum doceat Queſnelli Articulus. Nam, ut ab ultimo incipiam, Canon 29. non genericè de lapſis poſt Baptiſmum, ſed de aliquibus, videlicet electis aſſerere debuit, quod poſſint per gratiam reſurgere. Ex aliis plurimi è peccatorum abyſſo emergere nequeunt per gratiam, quâ deſtituuntur, quales ſunt omnes qui verâ pœnitentiâ carent, quia Deus eorum converſionem non deſiderat. Si enim deſideraret, *quocunque tempore, quocunque loco effectus ſequeretur indubitabilis.*

13 Juxta idem Queſnelli principium limitari debuit Canon 22., & non juſtis quibuſcunque velut datum, vel oblatum promittere *ſpeciale auxilium, quo in accepta juſtitia perſeverare poſſint*; cùm illud niſi paucis, ac ſolis ad beatitudinem electis obvenire Deus voluerit; quia nullum eſt auxilium, quo perſeverari in juſtitia poſſit, niſi quo re ipſa perſeveratur, juxta ſecundum Queſnelli Articulum: iuxta hunc verò duodecimum ſoli electi perſeverare poſſunt, Deo de iis ſolis volente ut perſeverent, & ſalventur, aliàs certiſſimè perſeveraturi, & ſalvandi, *effectu indubitabili ſequente quocunque loco, quocunque tempore voluntatem Dei.*

14 Non de omnibus quoque juſtis aſſeri poſſet, ſed de prædeſtinatis ſolummodo, quod Seſſione 6. cap.13. nimiùm extenditur; cæteri enim, quantumcunque conantes gratiæ non defuerint; ipſi tamen omni gratiâ privandi ſunt, quia Deus non vult, ut opus bonum, quod in iis cœperat, perficiatur. Si enim vellet, certiſſimè perficeretur, effectu ſemper indubitabili voluntatem Dei quamlibet comitante, ut quidem Queſnelli definit articulus.

15 Juxta eumdem corrigi pariter deberet Tridentinæ Seſſionis 6. caput undecimum. Juſtificatos enim, qui prædeſtinati non ſunt, quantumvis Dei juſtitiam cum Dei gratiâ protraxerint, ultimo ſaltèm vitæ momento deſerendi à Deo ſunt, etſi eum priùs non deſeruerint; cùm enim ſalutem non cupiat, quæ aliàs indubitabilis obtingeret, neceſſe eſt ultimò ſaltèm momento eos deſerat, omni gratiâ deſtituendo, non ſolummodo efficaci, quæ ad ſalutem perduceret non prædeſtinatos, ſed etiam ſufficienti, quæ in Queſnelli ſententiâ poſt peccatum primi hominis nulla eſt. Neque tale auxilium reprobis in caſu dari patitur præſens Queſnelli articulus. Sufficientis enim auxilii donatio procedit à voluntate Dei effectum deſiderante, quem Deus pro momento vitæ vltimo optare reprobis non poteſt, alioqui certiſſimè perſeveraturis in juſtitiâ, & ſalutem ſinè prædeſtinatione conſecuturis.

16 Amplius dico: Quocunque tempore juſtus labitur omiſſione præcepti, ad quod auxilio gratiæ indiget, ut adimpleatur, ſive quia ſupra naturæ ordinem eſt, ſive quia difficultatem continet ſinè gratiâ non ſuperabilem; ſive quia vehementior inſurgit tentatio, ſemper Deus juxta Queſnellum, priùs juſtum deſerit, quàm ab eo deſeratur. Relinquit enim juſtum ſuis viribus ſinè ullo gratiæ auxilio ſive efficaci, ut evidens eſt, ſive ſufficienti, quod in novo ſyſtemate à ſtatu Naturæ lapſæ prorſus exulat. Sed & juxta præſentem articulum juſtis omnibus peccantibus ſubtractum fuiſſe certiſſimè deprehenditur. Procedit enim gratiæ ſufficientis conceſſio à Divinâ voluntate, effectum ſincerè cupienti.

17 Cùm autem damnata Propoſitio nullam admittat in Deo voluntatem, quam indubitabilis non ſequatur effectus; ſed omnem modò ſtatuat abſolutiſſimè efficientem quidquid deſiderat; evidens eſt, juſtum

quan-

quando à juſtitia peccando excidit, nullum habuiſſe auxilium ſufficiens, quo peccatum, vitare, & perſeverare in juſtiria potuiſſet, atque ita à Deo in ſumma neceſſirate dereli-ctum, antequam eum delinquendo deſererer. Hinc manifeſtè fluit præceprorum etiam in juſtis impoſſibilis obſervatio, quoties illa non implentur, nec ſinè gratiâ impleri poterant. Hoc itaque Queſnelli dogmate, ſi verum eſt, ſubvertitur quidquid ex Tridentino allegatum eſt: etiam illud, *Deus impoſſibilia non jubet; ſed jubendo monet, & facere quod poſſis, & petere quod non poſſis, & adjuvat ut poſſis, cujus mandata gravia non ſunt, cujus jugum ſuave eſt, & onus leve.*

18 Denique Divina, quæ hic memoratur monitio, ut quod non poſſumus, petamus, omnino fruſtranea eſt omnibus non petentibus; ſi Deus ut peterent non voluerit. Quid enim? Poſſuntne petere à Deo non volente? Si vellet autem, ſinè dubio peterent, quandoquidem *quocunque tempore, quocunque loco effectus indubitabilis ſequatur voluntatem Dei*. Poſſuntne etiam petere ſicut oporter, ſinè ulla gratiâ ſive efficaci, ſive ſufficienti? Efficacem eos non habuiſſe, perſpectum eſt, cùm non petierint; ſufficientem quoque defuiſſe, indubitatum adverſario eſt, omne gratiæ auxilium verè ſufficiens, quod efficax non ſit, à lapſis in Adamo hominibus procul ableganti; ſed & damnatus Articulus illud rejicit; cùm enim ſufficiens gratia neceſſario ortum habeat à voluntare Dei, effectum gratiæ ſeriò cupientis: Juxta Articulum verò, quocunque rempore, quocunque loco effectus indubitabilis ſequatur voluntatem Dei, perſpicuum eſt quod omnibus non orantibus, grariam Dei non petentibus, defuerit auxilium ad orandum, atque ad orandi poteſtatem ſufficiens.

19 Evidens igitur eſt proſcripti Articuli doctrinam hominibus demere omnem Divina exequendi imperia facultatem, quoties non exequuntur ea, quæ gratiæ requirunt auxilium. Verùm neque minùs ineluctabile eſt, eâdem doctrinâ eripi Deo omnem in ralibus circumſtantiis imperandi poteſtatem; nam, ut rectè Auguſtinus lib. de naturâ & gratiâ cap. 69. *Firmiſſimè creditur, Deum juſtum, & bonum, impoſſibilia non potuiſſe præcipere*. Et lib. de fide contra Manichæos, *Quis non clamet ſtultum eſſe, præcepta dare ei, cui liberum non eſt, quod præcipitur, facere?* Nos potiùs cum Eccleſiâ Articulum Queſnelli, à quo in Deum oprimum, ſapientiſſimum, juſtiſſimum ranta injuſtitiæ, crudelitatis, inſaniæ derivaretur blaſphemia, damnemus, & execremur.

CAPUT III.

Eadem Propoſitio oppoſita Conſtitutionibus Pontificum.

1 QUiſquis ea, quæ ſuperiore capite diſputata ſunt, perpenderit, præſenti facilè ſubſcribet argumento. Statim ei occurret, primum Janſenii articulum de Impoſſibili præceptorum obſervantiâ, duodecimo Queſnelli dogmate reſuſcitari. Si enim *quando Deus vult ſalvare animam, quocunque tempore, quocunque loco, effectus indubitabilis ſequitur voluntatem Dei*, patebit idem aſſerendum de Deo volente quamcunque ſuorum iuſſuum executionem, quòd *quocunque tempore, quocunque loco effectus indubitabilis ſequatur voluntatem Dei*. Conſecutionem hanc omnes adverſarii fatentur eſſe legitimam hoc ducti axiomate, *Deus quidquid vult facit*, nullâ, ut ipſis placet, volitionum diſtinctione, quæ juxta eoſdem cunctæ paris ſunt roboris, & in eliciendis effectibus æquè efficaces, ſingulæ omnipotentes:

2 Abſolutum quoque juxta illos habenr in volita tendendi modum, nullis conditionibus à ereata libertate pendentibus alligatum. Quo ſuppoſito, perſpicuum fit, nullam præceptorum obedienriam à Deo volitam eſſe, niſi quæ opere ſecuta eſt, nullam ab hominibus omiſſam, quam Deus deſideraverat. Conſtat etiam nihil boni ad ſalutem, vel juſtitiam pertinentis agere mortales poſſe, niſi Deo, non ſolùm volente, verùm & ſupra naturæ ordinem auxiliante, imò & prævie illuſtrante intellectum, & piis motibus excitante voluntatem. Quæ illuſtrationes, qui motus, quæ auxilia quoties homini conceduntur ad mandatorum obſervantiam ſufficientia, vel ipſo teſte Janſenio, ſinceram in Deo indicant voluntatem, ut homo faciat quod jubetur.

3 Quotieſcunque igitur ſive peccator, ſive juſtus ab obſervantia deficit mandatorum, indicium juxta Propoſirionem manifeſtum eſt, Deum obedientiam illam non voluiſſe; nam *quocunque tempore, quocunque loco effectus indubitabilis ſequitur voluntatem Dei*. Nec minùs juxta eamdem hypotheſim clarum eſt, nullum à Deo conceſſum, oblatumve fuiſſe auxilium ſufficiens ad effectum quem nullatenus voluit. Unde ulteriùs perſpicuum fit, omnes præceptorum omiſſiones, quorum obſervatio gratiam exigit, eſſe in hoc ſtatu neceſſarias, nullas liberas, utpote ſuffi-

ſufficiente deſtitutas auxilio, & Deo obedientiam non volente. Eſt itaque tunc ſemper impoſſibilis obedientia, quidquid homo ſecundùm vires, quas habet ad implenda præcepta minimè ſufficientes, velit forſitan, aut conetur. En primam Janſenii hæreſim Queſnelli articulo reſtitutam: *Aliqua Dei præcepta, hominibus juſtis volentibus, & conantibus juxta præſentes quas habent vires, ſunt impoſſibilia; deeſt quoque illis gratia, qua poſſibilia fiant.*

4 Non minùs inſolubili nexu ſequitur hæreſis Janſenii ſecunda: *Interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ nunquam reſiſtitur.* Si nempe ſemper *effectus indubitabilis ſequitur voluntatem Dei*, etiam effectus indubitabilis ſequitur ſemper interiorem gratiam; omnis enim effectus interioris gratiæ eſt à Deo volitus, & ad eum obtinendum gratia conceditur. Unde Gummarus Huygens, cùm viveret, Queſnello devotus, in confixo Romæ Compendio Theologico pag. 28., & 29. *Singuli*, ajebat, *gradus gratiæ ſemper in nobis obtinent id, quod per illos vult Deus.* Sed Compendium iſtud, ut dixi, Romæ confixum eſt, & auctor juſſu Innocentii XI. Pontificis, & Caroli Secundi Hiſpaniarum Regis ab ingreſſu ſupremi ſenatûs Theologici, quem *Strictam facultatem* vocant, ſuſpenſus perpetuò manſit.

5 Ad Queſnelli Articulum redeamus. Ex eo etiam facilè deducitur Hæreſis Janſenii tertia: *Ad merendum, & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ non requiritur libertas à neceſſitate; ſed ſufficit libertas à coactione.* Si enim mandatorum obſervatio toties impoſſibilis eſt, quoties juxta Queſnelli articulum eſt, toties quoque tranſgreſſio eſt neceſſaria; quid enim aliud eſt tranſgreſſionem præcepti, vel obſervationis omiſſionem dici neceſſariam, quàm obſervationem ejus impoſſibilem? Omnis illa juxta Queſnellum tranſgreſſio, vel omiſſio homines conſtituit culpæ, & ſupplicio obnoxios, demerentur itaque peccatis neceſſitate commiſſis. Quæ autem demeriti, eadem eſt meriti ratio: atque ita Queſnelli articulus reducit hæreſim Janſenii tertiam.

6 Quarta Janſenii hæreſis infertur ex eodem Queſnelli articulo intellecto juxta authoris mentem ab ipſomet in articulo 10. indicatam. Propoſitio Janſenii falſa, & hæretica eſt: *Semipelagiani admittebant prævenientis gratiæ interioris neceſſitatem, etiam ad initium fidei: & in hoc erant Hæretici, quòd vellent eam gratiam talem eſſe, cui poſſet humana voluntas reſiſtere, vel obtemperare.* Ubi falſitatis cenſura ab Innoc. X., & aliis Pontificibus inflicta convenit parti hiſtoricæ, quòd Semipelagiani admiſerint neceſſitatem gratiæ ad ſingulos actus, etiam ad initium fidei. Cenſura hæreſeos ferit partem dogmaticam, quæ negat poſſe voluntatem humanam reſiſtere gratiæ, vel obtemperare: quin poſſit obtemperare indubitatum fuit, etiam Janſenio, utpote qui cenſeret obtemperare neceſſariò; ſed à Catholicis Doctoribus, & Tridentino Concilio recedebat in eo, quod negaret gratiæ ad omnes actus ſalutiferos neceſſariæ reſiſti poſſe.

7 Idem intenditur à Queſnello propoſitione ſua 12. ubi *effectum indubitabilem* omnis Divinæ voluntatis intelligit, qualis eſt indubitabilis effectus *gratiæ*, quæ, ut ait Propoſitione 10., eſt *operatio manûs Dei*, ſeu divinæ voluntatis, *quam nihil impedire poteſt, aut retardare*. Cùm igitur quotieſcunque vult Deus ſalvare animam, illud operatur per gratiam, quam nihil impedire poteſt, aut retardare, evidens eſt, *effectum indubitabilem* in Propoſitione duodecima ſic intelligi ab authore, ſic lectoribus accipiendum proponi, ut nihil impedire eum poſſit, aut retardare, atque adeò *non poſſit humana voluntas reſiſtere, vel obtemperare*; ſed obtemperet neceſſariò.

8 Quinta Janſenii propoſitio variis notata cenſuris eſt hæc: *Semipelagianum eſt dicere, Chriſtum pro omnibus omnino hominibus mortuum eſſe, aut ſanguinem ſudiſſe.* Quam propoſitionem, prorſus atrocem, & quæ Catholicis omnibus horrorem incutit, Innocentius Decimus, & alii poſt eum ſecuti Pontifices, multiplici, ut ſequitur, perſtrinxère cenſura, *falſam, temerariam, ſcandaloſam, & intellectam eo ſenſu, ut Chriſtus pro ſalute dumtaxat prædeſtinatorum mortuus ſit, impiam, blaſphemam, contumelioſam, Divinæ pietati derogantem, & hæreticam declaramus, & uti talem damnamus.* Senſum hunc hæreticum Janſenius tradit lib. 3. de grat. cap. 21. his verbis: *Nec enim juxta doctrinam antiquorum pro omnibus omnino Chriſtus paſſus, aut mortuus eſt, aut pro omnibus omnino tam generaliter Sanguinem fudit, cùm hoc potiùs tanquam errorem à fide Catholica abhorrentem doceant eſſe reſpuendum.* In Parallelo cap. 3. dicit, errorem eum eſſe *Maſſilienſium*, ſeu Semipelagianorum. Citato lib. 3. de gratia Chriſti eodem cap. 21. ait: *Quibuſdam hominibus dare prædeſtinavit fidem, charitatem, & in ea perſeverantiam uſque in finem, quos eſſe prædeſtinatos, electos, & ſalvandos dicimus. Pro iſtis in æternum vivificandis mortuus eſt, pro iſtis ab omni malo liberandis rogavit Patrem ſuum, non pro cæteris, qui à fide, & charitate deficientes in iniquitate moriuntur.* Ibidem *Quæ ſanè cùm in*

Augu-

Auguſtini doctrinâ perſpicua, certaque ſint, nullo modo principiis ejus conſentaneum eſt, ut Chriſtus Dominus vel pro infidelium in infidelitate morientium, vel pro juſtorum non perſeverantium æternâ ſalute mortuus eſſe, ſanguinem fudiſſe, Patrem oraſſe ſentiatur. Dein addit; *Ex quo factum eſt, ut juxta S. Doctorem non magis Patrem pro æterna liberatione ipſorum, quàm pro diaboli deprecatus fuerit*.

9 Hactenus Janſenius, cujus veſtigia ſequitur hic Queſnellus, ſi nempe *Quando Deus vult ſalvare animam, quocunque tempore, quocunque loco, effectus indubitabilis ſequitur voluntatem Dei*, evidens eſt, Deum non voluiſſe ſalutem ullius in juſtitia non perſeverantis, ullius non prædeſtinati; cùm nullus extra prædeſtinatorum numerum ad ſalutem unquam perveniat. Si verò Deus nullius, præterquam prædeſtinatorum, ſalutem voluit, nullius etiam alterius voluit Chriſtus, cujus voluntatem conſtat in omnibus voluntati Patris fuiſſe perfectiſſimè congruam: *Ego quæ placita ſunt ei, facio ſemper*, inquit Chriſtus. Et apud Joan. cap. 5. v. 30. *Non quæro voluntatem meam, ſed voluntatem ejus qui miſit me*. In quem locum ſic Auguſtinus. *Non quia ipſius in judicando nulla eſt voluntas; ſed quia non eſt ita voluntas ejus propria, ut ſit à Patris voluntate aliena*: ſive, ut ait Cyrillus, *illius voluntatem quaſi regulam in omnibus ſequitur*, ideoque Euthymio interprete, *illius voluntas etiam mea eſt*. Si igitur ſolis prædeſtinatis, ut ſtatuit Queſnelliana Propoſitio, Deus ſalutem voluit, manifeſtum eſt, Chriſtum quoque eorumdem tantummodo, & nullius alterius ſalutem voluiſſe, nec pro æterna ullius alterius incolumitate paſſum eſſe, vel mortuum.

10 Propoſitio 4. inter 31. ab Alexandro VIII. proſcripta eſt, *Dedit ſemetipſum pro nobis oblationem Deo; non pro ſolis electis, ſed pro omnibus, & ſolis fidelibus*. Quæ enuntiatio Janſenianæ 5. non opponitur. Janſeniana enim negabat Chriſtum pro ullius non Electi ſalute mortuum: hæc pro ullius non fidelis juſtitiâ. Quod præſenti etiam Queſnelliano articulo conforme eſt; nam, ſi juxta Queſnelli principium Chriſtus nullius juſtitiam voluit, præterquam fidelium (nulli quippe alii juſtitiam conſequuntur) clarum eſt, neque à Chriſto volitam eſſe juſtitiam aliorum. Cùm autem, & juxta Queſnelli articulum 26. & 27. *Fides ſit prima gratia*, non apparet, quo ſenſu ſufficienti Chriſtus dici potuiſſet mortuus pro ullo infidelium, vel non credentium, qui ante fidem juxta Queſnellum, gratiarum omnium incapaces, vel ſaltèm expertes ſunt.

11 Inter Bajanas à Pio V. Gregorio XIII. & Urbano VIII. damnata eſt hæc propoſitio 67. *Homo peccat etiam damnabiliter in eo, quod neceſſariò facit*. Hanc tamen negare non poteſt Queſnellus, ſuppoſitâ articuli ſui veritate; nam quomodo homo gravi tentatione pulſatus non ſuccumbit neceſſariò, ſi Deus illum ſuſtinere noluerit, & gratiæ ſuæ virtute roborare? Quod Deus nullum cadentem à lapſu retinere voluerit, patet in Queſnelli ſententiâ, in qua effectus indubitabilis ſequitur voluntatem Dei. Neque gratiam ſufficientem ulli cadentium Deus impertit, vel offert, quia gratiæ ſufficientis ſeu collatio, ſeu oblatio proficiſcitur à ſincera Dei voluntate ſervandi hominem à lapſu, ſi homo, uti poteſt, ſe à lapſu retinere voluerit, auxiliante Dei gratia, ad opitulandum paratâ, niſi eam homo recuſaverit. Hâc autem gratiâ nec datâ, nec oblatâ; quia Deus hominem in juſtitiâ retinere non vult, vel à lapſu ſervare, neceſſe eſt miſerum cadere, & quidem, ut vult Queſnellus cum Janſenio, etiam damnabiliter. Quoties homo ad actum fidei, ſpei, charitatis, religionis, pœnitentiæ, & alios naturæ viribus ſuperiores obſtringitur, illos prætermittit neceſſariò; ſi illos Deus ab homine elici non voluerit, & quidem auxilio illum ſupra naturæ vires erigente, præveniens? Deum actus illos, quoties omiſſi ſunt, non voluiſſe, ſtatuit Queſnelli articulus, *quia voluntatem Dei effectus ſequitur indubitabilis*. Omiſſio itaque actuum ſupernaturalium, quoties contingit, eſt in homine ex neceſſitate antecedente, & inevitabili, & tamen quoties actus illi præcepti ſunt, omiſſio juxta Queſnellum eſt damnabilis; ſic itaque incurritur cenſura Propoſitionis Bajanæ 27. jam relatæ.

12 Quâ ratione damnationem mereri valeant omiſſiones omnes illæ, & peccata, quæ, Deo non volente, nec auxilium ſufficiens offerente, vitari nequeunt, non aſſequor, nec aſſequetur Theologus ullus Janſenianis, & Bajanis myſteriis non initiatus. Queſnellus, & ejus Socii confugiant hic neceſſe eſt ad duo principia pariter damnata, inter Bajanos articulos trigeſimum nonum: *Quod voluntariè fit, etiamſi neceſſariò fiat, liberè tamen fit*: Et primum inter 31. proſcriptos ab Alexandro VIII. *In ſtatu naturæ lapſæ ad peccatum formale, & demeritum ſufficit illa libertas, qua voluntarium ac liberum fuit in causâ ſuâ peccato originali, & voluntate Adami peccantis*. Ante peccatum illud non minùs liberalem in homines Deum Janſeniani conſtituunt, quàm ullius ſcholæ Catholicæ ſequaces Theologi: tunc non valuiſſe illud ſuum principium agnoſcunt, *Quando Deus vult ſalvare animam, quocunque tempore, quocunque loco, effectus indubita-*

bitabilis ſequitur voluntatem Dei. Tunc enim fatentur,Deum antecedente voluntate,& ſub conditione voluiſſe, ut Adam, & ejus poſteritas ſalvaretur, uti & omnes Angeli, ſi voluiſſent uti ſufficientiſſimo ad hoc præſtito auxilio. Quare omnis neceſſitas lapſis hominibus, ex illa origine obveniens,illis, inquiunt Janſeniani,imputari debet, & obnoxios illos damnationi reddit,quoties actum à Deo præceptum omiſerint vel commiſerint vetitum. Horrenda hæc ſunt ex damnato præſenti dogmate conſectaria, & Deo quidem ſapientiſſimo, juſtiſſimo, optimo indigna; ſed quæ Novatores diſſimulare malunt, quàm ab adamatis nimiùm placitis recedere.

CAPUT IV.

Propoſitio duodecima repugnat Traditioni Patrum.

1 NOn omnibus ſalutem obtingere, certiſſimum eſt; unde ſi Patrum traditione evicero, Deum velle ſalutem cunctorum hominum, eâdem authoritate conſtabit, non *quocunque tempore, quocunque loco effectum indubitabilem ſequi voluntatem Dei, quando Deus vult ſalvare animam.*

2 Traditionis autem illius agmen ducat S. Ignatius Martyr, ep.6. ad Philadelph.: „ Amator hominum eſt Deus noſter, & vult „ omnes homines ſalvos fieri, & ad agnitio- „ nem veritatis venire. Propter quod, & ſo- „ lem oriri facit ſuper bonos & malos, & „ pluit ſuper juſtos & injuſtos. Cujus utili- „ tatis etiam Dominus volens eſſe imitato- „ res dicit, eſtote perfecti ſicut Pater veſter „ cœleſtis perfectus eſt.

3 Dionyſius Hierarch.Eccl.cap.2. „ Sa- „ crorum Præfectus, qui ſemper Dei ſimili- „ tudine omnes homines ſalutem adipiſci, „ & ad veritatis notitiam venire cupit, præ- „ dicat omnibus ex veris Evangeliis Deum.

4 Idem cap. 9. „ Immenſum, & infini- „ tum Divini luminis pelagus ſemper para- „ tum eſt, & patet omnibus ad participan- „ dum. „

5 S. Irenæus l. 4. cap. 71. „ Vis à Deo „ non fit; ſed bona ſententia adeſt illi ſem- „ per: & propter hoc conſilium quidem bo- „ num dat omnibus: poſuit autem in homine „ poteſtatem electionis.

„ 6 Ephrem Syrus ſermone de vita Relig. „ atque monaſt. cap. 6. Deus animarum no- „ ſtrarum vulnera ſanat, ſpretuſque à nobis „ mirabiliter ſuffert; omnes enim nos ſalvari „ cupit, & omnes regni ſui heredes, & poſ- „ ſeſſores fieri deſiderat; vult etiam volun- „ tatem noſtram, atque propoſitum à ſe „ laudari.

7 S. Ambroſius de Paradiſo cap. 8., „ quod in Deo fuit, oſtendit omnibus, quòd „ omnes voluit liberare.

8 S. Chryſoſtomus in cap.2. Gen. hom. 11. „ Nos item ſi voluerimus, quod no- „ ſtrum eſt, facere, nihil prohibebit eadem „ nos bona conſequi: liberalis enim domi- „ nus, & vult omnes homines ſalvos fieri, „ & ad agnitionem veritatis venire.

9 Idem hom. 7. in Joan. „ Illuminat „ omnem hominem venientem in hunc mun- „ dum: illuminat profectò quantum in ipſo „ eſt. Si qui autem ſponte ſuâ, mentis ocu- „ lis conniventibus, ad hujus lucis radios „ aciem dirigere noluerint, non ex luminis „ naturâ in tenebris perſtiterunt; ſed ex ma- „ litiâ ſuâ, qua ſponte ſuâ tanto ſe dono in- „ dignos reddiderunt.

10 Idem homil. 9. de laudibus Pauli. „ Ipſe quidem Deus, vult omnes homines „ ſalvos fieri; at non omnium voluntas ejus „ voluntati obſequitur, neque ab eo ali- „ quis cogitur: unde & ad Jeruſalem ſic „ dicit: *Jeruſalem, Jeruſalem quoties vo- „ lui congregare filios tuos, & noluiſti*: Quid „ ergo? *Ecce Relinquetur vobis domus veſtra „ deſerta.* Vides quòd Dominus ſalvare nos „ vult; Nos autem, quia ei nos non adjun- „ gimus, manemus in interitu.

11 S. Hieronymus ſerm. 15. *Laboravi rogans*: „ ut jam defecerit Deus crebrò „ eis ignoſcendo, & laſſus ſit, ſemper eos „ provocans ad ſalutem.

12 S. Auguſtinus lib. 1. de Geneſi contra Manichæos cap. 3. „ Illud autem lumen „ non irrationabilium animalium oculos pa- „ ſcit, ſed pura corda eorum, qui Deo cre- „ dunt, & ab amore viſibilium rerum, & „ temporalium ſe ad ejus præcepta ſervan- „ da convertunt, quod omnes poſſunt ſi „ velint: Non exiſtiment novi hæretici Pe- „ lagiani, ſecundùm eos eſſe dictum. Ve- „ rum eſt enim,omnino omnes homines hoc „ poſſe ſi velint; ſed præparatur voluntas à „ Domino, & tantùm augetur munere cha- „ ritatis, ut poſſint.

13 Libro 83. quæſtionum quæſt. 68. „ Nec illi, qui noluerunt venire, debent al- „ teri tribuere; ſed tantùm ſibi, quoniam „ ut venirent vocati, erat in eorum libera „ poteſtate. Vocatio ergo ante meritum „ voluntatem operatur; qui autem vocatus „ non venit, ſicut non habuit meritum præ- „ mii ut vocaretur, ſic inchoat meritum ſup- „ plicij, cùm vocatus venire neglexerit.

Cyril-

14 Cytillus Alexandrinus l. 1. in Joan. cap. 11. „ Non Verbum Dei,& æternam hanc „ lucem; ſed imbecillitatem ſuam mundus „ accuſet; illuminat enim Filius; repellit au„ tem gratiam creatura, quæ intelligendi „ acumine, ut natura Deum coguoſceret, „ ſibi dato abuſa eſt: & ut prodiga, ad crea„ turas vim inſpiciendi convertit, neglexit „ ulterius currere, ſuffodit illuminationem „ ex deſidiâ, & contempſit hanc lucem „.

15 Idem lib. 11. in Joannem cap. 21. „ Chriſtus quantum ad ferendam opem illi „ attinuerit, ſervaſſet hominem (Judam) niſi „ ultro ipſe in perditionem inſiliiſſet. Gratia „ igitur in aliis effulſit, ſervavitque omnes, „ qui cooperantem ei voluntatem tradide„ runt; ſic enim ſalutis noſtræ ordo diſpoſi„ tus eſt.

16 Author l. 2. de vocat. Gent. cap. 28. „ Fit manifeſtum quod diverſis, atque innu„ meris modis, omnes homines vult Deus „ ſalvos fieri;ſed qui veniunt, Dei auxilio di„ riguntur; qui non veniunt, ſuâ pertinaciâ „ reluctantur.

17 Idem cap. 26. „ Quæ opitulatio per „ innumeros modos ſive occultos,ſive mani„ feſtos, omnibus adhibetur,& quod à mul„ tis refutatur, ipſorum eſt nequitiæ; quod „ autem à multis recipitur, & gratiæ eſt Di„ vinæ, & voluntatis humanæ.

18 Cap. 31. „ Elaboratum eſt, quantum „ Dominus juvit, ut non ſolùm in noviſſimis „ diebus; ſed etiam in cunctis retro ſæculis „ probaretur, gratiam Dei omnibus homi„ nibus adfuiſſe; quoniam ſive manifeſtè, „ ſive occultè, ipſe eſt, ut Apoſtolus ait, *Sal„ vator omnium hominum, maximè fidelium*.

19 S. Proſper ad Gallos ſuper caput 8. Sententiâ octavâ. „ Qui dicit,quod non om„ nes homines velit Deus ſalvos fieri; ſed „ certum numerum prædeſtinatorum, duriùs „ loquitur, quàm loquendum eſt de altitu„ dine inſcrutabilis gratiæ Dei, qui & om„ nes homines vult ſalvos fieri, atque ad „ agnitionem veritatis venire.

20 Idem Sanctus ad Objectiones Vincentianas Object. 2. „ Sinceriſſimè credendum „ eſt, atque profitendum, Deum velle, ut „ omnes homines ſalvi fiant; ſiquidem Apo„ ſtolus,cujus iſta eſt ſententia, ſolicitè præ„ cipit, quod in omnibus Eccleſiis piiſſimè „ cuſtoditur, ut Deo pro omnibus homini„ bus ſupplicetur:ex quibus,quod multi per„ eunt, pereuntium eſt meritum; quod mul„ ti ſalventur, ſalvantis eſt donum.

21 S. Paulinus epiſtola 1. ad Aprum: „ Hinc in omni loco plura quotidie mirabi„ liora ſolito ſigna crebreſcunt, ut omnem, „ quantum in ipſo Deo eſt, hominem ſalvum „ faciat.

22 Idem epiſtola 33. ad Deſiderium: „ Cogitans quia miſericors,&miſerator Do„ minus neminem vult morte morientem, „ neque creaturam ſuam in illa arbore(ficu) „ ſed inimicum plantationis ſuæ, vitium ar„ boris, maledicendo damnavit. „

23 S. Damaſcenus lib. 11. de fide Orthodoxâ cap. 29. „ Illud quoque nos nè fu„ giat, Deum, ut bonitate præſtantem, qui„ dem omnes homines ſervari, ac regni ſui „ compotes eſſe velle: neque ſupplicii, ac „ cruciatûs causâ; verùm ad hoc ut bonita„ tis ipſius participes ſimus, nos effinxiſſe: „ ut juſtum autem, iis quoque qui peccant, „ pœnam inferre nihilominus velle. Ac prius „ illud antecedens voluntas, ſeu beneplaci„ tum dicitur ex ipſo manans: ſecundum au„ tem conſequens voluntas, atque permiſſio „ à noſtro vitio ortum ducens.

24 Idem Dialogo contra Manichæos: „ Sanè Deus, ut qui naturæ bonitate, ac mi„ ſericordia præſtat, peccatum non vult, ac „ mortem peccatoris, nec viventium exitio „ delectatur, nec iræ affectu poſſidetur, aut „ pœnam infert, verùm omnibus bona fun„ dit: qui vult accipit, & bonis potitur.

25 S. Anſelmus l. 6. de voluntate Dei: „ Voluntas approbans in Deo eſt, quâ vult „ omnes homines ſalvos fieri, quoniam nul„ lum prohibet, quantum ad ſe, ſalvum fieri; „ imò,ſi quis ad hoc laborat, approbat „.

26 Oecumenius in 1.Tim. 2. „ Si Deus „ vult (omnes homines ſalvos fieri) quare „ non fit, quod vult? Non fit, quia illi no„ lunt; nihil enim ex neceſſitate facit in no„ bis Deus.

27 S. Laurentius Juſtinianus lib. de contemptu Mundi cap. 8. „ Noli, ò homo, cum „ delinquis, bonitatem damnare Divinam, „ quod ſuam tibi minimè prærogavir gra„ tiam, &bene agendi tibi negaverit pote„ ſtatem: vult quantum in ipſo eſt, omnes „ homines ſalvos fieri, & ad agnitionem ve„ ritatis venire; quatenus in omnibus repe„ riat, quod coronet „.

CAPUT V.

Duodecima Propoſitio pridem rejecta à Scholaſticis.

1 S. Thomas l. 3. contra Gentes cap. 159. „ Deus quantum in ſe eſt, paratus „ eſt omnibus gratiam dare; vult „ enim omnes homines ſalvos fieri, & ad „ agnitionem veritatis venire, ut dicitur 1.

„ Tim.2. ſed illi ſoli gratiâ privantur, qui iu „ ſe ipſis gratiæ impedimentum præſtant;ſicut ſole mundum illuſtrante in culpam reputatur ei, qui oculos claudit, ſi ex hoc „ aliquod malum ſequatur; licèt videre non „ poſſit,niſi lumine ſolis præveniatur „ .

2 Idem de veritate quæſt. 23. art. 2. „ Quia ergo Deus omnes homines propter „ beatitudinem fecit, dicitur voluntate antecedente omnium ſalutem velle.Sed quia „ quidam ſuæ ſaluti adverſantur, quos ordo „ ſuæ ſapientiæ ad ſalutem venire non patitur,propter eorum defectum, implet in eis „ alio modo id, quod ad ſuam bonitatem „ pertinet, ſcilicet eos per juſtitiam damnans „ .

3 Ibid.in Reſp.ad 2.„Vult Deus(reprobum) „ ſalvari voluntate antecedente, ratione humanæ naturæ, quam ad ſalutem fecit; ſed „ vult eum damnari voluntate conſequente, „ propter peccata,quæ in eo inveniuntur „ .

4 Idem in 1.Tim.2. „ Jeſus Chriſtus mediator Dei, & hominum,non quorumdam, „ ſed inter Deum, & omnes homines: & hoc „ non fuiſſet, niſi vellet omnes ſalvos „ .

5 Ibid. „ Alio verò modo ſecundùm „ Damaſcenum, ut intelligatur de voluntate antecedente,non conſequente:quæ voluntas dupliciter poteſt conſiderari:in univerſali, vel abſolutè: & ſecundùm aliquas „ circumſtantias, & in particulari. Voluntas „ abſoluta eſt quaſi antecedens: voluntas „ alicujus rei in particulari eſt quaſi conſequens. Exemplum de mercatore,qui vult „ omnes merces ſuas ſalvare abſolutè,& hoc „ voluntate antecedente. Sic in Deo ſalus „ omnium hominum ſecundùm ſe conſiderata, habet rationem ut ſit volibilis:Et Apoſtolus hic ita loquitur: & ſic ejus voluntas „ eſt antecedens; ſed ſi conſideretur bonum „ juſtitiæ,& quod peccata puniantur, ſic non „ vult; & hæc eſt voluntas conſequens „ .

6 S. Bonaventura in 1. diſtinct. 46. q. 1. art. 1. „ Deus voluntate beneplaciti vult „ omnes homines ſalvos fieri voluntate antecedente.

7 Ibid. „ Deus dicitur velle omnium „ ſalutem, quantum in ſe eſt, & antecedenter connotatur in omnibus ordinatio ad „ ſalutem, tum ex parte naturæ datæ, tum „ ex parte gratiæ oblatæ „ .

8 Ibidem diſt.47.q.1.art.1. „ Nihil plus „ eſt dicere, Deus vult illum ſalvum fieri „ quantùm in ſe eſt, quàm Deo placuit illi „ dare naturam, per quam poſſet venire ad „ ſalutem, & quod Deus paratus eſſet juvare; ita quòd ſalus non deficit propter defectum à parte Dei „ .

9 Scotus in 1.diſt.46.q.unicâ: „ Ad primùm dico, quòd licèt illud dictum Apoſtoli poſſet exponi de diſtributione accommodatâ pro omnibus, qui ſalvi fient; tamen multò meliùs poſſet exponi de voluntate antecedente; ſic vult omnes homines „ ſalvare, & ſalvos fieri, quantùm ſcilicet „ ex parte ſui,& voluntate ſua antecedente, „ pro quanto dedit eis dona naturalia,& leges rectas, & adjutoria communia ſufficientia ad ſalutem.

10 Paria habent Altiſiodorenſis l. 1. ſentent.cap.13. Albertus Magnus 1.parte q. 79. memb. 2. Alexander Alenſis 1. parte q. 36. membro 2.

11 Iſtos ſcholarum Principes ſequuntur paſſim cæteri, ut Gabriel in 1. diſt.46. num.2. & coroll. 6. Reynerus in Pantheologia verbo *Liberatio à peccatis*,cap.18.Argentina in 1.diſtinct.47. q.art. 1. Capreolus in 1. diſtinct.47. q.unicâ art. 2. Dominicus Soto ſub dub. ad Rom. 9. digreſſione de prædeſtinatione. Corduba l.1.q.56. not.1. Durandus in 1. diſt.46. q.1.& diſt.47. q.1. quibus conſentiunt Lovanienſes Academici præcipui Bajanis, & Janſenianis novitatibus non afflati.

12 Driedo de concordia cap.4. „ Cùm „ audis Apoſtolum obſecrantem nos, ut pro „ omnibus oremus, & hoc bonum, & acceptum eſſe coram Deo, qui vult omnes ſalvos fieri.... quid aliud quæſumus ex his „ poſſumus intelligere, quàm quòd ipſe velit, ut nos velimus orare pro omnibus indifferenter, ut ſalvi fiant; aut quòd ipſe „ velit omnes ſalvos fieri, qui ſalvi fieri voluerint, deſiderarint, &c.?

13 Ruardus Tapperus art.7. de lib. arbitrio pag. 334. „ Vult Deus omnes ſalvos „ fieri; ſed ſi accedant ad eum; non enim ſic „ vult, ut nolentes ſalventur, ſed vult ipſos „ ſalvari, ſi & ipſi velint.

14 Cunerus Petri Epiſcopus Leovardienſis lib.de gratiâ Chriſti cap.13. Per illam ſententiam *Deus vult omnes homines ſalvos fieri*, probat dari omnibus auxilium ſufficiens.

15 Joannes Malderus Epiſcopus Antverpienſis 1.2.q.3.art.3.dub.5.memb.1. In illud *Vult omnes &c.* „ Eſt (inquit) intelligendum „ hoc de ſingulis hominibus, non tantùm „ de omnibus hominum generibus... Quarta interpretatio eſt, quod omnes velit ſalvos fieri voluntate antecedente „ : hanc approbans proſequitur.

16 Locum hic meretur præclara ſententia Eminentiſſimi Card. Aguirre in Theologia S. Anſelmi, quam Romæ degens alterâ, & auctiore editione divulgavit. Tom. 3. diſput. 124. ſect. 2. num. 17. „ De hominibus „ non

„ non imaginariis,non purè poſſibilibus; ſed „ communi hâc aurâ fruentibus, lapſiſque „ in peccatum originale; imò in ſcelera per- „ ſonalia, loquitur ad litteram Apoſtolus „ 1.Tim.2. dum inquit, *Deus vult omnes ho-* „ *mines ſalvos fieri, & ad agnitionem verita-* „ *tis venire*;Nimirum loquitur ibidem etiam „ de *Regibus & omnibus, qui in ſublimitate* „ *ſunt*. Patet verò,illo tempore nullos fuiſſe „ in mundo Reges, niſi peccatores, & idolo- „ latras, ac proinde ſceleribus innumeris „ plenos,præſertim Neronem, cujus tempo- „ re ſcribebat Apoſtolus, idemque ferè eſt „ de omnibus iis, qui tunc in ſublimitate „ erant. Ergo illos omnes volebat Deus ſal- „ vos fieri, & ad agnitionem veritatis ve- „ nire „. Et tamen certiſſimum eſt, quod in illis effectus ſecutus non fuerit voluntatem Dei; nec enim Nero, nec alii tunc Reges cum cæteris in ſublimitate poſitis, ad agnitionem veritatis, ac beatitudinem pervenêre.

CAPUT VI.

E quibus fontibus haurire Queſnellus potuerit doctrinam Propoſitionis duodecimæ.

1 NOn ex alio latice ſe Propoſitionem hanc hauſiſſe teſtatur, quàm ex quo hauſit ſuperiorem: ex verbis nempe Salvatoris ad Paralyticum Mar.2.v.11. *Tibi dico ſurge, tolle grabatum tuum, & vade in domum tuam*. Sed neſcio qua mentis vertigine, aut quo depravato guſtu ex fonte hoc melliti̇ſſimo, & ſaliente in vitam æternam, tam amari ſaporis, & virulentum potum ſe eliciniſſe arbitretur. Gebennenſes, vel Batavicas paludes, dimiſſis Scripturæ, & Eccleſiæ aquis limpidiſſimis, incautus adiverit. Quid enim ex unico Chriſti actu, & quidem miraculo ſanante Paralyticum ab infirmitate corporis deduci ſapienter, & generatim poteſt circa modum quo Deus utitur in ſalvandis animis? Sequiturne ex paucis ſanatis miraculo corporibus, quod non niſi paucorum animos; non verò omnes ſalvare voluerit? Sanatio corporum à Deo ſolo pendet, non ſalus animorum; ſaltèm in adultis. Horum ſalus liberam hominis cooperationem neceſſariò poſtulat; ſanatio corporum ſoli tribuenda miraculo, nec à libero hominis conſenſu ullatenus pendet, nec ab ulla ejus cooperatione. Quemadmodum autem fides docet, gratiæ aliquando reſiſti, docet voluntati Dei nos per gratiam ad juſtitiam, & ſalutem vocanti, aliquando reſiſtere, ſeu diſſentire. *Vult* Deus *peccatores omnes ad pœnitentiam reverti*, 2.Petri 3. v.9. Vult Deus Matth.11. v. 28. ut omnes, qui laborant, & onerati ſunt, ad ſe veniant: longè plures vocationem negligunt, quàm ſequantur. Etſi igitur Paralytici ſanatio voluntatem Dei ſtatim ſecuta ſit; nihil tamen legitimæ conſecutionis indè deducitur, quod omnes, quos Deus ſalvare vult, ſalvi fiant; quia cùm ſalus merces ſit, meritum ſupponit: hoc liberum hominis conſenſum. Sæpe, Deo volente, non vult peccator, qui teſte Scripturâ Sacrâ, Spiritui Sancto ſæpiſſimè reſiſtit, ut Judæi ſemper perfidi reſiſtebant, ideo duritiem, & rebellionem contra Deum perpetuam meritò eis exprobrante S. Stephano Act.7.v.51. Non Scripturam igitur, & cum ea Spiritum Sanctum tam falſæ propoſitionis Authorem Queſnellus obtendat; ſed patiatur à nobis inquiri alios, à quibus longè veriſimilius eam mutuari potuerit.

2 Janſenius Iprenſis in ſuo damnato Auguſtino tom.3.l.10.cap.2. „ Non poteſt (inquit) ſtatui voluntas generalis, quâ Deus „ omnes homines in damnatione primi pec- „ cati poſitos, velit ſalvos fieri, & ex quâ „ voluntate generalia remedia ſint omnibus „ præparata „.

3 Idem Tom.1.l.8.cap.15. „ Erronea „ eſt ſententia recentiorum, qui exponunt „ locum Apoſtoli 1.Tim.2. *Vult omnes homi-* „ *nes ſalvos fieri*, de voluntate ſalvandi om- „ nes quantum in ipſo eſt „.

4 Idem Tom.3. lib.3. cap.20. „ Expoſi- „ tio enim ea ab errantibus introducta, à ve- „ ris gratiæ defenſoribus graviter improba- „ ta eſt „.

5 Ibidem „ Nil juvat, quod Chryſoſto- „ mus, Oecumenius, Theophylactus, aliique „ Græci ſenſum iſtum recentiorum verum „ eſſe dicant; quia Chryſoſtomus ante exor- „ tas de gratiâ difficultates ſua exaravit: & „ nulli imperfectiùs de gratiâ, quàm Græci, „ locuti ſunt „.

6 Ibidem; „ Antecedens voluntas om- „ nes ſalvandi poſt Adæ lapſum eſt nuda vel- „ leitas, qualem Deus habet erga jam dam- „ natas creaturas, ſive hominum, ſive Ange- „ lorum: quâ non obſtante, poteſt Deus jam „ aliquos nolle ſalvos fieri.

7 Tom.3.l.9.cap.20. „ Deus alios, quos „ non elegit ad regnum, quia noluit eis in- „ tendere finem, nempe ſalutem, noluit eos „ eligere ad media, hoc eſt ad Fidem & quia „ noluit eis iſtum finem, noluit eis etiam „ iſtam prædicationem Euangelii, & miracu- „ la fieri; quamvis videat, eos Euangelio præ- „ dicato obedituros „.

8 Eodem Tom. l. 10. cap. 3. „ Profectò ſic

„ ſic ſe eum cæteris gerit, ac ſi neminem li-
„ berare, ſed omnes damnare ſtatuiſſet; non
„ ſufficientem redemptionem, ac gratiam
„ præparando „.

10 Ante Janſenium Calvinus lib. 3. Inſtitut. cap. 24. §. 16. in 1. ad Tim. 2. *Quo* (inquit) *nihil profectò aliud ſignificatur, quàm Deum nulli hominum ordini viam ad ſalutem præcluſiſſe*.

11 Ibid. *De hominum generibus, non de ſingulis perſonis ſermo eſt*; Ibid. *Aliquid fortè dicerent, ſi Paulus hic de ſingulis hominibus ageret*.

12 Chamierus Calviniſta tom. 3. l. 7. cap. 6. §. 6. *Fecit omnes ſalutis capaces, potentiâ ſcilicet non proximâ, ſed remotâ, ut omnes facti ſunt muſices capaces, etiam muti*.

CAPUT VII.

Solutio eorum, quæ ad Propoſitionis duodecimæ defenſionem allegantur.

1 Objicitur in Hexaplis illud Judith cap. 16. v. 16. *Domine magnus es tu, & praclarus in virtute tua, & quem ſuperare nemo poteſt*. V. 17. *Tibi ſerviat omnis creatura tua, quia dixiſti, & facta ſunt: miſiſti ſpiritum tuum, & creata ſunt, & non eſt, qui reſiſtat voci tuæ*. Matth. cap. 19. v. 24. *Iterum dico vobis, facilius eſt, camelum per foramen acûs tranſire, quàm divitem intrare in regnum Cælorum*. V. 25. *Auditis autem his, Diſcipuli mirabantur valde, dicentes, quis ergo poterit ſalvus eſſe?* Verſ. 26. *Aſpiciens autem Jeſus dixit illis; apud homines hoc impoſſibile eſt: apud Deum autem omnia poſſibilia ſunt*. Luc. 1. v. 37. *Non erit impoſſibile apud Deum omne verbum*.

2 Ad probandam nobis Dei Omnipotentiam, tot textibus opus non erat, imò nullo: quis enim eorum, qui articulum Queſnelli duodecimum rejiciunt, & duce Summo Chriſti Vicario damnant, illam non ultro agnoſcit, & prædicat? Supponere Hexaplorum Author poterat, ſaltèm primum ſymboli articulum *Credo in unum Deum Patrem Omnipotentem*, Romæ non ignotum eſſe, nec in ulla Chriſtiani orbis parte neſciri, vel à pueris prima Catechiſmi rudimenta callentibus. Ex hac autem nullis circumſcripta limitibus Dei Potentiâ, ſequitur indubiè eum, ſi voluntate abſolutâ, & quâ poteſt efficaciſſimâ vellet omnium protſus hominum ſalutem, conſecuturum certiſſimè voluntatis effectum, neminem fore, qui ſalute excideret. At omnem Dei voluntatem eſſe *abſolutam, efficacem*, & ut Scholaſtici eum Sanctis Damaſceno, Thoma & Bonaventura, loquuntur, *conſequentem*, pernegamus cum iiſdem Sanctis, & Theologis omnibus Janſeniſmi, & Bajaniſmi pulvere non conſperſis. Voluntati Numinis abſolutæ, & conſequenti neminem reſiſtere, compertum eſt; ſed & pariter indubitatum, voluntati antecedenti, & conditionem involventi nobis liberam, reſiſti quotidie. De abſolutâ, & efficaci vocatione dicitur Judith cap. 16. v. 17. *Non eſt, qui reſiſtat voci tuæ*. Vocationem autem ex voluntate Dei antecedente, bonis à Deo volitis effectibus deſtitutam habemus apud Jeremiam, Iſaiam, & in novo Teſtamento ſæpius. Clariſſimum quoque exemplum eſt Proverb. 1. v. 23. 24. & 25. ubi ad homines malos, & vocem Dei ſaluberrimam contemnentes ita clamat Sapientia æterna: *Convertimini ad correptionem meam, en proferam vobis ſpiritum meum, & oſtendam vobis verba mea. Quia vocavi & renuiſtis, extendi manum meam, & non fuit, qui aſpiceret. Deſpexiſtis omne conſilium meum, & increpationes meas neglexiſtis, ego quoque in interitu veſtro ridebo*. Ubi perſpicuum eſt, Deum ſeriò vocaſſe ad ſe, ad juſtitiam, ad ſalutem eos, in quorum tamen ridebit interitu, quia vocationem, & gratiam deſpexerunt.

3 Dein objicitur nobis S. Auguſtinus Enchiridii cap. 103. dicens: *Non quod nullus ſit hominum, niſi quem ſalvum fieri velit, quia neceſſum eſt fieri, ſi voluerit*. Verùm adverſarius iterùm non videt neceſſariò explicandum iſtud de voluntate conſequente; quia ſi de antecedente dicitur: *Neceſſum eſſe fieri, ſi Deus voluerit*, inferetur prædeſtinatis omnibus neceſſitas antecedens amplectendi juſtitiam, & perſeverantiam, quæ eſt Lutheri, Calvini, & ſimilium hæreſis execranda, omne virtutum ſtudium in hominibus extinguens. Auguſtinum agere de voluntate ſolummodo conſequente, in qua cum omnibus convenit Catholicis, teſtes habemus irrefragabiles Angelicum Doctorem, & Seraphicum. Sic prior in 1. diſt. 46. quæſt. 1. art. 1. *Secundùm Damaſcenum verbum Apoſtoli* (Deus vult omnes homines ſalvos fieri) *intelligitur de voluntate antecedente, & non de conſequente. Sed ſecundùm Auguſtinum intelligitur de conſequente: unde exponit eum dupliciter: uno modo, ut ſit diſtributio accommoda, pro omnibus qui ſalvantur, ut in littera dicitur: alio modo, ut ſit diſtributio pro generibus ſingulorum*. Voluntate itaque conſequente tantùm vult Deus omnes prædeſtinatos ſalvari, ſive aliquos ex ſingulis hominum generibus, non ſingulos omnium generum. Sed hæc explicatio non opponitur alteri, quæ ſingulos omnium generum complectitur voluntate antecedente, juxta Damaſcenum, & Angelicum. Bonaventura quoque

que in primum diſt.46.q.1. prolatis Auguſtini expoſitionibus, addit: *Neceſſe eſt, ſic vel ſic ſolvere, ſuppoſito, quod velle dicat ibi velle Dei, ſecundùm quod dicitur velle placito quietato, ſive voluntate abſolutâ, de qua verum eſt dicere; omnia quæcunque voluit ſecit; ſed Damaſcenus facit vim in modo volendi. Diſtinguit enim in Deo voluntatem antecedentem, & conſequentem &c. Prima ſcilicet antecedens, dicitur à Magiſtris voluntas conditionalis, ſive voluntas, qua Deus vult quantum in ſe eſt; ſecunda autem, ſcilicet* CONSEQUENS, *dicitur* ABSOLUTA. Dein oſtendit, Deum velle ſalutem omnium voluntate anteeedente, & conditionata; atque *huic reſponſioni*, inquit, *magìs conſonant Magiſtri, quamvis utraque bona ſit*.

4 Modus hic diſtinguendi voluntates, quarum jam inſtituta fuit mentio, quem nos explieatiùs docuerunt SS. Damaſcenus, Thomas, Bonaventura cum Scoto & cæteris eos ſecutis ſcholaſticis, copioſam lucem affundit coneiliandis Scripturis, quæ ſibi aliàs viderentur opponi. Atque hâc etiam de causâ opportuniſſimus eſt, quod Patres omnes inter ſe componat, atque ipſum ſecum Auguſtinum, qui voluntatem Dei pro ſalute omnium prorſus hominum, & non ſolummodo ſalvandorum, ſæpius aſſeruit, quam videretur alibi rejeciſſe. Ex dictis facilè explicatur quidquid locutionis ſimilis, aliunde ſive ex Auguſtino, ſive ex ejus Diſcipulis Proſpero, Fulgentio, Epiſcopis Africanis in Sardinia exulibus, vel Authore Hypognoſtici, & Petro Lombardo, ſive in Hexaplis, ſive alibi à Conſtitutionis, & Fidei hoſtibus corraſum obtruditur. S. Proſperum communi dogmati faventem æquè, ac Auguſtinum cum reliquo Patrum agmine dedi ſuperiùs. Inter hos eſt Anthor librorum de vocatione gentium, quem Bellarminus lib. de Scriptoribus Eccleſiaſt. ubi de Ambroſii operibus diſceptatur, ait *manifeſtè eſſe S. Proſperum*. Quidquid ſit, certum eſt Pelagianorum fuiſſe adverſarium, & nihil continere, ſeu Proſpero, ſeu alio Patre maximè Catholico minùs dignum. Hunc tamen librum audet nobis adverſarius objicere, ad Propoſitionem ſequentem huic ſimilem. Magìs mirum eſt, quod adverſarium non pudeat Conſtitutioni opponere Sanctum Thomam 1. parte quæſt. 19. art. 6. ad 1. dicentem *quidquid Deus ſimpliciter vult, ſit*. In qua citatione triplex committitur ab Adverſario perfidia. Prima eſt quod adverbium *ſimpliciter* Gallicè vertat *Veritablement*. Velle *ſimpliciter* eſt velle abſolutè, & ſinè conditione, ſive, ut Angelicus ibi explicat, eſt velle *conſequenter*. Sic enim ait *Simpliciter volumus aliquid, ſecundùm quod volumus illud conſideratis omnibus circumſtantiis particularibus, quod eſt* CONSEQUENTER VELLE. *Unde poteſt dici, quod Judex juſtus ſimpliciter vult homicidam ſuſpendi; ſed ſecundùm quid vellet eum vivere, ſcilicet in quantum eſt homo*. Ita Deus omnes homines in quantum homines ſunt, vellet æternùm vivere beatos, ſed ex illis plurimos in peccato lethifero ad finem uſque perſeverantes excludi vult beatitudine, & perpetuâ damnari calamitate.

5 Quærendum hìc ex adverſario, an non fateatur cum omnibus tum Catholicis, tum Janſeniſtis, atque ipſo Janſenio lib. 10. de gratia Chriſti cap. 18. Deum ante prævìſum Luciferi, eique adhærentium peccatum habuiſſe veram ſalvandi omnes Angelos voluntatem, ideoque largitum eis ſufficientiſſima ſalutis conſequendæ media? Nunquid & Adamum Deus *verè voluit* mandato ſuo obedire, perſeverare in juſtitia, atque ita ſibi, & poſteris conſulere, quem propterea tot donis cœleſtibus, & auxiliis maximè ſufficientibus inſtruxit? Non voluit tamen id Deus *ſimpliciter* & abſolutè. Non igitur idem eſt *verè velle, & velle ſimpliciter*. Iterum quoque manifeſtum redditur, quod quidquid telorum contra nos Janſenianum armamentarium ſuppeditare poteſt, pro voluntate Dei ſemper efficaciſſima in ſtatu naturæ lapſæ, ferire nos minimè valeat, niſi per ipſorum latus in ſtatu naturæ integræ: ſed contra ea nos ſatis tutos reddunt, ducibus Angelico, & Seraphico, totius Eccleſiæ authoritas, atque ipſa tot Scripturarum oraculis veritas clariſſimè expreſſa.

6 Secunda citationis perfidia eſt Verborum in textu proximè ſequentium prætermiſſio: ſic enim Angelicus loquitur: *Quidquid Deus ſimpliciter vult, ſit, licet illud* QUOD ANTECEDENTER VULT, NON FIAT. Poſtrema hæc damnato Articulo infeſta ſunt, & perſpicuè commonſtrant, velle ſimpliciter idem eſſe, ac *velle conſequenter* ſeu abſolutè. Nemo autem Catholicus eenſet Deum voluntate conſequente velle ſalutem omnium, & ſingulorum hominum, ſed tantùm voluntate antecedente. Qua igitur candoris, ſeu honeſtatis ſpecie Adverſatius Aquinatem indueit, quaſi nullam in Deo voluntatem *veram* agnoverit, niſi efficacem, ſeu abſolutam, & conſequentem?

7 Tertia perfidia eſt; quòd omiſerit præcedentia, ex quibus convinci debuit, Angelicum agnoſcere in Deo veram voluntatem antecedentem erga ſalutem omnium prorſus hominum. Ubi enim S. Doctor dixit, *Judicem juſtum antecedenter velle omnem hominem vivere, ſed conſequenter velle homicidam*

cidam

eidam ſuſpendi : ſimiliter, inquit, *Deus vult antecedenter omnem hominem ſalvari ,ſed conſequenter vult quoſdam damnari ſecundùm exigentiam ſuæ juſtitiæ*; poſt prævifam ſcilicet mottem in peccato mortifero. Ut ſenſibus, ita & fraude ſequi hìc adverſarius voluit illum, de quo ante annos quinquaginta & amplius, quetebatur Eruditiſſimus Pater Joannes. Nicolai ex Ordine Prædicatorum, in gloſſa marginali ad eumdem locum dicens: *Ex quatuor illis interpretationibus* (ab Angelico adhibitis ad intelligendum illud Apoſtoli, Deus vult omnes homines ſalvos fieri) *Janſenianus quidam depravator, tres tantùm arripuit, ut rudiores deciperet, ac eam, quæ eſt Damaſceni*, (de voluntate Dei antecedente) *ſuppreſſit, ut veritatem occultaret*.

8 Si fortè adverſarius nomine voluntatis, per quam Deus non ſimpliciter aliquid vult, intelligat ſolam voluntatem ſigni, & non beneplaciti, prorſus alienus eſt à mente Angelici, ut notat ibidem gloſſa his verbis: *Non quod voluntas antecedens cum voluntate ſigni, quæ impropria voluntas eſt, confundenda ſit, ſicut confundunt quidam, qui ſe Thomiſtas profitentur* (ut profitentur paſſim, ſed perperàm Janſeniſtæ) *nec ſatis cautè, quid Sanctus Thomas dicat, legunt, vel attendunt; cùm nihil expreſſiùs pateat apud illum, quàm quod voluntas antecedens, quamlibet imperfecta, & ſecundùm quid, ſit voluntas beneplaciti, & nominatim cum ex profeſſo verba explicat, quæ ſuperius ex 1.Timoth.2.relata ſunt; ſed hoc plenius in ſelectis, & infra ſuo loco*.

9 Sic etiam S. Bonaventura in 1. diſt.46. q. 1. art. 1. docet: *Deus voluntate beneplaciti, vult omnes homines ſalvos fieri*. Voluntas autem beneplaciti eſt voluntas proptiè dicta, licèt non ſemper efficax reſpectu finis, efficax tamen in præparandis mediis ad finem ſufficientibus, ſi per creaturas non ſteterit, ut optimè S. Thomas lib. 3. contra gentes capit. 159. *Deus quantum in ſe eſt, paratus eſt omnibus gratiam dare; vult enim omnes homines ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, ut dicitur 1.Tim.2. ſed illi ſoli gratiâ privantur, qui in ſe ipſis gratiæ impedimentum præſtant, ſicut ſole mundum illuſtrante, in culpam reputatur ei qui oculos claudit, ſi ex hoc aliquid mali ſequatur; licèt videre non poſſit, niſi lumine præveniatur*. Ubi ex voluntate Dei erga ſalutem omnium hominum legitimè concludit Angelicus, Divinam gratiam omnibus paratam eſſe, & dari, quantum in Deo eſt. Hinc pariter colligitur, quo ſenſu S. Thomas in objecto atticulo dicat, quod *antecedens voluntas magis poſſit dici velleitas, quàm abſoluta voluntas*. Patet enim ex ejus libro contra gentes, velleitatem illam differre plurimum à *velleitate nuda* Janſeniana, quæ in otioſâ hæreat complacentiâ, nihil auxilii ſufficientis ad ſalutem reprobis conferens.

10 Ex his de inanitate convincitur Hexaplotum animadverſio, fingens Queſnellum nihil aliud, quàm Sanctos Patres tradidiſſe. Nos meliùs traditionem Patrûm Queſnelliano Articulo, & ſenſui oppoſitam dedimus. Auguſtinus, quem omnes ejus veri, & ſancti diſcipuli ſequuntur, nihil aliud docuit, quàm quod voluntas Dei conſequens, & abſoluta, ſemper ſit efficax; quod proinde omnes ſalvi fiant, quos tali voluntate Deus ad ſalutem perducere decrevit. Verùm hæc Auguſtini ſententia non impedit quin, ut ſupra oſtendimus, & contra ſequentem Articulum amplius deducemus, agnoſcat ſimul aliam vetam in Deo, & ſetiam voluntatem inefficacem ſalvandi cæteros, qui ad ſalutem non perveniunt, quia nolunt; etſi velle poſſent, ſufficientibus à Deo præventi ſubſidiis. Hæc Queſnellus in nullo agnoſcit reprobo: atque adeò tantum ab Auguſtino, & Sanctis ejus Diſcipulis diſtat, quantum error à veritate, Fides Catholica ab hæreſi Janſenii. De voluntate abſoluta, & conſequente agit quoque Petrus Lombardus lib. 1. Sententiarum diſtinct. 46. Qui verò eum interpretati ſunt, Scholaſticorum Principes Thomas, Bonaventura, Scotus à nobis ſuperiùs contra damnatum articulum allegati, plus lucis attulere ejus ſententiæ, & catholicæ veritati, inſiſtendo Damaſceni veſtigiis, diſtinctionemque perſpicuè exprimendo antecedentis in Deo, & conſequentis voluntatis. Quæ quidem diſtinctio non accipitur ex parte ipſius voluntatis Divinæ, in qua nihil eſt prius, vel poſterius; ſed ex parte volitorum, ut rectè monet Angelicus 1. parte q.19.art.6.

11 Authorum, qui nobis temerè intorquentur, agmen claudit Thomas à Kempis lib. 3. de Imitatione Chriſti cap. 29. ubi dicitur: *Potens eſt autem omnipotens manus tua etiam hanc tentationem à me auferre, & ejus impetum mitigare*. Quin Deus mitigare, atque etiam auferre penitùs tentationes valeat, non eſt dubium; ſed quæritur, utrum velle id poſſit modo inefficaci. Catholicis omnibus perſuaſum eſt, ſæpe Deum velle, ut tentationes declinemus, vel earum impetum, auxiliante gratiâ, frangamus; nos autem tentationibus liberè delectari, eaſque nobis accerſere potiùs, quàm amovere, Divinæ reſiſtentes motibus benevolentiæ, ac pietatis.

Deci-

Decimatertia Propoſitio damnata.

Quando Deus vult animam ſalvam facere, & eam tangit interiori gratiæ ſuæ manu, nulla voluntas humana ei reſiſtit. *Obſerv. mor. Luc.* 5. *verſ.* 13.

CAPUT I.

Propoſitio erroris convincitur.

1 EXiguum hujus, ac prioris articuli diſcrimen eſt; prioris tamen enuntiatio patebat latiùs: præſens ad ſolos rationis compotes reſtringitur. Hi nempe ſoli gratiæ actualis capaces ſunt, hos proinde ſolos interiori manu gratiæ Deus tangit: horum ſolummodo voluntas conſentire gratiæ poteſt, vel reſiſtere. Non autem caſu, vel levi ex cauſa iſtud additum eſt de tactu interioris gratiæ; additione hac opus fuit, nè agi videretur de nuda Dei velleitate, & erga bonum, velut poſſibile, complacentiâ, quæ nulla præparet ſalutis media, & in Deo eſt erga ſalutem etiam Diaboli, & omnium damnatorum.

2 Talem nempe haud negat Author voluntatem antecedentem inefficacem, quæ ante Angelorum, & primi hominis peccatum auxilia inferebat ad ſalutem ſufficientia, quibus poterant in juſtitiâ perſeverare. Sic etiam Janſenius lib. 3. de gratia Chriſti capite 20. *Poſtquam peccata jam ab hominibus inducta conſiderantur, antecedens voluntas in ſola præciſione mentis, adeoque* NUDA QUADAM VELLEITATE NIHIL OMNINO GRATIÆ CAUSANTE *conſiſtere poteſt*. Ita explicans temere Damaſcenum de voluntate Dei antecedente primorum hominum peccatum, concludit: *Nihil igitur omnino doctrina Damaſceni de antecedente ſalutis omnium voluntate recentioribus prodeſt, ut quæ optimè cum neganda ſalutis, & gratiæ ſufficientis voluntate conſiſtit*. Verùm quotquot rationis compotes Deus ad ſalutem, quotquot ad juſtitiam invitat, & ad pœnitentiam, ntì invitat in Scripturis peccatores omnes, etiam reprobos, neceſſe eſt eos interiori gratiæ ſuæ manu tangat, ſaltèm quantum in ipſo eſt, ſeu tangere velit, & paratus ſit, niſi ab homine repellatur; alioqui fraudulenta foret, & Deo indigna invitatio.

3 Quis nempe ſapiens vocet, invitet, urgeat ad impoſſibile? Quis autem ſalvari poteſt, quis ad ſalutem ſe diſponere ſinè gratia? Quis ſinè illa ſe ad juſtitiam vel pœnitentiam convertere? Plurimos itaque Deus Salvare vult, & tangit interiore gratia, qui, obſiſtente ſuâ perverſitate, ad ſalutem non perveniunt. Præcluſum hic pariter eſt Janſenii, & Calvinianorum effugium de nuda *velleitate*, & complacentia erga reprobotum ſalutem, *qualem Deus habet erga jam damnatas creaturas, ſive Hominum, ſive Angelorum*; quibus tamen ea nuda velleitas nihil auxilii præparet, quo ſe ad ſalutem valeant promovere. Sic confidebat Janſenius, & confidit Queſnellus, explicare ſe poſſe, vel eludere, quæcunque Scripturarum teſtimonia, quæ pro voluntate ſalvandi omnes à Catholicis afferuntur.

4 Non minùs inanis eſt Chamieri Calviniſtæ, & affinium ei Janſeniſtarum interpretatio, quâ quidquid ex Scripturis adducitur pro omnium ad ſalutem perveniendi poteſtate, intelligunt de quadam *remotâ*, ut omnes facti ſunt muſicæ capaces, etiam muti; ſurdi capaces ut audiant; inſani ut ratiocinentur; etſi ad poteſtatem canendi, audiendi, ratiocinandi proximam emergere minimè valeant.

5 Non omnes habere ſemper poteſtatem proximam, & immediatam credendi Myſteria Fidei, quæ nunquam prædicari audierint, atque adeò nec proximam pœnitentiæ, & converſionis ad juſtitiam, facilè conceſſerint omnes Catholici, modò adſit iſtiuſmodi poteſtas remota, quâ proximam ſibi valeant comparare, inſtructi qualicunque gratiæ auxilio, quod intrinſecè omnes adulti, juxta communiorem ſententiam, pro tempore & loco recipiunt: vel ſi quibus fortè eam impertiri non contigerit, id ſaltèm poſſint auxilio gratiæ oblato, & quod Deus ex antecedenti voluntate paratus eſt ſuppeditare, reipſàque confertet, niſi Divinæ beneficentiæ fontem hominum peccata obſtruerent.

6 Sed remota Calviniana, & Janſeniana minimè ſufficit: neque ſufficit nuda in Deo velleitas, ut Scripturarum teſtimonia ratione utcunque veriſimili explicentur. Poſſetne Deus de damnatis ſeu Angelis, ſeu Hominibus dicere, quod de viatoribus quibuſcunque impiis: *Nolo mortem peccatoris, ſed ut convertatur impius à via ſua, & vivat*? Poſſetne ſic damnatos apud eumdem Prophetam alloqui? *Vivo ego: nolo mortem* damnati, *ſed ut convertatur à via ſua; convertimini, convertimini*

timini, *impietas* damnati *non nocebit ei*? Diceretne Apoſtolus ad Timotheum: *Deus vult omnes* Diabolos *ſalvos fieri*, *& ad agnitionem veritatis venire*? Diceretne Chriſtus damnatis, quod peccatoribus omnibus apud Matthæum: *Venite ad me omnes qui laboratis*, *& onerati eſtis*, *& ego reficiam vos*?

7 Nos meliùs ab Angelico Magiſtro, & ipſa Sacrorum Textuum proprietate edocti, credimus, Deum velle Salutem omnium hominum, non *nudâ velleitate*, nihil ſufficientis auxilii præparante, vel tribuente ſolam remotam ſalutis potentiam, quam ad actum teducere nec ſuis viribus, nec alienis auxiliis poſſent; ſed tenemus & tenendum à Theologis Catholicis eſt axioma Sancti Thomæ lib. 3. contra gentes cap. 159. *Deus quantùm in ſe eſt, paratus eſt omnibus gratiam dare; vult enim omnes homines ſalvos fieri*, *& ad agnitionem veritatis venire*, *ut dicitur* 1. *Tim.* 2. Ubi Sanctus Doctor rationem reddens, quâ conſtet, *Deum quantum in ſe*, *paratum eſſe omnibus gratiam dare*, hanc promit irrefragabilem; *vult enim omnes homines ſalvos fieri*.

8 Quidquid contra *nudam velleitatem* dictum eſt tanquam minimè ſufficientem, ut ſalvetur Divinorum Oraculorum proprietas, facilè applicabitur adverſùs Calvinianam, ac Janſenianam potentiam remotam, qualis in muto eſt ut cantet, in ſurdo ut audiat. Riſui nempe ſe expoſuiſſet Ezechiel, & quiſcunque alius Propheta, ſi nolens miraculo reddere loquelam mutis, neque ſurdis auditum, clamaſſet ad ravim: Vivo ego dicit Dominus, nolo ſilentium mutorum, neque ſurdorum ſurditatem. Surdi audite, audite verbum Domini, muti cantate, cantate Domini laudem, os veſtrum annuntiet juſtitiam; ore veſtro fiat confeſſio ad ſalutem; potens eſt Deus, ſi me ſurdi audiatis, & ſi muti cantaveritis, vobis reddere linguæ, & aurium ſanitatem. Pro ſurdis, & mutis reſpondiſſent alii: priùs à Deo mutis loquendi, ſurdis audiendi potentia concedenda eſt, quam hi audiant, illi loquantur. Potentia in illis remota eſt quidem anima cum organis corporis, verùm ea requiritur præterea organorum diſpoſitio, quam non ſibi præſtare humanâ arte, vel induſtriâ poſſunt; ſed ſolus is qui naturam condidit, & conſervat. Quid autem juvaret miſeros, ſi diceretur Deus ſibi in illorum cantu, & auditu tamquam bono abſolutè poſſibili complacere; ſed intrà *nudæ velleitatis* terminos hærere, eos nunquam exceſſurus?

9 Nuda velleitas, & *potentia* adeò *remota* ſufficere quoque nullo modo potuiſſet, ut Deus per Iſaiam diceret, *Quid eſt, quod debui ultra facere vineæ meæ, & non feci ei*? *An quod expectavi, ut faceret uvas*, *& fecit labruſcas*? Cultura neceſſaria eſt: niſi hæc, & quidem ſufficiens impendatur, fruſtrà eſt remota vineæ producendi uvas potentia, nec minùs inutilis ad effectum *nuda* Domini *velleitas*, in ubere vindemia, velut bono abſolutè poſſibili ſibi complacentis.

10 Ineptiſſima pariter fuiſſet Chriſti invitatio dicentis, *Venite ad me omnes qui laboratis*, *& onerati eſtis*, etiam qui venire nullo modo poteſtis, defectu virium neceſſariarum, & ſufficientium, *venite* tamen, *& ego reficiam vos*. Dicerent omnes, prius eſſe, præſtare veniendi potentiam, quàm invitare, vel præcipere ut veniant. Ridicula fuiſſet etiam Chriſti excuſatio, ſi allegaſſet *remotam* in iis veniendi *poteſtatem*, & in ſe *velleitatem*; ſed *nudam*, nihil virium ſubminiſtrantem, aut ſubminiſtraturam unquam. Pari ratione de cæteris Scripturæ teſtimoniis demonſtrare facillimum eſt, non poſſe iis ſenſum ullo modo probabilem, vel tolerabilem aſſignari, ſi Deus ſolos prædeſtinatos ſalvare velit voluntate præparante media ſufficientia, contentus circa alios *nudâ velleitate*, & relictâ iis ſolâ remotâ ad ſalutem potentiâ, quâ proximam ſibi nullus eorum unquam valeat obtinere.

11 Denique repetenda hic S. Thomæ animadverſio in 1. Tim. 2. Jesus *Chriſtus mediator Dei*, *& hominum*; *non quorumdam*; *ſed inter Deum & omnes homines*: *& hoc non fuiſſet*, *niſi vellet omnes ſalvare*. Neque Apoſtolus vocavit, neque ullus Catholicus vocabit Chriſtum mediatorem Dei, & Dæmonum, quia hos ſalvare non vult, nec media ad ſalutem ſufficientia eis concedere. *Nuda* igitur Janſeniana *velleitas*, in Deo, quæ nullum præparet auxilium ſufficiens, non poteſt explicare tot convincentia Scripturæ teſtimonia, quæ pro ſeria Chriſti voluntate ſalvandi omnes, & media offerente ad finem conſequendum idonea, à Catholicis paſſim Scriptoribus allegantur. Quaptopter falſa omninò, & hæretica eſt Queſnelli ſententia, Deum non niſi prædeſtinatorum animas velle ſalvare, & gratiæ ſuæ interioris juvare auxilio: ſive omnes illas ſalvari, quas Deus ſalvare volens, interiore ſuâ gratiâ tangit.

12 Unum hic luberet ex Queſnello quærere; an Judam exiſtimet nullam accepiſſe à Deo unquam interiorem gratiam? An etiam nullam cæteros reprobos, inter quos multi annis pluribus vitam duxere fulgentem virtutibus? Non auſit alienam adeò ab omni veri ſpecie comminiſci novitatem; quia aut contra ipſum Janſenium negaret eis juſtitiam temporalem, aut hanc ſolis tribueret naturæ viri-

viribus abſque gratiæ actualis auxilio, quod Pelagianæ congrueret impietati. Cùm itaque ex ſacris Codicibus, & Patrum traditione manifeſtum ſit, Deum velle omnium hominum ſalutem: neque inficiari ullus Catholicus valeat, aut velit ipſe Queſnellus, multos reprobos ſubinde bona opera gratiæ auxilio exercuiſſe, rectè concluditur, Deum multorum animas velle ſalvas facere, atque eas tangere interiore gratiâ, quæ tamen aliquando, excuſſo timore Numinis, abdicatâ juſtitiâ, vitam impiè terminantes pereunt.

13 Abſtineo hìc ab exagitanda altera hæreſi, quam Propoſitio præſens duodecimæ ſuperaddit, de interiore gratiâ cui nunquam reſiſtitur; ſatis enim ea ad Propoſitionem 9. refutata eſt.

14 Præſens error non ſolidiore fundamento nititur, quam duodecimus. Nititur videlicet etiam miraculosâ unâ corporis curatione: ex qua generalis concluſio ineptiſſima deducitur de curatione, & ſalute æternâ animorum. Luc. 5. v. 13. refertur de Chriſto: *Et extendens manum tetigit eum dicens, Volo: mundare: & confeſtim lepra diſceſſit ab eo.* Unde ridiculâ argumentandi ratione, nec apud Theologos, nec apud Philoſophos hactenus auditâ Queſnellus infert: ergo ſemper *quando Deus vult animam ſalvam facere, & eam tangit interiore gratiæ ſuæ manu, nulla voluntas humana ei reſiſtit.* Nè quidem, ſi apud Lucam ſermo eſſet de ſalute animæ, ex caſu ſingulari ad univerſos probabilis eſſet conſecutio; multò minùs ex ea ſanatione corporis, quæ miraculo patrata, ſolius Dei operatio eſt, nihil conferente, nec concurrente humani arbitrii libertate, concludi generatim poteſt, ſalutem animis ſemper conferri, quoties Dei voluntatem ſalvandi animam comitatur interioris gratiæ qualiſcunque tactus. Neque Dei voluntas, neque interior ejus gratia ſemper efficax eſt, ut univerſa contra Janſenium agnoſcit Eccleſia. Neque ſinè hæreſi negari poteſt, interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ aliquando reſiſti, & Chriſtum non pro ſolorum prædeſtinatorum ſalute mortuum eſſe, adeóque Deum velle, etiam alios ſalvos fieri, quàm qui re ipſa ſalvantur.

CAPUT II.

Solutio eorum quæ objiciuntur ex S. Scriptura.

1 GENES. cap. 50. verſ. 19. *Num Dei poſſumus reſiſtere voluntati?* Ita reſpondet Joſeph fratribus veniam ab eo precantibus pro venditionis delicto, quod quidem à Deo minimè volitum, ſed permiſſum fuit. *Non enim Deus volens iniquitatem tu es*, ut Rex Pſaltes veriſſimè cecinit. Permittere tamen voluit Deus hanc fratrum perfidiam, ut indè opportunitatem acciperet, Joſephi innocentiam, caſtitatem, manſuetudinem reddendi illuſtriorem, & majore præmio remunerandi. Hinc pariter elicere voluit totius paternæ domûs, & fratrum omnium incolumitatem: quod ſtatim Joſeph indicat v. 20. *Vos cogitaſtis de me malum; ſed Deus vertit illud in bonum, ut exaltaret me ſicut in præſentiarum cernitis, & ſalvos faceret multos populos.* Noluit Deus ut Joſephum fratres venderent: neque dubium eſt, quin eum remordente conſcientiâ, neglecto ſuperiore lumine, & Spiritui Sancto reſiſtentes vendiderint. Huic itaque Divinæ voluntati, & ejus motui reſtiterunt; ſed non voluntati peccatum permittendi, quæ ſolùm conſequens eſt.

2 Poteſt quoque, ut aliàs explicui, complexum utriuſque voluntatis hac ratione efficax prædicari, & tale cui reſiſti nequeat, ſi cum disjunctione enuntietur: *Volo ut non vendatur Joſeph, vel ſi venditus fuerit, exaltetur.* Ita quodcunque Deus peccatum prohibet, adeóque vult ut non fiat, vult tamen ob fines optimos à ſe intentos permittere. Eodem modo dici poteſt, non reſiſti ejus voluntati, ſub hac vel ſimili disjunctione conceptæ: *Volo peccatum non fieri; vel ſi fiat, elici ex eo bonum, quale eſt mea potentiæ, & juſtitiæ in puniendis criminibus manifeſtatio.* Id ſimili ratione, & ſenſu prorſus eodem docuit Auguſtinus lib. de Spirit. & lit. cap. 12. *Vult autem Deus*, inquit, *omnes homines ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire; non ſic tamen ut eis adimat liberum arbitrium quo vel benè, vel male utentes juſtiſſimè judicentur. Quod cùm ſit, infideles quidem contra Dei voluntatem faciunt, cùm ejus Euangelio non credunt, nec ideò tamen eam vincunt; verùm ſe ipſos fraudant magno, & ſummo bono, maliſque pœnalibus implicant, experturi in ſuppliciis poteſtatem ejus, cujus in donis miſericordiam contempſerunt.* Quod S. Doctor claro dilucidat exemplo: *Qui enim dicit V. G. Volo, ut omnes hi ſervi mei operentur in vinea, & poſt laborem requieſcentes epulentur, ita ut quiſquis eorum hoc noluerit, in piſtrino ſemper molat*, debitas daturus negligentiæ ſuæ, & inobedientiæ pœnas. Habemus hìc clariſſimum disjunctivæ voluntatis in Deo ſpecimen; ita ut quidem parti ejus anteriori à rebellibus, & maleſanis hominibus reſiſtatur, ſed non poſteriori, in quam ſuppoſitâ inobedientiâ

tiâ incidunt peccatores neceſſariò. Complexum igitur voluntatis disjunctivæ non infringitur, quamvis una partium deſtituatur effectu.

3 Majoris etiam claritatis causâ, & ad erudiendos in ſanâ doctrinâ populos opportuniùs poſt Damaſcenum à ſcholæ Principibus adhibita eſt voluntatis antecedentis(quæ eſt ſub conditione) & conſequentis abſolutæ diſtinctio. Ex Geneſi igitur ubi de voluntate Dei peccatum permittendi, ut indè bonum eliceret,ac proinde de voluntate conſequente agitur, nihil præſidii Queſnellus acquirit, ut omnem à Deo voluntatem, etiam antecedentem arceat effectibus carentem,& omnem ab homine removeat interiorem gratiam, cui aliquando reſiſtitur.

4 Si, ut Hexapla contendunt, textus Geneſeos contineret articulum 13. à Clemente XI. proſcriptum, contineret,quod prorſus impoſſibile eſt, duplicis Janſenianæ hæreſeos firmamentum; nempe quòd *gratiæ interiori in ſtatu naturæ lapſæ nunquam reſiſtatur*: & quòd *gratia ad ſingulos actus* ſalutiferos,*etiam ad initium fidei neceſſaria, non ſit talis,cui poſſit humana voluntas reſiſtere, vel obtemperare*.

5 Objicitur quoque oratio Mardochæi, quæ eſt in libro Eſther cap. 13. *Domine Rex omnipotens, in ditione tuâ cuncta ſunt poſita, & non eſt qui poſſit tuæ reſiſtere voluntati, ſi decreveris ſalvare Iſraël. Tu feciſti Cœlum, & terram, & quidquid Cœli ambitu continetur. Dominus omnium tu es,nec eſt qui reſiſtat Majeſtati tuæ*. Reſpondeo non agi in textu Sacro de quacunque voluntate, ſed abſolutâ;quod evidens fit, vel ex addito exemplo de creatione mundi. Tali voluntati indubiè nemo reſiſtere potuit. Cæterum tam novi, quàm veteris Teſtamenti Codices pleni ſunt volitionibus Divinis, quibus ab humanâ reſiſtitur voluntate. Quoties per Prophetas, & Apoſtolos vocat Deus peccatores omnes ad pœnitentiam, quoties invitat omnes homines ad ſalutem, quoties comminationibus graviſſimis deterret eos à peccato, & propoſitis præmiis hortatur ad obſervationem mandatorum, ſinè dubio ſeria indicatur in Deo voluntas, ut omnes homines mandatis obtemperent, virtutem amplectantur, avertantur à vitiis, de peccatis agant pœnitentiam, ſalutis æternæ fiant compotes: verùm quod Stephanus dixit de perfidis Judæis, convenit plurimis Chriſtianis,magìs etiam Gentilibus, *Vos ſemper Spiritui Sancto reſiſtitis*.

6 Non minùs reſiſtunt Dei Filio,qui,teſte Apoſtolo, *Vult omnes homines ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire*. S. Clemens, vel quiſquis ſub ejus nomine Author eſt, lib. 2. conſtitut. cap. 55. *Audivimus*, inquit, *ex ore Domini noſtri* Jesu, *& optimè edocti dicimus, quænam ſit voluntas Dei bona, & beneplacens, & perfecta, quæ nobis per Jeſum Chriſtum declarata eſt, ſcilicet nè ullus pereat. Sed potiùs omnes homines, cum ei uno conſenſu crediderint, laudibus eumdem uno animo, & ore celebrantes, iidem in ſempiternum vivant*. Sed & ipſius Principis Apoſtolorum dilucidum habemus de Deo teſtimonium Epiſt. 2. cap. 3. v. 9. *Nolens aliquos perire, ſed omnes ad pœnitentiam reverti*. Innumeri tamen, contemptâ benigniſſimâ Dei voluntate, pœnitentiam agere nolentes ad inferos demerguntur. Num dicet Hexaplorum Author cum impiis Calvinianis vulgò *Contra-remonſtrantibus* in ſpecimine Amſtelodamenſi art. 56. *Quod Dominus clamavit: Volui*, (ſalvare omnes) *non dixit ut Deus, ſed tanquam homo, & doctor de ſua voluntate humanâ*? Quaſi hæc conformis non fuiſſet Divinæ; quod à fidelium ſenſu,& veritate Catholica alienum eſt.

7 Non magìs urget nos quod objicitur ex lib. Job cap. 23. v. 13. *Nemo avertere poteſt cogitationem ejus, & anima ejus quodcunque voluit, hoc fecit*. Peregrinus ſcilicet in Theologia Catholica eſt adverſarius, ſi neſciat voluntatem Dei diſtingui in abſolutam, & eam, cujus effectum,tanquam à conditione,pendêre voluit à libero hominis arbitrio; priorem ſemper omnimodè efficacem eſſe, poſteriorem ſæpe à malitia hominum impediri, nè ſortiatur effectum. *Ego cogito cogitationes pacis, & non afflictionis*, inquit Deus; ſed hæ cogitationes non ſemper ad effectum provehuntur, impediente hominum perverſitate, qui affligi æternum malunt, quàm hìc voluptatibus renuntiare. Quidquid igitur Deus vult voluntate abſolutâ, efficaci, ſive conſequente, ſinè dubio perficitur, non quidquid conditionatâ, inefficaci, & antecedente, ut cum Damaſceno, & Doctoribus Angelico, & Seraphico omnes hodie Theologi diſtinguunt. Ignoſcent Janſeniani, ſi ipſi ſæpius declarati ab Eccleſiâ hæretici non minùs, quàm Calviniſtæ, aut Lutherani, Theologorum propriè dictorum numero excludantur.

8 Neque vim habet contra nos illud Epiſtolæ ad Romanos cap. 9. v. 19. *Voluntati enim ejus quis reſiſtit*: ubi Hexapla omittunt initium verſus, quo ſignificatur non Apoſtoli ſententiam eſſe; ſed aliorum objectionem, ut patet: *Dicis itaque mihi, quid adhuc queritur* (Deus)? *Voluntati enim ejus quis reſiſtit*? Veriſſimum tamen eſt voluntati Dei conſequenti neminem reſiſtere; ſed plurimos antecedenti,dum omnes vult ſalvos facere;ſed poſtquam prævidit aliquos ſalvari nolle, ſuppli-

cia

cia eis decernit, quod conſequens decretum à nemine infringitur, nemo ei reſiſtit. Objectio illa ab Apoſtolo recenſetur, occaſione iſtius, quod dicitur verſu præcedenti: *Ergo cujus vult miſeretur, & quem vult indurat*. Sed hoc de voluntate permittente potiùs ob fines juſtiſſimos, quàm decernente orthodoxi intelligunt contra Calvinum, qui lib.3.inſtit. cap.22. de obduratione, & reprobatione ait: *Admonentur homines, nihil cauſæ quærere extra ejus voluntatem*.

9 Catholicis placeat hæc obſervatio Cornelii à Lapide in eumdem Apoſtoli textum., „ Non Pharao tantùm ſibi, ſed & Scriptura „ culpam, & obdurationem eidem tribuit; „ cùm eum jam immunem, & liberum à pœ„ na, ad ingenium ſponte rediiſſe narrat „ Exodi 5. v. 15. *Videns Pharao, quòd data „ eſſet requies, ingravavit cor ſuum*. Et cap.9. „ v. 34. *Videns Pharao, quòd ceſſaſſet pluvia, „ auxit peccatum, & ingravatum eſt cor ejus*, „ id eſt, ut habetur in Hebræo, *aggravavit „ ipſe cor ſuum*. Idem patet cap. 8. v. ultimo „ in Hebræo: unde quoties noſter Interpres „ in Exodo vertit, *ingravatum eſt*, accipe „ *ingravavit ſe cor*; id eſt voluntas Pharao„ nis; ſic enim Hebræa utique vertas. Ipſe „ ergo Pharao propriè, & poſitivè ſe indura„ vit; Deus verò permiſſivè, & negativè, „ quia cum voluntatem ejus ſuâ manu con„ tineret, illam à malo non compeſcuit; ſed „ illi laxavit fræna ad Hebræorum oppreſ„ ſionem; ſicut qui canem venaticum funi„ bus ligatum tenet, in leporem eum dicitur „ immittere, ſi eum vinculis ſolvat, & in le„ porem ferri ſinat.

10 „ Rurſum Deus ſubtrahendo, & ſuſ„ pendendo flagella ſua, quæ Pharaonem „ molliebant, eum induravit, quia, iis ceſſan„ tibus, ipſe mox ad ingenium, & duritiem „ ſuam rediit. Quando enim Deus plagas „ infligebat Pharaoni, Pharao promittebat, „ quod dimitteret Hebræos; quando verò „ plagas ſubducebat, rurſum indurabatur „ Pharao, ita Anaſtaſius Nicænus in quæſtio„ nibus Sacræ Scripturæ q.29.

11 „ Adde, ſicut pueri nequam verberi„ bus fiunt duriores, ſic & Pharao verberi„ bus Dei... Ita Deus plagis ſuis dicitur „ induraſſe, & durius reddidiſſe cor Pharao„ nis durum, & pervicax, non effectivè, ſed „ objectivè, non efficiendo, & immittendo „ ei duritiem, ſed objiciendo flagella, qui„ bus ipſe magis ſe ipſum obduravit, fortius„ que Deo reſtitit. Ita explicant hunc locum „ Patres omnes, & Interpretes Catholici. „

CAPUT III.

Solutio eorum quæ objiciuntur ex S. Auguſtino.

1 Lib. de correp. & gratia, cap. 14. ait Sanctus: *Deo volenti ſalvum facere, nullum hominis reſiſtit arbitrium*. Ibid. *Non eſt itaque dubitandum, voluntati Dei, quæ in Cœlo, & in terra omnia quæcumque voluit fecit, humanas voluntates non poſſe reſiſtere, quo minùs faciat ipſe quod vult*. In Enchiridio ad Laurentium cap. 103. *Qui vult omnes homines ſalvos fieri: tanquam diceretur, nullum hominem fieri ſalvum, niſi quem ſalvum fieri ipſe voluerit: non quod nullus ſit hominum, niſi quem ſalvum fieri velit, ſed quod nullus fiat, niſi quem velit, quia neceſſe eſt fieri ſi voluerit*. Eodem libro cap. 96. (non autem 98. ut in Hexaplis citatur) ait Auguſtinus: *Cui procul dubio quàm facile eſt, quod vult facere, tam facile eſt, quod non vult, eſſe non ſinere... Hoc niſi credamus, periclitatur ipſum noſtræ Fidei confeſſionis initium, quo nos in Deum Patrem omnipotentem credere confitemur. Neque enim veraciter ob aliud vocatur omnipotens, niſi quia quidquid vult, poteſt, nec voluntate cujuſpiam creaturæ voluntatis omnipotentis impeditur effectus*.

2 Reſpondeo, his omnibus, & ſimilibus locis Auguſtinum agere de voluntate Dei abſolutâ, & conſequente, ut ipſum interpretantur Doctores Angelicus, & Seraphicus contra ſuperiorem articulum citati. Nè verò his ſcholæ Principibus inſultent Adverſarii, quaſi diſtinctionibus ſuis Divinæ voluntatis in antecedentem & conſequentem, in abſolutam & alligatam conditioni, introduxerint in Eccleſiam dogmaticas novitates, operæ pretium fore arbitror, ſi & hic uſui venire demonſtravero, quod aliàs contra Arianos in voce *Conſubſtantialis* hæreticis reſponſum eſt, rem antiquiſſimam voce novâ exprimi ad meliorem Catholicorum intelligentiam, & diſſipandas hæreticorum verſutias. Ajo itaque, Auguſtinum, & alios Patres vetuſtiſſimos utramque diſtinctionem verbis æquivalentibus tradidiſſe. Nam Auguſtinus lib. de Catechizandis rudibus n. 52. ait: *Omnia verò viſibilia tranſeunt, & omnis hujus ſæculi pompa, & deliciæ, & curioſitas interibunt, & ſecum ad interitum trahunt amatores ſuos, à quo interitu, hoc eſt pœnis ſempiternis*, DEUS MISERICORS VOLENS HOMINES LIBERARE, SI IPSI SIBI NON SINT INIMICI, ET NON RESISTANT MISERICORDIÆ CREATORIS SUI, &c. Ubi vides voluntatem Dei, non abſolutam, conſequentem, & omnimodè efficacem; ſed antecedentem, volendi homines li-

liberare ab æternis ſuppliciis, ſuppoſitâ conditione, *Si ipſi ſibi non ſuerint inimici*, *& non reſiſtant miſericordiæ Creatoris*. Unde voluntas abſoluta damnandi non eſt niſi poſterior, & conſequens, poſtquam Deus ſcilicet viderit malos, ſibi ipſis inimicos, & Creatoris miſericordiæ reſiſtentes.

3 Idem S. Doctor lib. 1. de Geneſi contra Manichæos cap. 3. *Illud autem lumen non irrationabilium animalium oculos paſcit; ſed pura corda eorum, qui Deo credunt, & ab amore viſibilium rerum, & temporalium ſe ad ejus præcepta ſervanda convertunt*, QUOD OMNES POSSUNT, SI VELINT; QUIA ILLUD LUMEN OMNEM HOMINEM ILLUMINAT VENIENTEM IN HUNC MUNDUM.

4 Et lib. 1. Retractationum cap. 10. *Quod dixi illud lumen ..... paſcit pura corda eorum, qui Deo credunt, & ab amore viſibilium rerum, & temporalium ſe ad ejus præcepta implenda convertunt*; QUOD OMNES HOMINES POSSUNT, SI VELINT, *non exiſtiment novi hæretici Pelagiani, ſecundùm eos eſſe dictum. Verum eſt enim, omnes homines hoc poſſe, ſi velint; ſed præparatur voluntas à Domino, & tantùm augetur munere charitatis, ut poſſint*. Plus contra Calvinianos, & Janſeniſtas Catholici non volumus, quàm quod *omnes homines poſſint ad Dei præcepta ſervanda converti, ſi velint*. Non quaſi ſolis id poſſint naturæ viribus; *Sed* quia *præparatur voluntas à Domino illuminante omnem hominem venientem in hunc mundum*, & volente omnes homines ſalvos fieri, atque ad agnitionem veritatis venire, quantum in ſe eſt, ſive *ſi & ipſi velint*; præparatâ ſcilicet voluntate à Domino, qui nulli deeſt, ut Sol omnes illuminans, præter eos, qui illuminari noluerint, oculos Solis radiis pervicaciter occludentes.

5 Perſpicit hic Lector Catholicus ſolis Janſenianis à luce oculos avertentibus, voluntatem Dei ſalvandi omnes homines ei innexam conditioni, *ſi & ipſi velint*, atque adeò antecedentem, ſeu priorem eâ, qua vult damnare plurimos, à quibus priorem ſuam bonitatis, ac miſericordiæ voluntatem contemni perſpexerit.

6 Lib. 1. ad Simplicianum q. 2. *Noluit Eſau, & non cucurrit; ſed &* SI VOLUISSET, ET CUCURRISSET, *Dei adjutorio perveniſſet, qui etiam velle, & currere vocando præſtaret, niſi, vocatione contemptâ, reprobus fieret*. Voluit igitur Deus, ut Eſau curreret, & Bravium currendo acciperet, niſi vocatione contemptâ, in ſenſum reprobum, libero malè uſus arbitrio abire maluiſſet. Ubi clariſſimè elucet voluntas in Deo antecedens, cujus fructus à conditione homini libera ſuſpenditur, & ejuſdem eliditur pervicaciâ, quâ damnari contingat, quem Deus voluerar ſalvari, ſi vocationem ſequi, non eâ contemptâ, reprobus fieri elegiſſet.

7 Enchiridii cap. 95. in illud Matth. 11. *Væ tibi Coroſaim* Auguſtinus ſic notat: *Deus non injuſtè noluit ſalvos fieri, cum* POSSENT SALVI ESSE SI VELLENT. Salvari autem non poterant reprobi illi, niſi Deus eos ſalvari voluiſſet; cujus tamen voluntatis effectum ultimum pendêre à conditione homini liberâ voluit, qua deficiente, quia conſentire reprobus noluit, voluntas illa Dei antecedens, & conditionem involvens, optato deſtituitur ſucceſſu. Libro de correptione, & gratia cap. 7. *Juſtior videtur excuſatio dicentium, Non accepimus audientiam, quàm, Non accepimus perſeverantiam; quoniam poteſt dici homini, In eo quod audieras, & tenueras, in eo* PERSEVERARES, SI VELLES. Non potuiſſet autem reprobus ille, qui quam tenuerat, juſtitiam deſeruit, in ea perſeverare, nec perſeverantiam velle, niſi voluiſſet Deus, offerens auxilium neceſſarium, ut poſſet. Ubi cùm de reprobis agatur, evidens eſt Deum non voluiſſe eorum perſeverantiam voluntate abſolutâ, efficaci, ſeu conſequente; ſed antecedente tantummodo, & quæ optato caruit effectu, quia perſeverare reprobus noluit, dum antecedente poteſtate maximè poterat.

8 Eædem diſtinctiones ante Auguſtinum placuêre re ipsâ Sanctorum Patrum præcipuis Ambroſio, Hieronymo, Chryſoſtomo. Sic enim Ambroſius Auguſtini Magiſter de paradiſo cap. 8. *Quod in Deo fuit, oſtendit omnibus, quòd omnes voluit liberare*, non voluntate abſolutâ, efficaci, conſequente; quâ igitur, niſi cui ſubintelligenda ſit conditio, *ſi & ipſi velint*? Quod non omnes voluiſſe nimis exploratum eſt. S. Hieronymus in Jeremiæ cap. 15. *Laboravi rogans, ut jam defecerit Deus crebrò eis ignoſcendo, & laſſus ſit, ſemper eos provocans ad ſalutem*, non efficaciter quidem, & abſolutè; ſed quantum eis ſufficit, ſi modò audire provocantem voluerint, & ſequi.

9 S. Chryſoſtomus homil. 1. in epiſt. ad Epheſios *Voluntas prima eſt, ut non pereant, qui peccaverunt*; ſed convertantur & vivant: *Voluntas ſecunda eſt, ut, qui facti ſunt mali* uſque in finem, *pereant*. Ubi nominibus voluntaris primæ, & ſecundæ evidens eſt voluntatem exprimi antecedentem, & conſequentem, priotem inefficacem, & veſtitam conditione peccantibus liberâ: poſteriorem efficacem, &, ſpretâ à reprobis conditione, abſolutam.

10 Idem Sanctus ſermone 16. in cap. 9. Epiſt. ad Roman. *Quantum ad Deum attinet, ſalva fuiſſent omnes Tribus Iſraël, imò & omnes mortales*. Quid ita? Potueruntne omnes

mor-

mortales ſalvi fieri,non volente Deo? Voluit igitur, non tamen abſolutè, & efficaciter, ut patet; ſed ſub conditione, ſi & ipſi vellent omnes ad Divinam bonitatem concurrere, oblata auxilia admittere, & cum iis operari.

12 Idem Hom.9. de laudibus Pauli: *Ipſe quidem* (Deus) *vult omnes ſalvos fieri; at non omnium voluntas, ejus voluntati obſequitur: neque ab eo aliquis cogitur. Unde & ad Jeruſalem ſic dicit, Jeruſalem, Jeruſalem quoties volui congregare filios tuos, & noluiſti! Quid ergo? Ecce relinquetur vobis domus veſtra deſerta. Vides, quòd Dominus ſalvare nos vult; nos autem quia ei nos non adjungimus, manemus in interitu. Deus enim paratus eſt ad ſalvandum hominem non involuntarium, neque non volentem*; ſed ſi voluntatem homo Divinæ jungere non neglexerit. Perſpicua igitur hic panditur voluntas Dei inefficax, non abſoluta; ſed conditionem continens, quamdum noluerint improbi implere, ſeque Divinæ jungere voluntati, *manent in interitu*. Non minùs facile fuerit voluntatem Dei antecedentem, inefficacem, affixam conditioni hominibus liberæ,& ſæpiſſime ab eis contemptæ ex ipſis eruere Scripturarum oraculis.

13 Sapientiæ 11. dicitur: *Diligis omnia quæ ſunt, & nihil odiſti eorum quæ feciſti: parcis autem omnibus, quoniam tua ſunt Domine, qui amas animas*. Quæ intelligi non poſſe de omnium dilectione, & voluntate Dei conſequente, efficaci, abſoluta, perſpicuum eſt; accipienda itaque ſunt de inefficaci, antecedente,& complexâ conditionem in mortalium poſitam electione, ac libertatis arbitrio. Conſtat enim Deum reprobos, quos voluntate antecedente, ut in textu docemur, diligit, odiſſe voluntate conſequente, abſolutâ, & poſt eorum obitum perpetuò efficaci.

14 Ezechiel. 18. *Nunquid voluntatis meæ eſt mors impii, dicit Dominus Deus, & non ut convertatur à viis ſuis, & vivat?* 2. Petri 3. *Nolens aliquos perire, ſed omnes ad pœnitentiam reverti*. Non velle Deum utrobique converſionem omnium, & ſalutem efficaciter, abſolutè, & poſt præviſam morientium impœnitentiam, clarum eſt. Solum itaque ſupereſt, ut reproborum pœnitentiam, converſionem, ſalutem cupiat voluntate inefficaci, & ſuppoſitâ conditione, quam ipſi ſuſcipere detrectarint, atque adeò benevola illa Dei voluntas ſolùm anteceſſerit præviſionem mortis in peccato.

15 Matth. 11. *Quoſcunque inveneritis, vocate ad nuptias*; voluit itaque Deus omnes ad nuptias venire, quos juſſit vocari, nè fraudulenta dicatur, & indigna Deo invitatio. Quod tamen non omnes voluntate abſolutâ, & efficaci applicare menſæ decreverit, eventus docuit; quia non omnes venerunt. Neque aliter omnes voluit nuptialis convivii fieri participes, niſi ſuppoſitâ conditione, quod venire non detrectarent. Quæ bona Dei voluntas ſic univerſalis anteceſſit præviſionem peccati, ſeu contemptûs in plurimis, quorum malitia invitationem reddidit contemptoribus inutilem. Quo exemplo ſit illuſtrior diſtinctio voluntatis Dei, in antecedentem, inefficacem, conditione nixam; & conſequentem, abſolutam, effectûs minimè expertem. Priore ſcilicet voluerat omnes vocari, omnes venire ad nuptias, & gaudere convivio: poſteriore iratus contemptores perpetuò excludit.

Decimaquarta Propoſitio damnata.

Quantumcunque remotus à ſalute ſit peccator obſtinatus, quando Jeſus ſe ei videndum exhibet lumine ſalutari ſuæ gratiæ, oportet ut ſe dedat, accurrat, ſeſe humiliet, & adoret Salvatorem ſuum. *Obſerv. Mor. in Marc.* 5. *v.*6.

C A P. I.

Propoſitio de hæreſi redarguitur.

1 Mirificos Divinæ gratiæ effectus quis ſatis prædicet, quis mortalium aſſequatur? Sola novit, quæ largitur providentia. Non minora agnoſcunt ſancti animorum prodigia, quàm corporum: & quidem frequentiora illa, etſi humanis oculis minùs pervia. Converſiones peccatorum maximas, & aliquando ſubitas fidis teſtimoniis accepimus, & ipſa Scripturarum authoritas irrefragabilis exempla perhibet ſtupenda, in Saulo ex perſecutore mox Apoſtolo, in latrone mox Sancto Confeſſore, & quibuſdam aliis; quæ dum, rigidioribus Sacræ pœnitentiæ adminiſtris, & Queſnelli ſociis proponuntur, nè abſolutionis beneficium tam diu, & tam frequen-

quenter pœnitentibus differant, in promptu habent, *miracula iſta eſſe, non exempla*. Ita eſt: at cur magiſter morum, aliàs rigidus, tam præpoſterè benignus modò, tam levis, ac temerarius eſt in definiendis peccatorum converſionibus, tam frequentibus, ac ſubitis, ut qualicunque oborto gratiæ lumine, quo vel per rimam *Jeſus videndum ſe exhibet, peccator* quilibet, *quantumcunque remotus à ſalute ſit*, & *obſtinatus*, certiſſimè *ſe dedat, accurrat, ſe humiliet, & adoret Salvatorem ſuum*? Et quidem, inquir, *oportet ſe dedat*; quaſi diceret: reſiſtere ampliùs non poteſt, *dedat ſe* neceſſe eſt.

2 Quamvis enim verbum *Oportet* non ſemper ſtrictam inferat neceſſitatem, hic tamen, attentâ illâ propoſitionis parte, quæ dicitur adverſativa, *quantumcunque remotus à ſalute ſit peccator obſtinatus*, vera indicari videtur neceſſitas, ut quilibet percipit, niſi qui ſtudioſè fugiens ſenſum obvium, locutionem authori tribuere voluerit ab ejus mente alienam. Locutio itaque illimitata nimiùm, & ſignificatione univerſalis, non falſa modò eſt, & circa mores abuſibus obnoxia; ſed hæretica prorſus, & ſecundâ Janſenianâ hæreſi deterior.

3 Erravit ſcilicet Janſenius omnem interiorem gratiam in hoc ſtatu efficacem ſtatuens, cui nunquam reſiſtitur; Queſnellus autem tam efficacem fingit, ut nulla ei pertinacia peccatoris reſiſtere valeat; *Quantumcunque obſtinatus, oportet ſe dedat, accurrat*. Quis credat, aut qua ratione Queſnellus ulli perſuadeat, Chriſtum, qui ſe quotidie oculis corporis Judæ ſpectabilem, familiarem, benevolum præbuit, nunquam *Se ei videndum exhibuiſſe lumine ſalutari ſuæ gratiæ*, ut eum ab impietate revocaret? Non ita Cyrillus Alexandrinus lib. 11. in Joannem. *Quòd ſi proditor*, inquit, *æqualiter aliis diſcipulis Salvatoris auxilium non habuiſſet, fruſtrà hæc à nobis dicerentur; Sin autem non minùs quàm cæteri divinâ gratiâ regebatur, quomodo etiam non ſervavit eum Chriſtus, qui ſuum patrocinium ei præſtitit, qui quantum ad ferendam opem attinuerit, ſervaſſet hominem, niſi ultro ille in perditionem inſiliiſſet? Gratia igitur in aliis effulſit, ſervavitque omnes, qui cooperantem ei voluntatem tradiderunt*.

4 Nec magìs veriſimile eſt, quod, dum Chriſtum morientem omnia lugebant elementa, dum tot ſigna, & prodigia omni voce clamoſiùs prædicabant, nulli ex perfidis, & reprobis Judæis ullus Divinæ gratiæ obortus ſit radius, *quo ſe ei Jeſus videndum exhiberet*. Dicamus potiùs, voluntariâ eos cæcitate agnoſcere noluiſſe; & ut videntes non viderent, oculos ſponte clauſiſſe.

5 Credamus magìs Chryſoſtomo hom. 7. in Joannem ita cum cæteris Patribus, & Theologis Catholicis teſtanti: *Illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum: illuminat profectò quantum in ipſo eſt: Si qui autem ſponte ſuâ mentis oculis conniventibus, ad hujus lucis radios aciem dirigere noluerunt, non ex luminis naturâ in tenebris perſtiterunt; ſed ex malitiâ ſuâ, qui ſponte tanto ſe dono indignos reddiderunt*.

6 Credamus & Authori lib. 2. de vocat. gentium cap. 29. *Univerſitati hominum ita multiplex, atque ineffabilis bonitas Dei conſuluit ſemper, & conſulit, ut neque ulli pereuntium excuſatio ſuppetat de abnegato ſibi lumine veritatis, neque cuiquam ſit liberum de ſuâ juſtitiâ gloriari*. Excuſationem ſpecioſam, &, ſi vera foret damnata Propoſitio, non facilè ſubruendam Queſnellus peccatoribus ſuppeditat; ſi enim omnes, quibus Chriſti gratia obtigit, ſe converterint, & ſinè ea nemo, ut Fides docet, ſe convertere valeat, quomodo impœnitentes de impœnitentiæ peccato, quod fuit vitatu impoſſibile, tam duris increpationibus redarguuntur? Cur tantis propterea puniuntur ſuppliciis?

7 Denique contra Queſnellum appello peccatores ipſos, & pravis maximè conſuetudinibus irretitos. Dent gloriam Deo, & candidè nobis ediſſerant, nulloſne unquam ſenſerint ad reſipiſcendum ſtimulos ex criminum turpitudine, Divinorum Judiciorum, æternorumque ſuppliciorum metu, ex ſummæ beatitudinis jactura, ex tanti offenſâ Numinis, ex Chriſti tantum pro nobis paſſi memoria? Quos ſtimulos ad pœnitentiam impellentes, eſſe ipſius Chriſti gratias interiores, etiam dum hominis malitiâ repelluntur, Theologis probè Catholicis indubitatum eſt. Utinam, inquient, in nobis non tam ſæpe contingeret illud poëtæ: *video meliora, proboque: Deteriora ſequor*! Videmus virtutem, & ſequimur vitia: Chriſtum lumine gratiæ conſpicimus invitantem; ſed illecebris mundi, Diaboli, carnis irretiti, liberâ, ac probroſâ electione ſuccumbimus: præponimus Barabbam Chriſto majore quàm Judæi crimine, quod ignotum ipſi Salvatorem contempſerint, nos agnitum conculcamus.

8 Propoſitionem ſuam confecit Queſnellus ex illo Marci 5. v. 6. *Videns autem* Jesum *à longè, accurrit, & adoravit eum*. Hic igitur rurſus Lector, acumen ingenii Queſnelliani, & novam Logicam attende. Energumenus, qui multo tempore à ſpiritu immundo divexabatur, videns Jesum à longè, accurrit, & libe-

Digitized by Google

liberationem à tanta calamitate ſperans, Thaumaturgum adoravit; ex quo antecedente ſingulari indefinitam, & univerſali æquivalentem ſtabilit Queſnellus concluſionem: *Quantumcunque remotus à ſalute ſit peccator obſtinatus, quando* J e s u s *ſe ei videndum exhibet lumine ſalutari ſuæ gratiæ, oportet ut ſe dedat, accurrat, ſe humiliet, & adoret Salvatorem ſuum*. Præterea neſcio unde novus interpres eruat, quod Energumenus pœnitentiæ, & æternæ ſalutis amore potiùs, quàm temporalis, & corporeæ accurrerit. Denique nec ex curſu ejus, & adoratione ſequitur, quod motui ad currendum impellenti reſiſtere non potuerit, ut verbo *oportet* Queſnellus indicat. Unde non ſolùm ſecundæ Propoſitionis Janſenianæ, & hæreticæ cenſuram certiſſimè hìc Queſnellus incurrit, ſed etiam veriſimiliùs quartæ negantis gratiam, quæ ad omnes bonos actus, etiam ad initium Fidei neceſſaria eſt, *talem eſſe, cui poſſit humana voluntas reſiſtere, vel obtemperare*.

CAPUT II.

Adverſariis nullæ favent Scripturæ.

1 STatim nobis recitat Hexaplorum Author prolixam Sententiam Ezechielis 20. *Vivo ego dicit Dominus Deus, quia non reſpondebo vobis: neque cogitatio mentis veſtræ fiet dicentium: Erimus ſicut gentes, & ſicut cognationes terræ, ut colamus ligna, & lapides . . . . Et vos, Domus Iſraël, hæc dicit Dominus Deus, & ſinguli poſt idola veſtra ambulate, & ſervite eis, quod ſi & in hoc non audieritis me, & Nomen meum Sanctum pollueritis ultra in montibus veſtris, & in idolis veſtris; in monte Sancto meo, in monte excelſo Iſrael, ait Dominus Deus, ibi ſerviet mihi omnis domus Iſrael, omnes, inquam, in terra, in qua placebunt mihi, & ibi quæram primitias veſtras, & initium decimarum veſtrarum in omnibus ſanctificationibus veſtris*.

2 Video hìc prædicari Dei Potentiam, & divitias gratiæ, de quibus nemo dubitat Chriſtianus, quin in poteſtate, & arbitrio omnipotentis ſit convertere quoſcunque peccatores induratos, quoſcunque Idololatras ab impia dæmonum adoratione, ad ſanctum unius veri Numinis cultum perducere. Habet videlicet Deus in immenſis theſauris ſuis gratias tantâ multitudine, ac varietate, tantâ præditas virtute, tam congruas cuicunque libero arbitrio, & diſpoſitioni, ut nullius peccatoris tanta ſit perverſitas, nullius rebellis animi tanta obſtinatio, ut inflectere cum Deus in ſua vota non valeat, & ex perfido apoſtata ſibi conſecrare fidiſſimum diſcipulum; ſed iſtud in præſenti quæſtione non agitur: non quæritur quàm mirificæ virtutis gratias Deus penès ſe habeat; ſed an non largiatur etiam ſubinde alias inferioris ordinis, & roboris minoris, quæ ad effectum producendum ſufficiant; ſi homo cooperari voluerit quantum poteſt; ſed quæ ejus ſubinde pervicaciâ repellantur. Scimus artem bellicam ad eum hoc tempore perfectionis apicem eſſe provectam, tantam machinarum excogitatam vim, ac varietatem, tantam adhiberi multitudinem, ut munimenta fortiſſima brevi quatiant, atque dejiciant; nullæ arces tam validæ ſint, quæ non exiguo tempore expugnentur. Verùm indè nequaquam legitimâ conſecutione deduxeris, omnes, & ſingulas hujus temporis machinas tantæ efficacitatis eſſe, ut qualiſcunque ex iis, & quandocunque adhibeatur, omnia ſtatim munimenta viribus ejus cedere oporteat.

3 Iſtud eſt tamen quod de ſingulis divinæ gratiæ auxiliis aſſeritur Propoſitione 14. *Quantumcunque remotus à ſalute ſit peccator obſtinatus, quando* J e s u s *ſe ei videndum exhibet lumine ſalutari ſuæ gratiæ, oportet ut ſe dedat, accurrat, ſeſe humiliet, & adoret Salvatorem ſuum*. Dicere author debuit: quantumcunque remotus à ſalute ſit peccator, quando J e s u s vult eum abſolutè, & efficaciter convertere, non deſunt ipſi gratiæ congruæ, quas ubi adhibuerit, ſtatim peccator amplexurus ſit, & adoraturus Salvatorem. Iſtud ſolummodo, non Propoſitionem damnatam ex Ezechielis ſententia Moralis Obſervator eliciet.

4 Non plus ſequitur ex ejuſdem Prophetæ cap. 11. v. 19. *Auferam cor lapideum de carne eorum, & dabo eis cor carneum, ut in præceptis meis ambulent, & judicia mea cuſtodiant, faciantque ea, & ſint mihi in populum*. Nam quando tempus advenerit, in quod reſervavit Deus converſionem Judæorum, non deerunt ipſi modi, & certa gratiæ ſubſidia, quæ animos Judæorum lapidibus duriores emolliant; ſed non propterea omnia, & ſingula gratiæ auxilia ſemper talia ſunt, ut rebelles quaslibet flectant in Dei obſequium voluntates. Nullus Catholicus dubitat, quin ex Judæis plurimi, qui in pertinacia mortui ſunt, habuerint ſubinde illuſtrationis aliquid in intellectu, & motûs cœleſtis in voluntate, quo ſe videndum, & amandum præbuit J e s u s; ſed illi à veritate, & ſalute animum avertentes ſe dedere Chriſto detrectaverint. Indicat id Stephanus Judæis perfidis exprobrans, quod ſemper Spiritui Sancto reſiſtant. Dum labo-

laborantes omnes & oneratos ad ſe Chriſtus vocabat, ut eos reficeret, indubiè Judæi, velut maximè onerati, fuêre è numero vocatorum, potueruntque vocationem ſequi, ſi voluiſſent, ut velle poterant, nè ſubdola dicatur, & Dei Filio indigna vocatio. Non potuerunt autem venire, neque velle ſolis naturæ viribus, ut fides nos Catholica docet contra Pelagium. Habuerunt itaque ſufficiens Divinæ gratiæ auxilium: atque indè certiſſimum ſit, non ſemper peccatorem *Se dedere, accurrere, ſe humiliare, & adorare Salvatorem*, quoties hic ſe lumine gratiæ ei exhibet quaqua ratione conſpiciendum. *Convertimini: en proferam vobis ſpiritum meum*, hortabatur Judæos Dominus Prov. cap.1.; convertere igitur ſe ad invitantem poterant, adeóque non prorſus omni deſtituti fuêre gratiæ ſubſidio. Convertere tamen ſe noluerunt, non ſe dedere, non ſe humiliare; mox enim ibi ſequitur: *Vocavi, & renuiſtis, extendi manum meam, & non fuit qui aſpiceret: deſpexiſtis omne conſilium meum, & increpationes meas neglexiſtis*.

5 Non plus præſidii adverſatio eſt ex Teſtamento Novo. Provocat ad illud Actuum Apoſtolorum cap. 9. *Saulus autem adhuc ſpirans minarum, & cædis in diſcipulos Domini acceſſit ad Principem Sacerdotum, & petiit ab eo epiſtolas in Damaſcum ad Synagogas, ut, ſi quos inveniſſet hujus viæ viros, ac mulieres, vinctos perduceret in Jeruſalem. Et, cùm iter faceret, contigit ut appropinquaret Damaſco; & ſubitò circumfulſit eum lux de Cœlo, & cadens in terram audivit vocem dicentem ſibi, Saule, Saule, quid me perſequeris? Qui dixit, Quis es Domine? Et ille: Ego ſum* JESUS, *quem tu perſequeris: durum eſt tibi contra ſtimulum calcitrare. Et tremens, ac ſtupens dixit, Domine quid me vis facere?*

6 Habemus hic quidem peccatorem à ſalute remotum, & obſtinatum, antequam ſe ei videndum JESUS exhibuit ſalutari lumine ſuæ gratiæ efficacis. Habemus dein eumdem cœleſti gratiâ illuſtratum, & fortiſſimè impulſum, dedentem ſe, accurrentem, ſe humiliantem, & adoratione ſupplicem Salvatori. Sed quo revelante didicit adverſarius, vel quo probabili conficiet argumento, Saulum totâ vitâ præteritâ nihil unquam cœleſtis luminis accepiſſe, quo ad Chriſtum citiùs venire potuerit, quàm dum in terram proſterneretur? Dum Stephanus lapidantibus, & cæteris Judæis, præſertim ad mortem ſuam concurrentibus exprobravit duritiem, qua ſemper Spiritui Sancto reſiſterent, num Saulum ceterorum inſtigatorem notiſſimum à culpâ, & reprehenſione exemit? Quomodo ei exprobraſſet Chriſtus, *Durum eſt ſibi contra ſtimulum calcitrare*? Non omni ſcilicet gratiâ Saulus antea caruit; ſed neglexit plurimas, cùm Deus ſemper ſtet ad oſtium, & pulſet, ut in Apocalypſi docemur, cupiatque ſibi pulſanti oſtium aperiri, ut ingrediatur. Non itaque juſtitiam Dei, aut bonitatem arguere Saulus potuit, quaſi obedientiam ab eo impoſſibilem antea Deus exegerit, jubens eum currere per mandatorum ſemitam, quam nullo gratiæ lumine, nè per rimam quidem oſtenderet: ſed Divinam laudare debuit clementiam, quæ ejus in quærenda veritate ſocordiam, & in perſequenda Eccleſia pertinaciam, benignè remitteret, atque ex perſecutore ſæviſſimo redderet Apoſtolum Zelo Fidei, & meritis nemini ſecundum.

7 Audiatur S. Gregorius lib. 33. Moralium cap. 24. *Carnalis tegumenti duritia illum (Saulum) preſſerat, & idcirco radios veri luminis non videbat; ſed poſtquam ſuperba repugnationes ejus victæ ſunt, defenſionum ejus ſquammæ ceciderunt*. Quæ verò ſpecies argumenti eſt, quo adverſarius ſtatuit ex ſubitâ Sauli converſione, & tam potenti gratiâ tunc ipſi præſtitâ concluſionem exprimere illimitatam, & dogmaticam, quaſi omnis gratia peccatoribus conceſſa ejuſdem roboris ſit, ut converſionem ſtatim certiſſimè, & virtute maximâ operetur? Minùs ſequitur, inferri eâ converſionis neceſſitatem, quam nè Saulo quidem illatam fuiſſe communis Eccleſiæ ſenſus eſt.

CAPUT III.

Nihil præſidii adverſariis eſt in SS. Patribus.

1 NUllius ponderis, nec melioris fidei eſt, quod objicitur ex S. Ambroſio apud Auguſtinum libro de gratia Chriſti cap. 45. ubi dicitur *quos* JESUS *reſpicit, plorant delictum. Negaverat primo Petrus, & non flevit, quia non reſpexerat Dominus; negavit ſecundò, & non flevit; quia adhuc non reſpexerat Dominus. Negavit & tertiò, reſpexit* JESUS, *& amariſſimè flevit*. Lacinia hæc, quæ ab Ambroſii, & Auguſtini textu violentè avulſa, aliquibus fortè videretur damnato favere Articulo, ſi cum circumſtantiis expendatur nihil habet cum illo commune. Agitur ibi contra Pelagium, & Cœleſtium contendentes ad opera ſalutifera non opus eſſe divinæ gratiæ auxilio.

2 Contra pugnat Auguſtinus cap. 44. authoritate Ambroſii, quem Pelagius eximiè

miè laudarat „ *Videtis, itaque* (inquit Am-
„ broſius) *quia ubique Domini virtus ſtu-*
„ *diis cooperatur humanis, ut nemo poſſit ædi-*
„ *ficare ſinè Domino, nemo cuſtodire ſinè Do-*
„ *mino, nemo quidquam incipere ſinè Domi-*
„ *no* . . . . Videtis (proſequitur Auguſti-
„ nus) quemadmodum S. Ambroſius etiam
„ illud quod ſolent homines dicere, *Nos in-*
„ *cipimus, & Deus perficit*, his verbis abſtu-
„ lit dicens, N*eminem quidquam vel incipe-*
„ *re ſinè Deo*. Item in ſexto libro ejuſdem
„ operis, cum de duobus illis fœneratoris
„ unius debitoribus ageret: *Secundùm homi-*
„ *nem*, inquit, *plus fortaſſe offendit qui plus*
„ *debuerat, ſed per miſericordiam Domini cau-*
„ *ſa mutatur, ut amplius diligat, qui amplius*
„ *debuit, ſi tamen gratiam conſequatur*. Ec-
„ ce apertiſſimè prædicat Catholicus Doctor
„ etiam ipſam dilectionem, qua quiſque am-
„ plius diligit, ad beneficium gratiæ perti-
„ nere „ Ita Auguſtinus: poſt quæ imme-
diatè ſic proſequitur cap. 45. „ Ipſam deni-
„ que pœnitentiam, quam procul dubio vo-
„ luntas agit, Domini miſericordiâ, & ad-
„ jutorio fieri ut agatur, in decimo ejuſdem
„ operis libro Beatus dicit Ambroſius ita lo-
„ quens: *Bonæ lachrymæ, quæ culpam la-*
vant. Denique quos Jesus *reſpicit, plorant delictum. Negavit primò Petrus, & non flevit, quia non reſpexerat Dominus: negavit ſecundò, & non flevit, quia adhuc non reſpexerat Dominus. Negavit & tertiò: reſpexit* Jesus, *& amariſſimè flevit*.

10 Ex quibus perſpicuum eſt, utriuſque S. Doctoris ſententiam eſſe, non quòd fleat peccator quandocunque, & quomodocunque cum benignus Salvator reſpicit; ſed quod non fleat antequam ab eo reſpiciatur. Nulla ſcilicet Ambroſio, vel Auguſtino illic quæſtio eſt de gratiæ viribus, num eis reſiſti valeat, vel ſubinde ab hominibus reſiſtatur; ſed de neceſſitate gratiæ ad bene vivendum, & quod ſinè illa omnis humana virtus, atque induſtria nihil ſit, ſeu nihil efficiat ad ſalutem conducens, aut veram juſtitiam.

11 Nihil itaque attinebat, niſi ad circumventionem ſimplicium, hanc ex duobus illis Eccleſiæ Doctoribus truncatam decerpere laciniam, quæ cum damnati articuli errore nihil prorſus habeat commune. Denique totius Auguſtinianæ contra Pelagium diſputationis ſcopus, & finis ex eo clariſſimè colligitur, quod S. Doctor cap. 47. concludens, ſic teſtatur: *Quapropter quantum attinet ad iſtam de Divina gratia, & adjutorio quæſtionem, tria iſta quæ apertiſſimè diſtinxit* (Pelagius) *attendite, poſſe, velle, eſſe; ideſt poſſibilitatem, voluntatem, actionem; ſi ergo conſenſeris nobis, non ſolam poſſibilitatem in homine, etiamſi nec velit, nec agat bene; ſed ipſam quoque voluntatem, & actionem, id eſt ut bene velimus, & bene agamus, quæ non ſunt in homine, niſi quando bene vult, & bene agit: ſi, ut dixi, conſenſerit etiam ipſam voluntatem, & actionem Divinitus adjuvari, & ſic adjuvari, ut ſinè illo adjutorio nihil bene velimus, & agamus, eamque eſſe gratiam Dei per* Jesum *Chriſtum Dominum noſtrum, in qua nos ſuâ, non noſtrâ juſtitiâ juſtos facit; ut ea ſit vera noſtra juſtitia, quæ nobis ab illo eſt; nihil de adjutorio gratiæ Dei, quantum arbitror, inter nos controverſiæ relinquetur*. In tribus iſtis conveniunt inter ſe, & cum Auguſtino omnes Catholici; nihil igitur, ipſo Auguſtino Judice, de adjutorio gratiæ Dei inter uos, & ipſum ſupereſt controverſiæ.

12 Supereſt autem inter nos plurimum & damnati articuli Authorem, qui omnem à Deo conceſſam per Chriſti merita gratiam, talem eſſe contendit, ut ea effectum, ad quem proximè excitat, ſemper inferat, adeóque nunquam ei à libero arbitrio reſiſtatur, quæ eſt ſecunda hæreſis Janſenii, cui Articulus ſuperaddit aliam, quod gratiæ illi nè reſiſtere quidem voluntatis pervicacia poſſit. Statim ſcilicet atque lux illa cœleſtis in hominis, etiam obduratiſſimi animum illabitur, ſive, ut damnata Propoſitio ait, *quando* Jesus *ſe ei videndum exhibet lumine ſalutari ſuæ gratiæ, oportet ut ſe dedat, accurrat, ſeſe humiliet, & adoret Salvatorem*, quod quarta Janſenii propoſitio tradit phraſi ſynonimâ, ut voluntas humana gratiæ *reſiſtere non poſſit*.

13 Satìs proſpiciens adverſarius fluxum ſibi fore in illa Ambroſii, & Auguſtini ſententiâ fundamentum, niſi aliunde firmaretur; accerſit epiſtolam ejuſdem Hipponenſis Antiſtitis ad Vitalem. Illic citatis Apoſtoli verbis ad Galatas, *Ut quid*, inquit (Eccleſiæ Judææ) *magnificabant Deum, ſi non Deus ad ſe ipſum cor illius viri* (Apoſtoli Pauli) *ſuæ gratiæ bonitate converterat, quando, ut ipſe confitetur, miſericordiam conſecutus eſt, ut fidelis eſſet eâ Fide, quam aliquando vaſtabat? Ipſum etiam verbum quod poſuit, quem, niſi Deum, hoc tam magnum bonum feciſſe declarat? Quid eſt enim*, IN ME MAGNIFICABANT DEUM, *niſi in me Deum magnificum prædicabant, ſi magnum illud factum de converſione Pauli ipſe non fecerat? Et quo pacto ipſe fecerat*, SI VOLENTEM CREDERE EX NOLENTE IPSE NON FECERAT? Ibidem Auguſtinus: *Quomodo dicitur quod per legem Dei, atque doctrinam Scripturarum fiat, quod eadem Scriptura dixit: præparatur voluntas à Domino, ac non potiùs per occultam inſpirationem gratiæ Dei, quandoquidem pro eis*, QUI EI-

DEM DOCTRINÆ CONTRADICENTES NOLUNT EI CREDERE, *ipſum Deum Fide rectâ rogamus ut velint? Quomodo Deus expectat voluntates hominum, ut præveniant eum, quibus det gratiam, cùm gratias ei non immeritò agamus de iis, quibus non ei credentibus, & ejus doctrinam* VOLUNTATE IMPIA PERSEQUENTIBUS *miſericordiam prærogavit, eoſque ad ſe ipſum* OMNIPOTENTISSIMA FACILITATE CONVERTIT, *ac volentes ex nolentibus fecit?*

14 Nihil hìc video, quod objici merebatur. In iis, quæ majoribus exprimuntur characteribus præcipuum erroris ſui præſidium adverſarius ponit; ſed quid ex eo, quod Deus Paulum convertetit, & eum, qui priùs credere noluerat, volentem fecerit, ſequitur pro eliminandâ ex omnium animis gratiâ ſufficiente, & aſſerendâ ſingulorum motuum cœleſtium certiſſimâ victoria? Hanc enim decantat Propoſitio adeò ſecuram, quoties gratiæ lumen peccatori oboritur, ut qualiſcunque inſideat animo infixa perverſitas, eam gratiæ cedere neceſſe ſit: *Oportet ut homo quantumcunque obſtinatus ſe dedat, accurrat, ſe humiliet &c.* Deum voluntates omnium habere ſub ſua poteſtate, poſſe eas quocunque lubuerit, inflectere, & ex nolentibus facere volentes, ex pervicacibus humiles, ex furentibus mites, ex impiis reddere ſanctiſſimas, nullus inficiatur Catholicus: nullus Theologus in eo dogmate cum ſcholæ ſuæ placitis conciliando tergiverſatur. Gratias ſcilicet Deus in theſauris, ut ſupra monui, continet tanto numero, tanta virtute, & efficacia, ut nullus effectus ſit tam arduus, tam ſublimis, quem, ſi abſolutè voluerit, à quocunque mortalium nequeat obtinere: unde & facillimam Deo eſſe peccatoris cujuslibet converſionem, omnibus in Doctrina Chriſtiana non rudibus compertum eſt; cùm enim conſtet, Deum eſſe perfectiſſimè omnipotentem, & quo nihil melius excogitari poteſt, evidens pariter eſt, in nullo poſſe pati difficultatem quantnmvis minimam, niſi naturam Dei deſtruxeris. Sed ideone ſingulæ gratiæ tantis pollent viribus, ut nullæ ſint, quibus humana voluntas repugnare valeat? Oppoſitum nos docet Eccleſia, & in ſacris codicibus, in Traditione, in Conciliorum & Pontificum definitionibus Catholica Fides.

15 Non minùs ineptum adverſarius argumentum format ex lib. 10. Confeſſionum cap. 27. ubi Auguſtinus Dei erga ſe miſericordiam agnoſcens, ſic eum alloquitur: *Vocaſti, & clamaſti, & rupiſti ſurditatem meam. Coruſcaſti, ſplenduiſti, & fugaſti cæcitatem meam.* En, Lector, vim argumenti, quo adverſarius parat Conſtitutionem proſternere: Deus ita vocavit Auguſtinum, ita clamavit, ut ruperit ejus ſurditatem: ergo quotieſcunque Deus peccatorem quantumcunque obſtinatum vocat, rumpit ejus ſurditatem. Quod ſi ita eſt, perperàm Deus conqueritur Prov. 1. v. 24. *Vocavi, & renuiſtis: extendi manum meam, & non erat qui aſpiceret.* Fruſtrà tam ſolicitè monemur Pſalmo 94. verſ. 8. *Hodie ſi vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda veſtra.* Nec verum dixerit Veritas æterna Matth. 20. v. 16. *Multi ſunt vocati, pauci verò electi.* Cap. 22. v. 3. *Miſit vocare invitatos ad nuptias, & nolebant venire.* Sed & Auguſtinus deſtruxerit quod ſcripſit lib. 83. Quæſtionum q. 68. *Ad illam cœnam, quam Dominus dicit in Euangelio præparatam, nec omnes, qui vocati ſunt, venire voluerunt, nec illi qui noluerunt venire, debent alteri tribuere; quoniam ut venirent vocati, erat in liberâ voluntate.* Adeò neque Auguſtino, neque Sacris Literis congruit concluſio fatua adverſarii, ex facto ſingulari, ſeu vocatione Auguſtini mirabili, & efficaci deducens, omnem vocationem Divinam iſtiuſmodi eſſe, nullam unquam deſtitui effectu. Non eſſet cur tantopere in Confeſſionum libris paſſim ſe Auguſtinus redargueret, quod tam ſerò ad Deum fuerit converſus, ſi nunquam à Deo fuiſſet vocatus, cùm, niſi ſalutari graria vocatus, venire non potuerit. *Neque enim illi, qui venerunt, venire poſſent, niſi vocarentur*, inquit Auguſtinus q. 68. jam citata. De ſe autem ita queritur lib. 6. Confeſſ. cap. 5. *Cogitabam hæc, & aderas mihi: ſuſpirabam, & audiebas me: fluctuabam, & gubernabas me: ibam per viam ſæculi latam, nec deſerebas me.* Cui ſe perſuaſurum ſperat adverſarius, nihil indicari hìc, & in centenis iſtiuſmodi locis, Divinæ gratiæ collatum Auguſtino ante converſionem?

16 Quomodo tantopere accuſaret præteritam in amando Deo negligentiam, & tarditatem, ſi amaſſet quàm citò potuit? Non potuit autem citiùs, ſi omni gratia fuerit deſtitutus. Ipſo quod objicitur capite 27. exclamat, *Serò te amavi, Pulchritudo tam antiqua, & tam nova! Serò te amavi. Et ecce intus eras, & ego foris: & ibi te quærebam, & in iſta formoſa, quæ feciſti, deformis irruebam. Mecum eras: tecum non eram.*

17 Tandem intorquetur nobis illud Auguſtini lib. de Prædeſtinatione Sanctorum cap. 8. *Hæc itaque gratia, quæ occultè humanis cordibus Divinâ largitate tribuitur, à nullo duro corde reſpuitur. Ideo quippe tribuitur, ut cordis duritia primitùs auferatur.* Non videt ſcilicet adverſarius, vel videre ſe diſſimulat, non agi hic de quocunque auxilio; ſed de gratia *prædeſtinatorum*, & quæ effectus *prædeſti-*

deſtinationis eſt, ut vel ipſa libri inſcriptio ſignificat; magis etiam id quod citata verba ſequitur: *Quando ergo Pater intus auditur, & docet ut veniat ad filium, auſert cor lapideum, & dat cor carneum ſicut Propheta prædicante promiſit*. Sic quippe facit filios promissionis, et vasa misericordiæ, quæ præparavit in gloriam. Nihilne diſcriminis gratiam inter prædeſtinatorum, & reproborum eſt? Gratiam efficacem, & quæ datur ſecundùm propoſitum, à nullo duro corde reſpui, omnium ſcholarum Theologi agnoſcunt; ſed omnem gratiam eſſe efficacem, nullam obtingere præterea ſufficientem, negant omnes, præter novos Auguſtini Diſcipulos: & meritò negant; utpote hæreticum in 2. Janſenii Propoſitione damnatum, clariſſimis Scripturis, Traditioni, Divinæ miſericordiæ, Salvatoris officio maximè contrarium. Quod igitur de una ſpecie gratiæ ab Auguſtino aſſeritur, qua ratione ad genus, & omnes ſpecies applicatur? Quæ de Auguſtini mente diſſerui, conveniunt Sanctis ejus diſcipulis Fulgentio, Proſpero, Authori librorum de vocatione Gentium, Epiſcopis Africanis in Sardinia exulibus. Iiſdem ineptis laborat objectio orationis *ſecretæ* quæ eſt in Miſſa Dominicæ quartæ poſt Pentecoſtem, qua Deum rogamus, ut etiam *rebelles compellat propitius voluntates*. Quid enim magis frivolum, quàm indè deducere, quòd omnis gratia tam potens ſit, ut quamcunque rebellem ſemper conterat, & compellat hominis voluntatem? Aliud eſt, gratiam petere à Deo efficaciſſimam, aliud eſt nullam agnoſcere gratiam, niſi talem. Prius omnium piorum eſt, poſterius Hæreticorum. Optima ſemper rectè expetuntur; ſed non propterea alia inferioris ordinis deſinunt eſſe bona.

18 Denique meminerint novi illi Eccleſiæ Reformatores, ſe iſtiuſmodi dogmatibus maximam inducere moribus diſſolutionem, ſuppeditando excuſationem peccatis omnibus, quæ ſinè gratia vitari non poterant, quale eſt impœnitentia, & cujuſcunque ſupernaturalis præcepti transgreſſio; imò peccata ea omnia contra legem naturæ, ad quæ tentatio, præſertim vehemens, allexerit. Catholicis ſemper inhæreat illud Auguſtini Tract. 53. in Joannem, *Nè quiſquam neget voluntatis arbitrium, & audeat excuſare peccatum; audiamus Dominum, & præcipientem, & opitulantem, & jubentem quid facere debeamus: & adjuvantem ut adimplere poſſimus*. Et lib. 3. de libero arbitrio cap. 16. *Ex eo igitur, quod non accepit, nullus reus eſt; ex eo verò quod non fecit quod debet, juſtè reus eſt: debet autem, ſi accepit voluntatem liberam, & ſufficientiſſimam facultatem*, quæ ſinè dubio nulla eſt ſinè omni gratia in caſibus jam indicatis.

19 Placuit adverſario pluſquam integram occupare paginam prolixâ citatione ex lib. 2. de vocatione gentium, ubi nihil aliud aſſeritur, quàm agnoſcendam eſſe aliquam gratiam efficacem, quàm nemo Catholicus negat, nemo non profitetur. Accipiat verò ex eodem libro, quo errorem ſuum dedoceatur, quem Sedes Apoſtolica in præſenti articulo 14. proſcripſit. Sic illic cap. 28. ſalubriter inſtituimur: *Sicut qui crediderunt, juvantur ut in fide maneant, ſic etiam qui non crediderunt, juvantur ut credant: & quemadmodum illi in ſua habent poteſtate ut exeant, ita & iſti in ſua habent poteſtate ut veniant: ſitque manifeſtum, quod diverſis, atque innumeris modis omnes homines vult Deus ſalvos fieri, & in agnitionem veritatis venire: ſed qui veniunt, Dei auxilio diriguntur, qui non veniunt, ſuâ pertinaciâ reluctantur*; cùm ſufficienter à Deo adjuti venire potuerint: & capite 26. *Gratia Dei in omnibus juſtificationibus principaliter præeminet, ſuadendo exhortationibus, terrendo periculis, incitando miraculis, dando intellectum, inſpirando conſilium, corque ipſum illuminando, & fidei affectionibus imbuendo .... Quæ opitulatio per innumeros modos ſive occultos, ſive manifeſtos omnibus adhibetur: & quod à multis refutatur, ipſorum eſt nequitiæ; quod autem à multis recipitur & gratiæ eſt divinæ, & voluntatis humanæ*.

20 Si à multis *opitulatio gratiæ refutatur*, non igitur omnis gratia talis eſt, *ut oporteat*, ſeu neceſſe ſit, *quemlibet peccatorem, quantumcunque obſtinatum, ſe ei dedere, accurrere, humiliare ſe, adorare Salvatorem ſuum*. Ex eadem ſchola par nobile, & authoritate non inferius huic Auguſtini diſcipulo jungo Magnum Oroſium, & Anſelmum. Sic prior in Apologia pro libertate: *Mea eſt hæc fidelis, atque indubitata ſententia, Deum adjutorium ſuum non ſolùm in corpore, quod eſt Eccleſia, verùm etiam univerſis gentibus ſubminiſtrare, & ſpeciatim quotidie per tempora, per dies, per momenta, per atomos, & cunctis, & ſingulis miniſtrare*, partim infundendo, partim offerendo paratum. Quàm multi tamen non ſe dedunt, non accurrunt, non ſe humiliant, non adorant Salvatorem! Mox pergit, *At verò ut adeſſe adjutorium Dei per ſingula, & per ſingulos probes, ex quo evidentiſſimè declaratum eſt, nemini hominum deeſſe adjutorium Dei, præſertim cum & ſeductor aſſiſtat, & inſit infirmitas.*

21 S. Anſelmus in Monologio ad verba Matthæi 6. ait: *Si enim velit* (Deus) *per miſericordiam de aliquo pravo, quod ſit juſtus, & conferat ei gratiam ſuam, & tamen per liberum arbi-*

arbitrium contradicat, nec gratiæ Dei conſentiat, hæc voluntas non concordat providentiæ; quia quamvis per dulcedinem GRATIAM CONFERAT, TAMEN SCIT NON CONSENSURAM, *&c. Itaque homines reſiſtunt voluntati miſericordiæ, & non reſiſtunt voluntati juſtitiæ*, certiſſimè puniendi.

22 Idem Sanctus libro de Concordia q.3. cap. 5. *Cùm Deus alicui concepto, & nato in peccato, cui nihil niſi pœnam debet, dat velle, & currere, non eſt volentis, nec currentis, ſed miſerentis eſt Dei: & qui eamdem* GRATIAM NON ACCIPIT, AUT ACCEPTAM REJICIT, *ejus eſt non Dei, quod in ſua duritia, & iniquitate permanet.* Aliquando igitur gratia oblata repellitur, & *rejicitur accepta*: atque ita peccator obſtinatus non ſemper ſe gratiæ ſubjicit; minùs ad id neceſſitate conſtringitur. Præterea fideliſſimum Auguſtini interpretem S. Thomam parte 1. q. 62. art. 3. ad 2. Dein 1.2. quæſt. 106. art. 2. ad 2. Iterum in Epiſt. 1. Theſſ. cap. 1. lectione 2. denique, & in 1. Corinth. cap. 12. lect. 1.

Decima quinta Propoſitio damnata.

Quando Deus mandatum ſuum, & ſuam externam locutionem comitatur unctione ſui Spiritûs, & interiori vi gratiæ ſuæ, operatur illa in corde obedientiam, quam petit. *Obſerv. Mor. in Luc. 9. v. 60.*

CAPUT I.

Propoſitio hæretica refellitur.

1 Neceſſe eſt 2. propoſitionis Janſenianæ hæreſim inter præcipua novæ Eccleſiæ dogmata, & quaſi fundamenta à novis Apoſtolis numerari; cùm eam Queſnellus toti factioni Præpoſitus, captatâ ubique occaſione, prædicet, ingerat, infarciat. Nè tamen crambe toties recocta nauſeam pareret, nova ſemper verborum, & figurarum condimenta obſonator induſtrius excogitavit. Quanquam neque ſic impedire faſtidium omnino potuit, nec reprehenſionem evadere, etiam ſuorum. Vereor, ut & evadam ego apud lectorem, cui tetricum accidit, eamdem hæreſim toties repetitam legere, &, ut inſtituti mei eſt, toties refutatam. Quid faciam? Si hæreſeos Authorem metus tædii ab ea toties inculcanda non averterit, nec Sedem Apoſtolicam ab ea tot diverſis, quibus concepta, & edita fuit phraſibus, condemnandâ, videtur etiam nobis qualecunque tædium tolerandum, nè minùs apud nos valuiſſe cenſeatur Catholicæ veritatis defenſio, quàm apud Queſnellum hæreticæ inductio novitatis.

2 Neque laborem hunc omni cariturum fructu exiſtimo, dum multi controverſiarum iſtiuſmodi minùs periti, hæreſim ſignrarum phaleris tectam, aut elegantibus obductam verborum pigmentis, non tam facilè agnoſcunt, & quam rudioribus, ſed candidis expreſſam terminis averſarentur, figuris, compoſitiſque ſtudiosè phraſibus involutam, atque adornatam incautiùs ſuſcipiunt. Senſus illimitatæ Propoſitionis dogmaticæ, & æquivalentis univerſali apud omnes, hic eſt: *Quotieſcunque Deus mandatum, & ſuam externam locutionem comitatur unctione ſui Spiritûs, & interiori vi gratiæ ſuæ, operatur illa obedientiam, quam petit.* Quòd ſimplicius propoſitum ſic accipe: Quotieſcunque Deus mandato ſuo jungit auxilium gratiæ, mandatum ſemper impletur; nam etſi Divinis juſſibus ſinè gratia interiore ſæpe refragamur, tamen interiori gratiæ in hoc ſtatu juxta novos Theologos nunquam reſiſtimus. Ubi lector vides 2. Propoſitionem Janſenii hæreticam, *interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ nunquam reſiſtitur.* Hanc tibi hæreſim propinare Queſnellus ſtudiosè voluit; ſperavit autem fore, ut diſtractâ ad *externam* Dei *locutionem* mente, & *unctione ſui Spiritûs*, non Divini, non Sancti; ſed Janſeniani, ſed fallaciſſimi delibutus, melliti ſermonis virus incautus biberes.

3 Non una ſolùm hæreſis huic Queſnelli articulo implexa eſt; ſed etiam prima Janſenii, tertia, & quinta. Si enim quandocunque adeſt gratia, mandatum ſervetur, nunquam gratia adeſt, dum illud violatur. Atqui impoſſibilis eſt impletio mandatorum ſinè gratia, quoties ad obſervationem gratia eſt neceſſaria, ut in præceptis Fidei, Spei, Charitatis, Pœnitentiæ, & reliquis naturæ ordinem excedentibus. Igitur quotieſcunque talia præcepta non obſervantur, evidens eſt in hæretico Queſnelli principio, ea fuiſſe ſervatu impoſſibilia, & defuiſſe gratiam, qua poſſibilia fierent. Peccarent itaque homines neceſſariò; & tamen juxta Queſnellum demererentur, quæ eſt hæreſis Janſenii tertia: neque adeſſet ulli reprobo gratia, quâ ſalvari poſſet, unde

unde pro nullius reprobi *ſalute*, ſed *prædeſtinatorum dumtaxat* Chriſtus Sanguinem fudiſſet.

4 In eadem Propoſitione Queſnelli continetur prima inter 31. damnatas ab Alexandro VIII. *In ſtatu naturæ lapſæ ad peccatum formale, & demeritum ſufficit illa libertas, qua voluntarium, ac liberum fuit in cauſa ſua peccato originali, & voluntate Adami peccantis*; ut enim jam oſtenſum eſt, alia libertas in nullo peccato formali, & demerito, ad quod vitandum gratia opus eſt, juxta Queſnelli principium reperitur, juxta quòd gratiam ſemper comitatur impletio præcepti; atque adeò abſentiam gratiæ in caſu ſemper comitetur inobedientia neceſſe eſt.

5 Indè ſequeretur quoque Propoſitio 2. eodem Alexandri VIII. Decreto damnata: *Tametſi detur ignorantia invincibilis, hæc in ſtatu naturæ lapſæ operantem ex ipſa non excuſat à peccato formali*. Cùm enim in Queſnelli principio non excuſet à peccato formali neceſſitas orta ex defectu, ſeu abſentiâ gratiæ, non eſt cur excuſet neceſſitas ſimilis ex defectu notitiæ, quàm acquirere peccans non potuerit.

6 Nos igitur exitialem Queſnelli doctrinam ad fallendum ſpecie pietatis ſubdolè adornatam deteſtemur, ſentientes cum omnibus Eccleſiæ Catholicæ, cujuſcunque ſcholæ fuerint, Doctoribus, quod quandocunque ad Dei mandatum exequendum neceſſaria eſt unctio Spiritûs Sancti, ſeu gratia interior, ea mandatum ſemper comitetur data, vel oblata, ut eam accipere in poteſtate noſtra ſit; ſed quod ea ſæpe vitio noſtro repulſa non *operetur in corde obedientiam, quam petit*.

7 Novitatem ſuam perſpicax Queſnellus vidit, ubi nullus ante illum, ſaltèm Catholicus, Lucæ 9. v. 60. *Dixitque ei Jeſus: Sine, ut mortui ſepeliant mortuos ſuos: tu autem vade, & annuntia regnum Dei*. Unde, inquit novus interpres, rectè infertur hæc illimitata, & ſenſu univerſalis obſervatio: *Quando Deus mandatum ſuum, & ſuam externam locutionem comitatur unctione ſui Spiritûs, & interiori vi gratiæ, operatur illa in cordibus obedientiam, quam petit*. Invitatus hic à Chriſto juvenis tergiverſatur, & licèt ſecuturum ſe promittat, vult tamen primùm renuntiare his quæ domi ſunt. Quare *ait ad illum Jeſus: Nemo mittens manum ſuam ad aratrum, & reſpiciens retrò, aptus eſt regno Dei*. Unde paſſim colligunt Interpretes, juvenem illum ad Chriſtum poſtea non veniſſe. Sed quis Queſnello revelavit, eum nullam interiorem gratiam habuiſſe? Oppoſitum omnes probè Catholici agnoſcent, quibus perſuaſum eſt, Chriſtum non mandare, non ſuadere, non petere impoſſibilia, quale eſſet relictis omnibus ſequi Chriſtum abſque interiore gratiâ. Quapropter ſi Apoſtoli in Queſnelli Lyceo edocti fuiſſent, deeſſe invitato gratiam, non potuiſſent non mirari tam parum dignam ſupremâ ſapientiâ vocationem, negatâ interiore gratiâ, ſinè quâ ſciret ſui imitationem, & propoſitum tam arduum eſſe impoſſibilia. Nos itaque potiùs contra Queſnellum credamus, benigniſſimum, & ſapientiſſimum Salvatorem vocato non negaſſe ſufficiens gratiæ interioris auxilium, quo vocantem ſequi poterat; ſed etſi juvenis gratiæ interioris ductum ſequens, vocationi paruiſſet, nullâ adhuc ratione ſubſiſteret hinc deducta obſervatio, *Interior gratia* ſemper *operatur in corde obedientiam, quam petit*: Ita neque ex inobedientia ſequitur interioris gratiæ defectus. Fixum tamen adverſariis eſt, tam exoticum errorem non relinquere indefenſum.

CAPUT II.

Solvuntur Objectiones.

1 Ezech. 36. v. 27. Dicit Dominus Propheta, ut denuntiet Iſraëli, *Faciam ut in præceptis meis ambuletis, & judicia mea cuſtodiatis, & operemini*. Hic iterum elucet mirificum adverſarii ingenium, qui ex his Dei verbis de populo, quem ſingulari clementiâ, & ad reprimendas gentium blaſphemias, reconciliare ſibi efficaciter decreverat, colligit, omne Dei mandatum ſemper, & ab omnibus impleri, quoties illud qualiſcunque interior gratia comitatur. Non deeſt quidem Deo talis unctio, & vis gratiæ, qua converſionem cujuſcunque impii, cùm abſolutè voluerit, obtineat; ſed omnem Spiritûs Sancti unctionem, & quamlibet interioris gratiæ vim tam eſſe validam, ut nullius unquam peccatoris perverſitas ei refragetur, Calvinianum, & Janſenianum delirium eſt. Etiam perfidis, & mandatorum contemptoribus Judæis non omnem Spiritûs Sancti unctionem, non omne interioris gratiæ auxilium defuiſſe, obvia Scripturarum teſtimonia evincunt.

2 Apud eumdem Prophetam cap. 18. Deus peccatoribus omnibus pœnitentiam imperat, *Nunquid voluntatis meæ eſt mors impii, dicit Dominus Deus, & non ut convertatur à viis ſuis, & vivat? Nolo mortem morientis dicit Dominus, nolo mortem impii; ſed ut convertatur impius à via ſua, & vivat. Convertimini, convertimini.... Impietas impii non nocebit ei*. Quomodo Deus non vult *mortem morientis*, ſi nulli pereuntium Deus unctionem Spiritûs, & vim

Digitized by Google

& vim interioris gratiæ, ſaltèm ſufficientis conceſſerit, quâ mandatum Dei exequi poterant, & ſinè qua minimè potuiſſent? Pœnitentia, & converſio à peccatis ſinè tali unctione, & gratia fieri non poteſt: non omnes peccatores tali *interiore gratia* donari, *quæ operatur in corde obedientiam, quam petit*, nimiùm quotidie exploratum eſt. Neceſſariò igitur aſſerenda eſt quædam gratia interior, & Spiritûs Sancti unctio, quæ ex hominis pervicaciâ deſtituatur effectu; nè, ſi ſtatuatur omnis interior gratia efficax, impoſſibilis reddatur peccatoribus omnibus non ſe convertentibus pœnitentia, impoſſibilis ſalus omnibus qui pereunt. Et quidem juxta adverſarios nullum opus bonum, juxta omnes nullum opus conducens ad juſtitiam, & ſalutem, fieri ſalutifere poteſt ſinè omni S. Spiritûs unctione. Præcepta talia non implentibus Chriſtus certum minatur exitium; Queſnellus autem ſuppoſitâ damnati articuli veritate, irrefragabilem adversùs Deum apologiam ſuggerit, qua ſe reprobi adversùs ſupremi Judicis ſententiam juſtiſſimè tueantur. Quid enim, inquient, fuitne in poteſtate noſtra, quæ præceperas, operari, quando omnem nobis interiorem denegaſti Sancti Spiritûs unctionem, ſinè qua tam nobis impoſſibilis fuit ſalutifera impletio mandatorum, quàm volatus per aëra, alarum ſubſidio deſtituris?

3 Fruſtrà igitur adverſarius præſidium quærit in Scripturis: in quibus ſi naufragium paritur, ſolitam hæreticorum tabulam ſibi ſpondet in Auguſtino: De quo reſpondere poſſem, quod Auguſtinus de Magiſtro ſuo Sancto Ambroſio lib. de gratia Chriſti cap. 43. *Ecce qualibus, & quantis* (Pelagius Ambroſium, Queſnellus & Janſenius Auguſtinum) *prædicat laudibus quamlibet Sanctum, & doctum virum, nequaquam tamen authoritati Scripturæ Canonicæ comparandum*. Sed hunc Sanctiſſimum Doctorem cum Scripturis Canonicis jam allegatis, & definitione Eccleſiæ contra damnatum articulum facilè conciliabimus.

4 Placet vehementer adverſario illud Auguſtini ex libro de prædeſtinatione Sanctorum cap. 8. *Quando ergo Pater intus auditur, & docet ut veniatur ad Filium, aufert cor lapideum, & dat cor carneum, ſicut, Prophetâ prædicante, promiſit. Sic quippe facit filios promiſſionis, & vaſa miſericordiæ, quæ præparavit in gloriam.* Quemadmodum obſurdeſcere conſiliis, aures claudere piis monitis, ſignificat indocilem eſſe, ita *audire* Latiniſſimè, & frequentiſſimè ab Authoribus tam Sacris, quàm profanis adhibitum reperies pro *exaudire*. Ita Pſalmo 80. conqueritur Deus: *Et non audivit populus meus vocem meam: & Iſraël non intendit mihi*. Alibi monet Deus, *Si audieris me, non erit in te Deus recens, neque adorabis Deum alienum.* Grato animo ait Chriſtus Patri *Scio quia ſemper me audis*, quibus & plurimis locis in Scriptura obviis *audire* pro *exaudire* accipi, nullus unquam Interpretum inficiatus eſt. Alio ſenſu multos audire Divina monita, ac præcepta; retinêre tamen cor lapideum, colligitur ex illo Pſalmi 94. *Hodie ſi vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda veſtra*. Matth. 22. *Miſit vocare invitatos ad nuptias, & nolebant venire*. Nunquid invitationem non audierant? Si nullo modo audiviſſent, juſta eis fuiſſet excuſatio, ut ait Chriſtus. *Si non veniſſem, & locutus eis fuiſſem, peccatum non haberent*. Proverbiorum 1. *Vocavi, & renuiſtis*. Iſaiæ 65. *Expandi manus meas tota Die ad populum incredulum .... qui ad iracundiam provocat me ante faciem meam ſemper*.

5 Meminerit autem lector, Auguſtinum in objecta ſententia agere de ſingulari vocatione, & inſtitutione prædeſtinatorum, ut ipſius libri indicat inſcriptio: *De Prædeſtinatione Sanctorum*, quam mordicus negabant Pelagiani, Auguſtinus totis viribus defendit & inculcat. Aliàs ipſum Hipponenſem Antiſtitem agnoviſſe cœleſtia monita, conſilia, vocationem internam, obſtinatione hominis ſubinde irritam, patet ex illo libri de ſpiritu & litera cap. 34. *Miſericordia Dei prævenit nos*, illuſtrando, excitando, vocando; *conſentire autem vocationi Dei, vel ab ea diſſentire propriæ voluntatis eſt*, lib. 83. Quæſtionum q. 68. *Ad illam enim cœnam, quam Dominus dicit in Euangelio præparatam, nec omnes qui vocati ſunt, venire voluerunt: neque illi, qui venerunt, venire poſſent, niſi vocarentur: itaque nec illi debent ſibi tribuere qui venerunt, quia vocati venerunt: nec illi, qui noluerunt venire, debent alteri tribuere, ſed tantùm ſibi: quoniam ut venirent vocati, erat in libera voluntate*.

6 Ante Auguſtinum Chryſoſtomus hom. 82. in Matth. 26. *Dei vocatio nullum cogit, nec mentem eorum qui virtutem volunt contemnere, ullo modo violentat: ſed hortatur quidem, ac conſulit, & omnibus modis bonos eſſe perſuadet: Si verò aliqui reluctentur, nullo modo cogit*, ubi quod Chryſoſtomus de *omnibus modis* ait, accommodè intelligendum agnoſcimus de modis plurimis; nam ſapientiæ Dei & omnipotentiæ quis limites figat? Inter homines reperias magiſtros, & præceptores adeò induſtrios, ut teneram ætatem blanditiis, præmiis, rationibus, ſubinde etiam plagis, & terroribus ducant quocunque voluerint: quas omnes ingenii ſui vires etſi non

impen-

impendant ſemper omnibus curæ ſuæ quomodocunque commiſſis;iis tamen,quibus ſingulari ratione obſtricti ſunt, aut favent majore benevolentia, non vulgari intendunt ſtudio. Ita quodammodo Deus etſi communia virtutis, & ſalutis documenta nulli rationis compoti deneget, attamen erga electos, ut affectu fertur magis benevolo, ſingulari eis curâ invigilat, documentis adeſt, & ſuaſionibus eorum ingenio, guſtui, utilitati, ſaluti certiſſimè accommodatis, ut tradit Auguſtinus ad Simplicianum quæſt.2. *Ita vocat, quomodo eis vocare aptum eſt,ut ſequantur, quomodo ſcit eis congruere, ut vocantem non reſpuant.* Alios autem ſufficientibus documentis inſtruit, paratus imbuere etiam efficacibus, ſi per ipſos non ſteterit.

7 Alioqui non eſſent propter ignorantiæ peccata damnabiles; nam ut Auguſtinus ait lib.3. de lib. arbit. cap.19. de nat. & gratia cap.67. Retract. lib.1. cap.9. *Non tibi deputatur ad culpam, quod invitus ignoras; ſed quod negligis quærere,quod ignoras*, à Deo docendus pleniſſimè, ſi peteres. Sic omnes languidos ſanare paratus eſt, teſte Auguſtino enarratione in Pſalmum 102. *Deus ſanat omnino quemlibet languidum; ſed non ſanat invitum. Quid autem te beatius, quàm ut tanquam in manu tuâ ſic habeas in voluntate ſanitatem tuam?*

8 Inſtat Adverſarius illo Auguſtini ex lib.1. de gratia Chriſti cap.13. *Hæc gratia ſi doctrina dicenda eſt, certè ſic dicatur, ut altiùs & interiùs eam Deus cum ineffabili ſuavitate credatur infundere, non ſolùm per eos qui plantant, & rigant extrinſecùs, ſed etiam per ſe ipſum, qui incrementum ſuum ſubminiſtrat occultus, ita ut non oſtendat tantummodo veritatem, verùm etiam impertiat charitatem. Sic enim docet Deus eos, qui ſecundùm propoſitum vocati ſunt, ſimul donans, & quid agant, ſcire, & quod ſciunt, agere.* Hic iterum conſpicua eſt adverſarij, non ſolùm perfidia, ſed impudentia. Latêre enim ipſum minimè potuit, non de qualicunque hic agi Divinæ gratiæ auxilio; ſed de tali, quod ſingulari Dei erga electos benevolentiâ datur ex decreto abſoluto obtinendi effectum. Ita Theologi omnes, & Scripturarum interpretes intelligunt gratiam datam *ſecundùm propoſitum*, ut etiam in Auguſtini ſententiâ exprimitur. Adeone Janſeniſtarum Coryphæus Theologici idiomatis ignarus eſt, ut illud neſciat? Sed ad fallendos incautos more ſuo ignorantiam ſimulat.

9 Ipſa quoque objectæ ſententiæ prima vox, non poterat ipſi dubium relinquere de qua vocatione & gratiâ ageretur; num de qualibet in communi, an verò de præcipua quadam, & nobiliore ejus ſpecie, quæ electis propria eſt. De poſteriore convincere eum debuit demonſtrativum vocabulum *hæc gratia* quod ſequentem orationem refert ad præcedentem. Immediatè autem præiit. *Hæc autem gratia, qua virtus in infirmitate perficitur, prædeſtinatos, & ſecundùm propoſitum vocatos, ad ſummam perfectionem, glorificationemque perducit. Quâ gratiâ agitur non ſolùm, ut facienda noverimus, verùm etiam ut cognita faciamus.* Ubi ſi de gratiæ interioris auxilio in communi ſermo eſſet, neceſſe foret omnem gratiam talem eſſe, quæ *prædeſtinatos, & ſecundùm propoſitum vocatos ad ſummam perfectionem, glorificationemque perducat*, quod à certiſſima veritate alienum eſt; ſubdola itaque, & inaniſſima eſt allegatio Auguſtiniani textûs in damnati erroris patrocinium.

10 Aſſultum nihilominus iterat adverſarius per illud Auguſtini lib. de correptione & gratiâ cap.6. *Corripiatur ergo origo damnabilis, ut ex dolore correptionis voluntas regenerationis oriatur; ſi tamen qui corripitur, filius eſt promiſſionis, ut ſtrepitu correptionis forinſecùs inſonante, atque flagellante, Deus in illo intrinſecùs occultâ inſpiratione operetur & velle.* Rurſus hìc ſimulat adverſarius,ſe non videre quod agatur de prædeſtinato, qui communi intelligentia eſt *filius promiſſionis*. Veriſſimum eſt, quod in eo, qui *corripitur forinſecùs, ſi tamen filius eſt promiſſionis, Deus intrinſecùs occultâ inſpiratione operetur & velle*. Ex efficacitate autem gratiæ, quæ prædeſtinatis tribuitur, nulla ratione deduxeris, omnem gratiam, etiam quæ reprobis conceditur,ſemper conſequi effectum, ut in proſcripto Articulo affirmatur, *Quando Deus mandatum ſuum & ſuam externam locutionem comitatur unctione ſui Spiritûs, & interiori vi gratiæ ſuæ, operari illam in corde obedientiam, quam petit.*

11 Evidentiore fatuitate laborat argumentum deſumptum ex Epiſt. 14. S. Fulgentii, ubi refertur mirabilis quædam unctio Spiritûs Sancti, robur inſuperabile gratiæ ſpiritualis, quæ animum inebriet, & non ſolummodo victoriam, ſed etiam oblivionem inducat omnium carnis affectuum. Quæro igitur ex adverſario, num ſentiat, hìc deſcribi gratiæ auxilium in genere, an quamdam excellentiorem ejus ſpeciem? Si prius affirmet, neceſſe eſt,omnes homines,etiam juſtos, præter pauciſſimos perfectos abſque omni gratiæ ſubſidio à Deo aſſerat derelinqui, atque ita *nihil amare poſſe niſi ad ſuam condemnationem* juxta Articulum quadrageſimum. Si autem Catholicè ſentiat à Fulgentio referri gra-

ti gratiam ſpecialem perfectorum, ſive quod gratia aliqua eximios quandoque fructus efficiat, quid indè præſidii adverſarius eliciet pro defenſione Articuli aſſerentis, omnem ſemper gratiam operari in corde obedientiam, quæ à Deo petitur? Toto libro 3. de Prædeſtinatione docet Fulgentius, non tantùm gloriam, ſeu mercedem prædeſtinari; ſed etiam merita, atque hæc eſſe *ſecundùm propoſitum*: hoc poſito, ſequitur, gratiam illam interiorem, quæ electis datur, tanquam vocationem ſecundùm propoſitum effectu potiri certiſſimè. Sed adverſario incumbit probandum, quod omnis gratia detur *ſecundùm propoſitum*, ſive detur ex decreto abſoluto conſequendi effectum, quod, utpote veritati, & Fidei Catholicæ contrarium, nec in Fulgentio inveniet, nec in ullo Patrum, aut probabilium Scholaſticorum.

12 Tandem adducitur illud Thomæ à Kempis lib. 3. de imitatione Chriſti cap. 2. *Non loquatur mihi Moyſes, aut aliquis ex Prophetis: ſed tu potiùs loquere Domine Deus, inſpirator, & illuminator omnium Prophetarum; quia tu ſolus ſinè eis potes me perfectè imbuere; illi autem ſinè te nihil proficient . . . . loquere mihi . . . . ad totius vitæ meæ emendationem; tibi autem ad laudem, & gloriam, & perpetuum honorem*: ubi patet, piiſſimum Scriptorem minimè aſſerere, quòd omnis Dei locutio interior, omnis gratia effectum obtineat; ſed quòd in poteſtate Dei ſit ita loqui animæ, eam tali prævenire gratiæ auxilio, quòd optatum conſequatur effectum; tale à Deo petit, quod operetur totius vitæ ſuæ emendationem, unde Deo laus & gloria & honor perpetuus tribuatur. Tales ſi adverſarius ambiat ſuppetias, deſcribere poterit integra Aſceticorum volumina; ſed quæ damnato Articulo non plus præſidii afferent quàm Inſtitutionibus Calvini, aut Alcorano Mahumeti.

Decimaſexta Propoſitio damnata.

Nullæ ſunt illecebræ, quæ non cedant illecebris gratiæ, quia nihil reſiſtit omnipotenti. *Reflex. Moral. in Act.* 8. *verſ.* 12.

CAPUT I.

Error Propoſitionis evertitur.

1 QUibus non verborum illecebris fraudulentus Author iterum allicit incautos, ut hæreticum virus hauriant fecundæ Propoſitionis Janſenii, *Interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ nunquam reſiſtitur!* Si enim omnia ſemper cedant illecebris gratiæ, & quidem ideo, quia *nihil reſiſtit omnipotenti*, oportet quamlibet gratiam ab omnipotenti dari voluntate efficaci, ut omnes *ei cedant illecebræ*, *reſiſtat nihil*, nè ipſum quidem arbitrium voluntatis: quod ſinè ambagibus clarè exprimit ſecundus Janſenii damnatus Articulus *Interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ nunquam reſiſtitur*. Ex qua iterum Queſnelli hæreſi tres aliæ profiliunt; prima, tertia, & quinta Janſenii. Si enim gratiæ, & divinæ voluntati, qua gratia conceditur, nihil unquam reſiſtat, evidens eſt, gratiam nunquam adeſſe, dum mandatum violatur. Atqui ſæpe mandatum ſinè gratia eſt ſervatu impoſſibile, ſcilicet mandatum omne traſcendens naturæ ordinem, qualia ſunt ad virtutes Theologicas, ad pœnitentiam, ad religionem pertinentia. Igitur quotieſcunque præceptorum iſtorum actuum omiſſione delinquitur, obſervatio præcepti erat homini etiam juſto ſecundùm præſentes, quas habebat vires, impoſſibilis, deerat quoque gratia, qua poſſibilis fieret: unde toties homo peccat neceſſariò, & tamen peccando demeretur, ſi Queſnello credimus. Sic quoque nulli reprobo Chriſtus meritus fuerit gratiam, qua ſalvari poſſet, atque ita pro ſalute prædeſtinatorum dumtaxat Chriſtus mortuus fuiſſe, aut ſanguinem fudiſſe intelligetur. Ex eodem Queſnelli principio facilitate pari profluunt Propoſitiones prima & ſecunda inter 31. damnatas ab Alexandro VIII. ut ex Propoſitione huic ſimili deduximus.

2 Ma-

2 Magna quidem vis gratiarum eſt; ſed non æqualis omnium, & in omnibus. Nulla Mundi, Carnis, aut Diaboli lenocinia ſunt, quæ non cedant illecebris quarumdam gratiarum, quas in theſauris Providentiæ ſuæ tenet Omnipotens, & quibus vult impertit, atque ita nihil Omnipotenti reſiſtit ſecundùm omnipotentiam efficaciter volenti. Verùm & apud Omnipotentem ſunt alia minora gratiæ interioris præſidia, quæ ſuperandis hoſtium aſſultibus ſufficiunt, modò ſe voluntas hominis gratiæ jungere, ut poteſt, voluerit. Si nolit, gratia cedere invita cogitur, non defectu ſuo, ſed maleſanâ hominis electione. Quamdiu mortale corpus miſeri circumferimus, perpetuò nobis cum hoſte maximè domeſtico luctandum eſt, ut meritò dicta ſit militia vita hominis ſuper terram: periculoſior quoque pugna eſt, dum non eminus, ſed cominus; fraudibus, non armis; non vi, ſed lenociniorum quaſi præſtigiis; non de fortunis, non de periturâ vitâ agitur, ſed æternâ. Et quidem ſi vas electionis Apoſtolus Gentium, & plures cum eo in gratia confirmati, pugnantium inter ſe legum carnis & rationis, peccati & gratiæ luctam quodammodo perennem ſenſerint, quid non infirmioribus accidiſſe, & quotidie accidere exiſtimandum eſt? Dæmon nobis ſemper infeſtus, ſemper inſidians, nullam tentandi opportunitatem prætcrit.

3 Verùm ejus malitiâ longè ſuperior Dei bonitas infinita, tentationum multitudine non ſinit rariorem eſſe copiam gratiarum. *Ecce*, inquit Deus Apoc. 3. verſ. 20. *Sto ad oſtium & pulſo; ſi quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi, intrabo ad eum.* Vis ſcire, quàm frequenter pulſet? Audi Concilium Senonenſe can. 15. *Neque tamen tanta gratiæ neceſſitas libero præjudicat arbitrio, cùm illa ſemper in promptu ſit, & neque momentum quidem prætereat, in quo Deus non ſtet ad oſtium, & pulſet.* Audi & Oroſium Auguſtino familiarem Apologiâ pro libertate arbitrii: *Mea hæc eſt fidelis, atque indubitata ſententia, Deum adjutorium ſuum non ſolùm in corpore, quod eſt Eccleſia; verùm etiam univerſis gentibus ſubminiſtrare, & ſpeciatim quotidie per tempora, per dies, per momenta, per atomos, & cunctis, & ſingulis miniſtrare.* Unde & poſtea concludit: *Ex quo evidentiſſimè declaratum eſt, nemini hominum deeſſe adjutorium Dei; præſertim cùm & ſeductor aſſiſtat, & adſit infirmitas:* Quid ad hæc Quæſnellus, aut ſectatores, in quodcunque latus ſe vertant?

4 In tanta autem tentationum, & cœleſtium auxiliorum frequentiâ, neſcio quodnam iſtud ſit novorum hominum, & mirabilium Sanctorum genus, quod nunquam gratiæ, nunquam Deo, ſeu imperanti, ſeu meliora ſuadenti ſe ait reſiſtere. Phariſaicam vocemus ſuperbiam; nemo enim Chriſtianâ præditus ſimplicitate inficiabitur, ſe nimiùm ſæpe reſtitiſſe; ceſſiſſe verò concupiſcentiæ illecebris, cùm poſſet, & deberet ſequi illecebras gratiæ, non ſuadentis ſolùm perfectiora, ſed etiam neceſſaria præcipientis. Simili de ſe confeſſioni gementes indubiè ſubſcribent Chriſtiani omnes; ſeu juſti, ſeu improbi, præter exoticam hypocritarum turbam. Mirabile, inquam, Sanctorum genus, hactenus Eccleſiæ incognitum, qui omni legitimæ in terris poteſtati, omnibus Eccleſiæ contra novam hæreſim Conſtitutionibus reſiſtunt, ſub inani pietatis ſpecie, veræ pietatis ſubverſores, inquieti, contumelioſi, libellis infamibus famæ omnium, etiam Religioſorum, Epiſcoporum, Cardinalium, ſupremorum Principum, imò & Romanorum Pontificum detrahentes, Reipublicæ perturbatores, Eccleſiæ peſtes, ruinæ animorum.

CAPUT II.

Solutio Objectionum ex Scripturis SS.

1 Citamur à Queſnello ad Act. 8. v. 12. illic viſuri non temerè à ſe aſſertam Propoſitionem. Sic nempe illic legitur: *Cùm verò credidiſſent Philippo Euangelizanti de regno Dei, in nomine* Jesu *Chriſti baptizabantur viri ac mulieres.* Hic, Judice Queſnello, convincimur, *nullas eſſe illecebras, quæ non cedant illecebris gratiæ, quia nihil reſiſtit omnipotenti.* Verùm, Judice quocunque, extra Janſenii ſcholam, vel leviſſimè ratiocinandi perito, peccat hæc Queſnelli argumentatio, ut paſſim aliæ ſuperiores, in receptiſſimam apud omnes dialecticæ regulam, lumine naturæ notam, *Non eſſe procedendum à non diſtributo ad diſtributum*, à termino particulari ad univerſalem. Veriſſimum eſt, illecebras gratiæ fuiſſe victrices in iis, qui Philippo de regno Dei euangelizanti crediderunt. Sed ridiculum eſt, ex hoc antecedente concludere: ergo omnes illecebræ gratiæ in omnibus ſemper victrices ſunt. Exempla ex ipſis Scripturis non pauca aliàs dedimus contemptæ à peccatoribus, vel neglectæ gratiæ; & quoniam importuna adverſariorum eamdem hæreſim diverſimodè identidem reducentium pertinacia exigit, etiam hic inferiùs antidotum repetemus.

2 Frequentiora hic ſolito colligit, & in Conſtitutionem vibrat Scripturarum ſpicula Author Hexaplorum; ſed quæ eam non magis

gis feriunt, quàm Divina Fides Catholicam veritatem. Referenda tamen uobis ſunt, nè ſubterfugiſſe videamur: atque hunc ſaltèm Sacrorum Textuum prolixa deſcriptio fructum afferet, quòd vel inde Lector perſpiciet, quàm deſperata ſit adverſariorum cauſa, quam frivolis adeò oportuit rationibus propugnari. Adducitur ex Canticorum cap. 8. *Pone me ut ſignaculum ſuper cor tuum, ut ſignaculum ſuper brachium tuum, quia fortis eſt ut mors dilectio, dura ſicut infernus æmulatio, lampades ejus lampades ignis, atque flammarum. Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem.* Diſſimulo quod adverſarius vocem *dura* Gallicè vertat INFLEXIBLE, & quidem velut præcipuum argumenti ſui robur majoribus notet characteribus. Verùm ut illud Scripturarum antecedens, novitati ſuæ firmandæ accommodet, neceſſe eſt ſubſumat, vel ſupponat omnem gratiam, omnem boni operis affectum tam eſſe ardentem, tam fortem, quam fuerit Divinæ Sponſæ in Canticis. Quid autem ſtolidius, quàm ex amore alicujus, vel aliquorum perfectiſſimo, & inflexibili, ſicut mors, & infernus inflexibiles ſunt, metiri omnem etiam incipientium amorem, omnem gratiam eò invitantem, quam fides docet, & Catholica lugens agnoſcit Eccleſia frequentiſſimè negligi, & repelli? Si omnes ſemper erga Deum ferrentur, ut deſcripta illic Sponſa, opus non foret Sacramento pœnitentiæ: ſi omnium gratia tam eſſet fortis, omnium amor tam inflexibilis, non dixiſſet Chriſtus multos vocatos, paucos verò electos; cum vocatorum numerus videretur æquaturus multitudinem electorum.

3 S. Bernardus ſermone 79. in cant. cap. 3. miratus Sponſæ illius ardorem, *O amor*, inquit, *præceps, vehemens, flagrans, impetuoſe, qui præter te aliud cogitare non ſinis, faſtidis cætera, contemnis omnia præter te, contentus captivam ducis rationem, & intellectum, mirabiliter triumphum agens rerum omnium. En omne quod cogitat iſta, quod loquitur, te ſonat, te redolet, & aliud nihil: ita tibi ipſius & cor vindicaſti, & linguam.* Quæ dilectio rectè ad exemplum, & ædificationem fidelibus proponitur; verùm talem reperiri ſemper Divinæ gratiæ effectum, nè Hæreticus quidem, niſi cui inſanire forſan libitum fuerit, affirmabit. Diviſiones variæ gratiarum ſunt, ac longè diſpares donorum cœleſtium, & auxiliorum gradus. Alia, quæ prædeſtinatis ſecundùm propoſitum dantur & certiſſimam largiuntur victoriam; alia quæ reprobis, vel juſtis cadentibus obtingunt, eorum perverſitate deficiunt, nec proferunt fructum gratum ſuperis, & hominibus ſalutarem.

4 Objicitur dein Pſalmi 18. v. 8. *Lex Domini immaculata, convertens animas: teſtimonium Domini fidele ſapientiam præſtans parvulis.* V. 9. *Juſtitiæ Domini rectæ lætificantes corda: præceptum Domini lucidum illuminans oculos.* Verſ. 10. *Timor Domini ſanctus permanens in ſæculum ſæculi, judicia Domini vera, juſtificata in ſemetipſa.* Verſ. 11. *Deſiderabilia ſuper aurum, & lapidem pretioſum multum: & dulciora ſuper mel & favum.* Pſalm. 118. verſ. 103. *Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua, ſuper mel ori meo.* Pſalm. 33. verſ. 9. *Guſtate, & videte, quoniam ſuavis eſt Dominus.* Animas ſanctas in amore Dei, & mandatorum paſſim experiri delicias mirabiles, nemo, qui iſtiuſmodi Scripturas, & libros aſceticos legit, ignorare poteſt. Sed Eccleſia Catholica, quæ eſt columna, & firmamentum veritatis, novit gratias à gratiis diſcernere, ita Scripturas interpretans, ut fidei dogmatibus minimè diſſonent, nec magis conſonent proſcripto Articulo. Ipſi Regi Pſalmographo non ſemper eloquia, judicia, præcepta Dei tam dulcia apparuêre, non ſemper tam fortes illi fuêre gratiarum illecebræ, ut iis ceſſerint lenocinia carnis, quando turpiſſimo adulterio, & ſceleratiore Uriæ occiſione, Dei, & naturæ præcepta graviſſimè violavit. Ipſi Apoſtolorum Principi confeſſio Salvatoris præceptum tam arduum viſum eſt, ut ſub eo infirmus ſuccumberet, & mallet illecebris vitæ cedere, quam gratiæ. Ipſius adverſarii, ſi erroris pertinacia mentis oculos nondum eruerit, conſcientiam appello, an nunquam inſpirationibus ſanctis, à concupiſcentia abſtractus, & illectus reſtiterit. Profectò viri ſanctiſſimi fatentur, & dolent, ſe, neglectis Cœleſtibus monitis, & gratiis, nimiùm ſæpe carnis blanditiis auſcultaſſe.

5 A veteri Teſtamento deducimur ad novum: ex iſto obtenditur nobis illud ad Rom. 8. verſ. 31. *Si Deus pro nobis, quis contra nos?* Et verſ. 35. *Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti? Tribulatio? An anguſtia? An fames? An nuditas? An periculum? An perſecutio? An gladius? . . . . Certus ſum enim, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Principatus, neque Virtutes, neque inſtantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque creatura alia poterit nos ſeparare à charitate Dei, quæ eſt in Chriſto* JESU *Domino noſtro.* Prioris loci ſenſum damnato Articulo minimè faventem deprehenderit adverſarius, ſi attenderit ad verſum illic præcedentem: *Quos autem prædeſtinavit, hos & vocavit, & quos vocavit, hos & juſtificavit, quos autem juſtificavit, hos & glorificavit.* Tum ſequitur. *Quid ergo dicemus ad hæc: ſi Deus pro*

nobis,

Digitized by Google

nobis, quis contra nos? Ubi manifeſtum eſt, non ſignificari, ſi quamcunque nobis dederit gratiam, illam certò fore tentationibus omnibus, & malitiâ noſtrâ ſuperiorem; ſed ſi Deus pro nobis per prædeſtinationem, vocando nos ſecundùm propoſitum, juſtificando nos, & perſeverantiæ dono nos ad finem ultimum dirigendo, quis homiuum, vel etiam Dæmonum nos ab æterna avertet beatitudine? Hoc nihilominus loco, ſed magis poſteriore abutuntur non ſolummodo Janſeniſtæ, pro cujuſcunque Divinæ gratiæ efficacia, ſed etiam Calviniſtæ pro aſſerenda cujuslibet juſti certitudine abſolutâ de ſtatu gratiæ, & æterna ſui ad gloriam prædeſtinatione. Verùm etſi variæ Sanctorum Patrum, & recentiorum interpretum circa Pauli textum occurrant ſententiæ, nulla tamen damnato patrocinatur errori. Nam ſive ſenſeris cum Hieronymo quæſt. 4. ad Algaſiam, favente Syro, Vatablo, & textu Græco, certitudinem hic non intelligi ſtrictè dictam, ſed ſpem magnam & fiduciam; ſive cum Auguſtino lib: de moribus Eccleſiæ cap. 11. & ſequenti intelligas certitudinem de potentiâ charitatis tantâ, ut nulla vis ab ea nos invitos ſeparare valeat, quanquam charitas ipſa amitti poſſit, & à nobis pelli, quandocunque ad Dei iuimicum perfidâ ipſi nos proditioue convertere voluerimus. Iſtud Auguſtinus eodem loco ſignificat. Neutra explieatio Calvinianæ certitudini prædeſtinationis, neutra Janſenianæ gratiarum omnium efficaciæ ſuffragatur, ut patet. Quidam recentiores, etiam inter Catholicos, charitatem Chriſti intelligunt, quæ in Chriſto eſt, quam interpretationem avidè amplectuntur hæretici; nempe ut Chriſti gratiam ſtatuant perdi neſciam. Communiùs recepta in Eccleſia eſt interpretatio Chryſoſtomi, Anſelmi, & aliorum Patrum, de charitate, quæ in nobis eſt, qua Chriſtum per ejus gratiam diligimus. Hoc modo locus Apoſtoli continet ferventem ejus affectum, quo inflammatus confidit certò, ſe à charitate Dei nullis tentationibus avellendum. Sic etiam David: *Ego dixi in abundantia mea, non movebor in æternum.* Et Petrus Chriſto, *Etſi oportuerit me mori tecum, non te negabo.*

6 Plurimi alii in meditatione ſanctâ, præcipuè in gratiarum actione ſuſcepto Chriſti Corpore, & Sanguine velut piè ebrii æſtuantes, non inferiora proponunt; ſed ridiculus ſit, qui propterea nullam gratiam agnoſcat, niſi tanti roboris, & ardoris. Exclamat hic ad Pauli verba Sanctus Chryſoſtomus; *O animam furentem inſaniâ! Sed quæ ſobrietatem pariat; omnia quæ in cœlis, quæ in terra, quæ ſub terrâ, quæ ſupra cœlos ſunt, viſibilia, & inviſibilia præ amore Chriſti tranſcendens, nihil æſtimabat: unum hoc metuebat nè à Chriſti dilectione excideret.* Homilia quoque ſecunda de laudibus Pauli ait: *Hac charitate Paulus ornatus, Tyrannos, ipſumque Neronem, velut quoſdam culices æſtimabat: hac mortem, cruciatus, & mille ſupplicia ludum putabat eſſe puerorum: hac Paulus vinctus* JESU *Chriſti magis, quàm diademate coronatus gloriatur; Etenim coarctatus carcere cœlum habitabat: hac libentiùs verbera excipiebat, & vulnera, quàm alii bravia deripiunt: hac labores non minùs, quàm requiem; dolores non minùs, quàm præmia, quàm triumphales pompas, & trophæa diligebat.* Non in ſolo Gentium Apoſtolo tanta amoris incendia, ſed etiam in cæteris Apoſtolis agnoſcit Chryſoſtomus hom. 25. in Matth. *Hoc*, inquit, *teſtantur Apoſtoli, qui torrente totius orbis pariter irruente, tyrannorum ſcilicet, atque Populorum, Judæorum, atque gentium, ſuorum, & alienorum pulſatâ fluctibus rupe firmiùs conſtiterunt.* Et infra; *Hoc eſt enim* MAXIME MIRABILE, *quia cum plurimas illi paterentur inſidias, maximique in illos tempeſtatum turbines frequentes irruerent, nequaquam tamen eorum animos labefactare potuerint . . . . Quod autem præcipuè mirandum eſt, non modò nihil omnino lædunt, qui talibus inſidias machinantur, ſed eos etiam faciunt oppugnatione meliores.*

7 Quæ meritò in Apoſtolis, & quibusdam ſimilibus *mirabilia* Sancti prædicant, non ad omnes quocumque cœleſti auxilio præventos, temerè, & contra totius Eccleſiæ ſenſum, fidemque extendenda ſunt. Aliquando enim *in ſtatu naturæ lapſæ interiori gratiæ reſiſti*, ſolus Janſenianâ maleſanus vertigine inficiabitur. Quàm multi, etiam purioribus Eccleſiæ ſæculis Chriſtiani multa pro fide antea perpeſſi, dein, recrudeſcente perſecutione, in mediis ſuppliciis magno perſeverantium luctu defecere? Dicetne adverſarius, eos perſecutionis, & cruciatuum acerbitati ceſſiſſe, quia omne eis gratiæ auxilium defuit, alioquin omnia ceſſura fuiſſe qualiſcunque interioris gratiæ illecebris? Ita quidem peccantium contra Deum patrocinium impium ſuſcipiet; quaſi Deus imperans ſui confeſſionem, fidelibus, & juſtis multis auxilium neceſſarium ſubtraxerit, ſinè quo perſeverare in veræ Fidei confeſſione non poterant. Sic Petrum Apoſtolorum Principem Chriſto præ mortis formidine renuntiantem, à crimine apoſtaſiæ liberare cogitur, & Davidem adulterii; quia tentationi uterque gravi, quam ſinè gratiâ ſuperare non poterat, ſuccubuit. Uterque, inquiet Queſnellus, non ſolummodo efficaci auxilio, ut patet, ſed etiam ſuffi-

Digitized by Google

clente deſtitutus fuit, aliàs minimè lapſurus; *nullæ enim ſunt illecebræ, quæ non cedant illecebris gratiæ, quia nihil reſiſtit Omnipotenti.*

8 Sed Davidem virum ſecundùm cor Dei, & Apoſtolorum Principem adeò Chriſti amantem, ſinè omni ſufficiente auxilio, ſinè quo peccatum vitare non poterat, fuiſſe derelictum, horrent fidelium aures, neque hanc doctrinæ impietatem in ipſo chariſſimo ſuo Arnaldo Sorbona ſuſtinere hactenus potuit: eam blaſphemiæ pariter, & hæreſeos cenſurâ ab annis 60. perpetuò deteſtans. Denique objecto textui reſpoudet S. Bernardus, *Nulla creatura à Dei charitate ſeparare nos poteſt; ſed ſola propria voluntas idipſum poteſt*, qua interpretatione frangitur tota Janſeniſtarum machina; quia liberum arbitrium illecebris carnis, mundi, auſcultare magis poteſt, quàm illecebris gratiæ, & contra Numinis voluntatem nimiùm frequenter ſe abripi patitur.

9 Objicitur deuique illud Joannis epiſtola 1. capite 4. verſu 4. *Vos ex Deo eſtis filioli, & viciſtis eum* (Spiritum anti-Chriſti) *Quoniam major eſt, qui in vobis eſt, quàm qui in mundo.* Hoc eapite Apoſtolus à verſu primo uſque ad 7. Chriſtianos docet, quo indicio diſcernere debeant pſeudo-Prophetas, & pſeudo-Apoſtolos à veris Spiritum Dei habentibus: qui, inquit, Chriſtum confitetur, eſt ex Deo: qui Chriſtum ſolvit, ex mundo, & diabolo eſt, habens Spiritum anti-Chriſti. Vos igitur, qui Chriſtum profitemini, ex Deo eſtis, & anti-Chriſti Spiritum ſuperaſtis. Major eſt Deus, qui in vobis eſt, quàm qui in mundo eſt diabolus cum ſuis aſſeclis. Unde S. Cyprianus in exhortatione ad martyrium, *Nec plus*, inquit, *ad dejiciendum poteſt terrena potentia, quàm ad erigendum tutela Divina*. Et lib. 1. epiſt. 9. *Timendæ non ſunt injuriæ, & quæcunque pœna perſecutionum, quia major eſt Dominus, ad protegendum, quàm diabolus ad impugnandum*: Quod probat ex illo Joannis, *Major eſt, qui in vobis eſt, quàm qui in mundo.* S. Ambroſius Homil. 1. de Eliſæo *Sæpe me dixiſſe memini, quod hoſtium tumultus bellicoſos timêre minimè debeamus, nec quamlibet copioſam hominum multitudinem formidare, quoniam, ſicut ait Apoſtolus, major eſt, qui in nobis eſt, quàm qui in mundo, hoc eſt potentior eſt ad protegendos famulos ſuos Chriſtus, quàm diabolus ad inſtigandos inimicos. Quamvis enim idem diabolus, colligat ſibi turbas, & crudeli eas armet inſaniâ; tamen facilè deſtruuntur, quia melioribus populum ſuum Salvator circumdat auxiliis.* Verùm hæc omnia manifeſtè ſupponunt, nos vinci ſegniter nolle; ſed Divinis uti præſidiis, & pugnare ſtrenuè. Summo autem opprobrio dignus eſſet, & certiſſimæ cladi ſe exponeret, qui fretus Dei ope belli Dux, omnia, quæ muneris ſui ſunt, negligeret. Deus omnibus major eſt hoſtibus, major omnibus tyrannis, mundo, & diabolo; ſuperior omnibus eorum armis, ſuppliciis, fraudibus, & illecebris, quæ omnia nos quoque Dei ope vincemus, niſi nos turpi ignaviâ dedere ultro maluerimus.

10 Unde recurrit illud Sancti Bernardi: *Nulla creatura à Dei charitate ſeparare nos poteſt, ſed ſola propria voluntas id ipſum poteſt*; Ita nullus nos ſuperare Divino munitos ſubſidio; ſed ſola propria voluntas exitiali perfidiâ ſe hoſti tradere poterit. Quapropter ſi obſervator moralis dixiſſet, *nullas eſſe illecebras, quæ non cedant illecebris gratiæ, niſi voluntas propria illecebris gratiæ, atque adeò ipſi Deo reſiſtere voluerit*, nihil aſſeruiſſet ſanæ doctrinæ non maximè conſonum; ſed dum ait, *Nullas eſſe illecebras, quæ non cedant illecebris gratiæ, quia nihil reſiſtit Omnipotenti*, quid docere potuit conformius hæreticis, totum ſalutis ſucceſſum pendere jubentibus à ſolâ gratiâ, nullo modo à libero hominis arbitrio? Hinc facilè dimittitur omne bonorum operum ſtudium, omnis cura præceptorum, & ſalutis. Quid enim pronius, quàm ut peccator quilibet Queſnelliano inſtructus dogmate, ita ſecum ſtatuat; vel mihi gratia adeſt, vel abeſt: eâ præſente de victoria ſecurus ſum: eâ abſente certus de clade; quorſum igitur ſolicitudine angar inutili: & cur de conatibus cogito non neceſſariis, ſi adeſt gratia; non profututis, ſi defuerit?

CAPUT III.

Diluuntur objecta ex Patribus.

1 PLus aliquid, ſi non præſidii, ſaltèm latibuli Queſnellus ſperat in quibuſdam Patrum ſententiis, quæ, ſi quid minùs perſpicuum enuntiare viſæ fuerint, non tam facilè illuſtrabitur, quàm Scriptura Sacra, interpretum multitudine, & authoritate. Sed & ſpes adverſarii in Patribus inanis prorſus eſt, ut evolutis mox objectionibus fiet manifeſtū. Profertur ſtatim Gregorius Nazianzenus ad Nemeſium ſcribens: *Si* Jesus *Chriſtus è ſummo Cœlorum immitteret in te ſpiculum inflammatum, eoque penetraret cor tuum, tunc conferre inter ſe duos amores poſſes, & quanto Regis tui amor ſuavior ſit, agnoſceres.* Sic eſt, ſi ardenti ſpiculo cor Nemeſii, & eujuſcunque peccatoris Deus penetraverit, ſuavi, & ſalutari vulnere illud feritur; ſed qua ratione, qua authoritate fingit adverſarius nullum eſſe Divinæ gratiæ ſpiculum, niſi ardens, &

cor-

Digitized by Google

cordis intima penetrans, nullum quod repellatur libero arbitrio, carnis potiùs quàm gratiæ illecebris cedere volente? Quoſdam eſſe cœleſtium delectationum *motus debiles, & initia gratiæ, quæ converſionem peccatoris non ſemper operentur*, nè ipſe quidem Janſenius negavit, & ipſe confitetur adverſarius.

2 Si omne gratiæ ſpiculum ardens eſſet, & penetraret corda, non diceretur pſalm. 94. *Hodie ſi vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda veſtra.* Nec ſcriberet Apoſtolus ad Romanos cap. 2. *Benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit, tu autem ſecundùm duritiam tuam, & impœnitens cor theſaurizas tibi iram in die iræ.* Tridentinum quoque ſeſſione 6. cap. 5. dicens *Tangente Deo cor hominis .... inſpirationem illam recipiens abjicere poteſt*, ſatis indicat, non omnes gratias, quæ cor tangunt, illud penetrare; ſed aliquas abjici, cordis duritia impediente (ut teſtantur Pſalmiſta & Apoſtolus) nè immiſſa à Deo Gratia in cordis penetralia admittatur. Denique cui perſuadebitur, omnem, vel minimum cœleſtis gratiæ radium eſſe iſtiuſmodi, ut quemlibet obduratum peccatorem ſtatim convincat de amoris Divini dulcedine, eam eſſe omni alteri præferendam? Evidens igitur eſt, vel ipſis epiſtolæ verbis, ut ab adverſario referuntur, non de qualibet gratiâ, ſed ſpeciali *inflammatâ, cor penetrante*, & convincente peccatorem de majore dulcedine, quæ in amore erga Deum, quàm erga res quaſcunque viſibiles reperiatur, à Nazianzeno tractari.

3 Non plus ſuppetiarum damnato articulo fert Auguſtinus lib. de Spiritu, & litera cap. 29. dicens: *Sub quo timore anima laborans, quando concupiſcentiam malam non vicerit, nec timor ille quaſi cuſtos ſeverus abceſſerit, tunc per Fidem confugiat ad miſericordiam Dei, ut det quod jubet, atque inſpiratâ gratiæ ſuavitate faciat plus delectare quod præcepit, quàm delectat quod impedit.* Non alia requiri debuit evidentior damnati articuli confutatio, quàm quæ in objecta ſententia continetur. Dum enim Sanctus monet, ut qui adhuc jugo concupiſcentiæ malæ premitur, quam non vicerit timor, qui lege incutitur, *per Fidem confugiat ad miſericordiam Dei, petens ut det quod jubet, atque inſpiratâ gratiæ ſuavitate, faciat plus delectare quod præcepit, quàm delectat, quod impedit*, perſpicuum eſt, non omnis gratiæ tantam eſſe dulcedinem, ut omnem oppoſitæ concupiſcentiæ ſuperet ſuavitatem; quando ſcilicet homo jubetur, per Fidem confugere ad miſericordiam Dei, ſupponitur habere gratiam juxta Auguſtinum, niſi Doctorem Sanctum cenſeas ad partes Pelagii tranſiiſſe, cui *Fides* eſſet ſinè gratia, & *Fides* quidem, qua *ad Dei miſericordiam confugitur*. Oratur autem pro impetrandâ eâ gratiæ ulterioris, quæ nondum aderat *ſuavitate*, quâ tandem fiat, ut plus delectet, quod præcipitur bonum, quàm quòd præcepto opponitur peccatum. Denique clariſſimum eſt juxta Auguſtini ſententiam, quod, quiſquis concupiſcentiam malam nondum vicerit, poſſit *ad miſericordiam Dei confugere*. Plurimi tamen non confugiunt; atque adeò gratia, quæ eis implorandæ Divinæ miſericordiæ tribuit poteſtatem, non efficit, ut re ipſa ad Deum confugiant. Unde Cœleſtes illæ ad invocandam miſericordiam allicientes illecebræ non fuêre victrices: non illis ceſsêre illecebræ carnis; ſed hæ animum magis irretitum tenuêre, reddideruntque conſentientem liberè, ut concupiſcentiæ viſco fixus adhæreret libentiùs, quàm ſe ab eo expediret, ad Dei confugiendo clementiam, & miſericordiſſimam pietatem. Patet itaque vel ex præſenti Auguſtini ſententia, non ſingulis gratiis tantam ineſſe dulcedinem, ut quævis contrariæ ei ſemper cedant illecebræ, reſiſtat nihil.

4 Non minùs fruſtrà errori patrocinium quæritur ex alio Auguſtini textu lib. de Fide, & operibus cap. 23. cùm dicitur: *Ab hoc reatu graviore liberat gratia Spiritûs Sancti per* JESUM *Chriſtum Dominum noſtrum, quæ diffuſa charitate in cordibus noſtris donat juſtitiæ delectationem, qua immoderatio concupiſcentiæ ſuperetur.* Vel ſupponit adverſarius affirmari, quod omnis Spiritûs Sancti gratia ſemper eum, cui conceditur, *liberet à reatu graviore*, ſemper ei *donet juſtitiæ delectationem, quâ immoderatio concupiſcentiæ ſuperetur*, quod exploratiſſimæ veritati, & fidei, ut ſæpe ſuperiùs oſtenſum eſt, nullatenus conſentit: vel ſupponit tantùm, Spiritûs Sancti gratiam id aliquando, & ſæpe operari; ſive hunc eſſe alicujus gratiæ effectum, quod veriſſimum eſt; ſed nihil confert ſtabiliendo articulo indefinito, qui æquivaleat univerſali. Propoſitum hic Auguſtino eſt, non tribuere cuilibet gratiæ vim inſuperabilem; ſed negare legi, atque doctrinæ virtutem juſtificandi, & ſuperandi vitia, ſive, ut loquitur, *Immoderationem concupiſcentiæ*, quàm victoriam ait *ad gratiam Spiritûs Sancti* pertinere; probans ex Apoſtolo, qui *utriſque* (gentibus, & Judæis) *gratiam Chriſti, qua liberarentur, neceſſariam demonſtrarit*. Omnis igitur hic victoria Auguſtino eſt per gratiam; ſed non propterea victoriam omnis gratia impetrat. Quæ dum adverſarius non diſtinguendo confundit, turpiſſimis ubique ineptorum ſophiſtarum fraudibus incautos decipit, quos à fidei culmine dejectos in errorum abyſſum agit præcipites.

Quod

5 Quod hic Auguſtinus, idem docet in opere imperfecto lib. 1. cap. 107. neque plus connexionis cum damnato articulo habet, quod ex operis imperfecti cap. 93. decerpitur: ſi nempe quis exauditus fuerit in hac oratione dominica, *Nè nos inducas in tentationem*, indubiè nec ignorantiâ falletur, nec quacunque ſuperabitur cupiditate. Orationem enim ſic explicat Auguſtinus epiſt. 121. *Nè deſerti tuo adjutorio, alicui tentationi, vel conſentiamus decepti, vel cedamus afflicti*. Sed quid indè ad conficiendam omnis gratiæ efficaciam? Hanc quidem ſi petentes à Numine, & exauditi acceperimus, omni tentatione erimus ſuperiores. Sed tale perenne beneficium paucorum eſt; cæteris cœleſtia dona non tantum ſemper roboris impertiuntur; ſubinde prævidentur ceſſura hominis pervicaciæ, & libero rejicienda arbitrio.

6 Ab Auguſtino adverſarius more ſuo deſcendit ad duos ejus diſcipulos Proſperum, & Fulgentium, ſed tantâ ſocordiâ, ut ſententias Patrum ipſi cumulaſſe ſatis ſit, etiam à propoſito ſcopo maximè alienas. In eo autem præcipuè emicat hominis, ſeu ignorantia, ſeu mala fides, quòd exprimere majoribus audeat characteribus, velut pondus graviſſimum afferentia proſcripto articulo, quæ cuilibet non cæco demonſtrant, nihil verbis Proſperi eſſe cum articulo commune, etiam ut illa merro Gallico in objectione referuntur, quæ integra Lectori exhibeo:

Nous ſçavons toutefois que lors que dans nos ames
Un vif amour agit par des PLUS VIVES FLAMES:
Lors que le chaſte cœur par des Saints mouvemens
Combat la douce amorce, & LES CHARMES DES SENS,
C'eſt par la libertè que notre ame eſt conduite,
Mais cette libertè par la grace eſt produite.

7 Scimus & nos (& quis neſciat Catholicus) quòd quando in mentibus noſtris agit amor vivus flammis maximè vivis, ſeu ardentiſſimis, quando cor caſtum oppugnat voluptatis, & SENSUUM ILLECEBRAS, liberè feratur anima, & libertatem dederit gratia. Inferat hinc modò quiſquis rationis expers eſt, omnem gratiam etiam maximè debilem, tentationibus omnibus ſuperiorem eſſe, ſive, ut in articulo dicitur, *Nullas eſſe illecebras*, quæ non cedant *illecebris gratiæ, quia nihil reſiſtit Omnipotenti*. Sanctus Proſper refertur agens de corde caſto, quod vivo amore, & flammis caſtiſſimis æſtuans pugnat adverſùs voluptatis, & ſenſuum illecebras. Damnatus articulus agit de corde quolibet, etiam minimè caſto, neque de amore vivo, multò minus flammis accenſo ardentiſſimis; atque adeò de corde etiam voluptatibus corrupto aſſerit, quod quibuſcunque illud ſolicitantibus gratiæ illecebris, etſi tenuibus, & inſtar fulgetri tranſeuntibus, tamen ſemper ſuccumbant, ſemper cedant illecebræ peccatorum quantumvis vehementes, & diuturnis, ac frequentibus victoriis roboratæ; quia nempe omnis vel tenuiſſima gratia eſt omnipotens, & omnipotenti volunrate, victoriam infallibilem abſolutè, & efficaciter decernente conceditur. Inaudita quidem hactenus in ſcholis Catholicis fuit ea diſſerendi ratio; ſed quibus non fucis, & fallaciis opus eſt ad introducendam invitis Superis, & repugnante Eccleſiâ novitatem?

8 Fulgentius libro de Prædeſtinatione Sanctorum agit de gratiâ, quæ ſecundùm propoſitum datur, juxta quem Sanctum non ſolùm gloria, & merces; ſed merita quoque prædeſtinatis efficaci propoſito decernuntur. Hinc profluens gratia indubiè victrix eſt.

9 Præterire etiam hic non poteſt adverſarius libellum de imitatione Chriſti lib. 3. cap. 5. ubi dicitur: *Nihil dulcius eſt amore, nihil fortius, nihil altius, nihil latius, nihil jucundius, nihil plenius, nec melius in Cœlo, & in terra; quia amor ex Deo natus eſt, nec poteſt niſi in Deo ſuper omnia creata quieſcere*. De illecebris gratiæ diſceptatio nobis eſt, an ſemper, & ubique omnipotentes ſint, & nihil eis reſiſtat: Liber citatus agit de amore nobis libero, & in quo ipſum hominis ſitum eſt meritum: non gratia, nec ejus illecebræ nobis liberæ ſunt; ſed nobis nihil liberè cooperantibus infunduntur. Amoris vis non major eſt, quàm liberæ placeat voluntati; virtus gratiæ ſolius Dei opus eſt; quamvis in poteſtate voluntatis ſit ei reſiſtere, vel conſentire. Certiſſimum apud omnes eſt amori deliberato neminem reſiſtere, amorem illum potentiis ſubditis imperare, & dominari earum actibus. Sed amor iſte ipſum libertatis exercitium eſt, & electione voluntatis elicitur. Quid igitur miri, quod voluntas ipſa nunquam ei diſſentiat, nec ei quamdiu perſtiterit, valeat repugnare, etſi eum ſemper poſſit dimittere? Qui amor, ut naturâ ſuâ diſtinguitur à gratiâ, ineptiſſimè cum ea ab adverſario confunditur. Sed ut falſitas non poteſt niſi fallaciis ſtabiliri, Pharmacopolas quoſdam adverſarius imitari voluit, qui medicarum mercium inopiâ laborantes, falſis pyxidum

dum inſcriptionibus emptores deludunt, & præſcriptis à Medico potionibus, *quid pro quo*, ut dicitur, ſubſlituentes, graviſſimo ſæpe diſcrimini vitam ægrotantium exponunt. Ad poſterius itaque adverſarii argumentum reſpondiſſent veteres hoc unum *ἀπροσδιόνυσον Nibil ad Bacchum*; nihil ad inſtitutum.

Decimaſeptima Propoſitio damnata.

Gratia eſt vox illa Patris, quæ homines interiùs docet, ac eos venire facit ad Jesum Chriſtum; quicunque ad eum non venit, poſtquam audivit vocem exteriorem Filii, nullatenus eſt doctus à Patre. *Obſerv. mor. in Joan. 6. v. 45.*

CAPUT I.

Error oſtenditur & confutatur.

1 SEmper idem ſaxum volvit Queſnellus, eamdem ſemper hæreſim fruſtrà Cœlo inferre tentans,atque in Deum culpas mortalium conjicere, quaſi hi nunquam gratiæ defuerint, nullum tranſgreſſi liberè præceptum, quod abſque cœleſti auxilio nequiverit adimpleri. *Gratia*,inquit Queſnellus, *eſt vox illa Patris,quæ homines interiùs docet*. Hactenus rectè; ſed cùm additur,*ac eos venire facit ad* Jesum *Chriſtum*, quid aliud indicatum vult, niſi quod omnis gratia venire faciat ad Jesum Chriſtum? Alioqui falleret definitio. Sic mutatis ſolùm vocibus, inſtauratur iterum à Queſnello ſecundus Janſenii articulus hæreticus, *Interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ nunquam reſiſtitur*; omnis enim ad Chriſtum veniens gratiæ non reſiſtit, ſed eam ſequitur. Si autem omnis gratia faciat venire ad Chriſtum, clarum eſt, quod omnis ad Chriſtum non veniens caruerit gratiâ; At ſinè illa ad Chriſtum venire nemo poteſt: Igitur omnis, qui ad Chriſtum non venit, venire non potuit, neque Chriſtus pro ejus ſalute mortuus eſt.Idem à Chriſto deſertus non potuit ſervare Dei mandata, ſed peccavit neceſſariò; non tamen neceſſitas eum in Queſnelli principiis culpâ liberat, aut ſupplicio. Ubi lector videt renovatam iterum propoſitionum primæ, ſecundæ, tertiæ, & quintæ Janſenianarum doctrinam: atque hæc ſecum trahit primam,& ſecundam inter 31. ab Alexandro VIII. profligatas.

2 Priori propoſitionis parti, quam modo diſcuſſimus,reſpondet altera pariter hæretica: *Quicunque ad eum non venit, poſtquam audivit vocem exteriorem filii, nullatenus eſt doctus à Patre*; id eſt nullam habuit interiorem gratiam: adeóque omnia præcepta, quæ ſinè gratia impleri nequeunt, ſunt ei impoſſibilia, deeſt quoque gratia,quâ poſſibilia ſiant,unde peccat neceſſariò,& tamen juxta Queſnellum demeretur: ſic moriens nullâ liberi arbitrii culpâ neceſſariò damnabitur. Quomodo igitur pro talium ſalute Chriſtus mortuus eſt? Tales autem ſunt omnes, qui damnantur: atque ita pro nullius ſalute præterquam electorum Chriſtus Sanguinem fuderit. Ita erraverit S.Joannes epiſt. 1. c. 2. v. 2. de Chriſto dicens: *Ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris, non pro noſtris autem tantùm, ſed etiam pro totius mundi*: cùmque Deus non alios velit ſalvos fieri,quàm eos,pro quibus Chriſtus mortuus eſt, non debuit juxta Queſnellum 1. Tim. 4. v. 10. vocari *Salvator omnium hominum, maximè fidelium*, ſed prædeſtinatorum tantummodo.

3 Attende nunc lector ingenium Novatoris: Chriſtus Joannis 6. verſ. 45. dixerat *Omnis qui audivit à Patre, & didicit, venit ad me*. Hoc Oraculo nihil verius; *omnis* enim *qui audivit à Patre, & didicit*, ex auditu profecit, doctrinam Patris hauſit, & amplexus eſt. Vox itaque *didicit* meritò videbatur Queſnello ad ſtabiliendam Janſenii hæreſim minimè idonea, quare mutanda fuit in *doctus eſt*; cujus diverſitatem vulgus non percipiet, venenum detegent pauciores; nam ut Authorum plurium reflexionibus in Teſtamentum Novum Gallia pridem perſonat, & quotidie procuduntur novæ, ab eruditis percurruntur deſultoriè, niſi ubi Author ſuſpectus lectori ſuſpicionem moverit de Opere: talem initio movere paucis potuit liber Anonymus tantis elogiis à viris magnis, & Epiſcopali dignitate fulgentibus commendatus: pauciſſimis verò, ſi ullis, futurus animus credebatur, ut opus tantâ nixum authoritate vellicarent. Quidquid ſit, fraus pridem deprehenſa, tardiùs quàm ad avertendam perniciem oportuit, palàm accuſata eſt. Diſcrimen inter *diſcere* & *doceri* jam indicavi, quod uſu paſſim Magiſtri experiuntur, & deplorant, dum quæ multo ſtudio aſſecuti ſunt, & majo-

Digitized by Google

majori labore docent alios, ſæpe diſcipulos nanciſcuntur dyſcolos, ſcientiæ contemptu, & deſidiâ torpentes, qui in percipiendis diſciplinis aures habent & non audiunt; ſed à veritate auditum avertentes, ad fabulas convertuntur. Unde Magiſtro ſæpe incidit iſtud Poetæ:

Cùm toties eadem dicam, vix audior ulli.

4 Simile queritur æterna Sapientia Roman. 10. v. 21. *Expandi manus meas*, & extuli vocem meam, *tota die ad populum non credentem, & contradicentem*: Poſtquam ſcilicet per Eccleſiaſticum cap. 50. omnes monuit, & obteſtata eſt, *Appropiate ad me indocti, & congregate vos in domum diſciplinæ . . . comparate vobis ſinè argento, & collum veſtrum ſubjicite jugo, & ſuſcipiat anima veſtra diſciplinam: in proximo eſt enim invenire eam*. Diſciplinæ, ac ſapientiæ ſchola omnibus viſibilis, omnibus patens eſt Eccleſia. Ad hanc omnes rationis compotes vocantur; non exteriùs ſolùm per Prædicatores, & Apoſtolos, ſed interiùs quoque per gratiam. Sed quàm multi ingredi detrectant! Quàm multi per Baptiſmi januam ingreſſi, ſalutifera illic Dei per gratiam monita, & exteriora Eccleſiæ documenta audire nolunt! Occludunt pervicaciter aures ei, per quem fidelibus æterna ſapientia loquitur: quem rectè Hincmarus initio Operis de Divortio, vocat *Nutritium & Doctorem omnium Eccleſiarum*: Taraſius ad Adrianum Pontificem agnoſcit *Oculum totius corporis, oſtendentem rectam veritatis ſemitam*: Rupertus in Præfatione ad libros de Sanctiſſima Trinitate *Præcentorem Chriſtianæ Fidei*: S. Chryſoſtomus in Encomio SS. Petri & Pauli *Conſiliarium neceſſarium Chriſtianorum*: Concilium Calchedonenſe actione 29. in Proſphonetico, *Propugnatorem impenetrabilem ab omni errore, quem Deus providit Doctrinis, eum per omnia veritati adſtringens, ut quemadmodum Petrus &c.*

5 De omnibus Petri ſucceſſoribus dictum puta, quod de Cleto, & Clemente Ignatius Martyr Romanis ſcribit, *Qui his non obedit, Atheus prorſus, & impius eſt, & Chriſtum contemnit, & Conſtitutionem ejus imminuit*. Qui quamdiu ejuſmodi eſt, non quidem omni gratiæ privatur auxilio, non omni patris voce hominem intus docente deſtituitur, ſed ex ea non *diſcit*, non proficit, quia non vult. Quapropter, ſi eum dixeris à Patre non doceri efficaciter, non doceri prout novit Deus homini congruere, ut docentem lubens audiat; ut, quæ ſuggeruntur, altè imprimat animo, documentis pronus aſſentiat, eaque libero perficiat opere, non repugnabo. Tali ratione non doceri à Deo dyſcolum, & volentem in ignorantiæ tenebris, ac criminum luto contumaciùs permanêre, ultrò profiteor; idque non rarò accidere, experimentis nimiùm frequentibus exploratum eſt.

6 Sed non propterea aſſeri à Queſnello debuit, *eum nullatenus eſſe doctum à Patre*: Docuit enim illum Pater, quantum ſufficere ei poterat, ut *diſceret*, ſi voluiſſet. Præſenti inſtituto idoneus videtur, atque ipſi Queſnello utilis, etſi minùs blandiens commentarius, ſeu *Moralis conſideratio* in utramque Scripturæ ſententiam jam relatam. Quam quidem conſiderationem æqui fortè, bonique conſuleret, ſi à Berulliani Oratorii aliàs alumno, & animo in ipſum benevolo, ut verè eſt, profectam eſſe cognoſceret.

7 Sic igitur Sacer Textus Dei nomine ad Queſnellum convertitur: „ *Totâ die*, ideſt, „ totâ vitâ tuâ *expandi manus meas*, non vacuas; ſed donis cœleſtibus refertas, non ad vindicandum originis delictum, non ut præproperâ morte hinc te raperem; ſed ſacro fonte expiatum, adoptavi filium & heredem Regni cœleſtis. Monui, ut rationis uſum attigeras, intus per gratiam, foris per Magiſtros, & Parentes te edocui, quo & tibi proficere poſſes, & cæteris. Vocavi, perduxi te *in domum diſciplinæ* in Congregationem presbyterorum, cui ab Oratorio Jesu nomen eſt, ut ſcientiam Sanctorum *comparares* tibi *ſinè argento*, & *collum ſubjiceres jugo*, & *ſuſciperet anima* tua *diſciplinam*. Verùm ſalutifera à me intus, foris à Præpoſitis tuis *doctus*, *diſcere* noluiſti, ſupra Magiſtros, ſupra Congregationis Rectores, ſupra Patres tuos in Comitiis generalibus congregatos, ſupra ipſum Pontificem in inſipientia tua ſapere voluiſti. Præſcriptam à tuis contra novitates doctrinæ regulam, Alexandri VII. contra Janſeniſmum jurandi formulam rejiciens, domum diſciplinæ deſerens, collum jugo ſubduxiſti, & quam in Chriſtianiſſimi Regno hæreſeos libertatem ſperare non poteras, apud Batavos errabundus quæris.

8 „ Interea tui ego iterum miſertus in novam te, licet invitum, *diſciplinæ domum*, & quidem priore tibi forſan ſalubriorem Bruxellis pertraxi. Ubi ſub Mechlinienſis Archiepiſcopi cuſtodiâ, ſolitudinis tibi locum delegeram, aptiſſimum perdiſcendæ cœleſtis ſcientiæ lyceum, illic remoto à prava ſociorum perduellium conſuetudine, quot monita ſalutis dedi, quot fidei, & obedientiæ documenta! His omnibus etſi mentem obduraveris, ut audiens non intelligeres, & multa *doctus* nihil *diſceres*,

„ po-

„ potuiſſent tamen longiore tempore ſæpius „ repetita, accedente aliquâ forſitan vexa- „ tione, dare tandem intellectum; niſi & in- „ de nimis citò fugâ elapſus exitialem ite- „ rum errandi licentiam tibi vindicaſſes.

9 „ Verùm ea nunc qualiſcunque liber- „ tas annum ætatis octogeſimum præter- „ greſſo diuturna eſſe non poteſt. Diſtricta „ brevi imminet reddenda actorum,accepto- „ rumque ratio. Illic erroribus tuis menda- „ cem excuſationem obtendere non pote- „ ris, quaſi *non fueris doctus à Patre*. Abun- „ de te docui, etſi negligentiâ, ſuperbiâ, „ pervicaciâ voluntatis tuæ peſſimæ, ſed ta- „ men liberæ, *diſcere* detrectaveris. Interim „ dum adhuc tempus eſt, docilem te præbe „ ei, cui noviſti ſupremam paſcendarum „ ovium commiſſam poteſtatem: ab eo jam „ audiviſti, quid te oporteat credere, ac fa- „ cere: obedientiam te intus doceo quoti- „ die, flecte tandem duram, & indomitam „ cervicem, quæque toties, *doctus es*, de- „ miſſo animo ſuſcipiens, te etiam *didiciſſe* „ oſtende, ac noli eſſe incredulus, ſed fide- „ lis; nè ſerò ſapiens hæreſim inutiliter „ deplores, & ex ſuppliciis *diſcere* cogaris, „ quod Petrum in Succeſſore, Chriſtum in „ Vicario contempſeris.

CAPUT II.

Solutio eorum, quæ objiciuntur ex Scripturis SS.

1 NULLUM contra Conſtitutionem telum fortius adverſarius exiſtimat illo Chriſti apud Joannem cap. 6. verſu 44. *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater, qui miſit me, traxerit eum*: verſ. 45. *Eſt ſcriptum in Prophetis: Et erunt omnes docibiles Dei. Omnis qui audivit à Patre, & didicit, venit ad me*.

2 Ex poſteriore verſu telum contra Conſtitutionem formari non poterat, niſi arte vereratoriâ Sermonem Chriſti corrumpendo, dum verbum *didicit* Gallicè vertit *ont eté enſeignez*, ut præcedenti capite notavi. Facillimum interpreti erat verba Chriſti, ut Latinè ſonant, ſic reddere Gallicè *tous ceux qui ont oui la voix du Pere, & ont appris de luy, viennent à moi*. Sed tum decipi lector non potuiſſet, neque in damnati erroris patrocinium pertrahi. Ex eo enim quod aliquis non *didicerit*, minimè ſequitur, quod Pater eum non docuerit; cùm Magiſter optimus doceat plurimos, qui ignaviâ, contemptu, malevolâ perverſitate auditum à docente avertunt, cogitationes aliò diſtrahunt, documentis propoſitis pervicaciter refragantur. Aliud igitur eſt à Magiſtro *doceri*, aliud ab eo *diſcere*, ſive, ut in Arabico textu eſt, *ſcire*, intelligere, magiſtro docente. Unde, etſi ſatis omnibus perſpicuum ſit, eum qui à Patre *audivit, & didicit*, venire ad Chriſtum; non tamen in rigido, & obvio verborum ſenſu verum eſt, omnes eos ad Chriſtum venire, quos Pater docuit.

3 Extra omne dubium Catholicis eſt,non deeſſe Deo modos plurimos, & certiſſimos docendi efficaciter quemlibet quantumvis dyſcolum, & reluctantem, atque ex dyſcolo reddendi docilem, pronum, Doctrinæ, diſciplinæque amantiſſimum, atque adeò quæcunque voluerit, ei perſuadendi. Quod intellige quotieſcunque Deus aliquem ſecundùm propoſitum, ſeu Decretum abſolutum, & efficax ad fidem, juſtitiam, ſalutem perducere conſtituit. Sed hinc nunquam adverſarius conficiet, *Omnem eum, qui non venit, poſtquam audivit vocem exteriorem Filii*, NULLATENUS ESSE DOCTUM A PATRE. Dicere debuit, non eſſe doctum efficaciter, quamvis ſufficientia ei documenta non defuerint.

4 Hinc quoque facilis explicatio eſt verſûs 44. Nemo ſcilicet poteſt venire ad Chriſtum, niſi Pater traxerit eum; quia poteſtas homini veniendi ad Chriſtum per fidem, & charitatem nulla eſt, niſi data à Deo fuerit. Et quidem adeò peccato vitiati ſumus, adeò infirmitate dejecti, ut vocati nos, & invitati veniamus nunquam, niſi etiam tractio acceſſerit. Sed varii tractionis modi ſunt, alii aliis fortiores, & ad ingenium, diſpoſitionemque noſtram magis, minuſve accommodati. Tractio ſemper in promptu eſt ſaltèm oblata, & quantum ſufficit,ut venire valeamus, ſi voluerimus, quoties præceptum adeundi Chriſtum nos urſerit; non enim Deus præcipit impoſſibilia; *Sed jubendo monet, & facere quod poſſis, & petere quod non poſſis, & adjuvat ut poſſis*, ut ex Hipponenſi Antiſtite docet Tridentinum ſeſſ. 6. cap. 11. Non tamen ſemper trahimur ſecundùm abſolutum Dei propoſitum, & tam congruè, tam efficaciter, ut novit infirmitati noſtræ, ac libero arbitrio placiturum, ut ſequamur.

5 Ita contigit populo Judaico, de cujus pervicacia Deus conqueritur Prov. 1. v. 24. *Vocavi, & renuiſtis, extendi manum meam, & non fuit qui aſpiceret*. Iſaiæ 65. verſ. 2. & Rom. 10. verſ. 21. *Expandi manus meas totâ die ad populum non credentem, & contradicentem*. Rom. 2. v. 5. *Benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit; tu autem ſecundùm duritiam tuam, & impœnitens cor, theſaurizas tibi iram in die iræ*. Ubi manus Dei ad trahendum prompta, & benigniſſimè oblata, repellitur libe-

libero hominis arbitrio. *Adducit* igitur illic, quod, ut & in Græco indicatur, idem eſt ac impellit, agit, adducere te conatur, & quantum in ſe eſt, adducit; ut docemur canone 32. qui à Cornelio à Lapide præmittitur epiſtolis Pauli, ubi dicitur *Verba Hebræorum ſubinde actum inchoatum, ſubinde continuatum, ſubinde perfectum ſignificare*. Prioris ordinis ponitur illud Rom. 2. verſ. 4. *Benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit*, id eſt adducere conatur. Sic & tractio quædam inchoata eſt, cujus effectus ſæpe à circumſtantiis ſuſpenditur, & quidem ab hominis arbitrio, ubi de actibus liberis ſermo eſt.

6 Verumtamen fatendum eſt, interpretes paſſim illud Chriſti, *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater meus traxerit eum*, intelligere de tractione efficaci; ſed tum iidem per *poteſt* intelligunt potentiam cum effectu. Præterea in poteſtate noſtra auxilio ſufficienti adjutâ ſitum eſſe enuntiant, ut efficaciter trahamur à Divinâ benevolentiâ, ex ſe nos ita trahere paratiſſimâ. Per Deum ſcilicet non ſtabit, quominus trahamur efficaci auxilio, niſi manum Dei repulerimus, retraxerimus noſtram; quemadmodum revera illam non repellere, & hanc non retrahere poſſumus. Poſſumus quoque non reluctando efficere, ut Dei miſericordia non inveniens impedimentum, non ſolummodo ſufficienti ad veniendum nobis ſuccurrat auxilio, ſed etiam ut ſufficienti illo bene utendo, efficax conſequamur, trahamurque ſicut oporter ad juſtitiam, & ſalutem. Si verò nimiam adhuc converſionis difficultatem, & præſentibus tuis viribus inſuperabilem ſenſeris, confuge ad orationem, ut in locum citatum monet Auguſtinus, *Non traheris, ora ut traharis*, certus te trahendum ſi oraveris, ut oportet; ut autem ſic ores, in tua poteſtate eſt. Ita ſupra vidimus Tridentinam Synodum, ex Auguſtino docentem, quod Deus jubendo moneat, & facere quod poſſis, & petere quod non poſſis, & quod *adjuvet, ut poſſis* proximam, completam, atque cum effectu conjunctam acquirere facultatem.

7 Ultima Tridentinæ Sententiæ pars vehementer diſplicuit Janſenio, quia nimiùm infeſta hæreſi ſuæ primæ de impoſſibilitate præceptorum. Ideo Concilii doctrinam quocunque modo corrumpere ſtuduit tom. 3. editionis 1. Lovan. col. 325. Tridentini Sententiam referens, partem ultimam reſcidit. Columnâ autem 326. vim ejus infregit gloſsâ temerariâ, addendo, *ſi exaudiat*, in dubium revocans, quod Tridentinum ſimpliciter, & abſolutè aſſerit, Deum adjuvare ut poſſimus, quoties ſcilicet, quantum in nobis eſt, pro obtinendo Divino adjutorio rogamus.

8 Dein objicitur illud Chriſti apud Matth. eodem capite 6. verſ. 65. *Sunt quidam ex vobis, qui non credunt*. Et verſ. 66. *Propterea dixi vobis, quia nemo poteſt venire ad me, niſi fuerit ei datum à Patre meo*. Agitur de fide Euchariſtiæ prædicata à Chriſto, cujus ſermo durus videbatur quibuſdam, etiam ex Diſcipulis, adhuc incredulis, volentibus humano acumine de tanto ſtatuere, & differere myſterio, defectu humilitatis neceſſariæ ad credendum fideliter, Deumque piè pro cœleſtis luminis gratiâ orandum; ideo nec credebant, nec orabant. Ita S. Auguſtinus, Beda, Rupertus locum illum explicant apud à Lapide.

9 Verſ. 66. cavendæ cauſa offenſionis mavult Chriſtus incredulos excuſare, & non eorum pervicaciæ tribuere tergiverſationem; ſed indicando fidei ſublimitatem naturæ viribus ſubmiliorem, ait ipſos non credere, quia Fides donum Dei eſt, quod cùm non acceperint, non credunt: nemo ſcilicet poteſt credere, niſi ei detur ut poſſit, nemo credit, niſi fides ipſa donetur: ſive nemo poteſt credere proximè, & completè, niſi conceſsâ à Deo gratiâ proximè, & completè ſufficienti: nemo poteſt, ita ut ſimul reipſa credat, ſeu potentiâ conjunctâ cum actu, niſi ipſam Deus Fidem efficacis gratiæ ſubſidio impertiat. Sed quomodo adverſarius hinc inferet, omnes eos, qui non crediderunt, non venerunt ad Chriſtum, Nullatenus *eſſe doctos à Patre*, nullatenus illuſtratos, nullo donatos gratiæ auxilio, ſaltèm ut orare poſſent, ulteriuſque auxilium petere, quo poteſtas proxima, completa, atque ipſa fides Euchariſtica, etiam juſtitia, & ſalus à Dei miſericordia obveniret? *Qui nullatenus docetur à Patre* non poteſt ullatenus ejus vocationem intelligere, & ſalubriter ſequi, ut Chriſtus vocans omnes laborantes, & peccatis oneratos, vult ut ſequantur omnes. Miſeros autem peccatores turpiter Chriſtus decipit in ſententia adverſarii, juxta quam fraudulenta omnium invitatio eſt ad cœnam magnam, & nuptias, inſipiens hortatio peccatorum omnium ad pœnitentiam, dum in tanta impœnitentium multitudine nè unus quidem fuerit, qui ullatenus à Deo doctus, ſive illuſtratus, & qualicunque cœleſti lumine præventus ſit, ut imperatam poſſet pœnitentiam agere. Non poteſt itaque adverſarius evitare Sacrorum Codicum ſubverſionem manifeſtam, & Divinorum Oraculorum cum æternâ ſapientiâ pugnam locis plurimis, quamdiu damnato Articulo patrocinari cum pervicaciâ voluerit.

CA-

Digitized by Google

CAPUT III.

Fruſtrà recurrit Adverſarius ad S. Auguſtinum.

1 POST Scripturas Adverſarius more ſuo provocat ad Auguſtinum: ex illo allegatur lib. de Prædeſtinatione Sanctorum c. 8. *Quid eſt quod omnis qui audivit à Patre, & didicit, venit ad me; niſi nullus eſt, qui audiat, & diſcat à Patre, & non veniat ad me? Si enim omnis, qui audivit à Patre, & didicit, venit, profectò omnis, qui non venit, non audivit à Patre, nec didicit; nam ſi audiſſet & didiciſſet, veniret; neque enim ullus audivit, ac didicit, & non venit.* Nihil hìc eſt quod ſuperioribus capitibus à me præoccupatum non fuerit. Solum quod Scripturæ ſuperaddere videtur Auguſtinus, eſt, quod in Scriptura *Omnis qui audivit à Patre, & didicit, veniat ad Chriſtum*, juxta Auguſtinum autem omnis qui non venit, *non audivit à Patre, nec didicit*: Quod Chriſti verba in rigore non videntur aſſerere. Quid enim? Si audiviſſet quidem à Patre, ſed non didiciſſet, is profectò ad Chriſtum non veniret. Verùm *audire* hìc accipitur ab Auguſtino pro *dicto audientem eſſe*, obaudire, *exaudire*, ut Scripturis familiare eſſe, & apud omnes ſeu profanos, ſeu Eccleſiaſticos Authores uſitatiſſimum ſuperiùs indicavi. Atque hanc neceſſe eſt ſignificationem Auguſtini eſſe, nè plus ejus interpretatio Scripturæ tribuat, quàm contineatur in textu, in quo Sanctus boni interpretis limites exceſſiſſet; quod minimè præſumendum.

2 Subſcribamus itaque Auguſtinianæ explicationi, quod *omnis qui non venit, non audiverit à Patre, nec didicerit*, quia nempe à veritate auditum avertit, ad fabulas autem, ad nugas, ac fallaces mundi, carnis, Dæmonis blanditias convertitur: Sic *Non audivit populus meus vocem meam, & Iſrael non intendit mihi; noluit intelligere ut bene ageret.* Quare Chriſtus ait, *Si audieritis me, & verba mea in vobis manſerint, quodcunque volueritis petetis, & fiet vobis*, ubique, ut patet, *audire* non pro ſolis auribus percipere; ſed pro percipere cum aſſenſu, accipitur. Ita Scripturarum veritati conſonum eſt, & Auguſtino dignum interprete, quod omnis, qui non venit, non audiverit, nec didicerit. Sed hìc iterum nihil eſt pro damnato dogmate; nam plurimos Pater docet, qui aure ſurdâ, ſed voluntariâ, ac liberâ ſurditate excipiunt docentem: aures ei claudunt; animum aliò divertunt, carnis potiùs, ac dæmonis ſuaſionibus intenti; ita audientes non audiunt, & videntes non intelligunt. Attamen ſuam Deus miſericordiam reprobis impendit, eos gratiis ſufficientibus illuminando, & docendo; quod autem illi obturaverint aures ſuas, nè audirent, ac diſcerent, ipſorum nequitiæ eſt: partes interim ſuas Magiſter ſapiens ac benignus explevit, quantum in ipſo fuit, & ſatis eis eſſe poterat, ut ſapientiam Sanctorum poſſent aſſequi, ſi voluiſſent.

3 Ex eodem capite objicitur, *abſit ergo, ut quiſquam non veniat, qui à Patre audivit & didicit.* Abſit enimverò; ſed ſimul abſit, ut Pater nullum docuerit, niſi qui audivit, & didicit. Abſit, ut omnis, qui patrem audire, & ab eo diſcere pervicaciter noluerit, *doctus nullatenus fuerit à Patre.* Nihilne cœleſtis luminis accepere unquam quibus dicitur *Vos ſemper Spiritui Sancto reſiſtitis?* Nihilne quibus æterna Sapientia exprobrat Prov. 1. v. 24. *Vocavi, & renuiſtis?* Nihilne monitionis eis dederat, quibus ait, *Deſpexiſtis omne conſilium meum, & increpationes meas neglexiſtis?* Quomodo Matth. 23. v. 37. ingemiſcens exclamat, *Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos ſuos ſub alas, & noluiſti;* Si nihil inſtructionis, aut moniti interni, ac neceſſarii filiis iſtis impertierit, quo venire ad Chriſtum poſſent? Quis ille pulſus quaſi continuus eſt Apoc. 3. v. 20. quo Deus perpetuò ſtat ad oſtium pulſans, ut, ſi quis audierit vocem ejus, & aperuerit illi januam, intret ad illum? Nullus interpres Catholicus hìc non intelligat, multorum januam pulſari, qui ſe audire diſſimulant, nec aperiunt pulſanti. Pulſus iſte apud omnes documenti aliquid, ſeu moniti cœleſtis ſignificat, à plurimis neglecti.

4 Denique obtenditur illud nobis Auguſtini ex lib. de Gratia Chriſti cap. 14. *Omnis, qui audivit à Patre meo, & didicit, venit ad me. Qui ergo non venerit, non de illo rectè dicitur, audivit quidem & didicit eſſe veniendum; ſed facere non vult, quod didicit. Prorſus non rectè dicitur de iſto docendi modo, quo per gratiam docet Deus; ſi enim, ſicut veritas loquitur, omnis qui didicit, venit, quiſquis non venit, profectò nec didicit.* Nihil hìc Auguſtinus enuntiat, quod non vidimus ab æterna Dei Sapientiâ traditum; quapropter humano teſtimonio opus non fuit, niſi ei, qui ſplendidiſſimum ſolem lucernâ duxerit illuminandum. Hæc verba in Auguſtino præcedunt: *Juſtitia ex Deo dicitur, quæ datur per gratiæ beneficium, ut non ſit terribile, ſed ſuave mandatum, ſicut oratur in Pſalmo; ſuavis es Domine, & in tua ſuavitate doce me juſtitiam tuam, ; id eſt ut non formidine pœnæ ſerviliter cogar eſſe ſub lege; ſed liberâ charitate de-*

Digitized by Google

lectter eſſe cum lege; præceptum quippe liber ſacit, qui libens facit: & hoc modo quiſquis diſcit, agit omnino quidquid agendum didicerit.

5 *De iſto docendi modo etiam Dominus ait: omnis qui audivit à Patre &c.*, quæ refert objectio: unde liquet de quo agendi & diſcendi modo differat Auguſtinus, quo ſcilicet in ſuavitate Domini docemur, & diſcimus juſtitiam: quo liberè charitate delectamur eſſe cum lege: quo præceptum libenrer facimus: quo agimus omnino quidquid faciendum didicerimus. *De iſto docendi modo*, teſte Hipponenſi, *Dominus ait, omnis qui audivit à Patre meo, & didicit, venit ad me.* Deum verò ſubinde etiam alio, & inferiore modo docêre aliquos, videlicet non electos, non ſecundùm propoſitum vocatos, ſed ſecundùm miſericordiam omnibus hominibus vocationis capacibus impenſam, ex conſtanti Patrum Traditione oſtendere perfacile eſt. Teſte Dionyſio Areopagita lib. de Cœleſti Hierarchia cap. 9. *Immenſum, & infinitum Divini luminis pelagus ſemper paratum eſt, & patet omnibus:* Sancto Irenæo lib. 4. cap. 17. *Vis à Deo non fit, ſed bona ſententia adeſt illi ſemper, & propter hoc conſilium quidem bonum dat omnibus, poſuit autem in homine poteſtatem electionis:* atque ita omnes quidem docet; etſi ex ejus conſilio, & inſtitutione non omnes proficere velint, ſed poteſtate electionis plurimi ad malum, ſuumque interitum abutantur.

6 Idem ſentit Clemens Alexandrinus libro 2. Stromatum, dicens: *Divinum verbum clamavit: omnes ſimul vocans, eos quidem quàm maximè cognoſcens, qui non erant perituri, & tamen.... ut nulli poſſint cauſari prætextum ignorantiæ, juſtam fecit vocationem omnium*; & quidem internam, ſine quâ externam nihil efficere poſſe, Catholicis contra Pelagianos manifeſtum eſt. Idem oratione exhortatoria ad Gentes. *Audite qui eſtis longè, audite qui prope: nullis celatum eſt verbum: lux eſt communis, omnibus illuceſcit hominibus*, nè à veritate aberrent falſis dæmonis perſuaſionibus decepti.

7 S. Cyprianus l. 4. epiſtola 7. *Si dies omnibus æqualiter naſcitur, & ſi ſol ſuper omnes pari, & æquali luce diffunditur, quantò magìs Chriſtus ſol, & dies verus in Eccleſia ſua lumen vitæ æternæ pari æqualitate largitur?* Quantum quidem omnibus ſufficit, ut ſalutis ſemitam videre, eamque præ via lata perditionis eligere poſſint; etſi non omnes, etiam quos Eccleſia ſinu ſuo complectitur, tam ſalutifera ſemper documenta diſcere velint, ſed à cœleſti lumine oculos plurimi avertant.

8 Ephrem Syrus ſerm. 3. de compunctione: *Semper ejus gratia corda noſtra viſitat.... Deus miſericordiâ tactus cogitur ad nos peccatores inviſendos venire: nequit enim nos penitùs gratiâ deſerere; à propriâ enim ipſius benignitate eò adigitur ut omnium noſtrûm miſereatur*, viſitans, & docens, etſi non omnes ſemper audire velimus, & diſcere.

9 Juxta Auguſtinum Deus Eſau vocavit ad ſalutem; is autem venire detrectans, vocantem, ac docentem repulit lib. 1. ad Simplicianum q. 2. *Noluit Eſau, & non cucurrit; ſed etſi voluiſſet, & cucurriſſet, Dei gratiâ perveniſſet, qui etiam velle, & currere vocando præſtaret, niſi vocatione contemptâ reprobus fieret.*

10 Quiſquis ſub figura cœnæ magnæ, & Nuptiarum, ad æternam beatitudinem vocatus non venit teſte Auguſtino lib. 83. Quæſtionum quæſt. 68. *Sic inchoat meritum ſupplicii, cùm vocatus venire neglexerit.* Ibidem *nec illi, qui noluerunt venire, debent alteri tribuere; ſed tantùm ſibi, quoniam ut venirent, vocati erant in liberâ voluntate.* Igitur vocati erant interiore gratiâ, & ſufficienter à Patre docti, ſinè quo ut venirent *vocati* non *erant in libera voluntate*. Unde erroris convincitur damnata Propoſitio, aſſerens, omnem, qui ad Filium non venit, *Nullatenus eſſe doctum à Patre.*

Decimaoctava Propoſitio damnata.

Semen verbi, quod manus Dei irrigat, ſemper affert fructum ſuum. *Reſl. Moral. Act.* 11. *verſ.* 21.

CAPUT I.

Hæreticum dogma refellitur.

1 QUod campis irrigatio, animis Divina gratia eſt. Ut reliqua agricultura abſque pluvia, vel inundatione infructuoſa eſt, ita ſacri concionatoris ſtudium, labor, eloquentia, verbum Dei in audientium animis ſeminatum, fructus ſalutiferos nunquam proferent; niſi manus Dei gratiam aſpergentis acceſſerit. Verùm neque ſola pluvia, neque inundatio uberem ſemper campis ſegetem præſtat; ſæpe ſoli ſterilitas, aëris intemperies, infeſtorum irruptio animalium, hominum dæmonumque maleficia, ſpes eludunt colonorum. Frequentiùs etiam in mentibus, quæ agri

agri animati ſunt, & libertate præditi, libertas ipſa ſibi magis, quàm extranei hoſtes noxia, prædicantium labores, vota Dei, & rorem gratiæ reddit irrita. Queſnellus autem, dum Divinæ gratiæ virtutem videtur extollere, parciſſimam facit, & nulli delinquentium conceſſam. Sic Deo ſoli, ejuſque auxiliorum defectui imputatur, quidquid fructuum ubivis terrarum defuit Apoſtolorum Prædicationi, & cujuſcunque piis monitis, & exhortationibus ad fidem, & ſalutem.

2 Ad fructus enim ſalutiferos nihil valere humanam ſinè gratiâ induſtriam, nihil omnes conatus, novit quiſquis à Pelagio alienus eſt. At fructus illi in Queſnelli ſententia gratiam ſemper comitantur, ſive, ut ipſe loquitur, *Semen verbi, quod manus Dei irrigat, ſemper affert fructum ſuum*. Quid igitur, inquient increduli, increpamur, quod Apoſtolorum prædicationi Fidem non habuerimus, quæ in noſtrâ minimè fuit poteſtate? Quid nempe juvat prædicatio ſinè gratia? Nullam gratiam adfuiſſe, ex Queſnello diſcimus; ſi enim adfuiſſet, fructum peperiſſet indubitatum. Non itaque negligentiæ noſtræ, non malitiæ tribuendum, quod ſemen verbi fructibus deſtitutum ſit, cùm præſente gratiâ fructus certiſſimè prodiiſſent, illâ abſente prodire non potuerint, neque ullâ à nobis operâ, ullo ſtudio procurari.

3 Quærit Deus,& conqueritur de populo Judaico vineâ ſuâ Iſaiæ 5. v. 4. *Quid eſt, quod debui ultra facere vineæ meæ, & non feci ei? An quod expectavi, ut faceret uvas, & fecit labruſcas?* Quaſi dicat, teſte Cyrillo Alexandrino in hunc Iſaiæ locum: *Si enim rerum ad uſum, & utilitatem neceſſariarum quidpiam à me, qui plantaveram, fortè prætermiſſum fuerit, cauſæ nihil dicam, neque pœnas exigam.* Vinea autem iſta à Queſnello edocta, Deo reponeret; quæ, amabo, ratio querelarum? Quid mihi præſtitiſti, quo uvas producere valerem? Miſiſti Prophetas, & Patriarchas, qui me docendo, monendo, hortando excolerent; verùm cultura conſtans ſolis vocibus, ad de etiam exemplis, abſque irrigatione gratiæ, bonorum operum fructus proferre nequit. Irrigationem autem illam defuiſſe, ex ipſa mea ſterilitate convincitur; nam quemadmodum in agro myſtico *Semen verbi, quod manus Dei irrigat, ſemper affert fructum ſuum*, ſi Queſnello fides eſt, ſic etiam vinea, quàm manus Dei irrigat, ſuum ſemper afferet fructum. Defectus itaque uvarum arguit defectum irrigationis. Unde ſic vinea, & ager myſticus in Queſnelli principio contra Deum ipſum querelas proſequentur: Tu ſolus, Domine, cataractarum Cœli claves tenes: in tua & non alterius poteſtate ſunt omnes cœleſtium gratiarum fontes, flumina, imbres, omnis irrigatio. Vides autem, me ariditate ſolâ ſterilem deficere: aut igitur ſterilitatem mihi exprobrare deſine, deſine à me requirere fructus, quos dare nequeo, vel manûs tuæ,& gratiæ irrigatio, quæ ſola poteſt, auferat ſterilitatem. Quis alioqui capiat, quis cum æquitate, & ſapientiâ tuâ componat, quod ais Iſaiæ 65. & Rom. 12. *Expandi manus meas tota die ad populum non credentem, & contradicentem*? Manus tuas gratiarum imbribus plenas,& extra quas nulla ſalubris irrigatio ſperanda eſt, ita contractas retines, & clauſas, ut me ariditate contabeſcere patiaris. Credere tibi ſinè te, ſinè tua gratia nullus poteſt; aut igitur tua adversùs incredulitatem meam ceſſet indignatio, aut aliquid gratiæ, quo credere, & incredulitatem vincere valeam, miſeræ imperti. Sic Queſnellus hæretico ſuo principio blaſphemiis adversùs Deum, & excuſationibus impiorum materiam præbet.

4 Hæreticum principium voco, quia ſecundam Janſenii propoſitionem manifeſtè complectitur. Cùm enim ait, *Semen verbi, quod manus Dei irrigat, ſemper affert fructum ſuum*, evidens eſt, rationem certiſſimam proferendi fructum eſſe in Queſnelli ſententia irrigationem, ſive collationem gratiæ; adeòque *interiori gratiæ*, in hoc ſtatu *nunquam reſiſti*. Unde non minore perſpicuitate profluit, quod quoties delinquitur, Dei mandatum non comitata fuerit gratiæ irrigatio. Si autem, ut fit in præceptis naturæ ordinem excedentibus, ad mandati fructum, ſeu obedientiam neceſſaria fuerit gratia, eâ abſente, mandati obſervatio fuit impoſſibilis, tranſgreſſio neceſſaria; & tamen juxta Queſnellum capax demeriti. Ita quiſquis in peccato mortali moritur, mandatum caruit irrigatione neceſſariâ, tranſgrediens quoque nec peccatum, nec damnationem potuit evitare. Quomodo igitur Chriſtus pro ullius reprobi ſalute mortuus eſt? Sic non ſolummodo ſecundum Janſenii articulum præſens Queſnelli error continet; ſed etiam primum, tertium, & quintum partu protrudit neceſſario. Atque hi ſecum trahunt primum, & ſecundum inter 31. ab Alexandro VIII. damnatos.

5 Remittimur à Queſnello ad illud Act. 11. v. 21. *Et erat manus Domini cum eis: multuſque numerus credentium converſus eſt ad Dominum.* Non poteſt revocari in dubium, quin ibi Diſcipulorum prædicationem, ſive *ſemen verbi, manus Dei irrigaverit*, cùm abſque irrigatione fructum non attuliſſet. Sed nondum video, quis Theologus, Philoſophus, aut alius utcunque ſano præditus judicio, ab exemplo par-

venite ad aquas: *adhortatur* (Deus) *ad lavacrum, ad ſalutem, ad illuminationem, prope clamans, & dicens, do tibi, ô Fili, Terram, Mare, Cœlum; ſolummodo, ô Fili, partem ſitias, Deus tibi gratis oſtendetur*. En voluntatem Dei antecedentem erga omnium ſalutem; ſed cùm non omnes venire ad aquas ſalutiferas velint, ſitientes potiùs cœnum voluptatum, & vitiorum omnium ſordibus inhiantes, non omnes à Deo reficiuntur promiſſis deliciis æternis. Voluntas iterum antecedens, & conditionata eſt: *Do tibi ô Fili, Terram, Mare, Cœlum, ſolummodo partem ſitias.* Quod pulchre confirmat Gregorius Nazianzenus oratione in S. Baptiſma. *O miram beneficentiæ celeritatem! O facilem contrahendi rationem! Hoc bonum ſolo voluntatis pretio emendum tibi proponitur; appetitionem ipſam Deus ingentis pretii loco æſtimat. Sitis ſitiri, bibere cupientibus potum præbet. Cùm à Deo beneficium petitur, beneficio affici ſe putat, promptâ, munificâ, atque propensâ naturâ eſt: jucundiùs dat, quàm alii accipiunt*; modò ſcilicet tam facilem contrahendi rationem amplecti volueris; ubi rurſus elucet voluntas Dei benigniſſima antecedens erga omnes; ſed conditione nixa, quàm ſi rejeceris, voluntas illa deſiderato deſtituitur effectu.

5 Dionyſius Carthuſianus: *Eme*, inquit, *pretio non condigno, ſed congruo; actus enim Fidei, Spei, Pœnitentiæ, aliique ſunt, quibus magno labore emitur, id eſt, comparatur hæc gratia.* Hanc amplectentibus conditionem obtingit verbum promiſſionis, & certiſſimè impletur voluntas conſequens. Ita S. Bernardus ſermon. 71. in Cant. *Non revertetur* (verbum Dei) *ad me vacuum, vel jejunum, ſed quaſi proſpere in omnibus agens ſaturabitur bonis actibus eorum, qui in dilectione acquieſcent illi.* Unde Cornelius à Lapide ex Hieronymo, Cyrillo, Haymone, hanc velut planiſſimam dat Divini apud Iſaiam oraculi interpretationem. „ Verbum hocce meum, quo tam magnifica promiſi de Fœdere novo, deque Meſſia, & gratia, bonisque per eum dandis Orbi, puta credentibus in eum, & pœnitentibus, firmiſſimum erit, & efficaciſſimum; efficiet enim, ut homines ſpe veniæ, amicitiæ Dei, & ſalutis excitati, faciant dignos pœnitentiæ, & virtutum fructus, quibus reipſa Deo reconciliabuntur, fientque æterni Dei amici, imo hæredes & filii; ſic enim Verbum hoc Dei irrigat, & fœcundat animam æquè ac imber, & nix terram „: Non quaſi operetur in animis omnium, qui quomodocunque Chriſtum prædicari audiverint, & quodcunque acceperint cœleſtis gratiæ adjutorium, quo poſſent in Chriſtum credere, ſed, inquit, *tam magnifica promiſi credentibus in eum, & pœnitentibus*. Qua conditione nituntur promiſſa omnia voluntatis conſequentis.

6 Objicitur dein illud 1. Cor. 3. v. 6. *Ego plantavi, Apollo rigavit, ſed Deus incrementum dedit.* Et v. 7. *Itaque neque, qui plantat eſt aliquid, neque qui rigat, ſed qui incrementum dat, Deus.* Cui Catholico hæc ignota ſunt, vel dubia? Omnes dicimus cum Auguſtino tract. 7. in epiſt. 1. S. Joan. *Miniſteria forinſecùs adjutoria ſunt, & admonitiones; Cathedram tamen in Cœlo habet, qui corda docet. Sic ſunt hæc Verba, quæ forinſecùs dicimus, quomodo eſt agricola ad arborem. Forinſecus enim agricola operatur, quia adhibet aquam, diligentiamque agriculturæ, ſed tamen poma non format.* Formatio hæc ad Deum pertinet, cum ipſâ, quàm produxit, & conſervat, arbore operantem. S. Thomas cum aliis rectè monet, effectum tribui totum cauſæ longè præcipuæ, præſertim primæ, non quaſi ſecunda nihil influat, ſed quia exiguum eſt, quod ipſa confert, ſi cum cauſæ primæ operatione comparetur, & quia quidquid virtutis in cauſa ſecunda eſt, Deus impertiit, qui ipſam, & continuò conſervat, & in agendo adjuvat. Locum iſta potiſſimum obtinent in ſupernaturalibus: ad quæ homo propriis naturæ viribus minimè idoneus eſt, ſed excitari præviè debet ab Omnipotente, & ſupra naturæ ordinem elevari, ut cooperari Deo valeat operanti.

7 Cavenda hic inſania Lutheri, quaſi in operibus bonis homo nihil agat, ſed velut inanime inſtrumentum merè patiatur ſe ab operante dirigi: Placet potiùs Catholicis Theologis (non autem faſtidientibus Janſenianis) illud Ariſtotelis lib. 3. Ethic. *Virtus, & vitium in noſtra eſt poteſtate. Quæ autem ſunt in noſtra poteſtate, ea agere & non agere poſſumus. Circa hæc verſatur lex, laus, vituperium, pœna, & præceptum. Ad ea enim, quæ non ſunt in noſtra poteſtate, nemo hortatur, præcipit, punit; nemo de iis conſultat, deliberat, eligit, ſicut non eligimus famère, frigère, ſed ea patimur.* Quanquam hic Philoſophi lumine opus non habemus; facem Eccleſiæ ſequimur Hipponenſem de verbis Apoſtoli ſerm. 13. *Non adjutor eſt ille* (Deus) *ſi nihil agit: non cooperator eſt, ſi nihil operamini.* Ibid. *Si non eſſes operator, ille non eſſet cooperator.* Lib. 2. de geſtis cum Felice Manichæo cap. 4. *Habet unuſquiſque in voluntate, aut eligere, quæ bona ſunt, & eſſe arbor bona, aut eligere, quæ mala ſunt, & eſſe arbor mala... Hoc ergo Dominus dicens: aut facite illud, oſtendit eſſe in poteſtate quod facerent, & quia ſi bonum eligerent, præmium illius acciperent; ſi malum eligerent, pœnam illius*

lius

lius ſentirent. Lib. de Spiritu, & lit. cap. 34. *Miſericordia Dei prævenit nos; conſentire autem vocationi Dei, vel ab ea diſſentire, propriæ voluntatis eſt*.

8 Quin & in ſententia eorum inter Catholicos, qui primam boni operis determinationem, ſeu prædeterminationem phyſicam tribuunt ſoli Deo, nihilominus à damnato articulo alieniſſimi ſunt; utpote quo omnis gratiæ inefficacis, & ſufficientis dogma, Catholicorum conſenſu maximè unanimi ſtabilitum, ſubvertitur. Poſt ſecundam præſertim Janſenii hæreſim (quod *interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ nunquam reſiſtitur*) à tot Pontificibus proſcriptam, nemo Catholicus poteſt ſinè horrore, ac deteſtatione legere eamdem tam perſpicuè ac temerè inſtauratam hoc Obſervationum moralium articulo: *Semen Verbi, quod manus Dei irrigat, ſemper affert fructum ſuum*.

CAPUT III.

Reſpondetur ad ea, quæ objiciuntur ex Patribus.

1 Non eſt cur Hexapla hæreſi ſuæ patrocinium ſperent à SS. Cyrillo, Auguſtino, Proſpero, Laurentio Juſtiniano. Cyrillus enim lib. 5. in Iſaiam, nihil aſſerit, niſi quod omnes agnoſcimus, & proni amplectimur „ Deum in nos Divinam, „ & Spiritualem, veluti pluviam, dimiſiſſe „ conſolationis ſuæ gratiam per Jesum Chri- „ ſtum, & donum prædicationis Euangelii, „ unde redditur fertilis univerſa terra „. Sic eſt: prædicatio Euangelii, accedente cœleſtis gratiæ pluviâ, totum mundum reddidit fœcundum, tantam ubique gentium turbam ad Chriſtum, & Sanctiſſimam Euangelii Legem convertens; verùm nemo Catholicus tantam in ſingulis Divinæ gratiæ motibus vim, & efficaciam agnoſcit, ut nullus unquam ſive in infidelibus, ſive in ipſis Chriſtianis repellatur, nullus effectu careat ob pervicaciam voluntatis. Ab hac autem Queſnelli, & Janſenii hæreſi, tam remotus eſt Cyrillus, ut exponens illud Iſaiæ 5. *Quid eſt, quod ultra*, &c. Sic hæreſim eamdem, antequam naſceretur, evertit, nomine Dei ſermonem proſequens: *Si enim*, inquit, *rerum ad uſum, & utilitatem neceſſariarum quidpiam à me, qui plantaveram, forſè prætermiſſum fuerit, cauſæ nihil dicam, neque pœnas exigam; cùm verò rebus tam utilibus plenam, nulliuſque rei indigam fecerim, etiam ſpinas tamen pariat... num igitur inertem, num deſidioſum agricolam dices? An potiùs illos accuſabit, qui tantâ ſolicitudine curati à me, adeò fertilitatem ſuam neglexerunt*. En homines vineæ nomine ſignificatos, in quibus Deus rerum ad uſum, & utilitatem neceſſariarum nihil prætermiſerit; adeòque quos ſufficientibus inſtruxerit cœleſtium gratiarum ſubſidiis, ſpirituali irrigatione, & reliquâ culturâ, qui *tantâ ſolicitudine curati*, tamen fertilitatem ſuam neglexerint, ſpinas pepererint, non fructus, quos maximè poterant, & debebant, utpote jure à Cœleſti agricola exoptatos. Idem Sanctus lib. in Joan. cap. 11. ad illud mundus eum non cognovit. *Non Verbum Dei*, inquit, *& æternam hanc lucem, ſed imbecillitatem ſuam mundus accuſet; illuminat enim Filius*, repellit autem gratiam creatura.... *Neglexit ulterius currere; ſuffodit illuminationem: & contempſit hanc gratiam*; ſcilicet ſufficientem.

2 Idem rurſus lib. 11. in Joannem, *Quòd ſi proditor æqualiter aliis Diſcipulis Salvatoris auxilium non habuiſſet, fruſtrà hæc à nobis dicerentur; ſin autem non minùs quàm cæteri Divina gratiâ regebatur... quomodo etiam non ſervavit eum Chriſtus, qui ſuum patrocinium ei præſtitit, qui quantum ad ferendam opem attinuerit, ſervaſſet hominem, niſi ultrò ille in perditionem inſiliiſſet? Gratia igitur in aliis effulſit, ſervavitque omnes, qui cooperantem ei voluntatem tradiderunt*. Ubi proditori gratia ſufficientiſſima traditur; effectu tamen, ut patet, minimè potita, non defectu auxilii, ſed liberæ cooperationis. Imò nimiùm ſufficientis gratiæ cenſebitur hic tribui Judæ, ſi æqualitatem omnimodam intellexeris. Unde ſaltèm certiſſimè concluditur, hunc Sanctum Patrem ab aſſerenda omnis Divinæ irrigationis efficaciâ fuiſſe remotiſſimum.

3 Non plus patrocinii expectet adverſarius à S. Auguſtino. Objicitur lib. 13. Confeſſionum caput 17. ſed perfidè corrumpitur Auguſtini ſententia. Illic Sanctus Doctor addictas pietati animas diſtinguit à vulgo mortalium vitiis dedito, quod vocat *Mare*, priores appellat *Animas ſitientes tibi* (Deo). *Quis* (inquit) *congregavit amaricantes in ſocietatem unam? Idem namque illis finis eſt temporalis, & terrenæ felicitatis, propter quam faciunt omnia, quamvis innumerabili varietate curarum fluctuent*. De animabus verò piis ait: *At animas ſitientes tibi, & apparentes tibi alio fine diſtinctas à ſocietate maris, occulto, & dulci fonte irrigas, ut & terra det fructum ſuum, &, te jubente Domino Deo ſuo, germinet anima noſtra opera miſericordiæ ſecundùm genus, diligens proximum in ſubſidiis neceſſitatum carnalium, habens in ſe ſemen ſecundùm ſimilitudinem: Quoniam ex noſtra infirmitate compatimur, ad ſubveniendum indigentibus, ſimiliter opitulantes,*

tes, quemadmodum nobis vellemus opem ferri, ſi eodem modo indigeremus, non tantùm in facilibus, tanquam in herba ſeminali, ſed etiam in protectione adjutorii forti robore, ſicut lignum fructiferum, ideſt beneficium ad eripiendum eum, qui injuriam patitur, de manu potentis, & præbendo protectionis umbraculum valido robore juſti judicii.

4 Hactenus Sancti Auguſtini relata à me ſententia eſt; nunc videndum quomodo eam adverſatius in Hexaplis corrumpat. Reſciſſis circumſtantiis, è quibus mens Sancti Doctoris perſpicuè dignoſcitur, ita textum Gallicè exhibet. „ Animarum noſtrarum terram „ occulto, & dulci fonte irrigas, ut dent fru- „ ctum ſuum. Ipſa quoque, te jubente, non „ prætermittit illum ſtatim dare, quia ro- „ bur omnipotens tuæ locutionis efficit, ut „ germinet anima noſtra fructus ſuos, qui „ ſunt opera miſericordiæ ſecundùm genus „ ſuum „.

5 Ubi prima corruptela conſpicitur, quod omittat adverſarius ea, quæ indicant, Auguſtinum non agere de omnibus hominibus, non de iis *quibus finis eſt temporalis, & terrenæ felicitatis, propter quam faciunt omnia*, atque adeò ſæpe rejiciunt gratiam; ſed *de animabus ſitientibus tibi* Deus, *& apparentibus tibi alio fine diſtinctis à ſocietate maris*, ſeu hominum *propter temporalem, & terrenam felicitatem omnia facientium*. Quid autem pro generali gratiarum omnium, etiam impiis datarum efficaciâ, conficitur ex eo, quod in *animabus Deo ſitientibus*, auxilia gratiæ conſequantur effectum?

6 Neque in textu Auguſtini aſſeritur, quod fingit adverſarius, quod, *mox ut Dominus locutus eſt, terra (anima noſtra) germinet opera miſericordiæ*; ſed quod *Dominus irriget animam, ut det fructum ſuum, & jubente Domino, germinet opera miſericordiæ*. Sinè dubio gratiæ finis ſunt bona opera, quem in collatione Deus ſemper intendit, ſed non ſemper conſequitur. De *omnipotente* quoque *robore Divinæ locutionis* nihil expreſſum video in toto capite. Legitur quidem aliquid de *adjutorii forti robore*, ſed non omne adjutorii robur forte, neceſſariò eſt omnipotens. Denique fallit adverſarius, dum *adjutorium* illud *forte* refert ad Divinam locutionem, de qua hìc ſermo non eſt; ſed de protectione, quam nos indigentibus præſtare oporteat, qui, inquit Auguſtinus, non ſolùm in *facilibus* à nobis adjuvandi ſunt, ſed etiam in iis, in quibus opus habent *protectione* ardua, & adjutorii forti robore, ad eripiendum eum, qui injuriam patitur, de manu potentis, & præbendo protectionis umbraculum valido robore juſti judicii. Modum & rationem præmittit Sanctus Doctor, dicens; *Quemadmodum nobis vellemus* à proximo *opem ferri*; ſi eodem modo indigeremus, *non tantùm in facilibus*, &c. Quot in unius textûs relatione enormis criminis perfidiæ! Nihil plus fundamenti Propoſitio damnata habet in Opere imperfecto lib. 2. cap. 157. neque in S. Proſperi carmine cap. 14. ubi aliud non dicitur, quàm prædicatione hominum nunquam fieri converſionem, niſi auxilium gratiæ acceſſerit: cujus illic mirifici fructus deſcribuntur; ſed nuſquam aſſeritur, quod unicum adverſario incumbebat oſtendendum, gratiam ſemper effectum ſuum producere. Hoc quidem perfidè interpres Gallus infarcire conatus eſt hoc verſu:

C'eſt elle qui ſuivant ſon immuable loi, &c.

Quaſi omnia, quæ illo Capite de gratiæ effectibus referuntur, gratia *ſecundùm legem ſuam immobilem*, adeôque ſemper, & neceſſariò operetur, cujus *legis immobilis* nulla in Proſperi carmine fit mentio; ſed ut veritate ſtabilire hæreſim impoſſibile eſt, fraudibus hæc, & perfidiâ opus habet. Monendus hic Lector Catholicus, ut à Janſeniſtarum verſionibus maximè in Rhythmis, & Poëmatibus ſibi caveat: in his enim ut plus libertatis eſſe ſolet, ad corruptionem minùs attenditur, dum elegantiâ carminis magis animus occupatur. Ita in officio, quod vulgò *Portûs Regii* dicitur, JESU *Redemptor omnium* ex hymnis omnibus ſublatum eſt: in Horis B.M.V. notus Janſeniſta Batavus pleroſque laudis, & honoris eximii titulos verſione Belgica expunxit. Cauſantur quidem interpretes illi, non poſſe verba eadem ſemper ad amuſſim verſibus exprimi, pluſculum in hoc libertatis concedendum metro; verùm reſpondeo, Eccleſiam Vernaculis iſtiuſmodi Poëtis ſacrorum Textuum corruptoribus non indigêre. Si tam parùm periti ſint, ut ſententias ſacras fideliter reddere non poſſint, ſuperſedeant potiùs verſionibus ſtylo Poëtico fabricandis. Sed & mirabiles Janſeniſtarum muſæ ſunt, quæ ſemper novitatibus, nunquam fidei, ac religioni ſerviant.

7 Nunc ad objectum nobis S. Laurentium Juſtinianum veniamus. Hic libro de Vita ſolitaria cap. 17. ait: *Nequaquam tam uberem humana mortalitas valeret juſtitia afferre meſſem, ſi non Verbi Dei ſtillicidiis impinguaretur interiùs. Nam quemadmodum nix deſcendens de Cœlo terram inebriat, ac germinare eam facit, datque ſemen ferenti, & panem ad manducandum tribuit; ita & Verbum, quod ex ore Patris Omnipotentis egreditur, cùm ſe mortalium infundit cordibus, ad illum, qui eum genuit, non revertitur vacuum; ſed in ſe ſuſcipiente fructificat*

ficat affatim. In incipientibus quidem trigeſimum, ſexageſimum in proficientibus; at verò centeſimum in perfectis exhibet fructum. Sic eſt. Verbum, quod ex ore Patris procedit, *ad illum, qui eum genuit non revertitur vacuum*; ſed hic de Verbo increato, qui eſt ipſe Filius, non de creato agitur, aliàs diceretur qui id genuit, non *qui eum genuit*. Quod autem Verbum Dei ſeu Filius in propria venerit, & *ſui eum non receperint*, ex Joannis Euangelio cognovimus. *In ſe* autem *ſuſcipiente*, inquit Laurentius Juſtinianus, *fructificat affatim*. Non fructificat affatim in omnibus, etiam à quibus repellitur, ſed in *ſuſcipientibus*: Et *in incipientibus quidem trigeſimum, ſexageſimum in proficientibus; at verò centeſimum in perfectis exhibet fructum*.

8 Quod Verbum Dei creatum optatis ſæpe fructibus deſtituatur, docet æterna veritas Matth. 13. *Quædam ceciderunt ſecus viam, & venerunt volucres Cæli, & comederunt ea: alia autem ceciderunt in petroſa, ubi non habebant terram multam, & continuò exorta ſunt, quia non habebant altitudinem terræ; ſole autem orto æſtuaverunt; & quia non habebant radicem, aruerunt. Alia autem ceciderunt in ſpinas, & creverunt ſpinæ, & ſuffocaverunt ea*; tamen in multis ſemina illa, quæ Verbum Dei ſignificant, multiplicem fructum faciunt; quæ nempe cadunt in terram bonam, ubi fructum dat *aliud centeſimum, aliud ſexageſimum, aliud trigeſimum*. Sic Verbum Dei ab Apoſtolis prædicatum, etſi à plurimis rejectum, in iis fructu caruerit; non tamen reverſum eſt omnino vacuum, ſed innumerabilium converſione fœcundum fructus attulit Divino guſtui ſuaviſſimos. Quemadmodum autem ſemen etiam irrigatum non ſemper fert fructum, ſi ſecus viam, vel in petram ceciderit, & à volucribus comedatur, vel ab exortis ſpinis ſuffocetur, ita neque ſemper Verbum Dei, etiam cœleſtis gratiæ rore irriguum fructus reddit, quos ſeminator Chriſtus deſideraverat; quia, ut in parabolæ hujus explicatione dicitur Matth. 13. *Incraſſatum eſt cor populi hujus, & auribus graviter audierunt, & oculos ſuos clauſerunt, nè quando videant oculis, & auribus audiant, & corde intelligant, & convertantur, & ſanem eos.* Luc. 8. *Deinde venit Diabolus, & tollit Verbum de corde eorum, nè credentes ſalvi fiant .... Quod autem in ſpinas cecidit, hi ſunt qui audierunt, & à ſolicitudinibus, & divitiis, & voluptatibus vitæ euntes ſuffocantur, & non referunt fructum; quod autem in bonam terram, hi ſunt qui in corde bono, & optimo audientes Verbum retinent, & fructum afferunt in patientia.*

9 De multis conquerebatur olim Deus apud Ezechielem c. 33. dicens: *Et es eis quaſi carmen muſicum, quod ſuavi, dulcique ſono canitur, & audiunt verba tua, & non faciunt ea.* Non de talibus Laurentio Juſtiniano ſermo eſt, ſed de hominibus piis *vitam ſolitariam* agentibus, qui Verbum Dei *in ſe ſuſcipiunt*, & amplectuntur, ut opere compleant. Hi ſunt, de quibus Chriſtus apud Matthæum teſtatur, quod *in corde bono & optimo audiant, & fructum afferant in patientia*, qui nempe corde bono *fructum trigeſimum*, qui meliore *ſexageſimum*, qui optimo *centeſimum*. Quod Laurentius Juſtinianus ſic magis explicat: *In primis namque vernantem, & redolentem producit florem, immaturum fructum gignit in mediis; verùm in ultimis; & viſu pulchrum, & guſtu ſuaviſſimum reddit, atque uberrimum.*

10 Quis modò rationis compos, & propugnandæ hæreſeos pertinaciâ non penitùs obcæcatus, ex eo, quod *verbum Dei in ſe ſuſcipiente fructificet affatim*, ſtatim inferat, quòd verbum Dei etiam in illud repellentibus, vel audientibus perfunctoriè, & animo voluptatibus quodammodo ebrio, nihilominus ſemper *affatim fructificet*. De ſolis agit Juſtinianus virtuti deditis, *incipientibus, proficientibus, perfectis*. Suntne in trium iſtarum claſſium numero omnes illi mundani, carnales, impii, quibus Chriſti Euangelium ab Apoſtolis, & quodcunque verbum Dei à Concionatoribus prædicatur, etiam emicante cœlitus quodam Divini luminis radio, inſtar fulguris tranſeunte, vel emiſsâ quâdam ſtillâ roris tenuiſſimâ, quæ ab inflammato mundi cupiditatibus animo ſtatim diſſipatur? Non fruſtrà Apoſtolus 2. Cor. 6. ſolicitus eſt, nè & verbum Dei, & quæ illud paſſim comitatur, gratiam, ſinè fructu recipiant; *Exhortor vos*, inquit, *nè in vacuum gratiam Dei recipiatis*. In quem locum ita Doctor Angelicus: *Nè receptio gratiæ ſit vobis inutilis, & vacua, quod tunc contingit, quando ex perceptione gratiæ quis non ſentit fructum; qui quidem duplex eſt, ſcilicet remiſſio peccatorum, Iſaiæ 27.. Hic eſt omnis fructus, ut tollatur peccatum &c. Et ut homo juſtè vivendo perveniat ad gloriam cœleſtem. Rom. 6. Habetis fructum veſtrum in ſanctificatione, finem verò vitam æternam, &c. Quicunque ergo gratiâ Dei non utitur ad vitanda peccata, & ad conſequendam vitam æternam, hic gratiam Dei in vacuum recipit.* Hactenus Aquinas 2. Cor. 6. lect. 1.

11 Quæ hujus hortationis neceſſitas, vel etiam utilitas, ſi omnis gratia invicta ſit? Nam ſinè gratia nihil boni ad juſtitiam, & ſalutem conducentis fieri poteſt; cum gratia juxta adverſarium ſemper operamur bene, illâ ſemper fructum ſuum afferente. Sic fruſtra-

ſtranea pariter fuiſſet, & Divinæ Sapientiæ minimè conveniens monitio Pſalmi 94. *Hodie, ſi vocem Domini audieritis, nolite obdurare corda veſtra*. Vel enim vocem Domini comitatur gratia, & tunc juxta adverſarium *ſemper profert fructum ſuum*; vel non comitatur, & tunc fidei dogma eſt, fructum eſſe impoſſibilem. Non minùs abſona, & rationis expers fuiſſet exprobratio Dei Prov. 1. *Vocavi & renuiſtis: extendi manum meam, & non erat qui aſpiceret*. Si enim vocationem ſuam Deus ſuâ gratiâ irrigaſſet, nullus renuiſſet, accurriſſent omnes, ad quos gratia perveniſſet, ut quidem adverſarius contendit. Si verò nihil eis gratiæ oblatum eſt, quomodo venire poterant? Num ſolo libero arbitrio ſinè gratia? Denique damnata novitas obruitur tot Scripturarum teſtimoniis, de quot Deus peccatorum, quos monuerat, duritie, impœnitentiâ, rebellione conqueritur.

12 Antequam præſentem adverſarii objectionem dimittam, indicandus etiam hìc dolus ejus eſt, quo mutilam refert Juſtiniani ſententiam, tacitus præteriens verba immediatè ſequentia, ex quibus conſtitiſſet, non de gratiâ cuilibet hominum generi datâ Juſtinianum agere; ſed de ea, quæ obvenit tribus hominum piorum, & ad virtutem aſpirantium claſſibus, *incipientium, proficientium, & perfectorum*. Quanquam neque iſti ſemper omni vocationi, & gratiæ obſequantur; nam & ſepties in die labitur juſtus: & gratia non ad præcepta ſolummodo; ſed etiam ad conſilia invitat. Ipſa inſcriptio libri de *Vita ſolitaria*, & titulus capitis, *quod ſpiritualis guſtûs ſapientia omnem præcellit delectationem, quæ ex creaturis percipitur*, ſatis quemlibet legentem convincit, de quo hìc hominum genere agatur, non de omnibus, etiam dyſcolis, & impiis, qui verbum Dei, & gratiam repellere ſolent; ſed de piis, & ad meliora connitentibus.

13 Nè hìc quidem omittere adverſarius voluit libellum de imitatione Chriſti. Citat ex lib. 3. cap. 2. quod ſequitur: *Viam oſtendunt* (Miniſtri tui) *ſed tu confortas ad ambulandum; illi foris tantùm agunt; ſed tu corda interiùs inſtruis, & illuminas: illi exteriùs rigant; ſed tu fœcunditatem donas*. Similis eſt oratio Miſſæ Pariſienſis pro Miniſtris Eccleſiæ. Quid autem eſt verba perdere, & textibus ad propoſitam quæſtionem inutilibus fatigare lectores, atque vana oſtentatione imperitos decipere, ſi iſtud non eſt? Vires animo ad ambulandum in via juſtitiæ non monita hominum præſtant; ſed Dei gratia: Hortantium verba foris ſonant, ſed nemo interiùs, ſicut oportet, inſtruit, illuminat, niſi Deus: ab hoc omnis Sapientia ſancta eſt. Alii rigant; ſed fœcunditas ex Deo eſt; ubicunque quidem fœcunditas reperitur. Sed quis, niſi ridiculo ſophiſmate, vel à primis tironibus explodendo, indè deducere conetur, ſemper ambulari in via juſtitiæ, quoties vires ad ambulandum in ea Deus præbuerit; omnem hominem ſapientem eſſe, qui lumine à Deo impertitus fuerat, ut ſapientiæ ſtuderet. Facultas ad opera ſalutifera à Deo conceditur plurimis, qui, cùm maximè poſſent, gratiæ ſufficientis auxiliis non utuntur.

Decimanona Propoſitio damnata.

Dei gratia nihil aliud eſt, quàm ejus omnipotens voluntas: hæc eſt idea, quam Deus nobis tradidit in omnibus ſuis Scripturis. *Obſerv. Mor. in Rom.* 14. *v.* 4.

CAPUT I.

Hæc Propoſitio fatua, & erronea demonſtratur.

1 Accipio Epiſtolam ad Rom. 14. v. 4. avidus videndi, quid tam mirabili aſſertioni anſam dare potuerit. Illic Apoſtolus temeraria judicia reprehendens, *Tu quis es*, inquit, *qui judicas alienum ſervum? Domino ſuo ſtat, aut cadit: ſtabit autem; potens eſt enim Deus ſtatuere illum*, in quem locum ita S. Thomas: „ Oſtendit (Apo„ ſtolus) quod hominis ſtatum judicare ad „ Deum pertinet, dicens *ſtabit autem*, quaſi „ dicat, etſi aliquis nunc cadat per pecca„ tum, tamen poteſt eſſe, quod iterum ſtabit: „ & hoc omnino implebitur, ſi eſt prædeſti„ natus. „ Et mox: „ Propter hoc ſi videmus „ aliquem manifeſtè cadentem, non debe„ mus eum deſpicere, temerariè judicando „ de eo, quòd nunquam reſurget; ſed magis „ debemus præſumere, quod iterum ſtabit, „ non ex conſideratione conditionis huma„ næ; ſed conſiderando virtutem Divinam. „ Unde eùm dicit, *potens eſt Deus ſtatuere illum*, propter ejus bonitatem præſumere „ debemus, quòd iterum ſtatnet eum „. In qua Angelici interpretatione, ut patet, nullum verbum eſt, quo vel eminus inſinuetur, *Gratiam Dei nihil aliud eſſe, quàm ejus Omnipoten-*

tem voluntatem: Neque de hoc quidpiam reperies in ullo veterum, vel recentiorum, præterquam Queſnelli, & ejus ſequacium commentario. Multò minùs id ullus ſacer textus indicat, quidquid vociferetur Queſnellus, *Hanc eſſe ideam, quam Deus nobis tradidit in omnibus ſuis Scripturis*. Conſtat voluntatem Dei omnipotentem eſſe ipſum Deum; non enim, qui ſimpliciſſimus eſt, potentiis componitur diſtinctis, aut accidentis quidpiam complectitur. At gratiam actualem, quæ animæ noſtræ infunditur, ut eam illuminet, excitet, inflammet, roboret, nihil aliud eſſe præter Deum ipſum, quis ante Queſnellum unquam docuit? Neque me commoveat Novatoris hujus in appellandis *omnibus Scripturis*, nullam indicando, confidentia; nam Janſenianis id paſſim cum ineptiſſimo quodam cauſidicorum genere commune eſt, ut, ubi eos omnis ratio, & authoritas defecerit, tunc inflatis buccis, extentis lateribus, omnia jura, leges omnes, ſed innominatas inclament. Prætermiſſis igitur iſtinſmodi ſycophantarum illuſionibus, expectamus unum ſaltèm Scripturæ teſtimonium, quod ullius probati, aut non ſuſpecti Authoris interpretatione ſignificet *Dei gratiam nihil aliud eſſe, quàm ejus Omnipotentem voluntatem*, ſive quod idem eſt, ipſum Deum.

2 Interea Queſnellum ſuis locutionibus conveniamus, ſuis debellemus armis. Propoſitione 18. ait: *Semen verbi, quod manus Dei irrigat, ſemper affert fructum ſuum.* Allegoriam hanc à Chriſto edocti ſumus Verbo Dei applicate, dimiſſa perfida Queſnelli corruptione, quam utroque ſuperiore capite exagitavimus. Aqua, quæ irrigatione affunditur, & ſemini fœcunditatem præſtat, ut gratia prædicationi, nihilne aliud eſt, quàm voluntas irrigantis?

3 Propoſitione 17. Vox exterior Filii non eſt ipſa ejus voluntas; ſed effectus à voluntate imperatus. Igitur nec *Vox illa Patris, quæ homines interiùs docet, ac eos venire facit ad* JESUM *Chriſtum*, eſt ipſa Patris voluntas; ſed ejus effectus, utpote pia quædam animorum affectio, quæ partim eſt illuſtratio intellectûs, partim excitatio, accenſio, roboratio voluntatis.

4 Propoſitione 16. Illecebræ peccatorum à Dæmone excitatæ, delectationes quædam indeliberatæ ſunt, quæ nos ad liberè conſentiendum alliciunt. Tentationes quidem illæ ſunt voluntatis Diabolicæ effectus; ſed non ipſa Diaboli voluntas, quæ, ut cauſa ſolet, ab effectibus diſtinguitur: ſic gratiarum illecebræ fructus Divinæ bonitatis, ſeu propenſæ in nos voluntatis ſunt, non ipſamet Dei voluntas.

5 Propoſitione 15. Collationem gratiæ meritò vocat Queſnellus, ut vocatur in Eccleſiæ precibus, *unctionem* Spiritûs Sancti; atqui unctio importat unguentum, quod aliud eſt quàm ſola ungentis voluntas.

6 Proverb. 1. v. 24. ait Deus: *Vocavi, & renuiſtis: extendi manum meam, & non fuit qui aſpiceret*. Vocatio autem, & extenſio manûs, non ſunt voluntas Dei; ſed voluntatis effectus.

7 Iſaiæ 1. v. 16. *Lavamini, mundi eſtote, auferte malum cogitationum veſtrarum.* Nihilne eſt aqua præter voluntatem ejus, qui lotionem imperat? Quod verò aqua eſt mundationi corporis, id gratia eſt lotioni mentis.

8 Iſaiæ 5. v. 4. *Quid eſt, quod debui ultra facere vineæ meæ, & non feci ei?* Cultura vineæ non ſola colentis voluntas eſt. Quærit Deus, quid ultra ei facere debuerit, & non fecit? Non facit Deus ſe ipſum ſive voluntatem ſuam, ſed quod ad ea imperatur.

9 Apocalyp. 3. v. 20. *Ecce ſto ad oſtium & pulſo; ſi quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi januam, intrabo ad illum*, pulſatio oſtii, & vox clamantis aliud eſt, quàm ſola pulſandi, & clamandi voluntas. Adeo à veritate alienum eſt, quod ait Propoſitio 19. *Ideam, quam Deus nobis tradidit in omnibus ſuis Scripturis*, eſſe, quod *Dei gratia nihil ſit aliud, quàm ejus omnipotens voluntas*.

10 Alter hic ſe pandit error, quod omnem gratiam Queſnellus ſtatuit *omnipotentem*, ſeu efficaciſſimam, eliminatâ omni inefficaci, & ſufficienti, juxta ſecundam Janſenii propoſitionem hæreticam, *Interiori gratia in ſtatu naturæ lapſæ nunquam reſiſtitur*. Imò, ſi gratia omnis ſit *omnipotens*, quomodò ei *humana voluntas reſiſtere poterit*, ut contra Janſenium definitum eſt cenſurâ hæreſeos latâ in propoſitionem ejus quartam?

11 Omnipotentiæ iſti ſingulorum auxiliorum refragantur pleraque contra ſuperiores articulos producta ex Scripturis Sacris teſtimonia. Deuteronomii 20. *Conſidera*, inquit Deus, *quòd hodie propoſuerim in conſpectu tuo vitam & bonum; & è contrario mortem, & malum; ut diligas Dominum Deum tuum .... elige ergo vitam, ut & tu vivas*. Quem uſum habere potuit tam ſeria Dei monitio, ſi omnis gratia ſit omnipotens? Nam ſinè illa eligi vita non poteſt, cum illâ certiſſimè ſemper eligitur.

12 Eccleſiaſtici 15. *Ante hominem vita, & mors; bonum, & malum: quod placuerit ei, dabitur illi; quoniam multa ſapientia Dei, & fortis in potentia, videns omnes ſinè intermiſſione*. Quomodo rurſus hic homini proponitur electio vitæ, & mortis: boni, & mali; ſi ad unum de-

determinetut ſinè poteſtate ad oppoſitum? Si nempe omnis gratia eſt omnipotens, quoties obtingit, ineluctabilitet pertrahit ad bonum; quoties verò abſuerit, boni poteſtas nulla eſt.

13 Ibid. cap. 18. dicitur *miſericordia autem Dei ſuper omnem carnem*. Quæ miſericordia Dei erga reprobos, quibus nihil auxilii præparaverit, quo ſalus, vel evitatio æternorum cruciatuum ipſis redderetur poſſibilis? Non enim poſſibilis ipſis fuit per gratiam omnipotentem, quæ denegata eſt, nec oblata alia in ſententia adverſarii.

14 Cap. 51. *Appropiate ad me indocti, & congregate vos in domum diſciplinæ*. Reſpondebunt homines à Queſnello inſtituti; omnis gratia tua *omnipotens* eſt; ſi eam dederis, aliâ non egemus monitione, ut *appropiemus*, & *congregemus* nos, ubicunque volueris; ſi ea defuerit, non adeò maleſani, & hæretici ſumus; ut nos poſſe appropiare, & congregari exiſtimemus ſinè gratiâ.

15 Iſaiæ 1. *Lavamini, mundi eſtote, auferte malum cogitationum veſtrarum.... Si volueritis, & audieritis me, bona terræ comedetis.* Quid nobis Deus imperat, ut quid propoſito præmio vult, ut ipſum audiamus, tanquam id à voluntate noſtra, & libero arbitrio pendeat? Lavate nos, auferre malum cogirationum noſtrarum, Deum audire ſicut oportet, non poſſumus ſinè gratia; hæc autem, ſi omnis omnipotens ſit, ex ſe operatur ſinè dubio effectum. Apud eumdem Prophetam cap. 5. *Quid eſt, quod ultra debui facere vineæ meæ, & non feci ei? An quod expectavi ut faceret uvas, & fecit labruſcas?* Queſnellus hic Deum, aut Pelagianum facit, aut injuſtè querulum. Pelagianum quidem, ſi myſticam illam vineam aſſerat potuiſſe, aut debuiſſe uvas producere abſque cœleſtis gratiæ rore; injuſtè autem querulum; ſi omnem ei gratiam negaverit. Negavit omnem, ſi nulla datur, niſi omnipotens, quàm abſuiſſe demonſtrat vineæ ſterilitas.

16 Rurſus Iſaiæ 65. & ad Rom. 10. Judæis exprobrat Deus: *Expandi manus meas totâ die ad populum non credentem, & contradicentem.* Judæis Queſnellus ſuggerit aptiſſimam excuſationem, ſi vera ſit damnata Propoſitio. Quomodo ad nos, Deus, manus tuas extendiſti totâ die, & voluiſti, ut crederemus, qui ſinè omnipotenti gratia credere non potuimus? Hæc autem nobis oblata non eſt, aut præparata.

17 Ezechielis 18. *Nunquid voluntatis meæ eſt mors impii, dicit Dominus Deus; & non ut convertatur à viis ſuis, & vivat .... quare moriemini domus Iſraël? Quia nolo mortem morientis, dicit Dominus: Revertimini, & vivite.* Quot hic verba, tot doli ſunt; ſi proſcriptus ſubſiſtat articulus. Quis enim cum voluntate Dei ſeriâ erga converſionem, & ſalutem impii morientis conciliet denegationem omnis gratiæ, quâ pœnitentiam agere, & ſalutem conſequi potuiſſet? Denegatam omnem talem gratiam patet in Queſnelli axiomate; quia, cùm nulla ſit, niſi omnipotens, hanc morienti in impietate non adfuiſſe compertum eſt; unde & fit manifeſtum, omni eum gratiâ, ſalutem redditurâ poſſibilem, caruiſſe.

18 Non minùs frivola fieret Chriſti invitatio, quæ eſt Matthæi 11. *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos*; ſincera enim, & ſapiens vocatio ſupponere debet in omnibus, qui vocantur, veniendi facultatem; quæ autem facultas poteſt eſſe ſinè gratiâ? Hanc neceſſe eſt non venientibus defuiſſe, ſi nulla detur, niſi omnipotens.

19 Matth. 23. *Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos ſuos ſub alas, & noluiſti!* Juxta damnatum articulum reſponderet Jeruſalem: Congregaſti Deus, quoſcunque voluiſti; congregari enim ſinè gratia non poterant. Quibuſcunque verò omnipotentem gratiam (præter quam nulla eſt) conceſſiſti, ſinè dubio congregati ſunt: ſi & mihi poteſtas volendi, omnipotenti auxilio obtigiſſet, voluiſſem certiſſimè, nec ulla me tentatio, ac nè voluntatis quidem perverſitas à tam ſalubri me volitione impedire valuiſſet.

20 Secundùm eumdem Queſnelli articulum perperàm exprobraſſet Stephanus Judæis, quòd *ſemper Spiritui Sancto reſiſterent*; omnipotenti enim voluntati, omnipotens medium adhibenti, quis reſiſtit, vel reſiſtere unquam potuit?

21 Rom. cap. 1. declarantur Philoſophi *Inexcuſabiles; quia, cùm cognoviſſent Deum, non ſicut Deum glorificaverunt*. Potueruntne Deum glorificare ſinè ulla gratiâ, qualis præter efficacem juxta Queſnellum nulla eſt?

22 Non igitur circumveniri te ſinas, Lector Catholice, quoties à Queſnelli Symmiſtis ingeminari audies, illud, quo nihil familiarius habent, *Tradit nobis Deus in omnibus ſuis Scripturis*. Si falſum ex vero ſequi non poteſt, quomodo hæreſis deducatur ex oraculis fidei? Verùm hanc artem hæretici à patre ſuo diabolo didicerunt, qui ipſum Dominum tentans, teſtimonio Scripturarum aggreſſus eſt, Matth. 4. *Mitte te deorſum; ſcriptum eſt enim, quia Angelis ſuis mandavit de te .... Nè fortè offendas ad lapidem pedem tuum.* Quod obſervans Vincentius Lerinenſis Commonitorii cap. 37. *Quid faciet diabolus miſellis hominibus, qui ipſum Dominum Scriptura-*

turarum teſtimoniis adpetivit? .... Sicut tunc caput Capiti, ita nunc quoque membra membris loquuntur: membra ſcilicet diaboli membris Chriſti: perfidi fidelibus, ſacrilegi religioſis, Hæretici poſtremò Catbolicis. Ib. *Si quis interroget quempiam hæreticorum, unde probas, unde doces? .... Statim ille: Scriptum eſt enim: & continuo mille teſtimonia, mille exempla, mille authoritates parat de Lege, de Pſalmis, de Apoſtolis, de Prophetis, quibus novo, & malo more interpretatis, ex arce Catholica in hæreſeos barathrum infelix anima præcipitetur.*

23 Eamdem in hæreticis fraudem detexit S. Athanaſius, nec minùs ſolicitè contra eam nos præmunire voluit diſputatione 1. contra Arianos his verbis: *Igitur denuntio vobis, ut quiſque caveat, nè ab illo decipiatur .... Sed potiùs ac ſi Judaica impietas Chriſtianam Fidem invaderet, zelum Domini zelate .... Nè ſuſtinueritis eos, qui contra eam novis rebus ſtudent; etiamſi dictiones ex ſacris literis ſcribant ... Nam & diabolus loquebatur è ſacris literis; ſed tamen æquè illi os obturatum eſt à Salvatore.*

24 Rationem, cur hæretici tam avidè Scripturarum teſtimonia congerant, facilè quivis aſſequitur; juvat tamen eleganter deſcriptam referre ex Vincentii Lerinenſis commonitorio cap. 31. *Videas*, inquit, *eos volare per ſingula quæque Sanctæ Legis volumina .... Lege Pauli Samoſateni opuſcula, Priſcilliani, Eunomii, Joviniani, reliquarumque peſtium; cernas infinitam exemplorum congeriem, prope nullam omitti paginam, quæ non novi, aut veteris Teſtamenti ſententiis fucata, & colorata ſit: ſed tantò magìs cavendi, & pertimeſcendi ſunt, quantò occultiùs ſub Divinæ Legis umbraculis latitant: ſciunt enim fœtores ſuos nulli citò placituros; ſi nudi & ſimplices exhalentur: atque idcirco eos cœleſtis eloquii, velut quodam aromate aſpergunt .... Faciunt, quod hi ſolent, qui parvulis auſtera quædam temperaturi pocula, priùs oras melle circumlinunt, ut incauta ætas, dum dulcedinem præſenſerit, amaritudinem non reformidet.*

25 Placet aureum Tertulliani monitum, quod fidelibus, etiam indoctis, uſui eſſe poſſit, ad repellendos facilè quoslibet Novatores, qui Scripturam Sacram in ſui patrocinium contra Fidem Eccleſiæ torquere præſumpſerint. Lib. de Præſcriptionibus cap. 15. *Non ſunt*, inquit, *admittendi hæretici ad eamdem de Scripturis provocationem ... Nullum jùs capiunt Chriſtianarum Literarum: ad quos meritò dicendum eſt: Qui eſtis? Quando, & unde veniſtis? Quid in meo agitis non mei? Quo denique Marcion jure ſilvam meam cadis? Quâ licentiâ, Valentine, fontes meos tranſvertis? Qua poteſtate, Apelles, limites meos commoves? Mea eſt poſſeſſio; habeo origines firmas ab ipſis authoribus, quorum fuit res: Ego ſum heres Apoſtolorum; ſicut caverunt Teſtamento ſuo Apoſtoli, Apoſtolica Eccleſia, & Petri Apoſtolorum Principis ſucceſſores, ita teneo. Vos certè exheredaverunt ſemper, & abdicaverunt ut extraneos, ut inimicos.*

CAPUT II.

Diluuntur objectiones ex Scripturis.

1 ITERUM appellat adverſarius illud Roman. 14. verſ. 4. *Tu quis es, qui judicas alienum ſervum? Domino ſuo ſtat, aut cadit. Stabit autem; potens eſt enim Deus ſtatuere illum.* Caverit autem, argumentum hinc in forma legitima deducere pro confirmando ſuo damnato dogmate; ſed quaſi ex Textu Sacro ad ſuum Articulum tranſitus per ſe pateat tam facilis, tam perſpicuus, ut nullo ratiocinii lumine egeat, verba ſacra ſolummodo obtendit, nullo commentario illuſtrata. Quis autem interpres Catholicus in illis novaturientem adverſarii unquam detexit ſententiam? Nihil ſimile habet Angelicus in caput 14. lect. 1. ut capite ſuperiore oſtenſum eſt.

2 Agnoſcimus, quod poſſit Deus, illum, qui peccando cecidit, per gratiam erigere, & reſtituere priſtino ſtatui. Sed ideone gratia nihil aliud eſt, quàm voluntas Dei omnipotens? Ideone omnipotentes ſunt gratiæ ſingulæ? Homo divitiis affluens quidlibet emere poteſt; ſed non quolibet nummo, aut quolibet pretio. Rex potentiſſimus quemlibet hoſtem poteſt vincere, ſed non quacunque ſuorum militum manu. Sic Divinus agricola pro infinita ſua induſtria, & potentia efficere poteſt, ut vinea uvas ſemper optimas & copioſiſſimas producat; non tamen eas obtinet cultu vulgari & ſolummodo ſufficienti; ſed illa pro uvis, quas cœleſtis colonus expectaverat, reddidit labruſcas Iſaiæ 5.

3 Præſumamus autem cum Angelico, quod eum, qui cecidit, Deus iterum *pro ſua bonitate ſtatuet*, quantùm in ſe eſt, ſeu niſi lapſus in peccatorum ſordibus volutari contumax maluerit. Imò præſumamus piè, eum, ut reſurgat, efficaci auxilio præveniendum; ſed ea poſterior præſumptio ſæpiſſime fallitur, ut nimis frequenti conſtat experientia in obduratis peccatoribus, ac potiſſimùm hæreticis; & quidem novæ hæreſeos patronis, quos tanto tempore obſtinatos cernimus,

Digitized by Google

mus, convenit illud Dei apud Iſaiam 65. & Rom. 10. *Expandi manus meas tota die ad populum non credentem, & contradicentem.*

4 Expandit Deus manus ſuas, ut in hæreſim lapſos reſtituat Fidei, & Eccleſiæ; reſtituat juſtitiæ, & ſaluti; ſed hanc Dei benigniſſimam voluntatem, & quod eam comitatur ſufficientis gratiæ auxilium, repellunt quotidie plurimi, *non credentes, & contradicentes*; cùm omne eorum ſtudium apparet in comminiſcendis profanis doctrinæ novitatibus, omnis labor in convellendis ſanctionibus Apoſtolicis, & procudendis indies libellis peſtilentibus, quos ad exitium animorum, & totius, ſi fieri poſſet, Eccleſiæ ruinam diceres continuò ab inferis exhalari. Attamen neque de his S. Mater Eccleſia deſperat, pro eis non minùs, quàm pro perfidis Judæis orans, ut ex incredulis, & contradicentibus fideles, ex nolentibus Deus faciat volentes, ex Saulis Paulos, ex perſecutoribus Apoſtolos. Verùm tam ſalutiferos fructus non pariet quælibet Dei voluntas bona, non quælibet gratia; ſed prorſus ſingulari, & valida opus eſt, quæ, ut paucioribus obtingit, non poteſt gratiarum omnium, etiam quæ reprobis, & Spiritum ſanctum repellentibus conceduntur, ideam inducere generalem.

5 Nihil ſolidius pro damnato Articulo refertur ex illo ad Epheſios 1. verſ.11. *In quo etiam nos ſorte vocati ſumus, prædeſtinati ſecundùm propoſitum ejus, qui operatur omnia ſecundùm conſilium voluntatis ſuæ.* Nam, etſi veriſſimum ſit, Deum operari omnia ſecundùm conſilium voluntatis ſuæ, atque adeò etiam quamcunque operatur, & dat hominibus gratiam, operari illam Deum, & dare aliquo ſenſu ſecundùm conſilium voluntatis ſuæ, non ideo omnis Dei gratia ſemper efficit id, propter quod datur. Aliud enim eſt propoſitum efficax, conſilium efficax dandi gratiam, aliud efficax obtinendi gratiæ effectum. Sufficiens auxilium datur eo conſilio, ut homo operetur, ſi velit. Denegante autem homine conſenſum, evidens eſt, quòd Deus illum non efficiat; ſed neque abſolutè eo conſilio, ſeu propoſito datum fuerat ſubſidium, ut conſenſum extorqueret; verùm, ut eum relinqueret electioni hominis liberæ, optante quidem Deo conſenſum; at deſiderio inefficaci, non abſoluto propoſito, & decreto ſecundùm falli neſcium Divinæ providentiæ conſilium. Non omnem gratiam inviĉtiſſimo illo providentiæ conſilio, propoſito, decreto abſoluto dari, multas concedi ex deſiderio inefficaci effectûs, Catholicis indubitatum eſt, & contra duodecimam Propoſitionem oſtendi ex Damaſceno, Aquinate, & Bonaventura; imo ex Patrum antiquiſſimis, ex definitionibus Conciliorum, & Pontificum, atque ex Scripturis ſacris, non minùs dilucidè, quam copioſè. Præterea voluntatem, de qua Apoſtolo ſermo eſt, abſolutam eſſe, conſtat ex circumſtantia prædeſtinationis, quæ ibi ſuſcipitur confirmanda. *Prædeſtinati*, inquit, *ſecundùm propoſitum ejus.*

6 Denique etſi Deus omnia quæ operatur, efficiat ſecundùm conſilium voluntatis ſuæ, rebellio tamen hominum gratiam abjicientium, voluntati Dei contraria eſt, atque adeò non eſt ſecundùm voluntatis ejus conſilium; ſed opus potiùs humanæ eſt pervicaciæ, quàm Sanctiſſimæ voluntatis Divinæ. Igitur in hoc Apoſtoli ad Epheſios enuntiato nihil eſt pro ſtabiliendo omnis auxilii invicto, atque omnipotenti robore.

CAPUT III.

Reſponditur ad id, quod allegatur ex Chryſoſtomo.

1 Ex Græcis Patribus unicum adverſarius deligit Chryſoſtomum Hom.3, in caput 1.Epheſ. Hanc autem laciniam more ſuo corruptiſſimè decerpit: *Eſt multò difficilius perſuadere libero arbitrio, ut credat, quàm operari naturam. Ideo Paulus admiratur ſupereminentem magnitudinem virtutis in nos, qui credimus*. Ita Chryſoſtomus, ut ab adverſario refertur mutilus, qui, ſi integer hìc audiatur, diſpellet tenebras, docebitque non ſolùm nihil ex verbis ſuis præſidii elici poſſe pro damnato Articulo; ſed concluſionem ex ea conſequi prorſus oppoſitam. Sic nempe ibi Chryſoſtomus. *Quod credidimus, Deum virtute ſua ſuſcitaſſe Chriſtum, eſt longè admirabilius perſuaſiſſe animis, quàm ſuſcitaſſe mortuum .... Chriſtus dixit Lazaro, Veni foras, & ſtatim obediit. Ipſe dicet in die ultimo, & omnes reſurgent, & cum tanta celeritate, ut, qui adhuc vivunt, non ſint præventuri eos, qui dormierunt, adeò ut omnia fiant in momento, & in ictu oculi.* In credendo autem non ita fit. *Sed audi eum rurſus dicentem Luca 13. Quoties volui congregare filios veſtros, & noluiſtis.* Vides hoc esse difficilius; *quamobrem ex hoc probat univerſum. Eſt enim multo difficilius humanis rationibus perſuadere libero arbitrio, quàm operari naturam.* Causa est autem, quoniam ipse sic vult, nos nostra sponte fieri bonos. *Sic meritò dixit, Supereminens magnitudo virtutis in nos qui credidimus.*

2 E quo Chryſoſtomi textu nunc videndum

Digitized by Google

dum, quæ deducenda ſit concluſio. Ex eo nempe, quod *ſupereminens* dicatur *magnitudo virtutis* Dei in nos, qui credidimus, infert adverſarius, omnem gratiam eſſe talem: quæ conſecutio, ut patet, vaniſſima eſt; non ſolùm, quia nulla eam ſtabilit antecedentium ratio; ſed etiam quia illationem hæc exigit penitùs oppoſitam. Si enim Deus ſæpe voluerit congregare filios Jeruſalem, & hi congregari noluerint, atque ideo ex iis plurimi congregati non ſint ad veram juſtitiam, & ſalutem; ſignum evideus eſt, gratiam in illis fuiſſe aliquam, non tamen omnipotentem, non virtute invictiſſimâ operantem, ſive, ut verbis Chryſoſtomi inſiſtamus, oon fuiſſe *ſupereminentem* illam *magnitudinem virtutis* in illos, ſicut *in nos*, *qui credidimus*, & converſi ſumus. Non igitur omnis gratia eſt omnipotens voluntas; vel omnipotens, & invictiſſimus voluntatis effectus.

3 Præterea Sanctus Doctor comparans inter ſe duos operationum modos, quibus Deus, ut author naturæ, prodigia operatur, & quibus, ut author gratiæ, juſtitiam, & ſalutem; in prioribus dicit, ſolùm opus eſſe voluntate Divinâ; in poſterioribus, præter Dei voluntatem, requirit adjutorium ſuperioris ordinis, ſeu gratiam ſpecialem, & præditam *ſupereminenti magnitudine virtutis in nos*. Reſuſcitatio mortuorum, & ſimilia, quæ Deus ſolâ omnipotente voluntate operatur miracula, *omnia fiunt in momento*, & in ictu oculi; ſufficit enim Deum velle. *In credendo autem non ita fit*, inquit Chryſoſtomus. *Cauſa eſt autem*, ait idem Sanctus, *quoniam ipſe Deus ſic vult nos noſtrâ ſponte bonos fieri*. Ad reſuſcitationem non requiritur conſenſus hominis liber, ac nè conſeoſus quidem, quem tamen Deus exigit in adultis ad juſtitiam; quia licèt gratiam ſanctificantem, ut primo homini in creatione infuderat, poſſet etiam nobis dormientibus præſtare, alia tamen modo eſt Divinæ providentiæ ratio, *volentis nos noſtra ſponte*, noſtri liberi cooperatione arbitrii *fieri bonos*. Atque ad hoc, ut omnes Catholici norunt, præter voluntatem Dei, neceſſarium eſt adjutorium ſupernaturalis ordinis, & *ſupereminens magnitudo virtutis* cœleſtis *in nos*. Quanquam non omnis gratia efficax ejuſdem virtutis, & ſupereminentis magnitudinis eſt: major requiritur ad converſionem peccatoris, præſertim increduli, vel obdurati, quàm ad opus minùs arduum juſti.

4 Sed & eſſe quaſdam Dei volitiones, & quædam gratiæ auxilia, quibus diſſentiamus, arque ita impediamus effectum, demonſtrat Chryſoſtomus exemplo Scripturæ, arque ipſius Chriſti teſtimonio: *Quoties volui congregare filios veſtros*, *& noluiſtis*! Hic igitur Chryſoſtomi locus adeò non conficit, omuem gratiam eſſe victricem, ut convincat potiùs, liberum hominis arbitrium aliquando voluntati, vocationi, gratiæ Numinis refragari; deſideratùmque ab eo non permittere, ſed impedire effectum. Ea Chryſoſtomi ſententia aciem adverſarii fugere non potuit, cùm minimè veriſimile ſit, eum pauca ſolummodò, quæ decerpſit verba, & non legiſſe ea, quæ proximè antecedunt, & ſequuntur. Sed magìs miraberis, Lector, non ſolùm fidem peſſimam; verùm & impudentiam Janſeniſtarum, inter quos locum non infimum nec vulgarem obtinet adverſarius, quando in ſuæ hæreſeos patrocinium citare audent Chryſoſtomum, quo ſciunt neminem inter Eccleſiæ Doctores ac Sanctos Patres hæreſi ſuæ magìs contrarium. Adeò ut eum in Pelagianiſmum propendiſſe Janſenius, & ejus Diſcipuli poſt Calvinum exiſtiment.

5 Sic Calvinus lib. 2. Inſtit. cap. 2. *Tametſi Græci præ aliis*, *atque inter eos ſingulariter Chryſoſtomus*, *in extollenda humanæ voluntatis facultate modum exceſſerunt &c.* Ab hoc hæreſeos magiſtro accepiſſe Janſenius potuit quod habet tomo 1. col. 438. edit. 1. Lovanien. *Scriptores inter Origenis & Auguſtini ætatem interjecti plerique Semipelagianæ labe infecti fuerunt*, *præcipuè Græci*. Columna 404. *Quid mirum*, *ſi præcedentibus nonnullis Patribus*, *maximè Græcis*, *qui ſtudioſiſſimè Origenis Pelagianorum anteſignani lucubrationes triverant*, *aliquid ex pulvere ſubtiliſſimi illius erroris adhæſiſſet? Neque enim pauca paſſim in ſcriptis eorum occurrunt loca*, *quæ Maſſilienſium ſententiam in exteriori cortice præ ſe ferunt*.

6 Quænam illa Chryſoſtomi ſint, ut cæteros Græcos Patres prætercam, quæ Calvino, Janſenio, Queſnello diſplicere neceſſe ſit, & ut eorum erroribus infeſta, ad Pelagianiſmum in eorumdem ſententia rejici debeant, ſunt proculdubio, quæ præſenti damnato Articulo refragantur, ut occurrunt in Sancto Doctore plurima, quæ non omnem Dei voluntatem, non omnem gratiam efficacem ſtatuunt; ſed agnoſcunt ſæpe eis creaturas reſiſtere, obicemque ponere, oè optatum benigniſſima Dei voluntas, & gratia obtineant effectum. Sic Homilia 7. in Joaonem. *Illuminat* (Deus) *omnem hominem venientem in hunc mundum: Illuminat profectò, quantum in ipſo eſt; ſi qui autem ſponte ſua mentis oculis conniventibus, ad hujus lucis radios aciem dirigere noluerunt, non ex luminis natura in tenebris perſtiterunt, ſed ex malitia ſua, quâ ſponte tanto ſe dono indignos reddiderunt*. Lumen iſtud Divina gratia eſt,

eſt, quod cum omnibus conferre Deus velit, & conferat quantum in ipſo eſt, patet vel ex Chryſoſtomo aliud eſſe, quàm voluntatem Dei omnipotentem, quæ nunquam deſtituitur effectu.

7 Idem Sanctus homilia 9. de laudibus Pauli: *Ipſe quidem* (Deus) *vult omnes ſalvos fieri; at non omnium voluntas ejus voluntati obſequitur, neque ab eo aliquis cogitur. Unde & ad Jeruſalem ſic dicit: Jeruſalem, Jeruſalem, quoties volui*, &c. ut ſupra, tum concludit: *Vides quod Dominus ſalvare nos vult; nos autem, quia ei nos non adjungimus, manemus in interitu: Deus enim paratus eſt ad ſalvandum hominem, non involuntarium, neque non volentem*. Si ex iis, quos Deus ſalvare vult, multi maneant in interitu, evidens eſt, neque omnem Dei voluntatem, neque omnem gratiam eſſe efficacem.

8 Idem in caput nonum Rom. ſermone 16. *Quantum ad Deum attinet, ſalvæ fuiſſent omnes tribus Iſrael, imò & omnes mortales*. Si omnis gratia non eſſet aliud quàm voluntas Dei omnipotens, quomodo hæc impleta non eſſet? Omnipotentia enim non infringitur. Profectò nullus mortalium ſalute excidiſſet, ſi eam omnipotente, ſeu invictiſſimâ voluntate omnibus voluiſſet. Tunc ſcilicet non ſolùm media ad ſalutem neceſſaria præparaſſet omnibus, ſed ea quoque fuiſſent à nemine repudiata; cùm nihil aliud fuiſſent quàm voluntas Dei omnipotens, cui omnia cedunt, omnia ſubmiſſa ſunt.

9 In caput 2. Epiſtolæ 1. ad Timoth. hom. 7. quærit Chryſoſtomus de incredulis Chriſti crucifixoribus: *Quomodo illi non crediderunt?* Reſpondet: *Quia noluerunt; ſuas tamen ille partes executus eſt, dum pro eis in Cruce penderet*. Si Chriſtus Salvatoris partes executus eſt, pro eis Sanguinem ſuum, & mortem Patri offerens, indubiè pro ſua reverentia exauditus fuit, atque adeò à Patre obtinuit eis gratias, quibus credere, & ſalvari potuerint. Quæ quidem auxilia ad conſecutionem finis ſufficientia fuere, & oblatio Chriſti ſeria; non tamen fuiſſe prorſus efficacia eventus docuit. Fuêre igitur gratiæ illæ aliud quàm voluntas Dei omnipotens, quæ volitis effectibus nunquam deſtituitur.

10 Idem homilia 7. in Joannem: *Gratia in omnes diffuſa eſt, non Judæum, non Græcum, non Barbarum, non Scytham, non liberum, non ſervum, non virum, non mulierem, non ſenem, non juvenem excipit, aut dedignatur: Omnibus eadem eſt, omnibus ſe facilem exhibet, omnes pari honore advocat: qui autem ejus munere frui negligunt, hanc ſuam cæcitatem ſibi ipſis imputent; cùm enim detur omnibus, omnibus pateat, & à nemine prohibeatur, perditi quidam, & nequam homines propriâ dumtaxat malitiâ ingredi recuſant*. Quis recuſaret ingredi, ſi ingredi omnes vellet omnipotente voluntate, & omnis gratia, quæ à Chryſoſtomo in omnes dicitur diffuſa, omnipotens eſſet, atque inſuperabilis?

11 Tot clariſſimis Chryſoſtomi teſtimoniis ſi nondum ſibi perſuaderi patiatur adverſarius, Sanctum illum Doctorem à damnato præſenti dogmate fuiſſe alieniſſimum, orandus eſt Deus, ut nimias ab ejus intellectu tenebras depellat, & quia defectus apparet ex pervicaciâ oriri voluntatis, ad eam ſuperandam, non vulgares ei vires gratiæ optemus, ſed fortiſſimas, & omnipotentis voluntatis invictiſſimos effectus.

CAPUT IV.

Reſpondetur ad objecta ex SS. Auguſtino, & Proſpero.

1 NOn plus præſidii damnato articulo præſtat Auguſtinus, cujus hæc objicitur ſententia ex cap. 23. libri de dono perſeverantiæ: *Nec oraret Eccleſia, ut perſeveraret in Fide Chriſti, non decepta, vel victa tentationibus mundi, niſi crederet, Dominum ſic in poteſtate habere cor noſtrum, ut bonum, quod non tenemus, niſi propriâ voluntate, non tamen teneamus, niſi ipſe in nobis operetur & velle*. Nè dubitemus in quibus potiſſimùm verbis adverſarius ſtatuat Auguſtinianæ ſententiæ cum ſuo articulo conſenſum, majoribus illa characteribus exhibet, *per ſuam Omnipotentiam*: & *niſi ipſe in nobis operetur & velle*. Priora verba tantopere oſtentata in Auguſtini textu non ſunt; ſed ab adverſario addita, ut incautis videretur Hipponenſis ſaltèm utcunque vocibus articulo conſonare, qui aliàs nihil ei ſimile habet, neque vocibus, neque ſenſu. Sed diſſimulemus qualemcunque fallaciam, ex qua nullum errori patrocinium eſt. Habeat enim Deus, ut verè habet in ſua OMNIPOTENTI poteſtate cor noſtrum, ideone ſingula gratiæ auxilia ſunt omnipotentia, nulla poſſunt à libero hominis arbitrio repelli, nulla fruſtrari effectu? Omnipotentiam Dei ab infantia didicimus ex ſymbolo Apoſtolorum, eam non in ſola dominari inanimata, ſed & in ſenſûs & rationis capacia, in animos noſtros, & libertatem. Sicut autem omnipotentiæ denegari non poteſt facultas nos ad bonum opus quodlibet neceſſitate compellendi, vel etiam conferendi nobis ſemper talia auxilia, quibus voluntas conſentiat liberè; tamen & ad omnipotentiæ, &

ad ſupremi dominii perfectionem attinet, ut poſſit talia quoque producere, & largiri hominibus gratiæ auxilia, quibus illi conſentire poſſent, etſi ſuâ pervicaciâ refragaturi prævideantur. Et quidem talia quandoque auxilia hominibus obvenire, univerſa credit Eccleſia, inficiantur ſoli cum Calvinianis, & aliis hæreticis Janſeniſtæ.

2 Quænam autem iſta legitimæ argumentationis ſpecies eſt: Bonum quod tenemus propriâ voluntate, non tenemus, niſi Deus operetur & velle. Ergo omnes, & ſingulæ gratiæ ſemper operantur velle; imò nihil ſunt aliud, quàm Dei omnipotens voluntas? Omne bonum, nempe ſalutiferum, quod agimus, efficaci in nobis gratiâ Deus operatur; ſed non propterea excluditur omnis gratia ſufficiens, quando non agimus bene, ſed Dei præcepta transgredimur, vel ſpernimus conſilia; quæ tamen ſervare in noſtra fuerat poteſtate; non fuerat autem ſinè gratia ſufficiente, quæ ut vel ex eventu patet, efficax non fuit.

3 Non minùs fruſtrà intorquet adverſarius illud ex epiſtola Auguſtini ad Vitalem: *Gratias Deo non immeritò agimus de iis, quibus non ei credentibus, & ejus doctrinam voluntate impiâ perſequentibus miſericordiam prærogavit, eosque ad ſe ipſum omnipotentiſſima facilitate convertit, ac volentes ex nolentibus fecit*. Inferat hinc modò non minùs miſerabilis Logicus, quàm Theologus: ergo omnis gratia eſt efficax, nulla datur ſufficiens iis, quos videmus in incredulitate obſtinatos perſiſtere. Deum quidquid agit, omnipotentiſſimâ agere facilitate ſcimus. Jam enim à ſummo dejectus eſſet perfectionis culmine, atque adeò Deus eſſe deſineret, ſi ullam in ſe, vel in agendo pati poſſet moleſtiam, aut difficultatem. Sed qua indè conficias ratione, non poſſe Deum ulla hominibus elargiri gratiæ auxilia, quorum uſus, vel contemptus relinquatur libero arbitrio, & quæ Deus prævideat rejicienda? Urgente præcepto exercendi actus ſupernaturales, ut ſunt Fidei, Spei, Charitatis, Pœnitentiæ, Religionis, ſi deſit gratia ſufficiens, quomodo illi, qui præceptum omiſerint, rei ſunt, omni deſtituti auxilio, ſinè quo illud ſervari non potuit? Quomodo tunc, aut uſquam aliàs interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ reſiſtitur? Videt adverſarius, ſanè videt Lector Catholicus, in quam erroris & hæreſeos abyſſum ducat articulus aſſerens omnem *Dei gratiam nihil aliud eſſe, quàm omnipotentem Dei voluntatem*, ac proinde omnem gratiam eſſe omnipotentem, & à quocunque humano arbitrio inſuperabilem. Quicunque ex impiis doctrinæ Chriſtianæ perſecutoribus reſipuere, facti volentes credere ex nolentibus, indubiè omnipotentiſſimâ facilitate, & efficaci Divinæ gratiæ præſidio converſi ſunt; ſed ideone omnes, qui non convertuntur, omni cœleſti lumine, omni ad virtutem ſtimulo carent? Imò contra ſanctos conſcientiæ ſtimulos calcitrare ſæpiùs peccantium pervicaciam, utinam ex Scripturis tantùm, & traditione, non autem propriâ nimiùm experientiâ diſceremus?

4 Tertius Auguſtini textus objicitur ex libro de corrept. & gratiâ cap. 14. ubi dicitur Deus *ſinè dubio habens humanorum cordium, quo placuerit inclinandorum omnipotentiſſimam poteſtatem*. Quis Catholicus illud neſcit, aut inficiatus eſt unquam? Sed quis præter Calvinum, Janſenium, & eorum diſcipulos indè colligat, omnes, & ſingulas gratias eſſe tales, ut omnipotentiſſimâ poteſtate inclinent hominum corda quocunquè Deo placuerit: vel, ut aliis verbis, ſed eodem ſenſu adverſarius loquitur, illas nihil aliud eſſe, quàm omnipotentem voluntatem? Unde peccatores omnes ad pœnitentiam interiùs vocati, certiſſimè ſequerentur; non ſequentes autem, omni forent cœleſti ad pœnitentiam vocatione deſtituti; atque ita nec plures interiùs ad ſalutem vocati eſſent, quàm prædeſtinati: cui hæreſi Auguſtinum apertiſſimè contradicentem lib. 83. quæſtionum q. 68. toties ſupra exhibuimus, ut verba ejus hic repetere tædeat.

5 Plurimis contra ſimiles articulos adductis à me ſuperiùs Auguſtini teſtimoniis ſuperaddo non minùs convincentia. Sermone 351. alias 50. inter 50. homilias: *Quidquid feceris, quæcunque peccaveris, adhuc in hac vita es, unde te Deus omnino, ſi ſanare nollet, auferret. Cur ergo ignoras, quia patientia Dei ad pœnitentiam te adducit? Qui enim clamando non tibi perſuaſit, ut non recederes, parcendo clamat, ut redeas*: Peccatores ſingulos ſinè diſcrimine hic alloquitur S. Doctor, ſingulis denuntiat, quòd Deus illos ſanare velit, quamdiu in hac vitâ ſunt, quòd patientia Dei ad pœnitentiam eos adducat, quantum in ſe eſt, quòd, qui clamando non eis perſuaſit ut non recederent, parcendo clamet ut redeant. Ecce quot modis ab Auguſtino traditur, & inculcatur voluntas Dei ſincera erga omnes homines nè peccent, &, ubi peccaverint, nè in damnationis ſtatu permaneant; ſed ſe ab eo expediant pœnitendo: quæ tamen voluntas non erga omnes efficax eſt; uti neque gratia, quàm ex Auguſtino conſtat non deeſſe, ſive peccantibus, quoties præceptum ſervare, & vitare peccatum ſinè gratia non potuiſſent, ſive invitatis à Deo, & lege obſtrictis ad pœnitentiam, quæ abſ-

que

que gratiæ, ſaltèm ſufficientis, auxilio, non minus homini impoſſibilis eſt, quàm volatus per aëra, ſi alæ defecerint.

6 Lib. de 2. animabus contra Manich. c. 4. *Pœnitendi affectio illa, quæ prodit malè feciſſe pœnitentem* peccando, *& bene facere potuiſſe teſtatur*. Si enim homo dum peccavit, à peccato abſtinere, & bene facere potuerit, quod vel adverſariorum judicio non potuit ſinè gratia evidens eſt, hanc bonum omittentibus, cùm illud facerè potuerint, non defuiſſe; quam tamen effectu caruiſſe perſpicuum eſt, adeòque minimè cum Auguſtini ſententiâ conſiſtere, quod omnis Dei gratia nihil ſit aliud, quàm ejus omnipotens, & invictiſſima voluntas.

7 Lib. 2. de Sermone Domini in monte cap. 9. aſſerit: *Nullam eſſe animam, quamvis perverſam, quæ tamen ullo modo ratiocinari poteſt, in cujus conſcientia non loquatur Deus.* Locutio Dei in conſcientia hominis, gratia quædam interior eſt, quæ cùm nulli animæ, quamvis perverſæ, deſit, in qua tamen deſtituitur effectu ſæpiſſimè, non rectè cum omnipotenti, ſeu efficaci Dei voluntate confunditur. Alia non minùs perſpicua pro ſufficiente auxilio teſtimonia, reſervo in articuli proximi confutationem, ubi ſolventur adverſarii ex Auguſtino argumenta.

8 Nunc audiendum quid adverſarius objiciat ex S. Proſperi carmine de ingratis c. 14.

„ Sic priùs immites populos, urbeſque rebelles
„ Vincente obſtantes animos pietate ſubegit:
„ Non hoc conſilio tantùm, hortatuque benigno
„ Suadens; atque docens; quaſi normam legis haberet
„ Gratia: ſed mutans intus mentem, atque reformans,
„ Vaſque novum ex fracto fingens, virtute creandi.
„ Non iſtud monitus legis, non verba Prophetæ,
„ Non præſtata ſibi præſtat natura, ſed unus
„ Quod fecit reficit „.

9 Sic eſt, mirabiles gentium converſiones Deus gratiâ ſuâ operatus eſt, quas neque lex præcipiendo, neque Prophetæ ſuadendo, docendoque efficere potuiſſent. Hi enim aures ſolummodò pulſant; ſed Fidem, ac Pœnitentiam minimè largiuntur ſinè gratiâ, quæ intus doceat, atque animum immutet. Juſtitia nempe, ac ſalus non naturæ, non legis; ſed Dei per gratiam opus eſt. Magnificas Dei, & efficacis ejus gratiæ vires conſpicimus in iis, qui ad Fidem, juſtitiam, ſalutem converſi ſunt; ſed nuſquam reperias in Sancto Proſpero verbum, ex quo colligas, nullam eſſe gratiam, niſi omnipotentem, & inſuperabilem, nullum cœleſte auxilium obtigiſſe iis, qui ſe Deo ſubmittere, atque obtemperare neglexerint.

CAPUT V.

Reſpondetur ad id, quod profertur ex Doctore Angelico.

1 Demum inaniſſimè in damnati dogmalis patrocinium vocatur Angelicus Doctor aſſerens 1. 2. q. 113. art. 9. corp. „ dicendum, quod opus aliquod „ poteſt dici magnum dupliciter: uno mo„ do ex parte modi agendi: & ſic maximum „ opus eſt creationis, in quo ex nihilo fit „ aliquid: alio modo poteſt dici opus ma„ gnum, propter magnitudinem ejus quod „ fit, & ſecundùm hoc majus opus eſt juſti„ ficatio impii, quæ terminatur ad bonum „ æternum Divinæ participationis, quàm „ creatio cœli, & terræ, quæ terminatur ad „ bonum naturæ mutabilis: & ideo Augu„ ſtinus cùm dixiſſet, quod *majus eſt, quod* „ *ex impio fiat juſtus, quàm creare cœlum, &* „ *terram*, ſubjungit: *Cœlum enim & terra* „ *tranſibit, prædeſtinatorum autem ſalus, &* „ *juſtificatio permanebit*. „ Hactenus S. Thomas, quæ nonniſi compendio, & minimè fido ab adverſario referuntur. Nam & ſenſus corrumpitur, & reſcinduntur, quæ explicationis gratiâ Angelicus addit.

2 Veritatis nempe hoſtibus proprium, & neceſſarium eſt, lucem fugere, quibus præcipuum in tenebris præſidium eſt. Sic autem Adverſarius ſententiam S. Thomæ complectitur. *Difficilius eſt, quod ex impio fiat juſtus, quàm creare cœlum, & terram*. Angelicus verò non ait *difficilius* eſſe, ſed *majus*. Et quidem nè magnitudinis exceſſum de difficultate interpreteris, ipſe S. Doctor ſe, & Auguſtinum explicat de magnitudine rei in ſe, ſive de magnitudine valoris; quia *juſtificatio impii terminatur ad bonum æternum Divinæ participationis*, dum *creatio cœli, & terræ terminatur ad bonum naturæ mutabilis*. Nunc introſpiciendum magis, quàm connexionem ſententia Angelici eum proſcripto articulo habeat, & quantum ponderis ad ejus adferat confirmationem. Judice Aquinate, *majus*, ſeu majoris pretii eſt juſtificatio impii, quàm creatio Cœli, & terræ, quia illa terminatur ad bonum æternum divinæ participationis, dum hæc tantùm terminatur ad bonum naturæ mutabilis. Unde infert novus Theologus: Ergo nulla datur gratia ſufficiens, quæ non ſit ſimul efficax, ſive gratia Dei nihil eſt

aliud, quàm omnipotens ejus voluntas. Fallor ſi ulli ratione prædito argumentatio ſolidior appareat eâ, quæ ad nugarum exemplum proferri ſolet, & rideri à Dialecticæ tironibus, *Deus eſt in cœlo, ergo baculus eſt in angulo.* Quid enim major dignitas juſtitiæ, vel juſtificationis præ dignitate, valore, pretio creationis facit ad confundendam omnis Divinæ gratiæ cum voluntatis ejus omnipotentis idea? Quid ad eliminandum omne ſufficiens, & inefficax auxilium, quod tam multiplex Scripturarum, Traditionis, Definitionum, ac totius Eccleſiæ contra hæreticos confirmat authoritas? Doctorem Angelicum Catholico dogmati certiſſimè patrocinari, non uno ejus teſtimonio aliàs demonſtratum eſt: & quia Conſtitutioni adverſantium temeritas adeò in adſciſcendo ſibi Aquinate contumax eſt, eam hìc iterum, eodem Sanctiſſimo Authore diffringere, atque obterere, non videbitur forſitan inutile.

3 In 4. diſt. 20. q. 1. art. 1. *Deus qui dat omnibus abundanter, nulli gratiam denegat, qui, quod in ſe eſt facit, ut ſe ad gratiam* (Sanctificantem) *præparet... Quamdiu manet homini uſus liberi arbitrii in hac vitâ, poteſt ad gratiam ſe præparare, de peccatis dolendo.* Si Deus, quod vel ex Scripturis certiſſimum eſt, det omnibus abundanter, ideoque nulli gratiam ſanctificantem deneget, qui ſe ad eam præparare voluerit: ſi homo quilibet, nemine excepto, quamdiu ei uſus liberi arbitrii in hac vita manſerit, poſſit ad gratiam juſtificantem ſe præparare, dolendo de peccatis, non poteſt id abſque gratiæ actualis auxilio. Efficax autem non conceditur omnibus. Neceſſe igitur eſt, aliud ipſi obtingere inferioris ordinis, quod omnipotens non ſit, cùm plurimorum ei refragantium perverſitate elidatur.

4 Idem aſſerit 3. parte quæſt. 52. art. 6. ad 3. *Homines quamdiu vivunt, poſſunt ad Fidem, & Charitatem converti; quia in hac vita non ſunt homines confirmati in bono, vel malo, ſicut poſt exitum ex hac vitâ.* Infidelibus in cæcitate manentibus deeſſe auxilium Fidem, & Charitatem re ipſa efficiens, eſt manifeſtum: Fide quoque certum eſt, converti eos non poſſe ſolis naturæ viribus; affirmandum itaq; eſt, cœleſte ſubſidium ſufficiens in omnibus pro loco, & tempore intrinſecè receptum; vel ſi in aliquibus non recipiatur, ſaltèm ſecundùm voluntatem Dei antecedentem præparatum, & ſincerè oblatum; quod tamen infideles liberi ſui arbitrii pravo uſu repellunt, aut impediunt.

5 Imò, inquiunt Janſeniſtæ, poſſunt infideles iſti ſemper ad Fidem, & Charitatem converti potentiâ remotâ; quia Deus auxilio ſuo ſuccurrere eis ſemper poteſt, ubi voluerit; etſi nunquam contingat, ut velit. At quomodo tunc homines non obfirmantur neceſſariò in infidelitate, deſtituti omni, quo converti poſſint, ſubſidio? Quomodo, quod diſertiùs inficiatur S. Thomas, homines illi *non confirmantur in malo*, ſi juxta articulum 38. *Peccator non eſt liber niſi ad malum ſinè gratiâ liberatoris*, & juxta 39. *Voluntas, quam gratia non prævenit, nihil habet luminis, niſi ad aberrandum; ardoris, niſi ad ſe præcipitandum; virium, niſi ad ſe vulnerandum: Eſt capax omnis mali, & incapax ad omne bonum?* Neque dicere adverſarii poſſunt infidelibus adeſſe gratias quaſdam ad obſervationem præceptorum naturalium neceſſarias; nam juxta Janſenium, & Queſnellum art. 27. *Fides eſt prima gratia, & fons omnium aliarum*, quod pluribus aliis articulis confirmatum ſuo loco videbitur.

6 Rurſum Angelicus 3. parte q. 86. art. 1. corp. *Dicere quòd aliquod peccatum ſit in hac vita, de quo aliquis pœnitère non poſſit, erroneum eſt; quia per hoc tolleretur libertas arbitrii, & derogaretur virtuti gratiæ cujuſcunque peccatoris ad pœnitendum.* Si omnis gratia eſt omnipotens, & efficax, quilibet peccator, qui non convertitur, pœnitentiam agere non poteſt de ullo peccato, cùm non poſſit ſinè gratiâ, qua deſtituitur; cùm nulla detur niſi omnipotens, quæ pœnitentiam invictiſſimè efficeret. Sic itaque Queſnellus juxta Angelicum *tollit libertatem arbitrii, & derogat virtuti gratiæ cujuſcunque peccatoris*, quamdiu peccator manſerit.

7 Eadem eſt Angelici ſententia de Veritate q. 24. art. 11. in concluſione ſic ſtatuens: *Alio modo* eſt obſtinatus, *ita quod non de facili poſſit cooperari ad hoc quòd exeat de peccato. Et hæc eſt obſtinatio imperfecta; quâ aliquis poteſt eſſe obſtinatus in ſtatu vitæ, dum ſcilicet habet aliquis ita firmatam voluntatem in peccato, quod non ſurgunt motus ad bonum, niſi debiles; quia tamen aliqui ſurgunt ex eis, datur via, ut præparentur ad gratiam* (Sanctificantem). *Quòd aliquis homo in ſtatu vitæ non poſſit eſſe ita obſtinatus in malo, quin ad ſuam liberationem cooperari poſſit, ratio patet ex dictis.* Motus debiles ad bonum, gratiæ quædam debiles ſunt, adeòque minimè omnipotentes, &, ſaltèm in obſtinatis, ut plurimum inefficaces. Profectò evidens eſt, & Theologis omnibus indubitatum, motus iſtos debiles aliud eſſe, quàm omnipotentem Dei voluntatem. Hæc ad vindicandum ab errore temerè impoſito Aquinatem abunde ſufficiunt; plura non minùs irrefragabilia argumenta deduci poſſent ex commentario in cap. 1.

epiſt.

epiſt. 1. ad Cor. lectione 1. & in cap. 6. Joannis lect. 5. ex 1. 2. q. 106. art. 2. ad 2. libro contra gentes cap. 159. &c. Quæ nè nimia prolixitas lectori, ad alios Queſnelli articulos properanti, tædium pariat, prætermitto.

Vigeſima Propoſitio damnata.

Vera gratiæ Idea eſt, quod Deus vult ſibi à nobis obediri, & obeditur: imperat, & omnia fiunt: loquitur tanquam Dominus, & omnia ſibi ſubmiſſa ſunt. *Obſerv. Moral. Marci* 4. *v.* 39.

CAPUT I.

Exoticus error refutatur.

1 Quiſquamne Theologus audivit, vel legit unquam in Eccleſiâ talem gratiæ definitionem ante Janſeniana tempora? Prima definitionis regula eſt, quod definitio convenire debeat omni, & ſoli definito. Convenitne hæc Queſnelliana omni gratiæ? Præſumendum eſt, novæ ſcholæ magiſtrum non ignoraviſſe, quod inter prima Logicæ rudimenta traditur, neque voluiſſe impingere in regulam ab omnibus receptiſſimam. Hâc igitur admiſsâ, cenſuerit *veram gratiæ ideam*, omni gratiæ convenire, atque adeò omnem gratiam in hoc ſitam eſſe, *quod Deus vult ſibi à nobis obediri, & obeditur: imperat & omnia fiunt: loquitur tanquam Dominus, & omnia ſibi ſubmiſſa ſunt.* Ubicunque aliquid ex his defuerit, non poteſt eſſe gratia, juxta Queſnellum; quia certiſſimum eſt, nihil eſſe poſſe, deficiente vel minimo eorum, quibus intrinſecè conſtituitur. Nulla itaque gratia Queſnello eſt, ubi Deo à nobis obedientiam volenti non obeditur, ubi non omnia fiunt, quæ imperantur, ubi Deo loquenti tanquam Domino non omnia ſubmiſſa ſunt: Non eſt igitur gratia cui reſiſtitur. Sic Queſnellus manifeſtè approbat ſecundam Janſenii Propoſitionem hæreticam, *Interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ nunquam reſiſtitur*: Imo non *poteſt ei humana voluntas reſiſtere* (quæ eſt hæreſis quarta Janſenii). Non enim poteſt homo mutare eſſentias rerum, ſive efficere, ut gratia non habeat id omne, quod in vera ſui ideâ continetur. Parebit igitur gratiæ neceſſariò, nulli gratiæ potens reſiſtere, aut diſſentire, & tamen in nova hypotheſi obediendo merebitur. Gratiâ quoque illa efficaci abſente, neceſſariò peccabitur ubicunque ad vitandum peccatum, vel implendum præceptum gratia neceſſaria eſt; quia præter efficacem juxta articulum 20. damnatum nulla datur. Sic *ad merendum, & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ non requiritur in homine libertas à neceſſitate; ſed ſufficit libertas à coactione*: Quæ eſt propoſitio hæretica Janſenii tertia. Quotieſcunque etiam juſti à juſtitia peccando deficiunt, ſi ad vitandum peccatum, & præceptum ſervandum neceſſaria fuerit gratia, peccati vitatio, & obſervatio præcepti fuit ipſis impoſſibilis, defuit quoque gratia, qua poſſibilis fieret. Non enim adfuit eis gratia, cujus *vera Idea* juxta Queſnellum eſt, *quòd Deus vult ſibi à nobis obediri, & obeditur: imperat & omnia fiunt: loquitur tanquam Dominus, & omnia ſibi ſubmiſſa ſunt.* Neque datur aliud gratiæ genus, ſi ſubſtiterit definitio. Quapropter concluſio ineluctabilis eſt, iſto Queſnelli articulo contineri etiam primam propoſitionem Janſenii temerariam, impiam, blaſphemam, anathemate damnatam, & hæreticam, quibus cenſuris à Summis Pontificibus notata eſt: *Aliqua Dei præcepta hominibus juſtis, volentibus & conantibus ſecundùm præſentes quas habent vires ſunt impoſſibilia, deeſt quoque illis gratia, qua poſſibilia fiant.*

2 Unde ſequitur, & prima Propoſitio inter 31. damnatas ab Alexandro VIII. *In ſtatu naturæ lapſæ ad peccatum formale, & demeritum ſufficit illa libertas, qua voluntarium, ac liberum fuit in cauſa ſua peccato originali, & voluntate Adami peccantis*; quia juxta Queſnellianam gratiæ ideam non alia libertas reperiri poterit in omnibus peccatis, quæ ſinè gratiâ vitari nequeunt. Nullam enim peccantibus gratiam adfuiſſe evidens eſt, ſi nulla detur niſi efficax, ſive cui competat illa gratiæ idea, quæ in Propoſitione 20. obtruditur. Ex ea ſimul profluit Janſeniana hæreſis quinta, *quòd Chriſtus pro ſalute dumtaxat prædeſtinatorum*, id eſt ſolorum prædeſtinatorum, *mortuus ſit*. Non enim Chriſtus mortuus eſt pro ſalute eorum, quibus nullum auxilium mereri voluit, quo poſſent ſalutem conſequi. Talem mereri noluit ulli reprobo; ſi vera eſt Queſnellianæ gratiæ idea, juxta quam illa ſemper obtinet effectum omnem, ad quem conceditur. Quem enim alium ſenſum pati poteſt hæc Propoſitio, *Vera gratia idea eſt,*

quod Deus vult ſibi à nobis obediri, & obeditur: imperat, & omnia fiunt: loquitur tanquam Dominus, & omnia ſibi ſubmiſſa ſunt?

3 Iſtam gratiæ ideam ignoravit S. Stephanus Act. 7. v. 51. dicens pertinacibus Judæis *Durâ cervice, & incircumciſis cordibus, & auribus, vos ſemper Spiritui Sancto reſiſtitis, ſicut patres veſtri, ita & vos.*

4 Eamdem gratiæ ideam ignoravit Apoſtolus Paulus 2. Corint. 6. v. 1. tam ſolicitè monens: *Exhortor vos nè in vacuum gratiam Dei recipiatis.* Quid enim periculi eſt, nè in vacuum gratia Dei recipiatur, ſi memorata gratiæ idea vera ſit?

5 Minùs etiam Apoſtolus eamdem ideam tenuit ad Rom. 2. v. 5. impœnitenti obſtinato ſic exprobrans: *Benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit; tu autem ſecundùm duritiam tuam, & impœnitens cor theſaurizas tibi iram in die iræ.* Benignitas Dei ad pœnitentiam non adducit abſque ullo gratiæ auxilio, ut contra Pelagium tota credit Eccleſia Catholica. Si verò ad pœnitentiam adducit per gratiam, quomodo is, qui adducitur, reſiſtit ſic adducenti? Quomodo reſiſtit gratiæ, cujus idea *Obedientiam* infert & *ſubmiſſionem*? Fieri nullâ ratione poteſt, ut qui tali gratiâ *ad pœnitentiam adducitur*, retineat *duritiam*, & *impœnitens cor*. Multum remotus eſt à *theſaurizandâ* ſibi *irâ in die iræ*, qui Deo volenti ſibi obediri, obedit; qui Deo imperante omnia facit; qui Deo loquenti tanquam Domino in omnibus ſubmiſſus eſt.

6 Queſnelliana gratiæ idea ignota fuit ipſi Chriſto quando Matth. 20. v. 16. dixit: *Multi ſunt vocati, pauci verò electi.* Matth. 23. verſ. 37. *Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos ſuos ſub alas, & noluiſti?* Qui vocati ſunt ad ſalutem, etſi non electi, aliquam indubiè gratiam habuêre, quâ venire potuerint; alioqui fraudulenta, & Deo indigna videretur vocatio. Si tali affectu, tali ſolicitudine, qualem in gallina videmus erga pullos, congregare Chriſtus voluerit filios Jeruſalem, neceſſe eſt gratiam ipſis præparaverit aliquam, qua venire valuerint; quis enim ad ſalutem converti ſolis naturæ viribus, niſi Pelagianus præſumat? Atqui gratia, quæcunque effectu caruit, quamque Judæi ad Chriſtum invitati neglexerunt, non pertinuit ad ideam à Queſnello definitam, juxta quam Deo obeditur, *omnia*, quæ Deus *imperat*, *fiunt*; *omnia ipſi ſubmiſſa ſunt.* Excluduntur Queſnellianâ gratiæ definitione omnia gratiæ auxilia, quibus in Teſtamento veteri multos mortalium Deus ad ſalutem, & juſtitiam perducere fruſtrà conatus eſt Prov. 1. v. 24. *Vocavi, & renuiſtis. Extendi manum meam, & non erat, qui aſpiceret.*

7 Iſaiæ 65. *Expandi manus meas tota die ad populum incredulum, qui graditur via non bonâ poſt cogitationes ſuas. Populus, qui ad iracundiam provocat me ante faciem meam ſemper.* Dicetne Queſnellus, omnes iſtas, quas Deus memorat vocationes, invitationes, hortationes ad juſtitiam fuiſſe ſinè omni gratiâ, ſinè qua juſtificatio nulla adultis obtingere poteſt? Si ita eſt, inepta fuerit, & doloſa omnis illa Dei vocatio, invitatio, & exhortatio: neque reprehenſione dignus eſſet obedientiæ defectus, neque juſta Dei de hominibus querela. Si verò gratiam habuerint neceſſariam, & ſufficientem, illa, utpote propter hominum conſentire nolentium pervicaciam effectu deſtituta, non ejus naturæ, ſeu eſſentiæ fuit, quæ nobis damnato articulo definitur.

8 Inſpiciendus modò nobis Scripturæ textus eſt, quo Queſnelliana iſta gratiæ definitio nititur. Marci 4. v. 39. *Et exurgens comminatus eſt vento: & dixit mari: Tace, obmuteſce. Et ceſſavit ventus, & facta eſt tranquillitas magna.* Quid hìc pro definitione gratiæ? Nullus de gratia ſermo eſt, nec eſſe potuit. Gratia, quæ à Queſnello definitur, eſt donum Dei ſupernaturale, quo creatura rationalis elevatur, ut actiones exercere valeat naturæ vires, & ordinem excedentes. Eſtne mare creatura rationalis, aut gratiarum actualium capax? Nihil igitur in hoc Chriſti opere, vel Scripturæ teſtimonio eſt, quod vitioſiſſimam gratiæ definitionem à Sede Apoſtolica jure maximo damnatam valeat excuſare.

9 Altera definitionis labes, nec minùs hæreſim ſapiens eſt, quod è ſerie gratiarum rejiciat omnes, quæ dantur ad honeſtatis ſupernaturalis, & perfectionis opera non præcepta. Unde Queſnellus agnoſcere debet, omnia quæ fiunt ope gratiæ, eſſe à Deo imperata, atque ita conſilia Evangelica mutabuntur in præcepta: vel ad conſilia ſequenda, nulla requiritur, aut datur gratia. Quæ omnia neque cum ſana doctrina, neque cum Fide Catholica cohærêre, orthodoxis omnibus exploratum eſt. Nolim rigidiùs accipere Queſnelli comparationem, nè cenſeatur non aliam relinquere actibus noſtris præceptis, & gratiæ auxilio implendis, libertatem, quàm quæ eſt in rebus, omni ratione, ſenſu, libertate carentibus, in ventis ſcilicet, & marinis fluctibus, qui comminante Domino obmutuerunt, *& facta eſt tranquillitas magna.* Poteratne à Queſnello ſeligi textus Scripturarum minùs idoneus ad colligendam, definiendamque nobis Divinæ gratiæ ideam?

CA-

CAPUT II.

Solvuntur Objectiones.

1 Jeremiæ 18.v.6. *Nunquid ſicut figulus iſte non potero vobis facere domus Iſrael dicit Dominus? Ecce ſicut lutum in manu figuli, ſic & vos in manu mea Domus Iſrael.* Si inter modum, quo lutum flectitur à figulo, & à Deo homo per gratiam diſponitur, ſimilitudo, ſeu comparatio foret omnimoda, damnari non poterat idea gratiæ, quòd *Deus vult ſibi à nobis obediri, & obeditur: imperat & omnia fiunt, loquitur tanquam Dominus, & omnia ſibi ſubmiſſa ſunt.* Verùm ſicut lutum minimè liberum eſt, ſed neceſſitatem patitur, etiam coactionis, nihil ad ſui in omnes formas compoſitionem, mutationemque conferens, nihil cooperans, itane in juſtificatione ſua nihil agit homo; ſed inſtar ſubjecti inanimis ſolummodò patitur? Iſtud eſt, quod ipſi hodie Lutheri, Calvinique aſſeclæ agnoſcere horrent, vel erubeſcunt. Id Janſeniſtarum quoque Legati Natalis de Lalane, Tuſſanus des Mares, Ludovicus de Saint Amour, Nicolaus Maneſſier, Ludovicus Angrau, coram Innocentio X. in libello ſupplice trium columnarum ad propoſitionem ſecundam, declararunt *hæreticum, Calvinianum, Lutheranum, & à Concilio Tridentino damnatum.*

2 Ibidem *ſenſus* inquiunt *hæreticus* eſt: *Interiori gratiæ efficaci in ſtatu naturæ lapſæ eatenus nunquam reſiſtitur, quatenus voluntas hominis reſpectu gratiæ efficacis merè paſſivè ſe habet, & velut inanime quoddam nihil omnino agit, nec cooperatur, nec liberè aſſentitur.* Nimis clara contra errorem tam ſtolidum definitio eſt, & anathema Tridentini ſeſſ. 6. de juſtificatione cap.4. *Si quis dixerit liberum hominis arbitrium, à Deo motum & excitatum, nihil cooperari aſſentiendo Deo excitanti, atque vocanti, quo ad obtinendam juſtificationis gratiam ſe diſponat, ac præparet, neque poſſe diſſentire, ſi velit; ſed velut inanime quoddam, nihil omnino agere, merèque paſſivè ſe habere, anathema ſit.* Evidens itaque eſt, comparationem Dei cum figulo in opere juſtificationis non poſſe ſtatui in omnibus ſimilem, alioqui meritum omne cum libertate excideret.

3 Quapropter, relictâ hominibus actione, & cooperatione, mavult Janſenius cum ſuis, etiam libertatis nomen concedere, modò eum neceſſitate ſimplici componatur: atque hac ratione Deum figulo Novatores comparant, quod ita hominum animos victrice gratiâ moveat, & inflectat, ut in eorum poteſtate non ſit reſiſtere, ut fert quarta Janſenii Propoſitio hæretica: *Semipelagiani admittebant prævenientis gratiæ interioris neceſſitatem ad ſingulos actus, etiam ad initium fidei: & in hoc erant hæretici, quod vellent eam gratiam talem eſſe, cui poſſet humana voluntas reſiſtere, vel obtemperare.* Cujus propoſitionis prior pars hiſtorica falſitatis damnata, poſterior dogmatica cenſuram hæreſeos tulit.

4 Sed improvidæ objectioni non ſupponamus in adverſarii mente ſenſum ſubeſſe tam manifeſtè hæreticum, & damnato 20. articulo deteriorem: accipiamus eam ſenſu ſolummodo, qui ad articuli defenſionem neceſſarius ſit, videlicet quòd ſicut argilla recipit formam, quamcunque figulus ei imprimere voluerit, nunquam ejus voluntati, nuuquam manui, aut motui reſiſtens, ita contendat adverſarius hanc debere eſſe *veram gratiæ ideam, quod Deus vult ſibi à nobis obediri, & obeditur: imperat & omnia fiunt: loquitur tanquam Dominus, & omnia ſibi ſubmiſſa ſunt.* Verùm quis interpres Catholicus talem Divino textui ſenſum adſcripſit? Quis Theologus talem finxit gratiæ ideam, quæ tot repugnat Scripturarum oraculis, tot definitionibus Apoſtolicis, quot ſuperiore capite contra articulum allegavi; &, ſi opus foret, centum aliis Divinorum codicum, & Patrum teſtimoniis poſſent facilè confirmari. Satis ſit hìc monuiſſe, quòd talis idea gratiæ, & ei conformis interpretatio loci Jeremiæ, ſubvertat omnes, quæ tum in veteri Teſtamento, tum in novo ubique obviæ ſunt, querelas de tranſgreſſoribus mandatorum, quæ abſque gratiæ auxilio nequeunt obſervari. Quibuscunque enim gratia adfuit, præcepta adimpleta ſunt, ſi vera ſit Queſnellianæ gratiæ idea; ſi verò gratia defuit, nihil præceptorum iſtiuſmodi faciere miſer tranſgrediens poterat; veniâ proinde, non reprehenſione dignus; quanquam nec venia requiritur, ubi culpa non eſt, quemadmodum eſſe non potuit, ubi peccandi neceſſitas fuerit, non proprii nominis libertas.

5 Quapropter, rejectâ hæreticâ adverſarii interpretatione, agnoſcamus hominis figuli cum Deo per gratiam operante ſimilitudinem in eo, quod Divinus figulus *habeat humanorum cordium, quo placuerit inclinandorum omnipotentiſſimam poteſtatem*, teſte Auguſtino libro de Correptione & gratia cap. 14. qua poteſtate Deus abſque humanæ libertatis læſione utitur, dum, *cujus miſeretur, ſic eum vocat, quomodo ſcit ei congruere, ut vocantem non reſpuat*; quemadmodum Auguſtinus docet lib. 1. ad Simplicianum quæſt.2. Abſque humanæ, inquam, libertatis læſione; nam ut ait S. Doctor lib. de Spiritu, & lit. cap.34. *Profectò & ipſum velle credere Deus operatur in homine, & in omnibus miſericordia ejus prævenit nos; conſentire autem vocationi Dei, vel ab ea*

Digitized by Google

ea diſſentire, ſicut dixi, propriæ voluntatis eſt. Sic Divini figuli in luto rationali operatio, utì cum libertate hominis, ita & cum Fide Catholica optimè convenit. Verùm ſi voluntas hominis, Divinæ miſericordiæ, & vocationi, atque adeò gratiæ ſubinde conſentiat, ſubinde ab ea diſſentiat, teſte Auguſtino; ubi eſt illa gratiæ idea, quæ procul diſſenſum ab omni homine gratiâ prævento arceat?

6 Non plus ſubſidii adverſario eſt in illo Prov.cap.21.v.1. *Sicut diviſiones aquarum, ita cor regis in manu Domini: quocunque voluerit inclinabit illud.* Quomodò enim ex eo, quod Deus poteſtatem habeat inclinandi cor regis quocunque voluerit, ſequitur nova illa gratiæ idea, quod cuicunque gratia obtigerit, ſemper efficiat, quod ſuadetur? Cor regis indubiè in manu Domini eſt, ut quandocunque & quocunque abſolute, & efficaciter voluerit, illud inflectat, ſed non inflectit ſemper quocunque vult inefficaciter, & ſub conditione ſi homo voluerit conſentire. Talem voluntatem ſæpiſſimè effectibus fruſtratam legimus ubicunque Deus conqueritur de tranſgreſſionibus mandatorum, de obſtinatis, qui converti ad pœnitentiam nolunt, & monita ejus ſalutifera aſpernantur, ſaluti interitum præferentes. Tam Pharao, quàm Nabuchodonoſor rex erat: in manu Domini cor utriuſque ſinè diſcrimine: uterque gratiâ præventus; ſed non uterque profecit: ſolus Nabuchodonoſor Deo monenti, imperanti obediit, alter gratiam repulit, contempſit monita, imperia, minas, flagella pertinax proculcavit. De quibus ſic habetur cap. Nabuchodonosor 23. q. 4. *Nabuchodonoſor pœnitentiam meruit fructuoſam; Pharao autem* minimè. *Quantùm ad naturam ambo homines erant, quantùm ad dignitatem ambo Reges, quantùm ad cauſam ambo populum Dei poſſidentes, quantùm ad pœnam ambo flagellis clementer admoniti. Quid ergo fines eorum fecit eſſe diverſos, niſi quod unus manum Dei ſentiens, in recordatione propriæ iniquitatis ingemuit: alter libero contra Dei miſericordiſſimam veritatem pugnavit arbitrio?* Quæ ſententia Auguſtino à pluribus tributa, cujuſcunque veteris primùm fuerit, dein in jus commune relata, communi firmatur authoritate. Gratia igitur Pharaoni non omnino defuit, alioqui fruſtrà tam longo examine inquireretur in cauſam, quæ fines eorum fecerit eſſe diverſos; cùm breviſſima quæſtionem diremiſſet reſponſio, Nabuchodonoſori conceſſum gratiæ auxilium, non Pharaoni, ſinè quo in recordatione propriæ iniquitatis ingemiſcere, ut Nabuchodonoſor, nequaquam potuit. Immeritò quoque diceretur, *ambo flagellis clementer admoniti*; ſi præter flagella nihil auxilii conceſſum Pharaoni fuerit, quo potuerit converti. Flagella ſinè gratia punitionem continent, non denotant *clementiam*, & *miſericordiſſimam veritatem*, præſertim apud adverſarium, juxta quem articulo 5. *Quando Deus non emollit cor per interiorem unctionem gratiæ ſuæ; exhortationes, & gratiæ exteriores non inſerviunt, niſi ad illud magìs obdurandum.*

7 Similis hìc ferè occurrit quæſtio Auguſtini ex l.12. de civitate cap.6. *Si duo æqualiter affecti animo, & corpore videant unius corporis pulchritudinem .... &, ſi eadem tentatione pulſentur, & unus ei cedat, atque conſentiat; alter idem, qui fuerat, perſeveret; quid aliud apparet, niſi unum voluiſſe, alterum noluiſſe à caſtitate deficere? Unde niſi propriâ voluntate, ubi eadem fuerat in utroque corporis, & animi affectio?* Hæc ſanè inepta fuiſſet Auguſtini diſquiſitio, ſi ſupponeret, eum, qui cecidit, nullo fuiſſe præventum adjutorio, quo ſtare poſſet, tum quia is *æqualiter affectus animo* dicitur, & *eadem* in ipſo *animi affectio*, quæ in perſeverante reperitur, tum quia lapſus ejus excuſabilis videretur, dum tentationi concupiſcentiæ cederet, cui ſinè gratia reſiſtere, præſertim juxta adverſarios minimè potuiſſet. Rectè Auguſtinus lib. de natura, & gratiâ cap.67. *Quacunque iſta cauſa eſt voluntatis; ſi non poteſt ei reſiſti, ſinè peccato ei ceditur .... An tanta fallacia eſt, ut caveri omnino non poſſit? Si ita eſt, nulla ergo peccata ſunt; quis enim peccat in eo, quod caveri nullo modo poteſt? Peccatur autem; caveri igitur poteſt .... Sive ergo immineat* (tentatio) *ſive inſit, caveri poteſt* peccatum, tentatio ſuperari. Neceſſe itaque eſt, in utroque caſu agnoſcere aliquam, ſaltèm oblatam Pharaoni, & alteri tentatione concupiſcentiæ lapſo gratiam, qua Dei juſſibus obtemperare, & à peccato abſtinêre potuerint. De Auguſtini mente ampliùs diſſerendi, expeditis Scripturæ difficultatibus, mox ſuppeditabitur occaſio. Hìc oſtendere ſuffecerit, quàm frivolum adverſarii argumentum ſit, dum ex allegato ſuperiùs Proverbiorum textu tam exoticam, & minimè Catholicam colligere voluit ideam gratiæ.

8 Quis enim ex ſupremo Numinis in cor Regis, & cujuſcunque hominis dominio, ex poteſtate illud flectendi quocunque voluerit, negandum cenſeat omne auxilium ſufficiens? Imò ex ſupremo illo dominio, & omnipotentiâ ſtatuendum eſt, quod, ſicut nullum opus reperias tam arduum, quod ab homine Deus obtinêre, illæsâ ejus libertate, nequeat, ope auxiliorum quæ voluntatibus hominum, quocunque voluerit, inclinandis præviderit convenire; ita neque negari Deo,

niſi

niſi deſtructâ ejus omnipotentiâ, & ſapientiâ debeat modus, quo nos ita movere poſſit ad virtutem, ut poteſtatem nobis conferat obſequendi, reſiſtendique, qualem in Adamo ante lapſum, & Angelis viatoribus omnes, etiam adverſarii, profitentur. An verum tunc non fuit, *Cor Adami in manu Domini eſſe*, ut *illud quocunque voluerit inclinaret*? Numquid ita in manu Domini fuêre Angelorum omnium voluntates? Et tamen, fatentibus omnibus, etiam Janſenio, auxilia gratiæ *ſufficientiſſima* quidem, non autem, ut eventus docuit, efficacia habuêre Adam, & Angeli Divino imperio rebelles. Ex ſupremo igitur illo Dei in cor Regis, & mortalium omnium dominio, atque inflectendi illud omnipotentiſſimâ poteſtate nullo modo ſequitur illa gratiæ idea, ſeu definitio, quâ è gratiarum numero ſufficiens eliminatur.

9 Non magis definitioni damnatæ favet quod objicitur ex Pſalmo 118. verſ. 36. *Inclina cor meum in teſtimonia tua, & non in avaritiam*: ubi quidem gratia efficax petitur, ut meritò petuntur optima; ſed quis ſapiens indè conficiat, nullas unquam dari gratias ordinis inferioris, nulla auxilia merè ſufficientia?

10 Reſpondent adverſarii cum Magiſtro ſuo Janſenio, gratiam, quæ ſufficiens vocatur, non eſſe gratiam, ſed ſingulare monſtrum appellatione tam honorificâ indignum. Sic Janſenius lib. 3. de Gratia Chriſti cap. 2. *Illud à recentioribus prolatum gratiæ ſufficientis genus... Si eſt verum, diſtinctumque à gratia efficace membrum, videtur monſtrum quoddam ſingulare gratiæ, ſolummodo peccatis faciendis, majorique damnationi accerſendæ ſerviens*. Ibid. *Hoc ipſo quippe unuſquiſque damnabilior eſt, quo magis ſufficiente gratiâ abundavit*. Ex hac Magiſtri ſui adversùs ſufficientem gratiam calumniâ proficiens Joannes Sinnichius in theſibus anni 1649. 16. Octob. Lovanii defenſis ajebat: *Gratia ſufficiens ſtatui noſtro non tam utilis, quàm pernicioſa eſt, ut proinde meritò poſſimus petere: A gratia ſufficienti libera nos Domine*. Quæ quidem aſſertio ab Alexandro VIII. inter Propoſitiones 31. damnata eſt; ſed non deſinit eadem ſatyra, & plures iſtiuſmodi, ad captandum apud imperitos plauſum à malevolis, quotidie, non minùs ſtolidè, quàm ſcurriliter jactari. Quid enim ſi Rex exercitum non minùs validum, quàm copioſum, omni armorum genere, & commeatu bellico inſtructiſſimum in hoſtes mittat; ſed is cum Ducibus non ſolùm ignaviâ torpeat; verùm & rebellione in Regem conſpiret, ſeque turpiore proditione in hoſtium transferat poteſtatem? Num rebelles, & proditores illi, ſeu Duces, ſeu milites facinus ſuum purgarent, cauſando, ſe quidem mediis ſufficientibus, ſed non efficientibus inſtructos fuiſſe, ſive, ut aliis ſcholæ terminis apud Auguſtini diſcipulos frequentioribus utamur, habuiſſe ſe *auxilium ſinè quo non* poſſent vincere, ſed non habuiſſe *auxilium quo* vincerent? In promptu contra eos reſponſio eſt, potuiſſe eos vel *auxilium ſinè quo non* in *auxilium quo* convertere; vel, ſi quid ulterius requirerent, theſauros Regios patuiſſe, unde potentiora non defuiſſent ſubſidia. Etſi igitur veriſſimum ſit, auxilia, quæ ſupponuntur eſſe merè ſufficientia, nunquam efficere id, ad quod conceduntur, atque, ſi denegata fuiſſent, defectum operis non imputandum; non tamen abſentia *auxilii quo* detergit ignaviæ, vel rebellionis culpam, quia illud oblatum fuit, & in delinquentium, ſi petiiſſent, fuerat poteſtate.

11 Sed neque vident, aut videre ſe diſſimulant adverſarii, quam gratiæ ſufficienti in in ſtatu naturæ lapſæ infligunt contumeliam, eamdem retorqueri in ſufficientiſſimum naturæ integræ auxilium, quod Adamo, & Angelis cadentibus non defuit; quia ſinè illo rebellio ipſis crimini non verteretur, quamvis cum eo, quod merè ſufficiens ſupponitur, nunquam homo quidpiam, vel Angelus efficiat.

12 Denique ex Scripturis Conſtitutioni opponitur illud de Abrahamo Rom. 4. v. 20. & 21. *In repromiſſione etiam Dei non hæſitavit diffidentiâ: ſed confortatus eſt fide dans gloriam Deo, pleniſſimè ſciens, quia quæcunque promiſit, potens eſt & facere*.

13 Ex qua Apoſtoli ſententiâ rectè deduxeris, Deum, quæcunque etiam cæteris ſubinde promittit mortalibus, *potentem eſſe & facere*. Juxta illud S. Fulgentii ad Monimum: *Ideo in Dei promiſſis nulla eſt falſitas, quia in faciendis nulla eſt difficultas*. Neque ſolummodo potentem Deum credidit Abraham; ſed vel maximè in exequendis promiſſionibus fidelem; in quo utroque Numinis attributo Fides certa ſperantium fundatur. Verùm hinc minimè ſequitur idea gratiæ in damnato Articulo propoſita; ſed ſubvertitur. Non enim promiſit Deus fore ut ejus ſemper obediamus imperio, atque adeò efficaci ſemper gratia præveniamur, in hoc juxta Articulum 20. citâ, *Quod Deus à nobis vult ſibi obediri, & obeditur: imperat & omnia fiunt: loquitur tanquam Dominus, & omnia ei ſubmiſſa ſunt*. Sed talia nobis pollicitus eſt gratiæ ſubſidia, quibus mandata implere, & tentationibus reſiſtere valeamus. Sic 1. Corinth. 10. verſ. 13. teſtatur Apoſtolus: *Fidelis*

Google

Deus, qui non patietur vos tentari ſupra id quod poteſtis. Quamvis enim, ut notant Chryſoſtomus, & Anſelmus, tam vehemens poſſet eſſe tentatio, ut non eſſemus pares reſiſtendo ſinè gratia; hanc tamen Deus in neceſſitate nemini denegat poſtulanti. Sic Tridentinum ſeſſ. 6. cap. 11. *Deus impoſſibilia non jubet, ſed jubendo monet, & facere quod poſſis, & petere quod non poſſis, & adjuvat ut poſſis.* Doctor Angelicus in Epiſtolam 1. Corinth. cap. 1. lectione 1. *Non videretur eſſe fidelis Deus, ſi nos vocaret ad ſocietatem Filii, & nobis denegaret quantum in ipſo eſt, ea per quæ pervenire ad eum poſſemus.* Ea ſunt auxilia ſufficientia, non ſemper efficacia; cùm conſtet plurimos ad SocietatemFilii vocatos, ad qnam, obſiſtente ſua malitia, non perveniunt. Ex potentia itaque, & fidelitate Dei in præſtandis quæcunque pollicetur, ideam gratiæ ab adverſariis confictam, & proſcriptam in præſenti Articulo, de manifeſta convincimus falſitate.

14 Inſtabis: poſtquam Apoſtolus loco cit. aſſeruit, *Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari ſupra id quod poteſtis*, mox addit: *Sed faciet etiam cum tentatione proventum, ut poſſitis ſuſtinere*, etiam deinceps; ex pugna nempe & victoria, ut generoſi, & exercitati milites, redduntur ad graviora certamina robuſtiores. Promittitur itaque non gratia ſufficiens, ſed efficax, quæ ſola *facit cum tentatione proventum*. Reſpondeo ſubintelligendam neceſſariò conditionem, ſi volueritis, ut poteſtis, reſiſtere tentationi; plurimos enim, etiam Chriſtianorum non facere cum tentatione proventum; ſed ei ſocordiâ ſuâ ſuccumbere, ac perire, certiſſimum eſt. De his Gregorius Magnus lib. 33. Moralium cap. 20. ait: *Idcirco nequaquam cœleſtis gratiæ præmia æterna percipiunt; quia ea nunc, dum promereri poterant*, ſufficientibus inſtructi auxiliis, *ex libero arbitrio contempſerunt*. Conformis eſt Patrum omnium ſententia, inter quos ſaluberrimè monet S. Bernardus Sermone 5. de quadrageſima: *In nobis eſt, ſi vinci nolumus: & nemo veſtrûm in hoc certamine dejicitur invitus. Sub te ò homo appetitus tuus eſt, & tu dominaberis illius. Poteſt inimicus excitare tentationis motum; ſed in te eſt, ſi volueris dare, vel negare conſenſum: in tua facultate eſt, ſi volueris, inimicum tuum facere ſervum tuum, ut omnia tibi cooperentur in bonum.* Innumeri tamen, in quorum id poteſtate eſt, ſe inimico dedunt, ut fiant concupiſcentiæ ac dæmonis mancipia. Non igitur omni fuêre gratiâ deſtituti; ſed neque ea adjuti, cujus idea Propoſitione 20. deſcribitur, quâ *Deus vult ſibi à nobis obediri, & obeditur: imperat, & omnia fiunt: loquitur tanquam Dominus, & omnia ſibi ſubmiſſa ſunt.* Unde Lector iterum Janſeniani argumenti acumen conſidera: *Abraham in repromiſſione Dei non hæſitavit diffidentiâ; ſed confortatus eſt Fide, dans gloriam Deo, pleniſſimè ſciens, quia quæcunque promiſit, potens eſt & facere.* Ergo nulli unquam, etiam reprobo dat gratiam Deus ſufficientem; ſed ſemper efficacem; cùm vera gratiæ idea, ſeu definitio ſit, quam Articulus proſcriptus exhibet.

CAPUT III.

Auguſtinus damnatæ Propoſitioni minimè patrocinatur.

1 Non plus connexionis cum Articulo habet quod objicitur ex Auguſtino in Epiſtola ad Rom. cap. 14. verſ. 4. quem textum expoſui in ſolutione eorum, quæ pro præcedente Articulo adverſarius attulit. Neque præſentem Articulum roborat, quod Auguſtinus ait libro de Dono perſeverantiæ cap. 8. *Voluntate ſua cadit, qui cadit; & voluntate Dei ſtat, qui ſtat: potens eſt enim Deus ſtatuere illum; non ergo ipſe ſe ipſum, ſed Deus.* Nam quin voluntate ſua cadat, quicunque cadit, nemo revocat in dubium: neque quin voluntate Dei ſtet, quicunque ſtat. Sed nondum hîc video mirabilem illam gratiæ ideam, qua omne ſufficiens auxilium negatur, vel excluditur numero gratiarum. Potens eſt Deus hominem lapſum erigere; neque ſe ipſum lapſus reſtituit; ſed Deus; non quaſi reſtitutioni ſuæ non cooperetur liberum hominis arbitrium; ſed quia illud ſinè gratiâ in ſupernaturalibus nihil poteſt, & quia converſionis cauſa prima, ac longè præcipua eſt Deus; ideo laus Deo tribuitur potiùs, quàm homini. Quod autem etiam nos *ſtatuamus* aliquo modo nos ipſos per conſenſum liberum, & cooperationem cum gratiâ, ſemper Eccleſiæ Doctrina fuit, ſolis refragantibus hæreticis.

2 Sic Auguſtinus de verbis Apoſtoli Serm. 13. *Non adjutor eſt ille Deus, ſi nihil agis; non cooperator eſt, ſi nihil operamini.* Ibidem, *Si non eſſes operator, ille non eſſet cooperator.* Idem de gratia & libero arbitrio cap. 17. *Cooperando* (Deus in nobis) *perficit, quod operando incipit; quia ipſe, ut velimus operatur incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens.* Quid autem magis didacticum, quàm illud Auguſtini libro de Spiritu & litera cap. 34. *Viſorum ſuaſionibus agit Deus ut velimus, & ut credamus, ſive extrinſecùs per Euangelicas exhortationes, ſive intrinſecùs* per interiorem

gra-

gratiam, *ubi nemo habet in poteſtate quid ei veniat in mentem; ſed conſentire, vel diſſentire propriæ voluntatis eſt. Profectò & ipſum velle credere Deus operatur in homine, & in omnibus miſericordia ejus prævenit nos; conſentire autem vocationi Dei, vel ab ea diſſentire, ſicut dixi, propriæ voluntatis eſt.* Quantumcunque in explicandis gratiæ efficacis viribus Theologi inter ſe diſſentiant, in hoc tamen omnes Catholici contra hæreticos Lutheranos, Calviniſtas, Janſenianos, conveniunt, quòd præter efficacem gratiam admittenda ſit aliqua ſufficiens. Quapropter idea illa, ſeu definitio gratiæ, inefficacem omnem, & ſufficientem penitùs excludens, placere nemini poteſt, niſi quem novitatis ſpiritus in hæreſeos barathrum egerit præcipitem.

3 Eadem reſponſio ſubruit argumentum, quod objicitur ex libro 1. Auguſtini ad Bonifacium cap. 20. *Deus cor Regis* (Aſſueri) *occultiſſimâ, & efficaciſſimâ poteſtate convertit, & tranſtulit ab indignatione ad lenitatem, hoc eſt de voluntate lædendi ad voluntatem favendi . . . . Nunquid homines Dei, qui hæc ſcripſerunt, imò ipſe Spiritus Dei quo Authore per eos iſta conſcripta ſunt, oppugnavit liberum arbitrium? Abſit; ſed Omnipotentis in omnibus & judicium juſtiſſimum, & auxilium Dei miſericordiſſimum commendavit.* Efficaciſſima inclinandi animos poteſtas, quæ in Deo eſt, & in converſione Aſſueri ad lenitatem, Sauli ad Fidem; Magdalenæ, Petri, Latronis ad pœnitentiam mirificè eluxit, non deſtruit liberum hominis arbitrium; quem enim Deus ſecundùm propoſitum vocat, ut ſupra ex Auguſtino lib. 1. ad Simplic. quæſt. 2. didicimus, *Sic eum vocat, quomodo ſcit ei congruere, ut vocantem non reſpuat.* Verùm qualiſcunque efficax, & *efficaciſſima* vocatio ſit, ſemper inconcuſſum manet illud Hipponenſis iteratâ aſſertione inculcatum libro de Spiritu & literâ cap. 34. *Miſericordia* quidem Dei *prævenit nos; conſentire autem vocationi Dei, vel ab ea diſſentire propriæ voluntatis eſt.* Sed neque gratia, quæ aliquando datur *efficaciſſima*, excludit alias minoris roboris, hominibus aliis, & in aliis circumſtantiis datas; ſpiritus enim ubi vult, & quomodo vult, ſpirat.

4 Cur autem Deus alios ſic, alios aliter vocet, reſpondet Auguſtinus lib. de Spiritu & litera cap. 34. *Jam ſi ad illam profunditatem ſcrutandam, quiſquam nos coarctet, cur illi ita* (per gratiam) *ſuadeatur, ut perſuadeatur; iſti autem non ita, duo ſola occurrunt interim, quæ mihi reſpondere placeat cum Apoſtolo Paulo, O altitudo divitiarum! Et, Nunquid iniquitas apud Deum? Cui reſponſio iſta diſplicet, quærat doctiores; ſed caveat nè inveniat præſumptores.* Vel hinc Lector perſpicit, non omnem gratiam eſſe, qualis in caſu Aſſueri memoratur, efficaciſſimam, non omnem perſuadere, quod ſuadet; unde graviſſimis meritò perſtringi potuit cenſuris ea gratiæ definitio, qua omnis inefficax, & ſufficiens exulat, ad ſtabiliendam ſecundam Janſenii Hæreſim, quâ omnis à ſtatu naturæ lapſæ arcetur interior gratia, cui aliquando reſiſtitur.

5 Succedit nova objectio ex Auguſtini Epiſtola ad Vitalem Carthaginenſem, in qua citantur varia Scripturæ teſtimonia, quibus Dei gratia prædicatur: *Et multa*, inquit, *hujuſmodi, quibus commendatur vera Dei gratia, hoc eſt, quæ non ſecundùm merita noſtra datur, ſed dat merita ipſa cùm datur*, quia prævenit *hominis voluntatem bonam, nec eam cujuſquam invenit in corde, ſed facit.* Unde videtur contendere adverſarius, quòd, quotieſcunque vera Chriſti gratia datur, operetur in nobis merita, atque adeò efficacem eſſe. Prænotandum autem Epiſtolæ argumentum: Auguſtinus Vitali Carthaginenſi delato, quòd doceret non orandum pro incredulis; ſed tantùm illis impertiendam doctrinam, proponit duodecim regulas, minitans, ni deſinat obſtrepere precibus ab Eccleſia fieri ſolitis, ſe cenſuris Eccleſiaſticis contra eum acturum. Vitali itaque ſcribit S. Epiſcopus Veluti Pelagiano, non aliam agnoſcenti gratiam, quàm liberum arbitrium gratis à Deo inditum, & legem atque Doctrinam, in qua continentur etiam exempla, quæ nobis ad merendam ulteriorem Dei gratiam, & gloriam ſufficerent.

6 Docet eum Auguſtinus, agnoſcendam etiam interiorem, quæ ſit bona ſpiritus Sancti inſpiratio, quam Eccleſia precibus a Deo petit, & ſinè qua nullum ſit opus ſalutiferum. Ipſa, inquit, non meritis noſtris ſinè gratia elicitis tribuitur; ſed ipſa omne meritum operatur. Non ergo ſcopus epiſtolæ eſt probare, quod ubicunque eſt gratia, ibi ſemper ſit meritum; ſed quòd nullum ſit meritum ſinè præveniente, & operante gratia. Patet iſtud ex controverſia Pelagianos inter & Catholicos: inter quos nunquam diſceptatum legitur, num gratia ſinè meritò eſſe non poſſet; ſed an meritum ſinè gratia. Nè adverſarii quidem noſtri cum Janſenio admittunt, omni gratia ſemper meritum inferri, juxta quos operatio gratiæ ſubinde ſuſpenditur; imò penitùs impeditur, occurrente ardentiore concupiſcentiæ, quàm cœleſtis gratiæ delectatione.

7 Sic enim Janſenius lib. 8. de Gratia Chriſti cap. 2. *Prædeterminatio talis eſſe dicitur,*

tur, ut in quibuſcunque circumſtantiis voluntas collocetur, ſemper faciat facere, & operetur effectum ſuum, omnemque ſuperet reſiſtentiam: Chriſti adjutorium nullo modo. Nam delectatio victrix, quæ Auguſtino efficax adjutorium eſt, relativa eſt; tunc enim eſt victrix, quando alteram ſuperat. Quod ſi contingat, alteram ardentiorem eſſe, in ſolis inefficacibus deſideriis hærebit animus, nec efficaciter unquam volet, quod volendum eſt. Et lib. 2. de Gratia Salvatoris cap. 27. ait, *Multos Divinitus mente colluſtrari; imo verò & in ipſa voluntate motibus Divinæ gratiæ percelli, qui tamen ab ejus internâ ſuaſione, & inclinatione diſſentiunt*. Ita Janſenius. Ex plurimis quoque Auguſtini teſtimoniis, quæ contra varios articulos ſufficienti gratiæ inimicos ſuperiùs adduxi, certiſſimum eſt, non omnem, eo judice, gratiam meritum operari. Sic lib. 1. contra Manichæos cap. 3. S. Doctor dicit, *Omnes ad Dei ſe præcepta convertere poſſe ſi velint; quia illud lumen omnem hominem illuminat venientem in hunc mundum*. Et lib. 1. Retractationum capit. 10. *quod dixi .... quod omnes poſſunt ſi velint, non exiſtiment novi hæretici Pelagiani ſecundùm eos eſſe dictum. Verum eſt enim, omnes homines hoc poſſe ſi velint; ſed præparatur voluntas à Domino, & tantùm augetur munere charitatis ut poſſint*. Ubi habemus, omnes homines poſſe ſe ad implenda mandata convertere ſi velint, quia Deus illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum: & præparari voluntatem à Domino per gratiam ut poſſint. Non tamen omnes ad ea implenda ſe convertunt. Gratia igitur, quæ eos illuminat, & voluntatem præparat, non efficit ſemper meritum.

8 Juxta lib. 2. de Sermone Domini in monte cap. 9. *Nulla eſt anima quamvis perverſa, quæ tamen ullo modo ratiocinari poteſt, in cujus conſcientia non loquatur Deus*; per gratiam utique, etſi quædam animæ perverſæ ex ea intetnaNuminis locutione non proficiant, nihil acquirant meriti. Libro de duabus animabus contra Manichæos cap. 4. *Pænitendi affectio illa, quæ prodit malè feciſſe pænitentem, & bene facere potuiſſe teſtatur*: adeôque gratiam ei non defuiſſe, dum malè fecit, & demeritus eſt. In Pſalm. 102. omnibus & ſingulis rationis capacibus denunciat, *quid te beatius, quàm ut tanquam in manu tua, ſic habeas in voluntate ſanitatem tuam*! Sed non ſinè gratiâ, quâ plurimos non uti, non mereri, exploratiſſimum eſt.

9 Serm. 351. aliàs ultimâ inter 50. homilias *Cur ergo ignoras, quia patientia Dei ad pænitentiam te adducit? Qui enim clamando non tibi perſuaſit, ut non recederes, parcendo clamat, ut redeas*. Peccator ſcilicet pervicax hanc Dei erga ſe miſericordiam ignorare volens, non impendit eam ad pœnitentiam, ſed demeritum ſibi amplius pro merito comparat, donum gratiæ abjiciens.

10 In Pſalmum 35. ad illud DIXIT INJUSTUS UT DELINQUAT IN SEMETIPSO, NON EST TIMOR DEI ANTE OCULOS EJUS: *non unum hominem; ſed genus hominum iniquorum dicit, qui ſibi adverſantur, non intelligendo, ut bene vivant; non quia non poſſunt, ſed quia nolunt*; Gratiâ ſinè dubio præventi, nè Auguſtinus cenſeatur Pelagianus, qui eos poſſe ſinè gratia bene vivere docuiſſet.

11 Lib. 2. de peccatorum meritis cap. 17. *Cùm voluntate humana, gratiâ adjuvante Divinâ, ſinè peccato homines in hac vita poſſint eſſe; cur non ſint, poſſem facillimè, & veraciſſimè reſpondere, quia homines nolunt*. Ecce potuiſſe homines, gratiâ adjuvante Divinâ, à peccato abſtinere, non tamen abſtinuiſſe: unde funditus corruit damnata gratiæ idea, *quod Deus vult ſibi à nobis obediri, & obeditur: imperat, & omnia fiunt: loquitur tanquam Dominus, & omnia ſibi ſubmiſſa ſunt*. Abſtineo à cumulandis, & repetendis pluribus, quæ contra præſentem, & ſimiles errores ex eodem Hipponenſi Antiſtite ſuperiùs allegavi.

12 Ultimum, quod adverſarius ex Auguſtino depromit, eſt illud lib. 1. de gratia Chriſti cap. 10. *Nos eam gratiam volumus, iſte* (Pelagius) *aliquando fateatur, quæ futuræ gloriæ magnitudo, non ſolùm promittitur; ſed etiam creditur, & ſperatur? Nec ſolùm revelatur ſapientia, verùm etiam & amatur: nec ſuadetur ſolùm omne quod bonum eſt; verùm & perſuadetur, ... Hanc debet Pelagius gratiam confiteri, ſi vult non ſolùm vocari, verùm etiam eſſe Chriſtianus*. Ergo admittenda eſt gratia efficax.

13 Sed quid tum? An ptopterea excludenda eſt gratia omnis inefficax, & ſufficiens, quam tanta Scripturarum, Conciliorum, Pontificum, Patrum, Scholaſticorum confirmat authoritas? Pelagius liberum arbitrium, & potentiam bene agendi agnoſcebat ex Deo eſſe, atque hanc ad fallendos Catholicos vocabat gratiam, utpote à Deo nullis noſtris præcedentibus meritis acceptam. Hac autem ſuppoſitâ, quidquid de cætero operis ſalutiferi eſt, ſolis naturæ viribus ajebat tribuendum. Contra contendit Auguſtinus ex precibus Eccleſiæ, quibus non liberum arbitrium, utpote in creatione acceptum, petitur, atque adeò non boni poſſibilitas, quæ juxta Pelagium ipſa natura eſt; Sed gratiam peti naturæ viribus ſuperiorem, qua fides,

& cha-

& charitas per ſpiritum Sanctum in cordibus noſtris diffunditur. Ex hac operantis gratiæ neceſſitate conficiunt Janſeniſtæ, arte omnibus hæreticis familiari, ſolam gratiam operantem, rejectâ omni inefficaci, & ſufficiente, Catholicam eſſe, & ab Orthodoxis omnibus admittendam. Conficiunt id, inquam, arte omnibus hæreticis familiari, quæ eſt, ex aſſertione unius inferre excluſionem alterius.

14 Ita Calvinus ex eo quod Apoſtolus in epiſtola ad Romanos cap. VIII. de prædeſtinatis agens dixerit v. 30., *Quos autem juſtificavit, illos & glorificavit*, ſtatim colligit, ſolos glorificandos juſtificari; ſed non attendit, immediatè præcedere, *quos vocavit, hos & juſtificavit*, unde ſequeretur, ſolos vocari juſtificandos, ideoque juxta Calvinum ſolos vocari ſalvandos, oppoſitum teſtante Chriſto, *multos eſſe vocatos; paucos verò electos*. Sic pariter Lutherus legens *juſtum ex fide vivere*, ſtatim ſubjunxit ex *ſolâ*, quaſi juſtus ex ſolâ fide, & non etiam ex operibus juſtitiam obtineat, & ſalutem: Quam hæreſim multis ante Lutherum ſæculis tradidit Aëtius, & hujus diſcipulus Eunomius. Macedonius ex Symbolo acceperat Deum Patrem omnipotentem, & ex Joannis Euangelio Verbum eſſe Deum: hinc Divinitatem abſtulit Spiritui Sancto. Photinus audiens Chriſtum aſſeri *filium hominis*, ſolummodo hominis filium eſſe juſſit, & ſolum hominem, non Deum. In eamdem hæreſim diu ante lapſus fuerat Paulus Samoſatenus Epiſcopus, & ante hunc Cerinthus cum ſuo Ebione Diſcipulo. Arius ex Symbolo didicit Deum Patrem omnipotentem; Filium memorari non expreſſo divinitatis nomine: hoc ſatis ei fuit, ut ſolum Patrem, non autem filium Divinitate præditum aſſereret. Simili fallacia incautis imponunt ſpurii hoc tempore Auguſtiniani, dum ex quibuſdam Antiſtitis hujus de victrici gratia locutionibus nullam, præter victricem, in Theologia ſuſtinent; inefficacem, & ſufficientem procul ad ſtatum naturæ integræ ablegantes.

Vigeſimaprima Propoſitio damnata.

Gratia Jesu Chriſti eſt gratia fortis, potens, ſuprema, invincibilis, utpote quæ eſt operatio voluntatis Omnipotentis, ſequela, & imitatio operationis Dei incarnantis, & reſuſcitantis Filium ſuum. *Obſerv. Moral. 2. Corinth. 5. v. 21.*

CAPUT I.

Eadem recurrit hæreſis, iterumque confoditur.

1 PRopositio iterum dogmatica, & illimitata penès omnes hunc ſenſum ingerit univerſalem: Omnis *gratia* Jesu *Chriſti eſt gratia fortis, ſuprema, invincibilis; utpote quæ eſt operatio voluntatis omnipotentis, ſequela & imitatio operationis Dei incarnantis, & reſuſcitantis Filium ſuum*. Quod autem Deus non cenſeat, omnem ſuam gratiam eſſe *invincibilem*, ſatìs perſpicuum fecimus ſuperiùs tot Scripturarum textibus ex Teſtamento tum novo, tum veteri allegatis, ut nihil dicam de aliis argumentis Theologicis ex Traditione, & Pontificum definitionibus, quibus convellitur error in tot damnatis Propoſitionibus variâ figurarum, & phraſium mutatione ſubdolè obtruſus. Si omnis gratia *invincibilis* eſſet, exhortari non debuiſſet Apoſtolus Corinthios Epiſt. 2. cap. 6. v. 1. *Nè in vacuum gratiam Dei reciperent*: falſus fuiſſet S. Stephanus, & alios fefelliſſet art. 7. verſ. 5. Judæos accuſans quòd *ſemper ſpiritui Sancto reſiſterent*; Nec minùs errasſet Apoſtolus ad Rom. 2. v. 5. impœnitentem ſic redarguens, *Benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit, tu autem ſecundùm duritiam tuam, & impœnitens cor theſaurizas tibi iram in die iræ*. Benignitas enim Dei ad pœnitentiam non adducit abſque gratia. Si igitur omnis gratia eſſet *ſuprema, invincibilis &c.* omnis, qui per eam ad pœnitentiam adducitur, pœnitentiam certò ageret, & ſic nullus à Deo gratiâ donatus cordis duritiam reti-

retineret, aut impœnitentiam: nullus, præſente gratia,theſaurizaret ſibi iram in die iræ.

2 Juxta Queſnelli articulum erraſſet Chriſtus Matth.20.v.16.dicens:*Multi ſunt vocati, pauci verò electi*; nam, ut rectè notat S. Auguſtinus lib.84. quæſtionum quæſt. 68. *Nec illi, qui noluerunt venire, debent alteri tribuere, ſed tantùm ſibi; quoniam ut venirent, vocati erant in libera voluntate*. Arqui ut venirent, non erat in libera voluntate ſinè gratiâ. Ergo ſi omnis gratia ſit *ſuprema*, & *invincibilis*, quicunque vocati ſunt, indubiè venerunt, ſicque omnes vocati juxta Queſnelli articulum ſunt electi. In eadem ſententia decepiſſet Chriſtus Hieroſolymam, quando ei dicit Matth.23.v.37. *Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos ſuos ſub alas, & noluiſti*! Minimè rationi conſona fuiſſet querela Chriſti, ſi filiis Jeruſalem negaſſet gratiam, qua eum ſequi poſſent, & ſe jungere invitanti. Si verò eam Chriſtus gratiam conceſſit, venire ad ipſum invictiſſimè voluerunt, & re ipſa venerunt, Queſnello docente, omnem Jesu Chriſti gratiam eſſe *ſupremam*, & *invincibilem*.

3 Credamus nos potiùs Chriſto inculcanti toties oppoſitum, credamus & ſupremo ejus in terris Vicario Queſnellianum Articulum condemnanti. Clementi XI. prælnxere Innocentius X., & Alexander VII. proſcribentes ſecundam Janſenii hæreſim, *Interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ nunquam reſiſtitur*, & quartam, *Prævenienti gratiæ interiori .... non poteſt humana voluntas reſiſtere*. Evidens eſt reſiſti nunquam, nec poſſe reſiſti gratiæ *ſupremæ*, & *invincibili*; cùm eſſe invincibilem,&talem, cui reſiſti nequeat, ſynonyma ſint. Sed quomodo tunc merebimur? Non enim mereri poſſumus ſinè gratia. Si igitur omnis ſit invincibilis, cui reſiſtere voluntas non valeat, ejus ductum ſequimur neceſſariò; atque ita in ſtatu naturæ lapſæ, vel mereri non poſſumus, quod Calvinianum, & Lutheranum eſt, vel merebimur abſque libertate à neceſſitate, liberi ſolummodo à coactione, quod Janſenianum, & in tertia ejus propoſitione hæreſeos damnatum eſt. In eadem Queſnelli hypotheſi ſequitur, omnia præcepta, ad quorum obſervationem requiritur gratia, obſervatu eſſe impoſſibilia omnibus, etiam juſtis ea tranſgredientibus: deeſt enim illis gratia *ſuprema*, & *invincibilis* ut patet, neque alia juxta Queſnellum in hoc ſtatu conceditur. *Deeſt* itaque illis *gratia*, *quâ poſſibilia fiant*. Quæ eſt hæreſis damnata in prima Propoſitione Janſenii.

4 Dices,in Janſeniano Articulo exprimi quòd *aliqua Dei præcepta hominibus juſtis volentibus, & conantibus ſecundùm præſentes quas habent vires, ſunt impoſſibilia*. Sed id conſectario noſtro minimè obeſt;quia vel volunt, & conantur efficaciter, vel inefficaciter tantùm. Si prius,ſunt extra caſum; quia volitio efficax, conatus efficax eſt ipſa præcepti obſervatio, vel ab ea inſeparabilis, ut omnes fatentur. Si poſterius ſupponitur, defuit illis gratia, qua velle, & conari poſſent efficaciter. Si enim adfuiſſet eis gratia, qua velle, & conari efficaciter poſſent, procul omni dubio voluiſſent, & conati eſſent efficaciter in Queſnelli principio,omnem gratiam ſtatuente *ſupremam*, & *invincibilem*.

5 Non magis expedire ſe poteſt Queſnellus ſenſu impio, blaſphemo, hæretico Propoſitionis Janſenii quintæ. Quî enim probaverit, Chriſtum pro ullius non prædeſtinati ſalute mortuum eſſe, ſi ſolis prædeſtinatis gratiam, qua ſalvari poſſent, promeritus ſit? Si verò aliquis non prædeſtinatus talem gratiam habuiſſet, non excidiſſet ſalute, cùm nemo excidat inſtructus gratiâ *ſuprema*, & *invincibili*.

6 Talem gratiæ ideam reſpuit Concilium Tridentinum, quando ſeſſ.6. cap.5. ait: *Tangente Deo cor hominis .... inſpirationem illam recipiens abjicere poteſt*: non poteſt gratiam *ſupremam*, & *invincibilem*. Cap. 13. *Deus, niſi ipſi illius gratiæ defuerint, ſicut cœpit opus bonum, ita perficiet, operans velle, & perficere*. Ubi nos Divinæ gratiæ deeſſe poſſe ſupponitur perperàm, ſi omnis invincibilis fuerit.

7 Can.4. *Si quis dixerit, liberum hominis arbitrium à Deo motum, & excitatum ... non poſſe diſſentire ſi velit, anathema ſit*. Gratiam omnem eſſe invincibilem, & non poſſe ei diſſentiri ſynonyma ſunt.

8 Non minùs clarè Concilium Senonenſe anno 1528. Decreto fidei 15. Queſnelli ideam averſatur ſic definiens: *Non eſt tale trahentis gratiæ auxilium, cui reſiſti non poſſit*. Præceſſerat Auguſtinus lib. de Spir., & lit. cap.34. *Miſericordia Dei prævenit nos; conſentire autem vocationi Dei, vel ab ea diſſentire propriæ voluntatis eſt*. Igitur non omnis gratia eſt *ſuprema*, & *invincibilis*.

9 Auctor lib.2. de vocatione gentium cap.12. *Quod non poteſt niſi cooperante ſpiritu Dei fieri, eorum meritis deputetur, quorum id potuit voluntate non fieri*.

10 Idem cap.26. *Quæ voluntas habet de ſua mutabilitate ſi deficit, de gratia verò opitulatione, ſi proficit: & quod à multis refutatur gratia, ipſorum eſt nequitiæ; quod autem à mul-*

Digitized by Google

à multis recipitur, *gratia Divina eſt*, *& voluntatis humanæ*. Si quod cooperante Spiritu Dei bene, & meritoriè fit, hominum potuit voluntate non fieri; igitur aliqua gratia Dei voluntate humana impediri poteſt, nè obtineat effectum; adeóque non omnis gratia eſt invincibilis. Eadem concluſio ſequitur ex poſteriore textu, quo dicitur *gratia à multis refutari ipſorum nequitiâ*. S. Joan. Damaſcenus lib. 2. Orthodoxæ fidei cap. ultimo *In nobis eſt*, inquit, *virtuti immanere*, *& ſequi Deum nos ad illam vocantem*, *aut deſerere virtutem*. Quod cum ſupremo, & invincibili omnis gratiæ robore nemo compoſuerit. Eadem eſt cæterorum Patrum, &, qui eos ſecuti ſunt, Scholaſticorum ſententia.

11 Queſnellus robur *ſupremum*, & *invincibile* omnis gratiæ probare nititur ex eo, quod ſit *operatio voluntatis omnipotentis*: quæ operatio ab ipſa omnipotente voluntate non diſtinguitur juxta Propoſitionem 19. per quam *Dei gratia nihil aliud eſt*, *quàm ejus omnipotens voluntas*.

12 Quod Queſnello tam certum eſt, ut aſſerere non dubitet, *hanc eſſe ideam*, *quam Deus nobis tradit in omnibus ſuis Scripturis*. Cur non dicit potiùs, eſſe operationem bonitatis, benignitatis, charitatis, miſericordiæ Dei, cui quotidie à peccatoribus reſiſtitur, ut patet ex Apoſtolo ad Rom. 2. verſ. 5. verbis ſuperiùs relatis, quibus increpatur peccatoris duritia, quòd *Dei benignitate eum ad pœnitentiam adducente* ipſe nihilominus, *ſecundùm duritiam ſuam*, *& impœnitens cor theſaurizet ſibi iram in die iræ*. 2. Theſſal. 2. v. 10. *charitatem veritatis non receperunt*, *ut ſalvi fierent*. Sap. 12. verſ. 1. *O quàm bonus*, *& quàm ſuavis eſt Domine Spiritus tuus in omnibus*; *ideoque eos*, *qui exerrant partibus*, *corripis* . . . *ut relictâ malitiâ credant in te Domine*.

13 Eccleſiaſtici 18. v. 7., & ſeq. *Quid eſt homo*, *& quæ eſt gratia illius*? *Propter hoc patiens eſt Deus in illis*, *& effundit ſuper eos miſericordiam ſuam* . . . *miſericordia autem Dei ſuper omnem carnem*. Sed non omnes miſericordiæ ejus effectibus ad juſtitiam utuntur, & ſalutem, ut poſſent maximè, ac deberent.

14 Alterum Queſnello ſtatuendi omnem gratiam *ſupremam*, & *invincibilem* fundamentum eſt, quòd omnis gratia ſit *ſequela*, *& imitatio operationis Dei incarnantis*, *& reſuſcitantis filium ſuum*. Reſp. omnem gratiam in ſtatu naturæ lapſæ, rectè dici ſequelam incarnationis, & reſurrectionis Filii Dei. Si verò omnis gratia dicatur *Imitatio operationis Dei incarnantis*, *& reſuſcitantis Filium ſuum*, intelligi debet imitatio ſecundùm quid, in quantum utraque eſt propter juſtificationem, & ſalutem humani generis; ſed non poteſt adſtrui imitatio ſecundùm omnia; alioqui ſicut Chriſti humanitas nihil liberè cooperata eſt, ſed merè paſſivè ſe habuit in ſui ad Verbum unione, ac dein in reſuſcitatione; ita voluntas noſtra non cooperaretur liberè Dei gratiæ; ſed merè paſſivè ſe haberet, ut ſomniabant hæretici à Tridentino condemnati, quorum damnationi ſe ſubſcribere teſtati ſunt ipſi Janſenianorum legati, in libello ſupplice, vulgò *trium columnarum* appellato, oblatoque, ut ajunt, Innocentio X.

15 Videndum nunc, ex quo Scripturarum textu tam præclaram Queſnellus eruat obſervationem. Ex 2. nempe epiſtola ad Corinth. cap. 5. verſ. 21. *Eum*, *qui non noverat peccatum*, *pro nobis peccatum fecit*, *ut nos efficeremur juſtitia Dei in ipſo*. Næ mirificus Scripturarum interpres Queſnellus eſt, tam profundos ex iis ſenſus eliciens, quos ante eum nemo deprehenderit, neque poſt illum præter Janſeniſtas ullus perſpicere valeat. Sanctus Thomas in hunc locum tres ſenſus deſignat, quibus Chriſtus dici potuit pro nobis factus peccatum: primum; quia uſitato Judæis modo loquendi hoſtia, ſeu Sacrificium pro peccato peccatum vocabatur. Secundum; quia peccatoribus ſimilis fuit. Tertium; quia *cum iniquis reputatus eſt*. Iſ. 53. *ut nos efficeremur juſtitia Dei in ipſo* id eſt, interprete Angelico, *ut inhæreremus Chriſto per charitatem*, *& fidem*. Quæ ut ad Propoſitionem Queſnelli vigeſimam primam trahi poſſent, omnes claſſis Anglicæ, & Batavicæ funes minimè ſufficerent.

CAPUT II.

Diluuntur objecta ex Sacris literis.

1 Epheſ. cap. 1. verſu 16. 17. 18. 19. 20. *Non ceſſo*, inquit Apoſtolus, *gratias agens pro vobis*, *memoriam veſtri faciens in orationibus meis*; *ut Deus Domini noſtri Jeſu Chriſti*, *Pater gloriæ det vobis ſpiritum ſapientiæ*, *& revelationis in agnitione ejus*, *illuminatos oculos cordis veſtri*, *ut ſciatis quæ ſit ſpes vocationis ejus*, *& quæ divitiæ gloriæ hereditatis ejus in ſanctis*, *& quæ ſit ſupereminens magnitudo virtutis ejus in nos*, *qui credidimus ſecundùm operationem potentiæ virtutis ejus*, *quam operatus eſt in Chriſto*, *ſuſcitans illum à mortuis*, *& conſtituens ad dexteram ſuam in cæleſtibus*.

2 Su-

Digitized by Google

2 Supereminens enimvero magnitudo eſt virtutis, ſeu potentiæ, & efficacis operationis Dei in convertendis incredulis ad Fidem, peccatoribus ad pœnitentiam, & juſtitiam, utpote quos ex avaris, & rapacibus liberales, ex voluptatum ſectatoribus caſtos, ex ferocibus mites, ex lupis agnos efficit. Quæ potentia, virtus, energia, qua Deus homines ab idololatria, à peccatis, à myſtica morte animæ, & ab inferno quodammodo ſuſcitavit ad vitam, & hereditatem filiorum Dei, ſimilis eſt illi potentiæ, & efficaciæ, qua ſuſcitavit à mortuis Chriſtum. Sed in ſimilitudine, & figurâ non requiritur æqualitas, ſive perfecta & omnimoda ubique comparatio, ut patet in Chriſto, agno Paſchali, Leone, Petra, lapide angulari. Aliàs, quemadmodum Corpus Chriſti in reſurrectione ſe ſolùm paſſivè habuit, ita ad ſui juſtificationem cooperari non deberet adultus peccator, quod conſtat uti à veritate, & fide Catholica, ita à mente Apoſtoli alieniſſimum eſſe. Clariſſimus nempe eſt Concilii Tridentini Canon. 4. ſeſſ. 6. *Si quis dixerit liberum hominis arbitrium à Deo motum, & excitatum nihil cooperari aſſentiendo Deo excitanti, atque vocanti, quoad obtinendam juſtificationis gratiam ſe diſponat, ac præparet, neque poſſe diſſentire, ſi velit; ſed velut inanime quoddam nihil omnino agere, merèque paſſivè ſe habere, anathema ſit.* Quot hic verba, tot ferè diſcrimina ſunt inter reſuſcitationem hominum à peccatis, & Corporis Chriſti à mortuis: non enim hoc reſuſcitationi cooperatum eſt, non ſe diſpoſuit, nec præparavit, nec conſentire potuit, nec diſſentire; ſed velut quodcunque aliud inanime, nihil omnino agens, merè paſſivè ſe habuit.

3 Qualiſcunque autem, & quantacunque ſimilitudo ſit inter reſuſcitationem corporis Chriſti, & peccatricis animæ, pernicioſum ſemper dogma eſt, quòd omnis gratia Jesu Chriſti ſit ſuprema, & invincibilis, ſicut aſſerit Articulus; aliàs nulli gratiæ actuali diſſentiri poſſet, quod Tridentino anathemate profligatum eſt. Similiter ejuſdem ſeſſionis cap. 5. definitur, quòd *tangente Deo cor hominis, per Spiritûs Sancti illuminationem, inſpirationem illam recipiens abjicere poſſit*, quod cum inſuperabilitate ejuſdem gratiæ nemo compoſuerit, ſi invincibilis intelligatur ſenſu rigido, ut propria vocis ſignificatio indicat.

4 Præterea, etſi gratia, quâ peccator ad juſtitiam convertitur, dicatur ab Apoſtolo ſimilis virtuti, & operationi, quâ Chriſtus à mortuis ſuſcitatus eſt; eam tamen nuſquam comparationem inſtituit, nec inſtituere poſſet cujuſcunque gratiæ, quæ etiam juſtis ad quodlibet juſtitiæ augmentum conceditur; non enim per eam juſtus à morte, & inferis ſuſcitatur, neque ad opus pium quantumlibet exiguum, & facile in juſto, & ſanctis actionibus aſſueto, tam forte auxilium requiritur, quàm in peccatore ad opus maximè arduum converſionis, & pœnitentiæ. Quapropter ſtatui nequit de omni Chriſti gratiâ, quòd ſit *fortis*, *potens*, *ſuprema*, *invincibilis*: quòd ſit *operatio voluntatis omnipotentis*; *ſequela*, *& imitatio operationis Dei incarnantis*, *& reſuſcitantis Filium ſuum*.

5 Evidens quoque eſt, neque comparationem illam, neque prærogativam gratiæ ſupremæ, & invincibilis ullâ ratione convenire gratiis inefficacibus, & ſufficientibus, quibus in ſtatu hominis lapſi aliquando reſiſti, fides docet, & univerſa poſt Janſenianæ ſecundæ hæreſeos damnationem credit Eccleſia.

6 Hortatur Epheſios Apoſtolus cap. 6. verſ. 10. *De cætero, fratres confortamini in Domino, & in potentia virtutis ejus*. Hinc confirmari adverſarius, ſed ineptiſſimè, putat ſuum Articulum, ut jam oſtenſum eſt. Imo verò ex illo capite, & quidem interprete Angelico, ſtabiliendam ſuſcipio damnationem.

7 In textu Apoſtoli ſtatim ſequitur: *Induite vos armaturam Dei, ut poſſitis ſtare adversùs inſidias Diaboli; quoniam non eſt nobis colluctatio adversùs carnem, & ſanguinem, ſed adversùs Principes, & poteſtates; adversùs mundi rectores tenebrarum harum, contra ſpiritualia nequitiæ in cœleſtibus*. Si omnis gratia foret *ſuprema*, & *invincibilis*, *operatio voluntatis omnipotentis*, *ſequela & imitatio operationis Dei incarnantis*, *& reſuſcitantis Filium ſuum*, quam neceſſitatem, quem uſum, aut fructum haberet illa Apoſtoli verſu ſequenti tam ſolicita adhortatio? *Induite vos armaturam Dei, ut poſſitis ſtare*, &c. vel enim gratiam habuêre Epheſii, vel non: Si habuerint, nihil periculi patiebantur ab inſidiis diaboli, cùm omnis Queſnello gratia ſit *ſuprema*, & *invincibilis*, ut fuit operatio Dei in humanitatem Chriſti, dum eam ſeu hypoſtaticè univit Verbo, ſeu reſuſcitavit à mortuis. Si gratiâ caruerint, non potuerunt ſe induere armaturâ Dei, ut ejus præſidio poſſent ſtare adversùs inſidias diaboli. Non potuere ſe, inquam, ſinè gratiâ induere armaturâ Dei, quia nemo poteſt ſolis naturæ viribus ſe ad gratiam diſponere. Orandumne eis fuit, & prece ſupplici petendum à Deo *gratiæ invincibilis* ſubſidium? Sed oratio non minùs opus habet gratiâ;

tiâ; quæ ſi adfuerit, juxta adverſarium ſuprema erat, & invincibilis, orationem certiſſimè, quin & neceſſariò eliciens; ſi defuerit gratia, fruſtrà hortabatur Apoſtolus Epheſios ad orationem impoſſibilem. Quod igitur Paulus minimè exiſtimaverit, omnem gratiam eſſe invincibilem, ipſa ejus evincit tam pia, & ſapiens monitio. Nunc audiendus nobis interpres Angelicus, cujus ſententiâ ſe ſtare, vel cadere velle paſſim ſimulant adverſarii.

8 Ita Sanctus in locum citatum lectione 7. „ *In potentiâ virtutis ejus*, ideſt in potentiâ „ virtuosâ. Philip. 4. *Omnia poſſum in eo, qui* „ *me confortat*. Job. 17. *Pone me juxta te, & cujusvis manus pugnet contra me*. Sed poſ- „ ſet dici: Si Deus poteſt, & vult, debemus „ eſſe ſecuri. Ideo reſpondens (Apoſtolus) „ dicit quòd non, imò debet quilibet facere „ quod in ſe eſt; quia ſi inermis iret ad bel- „ lum, quantumcunque Rex protegeret eum, „ eſſet in periculo: & ideo dicit, Induite vos „ armaturam Dei, id eſt dona, & virtutes. „ Rom. 13. *Abjiciamus ergo opera tenebrarum, & induamur arma lucis*. Coloſſ. 3. *Induite vos ergo ſicut electi Dei, Sancti, & dilecti viſcera miſericordiæ, benignitatem, humilitatem, modeſtiam*. Quia per virtutes homo „ protegitur contra vitia „.

9 Tum ſibi S. Doctor objicit: „ Sed „ contra, Dominus eſt Rex ita potens, quòd „ nullus poteſt eum impugnare. Reſpondeo, „ verùm eſt per violentiam; ſed per inſidias, „ & fallaciam impugnat eum Diabolus in „ membris ſuis, non in ſe, ut dicitur Ec- „ cli. 11. *Multæ ſunt inſidiæ doloſi*: & ideo „ ſubdit, *ut poſſitis ſtare contra inſidias Diaboli*. 1. Petri 5. *Sobrii eſtote, & vigilate* „.

10 Hactenus Angelicus, ex quo ejus commentario habemus, quòd, etſi Deus protegere nos poſſit, & velit; tamen, ſi non fecerimus quantum in nobis eſt, ſed inermes iverimus ad bellum, *quantumcunque Rex*, atque ita Deus, *protegeret nos, eſſemus in periculo*. Itaque nec omnis Dei voluntas eſt in omnibus efficax, nec omnis gratia ejus eſt ſuprema, & invincibilis. Nam quisquis tali gratiâ, qualis in damnato articulo deſcribitur, inſtructus eſt, non verſatur in peccandi periculo, ut patet. Qui autem tali gratiâ deſtitutus eſt, ſi alia non detur, fruſtrà eum monet ex mente Apoſtoli Aquinas, ut faciat quod in ſe eſt; nam id facit indubiè, ſi adſit gratia invincibilis; ſi deſit, facere nequaquam poteſt ſicut oportet, ſuppoſito, inquam, articulo omnem à nobis gratiam, præter invincibilem, amoliente. Non ſolâ gratiâ juxta D. Thomam liberamur à peccandi periculo; ſed ſi cum eâ fecerimus, quod in nobis eſt; *Quia per virtutes homo protegitur contra vitia*. Hæc armatura fortis eſt, quàm jubemur induere; & ſinè quâ *ſi inermis iret ad bellum, quantumcunque Rex protegeret eum, eſſet in periculo*. *Ut* autem *ſtare contra inſidias diaboli poſſimus* efficaciter, non ſola præſtat gratia; ſed etiam requiritur conatus noſter, Angelico interprete, quantum in nobis eſt; Sobrietas, Vigiliæ, Oratio, & ſimiles virtutes, quæ ſunt Dei armatura fortis, à nobis induenda, & ad reſiſtendum inſidiis Diaboli neceſſaria. Non igitur Apoſtolus, non Aquinas omnem victoriæ fiduciam in ſola vult potentia gratiæ collocari; ſed uterque armorum à nobis uſum exigit, uti & S. Anthonius, quemadmodum in ejus vita refert S. Athanaſius.

11 Quæ noſtra adversùs Diabolum arma ſint, illic deſcribitur: *Magna, dilectiſſimi, adversùs dæmones arma ſunt vita ſincera, & intemerata ad Deum Fides. Credite mihi experto, pertimeſcit Satanas rectè viventium vigilias, orationes, jejunia, manſuetudinem, voluntariam paupertatem, vanæ gloriæ contemptum, humilitatem, miſericordiam, iræ dominatum, & præcipuè purum cor, erga Chriſti amorem*. Ita Sancti reliqui non aliter nobis triumphum de Dæmonibus pollicentur, quàm juncto bonorum operum cum Divinâ gratia ſtudio, quod Apoſtolus vocat *armaturam Dei*.

12 Queſnello autem ſufficit omnem gratiam ſtatuiſſe *invincibilem, ſupremam*, & in voluntates noſtras dominantem, ſicut Verbum carnem aſſumere volens, inſuperabili eam virtute, ac potentiâ ſibi vindicavit, uti & corpus mortuum ineluctabili ſuſcitavit impetio. Sic ampliſſima libertinis via panditur, ut omne bonorum operum exercitium negligant, omnis abdicetur cura præceptorum, omnis proſecutio juſtitiæ, ac ſalutis; ſupervacanea enim foret omnis cura, præſente gratiâ per ſe invincibili, quâ abſente, eſſet fruſtranea. Quoties verò alibi idem Author cum ſequacibus ad virtutem hortari viſus fuerit, inanis ſolummodò oſtentatio eſt, & plena fallaciæ, nè novorum de gratia dogmatum impietas vulgo fidelium horrori ſit; ſed ut ſub pietatis larva tam diu illudatur Eccleſiæ, donec hæreſeos virus ſerpſerit adeò latè, ut zizaniorum, ſeu hæreticorum frequentia, & fortè potentia ſuadeat Patri Familias diſſimulanda illa potiùs, & ſinenda creſcere uſque ad meſſem, nè zizania, ſi eradicare voluerit, ſecum rapiant, & triticum.

13 At, inquit adverſarius, nonne verum eſt, quod dicitur 1. Corinth. 12. v. 6. *Deum eſſe, qui operatur omnia in omnibus?* Reſpondeo nos adeò remotos eſſe à neganda hac Apoſtolici oraculi veritate, ut fateamur lubentiſſimè

cum S. Auguſtino Soliloqu. (vel quisquis libri piiſſimi Author eſt) cap. 15. *Si quid boni eſt parvi, vel magni, donum tuum eſt, Domine* : & cum Sancto Fulgentio lib. 1. epiſt. 4. *A Deo emanat totius bonæ voluntatis non tantùm principium, ſed & perfectio*: quod probat ex illo Jacobi, *Omne datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſt, deſcendens à Patre luminum*. Denique Deus eſt, qui operatur in ſuis velle, & perficere. Neque cum Janſenio, & ejus ſequacibus, inter quos non infimum locum tenet adverſarius, hanc Dei laudem reſtringimus ad ſtatum naturæ lapſæ; ſed & quidquid boni in ſtatu naturæ integræ, ſive ab Angelis, ſive à primis hominibus actum eſt, Deo velut Authori, & quidem præcipuo tribuendum ſtatuimus. Verùm iſtam, quam damnatus articulus aſſerit, omnis gratiæ fortitudinem, robur ſupremum, & invincibile, neque in objecto Apoſtoli textu, neque in ullo probabili codice reperimus. Neque reperit Tridentina Synodus ſeſſ. 6. cap. 5. declarans, *Juſtificationis exordium in adultis à Dei per Chriſtum* Jesum, *præveniente gratiâ, ſumendum eſſe, hoc eſt ab ejus vocatione, qua nullis eorum exiſtentibus meritis vocantur, ut qui per peccata à Deo averſi erant, per ejus excitantem, atque adjuvantem gratiam ad convertendum ſe ad ſuàm ipſorum juſtificationem, eidem gratiæ liberè aſſentiendo, & cooperando diſponantur; ita ut, tangente Deo cor hominis per Spiritûs Sancti illuminationem, neque homo ipſe nihil omnino agat, inſpirationem illam recipiens, quippe qui illam & abjicere poteſt; neque tamen ſinè gratia Dei movere ſe ad juſtitiam coram illo liberâ ſuâ voluntate poſſit*. Ubi & Deum per excitantem, atque adjuvantem gratiam habemus converſionis Authorem, & ſimul actualem gratiam non *ſupremam*, non *invincibilem*; utpote quam *recipiens abjicere poteſt*.

14 Sed qualiſcunque demum ſit gratia efficax, quâ Deus bonum omne in nobis operatur, nullo modo excludit Apoſtolus gratiam inferioris ordinis, quæ reipſa à libero hominis arbitrio rejicitur, & cui reſiſti fides docet, atque univerſa credit Eccleſia. Per eam Deus non operatur in nobis bonum, quod optaverat; atque adeò locus Apoſtoli citatus damnato articulo, omnem gratiam invincibilem aſſerenti, minimè ſuffragatur.

CAPUT III.

Diſſolvuntur, quæ Adverſarii objiciunt ex Sancto Auguſtino.

1 QUam expectaveram Auguſtini ex libro de Corrept. & gratia ſententiam, quâ præcipuè triumphum canunt Calvini, & Janſenii aſſeclæ, tandem intorquet adverſarius. *Subventum eſt igitur infirmitati voluntatis humanæ, ut Divinâ gratiâ indeclinabiliter, & inſuperabiliter ageretur: & ideo quanvis infirma; non tamen deficeret, neque adverſitate aliquâ vinceretur. Ita factum eſt, ut voluntas hominis invalida, & imbecilla, in bono adhuc parvo perſeveraret per virtutem Dei, cùm & voluntas primi hominis fortis, & ſana in bono ampliore non perſeveraverit, habens virtutem liberi arbitrii, quanvis non defuturo adjutorio Dei, ſinè quo non poſſet perſeverare ſi vellet; non tamen tali, quo in illo Deus operaretur ut vellet. Fortiſſimo quippe dimiſit, atque permiſit facere, quod vellet: infirmis ſervavit, ut ipſo donante, invictiſſimè, quod bonum eſt, vellent, & hoc deſerere invictiſſimè nollent*. Hæc Auguſtinus ſub finem cap. 12. De quibus autem hìc ſibi ſermo fuerit, declarat ſtatim initio cap. 13. dicens, *Hæc de his loquor, qui prædeſtinati ſunt in regnum Dei, quorum ita certus eſt numerus, ut nec addatur eis quiſquam, nec minuatur ex eis: non de his, qui cùm annuntiaſſet, & locutus eſſet, multiplicati ſunt ſuper numerum. Ipſi autem vocati dici poſſunt, non autem electi, quia non ſecundùm propoſitum vocati*.

2 Tam perſpicua Auguſtini declaratio neminem patitur dubitare, quin *loquatur de prædeſtinatis in regnum Dei*, non de aliis, qui vocati quidem ſunt; ſed non electi, ideoque non vocati ſecundùm propoſitum, ſeu decretum efficax. Nunc quemlibet ſcholæ Catholicæ, vel in Eccleſia toleratæ Theologum ſciſcitor, num hæc ſana adverſarii ratiocinatio ſit: voluntas prædeſtinatorum *Divinâ gratiâ indeclinabiliter, & inſuperabiliter agitur: Deo donante, invictiſſimè vult bonum, & invictiſſimè vult non deſerere*: Igitur quicunque etiam reprobus habet Divinam gratiam qualemcunque, illâ indeclinabiliter, & inſuperabiliter agitur. Reclamat univerſus Theologorum, quamtumvis in explicanda gratiæ efficacitate inter ſe diſſidentium, numerus, ut damnato articulo reclamant Scripturæ, Patrum traditio, definitiones Pontificum, atque ipſe apertiſſimè Auguſtinus. Juxta hunc lumen Divinæ gratiæ *illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, lib. 1. de Geneſi contra Manich. cap. 3. Multi ad Agni nuptias vocati venire neglexerunt; *Quoniam ut venirent vocati, erat in libera voluntate* Lib. 83. quæſtionum q. 68. *Habet unuſquiſque in voluntate, aut eligere, quæ bona ſunt, & eſſe arbor bona; aut eligere, quæ mala ſunt, & eſſe arbor mala: hoc ergo Dominus dicens, Aut facite illud, oſtendit eſſe in poteſtate, quod facerent* lib. 2. de Geſtis cum Felice Manich. cap. 4. *In tuo arbitrio*

Deus

Deus poſuit, cui pares locum, Deo, an diabolo, lib. 50. homiliarum homil. 16. Hæc omnia, & pluta ſimilia ad univerſos diriguntur, etiam reprobos, qui cùm locum parare potuerint Deo, gratiam habuere, ſinè qua locus Deo ab hominibus parari nequeat. Neque poteſt quiſquam ſinè gratiâ eligere, ut ſit arbor bona, quod potuere omnes reprobi adulti. Neque fuit in libera reproborum poteſtate ſinè gratia, ut vocati venirent ad nuptias Agni. Denique neque omnes, quos illuminat Deus, agnoſcere veritatem, & ſequi volunt. Evidens itaque eſt, non omnem in Auguſtini ſententiâ gratiam eſſe talem, *quâ* quilibet, quoties ea obtigerit, *indeclinabiliter, & inſuperabiliter agatur*. Nè quidem omnis prædeſtinatorum gratia talis eſt; quàm enim inter electos multi ſubindè labuntur in peccata, quæ Divinâ gratiâ vitare potuerint! Quot electi nonniſi in fine vitæ, ut bonus Latro, ad juſtitiam converſi ſunt, poſtquam in criminibus ætatem non minimam triverant, gratias plurimas contemnendo! Non paucas ſe, & cum iis bona opera neglexiſſe Auguſtinus in confeſſionibus deplorat.

3 Se & cæteros homines notat lib. 2. de peccatorum meritis cap. 17. dicens: *Cùm voluntate humana, gratia adjuvante divini, ſinè peccato homines in hac vitâ poſſint eſſe; cur non ſint, poſſem facillimè, & veraciſſimè reſpondere, quia homines nolunt*. Non poſſunt autem ſinè peccato eſſe, ſaltèm diu, gratiâ deſtituti. Hæc itaque in promptu eſt, & conceditur plurimis, quos non agit *indeclinabiliter, & inſuperabiliter*, cùm multi, qui Divinâ gratiâ, ut Auguſtinus ait, ſinè peccato eſſe poſſunt, ei ſuccumbere deprehendantur, *quia ſinè peccato eſſe nolunt*. At eſtne ſaltèm omnis gratia efficax juxta Auguſtinum loco citato indeclinabilis, & inſuperabilis? Negant cum multis Illuſtriſſimi, & eruditiſſimi Antiſtites, Lucionenſis, & Rupellenſis in documento Paſtorali anno 1712. contendentes, non illic Auguſtino de quolibet efficaci auxilio; ſed de dono, ſeu gratiâ perſeverantiæ ſermonem eſſe; hanc autem gratiam certiſſimè obtinêre effectum, quia prædeſtinatio infallibilis eſt; ſed vel maximè, quia donum perſeverantiæ perſeverantiam ipſam complectitur, mortem ſcilicet in ſtatu gratiæ; atque hinc Auguſtinum dicere paſſim, & inculcate, quod, quiſquis donum perſeverantiæ à Deo accceperit, *hoc ipſo perſeveret*, nec niſi perſeverans eſſe poſſit: Verùm quidquid ſit de hac Antiſtitum, aliorumque ſententia, cùm præſentis propoſiti mei non ſit, diſputatis in Eccleſia opinionibus, & utrinque toleratis, calculum adjicere candidum, vel atrum: contra Janſenium, ejuſque diſcipulos certiſſimè dicendum eſt, nullam efficacem gratiam hoc ſenſu ſtatui poſſe inſuperabilem, aut invincibilem, ut homo illâ præventus non poſſit poteſtate antecedente diſſentire, aſſenſum ſuſpendere, non conſentire, non ponere actum, ad quem ponendum gratia efficax confertur; aliàs conſentiret neceſſariò neceſſitate antecedente propriè dictâ; unde conſenſûs meritum periret, ut conſtat ex damnatione tertiæ Propoſitionis hæreticæ, in qua Janſenius meritum, & demeritum cum neceſſitate componit. *Ad merendum, & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ non requiritur libertas à neceſſitate, ſed ſufficit libertas à coactione*.

4 Poteſtas igitur antecedens diſſentiendi gratiæ efficaci omnino concedenda eſt: quandoquidem, ut extremum poſitivum, quale eſt conſentire gratiæ, ſit liberum, negatio illi oppoſita, qualis eſt non conſentire gratiæ efficaci, debet eſſe libera; cùm libertas eſſentialiter conſiſtat in poteſtate ad utrumque contradictionis extremum. In hoc omnes Catholicorum Scholæ contra Novaturientes Baji, & Janſenii aſſeclas conveniunt. Quis autem Catholicus abſque horrore, & deteſtatione audiat hunc Janſenianæ profeſſionis Petri de Ligny Articulum 3. *Credo libertatem indifferentiæ in ſtatu naturæ lapſæ eſſe merè chimericam, inventionem hominum, & philoſophiæ Pelagianæ reliquias*?

5 Neceſſitatem tamen conſequentem non refugimus, quâ videlicet, illæsâ manente potentiâ antecedente ad non conſentiendum, fieri nequit, ut efficaci gratiâ donatus non conſentiat, quo ſenſu indeclinabiliter, & inſuperabiliter à Deo agitur.

6 Duplex autem diſcrimen Auguſtinus ſtatuit inter auxilium celebre Adamo traditum ante peccatum, & illud quod prædeſtinatis conceditur poſt lapſum. Primum diſcrimen eſt, quòd adjutorium iſtud Adami ad obediendum celebri præcepto abſtinendi à fructu vetito, eſſet merè ſufficiens; poſterius efficax: ſive, ut Hipponenſis loquitur, quòd Adami eſſet adjutorium, *Sinè quo perſeverare non poterat*; aliorum *ſit adjutorium, quo perſeverant*.

7 Alterum diſcrimen eſt, quòd adjutorium nunc electorum fortiùs ſit; quia tale neceſſarium eſt ad ſuperandos concupiſcentiæ motus, cum quibus nunc prædeſtinati confligere debent, contra quos proinde voluntas infirma roboranda eſt cœleſti auxilio validiore. Tali voluntas Adami ſana, nullis obnoxia inordinatis motibus, non indigebat.

8 Janſeniſtæ utroque illo diſcrimine non contenti, Auguſtinum intelligi volunt de robore præſentis gratiæ invincibili, poteſtate etiam antecedente; ita tamen, inquiunt, ut

non auferat libertatem diſſentiendi. Ex quibus ſi quæſieris quomodo ſe expediant à contradictione; cùm gratiam eſſe invincibilem poteſtate antecedente ſignificet impoſſibilitatem diſſensûs, etiam antecedentem, atque ita conſentiendi antecedentem neceſſitatem. Quid enim aliud eſt, hominem conſentire gratiæ neceſſariò, quàm non poſſe diſſentire, vel aſſenſum ſuſpendere? Reſpondent, in gratiæ viribus neceſſitatem quamdam eſſe, ſed ſimplicem ſolummodo, & infallibilitatis, non coactionis, atque adeò non inimicam libertati ad meritum requiſitæ: nempè *quod voluntariè ſit, etiamſi neceſſariò fiat, liberè tamen fit: & ſola violentia repugnat libertati hominis naturali*. Audio; ſed Propoſitio utraque in Bajo damnata eſt 39. & 66. Cenſuram quoque hæreſeos ab Innocentio X. & ſequentibus Pontificibus tulit tertia Janſenii: *Ad merendum, & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ non requiritur libertas à neceſſitate; ſed ſufficit libertas à coactione*.

9 Nè verò, Lector, cùm fortè Janſeniſtas audiveris teſtantes, ſe non neceſſitatem rigidam, abſolutam, & naturalem, ſed tantummodo infallibilitatis admittere, exiſtimes eos ſolùm conſequentem, voluntatiam, aut moralem, & impropriè dictam adſtruere; Nonne enim antecedens, abſoluta, phyſica, & propriiſſimè dicta neceſſitas eſt in homine cæco non videndi, in ſurdo non audiendi, in crurifrago non currendi, vel non rectè gradiendi? Atqui Janſenius, quem Janſeniſtarum nullus in hoc ſuo judicio erraſſe fatebitur, lib. 2. de Gratia Chriſti cap. 1. ait: *Cujus medicinali gratiâ, & adjutorio, niſi vires priſtinæ reſtaurentur, tam eſt impoſſibile voluntati, ut bene velit, & operetur, quàm homini cæco ut videat, vel ſurdo ut audiat, vel tibiis fracto ut rectè gradiatur*. Cui phyſicæ, abſolutæ, & propriiſſimè dictæ impoſſibilitati, evidens eſt competere ejuſdem prorſus ordinis, & gradûs neceſſitatem non videndi, non audiendi, non rectè gradiendi.

10 Hanc neceſſitatem gratiâ medicinali abſente, ſive ſuperatâ à fortiore concupiſcentiâ, juxta Janſenium infert homini terrena delectatio. *Quod enim ampliùs nos delectat, ſecundum id operemur neceſſe eſt*, ut ex Auguſtino præpoſterè intellecto centies decantat Janſenius. Cœleſtis autem delectatio gratiæ, abſente motu concupiſcentiæ, vel eum ardore ſuperans, non minùs valet, non minùs certam refert victoriam, nec inferioris ordinis infert neceſſitatem, juxta eumdem, quàm victrix aliàs concupiſcentia. Atque adeò prætenſa Adverſarii, & Janſeniſtarum omnium ex Auguſtino gratiæ inſuperabilitas neceſſitatem antecedentem à Pontificibus damnatam clariſſimè infert.

11 Neceſſitas quoque, quam non abſolutam, ſed tantummodo relativam ajunt, æquivalet abſolutæ. Quid enim ad ſalvandum, vel deſtruendum libertatem, & meritum, intereſt, ſive abſoluta neceſſitas ſit, ſive talis relativa; propter circumſtantias ſcilicet; quæ abeſſe poſſent, ſed quas amovere, vel impedire hic, & nunc nullo modo in hominis poteſtate ſit, ut nullo modo eſt in ſententia Janſenii impedire majorem gratiæ, vel concupiſcentiæ delectationem, & ortam indè in voluntate conſentiendi neceſſitatem? Quapropter ſatìs Janſeniſtæ perſpiciunt, ſe inflictum à Pontificibus anathema declinare in ſua pertinacia non poſſe; ideo dum illud eludere fraudulentis obtentibus nequeunt, apertè conſtituunt contemnere, declarante ſolemniter Queſnello, tanquam totius Janſeniani ordinis, ut vocant *Patre Priore in Epiſtolâ Abbatis ad quemdam Romanæ Curiæ Prælatum* pag. 18. *Habemus hoc ſingulare præ aliis, quo nobis bene eſt, & quod ſemper tenebimus, quod ſimus in poſſeſſione, eamdem ſemper proſequendi ſemitam, quidquid opponant Cenſores Romani, & quodcunque Decretum ab hoc Tribunali emanxverit*. Ita Queſnellus occaſione Decreti ab Alexandro VIII. Pontifice editi contra Propoſitiones 31.

12 Succedit altera Adverſarii objectio ex Auguſtini lib. de geſtis Pelagii cap. 3. ubi Sanctus Doctor videns, Pelagium eludere pleraque Scripturarum teſtimonia, quæ pro aſſerenda vera gratia afferuntur, tandem ingerit ei illud Apoſtoli ex epiſtola ad Romanos cap. 8. *Quicunque enim ſpiritu Dei aguntur, ii ſunt filii Dei*. Hoc ſcilicet ad legem, atque doctrinam divertere Pelagius non poterat; nam, ut obſervat Auguſtinus, *agi* quid amplius eſt, quàm doceri? Imò, qui agitur, vix quidpiam agere intelligitur. Agit tamen, & niſi ageret homo, non ageret Deus, qui libero hominis arbitrio accedit per gratiam adjutor. Sic enim ſibi objiciens reſpondet ipſe Auguſtinus Sermone 13. de verbis Apoſtoli: *Dicit mihi aliquis: Ergo agimur, non agimus. Reſpondeo: imò & agis, & ageris: & tunc bene agis, ſi à bono agaris. Spiritus enim bonus, qui te agit, adjutor eſt agentibus; nemo autem adjuvatur, ſi ab illo nihil agatur; ſpiritus enim adjuvat infirmitatem noſtram*. Et libro de Correptione, & gratia cap. 2. *Intelligant, ſi filii Dei ſunt, ſe ſpiritu Dei agi, ut quod agendum eſt agant, & cùm egerint, illi à quo aguntur, gratias agant; aguntur enim ut agant, non ut ipſi nihil agant; & ad hoc illis oſtenditur quid agere debeant, ut quando id agunt, ſicut*

agen-

Digitized by Google

agendum eſt, id eſt cum dilectione, & delectatione juſtitiæ, ſuavitatem, quam dedit Dominus, ut terra eorum daret fructum ſuum, accepiſſe ſe gaudeant.

13 Qui cum alio agit, delectationem, & ſuavitatem ei inſpirando, ut ejus adjuvet infirmitatem, non cenſendus eſt ita cum eo agere, ita eum juvare, & ad agendum impellere, ac rapere, ut is non poſſit non agere, nulloque pacto reſiſtere valeat, aut diſſentire. Sic Rex amicus copias auxiliares alteri ex benevolentia præſtat, ut eum quidem adversùs inimicos inexpugnabilem præſtet, non ut is qui juvandus eſt, nequeat copiis auxiliaribus ingratus reſiſtere, eaſque ſinè fructu inhumaniùs remittere.

14 Ita Concilium Senonenſe Decreto 15. *Nec denique tale eſt*, inquit, *hujuſmodi trahentis Dei auxilium, cui reſiſti non poſſit. Quoties enim Dominus voluit congregare filios Jeruſalem, ſicut gallina congregat filios ſuos ſub alas, & noluerunt! Fruſtrà certè Stephanus Judæos duræ cervicis, & incircumciſi cordis argueret; qui ſemper Spiritui Sancto reſiſterent: fruſtrà Paulus Theſſalonicenſes admoneret, ſpiritum nè extinguerent, ſi Divinis inſpirationibus homines inevitabiliter raperentur.*

15 Quæ Concilii ſententia maximè conformis eſt Auguſtino lib. 3. de Libero arbitrio cap. 1. *Motus, quo huc, aut illuc voluntas convertitur, niſi eſſet voluntarius, atque in noſtra poſitus poteſtate, neque laudandus, cùm ad ſuperiora, neque culpandus homo eſſet, cùm ad inferiora detorquet, quaſi quemdam cardinem voluntatis: neque omnino monendus eſſet, juſtis neglectis æterna vellet adipiſci, atque ut malè nollet vivere, vellet autem bene.* Ideo, inquit Auguſtinus lib. 2. de Geſtis cum Felice Manichæo cap. 4. *Habet unuſquiſque in voluntate, aut eligere quæ bona ſunt, & eſſe arbor bona, aut eligere quæ mala ſunt, & eſſe arbor mala .... Hoc ergo Dominus dicens, Aut facite illud, oſtendit eſſe in poteſtate quod facerent; & quia ſi bonum eligerent, præmium illius acciperent, ſi malum eligerent, pœnam illius ſentirent.* Nemo dubitat quin ad actum virtutis eadem requiratur libertas, quæ ad actum vitii, & peccati; de poſteriore autem docet S. Auguſtinus lib. 3. de Libero arbitrio cap. 18. *Iſta eſt cauſa voluntatis, ſi non ei poteſt reſiſti, ſinè peccato ei ceditur.* Ergo ſi non poteſt reſiſti gratiæ, ſinè virtutis laude, ſinè merito ei ceditur.

16 Perſpicuum igitur eſt, Auguſtinum neque omnem gratiam ſtatuere ſupremam, ac voluntati noſtræ invincibilem, atque adeò non exigere à Pelagio ut credat, quod *quicunque ſpiritu Dei aguntur*, ita agantur, ut nequeant ſpiritui Dei reſiſtere, & denegare conſenſum. Quid autem ab eo exigat, ex epiſtola 107. diſcimus ubi 12. ſententias velut indubitata Eccleſiæ Catholicæ axiomata proponens, ſub finem ait: *Manifeſtum eſt ex illis duodecim ſententiis, quas pertinere ad Catholicam Fidem negare non ſineris, non ſolùm omnibus; verùm etiam ſingulis id confici, ut confiteamur, gratiâ Dei præveniri hominum voluntates, & per hanc eas potiùs præparari, quàm propter eorum meritum dari.* Lib. 4. ad Bonifacium cap. 6. *In omnibus, quæ quiſque agit ſecundùm Deum, miſericordia Dei prævenit eum, quod iſti* (Pelagiani) *nolunt, quia non eſſe Catholici, ſed Pelagiani volunt.* Epiſtolâ 1. ad Valentinum de Catholica gratiæ, & liberi arbitrii doctrinâ, ipſum & fratres inſtruens, *Secundùm hanc fidem*, inquit, *intelligite, ut neque negetis Dei gratiam, neque liberum arbitrium ſic defendatis, ut à Dei gratia ſeparetis, tanquam ſinè illa vel cogitare aliquid, vel agere ſecundùm Deum ullâ ratione poſſimus, quod omnino non poſſumus.* Denique lib. de Gratia Chriſti cap. 47. *Si conſenſerit* (Pelagius) *etiam voluntatem, & actionem Divinitus adjuvari, & ſic adjuvari ut ſinè illo adjutorio nihil bene velimus, & agamus, eamque eſſe gratiam Dei per* Jesum *Chriſtum Dominum noſtrum .... nihil de adjutorio gratiæ Dei, quantùm arbitror, inter nos controverſiæ relinquetur.*

17 Omnes, qui Conſtitutioni Unigenitus ſubſcribimus, *Conſentimus* pariter Auguſtino aſſerenti, *etiam voluntatem & actionem Divinitus adjuvari, & ſic adjuvari ut ſinè illo adjutorio nihil bene velimus, & agamus, eamque eſſe gratiam Dei per* Jesum *Chriſtum Dominum noſtrum.* Sed neque diffiteatur adverſarius, ſi Auguſtinianus eſſe voluerit, ita voluntatem noſtram Divino adjutorio adjuvari, ita nos agi ſpiritu Dei, ut tamen vocationi, adjutorio, ſpiritui Dei *conſentire, vel diſſentire propria voluntatis ſit*, ut loquitur Hipponenſis lib. de Spiritu, & litera cap. 34. Diſſentire itaque ſpiritui Dei juxta Auguſtinum poſſumus; ideoque non omnis Dei gratia juxta eumdem eſt *ſuprema & invincibilis*.

18 Alia hic non prætereunda animadverſio eſt, quæ adverſarii aut fidem peſſimam, aut craſſam ignorantiam convincit. Ut omnis gratiæ robur *invincibile* contra Conſtitutionem Apoſtolicam defendatur, probandum adverſario fuit, quod omnis, qui phraſi Scripturæ, & Auguſtini, habet auxilium gratiæ, quò vocetur, moneatur, excitetur, juvetur, quod, inquam, hoc ipſo agat, ſive à gratia agatur. Hoc autem à Scripturarum, & Auguſtini mente remotiſſimum eſt. Qui

enim

enim Spiritui Sancto cum pertinacibus Judæis Act. 7. verſ. 51. ſemper reſiſtunt, non aguntur ſpiritu Dei, unde nec in numero *filiorum* ſunt. Ab hoc numero multi quoque excluduntur *vocati*; quia inter hos pauci ſunt electi. Non *omnes* itaque *vocati*; etſi juxta Auguſtinum lib. 83. Quæſtionum q.68. *Venire potuerint* ſufficienti auxilio gratiæ adjuti, ad cœnam magnam, & Agni Nuptias venerunt. Non igitur agebantur ſpiritu Dei, neque gratiâ invincibili; nam *qui ſpiritu Dei aguntur, ii ſunt filii Dei*. Deus autem apud Iſaiam cap. 65. & Apoſtolum ad Rom. 10. *Expandi*, inquit, *manus meas tota die ad populum non credentem, & contradicentem*. Non caruit quidem populus, ut patet, omni gratiæ auxilio; non tamen gratia illi invincibilis fuit, ſed neque *is* ſpiritu Dei agebatur, quia agi noluit, ſed Deum expandentem manus ſuas tota die incredulus, & contradicens repulit. Eccli. 18. *Miſericordia Dei ſuper omnem carnem*: Sed non omnes miſericordiâ utuntur, & cum ea agunt. Pulſus oſtii Apocal. 3. gratiæ quædam monitio eſt; ſed multis aperire nolentibus, non intrat Deus per gratiam ſanctificantem, neque ſpiritu Dei aguntur; quia intrare illum ad ſe nolunt.

19 Quid plura? Fide certiſſimum eſt, neque ipſe Janſenius unquam inficiari auſus fuit, non omnes eſſe *filios Dei*, electos ſcilicet, vel adoptivos, qui aliquo donantur Divinæ gratiæ adjutorio; nam & remota ad juſtificationem diſpoſitio fit per gratiam; cùm autem omnes, *qui ſpiritu Dei*, ſive Divina gratia *aguntur, ſint filii Dei*, ſive electi, ſive ad tempus adoptivi, liquet, non omnes, quibus aliquod gratiæ auxilium eſt, *agi ſpiritu Dei*, ſive gratiâ in ſenſu Apoſtoli; ſed plurimos ſpiritum Dei pulſantem corda, repellere, nè is agat, & nè agantur ipſi, atque gratiæ cooperentur. Fruſtrà itaque objicitur nobis textus Apoſtoli; ut oſtendatur omnis *gratia ſuprema* & *invincibilis*. Verùm quod Janſenius auſus non fuit, audet Queſnellus, in hoc diſcipulus ſupra magiſtrum, omne auxilium gratiæ fingere juſtificans, cùm ait Articulo 28. *Prima gratia, quam Deus concedit peccatori, eſt peccatorum remiſſio*. Ideo minùs mirum foret, ſi adverſarius locum Apoſtoli tam erroneo ſenſu acciperet, ut quolibet gratiæ auxilio redderemur *filii Dei*. Senſus verò Scripturæ Catholicus eſt, non quòd quicunque aliquo Dei adjutorio excitantur ad opus bonum, inſpirationem ſequantur, multo minùs quòd ſemper ſtatim juſtificentur; ſed quòd, qui paſſim Divinæ gratiæ inſtinctum ſequuntur, *ii ſint filii Dei*. Unde patet objectionis futilitas, dum textus à damnato Articulo tam remotus, quàm nos ab Antipodibus, ad eum fulciendum hæreticâ confidentiâ advocatur.

20 Sed ea nuſquam magis elucet temeritas, quàm ubi adducitur illud Auguſtini de prædeſtinatione Sanctorum cap. 15. *Eâ gratiâ fit ab initio fidei ſuæ homo quicunque Chriſtianus, quâ gratiâ homo ille ab initio ſuo factus eſt Chriſtus: de ipſo ſpiritu & hic renatus, de quo eſt ille natus*. In toto illo capite nè minima quidem eſt cum proſcripto errore connexio. Totum enim quiſquis evolverit, nihil deprehendet de virtute, ſeu efficacitate gratiæ; ſed de ſola ejus neceſſitate diſputatum, aſſertumque ab Hipponenſi Antiſtite. In hoc inchoatur caput, in hoc ſenſu totum abſolvitur, ut ex beneficentia gratuita, quâ humanitati Chriſti opus fuit, ut ad unionem hypoſtaticam aſſumeretur, pateat, opus eſſe divina gratia cuilibet homini, maximè culpâ originis contaminato, atque adeò indigno, ut ad dignitatem filii Dei adoptione elevetur.

21 Textum oculis ſubjiciamus: *Eſt*, inquit, *præclariſſimum lumen prædeſtinationis, & gratiæ ipſe Salvator, ipſe mediator Dei, & hominum, homo Chriſtus* Jesus, *qui hoc ut eſſet quibus tandem ſuis, vel operum, vel fidei præcedentibus meritis natura humana, quæ in illo eſt, comparavit? Reſpondeatur quæſo; ille homo, ut à Verbo Patri coæterno in unitatem perſonæ aſſumptus, Filius Dei Unigenitus eſſet, unde hoc meruit? Quod ejus bonum qualecunque præceſſit? Quid egit ante? Quid credidit? Quid petivit, ut ad hanc ineffabilem excellentiam perveniret? Nonne faciente, ac ſuſcipiente Verbo, ipſe homo, ex quo eſſe cœpit, filius Dei unicus eſſe cœpit? Nonne Filium Dei unicum fœmina illa gratiâ plena concepit? Nonne de Spiritu Sancto, & Virgine Maria Dei Filius unicus natus eſt, non carnis cupidine, ſed ſingulari Dei munere?* Unde invictiſſimè concludit Auguſtinus contra Pelagium, & Maſſilienſes ejus reliquias, ſeu Semipelagianos; quòd, ſicut nè Chriſti quidem humanitas, prædeſtinatorum omnium exemplar, habuit aliquid, quo mereretur ad Filii Dei excellentiam elevari; ſed totum in unione illius hypoſtatica fuit gratuitum, ita neque, & multò minùs in prædeſtinatione hominis peccato originis contaminati, quidquam invenias meritorum, quo in filium Dei adoptivum aſſumi à Deo meruerit. Quare hominem gratìs ad juſtitiam prædeſtinari, gratìs ad eam à Deo clementiſſimo perduci dicendum eſt. Explicatiſſimam hic habes Lector ab ipſo Hipponenſi Antiſtite ſententiam, cujus laciniam, quaſi furtim

Digitized by Google

furtim adverſatius decerptam, tenebris involvendam ſperaverat.

22 Inſtabis: Non dicit Auguſtinus: *Sic etiam gratiâ ſit*. Sed EA GRATIA FIT, *ab initio fidei ſuæ homo quicunque Chriſtianus*. Igitur tam fortis, ſuprema, & invincibilis eſt gratia, qua homo quilibet fit Chriſtianus, quàm ea, quâ factus eſt Chriſtus, ſeu quâ humanitas ad Verbi unionem aſſumpta eſt.

23 Reſpondeo, exprimi ſapientiſſimè *eâ gratiâ* ad elidendam Pelagii verſutiam intelligentis nomine gratiæ naturam à Deo gratis conditam. Nè igitur Pelagius hoc ſuo ambiguitatis dolo Eccleſiam fallat; præcavet Auguſtinus, monens non de tali gratia ſermonem eſſe; ſed de ea, quæ omnem naturæ ordinem tranſcendit, qnali humanitas Chriſti ad Filii Dei unigeniti dignitatem prædeſtinata fuit, & aſſumpta, nullis ſuis præcedentibus meritis, nulla naturæ ſuæ ullatenus exigente conditione. Quam gratiæ rationem ab omni ſecernens naturæ munere, ut diſcretiſſimam eſſe conſtat unionem hypoſtaticam, *eâ*, inquit, *gratiâ*, id eſt naturæ ordinem excedente *ſit ab initio fidei ſuæ homo quicunque Chriſtianus*; non *eâ* quaſi in omnibus eâdem, vel ejuſdem ſpeciei infimæ; ſed ejuſdem generis, nempe ſuperantis debitum, & ordinem naturæ. Quis enim Catholicus Theologus unquam aſſeruerit eſſe eamdem prorſus, ſive in omnibus ſimilem, & æqualem gratiam, qua ad juſtitiam provehimur, ei qua ad nnionem Verbi humanitas Chriſti aſſumpta eſt?

24 Somniat hìc quidem lubens omnimodam ſimilitudinem, quiſquis cum Calvino libertatis hoſtis eſt, ipſo Janſenio, & primis ejus diſcipulis deterior. Quis enim neſciat, humanitatem Chriſti, cùm ante unionem hypoſtaticam non extiterit, non potuiſſe ad eam ſe ulla ratione diſponere, nihil ad ejus conferre productionem: & tamen per eam uuionis gratiam fuiſſe humanitatem elevatam ad perſonæ Divinæ & nnigeniti Filii Dei eminentiſſimam dignitatem; nulla, ut dixi, humanitatis præviâ diſpoſitione, nulla cooperatione; ſed eam in toto aſſumptionis negotio merè paſſivè ſe habuiſſe? Num etiam actualis gratia, de qua in artieulo ſermo eſt, ſe ipsâ filium Dei adoptivum conſtituit, & quidem nullâ præviâ hominis diſpoſitione, nullâ cooperatione; ſed habente ſe ſolummodo paſſivè? Nuſquam eò dementiæ prolapſus eſt Janſenius, ut illud aſſereret: & quinque Legati Janſeniſtarum in libello ſupplice trium colnmnarum tam ſtolidam hæreſim à ſe, & ſociis omnibus amoliti ſunt expoſitione Propoſitionis ſecundæ.

25 Ad hanc tamen hæreſim ducit Auguſtiniani textûs in articuli Queſnelliani patrocinium violenta contortio; maximè ubi Articulus 28. acceſſerit: *Prima gratia, quam Deus concedit Peccatori, eſt peccatorum remiſſio*. Nam ad primam gratiam, quæ eſt primum juſtificationis initium, nullam dari diſpoſitionem præviam, Catholicis indubitatum eſt. Hæc nobis non petentibus, non diſpoſitis datur: atque adeò quiſquis à ſtatu peccati, & damnationis traducitur ad ſtatum filiorum Dei, nullâ ſuâ diſpoſitione, aut operatione liberâ primam actualem gratiam accipit.

26 Nunc luci exponenda eſt Auguſtiniani textûs veriſſimi ad damnatum articulum maleſana applicatio. Humanitas Chriſti non ſuæ naturæ, vel operationis merito ad Filii Dei prærogativam evecta eſt, ſed merâ gratiâ, naturæ hominis indebitâ, & quæ omni ejus naturali perfectione ſuperior eſt. Hactenus rectè. Atqui eâ gratiâ, id eſt, ſupernaturali, non naturâ gratis acceptâ, non lege, atque doctrinâ, non liberi arbitrii merito, nt vult Pelagius, *ſit ab initio fidei ſuæ homo quicunque Chriſtianus, qua gratiâ homo ille ab initio ſuo factus eſt Chriſtus: de ipſo ſpiritu, & hìc renatus, de quo eſt ille natus*. Eatenus etiam optimè. Sed nunc audi conſeeutionem vaniſſimam, & nihil penitùs connexionis habentem cum antecedentibus: Ergo nulla datur in ſtatu naturæ lapſæ gratia ſufficiens, ſed omnis efficax eſt, ſive ut Queſnellus aliâ phtaſi idem ſignificante loquitur: *Gratia* JESU *Chriſti*, id eſt gratia omnis, quam per Chriſtum habemus, *eſt gratia fortis, potens, ſuprema, invincibilis &c.* ut in Articulo.

27 Non plus relationis ad illum habet, quod adducitur ex Chryſoſtomo Hom. 3. Sic in Apoſtoli verba commentante „ *Quod infirmum eſt Dei, potentius eſt hominibus*, 1. „ Cor. 1. verſ. 25. quia potentia, qua nos ad „ ſe trahit, ea eſt, qua filium ſuum reſuſcitavit „. Duplicem apud Interpretes ſenſum patitur enunciatio Apoſtoli: ut quod infirmum eſt Dei, accipiatur vel pro eo, quod imperfecto concipiendi modo hominum in Deo apparere poſſet minùs præ cæteris firmum, vel pro Incarnationis Myſterio: ut ſenſus ſit, minima potentia Dei fortior eſt hominibus: vel Chriſtus, qui propter nos circumdatus eſt infirmitate, tamen potentior eſt hominibus, ut nobis in omni neceſſitate auxilio ſit, quo poſſimus omnia inimici tela declinare, vel infringere; non autem quaſi divino præmuniti auxilio illud abjicere nequeamus, & turpi ad Diabolum defectione contra Authorem gratiæ conſpirare. Sic Chryſoſto-

mus in caput 6. Epheſ. *Induti*, inquit Apoſtolus, *loricâ juſtitiæ*, *ſicut lorica eſt invulnerabilis*, *ita etiam juſtitia*. *Juſtitiam autem hic dicit vitam catholicam*, *& quæ agitur ex virtute*. *Eum*, *qui eſt talis*, *nemo unquam poterit proſternere*. *Sed vulnerant quidem multi*, *nemo autem diſſecat*, *non ipſe diabolus*. Atque ita manet inſuperabilis, quamdiu loricam juſtitiæ retinere voluerit; ſed non propterea ipſi homini poteſtas loricam juſtitiæ, & gratiam abdicandi eripitur. Unde ſi omnis Chriſti gratia tam fortis diceretur, ut invincibilis eſſet ab hoſte extraneo, non videretur cenſuræ obnoxia ſententia, ſed hæreſeos cenſuram evitare non poteſt, ut ſonat illimitatè, & ut à proferente intelligitur, quod omnis gratia invincibilis omnino ſit, etiam nobis, ut ei reſiſtere nequeamus. Sic nempe impingitur in cenſuram hæreſeos inflictam Propoſitionibus ſecundæ & quartæ Janſenii.

Vigeſimaſecunda Propoſitio damnata.

Concordia omnipotentis operationis Dei in corde hominis cum libero ipſius voluntatis conſenſu, demonſtratur illico nobis in Incarnatione, veluti in fonte, atque archetypo omnium aliarum operationum miſericordiæ, & gratiæ, quæ omnes ita gratuitæ, atque ita dependentes à Deo ſunt, ſicut ipſa originalis operatio. *Obſerv. Mor. Luc.* 1. *verſ.* 38.

CAPUT I.

Inſulſus error caſtigatur.

1 HActenus Queſnellum exhibuimus deſtructorem libertatis, in ſingulis ferè, quos expendimus, articulis. Quæ enim peccatori libertas ſupereſt, ut pœnitentiam agat, ſeque ad reconciliationem cum Deo, ejus opitulante gratiâ, diſponat, ſi quilibet gratiâ ſanctificante excidens, incurrat *generalem impotentiam ad laborem*, *ad orationem*, *& ad omne opus bonum*? Articulo 1. Quæ libertas ad actum bonum, quoties abeſt JESU *Chriſti gratia*, *principium efficax boni cujuſcunque generis*, *neceſſaria ad omne opus bonum*, ſi *abſque illa*, ut articulus ſecundus aſſerit, *non ſolùm nihil fit*, *ſed nec fieri poteſt*? Nemo nos liberos dixerit ad id, quod facere non poſſumus; ſi nec auxilium petere, atque impetrare valeamus: non valemus autem ſinè gratia orationis efficaci juxta eumdem articulum, quæ omnibus non orantibus defuiſſe convincitur, aliàs enim prætermiſſa oratio non foret. Juxta articulum tertium *in vanum* ſunt omnia Dei præcepta, quoties ipſe gratiâ efficaci *non dat quod præcipit*; ſolùm enim *poſſibilia ſunt ei*, *cui Deus poſſibilia facit*, *eadem operando in illo*: id eſt, ei ſolùm ſunt poſſibilia, à quo efficaci gratiâ implentur.

2 Nulla igitur libertas bene operandi eſt omnibus efficaci gratiâ deſtitutis. Non eſt etiam libertas eis, qui tali gratiâ donati ſunt, ſiquidem, juxta articulum decimum, omnis *Gratia eſt operatio manûs omnipotentis Dei*, *quam nihil impedire poteſt*, *aut retardare*. Et juxta Artic. 21. omnis JESU *Chriſti gratia eſt ſuprema*, *& invincibilis*. Mira igitur libertas eſt, mirus *liberæ voluntatis conſenſus*, cujus cum omnipotente operatione Dei concordiam hic Queſnellus prædicat, & ait *demonſtrari illicò nobis in Incarnatione*, *velut in archetypo omnium aliarum operationum miſericordiæ*, *& gratiæ*, *quæ omnes ita gratuitæ*, *atque ita dependentes à Deo ſunt*, *ſicut ipſa originalis operatio*, ſeu Incarnatio. Fuitne in poteſtate humanitatis Chriſti impedire Verbi Incarnationem? Fuitne ſaltèm humanitatis conſenſus requiſitus, aut Incarnationi cooperatus? Numquid humanitas in Incarnatione, ſeu in unione Verbi ad illam merè paſſivè ſe habuit? Quomodo igitur *Concordia omnipotentis operationis Dei in corde hominis cum libero ipſius voluntatis conſenſu demonſtratur illico nobis*, *velut in archetypo omnium aliarum operationum miſericordiæ*, *& gratiæ*? Minus demonſtratur, ſi *omnes ita gratuitæ atque*, *ita dependentes à Deo ſunt ſicut ipſa originalis operatio*. Libertas juxta omnes tum Philoſophos, tum Theologos, ſolis exceptis Janſenianis, eſt poteſtas agendi, & non agendi poſitis omnibus ad agendum prærequiſitis. Atqui in humanitate Chriſti talis poteſtas non fuit, uniendi ſe Verbo, & non uniendi; ſed poſito Decreto Dei antecedente, & conſenſu Mariæ Virgi-

Virginis , neceſſariò humanitas unita eſt, ut per ſe patet, & agnoſcitur ab omnibus.

3 Præterea Incarnatio ita *gratuita* fuit, ita *dependens à Deo*, ut nullo modo dependerit à libero humanitatis Chriſti conſenſu , nullam in ea efficienda partem habuerit humanitas illa ; ſed unionem ſui ad Verbum tantummodò paſſa ſit, & minimè liberè; at neceſſitate maximâ: tota actio ſolius Dei fuit , nullo modo humanitatis . Nunc Lector Catholicus videt , an à Sede Apoſtolica tolerari debuerit , aut potuerit talis comparatio , talis norma , & archetypus omnium noſtrorum actuum liberorum, ope gratiæ procedentium , quibus à Queſnello hâc ratione eripitur libertas omnis , omnis noſtra cooperatio , omne meritum . Unde ſi Lutherus , Calvinus , aut ſimilis declaratus Eccleſiæ , libertatis , & omnis meriti hoſtis comparationem illam protruderet, nihil aſſereret, niſi hæreſi ſuæ maximè conſonum; at illam à Scriptore communionem Eccleſiæ , & Catholici nomen affectante tradi, & iteratò inculcari, difficile creditu appareret, niſi oculis ipſi noſtris legeremus .

4 Ex quo autem Scripturæ teſtimonio tam inauditam Catholicis obſervationem colligit ? ex Lucæ 1. v. 38. *Dixit autem Maria : Ecce ancilla Domini , fiat mihi ſecundùm verbum tuum .* Non nulli hic de Queſnelli animo benigniùs ſentientes, etſi Propoſitionem ejus fateantur eſſe abſonam, & pluſquàm erroneam , ſi accipiatur ut ſonat in rigore, & obvio verborum ſenſu ; tamen exiſtimant explicari poſſe ex mente Authoris, ſignificatione impropriâ quidem, ſed tolerabili ; ut nempe liber conſenſus Beatæ Virginis in Incarnationem, libertatem indicet noſtrorum actuum à libertate noſtrâ pendentium , ſicut Incarnatio dependit à conſenſu libero Deiparæ . Verùm non libertas Virginis , non ejus conſenſus in articulo , vel Obſervationum moralium textu deſignatur; ſed ipſa Incarnatio velut fons, & archetypus omnium noſtrorum actuum ad juſtitiam , & ſalutem conducentium,qui omnes aſſeruntur *operationes miſericordiæ , & gratiæ , omnes ita gratuitæ , atque ita dependentes à Deo, ſicut ipſa originalis operatio* . Pulchra enimverò *demonſtratio concordiæ omnipotentis operationis Dei in corde hominis, cum libero illius voluntatis conſenſu* , obtruditur *ex Incarnatione*; quæ quidem eſt *ipſa originalis operatio* gratiarum omnium, & ab iis profluentium operationum ; verùm *Incarnatio* non eſt actio creaturæ , atque adeò nec actio ejus libera .

5 Si ergo non alia competat bonis actibus humanis libertas humana , quàm fuerit in Incarnatione , in qua nulla actio humana deprehenditur, patet non potuiſſe magis incongruam excogitari à libertatis hoſtibus *concordiam operationis Dei in corde hominis cum libero ipſius voluntatis conſenſu*, quàm ex Incarnatione; quæ quidem, ut dixi , omnipotens operatio Dei eſt, & originalis operatio omnium aliarum operationum miſericordiæ, & gratiæ : Sed ut Incarnatio, ſeu unio Verbi cum humanitate , eſt actio ſolius Dei, non hominis ; ſi omnes noſtri actus liberi non plus humanæ libertatis habeant, quàm Incarnatio , omnes æquè gratuitæ, atque ita dependentes à Deo ſint , quàm ipſa omnium originalis operatio; parum ſpei eſt ſalvandi humanorum actuum libertatem. Archetypus ille dici debuit neceſſitatis propriiſſimæ, non libertatis humanæ .

CAPUT II.

Refellitur objectio petita ex Apoſtolo .

1 Epheſ.2. verſ.10. *Ipſius enim factura ſumus , creati in Chriſto* Jesu *in operibus bonis,quæ creavit Deus , ut in illis ambulemus* . In quem locum ſic interpres Angelicus „ Duo ad rationem gratiæ pertinent: quorum primum
„ eſt, ut id , quod eſt per gratiam , non inſit
„ homini per ſe ipſum , vel à ſe ipſo ; ſed ex
„ dono Dei : & quantum ad hoc dicit : ipsius
„ enim factura sumus .... Secundò pertinet ad rationem gratiæ, ut non ſit ex operibus præcedentibus : & hoc exprimitur
„ in hoc,quod ſubdit, creati : Eſt enim creare , aliquid ex nihilo facere . Unde quando aliquis juſtificatur ſinè meritis præcedentibus , dici poteſt creatus, quaſi ex nihilo factus . Ulteriùs non ſolùm nobis
„ datur habitus virtutis , & gratiæ ; ſed interiùs per ſpiritum renovamur ad bene
„ operandum : unde ſubdit: *In operibus bonis.* Sed nè aliquis intelligeret, bona opera ſic eſſe nobis præparata à Deo , ut nihil
„ ad illa per liberum arbitrium cooperaremur , ideo ſubdit , *ut in illis ambulemus* ;
„ quaſi dicat, ſic nobis ea præparavit, ut ea
„ nos ipſi nobis per liberum arbitrium impleremus . Dei enim adjutores ſumus , ut
„ dicitur 1. Cor. 3. propter quod de ſe ipſo
„ dicebat Apoſtolus 1. Cor. 15. *Gratia ejus in me vacua non fuit ; ſed abundantiùs omnibus laboravi , non ego ; ſed gratia Dei mecum* .

2 Non ſolùm igitur textus Apoſtoli non

confirmat damnatam in Articulo *concordiam* omnipotentis operationis Dei in corde hominis cum libero ipſius voluntatis conſenſu, prout, juxta hunc novum Theologum, dicitur *demonſtrata nobis in Incarnatione, velut in Archetypo &c.*; ſed textus juxta interpretationem Angelici, concordiam illam funditus ſubruir. Non enim quod de bonis operibus ibi docemur, applicari poteſt prætenſo Archetypo. Poſſetne Chriſti humanitas dicere; *Nè aliquis intelligeret Incarnationem Verbi, ſic eſſe mihi præparatam à Deo, ut nihil ad illam per liberum arbitrium cooperarer: ſic mihi Deus unionem hypoſtaticam præparavit, ut eam per liberum arbitrium implerem: Dei ad Incarnationem adjutrix fui?*

3 Adde, diſtinguendum inter juſtificationem impii, & cætera opera, quæ poſtea à juſtificato exercentur. Priorem, ut juxta Apoſtolum creatio quædam eſt ex nihilo, mereri non poſſumus. Sed juſtitiam jam adepti, non eſt cur operibus ſubſequentibus non mereamur juſtitiæ incrementum. Unde licèt concederetur concordia quædam omnipotentis operationis Dei in corde hominis cum libero ipſius voluntatis conſenſu, quaſi demonſtrata illicò nobis in Incarnatione, vel Archetypo juſtificationis noſtræ, & adoptionis in filios Dei; non tamen propterea concedenda foret concordia omnipotentis operationis Dei in corde hominis juſtificati. Falſum enim eſt, Incarnationem tam eſſe Archetypum, ſeu normam omnium aliarum operationum miſericordiæ, & gratiæ, atque omnes in juſtificatis ita eſſe gratuitas, atque ita dependentes à Deo ſicut ipſa fuit Incarnatio, ſeu Originalis operatio. Concordiam illam pridem excogitavit Theodorus Beza famoſus Calvini diſcipulus; ſed à Catholicis pridem Scriptoribus ſtrenuè refutatus.

4 Audi Cornelium à Lapide ante annos centum in caput ſecundum epiſtolæ ad Epheſios verſ. 10. Sic hæretico reſpondet: *Mirum eſt, Bezam non advertere, Apoſtolum loqui de juſtificatione: Hàc enim ſimus nova factura, & creatura Dei; non autem de operibus, quæ juſtificationem ſequuntur. Unde ſicut ſecundùm naturam ſumus factura, & opus Dei ſolius, qui nos creavit; & tamen acceptâ à Deo naturâ multa opera naturalia, & moralia facimus liberè, tam bona, quàm mala; ita prorſus in juſtificatione; juſtitiam, per quam recreamur, & ſimus quaſi nova creatura, à Deo ſolo infuſam accipimus: eâ tamen acceptâ per eamdem liberè opera fidei, ſpei, charitatis, & juſtitiæ Chriſtianæ operamur.*

5 Tum idem clariſſimus Interpres ſic proſequitur: *Adde, aliter nos creari, aliter recreari, ſive renovari per juſtificationem; qui enim* CREAVIT TE SINE TE, NON SALVABIT, *ac conſequenter non juſtificabit* TE SINE TE, *ait S. Auguſtinus; quia ſcilicet tuam cooperationem, & liberam diſpoſitionem, qua ad juſtitiam per actus fidei, ſpei, & pœnitentiæ te diſponas, à te requirit.* Nullam requiſivit Deus ab Humanitate Chriſti cooperationem, nullam liberam diſpoſitionem, ut aſſumeretur à Verbo.

6 Hinc latiſſimum diſcrimen patet inter omnipotentem operationem Incarnationis, & bonorum actuum tum hominis juſtificati, tum etiam ſe primùm pœnitentiâ juſtificantis. Prætenſa verò in damnato Articulo concordia Calviniſtis authoribus dignior eſt, quàm Catholicis. Eam ignoravit, certè minimè admiſit Tridentina Synodus, ſeſſ. 6. cap. 5. declarans, *quòd qui per peccata à Deo averſi erant, per ejus excitantem, atque adjuvantem gratiam ad convertendum ſe ad ſuam ipſorum juſtificationem, eidem gratiæ liberè aſſentiendo, & cooperando diſponantur: ita ut tangente Deo cor hominis per Spiritûs Sancti illuminationem, neque homo ipſe nihil omnino agat, inſpirationem illam recipiens; quippe qui illam & abjicere poteſt &c.* Nihil horum convenit, vel applicari poterit Incarnationi. Ad eam nulla gratia prævia humanitatem excitavit: hæc ad unionem amplectendam nullo prævio auxilio adjuta fuit, ad eam minimè requiſitus eſt liber ejus aſſenſus: minimè ad eam ſe diſpoſuit: minimè ejus infuſioni, vel ad eam diſpoſitioni cooperata eſt.

CAPUT III.

Refutantur objecta ex Patribus.

1 PRO Chimerica illa concordia adducuntur ab adverſario Sanctus Leo, Auguſtinus, & Fulgentius. Quorum primus ſermone quarto de Nativitate Domini cap. 3. dicit: *Terra carnis humanæ, quæ in primo fuerat prævaricatore maledicta, in hoc ſolo Beatæ Virginis partu germen edidit benedictum, & à vitio ſuæ ſtirpis alienum: cujus ſpiritalem originem in regeneratione quiſque conſequitur, & omni homini renaſcenti aqua Baptiſmatis inſtar eſt uteri Virginalis, eodem Spiritu Sancto replente fontem, qui replevit, & Virginem, ut peccatum, quod ibi evacuavit Sacra Conceptio, hic myſtica tollat ablutio.* Quid hoc ad damnatum Articulum? S. Leo aſſerit, nos eodem Spiritu Sancto ſanctificari in baptiſmate, quo Filius

lius B. Mariæ ſanctificatus eſt in utero Matris, ubi patet, non de actuali gratiâ, ſed habituali ſermonem eſſe; non enim parvuli, qui ante rationis uſum ablutione myſticâ initiantur, capaces ſunt actuum ſupernaturalium, & liberorum, ad quos actuales gratiæ diriguntur. Quid igitur S. Leonis de gratia habituali, & libertatem minimè ſupponente aſſertio facit ad demonſtrandam concordiam actuum noſtrorum liberorum cum omnipotentis gratiæ actualis auxilio? Scilicet actuum noſtrorum libertas dicitur demonſtrata ex ſanctificatione habituali, & quidem non libera ſubjecto, cui infunditur; nam ut humanitati libera non fuit unio ſua cum Verbo, ita neque libera ei fuit prima Sanctificatio. Quapropter faciliùs ex aqua ignem eliciet adverſarius, quam ex hac Sancti Leonis comparatione tam exoticam, & impoſſibilem damnati articuli *concordiam*.

2 Non plus momenti ad ſui confirmationem illa habet ex Auguſtini libro de dono perſeverantiæ cap.24. *Nullum eſt illuſtrius prædeſtinationis exemplum, quàm ipſe* Jesus. Sententia ſublimis, ac perbrevis eſt, nihil verò lucis adferens ad prætenſæ concordiæ demonſtrationem. Seipſum explicat S. Antiſtes: *Qui ergo*, inquit, *hunc fecit ex ſemine David hominem juſtum, qui nunquam eſſet injuſtus, ſine ullo merito præcedentis voluntatis ejus, ipſe ex injuſtis fecit juſtos, ſinè ullo merito præcedentis voluntatis ipſorum, ut ille caput, hi membra ſint ejus. Qui ergo fecit illum hominem ſinè ullis ejus præcedentibus meritis, nullum, quod ei dimitteretur, vel origine traheret, vel voluntate perpetraret peccatum, ipſe nullis eorum præcedentibus meritis facit credentes in eum, quibus dimittat omne peccatum. Qui fecit illum talem, ut nunquam habuerit, habiturusque ſit voluntatem malam, ipſe facit in membris ejus ex mala voluntate bonam. Et illum ergo, & nos prædeſtinavit; quia & in illo, ut eſſet caput noſtrum, & in nobis ut ejus corpus eſſemus, non præceſſura merita noſtra; ſed opera ſua futura præſcivit*. Ita Auguſtinus, cujus univerſa inter Chriſtum, & nos comparatio in eo ſita eſt, quòd, ſicut Chriſti humanitas nullis ſuis præcedentibus meritis prædeſtinata eſt, ut aſſumeretur à Verbo in unitatem perſonæ, atque adeò ad Sanctitatem eximiam Dei Filio convenientem; ita & nos nullis noſtris præcedentibus meritis à Deo prædeſtinemur, ut ſimus membra Chriſti, & Dei, per adoptationem, filii. Sed ex illa prædeſtinatione utrobique gratuitâ, non video *demonſtratam illteo concordiam* in Articulo promiſſam. In oppoſitum potiùs videtur tota Adverſarii machina collimare; ut nempe ex eo, quòd aſſumptio in Filium Dei, & ad eam prædeſtinatio non fuit Chriſti humanitati libera, neque nobis libera ad gratiam prædeſtinatio; ita neque opera noſtra, quæ fiunt per gratiam, ſint nobis libera: non fiant noſtrâ deliberatione, electione, determinatione; ſed ſolius Dei. Quod quàm ſit à Doctrina Eccleſiæ, & Fide Catholica alienum, quivis vel in Theologia ſcientiâ tirò facilè perſpicit.

3 Inducitur iterum textus Auguſtini lib. de prædeſtinatione Sanctorum cap.15. quem in ſolutione objectionum pro ſuperiore Articulo allatum non patrocinari ſubverſoribus libertatis oſtendi ſatis dilucidè; ut hic repetere ſupervacaneum videatur. Sed quia plura hic majoribus exprimens characteribus, non exiguum erroris ſui firmamentum in hac ſententia adverſarius ſe deprehendere exiſtimat, iterum audiatur: *Eâ gratiâ fit ab initio fidei ſuæ homo, quicunque Chriſtianus,* qua gratia homo ille ab initio suo factus est. Christus, *de ipſo ſpiritu & hic renatus, de quo eſt ille natus: eodem ſpiritu fit in nobis remiſſio peccatorum, quo ſpiritu factum eſt, ut nullum haberet ille peccatum. Hæc ſe Deus eſſe facturum profectò præſcivit.* Ipsa est igitur prædestinatio sanctorum, quæ in sancto sanctorum maxime claruit. En totius argumenti robur: Eâdem gratiâ ſanctificante, quam nulla præceſſerint liberi arbitrii merita, & quâ humanitas Chriſti unita eſt Verbo, & ſanctificata, eâdem, ſeu ſimili gratia ſanctificante, eodem Spiritu Sancto renaſcimur, & reddimur Chriſtiani. Ergo, & prædeſtinatio ad ſanctificationem, ſicut fuit ſinè præcedentibus meritis humanitatis Chriſti, ita eſt gratuita reſpectu aliorum prædeſtinatorum. Quod ubi totum conceſſero, nondum indè, vel per rimam, video elucêre demonſtratam concordiam actuum omnipotentis operationis Dei in corde hominis per gratiam actualem cum libero voluntatis conſenſu; nondum, inquam, video demonſtratam illam concordiam in Incarnatione, velut in fonte, atque Archetypo omnium aliarum operationum miſericordiæ, & gratiæ. Quæ ſi omnes æquè gratuitæ, atque ita dependentes à Deo ſunt, ſicut ipſa originalis operatio, ſequetur, quòd, ſicut Incarnatio, & prima humanitatis Chriſti ſanctificatio, atque ad eam prædeſtinatio, non fuit libera humanitati Chriſti, ita nec ullæ actiones, quæ per gratiam fiunt, ſint homini liberæ à neceſſitate; atque adeò nullæ meritoriæ, etiam in juſtificatis, ut ſupra Bezam Calviniſtam arguentem vidimus, & à Cornelio à Lapide refutatum.

4 Nihil novi profert adverſarius ex opere imperfecto contra Julianum, & ex Enchiridii cap. 36. Utrobique aliud ab Auguſtino non aſſeritur, quàm Chriſti humanitatem, nullis ſuis præcedentibus meritis, ad unionem cum Verbo fuiſſe aſſumptam; atque ita nos eâdem gratiâ ſanctificante ex peccatoribus juſtos fieri, nullis præcedentibus liberi arbitrii meritis: Quia gratia ſanctificans eſt principium meriti; principium autem meriti, juxta Theologos, non cadit ſub meritum. Unde rectè Auguſtinus contra Pelagianos probat, juſtificationem hominibus non obvenire ex meritis liberi arbitrii, ſicut Chriſti Sanctitas, & aſſumptio humanitatis ad unionem cum Verbo, annexamque ei Sanctitatem, non ei contigit ex meritis humanitatis Incarnationem præcedentibus; cùm evidens ſit, humanitatem illam, quæ priùs non extitit, non potuiſſe aſſumptionem promereri. Sed indè ridiculè adverſarius infert demonſtrationem concordiæ inter *omnipotentem Dei operationem in corde hominis, & liberum ipſius voluntatis conſenſum*; cùm nihil æquè natum ſit libertatem evertere, quàm illa Incarnationis cum humanis actibus comparatio; quid enim evidentiùs neceſſarium, & minùs liberum excogitari poteſt, quàm prima humanitatis Chriſti Sanctitas, & aſſumptio ad hypoſtaticam unionem? Hæc Janſenianæ, imò Calvinianæ libertatis figura inter eas meritò numerabitur *Obſervationum moralium* fallacias, quibus ſub ſpecie pietatis virtus omnis deſtruitur: & ut gratiæ Divinæ incongrua tribuatur excellentia, libertatem, atque omne meritum tum hominibus, tum etiam gratiis adimi oportuit.

5 *S. Fulgentii ſententia lib. de Incarnatione, & gratiâ cap. 20. proſcriptum articulum pleniſſimè defendit*, inquit adverſarius. Quare nec à me tacitè prætereunda eſt: *Forma*, ait Fulgentius, *præceſſit in carne Chriſti, quam in noſtra Fide ſpiritualiter agnoſcamus. Nam Chriſtus Filius Dei ſecundùm carnem de Spiritu Sancto conceptus, & natus eſt. Carnem autem illam nec concipere Virgo poſſet aliquando, nec parere, niſi ejuſdem carnis Spiritus Sanctus operaretur exortum. Sic ergo in hominis corde nec concipi Fides poterit, nec augeri, niſi eam Spiritus Sanctus effundat, & nutriat. Ex eodem namque Spiritu renati ſumus, ex quo natus eſt Chriſtus. Eodem igitur Spiritu Chriſtus formatur ſecundùm fidem in corde uniuſcujuſque credentis, quo ſpiritu ſecundùm carnem formatus eſt in utero Virginis.* Subdolè reticet adverſarius verba immediatè præcedentia, è quibus ſubſequentium ſenſus, nihil prorſus ad proſcriptum articulum pertinens, clariſſimè patescit. Sic illic Fulgentius: *Non ergo Spiritum Sanctum, quia credimus, ſed ut crederemus, accepimus*. Tum ſequitur: *Forma enim præceſſit*, & cætera, ut in objectione. Totus ſcilicet illius capitis, & plurium tam antecedentium, quàm conſequentium ſcopus eſt, oſtendere contra Pelagianos, gratiam non dari propter bona opera præcedentia, & mérita naturæ viribus acquiſita; ſed bona opera, & merita ortum ducere ex gratia: *Non ergo*, inquit, *Spiritum Sanctum, quia credimus; ſed, ut crederemus, accepimus*. Quod ſtatim ex Chriſti conceptione, & nativitate Fulgentius confirmat dicens: *Nam Chriſtus, Filius Dei, ſecundùm carnem de Spiritu Sancto conceptus, & natus eſt. Carnem autem illam nec concipere Virgo poſſet aliquando, nec parere, niſi ejuſdem carnis Spiritus Sanctus operaretur exortum*. Tum concludit, *Sic ergo in hominis corde nec concipi fides poterit, nec augeri, niſi eam Spiritus Sanctus effundat, & nutriat. Ex eodem namque Spiritu renati ſumus, ex quo natus eſt Chriſtus*.

6 Totam argumenti vim in eo Fulgentius conſtituit, quòd ſicut Virgo neque concipere, neque parere potuiſſet ſinè Spiritu Sancto; ita neque nos ſinè eodem Spiritu renaſci valeamus, neque credere; cùm tamen fides cæterarum virtutum prima ſit, radix juſtitiæ, & ſalutis. Neceſſitas gratiæ etiam ad juſtitiæ, & meritorum initium rectè ab hoc Sancto Patre oſtenditur; ſed de demonſtranda ex Incarnationis myſterio concordiâ omnipotentis operationis Dei in corde hominis cum libero ipſius voluntatis conſenſu, ut contendit adverſarius, nullus Fulgentio ſermo: nec aſſeri ab eo demonſtratio illa ſapienter, aut catholicè potuit. Nam quisquis renaſcitur, etiam infans unius diei, renaſcitur ex gratia ſanctificante, & ex eodem Spiritu Sancto, ex quo conceptus in utero Virginis eſt Filius Dei, & ab ea in lucem editus. Atqui evidens eſt, regenerationem infantium in Baptiſmo fieri in ipſis ſinè ullo actu eorum libero, ſinè ullo voluntatis eorum conſenſu, ad quem nullatenus idonei ſunt, ut contra Lutheri ſomnia fideles omnes certiſſimum habent.

7 Quomodo ergo ex regeneratione iſta, quæ ex ſanctificante gratiâ habituali fit, adverſarius nos edocere vult, qualis ſit in bonis actibus libertas, qualis concordia omnipotentis operationis Dei, id eſt gratiæ actualis invincibilis cum voluntatis noſtræ conſenſu? Profectò, ſi integra eſt ſimilitudo modi, quo fit prima iſta infantium regeneratio in Baptiſmo, & quo actus à nobis boni per gratiam eliciuntur: ſi ex priore diſcere nos velit modum poſteriorum, cõcludere oportebit, quòd, ſicut in regeneratione infantium nulla operatur

ratur

Digitized by Google

ratur eorum libertas, ſed totum intus agit ſolus Spiritus Sanctus, ita in bonis adultorum actionibus, nihil operetur liberum arbitrium; ſed totum ſola gratia, contra id, quod dicit Apoſtolus: *Non ego, ſed gratia Dei mecum*. Quamvis igitur idem Spiritus Sanctus effecerit Incarnationem, & infantes ſanctificet in Baptiſmo, & adultos per pœnitentiam, cæteroſque actus ſalutiferos, non tamen eodem modo hæc omnia operatur; nam Incarnationem quidem, abſque ulla humanitatis aſſumendæ liberâ diſpoſitione, cooperatione, vel prævio conſenſu, eodem modo juſtificat parvulos in Baptiſmo; ſed longè aliter adultos, quorum conſenſus liber, & cooperatio requiritur. Abſurdiſſima igitur eſt, & hæreſim involvit comparatio adverſarii, ſeu prætenſa in articulo concordia, nec minùs temerè tentata Fulgentianæ ſententiæ ad eam confirmandam relatio. Quid enim in Scripturis omnibus, tum Novi, tum Veteris Teſtamenti, quid in omnibus Sanctorum voluminibus frequentius eſt adhortationibus ad juſtitiæ, & ſalutis opera, & increpationibus peccantium, ac præcipuè impœnitentium? Omnibus autem perfacilis in Queſnelli articulo ſuppeditatur excuſatio, quòd nempe conatus omnis ad juſtitiam, & ſalutem inutilis ſit, ſubſiſteute prætensâ concordiâ, juxta quam nihil prorſus ad juſtitiam conducit cooperatio hominis cum gratiâ; imò impoſſibilis apparet, ut cooperatio humanitatis ad Verbi Incarnationem; cùm aute unionem non extiterit, neque ad eam aliter habere ſe potuerit, quàm paſſivè.

8 Poſtquam adverſarius Propoſitionem in ſenſu obvio acceptam ſe hìc propugnare profeſſus eſt, aliam comminiſcitur defenſionis viam, quòd ſcilicet in Queſnelli libro ſenſum Propoſitio longè alium contineat, quàm ex eo decerpta in conſtitutione præ ſe ferat. „ Non enim, inquit, comparatur in libro „ operatio gratiæ, cum eo, quod in Chriſto „ actum eſt; ſed ſolummodo cum conſenſu, „ quem Virgo præſtitit verbis Angeli. Circa „ quem ſic ſtatim animadvertit: *Deus bono„ rat Creaturam ſuam*, Virginem Mariam, „ *petendo ejus conſenſum circa id, quod in illa „ operari ipſe conſtituit, qui, quod poſtulat, lar„ gitur*. Poſt quæ ſequuntur verba Propoſi„ tionis excerptæ. Procul igitur abeſt Queſ„ nelli articulus ab excludenda liberi arbi„ trii cooperatione.

9 At ſi voluiſſet Queſnellus, articulum, ſeu moralem obſervationem ſuam longè abeſſe ab excludenda liberi arbitrii cooperatione, ſi operationem gratiæ comparare ſolummodò cum conſenſu Virginis, non autem cum eo, quod in Chriſto effectum eſt, debuiſſet aſſerere concordiam omnipotentis operationis Dei in corde hominis cum libero ipſius voluntatis conſenſu demonſtratam illico nobis in conſenſu libero Beatæ Virginis, non autem in *Incarnatione, veluti in fonte atque archetypo omnium aliarum operationum miſericordiæ, & gratiæ, quæ omnes ita gratuitæ, atque ita dependentes à Deo ſunt, ſicut ipſa originalis operatio*. Conſenſus nempe Virginis, non eſt ipſa *Incarnatio*, neque de conſenſu illo Queſnellus intelligi voluit, quidquid in obſervatione ſua, & excerpta propoſitione Incarnationem ſequitur, quòd ſit *fons, & archetypus omnium aliarum operationum miſericordiæ, & gratiæ*, quòd ipſa ſit *originalis operatio*. Iſtud cuilibet inſpicienti textum evidens eſt: neque Queſnellus, aut ullus ejus ſeu diſcipulus, ſeu ſocius inficiabitur: neque Janſeniſtæ in extollendis Mariæ Virginis prærogativis adeò profuſi ſunt, ut tam eximias ipſi tribuere ſoleant, quales hìc Chriſto, ſive Incarnationi adſcribuntur. Et alioqui qualis fuiſſet ea concordiæ aſſerta demonſtratio, cùm eadem difficultas recurreret circa concordiam omnipotentis operationis Dei in corde Mariæ Virginis cum libero ipſius voluntatis conſenſu, quæ eſt in cæteris mortalibus. Deinde tot ſimiles figuræ ad ſubverſionem humanæ libertatis à Queſuello excogitatæ, & expreſſæ in Propoſitionibus præcedentibus, & mox ſecuturis ſatis indicant, eum à tam abſonâ, & hæreſim ſapiente concordiâ minimè alienum eſſe; ideoque verba ejus ad benignlorem ſenſum, relicto proprio, & obvio, minimè detorquenda.

10 Hane pridem hæreticorum fallaciam obſervavit Franciſcus Simonis, parte ſecunda de fraudibus hæreticorum fraude 12. *Expoſtulare ſeriò, dogmata ſibi affingi hæretica, aut hæreſim olentia, graviterque detrahi famæ, & honori ſuo*. Quod pluribus deducens „ Fraus „ (inquit) nulla hæreticis paratior, quàm „ dogmata ſua negare, ſua eſſe: tum verò, ſi „ quis verba ſua ipſis objecerit, hunc poſtu„ lare de calumnia. Habet hoc hæreſis miri„ ficum, doceri gaudet, memorari non vult, „ neque dici, ſe doceri: uſque adeò ipſam „ ſui pudet „. Quod Author tum veteribus, tum recentioribus exemplis illuſtrat. Referri præ cæteris meretur illud Pauli Samoſateni, de quo ita Simonis „ Palàm An„ tiochiæ Judaizaverat Paulus Samoſatenus, „ Chriſtum negans Deum eſſe. Impietatem „ ulturi Antiochiam convenerunt Epiſcopi, „ Presbyteri, Diaconi prope infiniti, ut Eu„ ſebius memorat lib. 7. cap. 27. Prodiit in „ Concilium hæreſiarcha. Prolata accuſa„ tionis capita. Ille autem, ſi Theodoreto „ lib.2.

„ lib.2.hiſtoriæ cap.8. fides eſt, nihil prom-
„ ptius habuit, quàm conteſtari palàm,nihil
„ horum ſe aut docuiſſe,aut ſenſiſſe. Judices
„ vel palinodiam interpretati, vel inducti
„ ab impoſtore, vel potentiam veriti Zeno-
„ biæ Reginæ, quam diſcipulam habebat,
„ impunitum dimiſerunt. Quid autem ipſe
„ poſt hæc? Nihilo ſegniùs, quàm priùs, la-
„ ceſſere cœpit Chriſti divinitatem. Quâ fa-
„ mâ commoti Epiſcopi rurſum innumeri,ut
„ Euſebius narrat lib.7.cap.28. Antiochiam
„ confluxerunt, certi exſcindere peſtem, cui
„ prior lenitas vires dederat. Hæc provi-
„ dens hæreſiarcha perfrictâ rurſum fronte
„ adfuit,graviterque expoſtulans de calum-
„ niâ, inficiatus eſt pertinere ad ſe eorum
„ quidpiam, quo hæreticus probaretur. Sed
„ denique, ut Euſebius loquitur, *Perſpicuè*
„ *convictus*, *& omnium jam conſenſu palàm*
„ *condemnatus*, *ab univerſa*, *& Catholica Ec-*
„ *cleſia*, *quæ ſub Cœlo eſt*, *exturbatus eſt*.

11 Prætereo aliud Pelagii in epiſtola ad Innocentium ſcriptâ, ſed ejus demortui ſucceſſori Zoſimo tradita, in qua queritur, varia eſſe *de quibus eum homines infamare conarentur*,ut refert Auguſtinus libro de gratia Chriſti cap.30.Nihil certius, quàm Lutherum docuiſſe,*Non omnia peccata cordis eſſe confitenda*, *non ſimplices cogitationes*, *nec ipſas affectiones*, *ſed ut ſummum ea*, *quæ pleni ſunt conſenſûs in opus*; ita loquitur in opuſculo de confitendi ratione num. 7. Ibidem num. 6. ait, *Confiteri peccata cordis occulta*,*ac ſic ſoli Deo*,*& homini*, *qui fecit ea*,*cognita*,*eſſe penitùs in judicium Dei manum mittere*,*& forum Dei violare*; ubi minimè obſcurè omnia peccata interna Tribunali pœnitentiæ ſubtrahuntur. Eraſmus tamen Lutheri defenſor in epiſtola ad Archiepiſcopum Moguntinum Lutherum frivolè interpretatur, quaſi negaſſet ſolùm peccata dubia, vel non certò pœnitenti cognita eſſe confitenda. „ Non inſiſtam augendo huic
„ loco(inquit Simonis)quando Chamæleon-
„ tes hæreticos ſuis mox coloribus pingam
„ ſtudioſiùs, & ſpectandas exhibebo vafro-
„ rum hominum tergiverſationes, vitilitiga-
„ tiones,amphibologias,mendacia,perjuria,
„ quibus ad eludendos Judices ſunt inſtru-
„ ctiſſimi. Unum hic agebam, ut intellige-
„ rent orthodoxi,quàm non deceat,ſe com-
„ moveri hæreticorum querimoniis hæreſim
„ ſibi affingi expoſtulantium, famæque ſuæ
„ detrahi; ſi quando inſperſos verboſo co-
„ dici errores excerpſerit quiſpiam, verbis-
„ que totidem expreſſos exhibuerit omni-
„ bus bonis deteſtandos.

Vigeſimatertia Propoſitio damnata.

Deus ipſe nobis ideam tradidit omnipotentis operationis ſuæ gratiæ, eam ſignificans per illam, qua creaturas è nihilo producit, & mortuis reddit vitam. *Obſerv. Mor. Rom.4. verſu 17.*

CAPUT I.

Hic hæreſis abjectâ larvâ ſe prodit.

1 Videtur Queſnellus timuiſſe, nè lector non ſatis intelligeret ſubverſam alibi à ſe tam diverſimodè libertatem. Ideo tam illuſtrem hìc, & geminam comparationem addit, ut luce meridianâ clarior mens ſua ſplendeat, & univerſæ libertatis in bonis actibus ruina. Quis unquam hæreticus minùs nobis libertatis tribuit, quàm omnes agnoſcant circa creaturarum è nihilo productionem, & ſuſcitationem mortuorum ad vitam? Utraque Dei operatio omnipotentiam ejus manifeſtat; ſed nullo modo creaturarum libertatem. Nemo productioni ſui ex nihilo cooperatus eſt, aut cooperari potuit juxta notiſſimum naturæ lumine axioma, *Prius eſt eſſe*, *quàm operari*. Non plus ad ſui reſuſcitationem confert mortuus: utrumque opus ſolius Dei eſt. Unde nullus adeò deſipuit hactenus, ut ex prima noſtri productione, aut ſuſcitatione à mortuis laudem nobis, aut meritum adſciſceret. Quid ergo? An etiam omnibus bonis actibus humanam cooperationem detrahere vult Propoſitionis Author,atque ita omnem laudem, & meritum noſtrum peſſumdare? Neceſſaria iſta eſt ex ejus verbis conſecutio. Imò Janſenium, & Calvinum Queſnellus ſuperat. Illi enim ſaltèm exemptionem à coactione, ſeu voluntarium in bonis actibus agnoverunt, ut liquet ex tertia Janſenii Propoſitione, & hac Calvini de libero arbitrio contra Pighium lib. 2. *Si coactioni opponitur libertas*, *liberum arbitrium eſſe & fateor*, *& conſtanter aſſevero*, *ac pro hæretico habeo quiſquis ſecus ſentiat*. Reperiturne autem voluntarium, vel libertas à coactione in utroque Queſnelli exem-

exemplo? Coactio, ſecundùm omnes, eſt motus ab extrinſeco adveniens, nihil conferente paſſo. Atqui perſpicuum eſt, creaturarum è nihilo productionem, & ſuſcitationem à mortuis eſſe motus provenientes ab extrinſeco, ſeu actiones ſolius Dei, nihil conferentibus iis, qui producuntur, aut reſuſcitantur. Si hæc igitur eſt juxta Queſnellum *Idea omnipotentis operationis gratiæ*, ſi hanc *Deus ipſe nobis ideam tradidit, eam ſignificans per illam, quâ creaturas è nihilo producit, & mortuis reddit vitam*, quid aliud concludere poſſumus, quàm Queſnellum eſſe omnis laudis, omnis meriti deſtructorem, Janſenii, Calviniique hæreſim ſupergreſſum?

2 Veteranus quidam Theologiæ Magiſter, ut primùm incidit in novam iſtam gratiæ ideam, exclamans ait „ O! ſi Queſnellus Tri-
„ dentino cœtui interfuiſſet, quàm miram
„ Patres illos, & inauditam gratiæ operatio-
„ nem, libertatemque docuiſſet ſeſſ. 6. de ju-
„ ſtificatione! Quomodo ſe non oppoſuiſſet
„ huic canoni 4. *Si quis dixerit liberum ho-*
„ *minis arbitrium à Deo motum, & excitatum*
„ *nihil cooperari aſſentiendo Deo excitanti, at-*
„ *que vocanti, quo ad obtinendam juſtificatio-*
„ *nis gratiam ſe diſponat, ac præparet, neque*
„ *poſſe diſſentire ſi velit; ſed velut inanime*
„ *quoddam nihil omnino agere, merèque paſſivè*
„ *ſe habere, anathema ſit*. Quæſiviſſet ex Pa-
„ tribus Queſnellus quomodo Canon ille
„ conſiſtere valeat cum *Idea*, quàm, ut ait,
„ *Deus ipſe nobis tradidit omnipotentis opera-*
„ *tionis ſuæ gratiæ, eam ſignificans per illam,*
„ *qua Creaturas è nihilo producit, & mortuis*
„ *reddit vitam*? Creatura enim quando *è ni-*
„ *hilo producitur omnipotente Dei operatione*,
„ ei *nihil cooperatur*, neque *poteſt ei diſſenti-*
„ *re*, ſeu reſiſtere, vel ſuam *è nihilo productio-*
„ *nem impedire; ſed velut inanime quoddam,*
„ *nihil omnino agit, merèque paſſivè ſe habet.*
„ Quidquid de prima rerum productione
„ dicitur, applicari nullo negotio poteſt mor-
„ tuorum reſuſcitationi, quæ ſolius etiam
„ Divinæ virtutis eſt, cuique non plus coo-
„ peratur homo mortuus, quàm primæ pro-
„ ductioni. Verùm Tridentini Patres Queſ-
„ nellum viciſſim interrogaſſent, in quo
„ Scripturarum Sacro codice, in quibus Pa-
„ trum commentariis, in qua Catholicorum
„ ſchola tam mirabilem didiciſſet *à Deo tra-*
„ *ditam omnipotentis operationis ſuæ gratiæ*
„ *ideam*? Deſignatum inſpexiſſent caput 4.
„ Rom. v. 17. *Sicut ſcriptum eſt, Patrem mul-*
„ *tarum gentium poſui te, ante Deum cui cre-*
„ *didit, qui vivificat mortuos, & vocat ea, quæ*
„ *non ſunt, tanquam ea, quæ ſunt*. Ubi oſten-
„ dit Apoſtolus, promiſſiones Dei non ad ſo-
„ los Judæos pertinere, ſed etiam ad gentes,
„ quarum Pater eſt Abraham; quia ante cir-
„ cumciſionem juſtificatus. Nempe Deus non
„ ſolos mortuos ad vitam revocat, ſed etiam
„ res, quæ nullo modo ſunt, vocat è nihilo:
„ Prioribus Paulus comparat Judæos, poſte-
„ rioribus Gentes, quæ verâ in Deum Fide
„ deſtitutæ, meritò nihil appellantur. Quia
„ nihil unquam veræ juſtitiæ, quæ vita animæ
„ eſt, habuerunt: Judæi in circumciſione
„ acceptam, poſtea peccando amiſêre. Sed
„ quid hic pro idea operationis gratiæ, ſeu
„ modo ejus operandi hactenus tam Catho-
„ licis incognito, quàm placituro hæreticis?
„ Propterea inſiſtendum Tridentino Cano-
„ ni 4. de juſtificatione, & dicendum anathe-
„ ma omni aliter docenti „. Ita ille:

3 Et ſanè fictitia Queſnelli idea omnes tam novi, quàm veteris Teſtamenti Scripturas ſubruit. Omnes enim præceptis, conſiliis, hortationibus, promiſſis, minis, & cæteris ad virtutem ſtimulis plenæ ſunt; ſtimuli autem neque mortuis dantur, neque producendis è nihilo, ſed viventibus, & valentibus operari. Non minùs fruſtrà præcepta adhibueris, & conſilia, ut eas ab homine actiones elicias, quas à Deo ſolo pendêre perſpexeris. Sic Deus non imperat rebus non exiſtentibus, ut ſe ipſas producant; non imperat mortuis, ut ſibi vitam reſtituant. Si igitur vera ſit Queſnelli Propoſitio, quod Deus ipſe nobis ideam tradidit omnipotentis operationis *ſuæ gratiæ, eam ſignificans per illam, qua creaturas è nihilo producit, & mortuis reddit vitam*, expungendum eſt illud Dei oraculum Deuteronomii 30. verſ. 11. *Mandatum hoc, quod ego præcipio tibi hodie, non ſupra te eſt, neque procul poſitum; ſed juxta te eſt ſermo valde, in ore tuo, & in corde tuo, ut facias illum*. Reſpondebit ſcilicet Queſnelli diſcipulus Deo: Imò mandatum, quod mihi præcipis hodie, tam ſupra me eſt, & tam ſolius omnipotentis gratiæ opus, quàm productio mei è nihilo, & quàm, cùm obiero, redditio vitæ. Itaque, Deus, *juxta te* quidem *eſt ſermo valde, in ore tuo, & in corde tuo, ut* tu ſolus *facias illum*, ſicut ſolus *creaturas è nihilo producis, &* ſolus *mortuis reddis vitam*. Eam ſcilicet *Deus ipſe nobis ideam tradidiſti omnipotentis operationis* tuæ *gratiæ*. Delendum pariter eſt illud, quod eodem Deuteronomii capite ſequitur: *Conſidera, quòd hodie propoſuerim in conſpectu tuo vitam, & bonum: & è contrario mortem, & malum, ut diligas Dominum Deum tuum. Elige ergo vitam, ut & tu vivas*. Tota fallaciſſima eſt oratio, ſi modus operandi gratiæ ſit qualis productio creaturarum è nihilo, vel reſuſcitatio à morte;

neu-

neutra enim electionem liberam in nihili, vel cadaveris poteſtate ſupponit, vel præſtat.

4 Non æqua, aut tolerabilis videbitur Divina illa exprobratio Proverbior. 1. v. 24. *Vocavi, & renuiſtis: extendi manum meam, & non erat qui aſpiceret*. Nam quandocunque omnipotens vocat creaturas è nihilo, aut mortuos ad vitam, nunquam illæ renuunt, aut renuere poſſunt; ſi ergo iſta ſit idea omnipotentis operationis gratiæ, à Deo ipſo nobis tradita, non poteſt verum eſſe, quod Deus nos unquam per gratiam vocaverit, & renuerimus, quod unquam extenderit manum ſuam, & non fuerit qui aſpiceret.

5 Eamdem ob rationem liturâ obducendum eſſet illud Iſaiæ 65. verſ. 2. *Expandi manus meas tota die ad populum incredulum* v. 3. *Qui ad iracundiam provocat me ante faciem meam ſemper*.

6 Calumniæ redarguent Judæi illud Stephani Act. 7. verſ. 51. *Vos ſemper Spiritui Sancto reſiſtitis: ſicut Patres veſtri, ita & vos*. Convincent autem, ſi, quam Deo Queſnellus affingit, datam *nobis omnipotentis operationis ſuæ gratiæ ideam, Deus ipſe tradiderit*. Quandonam enim creaturæ productioni ſuæ è nihilo reſiſtunt, aut quomodo poſſunt reſiſtere, priuſquam ſint? Non magis reſuſcitationi ſuæ reſiſtunt, aut reſiſtere poſſunt mortui.

7 Sapientiam Apoſtoli in Queſnelli ſententia minimè decet illud 2. Corinth. 6. v. 1. *Exhortor vos, nè in vacuum gratiam Dei recipiatis*, intellectum de Gratia actuali; non enim ſapientiùs hortari nos Apoſtolus potuit, juxta Queſnelli ideam, nè in vacuum gratiam Dei recipiamus, quàm hortaretur, nè creaturæ è nihilo productio, ab ipſo nihilo, aut reſuſcitatio mortui ab ipſo cadavere impediatur.

8 Proverb. 1. *Sapientia foris prædicat .... convertimini: en proferam vobis ſpiritum meum*. Parum ſapiens prædicatio eſt, ſi converſio non magis in poteſtate peccatoris ſit, quàm nihilo, ut fiat aliquid; vel cadaveri, ut reſuſcitetur.

9 Ejuſdem rationis eſt illud Iſaiæ 1. *Lavamini, mundi eſtote: auferte malum cogitationum veſtrarum*. Lavare peccatores, mundos reddere, auferre malum cogitationum, ad ſolum Deum pertinet, ſolius Divinæ poteſtatis eſt, ut creatio è nihilo, & reſuſcitatio cadaveris, ſi vera fuerit à Queſnello tradita gratiæ idea. Tunc fruſtranea æquè exhortatio erit, ut peccatores laventur, mundi ſint, auferant malum cogitationum, quàm foret ut nihil ſe produceret, cadaver ſibi reſtitueret vitam.

10 Non minùs inutilis cenſebitur monitio Eccleſiaſtici cap. 51. *Appropiate ad me indocti, & congregate vos in locum diſciplinæ*. Eſtne cadaveris, aut nihili, congregare ſe è Solius Dei eſt. Erit igitur juxta Queſnellum ſolius Dei efficere, ut indocti appropient, & congregentur in domum juſtitiæ, & ſalutis.

11 Si Chriſtus Queſnellianam gratiæ ideam approbaſſet, non potuiſſet prudenter omnibus peccatoribus enuntiare Matth. 11. *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis*. Poteſtne venire, cui non plus poteſtatis eſt, quàm nihilo, aut cadaveri? Si ſola gratia totum operetur, ut Divina potentia creationem, & reſuſcitationem, incongruè ad homines vocatio, invitatio, monitio dirigitur.

12 Juxta idem Queſnelli principium nullâ reprehenſione digni fuerint, de quibus conqueritur Apoſtolus 2. Theſs. 2. *Quod charitatem veritatis non receperint*: & immeritò eis infligitur hæc pœna, *ideo mittet illis Deus operationem erroris*. Quid enim pœnæ meriti ſunt, aut mereri potuerunt non recipiendo charitatem veritatis, qui ut nihil ſunt, vel ut cadaver, quod cum creatione, vel novâ vitâ omnem motum expectare debeat à ſolo Deo? Nos potiùs, abdicatâ Queſnelli reflexione erroneâ, Scripturas retineamus intellectas juxta ſenſum Romanæ, Catholicæ, & Apoſtolicæ Eccleſiæ, quæ ſecuriſſima Sancti Spiritûs, & Sanctorum Patrum interpres eſt. Quanquam nec multâ interpretatione opus, ut idea tam maleſana refellatur: ipſe ſibi ſufficit ſenſus obvius Scripturarum, Conciliorum, Apoſtolicarum Conſtitutionum, & Sanctorum Patrum. Scripturas dedi clariſſimas, & Tridentinum ſeſſione 6. can. 4. cujus verba ſingula Queſnellum condemnant: & quibus conſonat illud ejuſdem ſeſſ. cap. 5. *Tangente Deo cor hominis .... inſpirationem illam recipiens ... abjicere poteſt*. Concilium Senonenſe Decreto Fidei 15. *Non eſt tale trahentis auxilium, cui reſiſti non poteſt*.

13 Poteſtne res è nihilo producenda ſui productioni reſiſtere, vel homo mortuus reſuſcitationi? Hinc Queſnellus feritur gemino anathemate contra Janſenii Articulum 2. & 4. à Pontificibus evibrato. Nam juxta Queſnelli ideam, *Interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ nunquam reſiſtitur*, qui eſt ſecundus Janſenianæ hæreſeos Articulus. *Neque poteſt humana voluntas reſiſtere gratiæ interiori neceſſariæ ad ſingulos actus, etiam ad initium Fidei*, quæ eſt hæreſis Janſenii 4. Et tamen non reſiſtendo, ſeu obtemperando gratiæ homo meretur; adeóque juxta Queſnellum *ad merendum, & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ*

pſa non requiritur libertas à neceſſitate, ſed ſufficit libertas à coactione. Ex eadem Queſnelli ſententia ſequitur impoſſibilitas præceptorum, etiam in juſtis, quoties illa non obſervant, quæ impleri nequeunt ſinè gratia. Nam deeſſe illis gratiam, qualis in Propoſitione Queſnelliana deſcribitur, manifeſtum eſt. Alia verò ab iſto Scriptore gratia non admittitur. Sic itaque clarum eſt, deeſſe illis omnibus gratiam, quâ præcepta fiant poſſibilia. Denique nec extricare ſe poteſt Queſnellus hæreſi Janſenii quintâ; quis enim capiat, Chriſtum pro ſalute ullius non prædeſtinati mortuum fuiſſe, ſi nullum ei præparatum fuerit auxilium quo ſalvari potuerit? Præparatum autem non fuiſſe ejuſmodi, cui idea articuli Queſnelliani conveniat, per ſe patet; conſecuta enim certiſſimè fuiſſet ſuum effectum in Queſnelli ſententiâ, juxta quam omnis voluntas Dei, uti & gratia eſt invincibilis. Aliud verò auxilium, ſi eidem novo Theologo credimus, non datur.

14 Talem ideam minimè agnovere Patres, etiam antiquiſſimi. Clemens Romanus ſive Author Epiſtolæ 3. de officio Sacerdotis ait: *Ab initio duo regna ſtatuit Deus, & poteſtatem dedit unicuique hominum, ut illius Regni fiat portio, cui ſe ad obediendum ipſe ſubjecerit*. Creaturis ut è nihilo producantur, vel non producantur, non datur electio; uti nec mortuis, velintne vitæ rurſus munere donari. Gratia igitur, per quam data eſt unicuique adulto poteſtas ut cœleſtis regni portio fieret, non fuit talis efficaciæ, qualem damnata comminiſcitur Propoſitio.

15 Similis eſt ſententia Irenæi l.4. cap.17. *Vis à Deo non fit, ſed bona ſententia adeſt illi ſemper: & propter hoc conſilium quidem bonum dat omnibus, poſuit autem in homine poteſtatem electionis*. Datne conſilium rebus non exiſtentibus, ut creentur, & poteſtatem mortuis, ut eligant, velintne ad vivos redire?

16 Arnobius lib. 2. adversùs gent: *Vis ſumere quod offertur, atque in tuos uſus convertere? Conſulueris tu tibi: aſpernaris, contemnis, deſpicis? Te muneris commoditate privaveris, nulli Deus neceſſitatem affert*. Rebus, antequam ſint, non offert Deus, ut, ſi velint, vitam accipiant, convertantque in uſus ſuos: neque illæ *aſpernari*, *contemnere*, *deſpicere poſſunt*, multò minùs deſpiciunt quod offertur.

17 S. Chryſoſtomus homil.46. in Joan.6. *Non enim vi, & neceſſitate quadam Deus bonos facere conſuevit, neque electio ejus violenta eſt; ſed ſuaſoria; ut enim intelligas non cogere vocationem, multos vocatos perire continget. Quamobrem conſtat in noſtro eſſe arbitrio, an ſalvemur, an perdamur*. Productio creaturarum è nihilo, & reſuſcitatio mortuorum eſtne *ſuaſoria*? Contingetne, multos è nihilo ſuo vocatos non venire, contingetne multos ad vitam revocatos inter mortuos permanere? Eſtne in arbitrio creaturarum an producantur è nihilo, & mortui reſuſcitentur; an productionem, & reſuſcitationem impediant?

18 Auguſtinus libro de Spiritu & litera cap. 34. *Miſericordia Dei prævenit nos; conſentire autem vocationi Dei, vel ab ea diſſentire propriæ voluntatis eſt*. Quod nè minùs conſideratè ſancto Doctori excidiſſe autumes, idem illic iteratò inculcat. Eſtne autem propriæ voluntatis educi è nihilo, vel reduci à mortuis? Vel in nihilo, & morte perſiſtere?

19 Cyrillus Alexandrinus lib.1. in Joannem cap. 11. *Non Verbum Dei, & æternam hanc lucem; ſed imbecillitatem ſuam mundus accuſet; illuminat enim filius: repellit autem gratiam creatura . . . . neglexit ulteriùs currere, ſuffodit illuminationem ex deſidia, & contempſit hanc gratiam*. Cui alteri, quàm Dei arbitrio tribuetur, quod homines plurimi poſſibiles non producantur, vel non ſtatim mortui reſurgant?

20 Sanctos Patres ſequuntur ſcholarum Principes: Angelicus in 4. diſt. 20. q. 1. a. 1. *Deus, qui dat omnibus abundanter, nulli gratiam denegat, qui quod in ſe eſt, facit, ut ſe ad gratiam præparet . . . . Quamdiu manet homini uſus liberi arbitrii, in hac vita, poteſt ad gratiam ſe præparare de peccatis dolendo*. Quandonam à nihilo exigitur, ut ſe ad ſui creationem, vel à corpore exanimi, ut ſe ad ſui reſuſcitationem præparet?

21 Idem 1. 2. quæſt. 106. artic. 2. ad 2. *Dicendum, quòd gratia novi Teſtamenti, etſi adjuvet hominem ad non peccandum; non tamen ita confirmat in bono, ut homo peccare non poſſit . . . . & ideo ſi quis poſt acceptam gratiam novi Teſtamenti peccaverit, majori pœna eſt dignus, tanquam majoribus beneficiis ingratus, & auxilio ſibi dato non utens . . . . quia lex nova quantum eſt de ſe ſufficiens auxilium dat ad non peccandum*. Nuſquam hìc veſtigium ideæ Queſnellianæ; ſed gratiæ, & auxilii de ſe ſufficientis ad non peccandum, quo nobis dato ſubinde non utimur; unde, velut ingrati, majore pœnâ reddimur digni. Gratiâ verò omnipotenti, & ſemper efficaci, qualis eſt productio creaturarum è nihilo, & ſuſcitatio mortuorum, ſemper uteremur, neque in poteſtate noſtra eſſet eam negligere, vel privare effectu.

22 S. Bonaventura in ſecundum diſt. 26. quæſt. ultimâ: *Pro tanto dicitur gratia movere*

liberum arbitrium, quia liberum arbitrium gratiâ informatum movet ſe ipſum. Et infra ad 1. *Sicut voluntas movet ſe ipſam ad opera naturalia, ſic adjuta per gratiam movet ſe ipſam ad opera meritoria*. Creaturæ autem non movent ſe ipſas ut prodeant è nihilo, vel ut mortuæ reſurgant.

23 Scotus in 1. diſt. 40. quæſt. unicâ in corpore, *Iſte, qui eſt prædeſtinatus, poteſt damnari; non enim propter ejus prædeſtinationem voluntas ejus eſt confirmata: & ita poteſt peccare, & ita pari ratione in peccato ſtare finaliter*. Quid poteſt eſſe remotius ab idea Queſnelli? Nam prædeſtinatus adultus, de quo patet eſſe ſermonem, gratiâ actuali, & certiſſimè efficaci prævenitur; quæ tamen juxta Doctorem Subtilem talis eſt, ut eâ homo præventus poſſit peccare, atque *in peccato ſtare finaliter*. At ſuppoſita *omnipotenti operatione, quâ Deus creaturas è nihilo producit, & mortuis reddit vitam*, neceſſariò illæ è nihilo extrahuntur, & mortui reſtituuntur vivis.

24 Non aliter ſenſit, aut docuit Albertus Magnus 1. parte quæſt. 63. memb. 3. artic. 2. *Licet*, inquit, *prædeſtinatio præparet iſti gratiam; tamen quia iſte liberi arbitrii erit, & poteſt ponere obſtaculum Spiritui Sancto, & operationi Divinæ, poteſt impedire nè conferatur ei gratia* (ſanctificans) *& gloria*. Res antequam exiſtat, non eſt liberi arbitrii, non poteſt obicem ponere Dei ſpiritui, & operationi, aut impedire, nè eſſe ſibi, & vivere conferatur.

CAPUT II.

Solvuntur Objectiones deſumptæ ex Script.

1 Pſalmo 50. dicitur: *Cor mundum crea in me Deus*. 2. Cor. 5. *Si qua ergo in Chriſto nova creatura, vetera tranſierunt: ergo facta ſunt omnia nova*.

2 Gal. 6. verſ. 15. *In Chriſto enim* Jesu *neque circumciſio aliquid valet, neque præputium; ſed nova creatura*.

3 Epheſ. 2. verſ. 10. *Ipſius enim ſumus factura, creati in Chriſto* Jesu *in operibus bonis, quæ præparavit Deus, ut in illis ambulemus*.

4 Cap. 4. verſ. 21. & ſeq. *Si tamen illum* (Chriſtum) *audiſtis, & in ipſo edocti eſtis, ſicut eſt veritas in* Jesu, *deponere vos ſecundùm priſtinam converſationem, veterem hominem, qui corrumpitur, ſecundùm deſideria erroris. Renovamini autem ſpiritu mentis veſtræ, & induite novum hominem qui ſecundùm Deum creatus eſt in juſtitia, & ſanctitate veritatis*.

5 Epiſtola S. Jacobi cap. 1. verſ. 18. *Voluntariè enim genuit nos, ut ſimus initium aliquod creaturæ ejus*.

6 Non adeò multis opus erat, ut nobis perſuaderetur, relationis aliquid, ſeu ſimilitudinis eſſe creationem inter, & juſtificationem, atque hanc ſubinde in Scripturis *Creationis* nomine appellari. Peccator ſcilicet in oculis Dei quaſi nihil eſt, nihil habet meriti, nihil vitæ ſpiritualis, nihil ex ſe motûs, quo ſe ad juſtitiam, vel ad aliquid boni ſalutiferi convertere valeat. Hoc ſenſu Scripturas, & Sanctos Patres Catholici omnes intelligunt; ſoli Lutherus, & ſimiles fidei, & Eccleſiæ hoſtes, libertatis, & meriti omnis ſubverſores omnimodam ſtatuunt creationis, juſtificationiſque comparationem. Nam etſi in aliquibus ſimilitudinis quidpiam habeant; in aliis tamen longè diſparem eſſe utriuſque rationem, ex ipſis Scripturis, & innumeris quidem convincitur, ut ex iis, quas ſuperiore capite adduximus, quivis facilè colliget; cùm ſimilibus omnes Scripturarum libri pleni ſint. Ante creationem res nullo modo eſt; unde ad ſui productionem concurrere, ideoque cooperari penitùs non poteſt. Peccator naturam habet, & liberum arbitrium, quod auxilio gratiæ adjutum diſponere ſe ad juſtitiam poteſt, eamque ſuis cum divina ope conatibus, obtinere. Quamvis igitur quoad terminos à quo, & ad quem creatio videri poſſit figura quædam juſtificationis; in modo tamen utramque efficiendi diſcrimen eſt non exiguum, ut oſtendi, & univerſa cum Tridentino Concilio ſemper agnovit Eccleſia. Hæreticus proinde, aut fatuus ſit oportet, qui perfectam utriuſque ſimilitudinem, ſive verè, & propriè dictam operationis cœleſtis, ſeu gratiæ ideam deſumere velit à rerum ex nihilo productione, vel ſuſcitatione à mortuis, quæ non minùs, quàm creatio abſque ulla ſuſcitandi diſpoſitione, abſque ulla liberi ejus arbitrii cooperatione perficitur.

7 Alterum ideæ vitium minimè leve, & Calvinianæ, ac Lutheranæ hæreſi proprium eſt, quod juſtificati hominis pia opera à prima juſti creatione, ſive ejus juſtificatione non diſcernens, æqualiter ſtatuat de utriſque, quaſi ut diſponendo ſe peccator ad juſtitiam nihil propriè meretur, ita juſtificatus nihil penitùs quibuſcunque pietatis operibus mereatur. Rex Pſaltes pœnitens Pſal. 50. poſtquam petiit: *Cor mundum* in ſe à Deo *creari*, *& ſpiritum rectum innovari in viſceribus* ſuis, quo, inquit, obtento, *Docebo iniquos vias tuas, & impii ad te convertentur*. Quaſi non præſumens alios docere, niſi recuperatâ priùs juſtitiâ; ſive, ut figuram proſequamur, quaſi agnoſcens priùs opus ſibi eſſe cordis recti crea-

creatione, quàm poſſit operationibus recti cordis intendere. Quapropter etſi idea vera omnipotentis operationis, ſeu gratiæ nos primùm juſtificantis traderetur per eam, qua Deus creaturas è nihilo producit, & mortuis reddit vitam; non eſſet tamen vera idea omnipotentis operationis gratiæ reſpectu omnium bonorum operum, quæ fiunt etiam à juſtis, vitâ, & ſpiritu donatis, ut mereri valeant augmentum gratiæ, & gloriæ, quod rectè contra Bezam ſupra notabat Cornelius à Lapide.

8 Sic Doctor Angelicus ex cap. 2. Epiſtolæ ad Epheſios verſ. 10. quo textu Scripturæ toties gloriatur adverſarius, ipſum convincit lect. 3. dicens: *Eſt creare, aliquid ex nihilo facere; unde quando aliquis juſtificatur ſinè meritis præcedentibus, dici poteſt creatus, quaſi ex nihilo factus. Ulteriùs, non ſolùm datur nobis habitus virtutis, & gratiæ, ſed interiùs per ſpiritum renovamur ad bene operandum; unde ſubdit: in* OPERIBUS BONIS. Sic licèt primâ juſtificatione quodammodo creemur, tamen creati nos ipſi operamur libero arbitrio: De quo nè quis error ſubrepat, aut dubitatio, ſolicitè Angelicus interpres ſtatim addit: *Sed nè aliquis intelligeret, bona opera ſic eſſe nobis præparata à Deo, ut nihil ad ea per liberum arbitrium cooperaremur, ideo ſubdit* (Apoſtolus) UT IN ILLIS AMBULEMUS; *quaſi dicat: ſic nobis ea præparavit, ut ea nos ipſi nobis per liberum arbitrium impleremus*. An ipſi nobis creationem, vel ſuſcitationem à mortuis per *liberum implemus arbitrium*? An *per liberum arbitrium* creationi, aut reſuſcitationi *cooperamur*? Mendacem Adverſarii ideam pergit Aquinas ampliùs proterere argumento deſumpto ex Apoſtolo; *Dei enim*, inquit, *adjutores ſumus, ut dicitur* 1. *Cor*. 3. *Græcè* eſt COOPERATORES, *propter quod de ſe ipſo dicebat Apoſtolus* 1. *Cor*. 13. *Gratia ejus in me vacua non fuit; ſed abundantiùs omnibus laboravi; non ego, ſed gratia Dei mecum*. Sumuſne adjutores, vel cooperatores Dei in creatione, vel reſuſcitatione? Poſſetne de alterutra dici ab Apoſtolo, quòd in ea plus omnibus laboraverit, non ſolus quidem, ſed cum Deo? Sic undique ideæ novitas ſubvertitur. Fruſtrà igitur affectat adverſarius corradere Scripturarum, & Patrum textus, quibus nihil tribui videatur libero hominis arbitrio, ut ideam ſuam Lutheranam ſtabiliat, quâ omnia ita operationi gratiæ adſcribuntur, ſicut creatio & reſuſcitatio ſoli omnipotentiæ Dei, nullo creandorum aut ſuſcitandorum actu concurrente, tribuitur.

9 Quam quidem fraudem à vicinis ſuis hæreticis mutuari potuerit; nos verò defectum ejus utcunque ſupplemus, ſuggerendo, ut capite ſuperiore cœpimus, Scripturarum ſententias, quibus juſtitiam, & ſalutem nobis ipſi divinæ gratiæ auxilio comparare jubemur; adeòque idea operationis gratiæ, juxta rationem creationis, & reſuſcitationis conficta, deſtruitur.

10 Non enim rebus poſſibilibus, priuſquam extiterint imperari poteſt, ut ſe creent, vel ad ſui creationem concurrant, uti neque cadaveri ut ſe reſuſcitet, vel ad reſuſcitationem ſe diſponat, vel quacunque ei actione cooperetur. Mandat autem Deus hominibus, & quidem peccatoribus Ezechielis capite 18. *Facite vobis cor novum, & ſpiritum novum*. Ibidem *Nunquid voluntatis meæ eſt mors impii, dicit Dominus? Revertimini, & vivite*. Cap. 33. *Convertimini, convertimini .... impietas impii non nocebit ei*. Apud eumdem eſt: *Ipſe animam ſuam vivificabit*. Iſaiæ cap. 1. *Lavamini, mundi eſtote; auferte malum cogitationum veſtrarum*. Apoc. cap. 2. *Memor eſto itaque unde excideris: & age pœnitentiam, & prima opera fac*. Apocal. 3. *Si quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi januam, intrabo ad illum*. Matth. 11. *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis*. Eccli. 51. *Appropiate ad me indocti, & congregate vos in domum diſciplinæ.... comparate vobis ſinè argento, & collum veſtrum ſubjicite jugo*. Luc. 12. *Facite vobis ſaceulos, qui non veteraſcunt, theſaurum non deficientem in cœlis*.

11 Ipſe textus qui ab adverſario objicitur ex epiſt. ad Epheſios cap. 4. *Renovamini ſpiritu mentis veſtræ, & induite novum hominem*, debellat ideæ falſitatem. Non enim imperari id Epheſiis, & nobis omnibus poſſet; ſi gratia in nobis operaretur creationis inſtar, & reſurrectionis, in qua nihil ab homine fieri perſpicuum eſt. Nihilo non jubebit ſapiens ut agat, ut ſe renovet, vel induat novitatem. Zachariæ cap. 1. *Convertimini ad me, ait Dominus exercituum, & convertar ad vos*. Joëlis 2. *Convertimini ad me in toto corde, in jejunio, & in fletu, & in planctu, & ſcindite corda veſtra*. Proverb. 1. *Convertimini, en proferam vobis ſpiritum meum*.

12 Huc demum faciunt omnes monitiones, & adhortationes ad pœnitentiam, ac converſionem; imò conſilia, & præcepta omnia ad opera virtutum, ſeu Theologicarum, ſeu Moralium, operationem gratiæ requirentium. Conſilia, & præcepta evidens eſt non dari rebus, quæ non ſunt, vel ſenſu, & vitâ deſtituuntur, ut cadavera. Sic neque ſapienter dari poſſunt iis, quorum non major cooperatio eſt, vel eſſe poteſt ad impletionem ſeu conſilii, ſeu præcepti, quàm rebus ad primam ſui exiſtentiam, vel reſuſcitationem à mor-

à mortuis. Omnes igitur monitiones illas, quibus plena ſunt Scripturarum volumina, manifeſtum eſt repugnare fictitiæ ideæ, ad libertatis, omniſque meriti ſubverſionem ſubdolè introductæ.

CAPUT III.

Non favet damnatæ Propoſitioni S. Chryſoſtomus.

1 ITerum in ſubſidium ab adverſario vocatur S. Chryſoſt. homilia 3. in cap. 1. Eph. dicens: *Eſt multò difficilius humanis rationibus perſuadere libero arbitrio, quàm operari naturam.* Non videt ſcilicet acutus homo, aut videre ſe fide non bonâ diſſimulat, ideam ſuam hoc loco, ſi attendatur integer, à Chryſoſtomo convelli, atque peſſumdari. Cur nempe difficilius dicitur perſuadere libero arbitrio, quàm creare naturam? Reſpondeat ipſe eodem loco Chryſoſtomus: *Ego*, inquit, *tentabo hoc vobis perſuadere. Audi enim, Chriſtus dixit mortuo, Lazare veni foràs, & ſtatim obediit: Petrus dixit Tabithæ, Surge, & non contradixit: ipſe dicet in die ultimo, & omnes reſurgent in momento, in ictu oculi. In credendo autem non ita fit. Sed audi eum rurſus dicentem, Quoties volui congregare filios veſtros, & noluiſtis? Videns hoc eſſe difficilius. Quamobrem in hoc probat univerſum; eſt enim multò difficilius humanis rationibus perſuadere libero arbitrio, quàm operari naturam. Cauſa eſt autem, quoniam ipſe ſic vult, nos noſtrâ ſponte fieri bonos.* Ecce ideam operationis gratiæ prorſus oppoſitam ei, quæ in damnato articulo obtruditur; quemadmodum enim in prima creatione verbo unico *Fiat* Deus omnia condidit, nulla mora fuit, nulla creaturarum eſſe potuit reluctatio, uti nec contradictio corporum in tot reſurrectionis exemplis; at in perſuadenda, de qua illic Chryſoſtomus agit, hominibus Chriſti divinitate, & exaltatione humanitatis ejus ſuper omnes Angelos, quot oraculis Prophetarum opus fuit, quot prædicationibus Chriſti, & Apoſtolorum, quot ſignis, & prodigiis! Poſt quæ tanta manſit Judæorum plerorumque incredulitas, & pervicacia, ut de ea amariſſimè queſtus ſit Salvator Luc. 13. *Jeruſalem, Jeruſalem, quæ occidis prophetas, & lapidas eos, qui ad te miſſi ſunt, quoties volui congregare filios tuos &c.* Ac dein Stephanus, *Vos ſemper Spiritui Sancto reſiſtitis: ſicut Patres veſtri, ita & vos.*

2 Ratio diverſitatis in operando eſt, quòd eductio rerum è nihilo, & reſuſcitatio mortuorum ſit operatio ſolius Dei, quam ſolâ ſuâ exequitur voluntate; fides autem, & juſtificatio impii cum quibuſcunque bonis mortalium actibus ſint opera non ſolius Dei, ſed etiam liberi arbitrii, eaque ab hoc ita pendere Deus voluerit, ut in poteſtate hominis ſit, cœleſtis gratiæ auxilio reſiſtere, permittatque Deus rejectæ ab hominibus ſuæ miſericordiæ, illuminationis, excitationis, inſpirationis ſalutiferæ exempla quotidie innumera.

3 Habemus igitur ex ipſo, qui objicitur, Chryſoſtomi textu, operandi modum diverſiſſimum Dei in creando, vel reſuſcitando, & divinæ gratiæ in perſuadenda hominibus fide, atque juſtitiâ; unde & idearum diſparitas manifeſta eſt. Juxta Chryſoſtomum homilia 7. In Joan. *Illuminat Deus omnem hominem venientem in hunc mundum, illuminat profectò quantum in ipſo eſt; ſi qui autem ſponte ſua, mentis oculis conniventibus, ad hujus lucis radios aciem dirigere noluerunt, non ex luminis natura in tenebris perſtiterunt; ſed ex malitia ſua, qui ſponte tanto ſe dono indignos reddiderunt.* Ibid. *Gratia in omnes diffuſa eſt, omnibus facilem ſe exhibet, omnes pari honore advocat: qui autem ejus munere frui negligunt, hanc ſuam cæcitatem ſibi ipſis imputent; cùm enim detur omnibus, perditi quidam, & nequam homines propriâ dumtaxat malitiâ ingredi recuſant.*

4 Adde & illud ex Sermone 16. in caput 9. Epiſt. ad Romanos. *Unde igitur alii vaſa ſunt iræ; alii verò miſericordiæ? Ex propria voluntate; Deus enim, quoniam vehementer bonus eſt, erga utroſque bonitatem ſuam declarat; nec enim eorum tantummodo, quos ſalvavit; ſed & quantum in ſe fuit, Pharaonis miſertus eſt: Quod autem ſalvatus non eſt, totum per ſuam ipſius voluntatem ſtetit, ita ut quantum ad eum attinebat, nihil ab illis, qui ſalvati ſunt, minus habuerit.*

5 Ubi tantum à Queſnellianâ gratiæ ideâ Chryſoſtomus recedit, ut fortè nimium voluntati hominis tribuere videatur; certè benignâ poſterius teſtimonium egeat explicatione. Poteſtne de rebus merè poſſibilibus, & tota æternitate in ſuo nihilo relinquendis dici: „ Quòd Deus, quantum in ipſo eſt,
„ producere eas voluerit? Quòd quæ crea-
„ tæ non ſunt, ex propria malitia in nihilo
„ perſtiterint? Quòd ſua omnipotentis crean-
„ di poteſtas, & voluntas omnibus ſe faci-
„ lem præbeat, omnes pari honore ad exi-
„ ſtentiam advocet? Quæ autem ejus mune-
„ re frui negligunt, hanc ſuam cæcitatem,
„ ſuum nihilum ſibi ipſis imputent; cùm
„ exiſtere detur omnibus, nequam quidam
„ & perditi homines, qui nunquam extitu-
„ ri

„ ri ſunt, propriâ dumtaxat malitia, in hunc
„ mundum ingredi recuſant? Unde igitur
„ alii in lucis uſuram prodeunt, alii in nihi-
„ lo remanent? Ex propria voluntate. Deus
„ enim, quoniam vehementer bonus, erga
„ utroſque bonitatem ſuam declarat: nec
„ enim eorum tantummodo, quos creavit, mi-
„ ſertus eſt; ſed etiam aliorum poſſibilium:
„ quod autem hi eſſe non acceperint, totum
„ per ipſorum ſtetit voluntatem, ita ut, quan-
„ tum ad Deum attinet, res merè poſſibiles
„ nihil ab illis, quæ creatæ ſunt, minus ha-
„ buerint. „

6 Poſſetne, inquam, Chryſoſtomi citatis locis ſententia ſic ad fictam ab adverſario ideam transferri? Quot hìc verba, tot ſunt prætenſæ in articulo ideæ antitheſes. Quæ autem de merè poſſibilibus incongrua retuli, facilè cuilibet cadaveri, cur hactenus cum pluribus aliis miraculo ſuſcitatis non reſurrexerit, applicantur; ideamque erroneam, imò hæreticam, etiam hac parte dejiciunt.

CAPUT IV.

Damnatæ Propoſitioni patrocinium fruſtrà petitur à S. Auguſtino.

1 Non plus patrocinii habetur in Auguſtino. Prenſat Adverſarius illud libri de gratia, & libero arbitrio cap. 8. *Audi & intellige, non ex operibus dictum tanquam tuis ex te ipſo tibi exiſtentibus, ſed tanquam his, in quibus te Deus finxit, id eſt formavit, & creavit.* Cui jùngit ſimile ex ſecunda expoſitione pſalmi 18., ubi Auguſtinus ait: *Gloria Dei illa, qua ſalvi facti ſumus, qua creati in bonis operibus ſumus; ipſius enim ſumus figmentum, creati in Chriſto* Jesu *in operibus bonis. Non ſolùm quippe homines; ſed etiam juſtos, ſi tamen ſumus, ipſe fecit nos, & uon ipſi nos.*

2 Utrâque, & pluribus iſtiusmodi pro gratia ſententiis aliud nihil intendit S. Doctor, quàm non eſſe juſtos ex ſolo libero arbitrio; ſed adjuto per gratiam, neque hanc dari propter merita præcedentia liberi arbitrii: aliàs gratia non eſſet gratia; ſed merces; verùm merita liberi arbitrii eſſe per gratiam, ut cauſam omnis meriti; non tamen ſolam, ſed cum libero ſimul arbitrio. Sic enim Auguſtinus libro 2. Retractationum cap. 66. declarat ſcopum totius libri citati de gratia, & libero arbitrio ad Valentinum, & ejus in Monaſterio Socios. *Propter eos*, inquit, *qui, cùm defeuditur Dei gratia, putantes negari liberum arbitrium, ſic ipſi defeudunt liberum arbitrium, ut negent Dei gratiam, aſſerentes eam ſecuudùm merita noſtra dari, ſcripſi librum, rui titulus eſt, de gratia, & libero arbitrio. Ad eos autem ſcripſi Monachos Adrumetiuos, in quorum Monaſterio de hac re rœperat eſse rontentio, ita ut me rouſulere aliqui eorum cogerentur.*

3 Liber ſic incipit „ Propter eos, qui li-
„ berum hominis arbitrium ſic prædicant, &
„ defendunt, ut Dei gratiam, qua vocamur
„ ad eum, & à noſtris malis meritis libera-
„ mur, & per quam bona merita compara-
„ mus, quibus ad vitam perveniamus æter-
„ nam, negare audeant, & conentur aufer-
„ re, multa jam diſſeruimus, literiſque
„ mandavimus, quantum nobis Dominus
„ donare dignatus eſt; ſed quoniam ſunt
„ quidam, qui ſic gratiam Dei defendunt,
„ ut negent hominis liberum arbitrium,
„ hinc aliquid ſcribere ad Veſtram charita-
„ tem, Valentine Frater, & cæteri, qui ſimul
„ Deo ſervitis, compellente mutua charita-
„ te, curavi.

4 Tum cap. 2. „ Si volueris, conſervabis
„ mandata, & fidem bonam placiti: Appo-
„ nit tibi ignem, & aquam; ad quodcun-
„ que volueris, extende manum tuam: in
„ conſpectu hominis vita & mors; & quod-
„ cunque placuerit dabitur ei. Ecce aper-
„ tiſſimè videmus expreſſum liberum huma-
„ næ voluntatis arbitrium. Quid illud,
„ quod tam multis locis omnia mandata ſua
„ cuſtodiri, & fieri jubet Deus? Quomodo
„ jubet, ſi non eſt liberum arbitrium? Quid
„ beatus ille, de quo Pſalmus dicit, quòd
„ in lege Domini fuit voluntas ejus, nonne
„ ſatis indicat voluntate ſuâ hominem in le-
„ ge Dei conſiſtere? Deinde tam multa
„ mandata, quæ ipſam quodammodo nomi-
„ natim conveniunt voluntatem; ... ſicut eſt
„ ... noli deficere à diſciplina Domini; noli
„ negligere legem; noli abſtinere beneface-
„ re egenti: Noluit intelligere, ut bene age-
„ ret; &, Noluerunt accipere diſciplinam, &
„ innumera talia in veteribus libris Divino-
„ rum eloquiorum quid oſtendunt, niſi li-
„ berum arbitrium voluntatis humanæ? In
„ libris etiam novis Euangelicis, & Apoſto-
„ licis, quid aliud oſtenditur, ubi dicitur:
„ *Qui vult venire poſt me, abneget ſemetipſum*
„ (& ut ex Scriptura notum ſupponitur) *tollat crucem ſuam, & ſequatur me*? Et quod
„ dicit Apoſtolus Paulus, quod vult faciat;
„ non peccat, ſi nubat: qui autem ſtatuit in
„ corde ſuo ſervare Virginem ſuam, bene
„ facit. Item Dicit (Apoſtolus) ſi autem
„ volens hoc facio, mercedem habeo: & alio
„ loco: Sobrii eſtote juſtè, & nolite pecca-
„ re. Et ipſi Timotheo: Noli negligere
„ gra-

„ gratiam,quæ eſt in te. Et ad Philemonem: „ Nè bonum tuum velut ex neceſſitate eſſet, „ ſed ex voluntate . . . cap.3. *Noli Vinci à malo, ſed vince in bono malum*. Utique cui „ dicitur, *Noli vinci*, arbitrium ſinè dubio „ voluntatis ejus convenitur. Velle enim, „ & nolle propriæ voluntatis eſt.

5 Cap. 4. „ Sed metuendum eſt, nè iſta „ omnia Divina teſtimonia, & quæcunque „ alia ſunt, quæ ſinè dubitatione ſunt pluri„ ma, in defenſione liberi arbitrii ſic intelli„ gantur, ut ad vitam piam, & bonam con„ verſationem, cui merces æterna debetur, „ adjutorio, & gratiæ Dei locus non relin„ quatur. Proinde, Chariſſimi, ſicut ſuperio„ ribus teſtimoniis Scripturarum probavi„ mus ſanctarum, ad bene vivendum, & re„ ctè agendum eſſe in homine liberum vo„ luntatis arbitrium, ſic etiam de gratia „ Dei, ſinè qua nihil boni agere poſſumus, „ quæ ſint divina teſtimonia videamus....

6 Hinc luceſcit Auguſtini conſilium, ſequentibus ejuſdem libri capitibus, conquirendi ex Sacris literis ſententias pro gratiæ in omnibus bonis actibus operatione, & ejuſdem ad omnem juſtitiam neceſſitate. Quidquid libero favet arbitrio, coacervabat Pelagius; quidquid de neceſſitate, & operatione gratiæ efficaciſſimâ Sacri codices tradunt, prætermiſſis quæ ſunt de libero arbitrio, corraſere, ut de antiquioribus hæreticis taceam, Lutherus, & Calvinus cum non exiguâ ſequacium turbâ, etiam Bajo, Janſenio, Arnaldo, Queſnello, & ſimilibus famoſis Auguſtini Batavici diſcipulis. Theologi autem probè catholici eſt, utraque inter ſe teſtimonia, juxta Sanctæ Matris Eccleſiæ ſenſum, nobis in Tridentino potiſſimùm Concilio, ac Sedis Apoſtolicæ definitionibus explicatum, ratione, quàm fieri poteſt maximè dilucidâ componere, nè in alterutram erroris abyſſum, aut ſe, aut alios agat præcipites. Quanquam minimè damnatam velim eorum cum hæreticis diſputaudi rationem, quam iniiſſe conſtat Auguſtinum, & pleroſque dein Catholicæ doctrinæ vindices, quos & in præſenti controverſia me ſequi profiteor, ut prout oppugnanda hæreſis exigit, ea potiſſimùm ex Scripturis, & Patribus colligantur teſtimonia, quæ ut propoſito errori magìs perſpicuè opponuntur, ita ei debellando maximè idonea ſunt.

7 Nunc operatio gratiæ Calviniana, ſive ejus idea, prout in damnato Articulo traditur, expendenda eſt, juxta eas Auguſtini ſententias, quas ex objecto nobis ſancti Antiſtitis opere jam recenſui. Si vera operationis gratiæ idea ſignificatur per operationem, qua creaturæ producuntur è nihilo, vel mortuæ reſuſcitantur, conciliet cum tali operatione, ſi poſſit, Queſnellus, ſeu quiſquis ejus defenſor eſt, illud *Si volueris, conſervabis mandata*; quæ juxta Auguſtinum, & cæteros contra Pelagium Catholicos, conſervari nequeunt ſinè gratia. Si hujus operatio eſt, qualis creatio, & reſuſcitatio à mortuis, ut rei cuicunque, antequam creetur, aut cadaveri, antequam reſuſcitetur, ſtultè quis diceret: *Si volueris, creaberis, vel, ſi volueris, reſurges*; cum lumine naturæ notum omnes teneant, quòd prius ſit eſſe, quàm agere, & res inanimata nullam habeat voleudi facultatem: ita juxta Queſnellum non ſapientiùs dixiſſet Chriſtus: *Si volueris, ſervabis mandata*. Quomodo inter bonum & malum, inter pœnam & præmium, inter damnationem & ſalutem extendere manum, ſeu eligere poſſumus (cùm bonum ſeu juſtitia, præmium ſupernaturale, ut eſt ſalus, eligi nequeat ſinè gratia) ſi, ut adverſariis placet, omnis gratia ſit efficax; & quidem tali operatione, qualis eſt creatio, & reſuſcitatio mortui, quæ nullam ſupponit reſiſtentiam, nullam electionem in ſubjecto; cùm creatio, & reſuſcitatio, & utrique ſimilis operatio gratiæ, ſit prior eligendi, reſiſtendique poteſtate; & tam creatio, quàm reſuſcitatio cadaveris effectum inferat neceſſariò?

8 *Quomodo jubet Deus*, inquit Auguſtinus, *ſi non eſt liberum arbitrium*? Quomodo Deus jubet obſervationem præcepti è gratiâ pendentem? Si ſic à gratia pendeat, vel à Deo per gratiam, ſicut creatio, vel reſuſcitatio, cùm utraque hæc à ſolo Deo pendeat, non poteſt ſapienter imperari creaturæ. Sic adverſariorum idea tollit, quidquid mandatorum eſt, vel Deum imperantem exponit ineluctabili apud omnes opprobrio inſipientiæ. Quò vergunt Scripturarum apud Auguſtinum tam ſalubria monita? *Noli deficere à diſciplina Domini: noli negligere legem: noli abſtinere benefacere egenti*? Quis eorum monitorum finis, aut fructus? Fuiſſetne prudens monitum Dei ad creaturas, antequam exiſterent; vel ad cadavera, antequam ſuſcitentur, Nolite deficere à creatione, vel reſurrectione? Atqui operatio gratiæ, ſeu Dei per gratiam juxta novam ideam eſt, qualis creatio, & reſuſcitatio.

9 Quemadmodum nulla eſt in rebus creaudis, antequam creentur, potentia agendi, idem eſt de cadavere; quibus proinde fruſtranea eſſent, utì mandata, ita & monita. Sinè gratia non implentur monita ſalutis: ſuppoſitâ autem gratiâ, quæ omnis ſit efficax,

efficax, & quidem ut eſt creatio, & reſuſcitatio, fieri non magis poteſt, ut monita prætereantur, quàm ut poſita creatione, vel reſuſcitatione, res maneat in nihilo, vel mortua non reſurgat. Quomodo *bonum* ſaluriferum, quodcunque facimus, *non eſt ex neceſſitate*, ſi non aliter à ſolo Deo pendeat, quàm creatio, aut reſuſcitatio? Quomodo in eadem hypotheſi poſſumus gratiam negligere, ſeu ejus impedire operationem? Sed & qua ratione operibus noſtris *merces* tribuitur, cujus ſpe nos animat cum Apoſtolo Auguſtinus? Num merces nobis convenit, quia creamur, vel quia reſurgimus? Talis igitur idea, quam operationi gratiæ affingunt adverſarii, deſtruit manifeſtè liberum humanæ voluntatis in bonis actibus arbitrium, Dei ſapientiam, mandata, monita, conſilia, hominum merita, præmia, atque adeò innumera de iis Scripturarum evidentiſſima teſtimonia, quin ipſam quoque, quam tantoperè adverſarii jactant, S. Auguſtini cum Fide Catholica doctrinam.

10 Quæ hic copiosè diſſerui ex ſolo Auguſtini libro de gratia, & libero arbitrio, occaſione objectæ indè ab Adverſario laciniæ, facilè Lector applicare poterit alteri objectioni ex ejuſdem Sancti Antiſtitis expoſitione ſecunda Pſalmi 18., & cuicunque ſimili ex Proſperi epiſtola ad Ruffinum, & cap.14. carminis de ingratis, ex opuſculo Gelaſii contra hæreſim Pelagianam, & Epiſtolâ Synodica Epiſcoporum exulum in Sardinia. Omnia enim nihil aliud continent, quàm illud Epheſ. 2. verſ. 10. *Ipſius enim ſumus factura, creati in Chriſto* Jesu *in operibus bonis, quæ præparavit Deus, ut in illis ambulemus*. Quod ſuperiùs, ipſo duce Angelico, explicatum dedi; ad reprimendam ſcilicet humanam ſuperbiam ſolicitè nobis Scriptura, & Patres inculcant, quod, ſicut ex nihilo creati ſumus homines, ita & ex nihilo juſtitiæ ſanctificari: & ſicut eſſe hominis procurare nobis minimè potuimus, ita neque quæcunque naturam ad ullum opus ſalutiferum diſponunt; ſed præveniri, excitari, moveri divinâ gratiâ intellectus, & voluntas debuerit, adeò ut nec cogitare quidem aliquid boni iſtiuſmodi abſque ſpeciali, & naturæ viribus ſuperiore adjutorio valuiſſet.

11 Ob hanc itaque cum creatione ſimilitudinem creati dicimur in operibus bonis, & cor in nobis creari mundum; Verùm ſimilitudinem eſſe valde analogam, nemo non videt; ut proinde idea vnius operationis eſſe nequeat propriè dicta alterius, ſicut à Luthero, & ſimilibus perperàm fingitur, quos ſequi, tam exotici, & tot hæreſum fœcundi erroris magiſtros parum honorificum Queſnello eſt, & obſtinatis ejus vindicibus. Fruſtrà pariter operam perderem in conciliandis cum doctrina Catholica, & diſcernendis à maleſanâ illa operationis gratiæ ideâ, iis textibus, quos in Scriptura, Auguſtino, Proſpero, Anſelmo adverſarius congerit, in quibus peccatorum converſio vocatur mortuorum reſuſcitatio; nam etſi in hoc ſimiles ſint, quod ſicut vita corporum extincta, redditur reſuſcitatione; ita vita animæ myſtica, quam peccatum deſtruxerat, reſtituitur operatione gratiæ: tamen & hæc valde analoga ſimilitudo eſt, & plurimùm diſpar, ut ſuperiùs oſtenſum eſt: reſuſcitatio nempe corporum, uti & creatio, à Deo ſolo pendet, ipſius ſolius operatio eſt abſque ullo rei, quæ reſuſcitatur, concurſu; abſque ullo libertatis ejus exercitio, certiſſimam inferens neceſſitatem antecedentem; quod totum ab operatione gratiæ ſecundùm Fidem Catholicam remotiſſimum eſt.

Vigeſimaquarta Propoſitio damnata.

Juſta idea, quam Centurio habet de Omnipotentia Dei & Jesu Chriſti in ſanandis Corporibus ſolo motu ſuæ voluntatis, eſt imago ideæ, quæ haberi debet de Omnipotentia ſuæ gratiæ in ſanandis animabus à cupiditate. *Obſerv. Moral. Luc.7. v.7.*

CAPUT I.

Propoſitio repugnat Scripturis Sacris.

1 Locum citatum teneo, & verba Centurionis, *propter quod, & me ipſum non ſum dignum arbitratus, ut venirem ad te; ſed dic verbum, & ſanabitur puer meus*. Agnoſcit hic Centurio (& quis non agnoſcat?) omnipotentiam Dei, & Jesu Chriſti in ſanandis corporibus ſolo motu ſuæ voluntatis, neque inficias ire

ire poſſumus,Deum in divitiarum ſuarum infinita plenitudine continere quædam tantæ virtutis auxilia, ut ſola indubitatam ſemper, & de quacunque cupiditate præſtarent victoriam; imò cupiditatem pellerent, atque extinguerent. Sic omnipotentia Dei, & Jesu Chriſti *ſolo motu ſuæ voluntatis* morbos ſuſtulit perfectâ redditâ corporibus ſanitate. Verùm talem ideam gratiarum, quæ in hac Divinorum ſerie decretorum dantur, *Eccleſia Dei vivi*, quæ, teſte Apoſtolo, *eſt columna, & firmamentum veritatis*, hactenus ignorat; neque aſſequor ubi Queſnellus diſcere potuerit.

2 Non in verbis Centurionis, in quibus nulla interioris gratiæ, nulla ſanandæ animæ à cupiditate fit mentio: non in Scripturis reliquis, aut traditione, quæ adultos ſinè eorum cooperatione nunquam cupiditate ſuperiores fore, nunquam ſanitatem animæ ſeu perpetuam, ſeu temporaneam conſecuturos utique denuntiat. Creavit nos Deus ſinè nobis, reſuſcitabit ſinè nobis: ſanitatem corporibus ſubinde reddit, nullo mortalium cooperante: ſe ſolo nos moriens redemit; actualis quædam gratiæ auxilia indignis, minimè petentibus, & ſubinde non cooperaturis impertit. Initium iſta ſanationis ſunt; ſed non ſanatio abſoluta, & integra, qualem comminiſcitur Propoſitio, exemplo ſanitatis corporalis redditæ puero Centurionis. Ad abſolutam, & integram *animarum à cupiditate ſanationem* requiri in hoc rerum ordine, non ſolum motum Divinæ voluntatis, aut ſolum motum gratiæ; ſed etiam liberam hominis cooperationem, univerſa credit, & ſemper docuit Eccleſia. Pro quo dogmate Catholico adversùs Scriptorem Catholico nomine gloriantem militant omnium Scripturarum,ac Patrum teſtimonia,omnes Conciliorum, Pontificumque definitiones, quæ contra Propoſitiones plures libero arbitrio infeſtas hactenus allata ſunt. Non igitur *juſta idea, quam Centurio habet de omnipotentia Dei, & Jesu Chriſti in ſanandis corporibus ſolo motu ſuæ voluntatis, eſt imago ideæ, quæ haberi debet de Omnipotentia ſuæ gratiæ in ſanandis animabus à cupiditate*: Nam, etſi omnipotentia Dei, & Jesu Chriſti ſanat corpora, *ſolo motu ſuæ voluntatis*, abſque hominum cooperatione; non tamen omnipotentia ſolo gratiæ ſuæ motu ſanat animas à cupiditate abſque cooperatione creatæ libertatis.

3 Eccleſia in officio canonico feriæ 5. infra hebdomadam 3. Quadrageſimæ ex S.Ambroſio lib.4. in Luc. cap.4. ait: *Febris noſtra avaritia eſt, febris noſtra libido eſt, febris noſtra ambitio eſt, febris noſtra iracundia eſt.* Ubi febris pro morbo quolibet, ſpecies pro genere; ita in Propoſitione damnata nomen *cupiditas* ſumitur pro univerſitate vitiorum. Conſideret nunc Queſnellus, an peccata omnia ſolo gratiæ motu, nobis nihil agentibus, ſuperentur.

4 Edoceat nos,quo ſenſu bono, quo fine Prov. 1. verſ. 23. clamet Divina Sapientia, *Convertimini ad correptionem meam, en proferam vobis ſpiritum meum, & oſtendam vobis verba mea*. verſ.24. *Quia vocavi, & renuiſtis; extendi manum meam, & non fuit qui aſpiceret*, verſ. 25. *Deſpexiſtis omne conſilium meum, & increpationes meas neglexiſtis*, v.26. *Ego quoque in interitu veſtro ridebo*. Juxta Queſnelli ſententiam reſpondere Judæi poſſent, & cum eis peccatores omnes: Sicut *ſolo motu tuæ voluntatis ſanas corpora*, nemine cooperante, ita ſolo gratiæ tuæ motu ſanas animas: atque hæc eſt *imago ideæ, quæ haberi debet de omnipotentia tuæ gratiæ in ſanandis animabus à cupiditate*. Neque aliud in hoc ſtatu datur gratiæ auxilium ſufficiens, quo converti poſſimus. Quid itaque ad nos clamas, ut convertamur? Quid increpas non converſos? Quid ais, te vocare, & extendere manum? Quid indignaris, quòd non ſit, qui aſpiciat, ſi ſolo voluntatis, vel gratiæ tuæ motu converſio fieri debeat, ut ſolo voluntatis tuæ motu fit ſanatio corporum? Cur itaque in interitu noſtro rideas, ſi vita, & ſalus noſtra à te ſolo dependerit?

5 Non ſaniorem ſenſum Propoſitio tribuit Divino oraculo Eccli. cap. 51. verſ. 31. *Appropiate ad me indocti, & congregate vos in domum diſciplinæ*. Verſ. 33. *Comparate vobis ſinè argento*. Verſ. 34. *& collum veſtrum ſubjicite jugo: & ſuſcipiat anima veſtra diſciplinam; in proximo eſt enim invenire eam*. Hortatio hæc iterum in Deum retunditur, ſi Propoſitioni huic inhæremus, juxta quam ſolius gratiæ motus eſt noſtra ad Deum appropiatio, congregatio in domum diſciplinæ, comparatio ſapientiæ, & ſalutis, ſubjectio colli noſtri jugo, ſuſceptio diſciplinæ, & ejus inventio.

6 Explicet quoque nobis Queſnellus illud Iſaiæ cap. 1. verſ. 16. *Lavamini, mundi eſtote, auferte malum cogitationum veſtrarum*. Incongruè id peccatoribus præcipitur, ſi lavare, mundare, malum cogitationum auferre ad ſolum omnipotentis gratiæ motum pertineat.

7 Ezechielis cap. 18. verſ. 30. Ait Dominus Deus: *Convertimini, & agite pœnitentiam, ab omnibus iniquitatibus veſtris, & non erit vobis in ruinam iniquitas*. V.31. *Projicite à vobis*

à vebis omnes prævaricationes veſtras, in quibus prævaricati eſtis: & facite vobis cor novum, & quare moriemini Domus Iſrael? V.32. *Quia nolo mortem morientis, dicit Dominus Deus: revertimini, & vivite*. Locutiones omnes iſtæ impropriiſſimæ ſunt, inanes, & fraudulentæ in novi interpretis ſententia. Quis enim ſapienter imperet alteri, quod à ſe ſolo dependere cognoverit? Mandavitne Deus Puero centutionis, ut ſibi ipſi ſanitatem corporis reſtitueret, quæ ſoli Divinæ voluntatis motui deberetur accepta? Quomodo igitur impetat *converſionem, & pænitentiam ſolo voluntatis ſuæ motu* efficiendam? *Projicere omnes prævaricationes noſtras*, & *facere* nobis *cor novum*, iſtud profectò eſt ſanare animam à cupiditate; ſed pariter ipſum eſt opus *ſolius gratiæ*, ſi vera eſt Queſnelli obſervatio. Juxta eamdem non deberet Deus præcipere, ſed potiùs præſtate *ſolo gratiæ omnipotentis motu*, ut *revertantur, & vivant*.

8 Eadem facilè applicantur Ezech. cap. 33. verſ. 10. *Tu ergo fili hominis dic ad Domum Iſrael: Sic locuti eſtis, dicentes: Iniquitates noſtræ, & peccata noſtra ſuper nos ſunt, & in ipſis nos tabeſcimus; quomodo ergo vivere poterimus?* V. 11. *Dic ad eos: Vivo ego, dicit Dominus Deus: nolo mortem impii; ſed ut convertatur impius à via ſua, & vivat. Convertimini, convertimini à viis veſtris peſſimis: & quare moriemini Domus Iſrael?* Si quam orationem Deus ad Ezechielem dirigit; ſibi Queſnellus inculcatam audiiſſet, faceſſere forſitan juſſiſſet Deum, & verbis parcere inutilibus. Non enim tot ambagibus uſus eſt Chriſtus, ut ſanaret Centurionis puerum; riſui ſe expoſiturus, ſi iteratò ei mandaſſet, ut ſe ipſum ſanaret, quod divinæ ſolius conſtæret eſſe potentiæ. Dixiſſet ergo Queſnellus: Tuum, Deus, eſt illos convertere, & ſolo omnipotentis gratiæ motu, cui ipſi non magis cooperari poſſunt, qnam puer Centurionis omnipotenti tuæ voluntati, cujus ſolo motu ſanatus eſt.

9 Placere non poterit Queſnello illud Apocalypſeos 3. verſ. 20. *Ecce ſto ad oſtium, & pulſo: ſi quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi januam, intrabo ad illum*. Nam inſiſtendo Propoſitioni damnatæ, aliud Deus Apoſtolo Joanni revelate debuiſſet: videlicet; ſolus omnipotentis gratiæ meæ motus aperit mihi januam; adeôque non ſto ad oſtium pulſando, expectandoque donec fortè homini placuetit voci meæ auſcultare, & januam mihi aperire, quaſi in poteſtate ejus eſſet me inhumaniter repellere, vel non apetire pulſanti.

10 Sap. 9. verſ. 10. Salomon divinam ſapientiam, ſeu gratiam petens: *Mitte eam*, inquit, *de ſede magnitudinis tuæ, ut mecum ſit, & mecum laboret*; non, ut ſola ſit, & ſola laboret.

11 Apoſtolus Paulus 1. Cor. 15. verſ. 10. *Abundantiùs omnibus laboravi, non ego, ſed gratia Dei mecum*. Et cap. 3. verſ. 8. *Unuſquiſque autem propriam mercedem accipiet, ſecundùm ſuum laborem; Dei enim ſumus adjutores*; græcè συνεργοὶ *cooperatores*. Non igitur ſolus gratiæ Dei motus ſanitatem à cupiditate, & ſalutem in animabus operatur; ſed gratia Dei nobiſcum.

CAPUT II.

Vigeſimaquarta damnata Propoſitio adverſatur Conciliis, & Romanorum Pontificum Conſtitutionibus.

1 Concilium Arauſicanum 2. can. 9. *Quoties bona agimus, Deus in nobis atque nobiſcum, ut operemur, operatur*. Can. 25. *Hoc ſecundùm Fidem Catholicam credimus, quòd acceptâ per baptiſmum gratiâ . . . . omnes, quæ ad ſalutem pertinent, poſſint, & debeant, ſi fideliter laborare voluerint, adimplere*. Queſnellus ſic Concilium corrigeret: *Omnes, quæ ad ſalutem pertinent, poſſint, & debeant, ſi Chriſtus omnipotenti gratiâ ſolus laborare voluerit, adimplere*.

2 Concilium Senonenſe in præfatione: *Non ego; ſed gratia Dei mecum: unde rectè conficitur ipſum* (Apoſtolum) *Divinæ gratiæ etiam, ut reliquos, cooperatum fuiſſe*. In Decreto Fidei 15. *Non eſt tale trahentis gratiæ auxilium, cui reſiſti non poſſit*. Ibid. *Cùm reliquerit Deus hominem in manu conſilii ſui, apposueritque coram eo ignem, & aquam; bonum, & malum; ad quodcunque voluerit, porrigat manum ſuam; nec abs re beatus ille dicatur, qui potuit tranſgredi, & non eſt tranſgreſſus; facere mala, & non fecit; quòd ſub eo ſit appetitus ejus, & dominetur illius: ac denique percurrenti Sacram Scripturam paſſim obvium ſit, quod liberum utramvis in partem hominis arbitrium perſeveret &c.* Atqui, ſi Deus animas ſanat à cupiditate, & cæteros actus bonos efficiat ſolo omnipotentis ſuæ gratiæ motu, ut ſolo voluntatis ſuæ motu ſanitatem infirmo corpori reſtituit, quis hominum tali omnipotenti motui reſiſtere valeat? Quomodo reliquit Deus hominem in manu conſilii ſui? Quomodo appoſuit ei bonum, & malum, ut ad quodcunque voluerit, manum porrigat? Quomodo cum tali motu, cum tali gratia potuit tranſgredi, & facere mala? Sic quidem gratia appetitui dominabitur; ſed non homo,

qui ita bono affixus, nullo modo liberum retinet in utramvis partem arbitrium.

3 Tridentinum ſeſſ. 6. cap. 7. *Juſtitiam in nobis recipientes &c. ſecundùm propriam cujuſque diſpoſitionem, & cooperationem*. Ibid. can. 4. *Si quis dixerit, liberum arbitrium nihil cooperari, aſſentiendo Deo excitanti, anathema ſit*. Can. 32. *Opera bona ſunt ita dona Dei, ut etiam bona ſint juſtificati merita*. Quo titulo autem mereantur, ſi ſolo gratiæ motu fiant? Sanitas corporis prodigio reſtituta, donum Dei fuit, ſed non opus pueri, nec ulla ratione ei vertitur in meritum. Quapropter ſi *juſta idea, quam centurio habet de omnipotentiâ Dei, & Jesu Chriſti, in ſanandis corporibus ſolo motu ſuæ voluntatis, eſt imago ideæ, quæ haberi debet de omnipotentiâ ſuæ gratiæ in ſanandis animabus à cupiditate*, abiit, exceſſit omne hominis meritum, omnis bonorum actuum libertas, omnis humana cooperatio; nam licèt ſanitas corporis à Centurionis puero deſiderata fuerit, & is, ut ſibi redderetur, liberè conſenſerit; non tamen ipſa ſanatio, vel ulla pars ejus fuit actio pueri, ſed tota ſolius Chriſti. Quæ autem vis eſt *omnipotentis gratiæ in ſanandis animis à cupiditate*, ſive in ſuperandis concupiſcentiæ illecebris, eadem eſt in cæteris actibus ſalutiferis, ut, ſi *ſanatio à cupiditate* ſoli gratiæ adſcribitur, adſcribenda pariter ſit cujuſvis ſancti operis executio.

4 Reclamabit autem hic Queſnellus, ſeque meritum in humanis actibus agnoſcere, verbo teſtabitur; ſed tunc incidet in Propoſitionem Janſenii tertiam *Ad merendum, & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ non requiritur libertas à neceſſitate, ſed ſufficit libertas à coactione*.

5 Hæreſim quoque Propoſitionis 4. Janſenii, & inflictum ei anathema evadere Queſnellus non poteſt. Non enim juxta propoſitam ab eo omnipotentis gratiæ, ejuſque operationis ideam, *gratia talis eſt, cui poſſit humana voluntas reſiſtere*; multò minùs unquam reſiſtit. Neque aliud genus actualis, & interioris gratiæ infirmo homini Queſnellus concedit: atque ita *Interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ nunquam reſiſtitur*: Quæ eſt Propoſitio Janſenii ſecunda.

6 At Queſnellus dixerit nolle ſe actibus bonis adimere cooperationem hominis, & libertatem. Reſpondeo 1. Proteſtationem non valere actui contrariam Innocent. in C. *Cum M.* in 1. colum. in gloſſa ſua, in verſ. *Præjudicio* de conſtitut. & in *C tua* in gloſſa ſua in verſ. *Videamus*. De ſponſa, & Bal. ubi ſup. verſ. *Secundo no.* in l. Servum §. *Si ſervus* de acquiſ. hered. Bald. in lib. *Pro herede* §. *Papinianus*. In ult. col. verſ. ult. *ex iſto* §. ff. de acqui. hæred. & in Lib. 1. col. in ptinc. *procedo ulteriùs* C. de lit. conteſt. per Flo. in Lib. *Si tam auguſti* de ſervitu. glo. in cle. 1. de procu.

7 Addo proteſtatione non excuſari delictum L. *Jubemus* §. *Quia* C. de Sacroſanct. Eccle. & in Lib. 1. XVI. q. ff. de his quæ pœno. Argumentum contra. 1. eo verſ. LXXXVIII. Maximè verò proteſtantem doloſum, qualis Queſnellus hìc, & ſæpe aliàs in decurſu operis convincitur, proteſtatio non relevat. No. in L. 1. ante finem. verſ. *Sed ſi proponas* ff. de act. empt. & L. *Quæro*. Eo tit.

8 Reſpondeo 2. Libertatem, quam ſubinde Queſnellus verbotenus ad fallendum prædicat, non poſſe aliam intelligi, quàm Bajanam, qualis articulo ejus 39. à tribus Pontificibus damnata eſt, *Quod voluntariè ſit, etiamſi neceſſariò fiat, liberè tamen fit*. Et Articulo 66. *Sola violentia repugnat libertati hominis naturali*. Hoc ſenſu liberum arbitrium vocare nè Calvinus quidem detrectabit: in Antidoto Concilii Tridentini ſeſſ. 6. ad Canon. 5. *De verbo*, inquit, *non moveamus rixam; ſed quia liberum arbitrium intelligunt, eligendi facultatem, quæ ſit in utramque partem libera, & ſoluta, titulum ſinè re eſſe qui affirmant, Chriſtum habent Authorem*.

CAPUT III.

Vigeſimaquarta Propoſitio damnata repugnat traditioni Patrum.

1 Nihil moratus excuſationem Queſnelli de ſenſu à ſe intento, vel fortè alibi tradito, Propoſitionem damnatam accipere pergo in rigore, in ſenſu proprio, & obvio, quem verba per ſe exhibent: Juxta quem ſolo gratiæ omnipotentis motu ſanentur animæ à cupiditate, ſicut corpora ſolo omnipotentis voluntatis motu ab infirmitate liberantur; in exemplo nempe pueri Centurionis, & ſimilibus prodigio à Salvatore ſolo, nemine cooperante, curatis. Atque hæc eſt *juſta idea*, quæ, Duce, ac magiſtro Queſnello, *haberi debet de omnipotentia gratiæ in ſanandis animabus*, & vitâ donandis perpetuâ. Quam ab hac idea ſenſus Patrum alienus ſit, ex clariſſimis eorum teſtimoniis lector facilè perſpiciet.

2 Juſtinus Apologia ad Imperatorem Antoninum: *Ipſum libero arbitrio, liberâque voluntate, & rectè facere, & peccare docemus . . . Neque ille remuneratione, aut laude*

de dignus eſſet , ſi per ſe ipſum bonum non eligeret .

3 Irenæus lib.4. adversùs hæreſes cap. 71. *Qui operantur illud* (bonum) *gloriam, & honorem percipient , quoniam operati ſunt bonum, cùm poſſent non operari illud . Hi autem, qui illud non operantur , judicium juſtum recipient Dei , quoniam non operati ſunt bonum , cùm poſſent operari illud .*

4 Clemens Alexandrinus lib. 7. ſtromatum: *Quomodo medicus præbet ſanitatem iis, qui opem ferunt ad ſanitatem; ita etiam Deus æternam ſalutem iis, qui opem illi ferunt , & cooperantur ad cognitionem , & ad bonas actiones . Cùm autem ſimul cum eo quid facimus , & in nostra ſint poteſtate ea, quæ præcepta imperant, perficitur quoque promiſſio .* Puer autem Centurionis ſanationem ſuam , nec operatus eſt , nec operari potuit, neque opem ferre, neque cooperari Deo ſananti ; ideo nec *gloriam* , nec *honorem* ex ſanatione illa *percipit* , multò minùs *æternam ſalutem* .

5 Andreas Cæſarienſis Serm. 7. cap. 7. *Spiritûs ſignaculum , quod homini contra tentationes datur , eatenus vim ſuam oſtentat, quatenus ipſi collaboramus . Qui igitur auxilio illo deſtituuntur , unà cum ipſo manum operi admovere non volunt .*

6 S. Hilarius in Matth. 7. verſ. 28. *De noſtro igitur eſt beata illa æternitas promerenda: præſtandum eſt aliquid de proprio, ut bonum velimus , malum omne vitemus .*

7 Gregorius Nazianz. Orat. 21. *Quod etiam ipſum ſingularis , & eximiæ Dei bonitatis argumentum eſt ; ut noſtra quoque aliqua ex parte ſit virtus , nec natura tantùm nobis inſeratur ; ſed voluntate etiam , animique propoſito excolatur , arbitriique libertate parem in utramque partem motum habente .*

8 Auguſtinus lib. 1. ad Simplicianum quæſt. 2. *Ut velimus , & ſuum eſſe voluit , & noſtrum ; ſuum vocando , noſtrum ſequendo .* Idem S. Doctor libro de gratia , & libero arbitrio . *Cooperando* (non ſe ſolo operando Deus) *perficit , quod operando incipit , quia ipſe , ut velimus operatur incipiens , qui volentibus cooperatur perficiens .* Idem de verbis Apoſtoli Serm. 13. *Non adjutor eſt ille,* Deus , *ſi nihil agit : non cooperator eſt , ſi nihil operamini .* Ibidem : *Si non eſſes operator , ille non eſſet cooperator .* Puer autem centurionis nec operatus eſt ſanitatem corporis , nec ei cooperatus . Non igitur juſta idea ſanationis corporalis , quæ fit ſolo motu omnipotentis Dei voluntatis , *imago eſt ideæ, quæ haberi debet* ſanationis ſpiritualis per gratiam.

9 S. Fulgentius de Incarnatione , & gratia cap. 30. *Voluntas gratiæ ſecum operanti ſervitium obedientiæ cooperatricis exhibet .*

10 Author libri 2. de Vocatione Gentium cap. 12. *Ut quod non poteſt, niſi cooperante Spiritu Dei , ſieri , eorum meritis deputetur , quorum id potuit voluntate non ſieri .* Idem capite octavo : *Datur gratia ante ullum laborem , unde quiſque mercedem accipiat ſecundùm ſuum laborem .* Nullus Centurionis famulo in ſui corporis ſanatione labor fuit, unde nec ulla pro ſanatione ei debetur merces.

11 Venerabilis Beda libro variarum quæſtionum quæſtione 13. *Quod ſi voluerimus, ad laborem in omnibus, quæ bene agimus, nobis cooperabitur .* Ibid. *Deus bona ſua promittit , ut tamen labore noſtro acquirantur .*

12 S. Gregorius Magnus lib. 16. moralium cap. 10. *Superna pietas, ſubſequente noſtro libero arbitrio, bonum quod appetimus, agit nobiſcum .* Idem l. 33. cap. 20. *Bonum, quod agimus, & Dei eſt, & noſtrum: Dei per prævenientem gratiam, noſtrum per conſequentem liberam voluntatem . Si enim Dei non eſt , unde ei gratias in æternum agimus? Rurſum, ſi noſtrum non eſt, unde nobis retribui præmia ſperamus? Quia ergo non immeritò gratias agimus , ſcimus quòd ejus munere prævenimur : & rurſum , quia non immeritò retributionem quærimus, ſcimus quòd ſubſequente libero arbitrio , bona elegimus , quæ ageremus.* Miracula, quibus corpora ſanantur, non dicuntur noſtra, non iis cooperamur, nec meremur . Non igitur *juſta idea, quàm Centurio habet de omnipotentia Dei , & JESU Chriſti in ſanandis corporibus ſolo motu ſuæ voluntatis, eſt imago ideæ , quæ haberi debet de omnipotentia ſuæ gratiæ in ſanandis animabus à cupiditate,* & ad virtutem promovendis, ac ſalutem .

13 S. Bernardus de gratia, ac libero arbitrio circa finem , *Si gratia cum libero arbitrio cooperatur , ut tamen illud in primo* (in excitando) *præveniat, in cæteris comitetur ; ad hoc utique præveniens , ut jam ſibi deinceps cooperetur .*

14 Ibidem: *Non autem ego, ait* (Apoſtolus) *ſed gratia Dei mecum. Potuit dicere, per me; ſed quia minus erat , maluit dicere mecum , præſumens ſe non ſolùm operis eſſe miniſtrum per effectum ; ſed etiam operantis quodammodo ſocium per conſenſum .*

15 Ibid. *Si igitur Deus tria hæc, hoc eſt, bonum cogitare, velle, perficere, operatur in nobis, primum profectò ſinè nobis , ſecundum nobiſcum, tertium per nos facit .*

16 Idem de interiore domo: *Noſtræ poteſtatis, & ignaviæ eſt, ut labamur ; ſolicitudinis verò noſtræ, & cœleſtis pariter adjutorii, nè labamur .*

27 Pluribus citationibus ſuperſedeo, non

Authorum inopiâ, ſed vitandi tædii causâ. Scholaſticos, & rationem Theologicam ſeqnenti Propoſitioni reſervo.

CAPUT IV.

Solvuntur Objectiones.

1 Hexaplorum Authot tam in cumulandis Scripturarum, & Patrum textibus aliàs copioſus, ad magnam hìc videtur redactus penuriam, dum nihil ad damnati articuli patrocinium refert, niſi unam Ezechielis, alteram Auguſtini ſententiam. Prior apud Prophetam eſt cap. 36. admodum prolixa, fortè, ut numeri defectus, unius longitudinc ſuppleatur. „ Non propter vos „ (inquit Deus per Ezechielem) ego faciam, „ Domus Iſrael, ſed propter nomen ſanctum „ meum, quod polluiſtis in gentibus, ad „ quas intraſtis: & ſanctificabo nomen meum „ magnnm, quod pollutum eſt inter gentes, „ quod polluiſtis in medio earum, ut ſciant „ gentes, quia ego Dominus exercituum, „ cùm ſanctificatus fuero in vobis coram eis. „ Tollam quippe vos de gentibus, & congregabo vos de univerſis terris, & adducam vos in terram veſtram, & effundam „ ſuper vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis veſtris, & „ ab univerſis idolis veſtris mundabo vos. „ Et dabo vobis cor novum, & Spiritum novum ponam in medio veſtri; & auferam cor „ lapideum de carne veſtra, & dabo vobis „ cor carneum, & Spiritum meum ponam in „ medio veſtri: & faciam, ut in præceptis „ meis ambuletis, & judicia mea cuſtodiatis, & operemini.... Et ſalvabo vos ex „ univerſis inquinamentis veſtris: & vocabo „ frumentum, & multiplicabo illud, & non „ imponam vobis famem.... Et recordabimini viarum veſtrarum peſſimarum, ſtudiorumque non bonorum, & diſplicebunt vobis iniquitates veſtræ, & ſcelera veſtra. „ Non propter vos ego faciam, dicit Dominus Deus, notnm ſit vobis: confundimini, „ & erubeſcite ſuper viis veſtris, Domus „ Iſrael: hæc dicit Dominus Deus: In die, quâ „ mundavero vos ex omnibus iniquitatibus „ veſtris, & inhabitari fecero Urbes, & inſtauravero ruinoſa; & terra deſerta fuerit „ exculta, quæ quondam erat deſolata in „ oculis omnis viatoris, dicent: Terra illa inculta, facta eſt ut hortns voluptatis, & Civitates deſertæ, & extructæ, atque ſuffoſſæ „ munitæ ſederunt: & ſcient gentes, quæcunque derelictæ fuerint in circuitu veſtro, quia ego Dominus ædificavi diſſipata, „ plantavique inculta, ego Dom inus locutus ſim, & fecerim „.

2 Dum prolixa adeò relatione diſtineris, Lector, non dubito quin aliquoties tibi inciderit cogitatio, quæ mihi; quid hæc omnia ad Centurionem? Quid ad inauditæ hactenus apud Catholicos patrocinium novitatis, aſſerentis animas ſanari ſolâ omnipotenti Dei gratiâ, abſque ulla liberi arbitrii cooperatione, nt in ſanatione corporum, quæ prodigio curantur, uſuvenit; quibus omnis medicaminis loco eſt Dei voluntas, ſola ſanitatem reſtituens, nullâ humanarum cooperatione virium, aut induſtriâ medicorum, nullo etiam requiſito, vel concurrente ſanandi corporis conſenſu.

3 Nihil horum enuntiat Ezechielis, ſeu Dei per Ezechielem ſententia. Et quomodo Propheta, aut æterna Veritas tam manifeſto patrocinaretur errori? Aliàs in denſiſſimis tenebris ab initio mundi in hæc uſque tempora cæcutiiſſet electus Dei populus, & cœtus Sanctorum, qui tam mirabilem Divinæ voluntatis in convertendis animis operationem hactenus ignoraverit. Poteſt quidem Deus de lapidibus ſuſcitare filios Abrahæ; nec ullus peccator adeò obdnrati pectoris eſt, aut flecti neſciæ cervicis, ut omnipotenti Dei voluntate, & auxilio ad frugem bonam addnci nequeat, ac ſalutem. De abſoluta Dei omnipotentiâ hic nulla nobis cnm adverſariis diſceptatio eſt, ſermo nullus. Sed de praxi, de modo, qui, ſtante hoc divinorum Decretorum ordine, in peccatorum converſionibus obſervatur. Quæſtio itaque eſt, num, ſicut ſanatio corporum, quæ prodigio, & ſolo efficaci Dei beneplacito, abſque ulla humanæ induſtriæ, & voluntatis liberæ cooperatione curantur, ita fiat ſanatio animorum, ſive, ut damnata Propoſitio enuntiat, an *Juſta idea, quàm Centurio habet de omnipotentia Dei, & Jesu Chriſti in ſanandis corporibus ſolo motu ſuæ voluntatis, ſit imago ideæ, quæ haberi debet, de omnipotentia ſuæ gratiæ in ſanandis animabus à cupiditate.*

4 Tota Ezechielis ſententia in eo verſatur, ut exprobratis populo Iſrael criminibus, prænuntiet tamen futurum, ut Deus aliquando populi, quantumvis nunc impii, miſereatur, eumque convertat. Sed de converſionis modo, an ſolâ omnipotenti gratiâ, & abſque libera humanæ voluntatis cooperatione, ut, poſt Lutherum, contendunt adverſarii; an cum illa, ut credunt, & ſemper credidêre Catholici, nihil illic aſſeritur. Alibi verò tum Ezechiel, tum alii Hagiographi humanam cooperationem, ſeu liberi conſenſum arbitrii ad ſanandas animas requiri, minimè obſcurè ſigni-

ſignificant. Et quidem per Ezechielem ſæpius Deus declarat,ut cap.18.& 33.*Nolo mortem morientis: nolo mortem impii, ſed ut convertatur impius à via ſua, & vivat. Convertimini, convertimini.... impietas impii non nocebit ei.* Iſtiuſmodi invitationes, conſilia,hortationes, præcepta, uti & promiſſiones præmii,& comminationes ſupplicii juxta S.Thomam, & omnes Catholicos liberi arbitrii in converſionibus cooperationem manifeſtè indicant. *Si enim non ſit liberum aliquid in nobis, ſed ex neceſſitate movemur ad volendum, tollitur deliberatio, exhortatio, præceptum, & punitio, & laus, & vituperium*; ut docet Magiſter Angelicus in Quæſtionibus diſputatis q.de malo q.6. de electione.

5 Iterum Ezechiel cap. 18. Judæos monet:*Facite vobis cor novum,& ſpiritum novum:* uſquamnè corporibus miraculo, & ſolâ Dei omnipotentia ſanandis dicitur, facite vobis valetudinem, & vires novas? Evidens igitur eſt, quod, cùm jubetur peccatoribus, ut ipſi ſibi faciant cor novum, & ſpiritum novum, non illum efficiat ſolus Deus ſuâ gratiâ. Eodem cap. Ezechiel peccatoribus mandat Dei nomine: *Convertimini, & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus veſtris: Projicite à vobis omnes prævaricationes veſtras, in quibus prævaricati eſtis.* Ridiculum eſſet præceptum illud hominibus datum, ſi ſola gratia ſanaret animas,quemadmodum ſanantur corpora ſolo motu Divinæ voluntatis. Sive ſi,ut Propoſitio aſſerit, *Juſta idea,quam Centurio habet de omnipotentia Dei, & Jesu Chriſti in ſanandis corporibus ſolo motu ſuæ voluntatis, eſt imago ideæ,quæ haberi debet de omnipotentia ſuæ gratiæ in ſanandis animabus à cupiditate.*

6 Juxta hanc ideam expungendus eſt titulus *Libri Sapientiæ*; minimè enim ſapienter illic Author oraverit, & orare alios docuerit cap. 9. v. 10. *Mitte eam de ſede magnitudinis tuæ, ut mecum ſit, & mecum laboret.* Orandum ſcilicet in novæ doctrinæ hypotheſi fuerit: Mitte eam de ſede magnitudinis tuæ, ut in me ſit,& in me ſinè me laboret ſola, quemadmodum ſola omnipotentia Dei, & Jesu Chriſti ſanat corpora ſolo motu voluntatis ſuæ, nihil operæ conferentibus corporibus, quæ ſanantur.

7 Credidimus hactenus Apoſtolo 2.Timoth. cap.4. v.7. affirmanti cum fiducia, *Repoſita eſt mihi corona juſtitiæ.* Sed, quæ juſtitiæ corona eſt, ſi ſola gratia operatur juſtitiam in animabus, ſicut voluntas Dei ſola omnipotens in corporibus, quæ miraculo curantur, efficit ſanitatem? Vocari ſalus debuerit donum gratiæ merè gratuitum.

8 Juxta eamdem gratiæ ideam deceperit Apoſtolus Romanos cap.2. v.6. dicens: *Reddet unicuique ſecundùm opera ejus; iis quidem, qui ſecundùm patientiam boni operis, gloriam, honorem, & incorruptionem quærunt, vitam æternam.* Sicut enim ſanitas miraculo reddita, non eſt opus corporis ſanati; ſed ſolius Dei, illud voluntate ſuâ ſanantis; ita nulla erunt opera noſtra ſalutifera;ſed ſolius erunt Divinæ gratiæ effectus. Sic nova idea palmam tribuit Calvino neganti bonorum operum meritum; etſi fateatur demeritum malorum. Juxta Catholicos verò,Spiritus Sanctus per Apoſtolum nos docet, opera pia non ſolius gratiæ eſſe,ſed etiam noſtra propter cooperationem liberam, indè nos verè mereri æterna præmia.

9 Conſulendus nunc Auguſtinus, qui ab adverſario objicitur.Epiſtolâ ad Vitalem ait: *Non ei credentibus, & ejus doctrinam voluntate impiâ perſequentibus miſericordiam prærogavit, eoſque ad ſeipſum omnipotentiſſima facilitate convertit, ac volentes ex nolentibus fecit.* Tenemus omnes Auguſtini ſententiam; ſed quis præter Calvinum, & præſentis ideæ mirabilis Architectos indè colligat,incredulos, dum ad Catholicam Fidem convertuntur, & dum ex nolentibus volentes fiunt, non conſentire liberè, atque ita conſentiendo non cooperari converſioni ſuæ? Non ita corpora Deus miraculo ſanat, ut eorum conſenſus, & cooperatio libera requiratur, quæ ad iſtiuſmodi ſanationem nihil penitùs operæ conferunt, nec liberæ, nec neceſſariæ.

10 Auguſtinus in hac ipſa, quæ objicitur, epiſtolâ agnoſcit bonorum operum noſtrorum mercedem cum Apoſtolo: *Non enim*, inquit, *recipiet homo ſeu bonum, ſeu malum, niſi ſecundùm ea,quæ per corpus geſſit.* Juxta Ideam adverſarii homo reciperet bonum ſecundùm ea, quæ non ipſe geſſerit;ſed ſola in ipſo omnipotens gratia, ſicut Dei omnipotens voluntas in corporibus, quæ miraculo curat, ſola efficit ſanitatem.

11 Gratiam, & liberum arbitrium conciliat ex Apoſtoli ſententiâ Auguſtinus lib. de Gratia, & lib.arb. c.5. *Gratia Dei ſum id, quod ſum: atque ut* (Apoſtolus) *oſtenderet & liberum arbitrium, mox addit, & gratia ejus in me vacua non fuit; ſed plus omnibus illis laboravi. Subjunxit, non ego autem; ſed* Gratia Dei mecum; *id eſt non ſolus, ſed gratia Dei mecum: ac per hoc nec gratia Dei ſola, nec ipſe ſolus; ſed gratia Dei cum illo.* Juxta novaturientem ideam dicere Auguſtinus, & Apoſtolus debuiſſet, non ego laboravi, ſed gratia Dei ſola in me laboravit; ſicut ſola Dei voluntas omnipotens prodigio ſanitatem in corporibus operatur.

Vo-

12 Vocatio quidem, ſive illuminatio, excitatio, ſuaſio ſolius Divinæ gratiæ eſt; ſed conſenſio, propriæ voluntatis; à Deo tamen, quod ſemper ſupponitur, adjutæ. Ita Auguſtinus lib. de Spiritu, & litera cap. 34. *Viſorum*, inquit, *ſuaſionibus agit Deus, ut velimus, & ut credamus, ſive extrinſecùs per Euangelicas exhortationes, ſive intrinſecùs, ubi nemo habet in poteſtate, quid ei veniat in mentem, ſed conſentire, vel diſſentire propriæ voluntatis eſt .... His ergo modis, quando Deus agit cum anima rationali, ut ei credat; neque enim credere poteſt quodlibet libero arbitrio, ſi nulla ſit ſuaſio, vel vocatio, cui credat; profectò & ipſum velle credere Deus operatur in homine: & in omnibus miſericordia ejus prævenit nos; conſentire autem vocationi Dei, vel ab ea diſſentire, ſicut dixi, propriæ voluntatis eſt*: Eſtne ſic corporum, ſive electionis eorum ſanari Divino prodigio, vel non ſanari?

13 Idem S. Doctor lib. de perf. juſt. cap. 20. *Nec adjuvatur, niſi, qui & ipſe aliquid agit. Adjuvatur autem, ſi invocat, ſi credit, ſi ſecundùm propoſitum vocatus eſt.* Quid agunt corpora, ut à Deo ſanentur miraculo? Agunt animæ cooperando, ut ſanentur à cupiditate. Non itaque ſanantur ſolâ gratiâ, nihil ipſæ agendo, non cooperando. Denique enarratione in pſalm. 102. *Deus ſanat quemlibet languidum; ſed non ſanat invitum: quid autem te beatius, quàm ut tanquam in manu tuâ, ſic habeas in voluntate ſanitatem tuam? Ergo hoc tibi dicitur omnis homo, ſi te ægrotantem languor ipſe convincit.* Ubi de animi ægritudine, & languore ſermonem eſſe, ex circumſtantiis clarum eſt. Habentne homines corporum ſanitatem in manu ſuâ, ſicut habent animorum? Num à corporum, ſicut ab animorum electione pendet liberatio ab omni ægritudine, & languore? Plurimùm ergo ex Auguſtini ſententiâ differt operatio gratiæ in mentibus ab operatione omnipotentis Dei voluntatis in corporibus, ut ab infirmitate liberentur. Febris quantumvis æſtuans, ſolo Dei imperio pellitur: cupiditas, & quodcunque in adulto peccatum non abſque ejus tollitur cooperatione, neque ſinè ea tentationes graves ſuperantur, ſicut oportet. Utinam tam multiplex, & gravis error adverſariorum, priuſquam ampliùs turbare Eccleſiam, & corrumpere ſimplices pergat, tam magiſtrorum, quàm diſcipulorum mentibus eximatur! Sed tam inveteratam in hæreſi pertinaciam nunquam eliminat gratia ſola, quantacunque ſit, niſi conſenſus, & cooperatio libera acceſſerit animorum.

Vigeſimaquinta Propoſitio damnata.

Deus illuminat animam, & eam ſanat æquè ac corpus ſola ſua voluntate; jubet, & ipſi obtemperatur. *Obſerv. Mor. Luc.* 18. *v.* 42.

CAPUT I.

Idem, qui ſuperioris Propoſitionis error, Scholaſticorum conſenſu, & ratione enervatur.

1 Eadem Propoſitionis hujus, quæ ſuperioris, ut patet, ſignificatio eſt, idem error, de eadem ſuſpectus hæreſi: proinde quidquid contra præcedentem articulum deduxi, huc revocare lector poterit. Ego, quod de Scholaſticorum conſenſu, & ratione Theologica supereſt, delibabo. Sed priùs adeundus Euangeliſtæ locus, unde Queſnello obſervatio tam mirabilis nata eſt. Lucæ 18. v. 40. *Stans autem* Jesus, *juſſit illum* (cæcum) *adduci ad ſe. Et, cùm appropinquaſſet, interrogavit illum* v. 41. *dicens quid tibi vis faciam? At ille dixit, Domine, ut videam.* v. 42. *Et* Jesus *illi dixit: Reſpice, fides tua te ſalvum fecit.* Jubet hìc Deus, & ipſi obtemperatur: illuminat cæcum, & ſanat corpus ſola ſua voluntate; nam etſi expetita à cæco illuminatio fuerit, conceſſio tamen ad ſolam pertinuit poteſtatem Divinam, cæco minimè cooperante. Eatenus Queſnellus rectiſſimè obſervat; verùm, licèt viva cæci fiducia, & humilis ad Medicum recurſus ſua commendatione non careant; oculorum tamen illuminatio, & ſanatio actibus humanis laude, & merito dignis acceſſenda non eſt. Ad hos enim cooperationem hominis, omnis Scripturarum, Conciliorum, Pontificum, SS. Patrum authoritas, atque ipſa naturalis ratio requirunt.

2 Præter agmen Patrum, quod contra ſuperiorem articulum produximus, Theologi conſentiunt univerſi. Horum dux Magiſter ſententiarum diſt. 27. ſic docet: *Illa gratia præveniens, quæ & virtus eſt, & non uſus liberi arbitrii eſt; ſed ex ea potiùs eſt bonus uſus liberi arbitrii, quæ nobis eſt à Deo, non à nobis: uſus verò bonus arbitrii, & ex Deo eſt, & ex nobis, & ideo bonum meritum eſt; ibi enim ſolus Deus operatur, hic Deus & homo.* Prodigium ſanationis corporalis ex Deo ſolo eſt, non ex nobis, & *ideo nec bonum meritum eſt.*

S. Tho-

3 S. Thomas 1.2.q.111.a.2. *In illo effectu, in quo mens noſtra & movet, & movetur, operatio non ſolùm attribuitur Deo; ſed etiam animæ: & ſecundùm hoc dicitur gratia cooperans.* Idem in 2. diſtinct. 25. artic. 1. *In libero arbitrio hoc modo agit Deus, ut virtutem agendi miniſtret, & ipſo operante liberum arbitrium agat; ſed tamen determinatio actionis, & finis in poteſtate liberi arbitrii conſtituitur; unde remanet ſibi dominium ſui actûs.* Non eſt crearuræ dominium prodigii, neque in eo liberum arbitrium agir; ſed Deus ſolus: Neque determinatio actionis, & finis miraculi in poteſtate liberi arbitrii conſtiruirur.

4 Paria habent Albertus Magnus 2. parte q.18. & q. 101. memb. 1. S. Bonaventura in 2. diſt. 26. q. 6. a. 1. Alexander Alenſis 3. parte q. 69. memb. 3. a. 3. & 4. Durandus in 2. diſt. 26. q. 3. Dionyſius Carthuſianus in 2. diſt. 66. q. 4. & 5. Marſilius in 2. q. 18. a. 1. concl. 4. & 5. Waldenſis de Sacram. cap. 10. n. 5. Richard. in 2. diſt. 26. q. 3. Dionyſius Ciſterc. in 2. diſt. 27. q. unica art. 2. concl. 3. Capreolus in 2. diſt. 28. q. unica art. 3. Soto lib. 1. de natura & gratia cap. 16. Vega in Tridentinum l. 6. cap. 8.

5 Inter Lovanienſes quoque Driedo de captivitate, & redemptione generis humani Tract. 6. cap. 2. *Principia*, inquit, *vocationis, & inſpirationis, inſtinctus, cogitationes, & virtutes, quibus incipimus velle, & credere, Deus operatur in nobis, non cooperantibus nobis. Dum autem volumus & credimus, & ita volumus ut operemur, nobiſcum operatur Deus.* Non operatur nobiſcum miracula. Ruardus Tapperus art. 7. cap. 299. *Ut ergo velimus, ſinè nobis operatur. Cùm autem volumus, & ſic volumus, ut faciamus, nobiſcum operatur.*

6 Joannes Malderus Epiſcopus Antverpienſis 1.2.q.111.art.2. *Gratia Dei voluntatis noſtra aliquo modo cooperatrix eſt*, in actibus quidem noſtris, non in actibus ſolius Dei, ut ſunt miracula.

7 Nunc ratione Theologicâ Queſnellum conveniamus. *Si Deus illuminat animam, & eam ſanat æquè ac corpus ſolâ ſuâ voluntate: jubet, & ipſi obtemperatur*: Si, inquam, omnis ſanitas, & ſalus animæ tribuenda eſt ſoli Divinæ voluntati, & ſicut juſſio ſolius Divinæ voluntatis eſt, ita & obtemperatio; ubinam igitur hominis meritum, & in quo fundari poterit? Nam, ſi omnis operatio bona ſolius Dei ſit, nulla erit noſtra, nè cooperatio quidem. *Quis autem dubitet, non deferri præmium, niſi ei, qui bona voluntate aliquid fecerit?* Ait S. Auguſtinus l. 2. contra Fortunatum. Ibid. *Ego dico peccatum non eſſe, ſi non propriâ voluntate peccetur: hinc eſſe & præmium, quia propria voluntate rectè facimus.* Et lib. 83. quæſtionum q. 24. *Nec peccatum autem, nec rectè factum imputari cuiquam juſte poteſt, qui nihil fecerit propria voluntate.* Imò, inquit S. Thomas in quæſtionibus diſputatis q. 29. de gratia Chriſti art. 6. *Per actum proprium quis mereri non poteſt, niſi ſit Dominus ſui actûs; ſic enim ſuum actum, quaſi pretium pro præmio dare poteſt.* Et libro 1. contra Gentes cap. 68. *Dominium, quod habet voluntas ſupra ſuos actus, per quod in ejus eſt poteſtate velle, vel non velle, excludit determinationem ad unum.* Sanationis corporalis, quam Deus ſola ſua voluntate operatur, nullum nobis dominium eſt; ſed maxima ad unum determinatio.

8 Alia hìc etiam recurrit à me ſuperiùs refutata Queſnelli novitas, negans gratiam interiorem à Dei voluntate diſtinctam, refragantibus omnium paſſim ſcholarum Theologis, gratiam accidens affirmantibus in animâ, vel ejus potentiis receptum. Quæ Queſnelli ſententia viam ſternit ad eliminandam gratiam ſanctificantem, & quoslibet habitus animæ inhærentes, adeóque ab anima ſimul, & Dei voluntate diſtinctos.

CAPUT II.

Solvuntur Objectiones.

1 JOannis 5. verſ. 21. dicit Chriſtus: *Sicut enim Pater ſuſcitat mortuos, & vivificat; ſic & filius, quos vult, vivificat.* De omnipotentia tam Filii, quàm Patris in ſuſcitandis mortuis quoſcunque voluerit, non dubitamus. Neque id de ſola morte, & vivificatione corporum, ſed etiam myſtica animorum agnoſcimus intelligendum. Verùm de ſolo modo *illuminandi animam, & eam ſanandi*, imò & vivificandi inter nos, & adverſarios diſceptatio eſt; num qualiber Dei voluntate, ſanatio, ſuſcitatio, & vivificatio fiat: nunquamne Deus velit homines à peccatis, quæ morbi, & mors animæ ſunt, reſurgere, aut ſanari, & tamen illi voluntate impia in ægritudine, & morte remaneant? Altera quæſtio eſt, num ſicut ſanatio, & reſuſcitatio corporum ſolâ Dei voluntate efficitur, ita & juſtificatio: & an quodcunque opus ſalutiferum in nobis à ſola Dei voluntate ſit, abſque prævio nobis infuſo cœlitus ſubſidio, quo animus hominis diſponatur, & excitetur. An denique, ſicut in ſanatione corporum opus non eſt conſenſu, & cooperatione libera voluntatis humanæ, ſic neque ea ad juſtificationem hominis adulti neceſſariò in hoc divinorum Decretorum ordine requiratur.

Qui

2 Qui damnato articulo ſignificatur juſtificandi modus ſola Dei voluntate, ſicut eâ ſolâ redditur ſanitas corporibus, habet cur placeat libertinis, ut omnem ſalutis curam, omne pœnitentiæ, & cæterorum actuum bonorum ſtudium abjiciant; cur enim, inquient, affligamus corpora ciliciis, jejuniis, verberationibus, ſacco, & cinere? Cur animas dolore, & intimâ cordis amaritudine, quando tam facilis à novis Doctoribus traditur juſtificationis ratio, ut *Deus animam ſanet æquè ac corpus ſolâ ſuâ voluntate*? Quæ neceſſitas exigebat inſtitutionem Sacramenti Pœnitentiæ, confeſſionem peccatorum tam difficilem, & à quâ adeò abhorret humana infirmitas, quando longè commodior nobis juſtitiæ recuperandæ, ſtabiliendæque ſemita aperitur, ſola voluntas Dei æquè animam ſanans, ac corpus ſolo ſuo beneplacito, nulla hominis liberâ cooperatione?

3 Pridem molita fuerat nova factio Sacramentum Pœnitentiæ ad ſolam canonicam, & publicam pœnitentiam reducere, abrogatâ conſequenter confeſſione occultorum, præſertim cogitationum, affectuumque, qui intimis animorum receſſibus abſconduntur. Nunc autem exigua, vel nulla apparebit ullius prorſus pœnitentiæ ad obtinendam juſtificationem, imò integram mentis ſanitatem neceſſitas, quando *Deus illuminat animam, & eam ſanat æquè ac corpus ſola ſua voluntate; jubet, & ipſi obtemperatur*: Jubet nempe redire ſtatim animis ſanitatem, & ea æquè ac corporibus, ſolo Divinæ voluntatis imperio reſtituitur.

4 Sed nos execrantes novitatem tam gratam hæreticis, quàm Catholicis inauditam, omnibus exitialem, adhæreamus potiùs declarationi Tridentinæ ſeſſ. 6. cap. 5. *Juſtificationis exordium in adultis à Dei per* Jesum *Chriſtum præveniente gratia ſumendum eſſe .... ut qui per peccata à Deo averſi erant, per ejus excitantem, atque adjuvantem gratiam ad convertendum ſe ad ſuam ipſorum juſtificationem, eidem gratiæ liberæ aſſentiendo, & cooperando diſponantur; ita ut tangente Deo cor hominis per Spiritus Sancti illuminationem, neque homo ipſe nihil omnino agat inſpirationem illam recipiens, quippe quam & abjicere poteſt, neque tamen ſinè gratia Dei movere ſe ad juſtitiam coram illo liberâ ſuâ voluntate poſſit*.

5 Juxta doctrinam itaque Catholicam teneamus, quod quidem *ſicut Pater ſuſcitat mortuos, & vivificat; ſic & Filius, quos vult, vivificat*, ut ab æterna inſtruimur veritate Joan. 5. ſed etiam quòd ſicut Pater, ſic & Filius mortuos ſpiritu per peccatum, non ſuſcitat & vivificat *ſola ſua voluntate*, abſque excitante, & adjuvante gratia, abſque libera hominis cooperatione. Neque obeſt, quòd ſola Patris voluntate (quæ eadem cum voluntate filii eſt) ſanentur corpora, neque quod *Filius quos vult vivificet*, eodem ſcilicet, quo Pater, modo; ſed hic, ut univerſa ſemper credidit Eccleſia Catholica, longè alius in ſanandis animis eſt, quàm corporibus, quemadmodum ſuperius explicatum eſt.

6 Inſtat adverſarius ex eodem Joannis capite v. 24. *Amen, amen dico vobis; quia, qui verbum meum audit, & credit ei, qui miſit me, habet vitam æternam, & in judicium non venit, ſed tranſit de morte ad vitam*. Nonne Apolline Delphico argutior ſit oportet, qui divinaverit educendam hinc à Theologo concluſionem, quòd *Deus illuminet animam, & eam ſanet æquè ac corpus ſola ſua voluntate*? Quòd jubeat, & ipſi obtemperetur? Ad animæ ſanitatem requirit Chriſtus non ſolam in Deo voluntatem; ſed etiam in homine auditum Verbi Divini, & Fidem: *Qui verbum meum audit, & credit ei, qui miſit me*. Voluntas in Deo ſemper fuit convertendi univerſum Iſraëlem ad fidem, & ſalutem; imo & Babylonem ſanare voluit, *Curavimus*, inquit, *Babylonem, & non eſt ſanata*. Sic neque ſanitatem conſecuti ſunt tot filii Iſraëlis, de quibus Iſaiæ 65. Deus meritò conqueritur: *Expandi manus meas tota die ad populum incredulum* &c. *Qui ad iracundiam provocat me, ante faciem meam ſemper*. Matth. 23. *Jeruſalem, Jeruſalem, quoties volui congregare filios tuos, ſicut gallina congregat filios ſuos ſub alas, & noluiſti!* Rom. 2. v. 5. *Benignitas Dei ad pænitentiam te adducit; tu autem ſecundùm duritiam tuam, & impœnitens cor, theſaurizas tibi iram in die iræ*.

7 Ad ſanitatem animæ non ſufficit *audire Verbum Dei*; ſed oportet etiam ſuſcipere, juxta illud *credere*, & operari, ut ipſa nos docet increata Veritas; ideóque per Pſalmiſtam pſalm. 94. ſolicitè monet: *Hodie ſi vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda veſtra*. Quàm multi fruſtrà audiunt, qui vocantem ſequi detrectant! De his Deus Proverb. 1. v. 24. *Vocavi inquit, & renuiſtis, extendi manum meam, & non erat, qui aſpiceret*. Matth. 20. *Multi vocati; pauci verò electi*. Apud eumdem cap. 22. *Miſit vocare invitatos ad nuptias, & nolebant venire*.

8 Neque ſufficit *credere* qualicunque fide; ſed fide vivâ, quæ per dilectionem operatur; nam, ut rectè S. Jacobus cap. 2. verſ. 14. *Quid proderit, fratres mei, ſi fidem quis dicat ſe habere; opera autem non habeat? Nunquid poterit fides ſalvare illum?* Minimè; quia ut S. Iſidorus aſſerit, lib. de different. Spirit. in 30. *Non poteſt per Fidem Deo placere, qui Deum contemnit in opere*. Et S. Fulgentius lib. 2. de remiſſio-

ſione peccatorum cap. 1. *Neque ſufficit ad ſalutem fides rectè credentis, ſi converſatio moribus, atque operibus turpatur obſcænis*. Rurſum ipſe Apoſtolus Jacobus cap. 2. v. 20. *Vis autem ſcire, ò homo inanis, quoniam fides ſinè operibus mortua eſt?* V. 26. *Sicut enim corpus ſinè ſpiritu mortuum eſt, ita & fides ſinè operibus mortua eſt*. Quæ adeò diſplicuêre Luthero, ut vel propterea epiſtolam Jacobi vocarit *Stramineam*, & indignam, quæ referretur in Canonem, ac numerum Scripturarum Sacrarum. Quid autem adverſarium movere potuit ad objiciendum hic Conſtitutioni Apoſtolicæ poſteriorem Chriſti apud Joannem ſententiam, quâ vita æterna tribuitur *audienti* verbum Dei, & *credenti*? Niſi fortè Lutheranis ſibi patrocinantibus, ipſe viciſſim favere voluerit, textum non omnibus perſpicuum in his circumſtantiis, & nullâ donatum explicatione Catholicâ, temerè protrudens; quaſi illo firmetur damnatus articulus de Deo animas æquè, ac corpora ſanante ſe ſolo, *ſola ſua voluntate*, non requiſito libero hominis conſenſu, cooperatione, aut ullo bono opere.

9 Dein objicitur Jeremias cap. 17. v. 14. dicens, *Sana me Domine, & ſanabor; ſalvum me fac, & ſalvus ero, quoniam laus mea tu es*. Cap. 31. v. 18. *Caſtigaſti me, & eruditus ſum, quaſi juvenculus indomitus: converte me, & convertar, quia tu Dominus Deus meus*. V. 19. *Poſtquam enim convertiſti me, egi pœnitentiam: & poſtquam oſtendiſti mihi, percuſſi femur meum*. Verba Prophetæ teneo: ſed non tantum Janſeniani luminis mihi eſt, ut indè colligam, quòd *Deus illuminet animam, & eam ſanet æquè ac corpus, ſola ſua voluntate*. Quid enim? An hominis anima non erit ſanata, ſi Deus uſus fuerit non ſola ſua voluntate, ut in ſanatione corporum; ſed præterea gratiæ auxilio infuſo animæ ad eam illuminandam, excitandam, adjuvandam, ut ea Divinæ voluntati conſenſum liberum præſtet, ſuæque converſioni, ut Catholica ſemper docuit Eccleſia, cooperetur? Quidni Tridentino Cōcilio aures dociles iterum præbeamus ſe. 6. c. 5. *Declaranti juſtificationis exordium in adultis à Dei per Chriſtum* JESUM *præveniente gratia ſumendum eſſe... ut qui per peccatum à Deo averſi erant, per ejus excitantem, atque adjuvantem gratiam ad convertendum ſe ad ſuam ipſorum juſtificationem, eidem gratiæ liberè aſſentiendo, & cooperando, diſponantur &c.* Si Tridentinis Patribus exhibitus fuiſſet Queſnelli articulus, non potuiſſent adversùs peſtilens ejus virus ſalubriore Eccleſiam erudire Decreto, nec clariore eumdem articulum ferire anathemate, quàm quod exprimitur ejuſdem ſeſſionis can. 4. *Si quis dixerit liberum hominis arbitrium à Deo motum, & excitatum nihil cooperari aſſentiendo Deo excitanti, atque vocanti, quo ad obtinendam juſtificationis gratiam ſe diſponat, ac præparet; neque poſſe diſſentire, ſi velit; ſed, velut inanime quoddam, nihil omnino agere, merèque paſſivè ſe habere* (ut corpora, dum prodigio, & ſolâ Dei voluntate ſanantur) *anathema ſit*. Quomodo igitur in mentem Queſnello venit, tam perſpicuè proſcriptam, diroque percuſſam fulmine doctrinam *Conſiderationibus* ſuis, ut vocat *Chriſtianis*, & *moralis Euangelicæ, atque Apoſtolicæ compendio* inſerere? Sed nempe Tridentina Synodus apud novam Sectam non eſt falli neſciæ authoritatis: quod clam à novis Doctoribus diſſeminari cœptum, dum fortè à Diſcipulis prædicari cœperit ſuper recta, non deerunt in Eccleſia, Oecumenici Concilii, ejuſque ſupremæ authoritatis vindices.

CAPUT III.

Reſpondetur ad objectam Sancti Auguſtini authoritatem.

1 UNicus ex tota Patrum traditione objicitur in Hexaplis locus Auguſtini lib. 6. Operis imperfecti cap. 18. cujus totum robur in eo ponitur, quod quædam amiſſa ab hominibus per peccatum bona non poſſint naturæ viribus volendo recuperari: ut inſtaurari hominum voluntate nequit prima integritas naturæ; aut reſtitui oculus, quem ſibi quis ſponte eruit; aut reddi membrum quodcunque præciſum. *Poſſunt tamen bona animi reſtitui*, inquit Auguſtinus, *à Deo, qui & lumina poteſt reddere voluntate cæcata, & membra voluntate truncata*. Verùm quid hæc ad damnati patrocinium articuli? Novimus juſtitiam peccato amiſſam, non poſſe ſolis naturæ viribus recuperari; poſſe autem reddi à Deo, uti abjecta lumina, & truncata quælibet membra corporis. Sed tota de reſtitutionis modo diſputatio eſt Catholicos inter & Lutheranos, an ſicut Deus truncata membra reſtituit ſolo voluntatis ſuæ prodigio abſque humanarum virium cooperatione, ita & juſtitiam homini reddat ſolo ſuæ voluntatis imperio; ſive, ut Queſnelli articulus Luthero conſentiens enuntiat, *Deus illuminet animam*, aliàs in ſalutiferis cæcam, *& eam ſanet æquè ac corpus, ſola ſua voluntate*: unde, ſicut in ſanatione corporis hoc merè paſſivè ſe habet; ita & anima ſanationem Spiritûs pati ſolummodò, minimè verò efficere dicenda ſit, aut ei quomodolibet, præſertim liberè, cooperari. Ab hoc ſenſu hæretico

Auguſtinum alieniſſimum eſſe pluribus Sanctiſſimi Doctoris textibus contra ſuperiorem articulum præſenti conſonum, demonſtravi. Vide ſimiles illic ſolutas ex ipſo Auguſtino objectiones.

2 In uno quidem citato Hipponenſis textu ſiſtunt Hexapla, ſed non *Obſervationes circa Conſtitutionem*, quæ, ſive alterius, ſive, quod credibilius apparet, ejuſdem Authoris, atque ipſius Queſnelli fœtus ſint, præcipuum componendis Hexaplis præbuêre fundamentum. Objiciunt illæ præterea ex epiſtola Auguſtini ad Vitalem, quod ad Propoſitionem 20. in Hexaplis tranſlatum, oſtendi nihil præſidii parere Queſnelliano errori. Videamus nihilominus etiam hìc applicationis futilitatem. Sic Auguſtinus: *Si enim, quod ſcriptum eſt, à Domino greſſus hominis diriguntur, & viam ejus volet, & præparatur voluntas à Domino: Et Deus eſt, qui operatur in nobis & velle: & multa hujuſmodi, quibus commendatur vera Dei gratia, hoc eſt, quæ non ſecundùm merita noſtra datur; ſed dat merita ipſa, cùm datur; quia prævenit hominis voluntatem bonam; nec eam cujuſquam invenit in corde, ſed facit. Si ergo ita præpararet, atque operaretur Deus hominis voluntatem, ut tantummodo Legem ſuam, atque doctrinam libero ejus adhiberet arbitrio, nec vocatione illa altâ, atque ſecretâ ſic ejus ageret ſenſum, ut eidem legi, atque doctrinæ accommodaret aſſenſum; procul dubio eam legere, vel intelligere legendo, vel etiam exponere, ac prædicare ſufficeret, nec opus eſſet orare, ut Deus ad Fidem ſuam infidelium corda converteret, & converſis perſeverantiam ejuſdem gratiæ ſuæ largitate donaret.*

3 Credo, adverſarios, cùm Hexapla ediderunt, animadvertiſſe hanc Auguſtini ſententiam in *Obſervationibus* temerè allegatam, præſentis articuli damnationem potiùs eſſe, quàm confirmationem; ideoque cenſuerint hìc prætermittendam. Perſpicua enim Auguſtini verba minimè aſſerunt, quòd *Deus illuminet animam, & eam ſanet æquè ac corpus ſola ſuâ voluntate*; quòd *jubeat, & obtemperetur*, ſed cum divino Oraculo dicunt, *voluntatem præparari à Domino*; quod prævenientem, & excitantem gratiam ſignificat, ut & Auguſtinus exprimit, *quia prævenit hominis voluntatem bonam*. Neque de ipſa Dei voluntate dicitur eſſe *veram Dei gratiam*, quæ hominibus *datur*, quod donum Dei gratuitum indicat; donum, inquam, à voluntate ejus productum, & gratuitò nobis præſtitum, non ipſam Dei voluntatem. Deinde *cùm gratia det merita ipſa*; & Fide certum ſit, contra tertiam Janſenii Propoſitionem hæreticam, meritum non eſſe ſinè libero hominis conſenſu, ſive *ad merendum, & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ requiri libertatem à neceſſitate*, & non *ſufficere libertatem à coactione*, evidens eſt, quod ad obtemperandum Dei juſſibus, ſicut oportet ad juſtitiam, & ſalutem, opus ſit libero humanæ voluntatis conſenſu, Divino cooperante auxilio. Non igitur ſanitatem animæ efficit ſola Dei voluntas, quamvis ſola ad medendum corporibus ſufficiat.

4 Addit *Obſervator* ex lib. Auguſtini de dono perſeverantiæ cap. 13. *Deus eſt enim, qui operatur in nobis & velle, & operari pro bona voluntate. Hoc nobis expedit & credere, & dicere; hoc eſt pium, hoc verum, ut ſit humilis, & ſubmiſſa confeſſio, & detur totum Deo.*

5 Agitur illic contra eos, qui prædeſtinationem negabant, & veram Chriſti gratiam, non debitam meritis noſtris naturalibus: *Qui non fatentur*, inquit Auguſtinus, *gratiam Dei non ſecundùm merita noſtra dari; ſed donari ſecundùm ipſius ſecretiſſimam, eamdemque juſtiſſimam, beneficentiſſimam, ſapientiſſimam voluntatem. Quoniam quos prædeſtinavit, ipſos & vocavit vocatione illa, de qua dictum eſt, ſinè pœnitentia ſunt dona, & vocatio Dei* efficax, quæ aliàs dicitur *ſecundùm propoſitum*. Vult Auguſtinus, totum dari Deo, nempe prædeſtinationem, vocationem; addo etiam juſtificationem, & ſalutem. Et quidem prædeſtinatio ſoli Deo, etiam vocatio; ſed conſenſus, cooperatio, præceptorum obſervatio, & quilibet, quibus meremur, actus boni, Deo ſimul, & libero hominis tribuuntur arbitrio. Et quidem toti tribuuntur Deo; quia verè Deo debentur accepti juxta illud Apoſtoli, *quid habes, quod non accepiſti?* Sed, dum hæc omnia, & tota, Dei agnoſcuntur eſſe munera; non tamen ita ſunt, ut non ſint etiam bona noſtra, & vera merita, definiente Tridentino ſeſſ. 6. can. 32. ut ſuperiùs retuli: cui conſonat univerſa Patrum traditio, etiam Auguſtini lib. 1. ad Simplicianum q. 2. *Ut velimus, & ſuum voluit eſſe, & noſtrum; ſuum vocando, noſtrum ſequendo.* Lib. 1. Retract. cap. 23. *Utrumque* (credere & operati) *noſtrum eſt propter arbitrium voluntatis, & utrumque tamen datum per Spiritum fidei, & charitatis .... & eâdem regulâ, & utrumque ipſius eſt; quia ipſe præparat voluntatem: & utrumque noſtrum; quia non fit niſi volentibus nobis*, & quidem liberè, atque ex propria electione; nam, ut iteratò inculcat Auguſtinus lib. de Spiritu, & litera cap. 34. *Conſentire vocationi Dei, vel ab ea diſſentire, propriæ voluntatis eſt.*

6 Sic & Ennodius Ticinenſis epiſtola ad Conſtantium: *Debemus gratiæ quòd vocemur, quòd occultis itineribus, niſi reſiſtamus, ſapor nobis vitalis infundatur; noſtræ tamen electio-*

nis

nis eſt, quòd beneficia demonſtrata ſectamur.

7 Venerabilis Beda celebris Auguſtini diſcipulus lib. variarum quæſtionum cap. 13. *Ita Deus nobis bona ſua promittit, ut tamen labore noſtro acquirantur: quod, ſi voluerimus, ad laborem in omnibus, quæ bene agemus, nobis cooperabitur.*

8 S. Gregorius Nazianzenus Oratione 21. paulò poſt initium: *Quod etiam ipſum ſingularis, & eximiæ Dei bonitatis argumentum eſt, ut noſtra quoque aliquâ ex parte ſit virtus, nec naturâ tantùm noſtrâ inſeratur; ſed voluntate etiam, animique propoſito excolatur, arbitriique libertate parem in utramque partem motum habente.*

9 S. Iſidorus 2. ſent. cap. 5. *Sciendum, quòd & noſtra ſit Juſtitia, in his quæ rectè agimus.* Hæc omnia apertè refragantur damnato articulo. Si enim Deus illuminat animam, & eam ſanat æquè ac corpus, ſola ſua voluntate: jubet, & obtemperatur, quomodo juſtitia eſt etiam noſtra in his, quæ rectè agimus? Sanatio illa corporis per miraculum non eſt noſtra; ſed ſolius Dei; non enim eam nos facimus, nec in ea efficienda quidquam agit corpus, ſed ſolus Deus. Nullus in tali ſanatione eſt motus liberi arbitrii, ſanatio nullâ ex parte eſt noſtra actio, nec noſtro acquiritur labore: in ea Deus nobis minimè cooperatur; ſed operatur ſolus: ſanatio illa non eſt electionis noſtræ opus, ſed ſolius Omnipotentiæ.

10 Nihil difficultatis continet objectus Proſperi locus, ex epiſt. ad Ruffinum. Nam quòd *Deus in nobis operetur & velle, & perficere*, adeóque omnem bonum motum, & affectum voluntatis, clara eſt ſententia non ſolùm Proſperi; ſed etiam Auguſtini, & ipſius Apoſtoli ad Philippenſes 2. v. 13. quod nullus Catholicorum revocat in dubium; ſed contra damnatum articulum negamus, Deum id præſtare *ſola ſua voluntate*, abſque infuſione gratiæ, & cooperatione liberi arbitrii.

CAPUT IV.

Reſpondetur ad illum Apoſtoli locum, Quis enim te diſcernit? *Eximitur Adverſariis inanis metus nè, damnato Queſnello, triumphet Molinæ doctrina.*

1 Antequam dimittatur controverſia de viribus, & operatione gratiæ, ſolvenda objectio eſt, ad plures ſe extendens articulos, quâ potiſſimùm geſtiunt Lutherani & Calviniſtæ, Queſnello velut in communi causâ ſuppetias laturi, videlicet illo Apoſtoli 1. Cor. 4. v. 7. *Quis enim te diſcernit? Quid autem habes, quod non accepiſti? Si autem accepiſti, quid gloriaris, quaſi non acceperis?* Hæc, inquiunt, Pauli interrogatio, non obſcura plurium in Queſnello proſcriptorum dogmatum approbatio eſt, cùm indicet Deo totum, nihil homini in juſtificationis, & ſalutis negotio tribuendum. Si enim aliquid boni operis humana ſibi vindicet voluntas, illo tanquam ſuo gloriari poterit, hoc ſe diſcernere à cæteris, qui hanc adhibitæ operæ, & conſenſûs præſtiti laudem non meruerint. Huic verò humanæ ſuperbiæ medetur Queſnelli modeſtia tot Propoſitionibus, quibus omnis gloriandi materia procul ab homine removetur, omnis transfertur in Deum ſolum, ejuſque potentiſſimum gratiæ auxilium. Nam ſinè iſto, nullam ſibi ſufficere humanam induſtriam, & nè minimum quidem boni ſalutiferi incipere, velle, aut cogitare hominem poſſe ſolus Pelagianus, aut Semipelagianus negaverit. Atque is damnatur illo Chriſti, *Sinè me nihil poteſtis facere*, & illo Apoſtoli *Nemo poteſt dicere Domine* Jesu, *niſi in Spiritu Sancto.* Quâ veritate inter omnes Catholicos ſtabilitâ, omnem inanis gloriæ occaſionem reſcindit, inquiunt, Queſnelli articulus 25. *Deus illuminat animam, & eam ſanat æquè ac corpus ſola ſua voluntate; jubet, & ipſi obtemperatur.*

2 Quam enim laudem, quam gloriam, ſibi adſcribere poteſt homo, ex eò quòd corporis ſanitatem recuperaverit, ſi hæc ſolâ Dei voluntate, nullâ ſuâ induſtriâ, nullâ cooperatione redierit? Inſanire debuiſſet Centurionis famulus, ſi conſcius ſe à Chriſto ſanatum *ſolo motu ejus voluntatis*, ſanationis ſibi laudem, ac gloriam ambiviſſet.

3 Ita hactenus Lutheri, & Calvini aſſeclæ cum recentioribus ſibi fœdere junctis Auguſtini Batavici diſcipulis, è quibus ſic devotulum unum in approbatione Janſenii teſtantem legimus: *Ego, licèt indigniſſimus, prædictam Cornelii Janſenii doctrinam, ſui ipſius cognitionis, & veræ humilitatis, vitæque ſpiritualis fundamentum eſſe in me ipſo reperio.* Cui ſuccinit alius non minùs humilis Janſeniſta; *Perſentiſco*, inquit, *me ex lectione Janſenii plus quàm ex tot aliis à me lectis, licèt piiſſimis Authoribus, proficere in humilitate, & diffidentia de nihilo noſtro, totali cum pleniſſimâ in Deo confidentia, & reſignatione totali.* In qua Janſeniana humilitate, & reſignatione totali poſt ſæpius iteratam à Pontificibus illius hæreſeos damnationem nihilominus Frater Eugenius de Gelder origine Brugenſis profecit adeò, ut in *ultima voce zelatricis Innocentiæ* ad Innocentium XI. pag. 115. eaſdem prorſus in-

venerit virtutes in Quietiſmo *Michaëlis Molinos*, *quem*, inquit, *aliqui magis infelicem, quàm nocentem autumant*, eaſdem, inquam, in Quietiſmo virtutes, quas in Janſeniſmo reperit, ita *ut per condemnationem Molinos, & prætenſa ejus doctrinæ videantur* ejus adverſarii *voluiſſe eliminare illud parum, quod reſtat ſupernaturalis operationis Spiritûs Dei vivificantis*. *Sed*, tandem ſe conſolans ſolitâ ſuâ confidentiâ, *quidquid conentur*, inquit, *quidquid machinentur, quidquid ſubdolè per ſe, & ſuos efficiant, Spiritus* utriuſque novæ Eccleſiæ, *illis frendentibus, ubi vult, ſpirabit*. Catholica veriùs confidat Eccleſia fore, ut relegatus ille ad inferos, unde emerſerat, hæreticus ſpiritus adversùs Chriſti Sponſam nunquam prævaleat.

4 Genuinos novæ hæreſeos fructus ſuperiùs notavi, non veram demiſſi animi virtutem; ſed ignavi & deſidis vitium, bonorum operum neglectum, libertinorum ſceleratiſſimam diſſolutionem. Ex qua quid conſequi neceſſe eſt, niſi infeliciſſimum exitium? Nunc tamen etiam directè objectio refellenda eſt, explicando illud Apoſtoli: *Quis te diſcernit?* Prima hominum diſcretio fit in mente Divinâ, ubi eliguntur aliqui præ cæteris; quæ diſcretio ſoli Deo tribuenda eſt: hanc ſequitur electorum, non aliorum vocatio efficax ſenſu Auguſtini lib. 1. ad Simplicianum q. 2. Deus *cujus miſeretur, ſic eum vocat, quomodo ſcit ei congruere, ut vocantem non reſpuat*. Et lib. de natura & gratiâ cap. 25. *Magnus eſt Dominus, qui perſuadeat, quomodo ipſe noverit*. Quæ vocatio quaſi ſecunda diſcretio eſt, ſolumque Deum agnoſcit Authorem. Hanc ſequuntur opera bona, quibus etiam juſti diſcernuntur ab impiis: atque hæc eſt diſcretio tertia, velut executio ejus, quod Decretum prædeſtinans ſtatuerat, & intenderat vocatio efficax. Iſta operum diſcretio præcipuum quoque fateatur neceſſe eſt Authorem Deum, tum propter prædeſtinationis, & vocationis gratuitæ miſericordiam, tum etiam propter cooperans auxilium. Quapropter meritò dicitur Deus hujus quoque diſcretionis Author longè præcipuus, quanquam non omnino ſolus.

5 Inſtabis; ſi nobis in diſcretione illa pars aliqua ſit, reſpondere Corinthii Apoſtolo potuiſſent: etiam nos ipſi, ſaltèm partim, diſcernimus.

6 Sed reſpondiſſet Paulus: Ea qualiſcunque pars veſtra tam exigua eſt, & quidem à Deo per gratiam accepta, ſicque Dei magis, quàm veſtra, ut repellenda gloriatio ſit, velut ineptiſſima, ſi ob tantillum à vobis ad bona opera collatum, diſcretionem ſibi humana ſuperbia vindicare præſumpſerit; *quid enim habes*, ſubjungit Apoſtolus, *quod non accepiſti? Si autem accepiſti, quid gloriaris, quaſi non acceperis?* Et cui nos perverſiſſimo anteponamus, qui nobis relicti, & certis tentationibus expoſiti, illo patraſſemus deteriora? *Gratia* igitur *Dei ſum id, quod ſum*, ajebat meritò Apoſtolus. De bonis autem, tanquam à Deo per gratiam acceptis, gloriari Paulus minimè prohibet; hoc enim eſt non in nobis; ſed in Domino gloriari. *Qui gloriatur*, inquit, 2. Cor. 10. *in Domino glorietur*; hinc & labores ſuos referens, ſe *abundantiùs illis omnibus laboraſſe* commemorat; ſed addit mox ſolicitè, *Non ego autem, ſed gratia Dei mecum*.

7 Urgebis iterum: Niſi admittatur operatio gratiæ, qualis à Queſnello tot figuris illuſtrata deſcribitur art. 25. & præcedentibus, ut nihil prorſus noſtrum in operibus bonis ſit, non magis quàm in creatione, reſuſcitatione, aut ſanatione corporum miraculo à ſolo Deo præſtita, aliquid ſemper in bonis actibus humanis noſtrum erit, quo nos ab aliis, ſaltèm unà cum cooperante gratiâ diſcernamus.

8 Reſpondeo, nullum in eo eſſe aut apparuiſſe unquam viris ſanctiſſimis inconveniens. Sic Paulus ſe ab aliis Apoſtolis quodammodo diſcrevit, ut omnes Scripturarum interpretes agnoſcunt. In primis Angelicus 1. Cor. cap. 15. lectione 1. *Primò oſtendit* (Apoſtolus) *quomodo uſus ſit gratiâ iſtâ; quia ad bonum, & ideo dicit, in me vacua non fuit, id eſt otioſa; quia eâ uſus eſt ad id, ad quod data eſt ſibi. Gal. 2. non in vacuum cucurri. Secundò manifeſtat, quomodo alios exceſſit, & ideo ſubdit, Sed abundantiùs illis omnibus, id eſt Apoſtolis ſigillatim, laboravi, prædicando, quia nullus per tot loca prædicavit, & annuntiavit Chriſtum: & quia, licèt ipſe, ſicut alii Apoſtoli, poſſet exigere ſumptus ſibi neceſſarios; tamen ſpecialiter voluit de labore manuum quærere ſumptus ſuos. Tribulationes ſuſtinendo; nullus enim Apoſtolorum tot perſecutiones, & tribulationes ſuſtinuit, ut ipſe enumerat, in laboribus plurimis, carceribus &c. Tertiò oſtendit usûs efficaciam, quia hoc non à ſe ſolo, ſed ex inſtinctu, & adjutorio Spiritus Sancti: & ideo dicit: Non ego ſolus operor; ſed gratia Dei mecum*.

9 Audis hic Angelicum Pauli interpretem agnoſcentem, quòd Apoſtolus *manifeſtet quomodo alios exceſſerit*, quomodo *abundantiùs illis omnibus ſigillatim Apoſtolis laboraverit &c.* Quod eſt phraſi æquivalenti, & copioſiore ſe ab aliis diſcernere.

10 Ipſe Auguſtinus à diſcretione partim homini tribuendâ, ſuppoſito gratiæ auxilio, minimè abhorret. Sic in pſalm. 143. *Oſtendite, ut diſcernatis vos* Serm. 87. de diverſis, *diſcernebamus nos à Paganis credendo* . . . .

ardete

ardete igne charitatis, ut à dæmonibus vos diſcernatis. Cùm tamen Deus diſcretionis, prædeſtinationis, & vocationis ſecundùm propoſitum ſit cauſa unica, diſcretionis quoque operum longè ptæcipua, diſcretio magis congruè, & magis propriè Deo tribuitur, dicente Auguſtino l. 2. ad Bonifacium cap. 7. *Ille diſcernit, qui unde diſcernaris impertit*. Quamvis & de diſcretione operum rectè intelligitur illud Auguſtini l. 1. ad Simplicianum quæſt. 2. *Ut velimus, & ſuum eſſe voluit, & noſtrum; ſuum vocando, noſtrum ſequendo*. Et lib. de Spiritu, & lit. cap. 34. *Conſentire vocationi Dei, vel ab ea diſſentire propriæ voluntatis eſt*.

11 Uttobique, ut patet, diſctetio operum humanæ tribuitur voluntati; adjutæ tamen ſemper Divino, & naturæ vires, atque ordinem excedente gratiæ auxilio. Quo ſubintellecto, poteſtatem nos à malis diſcernendi nobis tribuit Auguſtinus locis plurimis. Clatiſſimè lib. 2. de Geſtis cum Felice Manichæo cap. 4. *Habet unusquiſque in voluntate, aut eligere, quæ bona ſunt, & eſſe arbor bona: aut eligere quæ mala ſunt, & eſſe arbor mala*. Poſterius poteſt homo ſe ſolo, ptius autem non abſque adjutotio gratiæ. Pergit Auguſtinus: *Hoc ergo Dominus dicens, Aut facite illud, oſtendit eſſe in poteſtate quod facerent, & quia ſi bonum eligerent, præmium illius acciperent; ſi malum eligerent, pœnam illius ſentirent*. Lib. 50. homiliarum homil. 16. *In tuo arbitrio Deus poſuit, cui pares locum, Deo, an Diabolo*. Lib. 12. de civit. Dei cap. 6. *Si duo æqualiter affecti animo, & corpore, videant unius corporis pulchritudinem . . . . & ſi eâdem tentatione pulſentur, & unus ei cedat, atque conſentiat; alter idem, qui fuerat, perſeveret; quid aliud apparet, niſi uuum voluiſſe, alterum noluiſſe à caſtitate deficere? Unde, niſi propria voluntate, ubi eadem fuerat in utroque corporis, & animi affectio?* Ubi unus ab altero dicitut ſe diſcetnete propriâ voluntate; ſolâ quidem deficiens, at cum Dei gratiâ petſeverans.

12 Simili modo S. Chryſoſtomus Setm. 16. in cap. 9. Epiſtolæ ad Rom. *Unde igitur alii vaſa ſunt iræ? Alii verò miſericordiæ? Ex propria voluntate; Deus enim quoniam vehementer bonus eſt, erga utroſque bonitatem ſuam declarat . . . . Quod autem Pharao ſalvatus non eſt, totum per ſuam ipſius voluntatem ſtetit; ita ut, quantum ad eum attinebat, nihil ab illis, qui ſalvati ſunt, minus habuerit*.

13 Denique teneamus illud S. Anſelmi de concotdia gratiæ, & liberi arbitrii cap. 15. quod cæteris Patribus, & Doctrinæ Eccleſiæ maximè confotme eſt: *Cùm aliquid dicit Sacra Scriptura pro gratia, non amovet liberum arbitrium: neque, cùm loquitur pro libero arbitrio, excludit gratiam; ita quippe intelligenda ſunt dicta Divina, ut . . . . nec ſola gratia, nec ſolum liberum arbitrium ſalutem hominis operetur*.

14 Sed tunc Scripturarum ſenſum minimè aſſecutus fuerit Queſnellus art. 25. *Illuminationem animæ, & ejus æquè ac corporis ſanationem*, tribuens *ſoli* Divinæ *voluntati*. Art. 24. *Omnipotentiam Dei ſolo motu ſuæ voluntatis ſanantem corpora*, ſtatuens *imaginem ideæ, quæ haberi debet de omnipotentia gratiæ in ſanandis animabus à cupiditate*: Artic. 23. *productionem creaturarum è nihilo, & redditionem vitæ mortuis*, fingens *ideam operationis gratiæ*, & quidem quaſi hanc *nobis ideam ipſe Deus tradiderit*. Cum tribus his articulis eliminati debebunt plures alii præcedentes, qui, ſubverſo libeto arbitrio, deſtructo omni merito, totam humanæ juſtitiæ laudem, & omnia bona opera in ſolam conferunt gratiam, non aliter quàm Calvinus, & Janſeuius. Imò Janſenium Queſnelli temeritas, durities, fraudulentia ſuperat: Magiſtri errores auget confidentior diſcipulus; ſed non imitatur qualemcunque humilitatem, teſtatamque Sedi Apoſtolicæ obedientiam.

15 Supeteſt objectio ultima, quam primo loco Queſnellus poſuit, ſeu quiſquis pro eo Authot eſt *Obſervationum in Conſtitutionem*. Sic ad Art. 25. monet. *Inculco iterum, condemnare iſtiuſmodi Propoſitiones, eſt proſcribere efficacem gratiam, & velle, ut triumphet gratia verſatilis Molinæ, & Sfondratii*. Aſt ego cum omnibus, ni fallar, efficacis gratiæ inter Catholicos defenſoribus, nominatim Thomiſtis, cenſeo, Obſervatorem nimiam triumphandi anſam Molinæ, ac Sfondtatio concedere. Quaſi vetò, niſi conceſsâ utrique victoriâ damnari in tot articulis Queſnelli hæreſis non potuerit.

16 Si Fides Catholica ſtabiliri, & proſctibi tam manifeſta hæteſis nequeat, niſi Molinæ, ac Sfondratii gratiam admittendo, in eam omnes Catholicos pedibus ut ajunt, manibuſque ite neceſſe erit in poſterum. Verùm ea neceſſitas nulli Thomiſtarum, aut quotumcuuque à Molina, ac Sfondratio, ſalvâ Chriſtianâ pace, diſſentientium apparuit hactenus. Neque veriſimile eſt, doctiſſimos Thomiſtas, qui ſuo calculo Romæ Queſnelli Articulos condemnarunt, ſuæ de efficaci gratiâ ſententiæ tam parum conſulere voluiſſe, ut eam in Queſnelli Propoſitionibus cenſuerint proſcribendam. Prudentia mundi, & filiis iniquitatis propria calliditas, dictare iſtiuſmodi obſervationem potuit ante Conſtitutionem, fervente Propoſitionum examine,

ne, ut Thomiſtas, quotum Romæ in Tribunali Fidei, authoritas minimè levis eſt, & inter Conſultores non exiguus numerus, à ferenda contra Propoſitiones ſententia deterretent; verùm eâ latâ, & causâ ſupremo terminatâ judicio, quem fructum talis objectio parere poſſit, non video; niſi ut ejus Authores convincantur inſiſtere etiam hic Lutheranorum, atque Calviniſtarum veſtigiis, qui nihil clamoſiùs olim exprobravere Tridentinis Patribus, quàm quod notorum proſcriptione dogmatum Pelagio triumphum de Auguſtino, & de Fide Euangelica decreviſſent.

17 Nunc itaque, Queſnelle, cum tuis damnatæ hæreſeos fautoribus, omnes cenſurâ Apoſtolicâ perſtrictos Articulos procul abjice, Conſtitutionem corde, & ore, ut decet Romanæ Eccleſiæ filium, ſummâ demiſſione, & reverentiâ amplectere; voce, ſtyloque prædica, & contra impugnatores temerarios defende: Quo præſtito, ad Thomiſtarum, aliorumve Molinæ adverſantium caſtra te, ut lubuerit, confer; aut, ſi doctrinam de gratia, & libero arbitrio mediam intet damnatos Articulos, & Moliniſtarum controverſa in ſcholis placita non repereris, neque hanc animo ſpinam, vel ſcrupulum evellere ulla ratione valeas, facilè tibi per ipſos licebit Thomiſtas, in Moliniſtarum ire ſententias ab Eccleſia permiſſas, atque probabiles. Quin omnium Scholarum Theologi Catholicis applaudent, gratulabuntur tibi tuiſque, tanquam *ad ſaniorem doctrinam adductis*, quàm fuerit hactenus veſtra, tot Conſtitutionibus Apoſtolicis, in tot Atticulis damnatiſſima, quod pridem factum Alexander VII., Epiſcoporum aliquot teſtimoniis, & fraudulentæ veſtræ profeſſioni obedientiæ credens, exiſtimaverat.

CAPUT V.

Queſnelli doctrina ſuperioribus aliquot Articulis damnata, oſtenditur conformis Lutheranæ, Calvinianæ, & utrâque deterior.

1 Uthetus libro cui titulus. Enarratio in Pſalmos. In Pſalm. 5. *Error eſt, quod liberum arbitrium habeat aliquam activitatem in bono opere, quando de interno opere loquimur. Velle enim illud, quod credere, ſperare, diligere jam diximus, motus, raptus, ductus verbi Dei, & quædam continua purgatio, & renovatio mentis, & ſensûs de die in diem, in agnitionem Dei, licèt non ſemper æquè intenſa ſit illa paſſio; tamen ſemper eſt paſſio. Ecce* Jerem. cap. 18. *Sicut lutum in manu figuli, ita & domus Iſrael in manu mea. Quid obſecro activitatis habet lutum, quando figulus formam ei affingit? Nonne mera paſſio ibi cernitur?*

2 Poſtmodum molliores Lutheri ſectatores puduit erroris tam ſtolidi, & cum Kemnitio in examine Concilii Tridentini prope finem cenſurâ in ſeſſ. 6. excuſare conantur Patriarcham ſuum, quaſi aliud non voluerit, quam voluntati hominis lapſi adimere libertatem ad actus ſalutiferos; non verò conſenſum omnem, & actionem. Verùm Kemnitius hallucinatur, & excuſationem ipſe ſubruit, cùm ait, ignoſcendum Luthero, quòd ſub converſionis initium adhuc Scholaſticis terminis aſſuetus, vocem *paſſivè concurrere* adhibuerit; nam, ut Scholaſticis terminis aſſuetus erat Lutherus, ita quid iis ſignificaretur ſatis conſcius ſupponi debuit, & utraque ab eo adhibita ſimilitudo luti in manu figuli, & gladii in manu ferientis confirmat obvium ſententiæ ejus intellectum; videlicet; quòd, ſicut gladius ſuum motum patitur, non efficit, ita neque voluntas; ut tamen gladius ab homine motus alium ferit, & vulnerat, ita voluntas à Deo per gratiam inſuperabilem mota, potentiis ſibi ſubditis imperat, & ad eorum actus efficiendo concurrit. Ut igitur gladius ad ſuum motum, & lutum ad ſuam quam figulus imprimit formam, nihil actionis confert, ſed ſolùm patitur; ita & liberum arbitrium, ſi apta Lutheti in illis circumſtantiis comparatio eſt. Kemnitius quidem, & Calvinus voluntati actionem tribuunt; ſed non liberam à neceſſitate.

3 Sic Calvinus lib. 2. Inſtit. cap. 3. §. 7. ait: *Sed erunt, qui concedent voluntatem à bono ſuopte ingenio averſam, ſolâ Domini virtute converti, ſic tamen ut præparata ſuas deinde in agendo partes habeat .... ſed hoc perperam homini tribuitur, quod gratiæ prævenienti pediſſequâ voluntate obſequatur.* §. 11. *Deus ſuâ gratiâ voluntatem movet, non qualiter multis ſæculis traditum eſt, & creditum, ut noſtræ poſtea ſit electionis motioni aut obtemperare, aut refragari; ſed illam efficaciter efficiendo.*

4 Bellarminus quoque lib. 6. de Gratia, & libero arbitrio cap. 9. Kemnitii, & Calvini ſententiam ſic explicat: *Docent voluntatem noſtram, in bonis pietatis operibus ſic agi à Deo, ut non poſſit non agere, & quamvis ipſa quoque concurrat activè, quoniam ipſa eſt, quæ actionem producit; tamen concurrere ut merum inſtrumentum, & naturale, non ut cauſam liberam,*

beram, & dominam ſui actûs. Ex quo colligunt, non propriè dici voluntatem noſtram cooperari Deo, vel adjuvari à Deo, quemadmodum non rectè dicitur calamus cooperari manui, vel juvare manum ad ſcribendum; ſed ſolùm agi, ac moveri à manu, quamvis revera ipſe (ut inſtrumentum) literas pingat.

5 Similitudines autem à Queſnello adhibitæ, velut ideæ, juxta quas concipi debeat Divina bonorum actuum in animis noſtris operatio, errorem propinant Lutherano non diſſimilem; & quantumvis benigniùs enuntiationes ejus abſurdiſſimas interpretari coneris, à Calviniana tamen hæreſi Tridentino anathemate damnatâ nunquam expurgaveris. In rigore autem, & obvio verborum ſenſu Lutheranum delirium Propoſitiones Queſnelli continent, quoad liberi arbitrii in bonis actibus ſubverſionem. Superant autem novi erroris additione, quando Dei gratiam ſolo retinentes vocabulo, cum ipſa Numinis voluntate confundunt: *Deus illuminat animam, & eam ſanat æquè ac corpus ſola ſuâ voluntate; jubet, & ipſi obtemperatur*, inquit Queſnellus Prop. 25. Quæ plana, & aperta eſt adeò, ut non appareat, quomodo poſterior ipſi à me imputatus error, à Queſnello, vel quovis alio, clariùs exprimi, atque affirmari potuiſſet. An autem Queſnellus cum ſuis errorem illum tueri cum pertinacia, an à ſe abdicare inpoſterum maluerit, tempus docebit. Minùs audeo ſperare, fore ut deſtructam tot figuris, & Propoſitionibus continuis bonorum operum libertatem reſtituat.

6 Novitatis ſuæ originem à Janſenio deduci non invita feret Queſnelli factio: Sic nempe Janſenius, lib. 8. de Hæreſi Pelagiana cap. 6. *In hoc*, inquit, *propriè Maſſilienſium error ſitus eſt, quod aliquid primævæ libertatis reliquum putant, quo ſicut Adam, ſi voluiſſet, poterat perſeveranter operari bonum; ita lapſus homo credere poſſet, ſi vellet; neuter tamen abſque interioris gratiæ adjutorio, cujus uſus, vel abuſus relictus eſſet in uniuſcujuſque arbitrio, & poteſtate*. Similia habet lib. 2. de Gratia Chriſti Salvatoris cap. 4. 5. 12. 15. 21. 25. Unde Propoſitio ſenſum Janſenii fideliter exprimens his vocibus concepta, Innocentii X. judicio ſubjecta fuit: *Semipelagiani admittebant prævenientis gratiæ interioris neceſſitatem ad ſingulos actus, etiam ad initium fidei; & in hoc erant hæretici, quòd vellent, eam gratiam eſſe talem, cui poſſet humana voluntas reſiſtere, vel obtemperare.*

7 Quæ Propoſitio in Janſenii ſenſu, & ſimul obvio intellecta cenſuram falſitatis, & hæreſeos meritò tulit. Unde verò novitatem hanc hauſerat Janſenius? Ex S. Auguſtino, inquiunt ipſius diſcipuli; Catholici autem, & Calviniſtæ paſſim exiſtimant, Janſenium acceptam debere Calvino, & Calviniſtarum Dordracenæ Synodo, de cujus Patribus conſcriptis Janſenius in epiſtola anni 1620. ita declarat Joanni Vergerio Abbati Sancyrano. *Sequuntur illi ferè ubique Catholicos in materia prædeſtinationis, & reprobationis, reſciſſis iis, quæ duriora erant in ſententia Calvini*; videlicet quoad audaciores ſubinde loquendi formulas, ſenſibus tamen ſemper retentis. Sic & Sancyrani fertur vulgatiſſima ſententia, *Calvinum bene ſenſiſſe, malè locutum*: de quo videri poteſt Annatus in reſponſione ad ſcriptum *De fide humana* ſub finem. Ad Dordracenos autem Calviniſtas quod attinet, certum eſt, eos Magiſtri ſui ſenſibus inſiſtere, & Tridentinum Concilium velut Pelagianum averſari; etſi, ſicut Janſenius, durioribus quibuſdam Calvini locutionibus abſtinuerint; ſenſui tamen ejus minimè eos renuntiaſſe compertiſſimum ſit. Sed & de Janſenio, & ejus ſociis non temeraria ſuſpicio eſt, Calvinianum ipſis nomen magìs diſplicuiſſe, quàm hæreticum de libero arbitrio dogma: quod & ſatìs percipiunt Calviniſtæ, nec ipſi Janſeniani hodiedum diſſimulant. Sic enim Henricus Ottius Calviniani Euangelii Miniſter Tigurinus in oratione *De Janſeniſtica cauſa* anno 1653. ait: *Quid ſi Janſenio veſtro Patrum Dordracenſium Canones, Auguſtini impenſius inſpiciendi, ac etiam probandi cauſam, occaſionemque attulerint? Veſtram auditores fidem voco, an non ea, quæ jam jam ex Janſenii, ejuſque aſſeclarum doctrinâ propoſiturus ſum, cum noſtra confeſſione conſentiant ad amuſſim, atque conveniant*. Alii paſſim Calviniſtæ ita Janſenii, & ei adhærentium, ut hodie Queſnelli, cauſam velut propriam ſuſcipiunt, atque defendunt, plaudentes illo Antonii Cregut Calviniani profeſſoris famoſo anagrammate: CORNELIUS JANSENIUS, CALVINI SENSUS IN ORE. Queſnellus in Traditione Romanæ Eccleſiæ Tom. 3. pag. 152. ait: *Super materiâ de gratiâ non eſt ampliùs ſolidum diſſidium inter Catholicos, & Calviniſtas*. Idem priùs agnovit Calviniſta celebris Petrus Jurieux in lib. de Spiritu D. Arnaldi *l'Eſprit de Monſieur Arnauld* parte 2. pag. 4. *Verum eſt, quòd* (Janſeniſtæ) *ad nos omnino acceſſerint in materia de gratiâ*.

8 Utrius partis de converſione alterius magìs veriſimilis ſit gloriatio, penès te, Lector, eſto judicium, quod ex ſuperioribus, ni fallar, facile erit; ex ſequentibus autem ſole clariùs eluceſcet, Janſenianos, & nè à propoſito diverti videamur, ipſum Queſnellum Janſeniſtarum hoc tempore antesignanum

num receſſiſſe à Catholica Romanæ Eccleſiæ Doctrina, neque in ullo apice à Calvino in præſenti controverſia deflexiſſe,niſi fortè ubi hæreſiarcham dogmatis perverſitate ſuperavit. Calvinum vidimus agnoſcentem, quod multis ſeculis aliter traditum ſit, & creditum, quàm ipſe de operatione gratiæ credendum cenſeat. Ego verò contra damnatos Queſnelli articulos, demonſtrandum ſuſcipio univerſa Eccleſiæ Chriſtianæ ſecula, atque ipſos in veteri fœdere prophetas, & Hagiographos oppoſitum proſcriptis erroribus docuiſſe.

CAPUT VI.

Damnatio Propoſitionis vigeſimæquintæ ſtabilitur ampliùs traditione perpetua.

1 Seculum, quo vivimus, decimum octavum Queſnello adverſari teſtatur ſolemnis Conſtitutio Clementis XI. Pontificis Maximi, cui conſentire conſtat Italiam, Germaniam, Hiſpaniam, Luſitaniam, Poloniam, Belgium Catholicum, adeò ut nè unus quidem illic Epiſcopus, aut alius in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutus Pontificiæ definitioni auditus fuerit hactenus refragari: In ipſa Galliâ centum, & ampliùs Epiſcopi Decreto publico ſubſcripſere. Qui ſubſcriptionem illic ſuſpendunt pauci numero, explicationis aliquid à Pontifice ſe expectare cauſantur; librum tamen Queſnelli, & damnata ex illo dogmata nullus hodie Epiſcopus approbare ſe profitetur. Neque Sorbona quocunque obtentu Conſtitutionem, quam priùs admiſerat, modò non ſuſcipiat, Queſnelli tamen de gratiâ errores pridem à ſe in Janſenio, & Arnaldo damnatos minimè tuetur.

2 Seculo decimoſeptimo damnavit Sedes Apoſtolica, & univerſa Eccleſia quinque Janſenii Propoſitiones hæreticas, quibus conſentire Queſnelli Articulos, à me ſuperiùs frequenter, & clariſſimè evictum eſt.

3 Seculum decimumſextum in Michaelis Baji opinionibus Janſenianas,&Queſnellianas Apoſtolico Sanctiſs. Pii V., & Gregorii XIII. fulmine perſtrinxit; ſed magìs anathemate Tridentini Concilii, quo Lutheri, Calvinique hæreſes, & in his Queſnelliana Eccleſiæ finibus exturbatæ ſunt. Concentum Queſnelli cum Luthero, & Calvino ſupra audivimus adeò ſonorum, ut voluntate ſurdos fuiſſe oporteat, qui non perceperint. Tridentino præluxit Concilium Senonenſe,quod de libero arbitrio cap. 15. ait: *Neque enim liberum arbitrium aſſerentes, divinam excludimus propterea gratiam,ut illi* (hæretici) *falsò toties imponere non verentur; ſed juxta Sacram Scripturam eò extendimus, ut voluntas humana miſericordiæ prævenientis auxilio ſuffulta, ſeſe convertat in Deum, Deo appropinquet, & ad veram illam gratiam* (ſanctificantem) *ſe præparet, quæ tandem accepta ſit ad vitam æternam*. Diſpiciat hic Lector, an de creaturis è nihilo producendis, vel à morte reſuſcitandis dici valeat quòd ſe *præparent* ad ſui productionem, vel reſuſcitationem, quòd ipſæ ſeſe eò *convertant*, & *appropinquent*.

4 Seculo decimoquinto S. Joannes Capiſtranus in Speculo conſcientiæ parte 1. n. 38. ait: *Liberum arbitrium eſt facultas actionis, & voluntatis, qua bonum eligitur gratiâ aſſiſtente, & malum eligitur gratiâ deſiſtente*. Neque homo ad ſui creationem, neque mortuus ad reſuſcitationem habet facultatem rationis, & voluntatis, qua eligat,num prodire è nihilo, vel in eo velit perſiſtere; mortuus num vivis reſtitui, an inter cadavera, & pulverem remanere.

5 S. Laurentius Juſtinianus de contemptu mundi cap. 8. *Operum noſtrorum merita ex gratia Dei, liberoque noſtro arbitrio procreari, Sanctorum Patrum probat authoritas; liberum autem arbitrium eſſe dixerim facultatem rationis, & voluntatis gratiâ exiſtente. Hoc autem tantum noſtrum proprium eſſe noſcamus: cætera autem ſive naturalia, ſive gratuita Dei ſunt munera nobis collata, tam pro ſalutis adminiculo, quàm pro Dei circa nos dilectione propalanda. Præſtitit namque Dominus liberam boni, vel mali eligendi facultatem . . . . tanta ſiquidem efficaciæ liberum arbitrium eſſe diſcernitur, ut meritorum, ac demeritorum ſit ſtatera æquiſſima*. Res è nihilo non procreantur voluntate Dei ſimul, & libero noſtro arbitrio; ſed voluntate Dei ſolâ, hac ſolâ è mortuis reddimur vivi. Ignota igitur huic Sancto Antiſtiti fuit idea operationis gratiæ, quæ nobis à Queſnello depingitur. Daturne facultas rationis, & voluntatis, ſive liberum arbitrium, & electio, vel eligendi poteſtas in homine,antequam exiſtat, vel in cadavere, ut vivat? Tota juxta damnatos articulos *efficacia* eſt in ſola Dei gratiâ, vel voluntate: nulla in arbitrio hominis ad merita: unde & merita hominis eſſe deſinunt. Oppoſitum prorſus legimus in memorata S. Laurentii ſententiâ. Thomas Waldenſis lib. 1. Doctrinalis Fidei art. 1. cap. 25. *Nec ad virtutes, nec ad vitia neceſſitate trahimur; quia liberi arbitrii nos condidit Deus*. Neceſſitate autem è nihilo trahuntur creaturæ, & mortui trahuntur neceſſitate ad vitam; utraque actio ſolius Dei eſt, atque ipſi libera, non creaturæ.

Joan-

6 Joannes Taulerus ſerm. 6. in Pentecoſtem: *Nos nihil ſinè communi Dei influxu boni poſſumus; hoc eſt, niſi nos Spiritus Sanctus ſingulari gratiæ ſuæ influxu præveniat. Interim tamen & hoc requiritur, ut homo faciat quod in ipſo eſt; nam & Spiritûs Sancti gratiæ ipſum prævenienti per liberum arbitrium reſiſtere poteſt. Indè eſt, quod Auguſtinus ait: Qui creavit te ſinè te, non ſalvabit te ſinè te: id eſt, niſi adhibueris liberi arbitrii conſenſum.* Dementiæ argueretur, qui à creaturâ poſſibili poſtularet, ut quod in ipſa eſt ageret, quo prodiret è nihilo: eamdem inſaniæ notam incurreret requirens à cadavere, ut quod in ipſo eſt, faceret, quo in ſe animam revocaret. Poteſtne etiam cadaver reſuſcitationi, vel reſuſcitanti reſiſtere? Poteſtne nihilum reſiſtere creatori? Diſcrimen creationem inter, & juſtificationem, quod à Taulero ex Auguſtino allegatur, convellitur à Queſnello, docente creationem eſſe normam operationi gratiæ, ſive priorem à Deo nobis traditam, veluti ideam poſterioris.

7 Gregorius Ariminenſis in l.2. ſentent. diſt.34. & 37. art. 3. *Deus ſequitur determinationem voluntatis, non intelligendo, quod priùs naturâ voluntas agat actum illum, quàm Deus, propriè loquendo de priori naturâ; quoniam tunc ſequeretur, quòd poſſet illum agere Deo non coagente: ſed ad hunc ſenſum dico, Deum ſequi determinationem voluntatis; quoniam ideo agit actum illum, quia eum voluntas agit: & non quia Deus agit, ideo voluntas agit. Et ideo dicitur magìs propriè Deus coagere voluntati, talem actum cauſando, quàm voluntas dicatur coagere Deo.* Nemo ſanæ mentis dixerit Deum in creatione, vel reſuſcitatione mortui ſolummodo coagere, vel etiam creaturam coagere Deo, cùm evidens ſit, productionem rei è nihilo & reſuſcitationem mortui eſſe actionem ſolius Dei.

8 Seculo 13. Albertus Magnus in cap. 4. Joannis: *In voluntate noſtra eſt, obicem fidei ponere, vel conſentire ad credendum, & per conſequens in voluntate noſtra eſt vel in peccatis mori, vel de peccatis exire.* Eſtne in *voluntate* hominis *obicem ponere* ſuæ creationi, vel reſuſcitationi, *& per conſequens*, in morte remanere, vel in nihilo?

9 Angelicus Alberti diſcipulus in quæſtionibus diſputatis de veritate quæſt. 24. articulo 1. *Abſque omni dubitatione hominem liberi arbitrii ponere oportet. Ad hoc enim, & fides adſtringit, cùm ſinè libero arbitrio non poſſit eſſe meritum, vel demeritum, juſta pœna, vel præmium. Ad hoc etiam inducunt manifeſta indicia, quibus apparet hominem liberè eligere unum, & aliud refutare.* P.1.q.83.art.1. *Homo eſt liberi arbitrii: alioquin fruſtrà eſſent conſilia, exhortationes, præcepta, prohibitiones, præmia, & pœnæ.* Daturne liberum arbitrium, libera electio creaturis ad ſui creationem, vel reſuſcitationem à mortuis? Daturne ad utramque illam, vel alterutram actionem conſilium, hortatio, vel præceptum? Promittiturne pro illa, aut debetur præmium? Intentaturne pro omiſſione ejus, quæ à ſolo Deo pendeat, ſupplicium?

10 Alexander Alenſis ſcholæ Seraphicæ illuſtre decus, & cum Scoto fundator, part. 1. q.26. memb.4. art.3. *Deus dedit libero arbitrio, ut conſentiat, vel non conſentiat bono; & ipſi malo conſentiat, ſi velit: & quidquid faciat, ſive bonum, ſive malum, ſemper ordinat ipſum providentia .... permittit ei facere quidquid vult; ſed in bono adjuvat eum inſtinctu gratiæ.* Nullus dixerit, Deum permittere rebus poſſibilibus, ut ſe è nihilo producant, vel mortuis, ut ſe reſuſcitent; Deum rebus poſſibilibus dediſſe liberum arbitrium, antequam exiſterent, ut productioni ſuæ, vel reſuſcitationi conſentirent, diſſentirentve pro libitu. Neque rectè dicerentur divino inſtinctu ad exiſtendum, vel reſurgendum *adjuvari*; cùm creationis, reſurrectioniſque principium conſtet eſſe Deum ſolum, homine utramque ſolummodo patiente.

11 Magiſtri ſui Irrefragabilis ſententiam ſecuti ſunt tanto digni præceptore diſcipuli Scotus, & Bonaventura cum ſchola Seraphica dein univerſa. Sic nempe Scotus in 1. diſtinct. 40. q. unicâ: *Iſte qui eſt prædeſtinatus, poteſt damnari; non enim propter prædeſtinationem voluntas ejus eſt confirmata: & ita poteſt peccare, & ita pari ratione in peccato ſtare finaliter.* Manifeſtum itaque eſt, juxta Scotum, non omnem gratiam eſſe talem, ut nihil *eam impedire poſſit, aut retardare*; ut enuntiat articulus Queſnelli decimus. Prædeſtinatio ſcilicet, teſte Auguſtino, complectitur præparationem mediorum, quibus electi certiſſimè liberantur. Naturæ quoque lumine omnibus notum eſt, eum, qui vult finem efficaciter, velle pariter media ad eum neceſſaria, inter quæ hic indubiè eſt Divinæ gratiæ auxilium efficax. Unde perſpicuum fit, non omnem Scoto *gratiam*, etiam efficacem prædeſtinatorum, eſſe ejuſmodi, *quam nihil impedire poſſit, aut retardare*.

12 S. Bonaventura in ſecundum diſt. 26. q. ultimâ: *Pro tanto dicitur gratia movere liberum arbitrium, quia liberum arbitrium gratiâ informatum movet ſeipſum.* Ibidem. *Sicut voluntas movet ſeipſam ad opera naturalia, ſic adjuta per gratiam movet ſeipſam ad opera meritoria.* Atqui liberum arbitrium non ita moveri ad actus naturales, quin poſſit con-

Digitized by Google

ſenſum ſuſpendere, atque etiam negare, indubitatum eſt Doctori Seraphico; unde patet Seraphici ſententiâ, gratiæ operationem impediri ab homine poſſe, aut retardari.

13 Eamdem ſententiam eodem ſeculo tradidere Innocentius III. ſermone de uno Martyre: & de Sacro Altaris myſterio l. 3. cap. 8. Jacobus Vitriacus Dominicâ 12. poſt octavam Pentecoſtes. Cæſarius Heiſterbachius lib. 8. cap. 44. Guilielmus Alvernus de pœnitentia cap. 2.

14 Seculo 12. S. Bernardus ſerm. 5. in quadrag. *In te eſt, ſi volueris, dare, vel negare* (tentationi) *conſenſum. In tua facultate eſt, ſi volueris inimicum tuum facere ſervum tuum, ut omnia tibi cooperentur in bonum.* Idem tractatu de gratiâ & libero arbitrio: *Quod ſibi liberum non eſſe cognoſcitur, quo pacto vel bonum ei, vel malum imputatur? Excuſat nempe utrumque neceſſitas. Porrò ubi neceſſitas, ibi libertas non eſt: ubi libertas non eſt, nec meritum; ac per hoc nec judicium.* Non eſt in creatura, nec in ejus facultate procedere è nihilo, vel ex mortuis reſuſcitari. Proinde neutrum ei præcipi, vel imputari poteſt: utrumque totum creaturæ accidit ex neceſſitate: unde neque ad meritum confert quidpiam, neque ad præmium. Quid igitur fiet bonis noſtris operibus, quid eorum merito & præmio; ſi vera fuerit Queſnelli aſſertio, ideam operationis gratiæ formans ex modo creationis, reſuſcitationiſque creaturis minimè liberæ?

15 Hugo Victorinus Inſtitutionis Monaſticæ de Arca morali lib. 4. cap. 3. *Ordinatiſſimum eſt de noſtra reparatione divinæ diſpenſationis conſilium, ut, qui ſponte recidit, non coactus, ſed ſponte ſurgat; & qui per liberum arbitrium infirmatus eſt, ſanitatem non recuperet, donec per liberum arbitrium ſanari velit.* Si Divinæ Ordinationis conſilium fuiſſet, pro creatione hominis expectare, donec ſponte prodiret è nihilo, neque reſuſcitare cadavera, donec per liberum arbitrium reſuſcitari vellent, nulla fuiſſet unquam creatio hominis, nulla foret cadaverum reſuſcitatio.

16 Honorius Auguſtodunenſis ad pſalm. 17. *Ad hoc, quod ait* (Propheta) *retribuet mihi Dominus ſecundùm juſtitiam meam, liberum arbitrium per bonam voluntatem gratiæ conſentiens innuit: per hoc verò, quod addit: ſecundùm puritatem manuum mearum retribuet mihi, cooperans ſtudium exprimit.* Quid meriti *ſecundùm juſtitiam* ſuam habuit Pſalmiſta, aut quid retributionis, & quo titulo expectare potuit, ſi juſtitiam illam *Deus æquè, ac ſanationem corporis* miraculoſam *ſolâ ſuâ effecerit voluntate*, ut docet Queſnelli art. 25? Quodnam illud eſt *cooperans ſtudium*, quod Honorius Pſalmiſtæ tribuit, ſi totum, quod de *puritate manuum* dicitur, *ſolius Divinæ voluntatis* opus ſit æquè *ac ſanatio corporis*, cujus meminit articulus?

17 Similia tradit Hugo Eterianus ſcribens de regreſſu animarum ab inferis cap. 2. Richardus Victorinus in illud 1. Cor. cap. 6. *Omnia mihi licent.* Petrus Lombardus l. 4. diſt. 25. Joannes Sariſberienſis l. 2. Polycraticon cap. 22.

18 Seculo 11. S. Anſelmus in illud Matth. 6. *Fiat voluntas tua*, docet *contingere aliquando, ut Deus per miſericordiam velit de aliquo pravo, quod ſit Juſtus; & conferat illi gratiam ſuam, & tamen per liberum arbitrium contradicat, nec gratiæ Dei conſentiat.* Non igitur *gratia eſt* Anſelmo *operatio manûs omnipotentis Dei, quam nihil impedire poteſt, aut retardare*, ut enuntiatur art. 10.

19 Quænam gratia fortior apparet illâ, quâ Saulus in Apoſtolum converſus eſt? Et tamen etiam de hac Anſelmus aſſerit in idem caput Matthæi, *In Paulo videtur cogens Dei voluntas, ſed non eſt; quia, licèt ſit percuſſus, tamen voluntate erat liberâ, ut reſiſteret, ſi vellet.*

20 Oecumenius in cap. 7. Epiſt. ad Rom. *Novi quòd non habitet in me, hoc eſt in carne mea bonum. Arbitrii libertatem vult* (Apoſtolus) *oſtendere, quodque homo Dominus ſit potentiæ ad utrumque, tam bonum, quàm malum.* Qua ratione concipiatur homo Dominus potentiæ tam ad bonum, quàm ad malum, ſi *abſque gratia efficaci nihil boni facere poſſumus*, ut traditur Propoſitione 2. ſi & omnis *gratia eſt operatio manus omnipotentis Dei, quam nihil impedire poteſt, aut retardare*, ut docet Propoſitio 10. Sic itaque, gratiâ præſente, non niſi bonum efficere, aut velle poſſumus; illâ verò abſente, non niſi malum; quia *ſinè gratiâ nihil amare poſſumus, niſi ad noſtram condemnationem*, ſi vera ſit Propoſitio 40.

21 Euthymius ad caput 6. Joannis *Nonne ego vos* (inquit Chriſtus) *duodecim elegi? Et tamen unus ex vobis in nullo meâ adjutus electione, utpote liberum habens arbitrium ad virtutem, & vitium, diabolus eſt, & diaboli miniſter. Significat itaque in voluntate, & electione hominis ſitum eſſe, ut ſalvetur, aut pereat. Nihil ergo novum, quòd Judas, cùm eligeretur, bonam habuerit voluntatem; poſtea autem ſit immutatus, tanquam libero uſus arbitrio.* In ſententia Queſnelli fieri non potuiſſet, ut Judas in nullo eſſet adjutus divinâ electione, quæ voluntatem ejus ſignificat: *Deus nempe illuminat animam, & eam ſanat æquè ac corpus ſolâ ſuâ voluntate: Jubet, & ipſi obtemperatur*, art. 25. Deinde electionem Judæ certiſſimè comitata, vel ſecuta eſt aliqua gratia. Neque fie-

Digitized by Google

fieri potuit, ut illâ *non juvaretur* Judas, ſuppoſito quòd omnis *Gratia ſit operatio manûs omnipotentis Dei, quam nihil impedire poteſt, aut retardare* juxta art. 10. Quomodo autem in voluntate, & electione hominis adulti ſitum eſt, ut ſalvetur, aut pereat? Salvari ſcilicet non poteſt abſque gratiâ ad ſalutem neceſſariâ, ſaltèm ſufficienti, ut omnes Catholici confitentur; omnis verò *Gratia eſt operatio manûs omnipotentis Dei, quàm nihil impedire poteſt, aut retardare*; ſi Queſnello creditur art. citato.

22 Radulphus cognomento *Ardens*, in communi unius martyris: *Ex eo, quod habemus libertatem arbitrii, ſive ad bonum, ſive ad malum, promereri dicimur; quando videlicet malum, quod facere poſſumus, evitantes, bonum eligimus, & operamur; pro opere enim, quod facere non poſſumus, nec pœnam, nec præmium meremur.* Quàm libertatem arbitrii habemus ad bonum, ſi adeſt gratia, cujus operatio nec impediri poteſt, nec retardari juxta artic. 10. Quid enim aliud eſt actionem eſſe neceſſariã, quàm ejus impedimenrum, vel ſuſpenſionem eſſe impoſſibilem? Unde nec promereri tali actione poſſumus, niſi meritum cum neceſſitate compoſueris, quæ eſt hæreſis Janſenii tertia. Atque adeò nec evitatione peccati, quod facere non potuimus, quidquam præmii meremur; peccatum autem perpetrare impoſſibile eſt quoties adfuerit gratia, cujus operatio, nec impediri valeat, nec retardari.

23 Leo Nonus in epiſtola ad Petrum Antiochenum: *Credo, & profiteor gratiam Dei prævenire, & ſubſequi hominem, ita tamen, ut liberum arbitrium rationali creaturæ non denegem.* Quis libero arbitrio ad bonum locus eſt in homine, dum omnis gratia ad bonum opus neceſſaria talis fingitur, ut ejus effectus, ſeu operatio *impediri* nequeat, *aut retardari*? Neque tunc poſſibilem eſſe peccati commiſſionem, atque ita neque ad illam tunc dari in homine libertatem arbitrii, ſatis perſpicuum eſt.

24 Seculo 10. Radulphus Flaviacenſis lib. 2. in Levit. c. 1. *Non enim volentis, neque currentis; ſed miſerentis eſt Dei. Nec hoc dicentes humani arbitrii deſtruimus libertatem: Libertas namque eſt hominis, ſi cœlitus adjuvetur; alioquin nulla eſt, ſi gratiâ deſtituatur.* Quid libertatis humano arbitrio ad bona opera ſupereſt, quando nulla, prout oportet, fieri poſſunt ſinè gratiâ, ut omnes agnoſcimus, & gratia omnis, juxta Queſnelli ſententiam, talis eſt, ut ejus operationi nullus obicem ponere, vel moram valeat? Quâ gratiâ præſente, nulla ad malum quoque poteſtas eſt, ut ex talis efficacis gratiæ conſideratione perſpicuum fit.

25 Simeon Metaphraſtes in vita S. Pachomii cap. 22. *Quamobrem apertè oſtenſum eſt, quòd & nos, & quicunque volumus eum ſequi, poſſumus, ſicut ipſe quoque ſecutus eſt Sanctos Patres, qui eum præceſſerunt. Hoc eſt enim, quod ſcriptum eſt: Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos Matth. 11. qui liberâ veſtri arbitrii poteſtate, quæ ſunt mala, reliquiſtis, ut ad bonum accurratis.* Nihil horum convenit cum damnatis articulis; juxta quos adeò non poſſumus omnes S. Pachomium ſequi, ut nullus omnium poſſit, niſi qui ſequitur reipſa; cum juxta art. 2. ſinè JESU *Chriſti gratia*, quæ eſt *principium efficax boni cujuſcunque generis*, & quæ *neceſſaria eſt ad omne opus bonum, non ſolùm nihil fit; ſed nec fieri poteſt*. Atqui neminem habuiſſe gratiam efficacem ad ſequendum Pachomium, niſi qui eum revera ſecutus eſt, nullus inficiabitur, qui ſaltèm vocabulum efficacis gratiæ intellexerit. Reſume quoque, lector, iterum, ſi placet, art. 10., juxta quem omnis *Gratia eſt operatio manûs omnipotentis Dei, quam nihil impedire poteſt, aut retardare*. Quapropter ſi omnibus adſuiſſet gratia, ſinè quâ nihil poſſumus, & eum qua Pachomium potuiſſemus ſequi, nihil hanc impedire, aut retardare potuiſſet, nihil nos à Sancti illius imitatione avertere. Perperam quoque Metaphraſtes ait: *Liberâ veſtri arbitrii poteſtate, quæ ſunt mala reliquiſtis, ut ad bonum accurratis*; ſi *Deus illuminet animam æquè ac corpus, & eam ſanet ſola ſua voluntate*, ut docet articulus 25. ſi & omnis *Gratia* ſit *omnipotens operatio*, cujus *idea* ſit actio *illa, qua creaturas è nihilo Deus producit, & mortuis reddit vitam*, ut vult art. 23. Juxta utrumque quam partem in fuga mali, & proſecutione boni habet liberum hominis arbitrium? Habetne aliquam in *ſanatione corporum*, quæ miraculo fit, & *ſola Dei voluntate*? Habetne aliquam in productione creaturarum è nihilo, vel reſuſcitatione mortuorum?

26 Circa initium ejuſdem Seculi Theophylactus ad caput 22. Matth. *Pauci ſalvantur, & digni ſunt, ut eligantur à Deo: Ita, ut Dei quidem ſit vocare; electum autem fieri, vel non, noſtrum.* Ad cap. 13. Ego ſcio quos elegerim: *Quid dicemus de Juda, num & illum elegit? Elegit quidem eum, cùm bonus eſſet, ſicut & Saul: ſed mutatus eſt ipſe liberi arbitrii exiſtens. Permittit autem unicuique, ſecundùm quod vult, operari. Non enim auſert liberum arbitrium, mutatum autem Judam repulit, quamvis priùs elegiſſet.* Quomodo permittit Deus unicuique ſecundùm quod vult, operari, ſive bonum, ſive malum, ſi boni nihil efficere poſſumus ſinè gratiâ efficaci; dum autem ea adfuerit, nihil ejus operationem impedire poteſt, aut retardare?

27 Seculo 9. Erycus hom. 5. de S. Stephano: *Quid autem eſt, quod dicit* (Chtiſtus) *quoties volui, & noluiſti? Nunquid humana voluntas voluntati Dei prævalet? Cùm ſcriptum ſit, Omnia quæcunque voluit, fecit? Ad hæc dicendum, quòd liberum arbitrium Deus homini contulit, propter quod dicit, noluiſti; quaſi diceret: ex mea parte volui, ſed ex tua noluiſti.* Quod, ut patet, minimè conciliatur cum art. 12. *Quando Deus vult ſalvare animam, quocunque tempore, quocunque loco effectus indubitabilis ſequitur voluntatem Dei.* Quod hic aſſeritur de omni voluntate ſalvandi animam, intelligendum eſt indubiè etiam de voluntate convertendi peccatorem ad juſtitiam, quia eadem utrobique ratio eſt; ſed utrobique erronea.

28 Rabanus Maurus ad caput 18. Jeremiæ *Deus dimittit hominem voluntati ſuæ, ut vel præmia, vel pœnas ſua voluntate, & ſuo merito recipiat. Nec ſtatim totum erit hominis, quod eveniat; ſed ejus gratiæ, qui cuncta largitus eſt. Ita enim libertas arbitrii reſervanda eſt, ut in omnibus excellat gratia largitoris.* Quomodo dimittit Deus hominem voluntati ſuæ, ut vel præmia, vel pœnas ſua voluntate, & ſuo merito recipiat, ſi *Gratia*, ſinè qua nullum poteſt eſſe meritum, aùt præmium, *non eſt aliud, quàm voluntas omnipotentis Dei jubentis, & facientis quod jubet*, ut vult art. 11. ſi & *operationem gratiæ nihil impedire poſſit, aut retardare*, ut traditur art. 10., ſi & operationis ejus idea accipienda ſit à productione creaturarum è nihilo, & à reſuſcitatione mortuorum, quæ ambæ actiones ſolius Dei ſunt abſque voluntatis cooperatione, atque adeò abſque omnis hominis merito?

29 Idem lib. 4. de Univerſo cap. 12. *Initium ſalutis noſtræ, Deo auxiliante, habemus; ut acquieſcamus ſalutari inſpirationi, noſtræ poteſtatis eſt: ut adipiſcamur, quod ad acquieſcendum admonitioni cupimus, Divini eſt muneris: ut non labamur, adepto ſalutis munere, ſolicitudinis noſtræ eſt, & cæleſtis pariter adjutorii.* Minimè eſſet poteſtatis noſtræ acquieſcere Divinæ inſpirationi, ſeu gratiæ, ſi hæc eſſet *Operatio manûs omnipotentis Dei, quam nihil impedire poteſt, aut retardare*, ut Propoſitio 10. enuntiat: unde nec ullo modo ſolicitudinis noſtræ eſſet; ſed ſolius cœleſtis adjutorii, quod, adepto ſalutis, ſeu gratiæ munere, non labamur. Denique acquieſcere Divinæ inſpirationi, & hac accepta, non labi, non magis eſſet poteſtatis, & ſolicitudinis noſtræ, quàm productio rerum ex nihilo, vel ſuſcitatio mortuorum, ſi ſubſiſtat Propoſitio vigeſima tertia.

30 Circa initium ejuſdem Seculi Haymo in caput 49. Iſaiæ, *Dei eſt vocare, & noſtrum credere*. In caput primum Malachiæ, *Quia liberi ſumus arbitrii; pro noſtra voluntate, aut ad vitia deflectimus, aut ad virtutes*; neque credere poſſumus, neque alios elicere ſalutiferos virtutum actus ſinè gratia, ut Fide Catholica certum eſt. Quomodo autem credere eſt noſtrum, quomodo pro voluntate noſtra, & libero arbitrio à vitiis deflectimus ad virtutes, ſi utraque Queſnelli Propoſitio jam indicata, veritati conſona ſupponatur? Quid enim noſtrum eſt in *productione rerum è nihilo*, vel *ſuſcitatione mortuorum*, vel quacunque *operatione manûs omnipotentis Dei, quam nihil impedire poſſit, aut retardare*?

31 Seculo 8. Joannes Damaſcenus lib. 2. Orthodoxæ Fidei cap. 25. *Supereſt itaque, ipſum hominem qui agit, & operatur, operum ſuorum Authorem eſſe, eaque in arbitrio ſuo, atque poteſtate habere. Huc accedit, quod ſi nullius actionis Author eſt homo, fruſtrà ei deliberandi facultas tributa erit. Quorſum enim deliberatione utetur, ſi nullius actionis arbitrium, ac poteſtas penès eum exiſtat? Omnis enim deliberatio, actionis causâ ſuſcipitur.* Nullatenus homo in poteſtate ſua habet virtutis actus ſalutiferos, præſente *gratiâ*; ſi hæc *non eſt aliud, quàm voluntas omnipotentis Dei jubentis, & facientis quod jubet*, juxta Propoſitionem 11. aut ſi non plus ad actus illos homo conſerat, quàm res quælibet ad ſui *è nihilo productionem*, aut cadaver ad *reddendam* ſibi *vitam*. In utroque exemplo, ut patet, nulla occurrit, neque occurrere poteſt rei producendæ, vel reſuſcitandæ deliberatio. Quapropter, & in homine fruſtranea foret circa actus ſalutiferos, ſi ſic illi penderent à Deo ſolo, quemadmodum ſanatio corporum miraculo parrata, vel rerum creatio, vel reſurrectio mortuorum, ut docetur Propoſitione 23. 24. 25.

32 Contra Fati ſtultitiam quidem agit Damaſcenus; ſed ratio ejus etiam valet contra hæreticos, obtentu aſſerendæ gratiæ efficacis liberum deſtruentes arbitrium. Janſenium aurem ejuſque diſcipulos non minùs, quàm Fati aſſertores ſubruere actionum humanarum prorſus omnium libertatem, facillimum demonſtratu eſt. Quid enim refert, ſive fatum, ſive delectatio indeliberata omnibus noſtris actibus dominetur ita, ut *quod ampliùs nos delectat, ſecundùm id operemur neceſſe ſit*? Fruſtrà effugere moliris, aſſerendo eligendi facultatem inter diverſas peccatorum ſpecies; cùm delectatio indeliberata major unius ſpeciei neceſſariò voluntatem rapiat, ut ſecundùm illam velle, & agere neceſſe ſit. Ita, ſi ardentior ſit tentatio libidinis, quàm

quàm ſuperbiæ, vel avaritiæ, juxta Janſenianum principium ſuperari libido non poterit reſpectu humano, vel retinendæ amore pecuniæ.

33 Iterum Damaſcenus in Hiſtoria Barlaam, & Joſaphat cap. 15. *Quarum rerum facultates penès nos ſunt, harum etiam actiones facultatibus conſentaneæ penès nos ſunt.* Quamobrem, cùm facultates virtuti conſentaneæ in noſtra poteſtate ſint, in noſtra quoque poteſtate virtutes ſint, neceſſe eſt. Propriè enim in arbitrio noſtro conſiſtunt ea omnia, quæ animam attingunt, & de quibus deliberamus. Quæ memoratis ſuperiùs Queſnelli Propoſitionibus adverſari, facilè quilibet ex dictis à me, & fortè operoſiùs quàm neceſſe fuerat, inculcatis intelliget. Sed debitores ſumus etiam tironibus, & imperitis. In eorum gratiam proſequar traditionem.

CAPUT VII.

Proſecutio ejuſdem traditionis.

1 EOdem ſeculo 8. Cæſarius Dialogo 2. *Si vitioſarum, & virtuti conſentanearum actionum, non ex nobis principia pendent, ... ſuperflui ſunt legum latores, qui ſectanda, fugiendaque nobis definiant; ſuperflui judices, qui virtutem quidem honorant; improbitatem verò puniunt... Non ex aliquo fato, vel neceſſitate virtus, improbitaſve viventibus inſer itur, aut decernitur, ſed ex uniuſcujuſque libera poteſtatis electione, unuſquiſque ſe ad ea, quæ elegit, confert.* Quis capiat, quod vitioſarum, & virtuti conſentanearum actionum ex nobis principia pendeant, ſi abſque efficaci gratiâ nihil boni facere poſſumus juxta Articulum 2. *Si voluntas, quam gratia non prævenit, nihil habet luminis, niſi ad aberrandum; ardoris, niſi ad ſe præcipitandum; virium, niſi ad ſe vulnerandum: capax ſit omnis mali, & incapax ad omne bonum*, ut habet art. 39.? Si & omnis *gratia eſt operatio manûs omnipotentis Dei, quam nihil impedire poteſt, aut retardare*, juxta Articulum 10.? Unde, ſi gratia conceditur, peccari non poteſt, & virtutis opus fit neceſſariò: Si gratia defuerit, non minùs neceſſariò peccatur. Quid autem refert, ſive ea neceſſitas ex fato oritur, ſive ex indeliberata, ut Janſenius vult, gratiæ, vel concupiſcentiæ delectatione? Superflui Judices erunt; nec virtus digna præmio, nec improbitas ſupplicio videbitur.

2 Similia docet Elias Cretenſis in orationem 3. Nazianzeni. Photius ad caput 9. Epiſtolæ ad Rom. Alcuinus in Geneſim quæſtion. 84. & de Trinitate lib. 2. Sub initium ſeculi Beda ad caput 2. Geneſis, & ad Lucæ cap. 20.

3 Seculo 7. Iſidorus Hiſpalenſis lib. 2. de Summo bono cap. 2. *Sicut homo libero arbitrio conditus, ſua ſponte divertit à Deo, ita ex propria mentis converſione credendo recurrit ad Deum, ut & libertas agnoſcatur arbitrii per propriam voluntatem, & beneficium gratiæ per acceptam fidei firmitatem.* Non ergo Deus illuminat animam, & eam ſanat æquè ac corpus ſola ſua voluntate, ut ſtatuit Articulus 25.

4 Idem Author lib. de Doctrina, & Fide cap. 20. *Sicut ergo initium noſtræ ſalutis, Deo miſerante, & inſpirante, habere noſ credimus; ita arbitrium noſtrum ſequax eſſe Divinæ inſpirationis, liberè confitemur. Initium noſtræ ſalutis Deo miſerante habemus: atque ut acquieſcamus ſalutiferæ inſpirationi, noſtræ poteſtatis eſt.* Non igitur productio rerum è nihilo, & reſuſcitatio mortuorum eſt idea operationis gratiæ, ut enuntiat Articulus 23. neque gratia eſt operatio manûs omnipotentis Dei, quam nihil impedire poteſt, aut retardare, ut habet Art. 10.

5 Audoënus in vita S. Eligii lib. 2. capit. 16. *Nemo ſe ignorantiâ tueri poterit, quandoquidem vita, & mors, præmia juſtorum, ſupplicia impiorum denuntiata ſunt vobis; jam in veſtra optione eſt, & arbitrio eligere quod teneatis; quod enim quiſque hic concupierit, id illic obtinebit. Vitam ergo æternam totis viribus concupiſcite, nec emendationem vitæ procraſtinetis, ſed ob lucranda regna cœleſtia, ultro ipſi relinquatis, quod tamen cum ipſa vita amittendum eſt.* Quomodo in optione, & arbitrio noſtro eſt, eligere quod teneamus, quando fide conſtat, nos eligere bona æterna non poſſe ſinè gratia, & Queſnellus Art. 10. prædicat, operationem gratiæ à nemine impediri poſſe, vel retardari? Fruſtranea quoque juxta eumdem articulum eſt adhortatio, ut *emendationem vitæ non procraſtinemus*, ſiquidem adhortatio, nè Pelagiana ſit, ſupponit gratiam. Hæc autem *non eſt aliud, quàm voluntas omnipotentis Dei jubentis, & facientis quod jubet*, juxta Articulum 11. imò juxta Articulum 14. *Quantumcunque remotus à ſalute ſit peccator obſtinatus, quando* JESUS *ſe ei videndum exhibet lumine ſalutari ſuæ gratiæ, oportet ut ſe dedat, accurrat, ſeſe humiliet, & adoret Salvatorem ſuum.* Denique cur tam ſolicitè monemur, ut *vitam æternam totis viribus concupiſcamus*, ſi verus ſit Articulus 12.? Vel enim Deus nos vult ſalvos facere, vel non vult: ſi non velit, inanis fuerit omnis conatus hominis: ſi autem Deus velit, indubitatus ſequitur effectus; ſi, ut articulus expri-

exprimit, *Quando Deus vult ſalvare animam, quocunque tempore, quocunque loco, effectus indubitabilis ſequitur voluntatem Dei*.

6 Leontius in vita Simeonis Sali cap. 1. *Arctâ, & anguſtâ viâ ingrediatur, & æternam vitam agere deinceps incipiat; in noſtrâ enim poteſtate, & in noſtro libero arbitrio ſitum eſt, futurorum deſiderio, ea quæ ſunt præſentia, ut quæ prætereant, contemnere, vel rurſus cupiditate, & deſiderio præſentium excidere*. Quod clariſſimè adverſatur Articulo 12. 13. & 14. ut ex ultima ad Audoënum annotatione quivis facilè perſpiciet. Quis enim arctâ, & anguſtâ viâ ingredi, & æternam vitam agere valeat, quem Deus ſalvari non vult, neque ſalutari lumine gratiæ prævenit? Cuicunque autem Deus ſalutem deſiderat, & Jesu Chriſti gratiam impertit, hoc ipſo omne adimit ſalutis amittendæ periculum juxta citatos articulos; nempe juxta duodecimum, *Quando Deus vult ſalvare animam, quocunque tempore, quocunque loco, effectus indubitabilis ſequitur voluntatem Dei*. Similis eſt Articulus 13. Et quidem fortior 14. *Quantumcunque remotus à ſalute ſit peccator obſtinatus &c.* ut ſupra. Illic non tantùm certa ſalus aſſeritur, ſed etiam neceſſariò conſequenda, *oportet ſe dedat &c.* Quamvis, verbum *oportet* non ſemper ſtrictam neceſſitatem ſignificet; hîc tamen omnino ſignificari advertimus ad 14. Prop. cap. 1.

7 Maximus Monachus de Incarnatione Verbi: *Ecce donavit nobis Dominus modum ſalutis, deditque nobis poteſtatem, filios Dei fieri: & in voluntate noſtra relicta eſt ſalus noſtra: tradamus nos ipſos Domino perfectos, & perfectionem ejus recipiamus*.

8 Idem de caritate centuriâ 3. cap. 27. *Participare ejus bonitatem, & ſapientiam, aut non participare, hoc in arbitrio creaturarum rationabilium ſitum eſt*. Horum cum memoratis Queſnelli articulis pugnam, facilè quilibet ex animadverſionibus jam deductis perſpiciet.

9 Multorum teſtimonia Patrum complectitur Concilium Toletanum Quartum capit. 56. de Judæis non cogendis ad credendum. *Sicut enim homo propriâ arbitrii voluntate Serpenti obediens periit, ſic vocante ſe gratiâ Dei, propriæ mentis converſione homo quiſque credendo ſalvatur*. Documento Concilii non conſentit Propoſitio 11. aſſerens, *Gratiam non eſſe aliud, quàm voluntatem omnipotentis Dei, jubentis, & facientis quod jubet*. Qui, præſente tali gratiâ, liberum adhuc voluntatis arbitrium viderit, ut propriæ mentis converſione credat, vel non credat, hunc fateor oculis pluſquam lynceis præditum. Tales mutuatus fuerit à Michaele Bajo juxta eujus damnatum Articulum 39. *Quod voluntariè fit, etiamſi neceſſariò fiat, liberè tamen fit*. Hujus meminerit Lector, quoties Queſnellum, aut alium Baji, & Janſenii diſcipulum audit vocetenus liberum arbitrium agnoſcentem, ut incautis non appareat hæreticus. Quod, ſive in credendo, ſive in alio ſalutiferæ virtutis opere veſtigium libertatis eſt, *Si gratia eſt operatio manûs omnipotentis Dei, quam nihil impedire poteſt, aut retardare*, ut Queſnelli prædicat Articulus 10.?

10 Seculo 6. Ennodius Ticinenſis de libero arbitrio ad Conſtantinum: *Debemus gratiæ, quòd vocamur: Debemus gratiæ, quòd occultis itineribus, niſi reſiſtamus, ſapor nobis vitalis infunditur: noſtræ tamen electionis eſt, quòd beneficia demonſtrata ſectamur*. Quis noſtræ electioni locus eſt, præſente gratiâ, cujus natura duobus jam relatis Queſnelli Articulis 10. & 11. deſcribitur?

11 Juxta utrumque Artic. longè aberraverit initio Seculi ſexti S. Fulgentius de Incarnatione, & gratia Jesu Chriſti cap. 20. dicens, *Gratiâ Dei humanum non aufertur; ſed ſanatur: non adimitur; ſed corrigitur: non removetur; ſed illuminatur: non evacuatur; ſed adjuvatur, atque ſervatur arbitrium*. Quomodo enim ſervatur liberum arbitrium cum gratiâ, cujus operatio impediri nequeat, aut retardari, quandoquidem gratia non ſit aliud, quàm voluntas omnipotentis Dei jubentis, & facientis quod jubet; ſi verum continet uterque Queſnelli Articulus?

12 Cum neutro ex illis conciliabitur Laurentius Novarienſis homiliâ primâ de pœnitentia ſic monens: *Homo noli diffidere: res in promptu eſt: vita in manu eſt: virtus in voluntate eſt: victoria in arbitrio eſt: ſi voluiſti, viciſti: Si nolueris, victus derelinqueris*. Non enim vita animæ virtus, & victoria in manu eſt ſinè gratia, ut fide conſtat: neque eſt in manu ſinè gratia efficaci, ut traditur Artic. 2. juxta quem ſinè gratia efficaci non ſolùm nihil boni facimus, ſed nec poſſumus. Atqui, juxta Art. 10. Omnis *gratia eſt operatio manûs omnipotentis Dei, quam nihil impedire poteſt, aut retardare*: igitur neque, abſente gratia, eſt in promptu vita, virtus, & victoria: neque in promptu eſt, eam, præſente gratiâ, non velle, & derelinqui.

13 Luculentiſſima contra Queſnellum eſt ſententia Gregorii Magni, qui lib. 16. in Job. cap. 10. „ Superna (inquit) pietas „ priùs agit in nobis aliquid ſinè nobis, ut „ ſubſequente quoque noſtro libero arbi„ trio, bonum, quod jam appetimus, agat „ nobiſcum: quod tamen per impenſam gra„ tiam

Digitized by Google

„ tiam in extremo judicio ita remunerat in
„ nobis, ac ſi ſolis proceſſiſſet ex nobis....
„ ut ergo ſe ſinè gratia nihil eſſe (Apoſto-
„ lus) oſtenderet, ait *non ego*; ut verò ſe
„ cum gratia operatum eſſe per liberum ar-
„ bitrium demonſtraret, adjunxit *ſed gra-*
„ *tia Dei mecum*. „

14 Lib.33.cap.20. „ Bonum, quod agi-
„ mus, & Dei eſt, & noſtrum: Dei per præ-
„ venientem gratiam; noſtrum per obſe-
„ quentem liberam voluntatem. Si enim
„ Dei non eſt, unde ei gratias agimus? Rur-
„ ſum, ſi noſtrum non eſt, unde nobis retri-
„ bui præmia ſperamus? Quia ergo non im-
„ meritò gratias agimus, ſcimus quòd ejus
„ munere prævenimur: & rurſus, quia non
„ immeritò retributionem quærimus, ſci-
„ mus quòd, ſubſequente libero arbitrio,
„ bona elegimus, quæ ageremus. „

15 Idem in Ezechielis lib. 1. Homil. 5.
„ Si bona noſtra ſic omnipotentis dona ſunt,
„ ut in eis aliquid noſtrum non ſit, cur nos
„ quaſi pro meritis æternam retributionem
„ quærimus? Si autem ita noſtra ſunt, ut
„ dona Dei omnipotentis non ſint, cur ex iis
„ omnipotenti Deo gratias agimus? Sed
„ ſciendum eſt, quia mala noſtra ſolummo-
„ do noſtra ſunt; bona autem noſtra, & om-
„ nipotentis Dei ſunt, & noſtra; quia ipſe
„ aſpirando nos prævenit, ut vellemus, qui
„ adjuvando ſubſequitur, nè inaniter veli-
„ mus, ſed poſſimus implere quæ volumus. „

Quæ univerſa Sancti Pontificis, & Doctoris maximi oratio Queſnellianis erroribus infeſta eſt. Num res antequam ſint, ſui productionem è nihilo, vel cadaver ſui reſuſcitationem libero appetit arbitrio? Poteſtne creatura, & cadaver in caſu dicere, non ego, ſed Deus mecum, ſive ego cum Deo operor creationem, aut reſurrectionem? Eſtnè Dei, & noſtrum per libertatem arbitrii, quod prodeamus è nihilo, aut mortui redeamus ad vitam? Nonne inaniter, & ſtultè pro utroque illo expectaremus à juſto judice retributionem? Evidens eſt, nihil eſſe noſtrum in creatione, aut reſurrectione; ſed totum ſolius Divinæ omnipotentiæ; quapropter idea operationis gratiæ à Novatoribus conficta ex creatione, & reſurrectione, aliiſque iſtiuſmodi figuris, libertati hominis, merito, & præmio, atque ita Fidei Catholicæ nequaquam congruit.

16 Seculo 5. Sanctus Proſper ad ſextam objectionem Gallorum ait: *Liberum arbitrium nihil eſſe, vel non eſſe, perperam dicitur*. Non perperam id diceretur, ſi ſubſiſterent tot Queſnelliani Articuli. Quid enim liberi arbitrii eſt ad bonum, cum deeſt gratia efficax, ſinè qua juxta Articulum 2. non ſolummodo nihil boni fit *ſed nec fieri poteſt*? Quid rurſus liberi arbitrii eſt ad bonum cum *gratia* qualicunque, ſi hæc *non eſt aliud, quàm voluntas omnipotentis Dei jubentis, & facientis quod jubet*, ut habet Artic. 11. vel ſi *eſt operatio manûs Dei omnipotentis, quam nihil impedire poteſt, aut retardare* juxta Art. 10.? Si *Deus illuminat animam æquè ac corpus ſolâ ſuâ voluntate*; juxta Art. 25.? Si idea operationis gratiæ ſit productio creaturarum è nihilo, vel cadaverum reſuſcitatio, quam, ut omnibus notiſſimum eſt, ſola efficit Dei voluntas, nihil conferente hominis arbitrio? Non minor neceſſitas erit ad malum, ſive ad mandatorum tranſgreſſionem abſque efficaci gratia, ſi vera ſit Propoſitio 3. & 4. juxta quas *in vanum Dominus præcipit, quoties non dat ipſe quod præcipit*, & mandata omnia tunc ſolùm *ſunt poſſibilia, quando Deus illa in homine operatur*; efficaci utique auxilio.

17 Author lib.1. de Vocatione gentium cap. 26. „ Gratia quidem Dei in omnibus
„ juſtificationibus principaliter præeminet,
„ ſuadendo exhortationibus, monendo
„ exemplis, terrendo periculis, incitando
„ miraculis, dando intellectum, inſpirando
„ conſilium, corque ipſum illuminando, &
„ fidei affectionibus imbuendo; ſed etiam
„ voluntas hominis ſubjungitur ei, atque
„ conjungitur, quæ ad hoc prædictis eſt ex-
„ citata præſidiis, ut Divino in ſe coopere-
„ tur operi, & incipiat exercere ad meri-
„ tum, quod ſuperno ſemine concepit ad
„ ſtudium; de ſua habens mutabilitate ſi de-
„ ficit, de gratiæ opitulatione, ſi proficit. „

Quærere hic lubet ex Queſnello, & ejus fautoribus, num Dei manus in creando, & reſuſcitando homine talibus utatur mediis, quibus gratia Dei utitur in juſtificando? Num in creando, & reſuſcitando ſuadeat exhortationibus, moneat exemplis, terreat periculis, incitet miraculis? Num ante creationem, & reſuſcitationem det intellectum, inſpiret conſilium, cor ipſum illuminet, & fidei affectionibus imbuat? Minimè. Quæ autem tam diverſæ operationis ratio? Ea facilè colligetur ex ipſo Authore loc.cit. quia nempe ad juſtificationem adulti, requiritur ut Divinæ gratiæ tum intellectus, tum etiam *Voluntas hominis ſubjungatur, & quæ ad hoc prædictis excitatur præſidiis, ut divino in ſe cooperetur operi, & incipiat exercere ad meritum, quod ſuperno ſemine concepit ad ſtudium*. Quæ omnia Deus non adhibet in creatione, & reſuſcitatione; quia utraque hæc actio ſolius Dei eſt. Nullum humanæ mentis, & voluntatis exercitium occurrit: nihil hic homo ſi-

ve de

ve de condigno, ſive de congruo meretur: Omnes enumerati diſpoſitionis modi ſuperflui hìc ſunt; ridiculi quoque forent, & divinâ ſapientiâ indigniſſimi; ideo impoſſibiles. Cui enim ſuaderet Deus? Cui minaretur? Quem terreret periculis? Cui inſpiraret conſilium? Quem lumine, & piis affectionibus imbueret, antequam erect, & reſuſcitet? Nullis diſpoſitionibus hìc utitur Deus; quia, ut dixi, utraque actio eſt ſolius potentiæ, & voluntatis Divinæ. Aliud eſt in actibus humanis, ad quos eliciendos concurrere debet liberum ejus arbitrium, & quia aliunde infirmum, memoratis diſpoſitionibus adjuvatur, ut oppoſitas ſuperare valeat difficultates.

18 Prætereo Arnobium Romanum de Deo Trino & uno, & ad Pſalmum 90. Claudium Marium Victorem Præfatione in Geneſim: Eucherium Lugdunenſem, hom. 9. poſt Paſcha: Paulinum Nolanum, Epiſt. 2. Gaudentium de Dominica Paſchæ, & Tract. 13. de Natali Domini contra avaritiam Judæ. Chromatium ad cap. 5. Matthæi.

19 Dedi Auguſtinum ſuperiùs ad Propoſitiones ſingulas. Clariſſimus, & pleriſque repugnans de gratia atticulis eſt locus ejus ſæpius à me relatus ex lib. de Spiritu, & lit. cap. 34. *Conſentire, vel diſſentire propriæ voluntatis eſt. His ergo modis quando Deus agit cum anima rationali, ut ei credat (neque enim credere poteſt quodlibet libero arbitrio, ſi nulla ſit ſuaſio, vel vocatio cui credat) profectò & ipſum velle Deus operatur in homine, & in omnibus miſericordia ejus prævenit nos; conſentire autem vocationi Dei, vel ab ea diſſentire, ut dixi, propriæ voluntatis eſt.* Conſenſus rei è nihilo producendæ, vel cadaveris reſuſcitandi non requiritur, ut neceſſarius eſt in actibus humanis. Præterea creationi, & reſuſcitationi non præmittitur ſuaſio, vel vocatio, re nondum exiſtente, vel ſenſûs omnis experte. Cumque tam creatio, quàm reſuſcitatio ſit operatio ſolius Dei, locum habere non poteſt ſuaſio ad eam, vel vocatio. Juxta hanc Auguſtini ſententiam evidens eſt, *Gratiam* non eſſe *operationem manûs omnipotentis Dei, quam nihil impedire poteſt, aut retardare.* Gratiæ enim aliquando diſſentitur, teſte Auguſtino; & utinam non ſæpius, quam conſentiatur!

20 Seculo 4. S. Hieronymus in caput 49. Iſaiæ: *Hæc univerſa dicuntur ut liberum hominis arbitrium monſtretur. Dei vocare eſt, & noſtrum credere .... Deus potentiam ſuam in noſtro arbitrio dereliquit, ut juſti voluntas præmium conſequatur.* Hinc evaneſcit nova gratiæ idea, quæ protruditur Art. 20. *Vera gratiæ idea eſt, quod Deus vult ſibi à nobis obediri, & obeditur: imperat & omnia fiunt: loquitur tanquam Dominus, & omnia ſibi ſubmiſſa ſunt.*

21 In cap. 55. Iſaiæ *Aut facite arborem bonam, & fructus ejus bonos. Ex quo perſpicuum eſt, unumquemque propria voluntate facere animæ ſuæ bonam, & malam arborem.*

22 In caput 5. epiſt. ad Gal. *Aliud eſt Dei opus, aliud hominum: Dei opus eſt vocare; hominum vel credere, vel non credere, ... ſive ergo in bonam, ſive in malam partem, nec Deus, nec Diabolus in cauſa eſt; quia perſuaſio non eſt ex eo, qui vocavit nos; ſed ex nobis, qui vel conſentimus, vel non conſentimus vocanti.* Quæ omnia damnatis Propoſitionibus, præſertim decimæ, undecimæ, vigeſimæ tertiæ, vigeſimæquartæ, vigeſimæquintæ tam perſpicuè adverſantur ut nullâ argumenti deductione egeant.

23 S. Ambroſius in Pſalm. 118. *Dominus* Jesus *veniens in hunc mundum, ſubjecit animæ noſtræ omnes contrarias poteſtates, ut fide tuâ, verbo tuo, converſatione tuâ, & operibus conterantur. Si ergo non conteris adverſarium, tua culpa eſt, qui permiſsâ non uteris poteſtate. In nobis eſt igitur, ut, aut ſubjiciatur adverſarius, aut reſultet.*

24 Julius Firmicus Maternus de erroribus profanarum religionum cap. 29. *Quid hoc obſtinati furoris ardore in exitium, mortemque feſtinas? Liberum te Deus fecit: in tua manu eſt, ut, aut vivas, aut pereas.*

25 S. Athanaſius in vita S. Antonii: *Nolite, inquit Antonius, quæſo, virtutis tanquam impoſſibile nomen pavere: nec peregrinum nobis, aut procul poſitum videatur hoc ſtudium, quod ex noſtro, Dei gratia præcedente, pendet arbitrio. Hujus operis homini inſita natura eſt, & ejuſmodi res eſt, quæ noſtram tantùm expectat voluntatem.* Profectò præcedente Dei gratiâ, quæ *non ſit aliud, quàm voluntas omnipotentis Dei jubentis, & facientis quod jubet* juxta Art. 12. non penderet virtutis ſtudium ex noſtra voluntate, neque eam Deus expectaret, ſed gratia ad aſſenſum ineluctabili traheret poteſtate.

26 Baſilius Magnus ad caput 1. Iſaiæ, Si volueritis, et audieritis me: *Hoc maximè loco velut ob oculos exhibet libertatem arbitrii humanæ naturæ indultam.* Si autem nolueritis: *Ex eo quod noluerunt, conſecutum, quia nec audierunt. Ad eumdem modum beatitudo omnis, & quæ in ſupplicio, quæve inter tot moleſtias traducitur vita, utrumque à noſtra pendet voluntate.*

27 Idem lib. 4. contra Eunomium: *Creatura ita comparata eſt, ut virtutis, & Divinæ*

vinæ dilectionis præmium ſanctificationem habeat: quoniam naturâ utitur liberâ, ut ad utrumlibet poſſit inclinari, ad electionem ſcilicet boni, & pejoris. Si beatitudo omnis, & ſupplicium à noſtra pendeat voluntate, uti & ad utrumlibet inclinari, ad electionem ſcilicet boni, vel mali, evincitur gratiam eſſe aliud quàm voluntatem omnipotentis Dei, jubentis, & facientis quod jubet: ac poſſe operationem gratiæ à libero hominis arbittio retardari, & penitùs impediri.

28 S. Gregorius Nyſſenus otatione catechetica cap. 30. *Dimiſit Deus aliquid in noſtra poteſtate, cujus eſt ſolus Dominus. Hoc autem eſt liberi arbitrii libera electio, res quædam minimè redacta in ſervitutem, & quæ eſt ſui juris, ſita in libertate mentis, & cogitationis.* Cap.31. *Dicunt* (adverſarii) *Deum poſſe, ſi velit, eos etiam, qui reſiſtunt, neceſſariò compellendo attrahere ad ſuſcipiendam prædicationem*, infundendo ſcilicet Queſnellianam gratiam, quæ eſt operatio omnipotentis Dei, quam nihil impedire poteſt, aut retardare. Verùm reſpondet S. Gregorius loco citato, *Ubi eſt ergo in his liberum arbitrium? Ubi autem eſt virtus? Ubi eſt laus eorum, qui rectè ſe gerunt? Eſt enim ſolùm inanimorum, aut eorum, quæ ſunt expertia rationis, alienâ ad quod videtur voluntate adduci .... ſi manet autem inefficax, & nullius usûs liberum animi inſtitutum, & electio, neceſſariò etiam abolita eſt virtus. Si non ſit autem virtus, honore privata eſt vita, ablata eſt laus eorum, qui rectè ſe gerunt.*

29 Sed tres ultimò relatos, & cæteros Patres Græcos, ut Gregorium Nazianzenum, Cyrillum Hieroſolymitanum, Ephrem, Epiphanium, Proclum, Methodium, Theophilum Alexandrinum, Chryſoſtomum, facilè nobis Janſenius cum ſequacibus concedit tanquam medios Auguſtinum inter, & Origenem, atque ab Origene ſeductos; ſic enim loquitur Iprenſis Tom. 1. editionis Lovanienſis colum. 438. *Scriptores inter Origenis, & Auguſtini ætatem interjecti, plerique Semipelagianâ labe infecti fuerunt, quam in oriente ab ipſo Origene (quem in Scripturarum explicatione ſectabantur) traxerunt, præcipuè Græci.* Quam præclaram eruditionem Janſenius didicit à Calvino apud Ruardum Tapperum Artic. 7.

30 Clemens Alexandrinus Origene anterior lib. 7. Stromatum, poſt medium ait *Deus præbet æternam ſalutem iis, qui opem illi ferunt, & cum eo cooperantur ad bonas actiones.* Ignoravit igitur hìc Clemens quòd *gratia non ſit aliud, quàm voluntas omnipotentis Dei jubentis, & facientis quod jubet*, Art. 11.

Neque agnovit juxta Art. 23. quòd *gratiæ operatio ſignificatur per illam, quâ Deus creaturas è nihilo producit, & mortuis reddit vitam*, abſque ulla creaturarum, mortuorumve cooperatione.

31 Omitto Zenonem Veronenſem ſermone de ſpiritu, & corpore: S. Cyprianum epiſt. 55. lib. 3. ad Quirinum cap. 52: Minutium Felicem in Octavio &c. ab Origene nequaquam edoctos.

32 Seculo 2. S. Irenæus lib.4. cap.9. ait. *Homo rationabilis, & ſecundùm hoc Deo ſimilis, liber in arbitrio factus, & ſuæ poteſtatis, ipſe ſibi cauſa eſt, ut aliquando quidem frumentum, aliquando autem palea fiat.* Non poteſt homo adultus ſinè gratiæ auxilio frumentum fieri: quomodo verò tunc ipſe ſibi cauſa eſt, ut frumentum fiat, id eſt juſtus, & filius Dei adoptivus, ac beatæ particeps hereditatis, ſi ſubſiſtant tot Queſnelliani articuli, nominatim 11. 23. 24. 25.? Juxta quos ſola Dei gratia, aut ejus voluntas cauſa eſt operationis omnis ſanctæ, & ad juſtitiam, atque æterna præmia conducentis?

33 Cap. 72. *Prophetæ hortabantur homines juſtitiam agere, bonum quoque operari, quia in nobis ſit hoc .... non tantùm in operibus, ſed etiam in fide liberum, & ſuæ poteſtatis arbitrium homini ſervavit Dominus*: ad bonum quidem non ſinè gratiâ. Sed quem fructum habere poterat Prophetarum ad juſtitiam hortatio, & qnale eſt illud liberum in nobis arbitrium, libera poteſtas ad bona opera, etiam ad fidem; ſi abſque efficaci gratia, ut 2. Articulus aſſerit, nihil boni facimus, neque poſſumus; *Gratia* autem juxta Articulum 11. *non eſt aliud quàm voluntas omnipotentis Dei jubentis, & facientis quod jubet*? Huic Articulo junge decimum, ſæpe hoc capite relatum, uti & 23. 24. & 25. Eoſdem articulos ſubruit Athenagoras in Apologia pro Chriſtianis: Tatianus oratione contra Græcos: Juſtinus Martyr otatione ad Gentiles, oratione ad Antoninum Pium, Tractatu de Monarchia Dei, & Dialogo cnm Triphone: Tertullianus lib. 2. adversùs Marcionem cap. 5. 6. 8. & Exhortatione ad caſtitatem cap. 2.

34 Dionyſius Areopagita, ſeu quiſquis eſt, graviſſimus certè Author libri de Divinis Nom. part. 4. cap. 4. „ Dixerit verò quiſpiam infirmitatem ſupplicium non mereri, ſed veniam: ſi igitur non licuiſſet obſiſtere, rectè forſan eſſet objectum: ſin autem ex ipſo bono vires ſuppeditantur, non eſt ignoſcendum, ſi quis per ignaviam ab ipſo propriorum bonorum habitu divinitus procedente aberraverit. „

CAPUT VIII.

Patrum traditio Divinis Eloquiis roborata.

1 Quotquot retulimus Patres, ac Doctores, non niſi teſtes, & præcones ſunt ejus, quod tum in Novo Fœdere Deus per Filium ſuum, tum in Vetere per Prophetas mundum edocuit. Sic nempe Chriſtus Matth. 19. verſ. 17. *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata*, quod quàm incongruum fuiſſet, & æternâ ſapientiâ indignum documentum juxta indicatos Queſnelli Articulos, ſatis Lector ex rationibus à me ſæpius inculcatis perſpiciet. Maximè obvia fuiſſet, & omnibus prompta in Queſnelli doctrinâ reſponſio: Quid homines omnes ad juſtitiam ſpe vitæ æternæ Salvator, excitas? Abſque efficaci gratiâ tuâ non ſolùm nihil boni agimus, ſed neque poſſumus juxta Art. 2. Hanc gratiam habere, vel impetrare, vel petere, non eſt in poteſtate hominis; nam ad ipſam petendi facultatem non minùs gratiâ efficaci opus eſt. Cùm igitur hæc à te ſolo pendeat, & cum eâ omnis actus bonus, & obſervatio mandatorum, qualis ad ingreſſum vitæ æternæ neceſſaria eſt, ſi feriò nos ad juſtitiam hortaris, ſi ſeriò nobis beatitudinem optas, tuum eſt nobis ea præparare adminicula, ſinè quibus non magìs liberum eſt nobis bene agere, & ſervare mandata, ſicut ad juſtitiam, & beatitudinem oportet, quàm ſinè alis volitare.

2 Sic enim Queſnelli Magiſter Janſenius libro 2. de Gratia Salvatoris cap. 1. *Cujus medicinali*, id eſt efficaci, *gratiâ, & adjutorio, niſi vires priſtinæ reſtaurentur, tam eſt impoſſibile voluntati, ut bene velit, & operetur, quàm homini cæco ut videat, vel ſurdo ut audiat, vel tibiis fracto ut rectè gradiatur; quamvis & lux, & ſpecies, & ſcipiones, & omnia cætera ſanitatis adjumenta ſuppetant.* Hanc autem gratiam ubi, Servator, conceſſeris, non minùs fruſtranea, & inutilis fuerit omnis tua ad virtutem adhortatio, ſi juxta Articulum 16. *Nulla ſunt illecebræ, quæ non cedant illecebris gratiæ; quia nihil reſiſtit Omnipotenti*: Si *Gratia eſt operatio manûs omnipotentis Dei, quam nihil impedire poteſt, aut retardare*. Juxta Art. 10., quis ſapiens eos hortetur ad juſtitiam, qui non plus ad eam conferre poſſunt, quàm ad ſui productionem è nihilo, vel mortui ad reſuſcitationem? Eamdem ob cauſam non minùs indigna Deo erit invitatio Matth. 11. verſ. 28. *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos.*

3 Illud Apoc. 3. v. 20. *Ecce ſto ad oſtium, & pulſo: ſi quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi januam, intrabo ad illum*, Quem ſenſum rationi, & veritati conſonum habere poterit ſi ſola Dei voluntas, vel ſola gratia aperit januam, ut Deus ſolus *creaturas è nihilo producit, & mortuis reddit vitam*: & ſolo motu voluntatis ſuæ *ſanat corpora*, ut nobis edicitur Art. 23. & 24.? Hæc enim illic traditur idea operationis gratiæ; ſinè gratiâ autem januam Deo non aperiri, Fide Catholicâ docemur.

4 Juxta Art. 10. & 11. fallax fuerit illa Stephani exprobratio, *Vos ſemper Spiritui Sancto reſiſtitis*. Quis enim reſiſtat, vel reſiſtere valeat *gratiæ*, quæ eſt operatio manûs omnipotentis Dei, quam nihil impedire poteſt, aut retardare? *Gratiæ*, inquam, quæ *non eſt aliud, quàm voluntas omnipotentis Dei jubentis, & facientis quod jubet*?

5 Non magis juſta videbitur exprobratio Chriſti apud Matth. cap. 23. verſ. 37. *Jeruſalem, Jeruſalem, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos ſuos ſub alas, & noluiſti!* Reclamat Queſnellus Propoſitione 12. dicens: *Quando Deus vult ſalvare animam, quocunque tempore, quocunque loco effectus indubitabilis ſequitur voluntatem Dei*. Propoſ. 13. *Quando Deus vult animam ſalvam facere, & eam tangit interiore gratiæ ſuæ manu*, ſinè qua converſio adulti eſt impoſſibilis, *nulla voluntas humana ei reſiſtit*. Propoſ. 14. *Quantumcunque remotus à ſalute ſit, peccator obſtinatus, quando* Jesus *ſe ei videndum exhibet lumine ſalutari ſuæ gratiæ, oportet ut ſe dedat, accurrat, ſeſe humiliet, & adoret Salvatorem ſuum*. Eodem conſpirat Propoſitio 15. eum pluribus quæ ſequuntur.

6 Pœnitentiæ præceptum innumeris Scripturæ textibus indicatum, incongruè ad peccatores omnes dirigitur, ſi vera ſit Propoſitio 2. quòd *ſinè gratia efficaci non ſolum nihil boni fiat, ſed nec fieri poſſit*; hoc ſcilicet ſuppoſito, evidens foret præcepti obſervandi impoſſibilitas in omnibus, quibus gratia efficax non obtigerit, ut conſtat, eam nulli obtingere delinquenti.

7 Quorſum igitur in Queſnelli ſententia Deus omnibus adultis peccatoribus imperat apud Iſaiam cap. 1. *Lavamini, mundi eſtote, auferte malum cogitationum veſtrarum*: Ezech. 18. *Nolo mortem morientis, dicit Dominus: revertimini, & vivite*: 2. Petri 3. *Nolens aliquos perire, ſed omnes ad pœnitentiam reverti*? Quomodo hoc à mendacio abſolvet Queſnellus, ſi Petrus, & Spiritus Sanctus, per eum loquens, noverit, pœnitentiam eſſe impoſſibilem omnibus, præterquam reipſa pœnitentibus?

Deum

Digitized by Google

8 Deum *Expandiſſe manus ſuas totâ die ad populum non credentem, & contradicentem*, ut ſe expandiſſe teſtatur Iſaiæ 65., & rurſus Rom. 10. verſ. 21. indubiè ſignificat vocationem, comitantibus gratiæ auxiliis, ſinè quibus vocati credere, & Deo obſequi non poſſent. Deſtituti tamen illis fuêre juxta Queſnellum omnes, de quibus Deus utroque loco citato queritur: denegata eis ſcilicet fuit *gratia efficax*, ſinè qua nihil boni fit, aut effici poteſt Art. 2. Quo hæretico principio ſubrui conſtat quidquid hortationum, conſiliorum, præceptorum, ad omnes non obedientes extenditur, utpote quibus impoſſibilis obedientia eſt. Unde, & injuſta redditur omnis punitio, & Deus ipſe crudelitatis barbaræ, ac tyrannidis reus arguitur; Quilibet verò abſolvitur impius præceptum tranſgrediens, quod ſinè efficaci gratiâ obſervare non potuerit. Quæ omnia, & his plura abſurdiſſima ex Queſnelli placitis ſponte profluentia conſectaria Lector perſpexerit ſuperiùs ad propoſitiones ſingulas, in quibus de efficaci gratia ſermo eſt. Nunc, ut error errorem, hæreſis hæreſim trudit, ad alias de Divinis auxiliis novitates confutandas juxta Conſtitutionis ordinem procedamus.

Vigeſimaſexta Damnata Propoſitio.

Nullæ dantur gratiæ niſi per Fidem. *Obſerv. Moral. Lucæ. 8. v. 48.*

Vigeſimaſeptima Damnata Propoſitio.

Fides eſt prima gratia, & fons omnium aliarum. *Obſerv. Moral. 2. Petri cap. 1. v. 3.*

CAPUT I.

Utraque Propoſitio contraria eſt Scripturæ S., Patribus, & rationibus Theologicis.

1 Utraque confluit in eumdem ſenſum, qui conſideranti cuilibet facilis intellectus eſt, ſi voces in obvia, & propria ſignificatione acceperit. Supponamus itaque, juxta utrumque Articulum, nullas dari gratias, niſi per fidem; jam omnis fides ſupernaturalis, & ſalutifera redditur impoſſibilis iis omnibus, qui non credunt. *Sinè gratiâ* enim *præveniente credere non poſſumus ſicut oportet*, ut ex Tridentino canone 3. Seſſionis 6. diſcimus: ubi omnibus deinceps oppoſitum aſſerturis infligitur Anathema. Si autem gratia fidem neceſſariò prævenire debeat, fidem non poſſe eſſe primam gratiam, & fontem omnium aliarum, perſpicuum eſt. Unde, & manifeſtè convincitur omnis affirmans, *Nullas dari gratias, niſi per Fidem*. Sed ante omnia Scripturis Sacris, & Patrum voluminibus error debellandus eſt. Notare cœperam ex utroque Articulo conſecutionem ſponte ſua procedere inevitabilem, quòd nullus infidelis, nullus hæreticus, nullus fide deſtitutus poſſit credere, niſi qui re ipſa ad fidem convertitur; dum enim *credere abſque præveniente gratia non poſſumus*, ut Catholica in Tridentino Concilio docet Eccleſia, evidens eſt, fidem omnibus, præterquam re ipſa credentibus, fieri debere impoſſibilem in opinione ejus, qui cum Queſnello fidem ſtatuerit eſſe primam gratiam, & fontem omnium aliarum; impoſſibilis enim fides eſt, quæ ſit prima gratia, ſi omnem fidem debeat gratia prævenire. Quid hac ratione excogitari poteſt clarius?

2 Suppoſitâ nunc ex Queſnelli Articulis impoſſibilitate fidei in omnibus non credentibus, inanis redditur, & injuſta omnis Scripturarum de incredulis expoſtulatio. Quâ ratione de illis conqueritur Apoſtolus Gentium in Epiſtola ad Romanos cap. 10. *Quàm ſpecioſi pedes Euangelizantium pacem, euangelizantium bona! Sed non omnes obediunt Euangelio: Iſaias enim dicit, Domine, quis credidit auditui noſtro? Ergo fides ex auditu, auditus autem per verbum Chriſti. Sed dico, nunquid non audierunt? Et quidem in omnem terram exivit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. Sed dico nunquid Iſrael non cognovit? Primus Moyſes dicit, ego ad æmulationem vos adducam: in non gentem, in gentem inſipientem, in iram vos mittam... Ad Iſrael autem dicit* (Deus per Iſaiam) *Tota die expandi manus meas ad populum non credentem, & contradicentem.*

3 Si utraque Queſnelli Propoſitio vera fuerit, infideles univerſi, qui ſive olim Legem Veterem per Moyſen, & Prophetas, ſive poſtea Novam per Apoſtolos, & eorum ſucceſſores propoſitam non admiſerant, poterant ſe contra gentium Apoſtolum, contra Prophetas, atque ipſum Deum, & juſtiſſimas ejus querelas, defendere, oratione hac in Queſnelli principiis æquiſſimâ: Quid miſe-

ris nobis utilitatis attulêre ſpecioſi euangelizantium pedes? Quem ex eorum prædicatione fructum capere potuimus? An ut obediremus Euangelio, vel vocibus Prophetarum? Ita quidem Iſaias cum indignatione adversùs nos commemorat, *Domine, quis credidit auditui noſtro?* Sed quomodo credere potuimus? Num ſolis naturæ viribus, & conatibus, ſinè gratia? Hoc ipſum eſt à fide, & veritate Catholica alieniſſimum. Num Divinæ gratiæ ſubſidio? Atqui omni gratiâ ſemper deſtituti fuimus, aliàs non manſuri increduli; Nam *fides eſt prima gratia*, juxta novum Queſnelli Euangelium. Ad quid igitur nos juvit, aut juvare potuit, quod in omnem terram exiverit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum, qui fidem annuntiarent? De nobis quidem in opprobrium dicitur, *Nunquid non audierunt?* Sed quid faciat auditus, quid conferat ad fidem, juſtitiam, ſalutem, deficiente omni gratiâ, & quidem primâ, quæ non ſolùm fidei individua comes, ſed ipſa *fides eſt, & aliarum fons omnium gratiarum?* Qua igitur æquitatis ſpecie, Deus ore Iſaiæ nos increpat, quod, ſe totâ die manus expandente, non credidetimus? Sed quæ ea manuum extenſio eſt, quaſi juvare nos volens ad credendum; ſi omne denegetur auxilium, ſinè quo fides nobis impoſſibilis eſt? Fraudulentâ invitatione ad fidem, & ſalutem ſub figura cœnæ magnæ, & nuptiarum vocati fuimus, non præſtito, vel oblato minimo gratiæ ſubſidio, quo vocationi obedire licuiſſet.

4 Laboravimus infirmitate, & onerati fuimus pondere peccatorum, pluſquam cæteri mortalium, unde videri potuimus à Salvatore potiſſimùm invitati, ut ad eum veniremus per fidem, & pœnitentiam. Sed quis eam dixerit invitationem ſeriam, ſi Servator conſcius infirmitatis noſtræ, humanis viribus inſuperabilis, nihil opis præſtare voluerit, quo iter ad eum dirigere ullus noſtrum potuiſſet; ſed omnem penitùs gratiam toto infelicis exilii noſtri tempore ſubtraxerit?

5 Per Petrum quidem nobis Chriſtus denuntiat, quòd *nolit aliquos perire*, *ſed omnes ad pœnitentiam reverti*. Hoc autem à mentis reſtrictione, & certiſſimo mendacio nullus abſolvet, dum pœnitentia ſinè fide eſſe non poteſt, neque fides ſinè gratia, ut omnes Catholici profitentur; nulla autem gratia ulli infidelium præparata ſit, ut novi Apoſtoli dogmate 26. definiunt, *Nullas dari gratias, niſi per Fidem*. Hactenus infidelium contra Deum ex Queſnelli patrocinio Apologia. Sed nos potiùs poſt Divina oracula Sanctos Patres, probatiſſimos Eccleſiæ Doctores audiemus, à quibus tam infidelium perverſitas, quàm Novatorum ipſis impiè faventium temeritas debellatur. S. Auguſtinus libro de Dono perſeverantiæ cap. 16. *Pravenit ergo*, inquit, *& fidem gratia*, ... *Si autem gratia pravenit fidem*, *quoniam pravenit voluntatem*, *profectò pravenit omnem obedientiam*; *pravenit & Charitatem*, *quâ unâ Deo veraciter*, *& ſuaviter obeditur*: *& hæc omnia gratia in eo*, *cui datur*, *& cujus hæc omnia pravenit*, *operatur*. Audiant hoc Auguſtini Diſcipuli, & tanto nomine gloriari deſinant, qui damnatos à Sede Apoſtolica articulos tam clarè Auguſtino contrarios adhuc defendere audent Apologiis impudentiſſimis. Auguſtino judice, quem Eccleſia hìc cum Tridentino Concilio univerſa ſequitur, *pravenit fidem gratia*; imò, *& pravenit voluntatem*, *ſinè qua fides eſſe non poteſt*. Voluntatis nempe conſenſu, & imperio indiget intellectus propter myſterii propoſiti obſcuritatem, naturamque indè difficultatem credendi; credendi, inquam, ea certitudine, quam fides divina requirit maximam.

6 Auguſtini ſententiam ſemper amplexi ſunt veri ejus, non ſpurii Sectatores. Inter veteros locum non infimum obtinet S. Anſelmus Cantuarienſium Archiepiſcopus, qui explicans illud epiſtolæ 2. Cor. cap. 3: *Non enim ſufficientes ſumus cogitare aliquid ex nobis, quaſi ex nobis*; *ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt*: ſic obſervat, *Attendant hæc verba*, *qui putant ex nobis eſſe fidei cœptum*, *& ex Deo eſſe fidei ſupplementum*; Quis enim non videat prius esse cogitare, quam credere? *Nullus quippe credit aliquid*, *niſi* prius cogitaverit esse credendum: *ſi ergo non ſufficimus cogitare aliquid ex nobis*, *profectò nec credere ſufficimus*, *quod ſinè cogitatione non poſſumus*; *ſed ſufficentia noſtra*, *qua & credere incipimus*, *ex Deo eſt*.

7 Ibidem: *Terra cordis humani non profert fructum fidei*, *& juſtitia*, *ſinè congruis ſeminibus*: non utique naturalibus, quod Semipelagianum fovet, & in Caſſiano à Sancto Proſpero totis viribus impugnatum eſt; ſed, ut rectè juxta doctrinam Eccleſiæ, & Sanctiſſimi Præſulis, intelligit Cardinalis Aguirre Theolog. S. Anſelmi diſp. 118. Sect. 1. *ſpectantibus ad ordinem ſalutaris gratia*. Ubi conſpicimus, S. Anſelmum mirari, ſi quis non videat, prius eſſe cogitare, quàm credere; atque hanc cogitationem eſſe ex gratia, teſte Apoſtolo; juxta quem non ſumus ſufficientes cogitare aliquid ſalutiferi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt, tamquam unico donorum omnium ſupernaturalium auctore, & largitore benigniſſimo. Quis S. Pater,

imò

imò quis catholicus hìc non conſentit ? Indubitatam eſſe Eccleſiæ doctrinam, veſtigiis Patrum, & Tridentinæ Synodi inſiſtens maſtix hæreticorum Bellarminus lib. 6. de gratia, & libero arbitrio cap. 15. ait: *Gratia excitans interna neceſſariò præcedere debet hominis converſionem, ſive ab infidelitate ad fidem, ſive à peccato ad juſtitiam*. Si converſionem ab infidelitate ad fidem neceſſariò præcedere debeat gratia excitans, patet quòd gratia excitans neceſſariò præcedere debeat fidem; ideoque fieri non poſſit, ut fides ſit prima gratia.

8 Pluribus argumentis Theologicis, ab univerſa deductis Patrum traditione, utrique damnato articulo fauces elidere perfacile eſt. Quis Eccleſiæ Doctor non ſuffragatur Auguſtino docenti lib. 2. de geſtis cum Felice Manichæo cap. 4.? *Habet unusquiſque in voluntate, aut eligere, quæ bona ſunt, & eſſe arbor bona, aut eligere quæ mala ſunt, & eſſe arbor mala . . . hoc ergo Dominus dicens, Aut facite illud, oſtendit eſſe in poteſtate, quod facerent; & quia, ſi bonum eligerent, præmium illius acciperent, ſi malum eligerent, pœnam illius ſentirent*. Quàm Auguſtinus ſententiam non ad ſolos reſtringit fideles, ſed extendit etiam ad Paganos, & Hæreticos, nominatim Manichæos. Fieri autem non potuit, ut *unusquiſque* eorum in voluntate, ſeu poteſtate habuerit, eligere, quæ bona ſunt, & eſſe arbor bona, ſi ex iis omnibus, qui in hæreſi perſtiterunt, nè unus quidem eſſe arbor bona potuerit, aut quæ bona ſunt, eligere, ut iis præmia conſequeretur æterna. Atqui ſi omnes illi perpetuò fide caruerint, ut eos caruiſſe ſupponitur: ſi & juxta Queſnellum caruerint omni gratiâ, quid boni ſalutiferi ab iis præſtari, aut eligi potuit ?

9 Idem Sanctus enarratione in pſalmum 148. num. 2. libro 50. homiliarum homil. 16. *In tuo autem arbitrio Deus eſſe voluit, cui pares locum, Deo, an Diabolo*. Infinita puerorum turba eſt, qui nati parentibus Paganis, vel hæreticis ſtatim ab initio uſûs rationis infidelitatem edocti, eam miſerè hauriunt, in eâque vitam terminantes ad inferos demerguntur. Edicat itaque nobis novus Theologus, quandonam ullus eorum in arbitrio ſuo poſitum habuerit, *ut Deo pararet locum* ? Parare non potuit ſinè gratia, ut omnes contra Semipelagianos credimus; nullam autem adfuiſſe unquam, clariſſimum eſt, *Si Fides ſit prima gratia*: Si *nulla dentur gratiæ, niſi per Fidem*.

10 Certum eſt, infideles (ſi non ſint merè negativi) & hæreticos peccare, omiſſione actuum Fidei, Spei, & Charitatis, Pœnitentiæ, Religionis, quæ tamen præcepta implere ſinè gratia non poſſunt; ſi igitur omni penitùs gratia perpetuò careant, præceptorum illorum obſervatio illis impoſſibilis redditur, tranſgreſſio neceſſaria. Et tamen Auguſtino judice l. 3. de libero arbitrio cap. 18. *Iſta eſt cauſa voluntatis; ſi non ei poteſt reſiſti, ſinè peccato ei ceditur*. Ibid. *Quis peccet in eo, quod nullo modo caveri poteſt? Peccatur autem, caveri igitur poteſt*. Non ergo infidelibus, & hæreticis, etſi nunquam convertendis, denegganda eſt omnis gratia, nè ſæpiſſimè peccent in eo, quod cavere nullo modo poſſunt. Peccarent autem neceſſariò, non ſolùm præceptorum ſupernaturalium omiſſione; ſed etiam quoties gravis irrueret tentatio, quæ ſolis naturæ viribus ſuperari non poſſet, præſertim in Queſnelli ſententia, juxta quam articulo 38. *Peccator non eſt liber, niſi ad malum, ſinè gratiâ liberatoris*; adeôque non eſt liber ad ſuperandas peccatorum illecebras, & reſiſtendum tentationibus, etiam minùs vehementibus. Art. 39. *Voluntas, quam gratia non prævenit, nihil habet luminis, niſi ad aberrandum; ardoris, niſi ad ſe præcipitandum; virium, niſi ad ſe vulnerandum: Eſt capax omnis mali, & incapax ad omne bonum*. Si ſinè gratia voluntas nihil virium habeat, niſi ad ſe vulnerandum, quomodo ſinè gratia reſiſtere tentationibus poterit, maximè violentis ? Itaque quibuſcunque deforet fides, innumera imminerent peccata, quæ effugere nullus eorum aliquâ ratione poſſet.

11 Ante Auguſtinum, Methodius ſerm. de reſurrectione: *In nobis*, inquit, *ſitum eſt credere, & non credere; in nobis rectè facere, & peccare: in nobis bene facere, & malè facere*. Ex omnibus non credentibus juxta Queſnellum nullus poteſtatem credendi, vel quidpiam benefaciendi nactus eſt. Quid enim? Potueruntne credere, aut actus à Fide pendentes elicere ſinè gratia, quæ eis perpetuò denegata eſt, ſi fides dicitur prima gratia ? Non ſolùm ad omnes adultos ex Fidelibus reprobos; ſed etiam ad alios non paucos, qui Fidem nunquam habuerunt, pertinet effatum Gregorii Magni lib. 33. Moralium cap. 20. *Ideo nequaquam cœleſtis Patriæ præmia æterna percipiunt, quia ea, dum promereri poterant, ex libero arbitrio contempſerunt*. Dicat autem Adverſarius, quandonam ullus reproborum infidelium, vel hæreticorum, qui nunquam actu veræ fidei donati ſunt, æterna præmia promereri potuerit. Fide certiſſimum eſt, non potuiſſe ſinè gratia. Hanc nulli adfuiſſe, docetur duobus articulis, quos hic impugnandos, Duce Pontifice Maximo, ſuſcepi.

12 S. Cyprianus l. 3. ad Quirinum cap. 1, hanc præmittit inſcriptionem: *Credendi, vel non credendi libertatem in arbitrio poſitam ex*

Deu-

Deuteronomio, *Ecce dedi ante faciem tuam vitam, & mortem, bonum, & malum: elige vitam tibi, ut vivas*. Libertas credendi ſupponit auxilium gratiæ, ſinè quo credere nullus hominum poteſt. Hanc autem libertatem non ſolis credentibus Cyprianus attribuit; ſed etiam incredulis, & gratiæ ad fidem allicienti perversè reſiſtentibus. Ad omnes ſcilicet abſque diſcrimine, quibus fides ſuſcipienda proponitur, Sanctiſſimi hujus Martyris convertitur oratio. Perſpicuum eſt igitur, fidem non eſſe primam gratiam, quandoquidem plurimi donati gratiâ, libertate credendi, vel non credendi peſſimè abutantur, deteriorem eligentes partem, & infidelitatis tenebras lumini fidei ſtultiſſimâ optione præferentes. Ante omnes Clemens Romanus Pontifex epiſt. 3. ait: *Si quis audiens ſermonem veri Prophetæ, velit recipere, aut nolit amplecti onus ejus, habet in ſua poteſtate; liberi enim ſumus arbitrii*. Gratia itaque, ſinè qua fides nobis, atque adeò credendi libertas impoſſibilis eſt, fidem præcedit, cùm ex audientibus ſermonem veri Prophetæ, plurimi refragentur. In poteſtate ſcilicet habent pro ſua libertate arbitrii, præventi, quantum opus eſt, Divino auxilio, eum recipere; nolunt tamen in obſequium fidei captivare intellectum, & onus ejus ſaluberrimum amplecti.

13 Fidem non eſſe primam gratiam, oſtendi hactenus deducto ſolummodo argumento ex hoc, quòd plurimi, cùm poſſint Divino jam præventi gratiæ auxilio credere, ſua perverſitate detrectent. Eumdem autem errorem convellere non minùs facile erit ex eo, quòd alii gratiis liberè conſentientes, fidem propoſitam ſuſcipiant. S. Auguſtinus libro de Spiritu, & littera cap. 34. *Viſorum ſuaſionibus agit Deus, ut velimus, & ut credamus, ſive extrinſecùs per Euangelicas exhortationes, ſive intrinſecùs* (per interiores gratias) *ubi nemo habet in poteſtate, quid illi veniat in mentem; ſed conſentire, vel diſſentire propria voluntatis eſt. His ergo modis quando Deus agit cum anima rationali, ut ei credat; neque enim credere poteſt quodlibet libero arbitrio, ſi nulla ſit ſuaſio, vel vocatio, cui credat; profectò & ipſum velle credere Deus operatur in homine, & in omnibus miſericordia ejus prævenit nos: conſentire autem vocationi Dei, vel ab ea diſſentire, ſicut dixi, propria voluntatis eſt*. Habemus hìc Deum viſorum ſuaſionibus intrinſecùs in nobis agenrem, ut velimus, & credamus: ubi actio Dei prior eſt conſenſu noſtro libero, & ab illo diſtincta: neque in arbitrio noſtro eſt habere ſuaſionem iſtam, vel non habere; nemo enim in poteſtate habet efficere, vel impedire, quid illi cogitationis, vel ſuaſionis *veniat in mentem*: Sunt nempe cogitationes illæ, & ſuaſiones indeliberatæ, & nobis minimè liberæ, quibus miſericordia Dei prævenit nos, ut velimus credere; huic autem miſericordiæ, ſeu vocationi nos prævenienti conſentire, propriæ voluntatis eſt, ut iteratione didactica Auguſtinus inculcat. Perſpicit itaque quisquis in meridiana luce cæcutire non amat, dari gratiæ auxilium ante fidem.

14 Lib. 83. quæſtionum q. 68. de vocatione ad fidem ſub nomine cœnæ dicitur: *Nec omnes, qui vocati ſunt, venire voluerunt; neque illi, qui venerunt, venire poſſent, niſi vocarentur .... vocatio ergo ante meritum voluntatem operatur*. Ubi evidens eſt, vocationem fide priorem eſſe, & ab eâ ſubinde ſejunctam. Quòd autem vocatio illa ſit interior Dei Gratia, non minùs perſpicuum eſt ex eo, quòd veniendi, ſeu credendi *voluntatem operetur*. Conſtat, gratiam donum Dei eſſe, quod nobis infunditur ſinè nobis, de quo Author libri 2. de vocatione gentium cap. 26. præclarè ſic docet: *Gratia quidem Dei in omnibus juſtificationibus principaliter præeminet, ſuadendo exhortationibus, monendo exemplis, terrendo periculis, incitando miraculis, dando intellectum, inſpirando conſilium, corque ipſum illuminando, & fidei affectionibus imbuendo: ſed etiam voluntas hominis ſubjungitur ei, atque conjungitur, quæ ad hoc prædictis eſt excitata præſidiis, ut Divino in ſe cooperetur operi, & incipiat exercere ad meritum, quod ſuperno ſemine concepit ad ſtudium: de ſua habens mutabilitate, ſi deficit; de gratia opitulatione, ſi proficit. Quæ opitulatio per innumeros modos, ſive occultos, ſive manifeſtos, omnibus adhibetur; & quòd à multis refutatur, ipſorum eſt nequitiæ. Quòd autem à multis ſuſcipitur, & gratiæ eſt Divinæ, & voluntatis humanæ*. Ecce iterum *gratiam, & gratiæ opitulationem omnibus adhibitam*; etſi fides non detur omnibus. Unde liquet, primam gratiam à fide eſſe diſtinctam, & ab ea ſeparabilem, & in omnibus primæ gratiæ, ac propoſitæ ſufficienter fidei diſſentientibus, ſeparatam. Sed & diſtincta eſt in iis, qui vocationi, ſeu gratiæ obſequuntur. Opitulatio enim, ut actio eſt, ad fidem elicíendam dirigitur, atque hæc ejus effectus elucet. Unde & à Tridentinis Patribus obſervatum eſt, debere fidem gratiâ præveniri, ſi non ſemper tempore, ſaltèm neceſſariò naturâ, ut cauſa effectibus ſemper anterior eſt.

15 Præterea dum gratia ad fidem neceſſaria infunditur, ipſa motus quidam in anima indeliberatus eſt, de quo ratio hominis conſultat, annuendumne ſit, an diſſentiendnm. Pia enim cogitatio, & pius volnntatis affectus ſuggeritur à Deo ad quemcunque virtutis

tis actum, etiam fidei; quem motum, affectumque ſubinde homo conſenſu libero amplectitur, ſubinde diſſenſu imprudentet reſpuit. Nam creari, & reſuſcitari homo poteſt non volens, ſed credere nequaquam, ſicut oportet, ut ei ad meritum deputetur, vel ad ulterioris gratiæ conſecutionem, teſte Auguſtino tract. 26. in Joannem, *Multa poteſt facere homo non volens; credere autem non poteſt, niſi volens*. Sic Beda in illud Joannis 6. *Qui audivit à Patre &c.* ait, *quomodo trahit Pater? Nemo neceſſitate credit; ſed voluntate*, ſeu libera electione, quæ neceſſitati opponitur. Fides itaque, de qua agitur, actus hominis liber eſt, arbirrii noſtri, & electionis exercitium, gratiâ præveniente indigens; proinde non infunditur à Deo velut prima gratia.

16 Fidem omnes Theologi agnoſcunt eſſe actum arduum, & obſcurum, qui ſinè conatu noſtro elici non poteſt; ſed neque nos conari poſſumus, niſi prævio gratiæ auxilio à Dei miſericordia excitati. Quod univerſim de omnibus bonis actibus, quibus ad Juſtitiam diſponimur, docet S. Bernardus lib. de Gratia, & libero arbitrio: *Conatus*, inquit, *liberi arbitrii; & caſſi ſunt, ſi non adjuvantur: & nulli, ſi non excitentur*. De omni noſtra ſive ad juſtitiam, ſive ad fidem converſione aſſerit Auguſtinus lib. 2. de peccatorum meritis, & remiſſione cap. 18. *Quod nos ad Deum convertimus, niſi ipſo excitante, & adjuvante non poſſumus*. Gratiam autem èxcitantem eſſe priorem actu, ad quem excitat, per ſe manifeſtum eſt, & ita viſum Patribus Tridentinis. Huic conſonat, quod tradunt Gregorius Magnus lib. 11. moralium cap. 5. Fulgentius libro de Incarnatione versùs finem. S. Proſper libro contra Collatorem cap. 28.

CAPUT II.

Uterque Articulus repugnat definitionibus Conciliorum, & Romanorum Pontificum.

1 Concilium Arauſicanum 2. Canon. 5. ait: *Si quis, ſicut augmentum, ita etiam initium fidei, ipſumque credulitatis affectum . . . non per gratiæ donum, id eſt, per inſpirationem Spiritûs Sancti corrigentem voluntatem noſtram ab infidelitate ad fidem . . . ſed naturaliter nobis ineſſe dicit, Apoſtolicis dogmatibus adverſarius probatur*. Certum eſt, fidem propriè eſſe actum intellectûs; ſed propter difficultatem maximam, quam objecti obſcuritas parit, ad aſſentiendum firmiſſimè, prout fides exigit, neceſſarius eſt in voluntate piæ credulitatis affectus, qui ſuo imperio obſcuritatis obicem perfringat, ſubmittatque intellectum in obſequium fidei. Hic autem credulitatis affectus initium quoddam fidei appellatur, etſi fidei, ſi in rigore loqui lubuerit, extrinſecus ſit, ut cauſa effectui. Patet itaque, affectum illum fide propriè, & ſtrictè dictâ anteriorem eſſe; cumque, ut Concilium definit, nobis obveniat per inſpirationem Spiritûs Sancti, qua voluntas noſtra ab infidelitate ad fidem ſe corrigens, ſalubriter convertatur, non poteſt fides eſſe prima gratia; utpote naturâ poſterior eo Spiritûs Sancti auxilio, quo memoratus credulitatis affectus, ſeu voluntatis imperium eliciendum eſt. Quæ conformia ſunt Auguſtino Tractatu 26. in Joannem dicenti: *Multa poteſt facere homo non volens, credere autem non poteſt, niſi volens*. Et libro de Prædeſtinatione Sanctorum cap. 5. *Non quia credere, aut non credere, non eſt in arbitrio humanæ voluntatis; ſed in electis præparatur voluntas: ideo ad ipſam quoque fidem, quæ in voluntate eſt, pertinet*, Quis enim te discernit? Quid habes quod non accepisti? Ubi fides in voluntate eſſe dicitur, id eſt, ut ibidem explicatur, *in arbitrio voluntatis*, & ab eo dependens, ſive, ut Scholaſtici loquuntur, eſt in voluntate *radicaliter*; quia voluntatis imperium radix, & origo fidei eſt. Sed, inquit Auguſtinus, etſi credere, & non credere ſit in voluntatis arbitrio, ut fidem pro libitu eliciat, vel omittat; quemadmodum ab hæreticis negligitur; ita *in electis præparatur voluntas à Domino*, gratiæ efficacis præſidio, ut certiſſimè conſentiat. Gratia igitur, qua præparatur voluntas, ut obedientiam intellectui imperet, & fidem, utrâque prior eſt. Unde iterum evidens fit, fidem non eſſe primam gratiam.

2 Idem Concilium Canone 14. *Nullus miſer de quantulâcumque miſeriâ liberatur, niſi qui miſericordiâ Divinâ prævenitur*. Igitur nec ſinè *miſericordiâ Divina præveniente* liberatur quis miſeriâ infidelitatis, quæ liberatio credendo fit; adeôque fides non eſt prima gratia; ſed eam alia prævenit miſericordia, ſeu miſericordiæ effectus; non enim Coucilio de ſola Deo intrinſeca, & æterna miſericordia ſermo contra Pelagianos eſt, ſed de miſericordia hominibus tempore præſtita, quæ vulgari nomine *gratia* appellatur.

3 Concilium Senonenſe decreto 15. *Neque tamen tanta gratiæ neceſſitas libero præjudicat Arbitrio; cùm illa ſemper ſit in promptu, nec momentum quidem prætereat, in quo non Deus ſtet ad oſtium, & pulſet, &, ſi quis aperuerit Januam, intrabit ad illum, & cœnabit cum eo*. De omnibus hominibus (exceptis ſaltèm infidelibus negativis) libero præditis arbitrio,

trio, non de infantibus, aut perpetuò amentibus definitio Concilii eſt. Quod ut impoſſibilitatem præceptorum, neceſſitatemque peccandi ab omnibus avertat, quam videretur inferre ſupernaturalis auxilii ad omnem juſtitiam neceſſitas; ideo Deum exhibet in concedendis gratiis adeò liberalem, & copioſum, ut juxta Apocalypſeos oraculum ſemper ſtet ad oſtium, & pulſet, ut, ſi quis aperuerit januam, intret ad illum cum eo cœnaturus. Quod monitum, ut patet, ad omnes, ut ſupra, dirigitur. Verùm, dum omnium animos per gratiam Deus pulſat, incipitne ſemper à gratia, quæ ipſa fides ſit? Hoc ſuppoſito, nulli reperiuntur in hæreſi, & infidelitate perpetuò obdurati.

4 Concilium Tridentinum Seſſ. 6. cap. 3. *Diſponuntur autem*, inquit, *ad ipſam juſtitiam, dum excitati Divinâ gratiâ, & adjuti, fidem ex auditu concipientes, liberè moventur in Deum*. Prius eſt excitari Divinâ gratiâ ad fidem ex auditu concipiendam, quàm fidem concipere. Eadem Seſſione cap. 5. definitur *Juſtificationis exordium in adultis à Dei per* Jesum *Chriſtum præveniente gratiâ ſumendum eſſe; hoc eſt ab ejus vocatione, quâ nullis eorum exiſtentibus meritis vocantur*. Ubi vocationis nomine nullus intellexerit ipſam fidem; vocatio enim etiam ad fidem eſt, non autem ad primam gratiam. Hæc igitur fides eſſe non poteſt, quod manifeſtè vibrato in refragantes anathemate definit ejuſdem Seſſionis can. 3. *Si quis dixerit ſinè præveniente Spiritus Sancti inſpiratione, atque ejus adjutorio hominem credere, ſperare, diligere, aut pœnitere poſſe ſicut oportet, ut ei juſtificationis gratia conferatur, anathema ſit*. Janſeniſtæ hic fœcunda tricis, argutiis, vitilitigationibus pectora concutiant, atque duos cum ſuo auctore contumaci articulos, ſi poſſint, anathematis laqueo eximant, ad quod neceſſe fuerit hæc duo ſimul componere, *Fides eſt prima gratia*: & *ſinè præveniente S. Spiritûs inſpiratione, atque ejus adjutorio homo credere non poteſt ſicut oportet*. Sed credo quòd ſe faciliùs Antipodibus junxerint, terramque Empyreo, quàm catholicum Tridentinæ Synodi canonem, cum utriuſque errore articuli.

5 Non facilior erit ejuſdem erroris conciliatio cum definitionibus Pontificum. Proſcriptus ab Alexandro VIII. fuit inter 31. Articulos hic quintus: *Pagani, Judæi, Hæretici, aliique hujus generis, nullum omnino accipiunt à* Jesu *Chriſto influxum; adeòque hinc rectè inferes, in illis eſſe voluntatem nudam, & inermem abſque ulla gratia ſufficiente*. Nonne, ſi fides ſit prima gratia, ſi nullæ dentur gratiæ niſi per fidem, ut Queſnellus docet, rectè inferes, *Paganos, Judæos, Hæreticos, alioſque hujus generis, nullum omnino accipere à* Jesu *Chriſto influxum; adeòque in illis eſſe voluntatem nudam, & inermem abſque ulla gratia ſufficienti*? Unde, ſi ſuppoſueris ſimul Propoſitionem Queſnelli quadrageſimam, quod ſinè *gratia nihil amare poſſimus, niſi ad noſtram condemnationem*, ſponte fluit error 25. inter Bajanos à S. Pio V., Gregorio XIII., Urbano VIII. proſcriptus, *Omnia opera infidelium ſunt pecata, & Philoſophorum virtutes ſunt vitia*. Hine ſequitur, & alter durior, octavus inter 31. ab Alexandro VIII. damnatos: *Neceſſe eſt, infidelem in omni opere peccare*. Eadem de *Judæis, Hæreticis, aliiſque hujus generis* ratio eſt. Cavere igitur ſibi debebunt à dandis eleemoſynis, honorandis parentibus, defendendis innocentibus, adminiſtranda juſtitia: & vita omnis potiùs ſomno, & otio, quàm honeſtatis actibus tranſigetur. Nè legere quidem iis licebit libros pios, adire conciones catholicas, frequentare, & conſulere ſapientes licebit, à quibus poſſent veritatis ſemitam edoceri.

6 Ubi verò in ullo Pagano, Judæo, Hæretico, tunc reperies poteſtatem credendi, ſive liberam fidei, & pœnitentiæ omiſſionem? Nam fidem, & pœnitentiam ſolis naturæ viribus ſinè gratiâ impoſſibilem eſſe, nemo Catholicus ignorat. Actus autem eſſe impoſſibiles, idem eſt, ac ſi dixeris, eorum omiſſionem eſſe neceſſariam. Sed neque Queſnellus omiſſiones ſimiles, quantumvis neceſſarias, & quæcumque alia, deficiente ope gratiæ, promanantia neceſſariò infidelium peccata, à culpa, ac demerito liberat. In illis igitur *ad demerendum, non requiretur libertas à neceſſitate; ſed ſufficiet libertas à coactione*; Quæ hæreſis damnata eſt in tertia Propoſitione Janſenii. Quapropter non quidem fides eſt prima gratia, & fons omnium aliarum; ſed uterque Articulus eſt fons errorum plurium. Ex quo verò latice ipſe duxerit originem, ſupereſt inquirendum.

7 Unum hìc addo: videri novos Theologos ex Calvino, & ſupra ipſum profeciſſe; qui in Antidoto Tridentini contra Seſſionem 6. *Motus*, inquit, *Spiritûs Sancti ſit eſt efficax, ut fidem ſemper gignat*. Queſnellus ultra progreſſus, ipſum Spiritûs Sancti primum motum, primam gratiam fidem eſſe definit.

CA-

CAPUT III.

Undenam Queſnellus utrumque Articulum acceperit.

1 PRimum novi dogmatis fundamentum deſignat nobis Queſnellus caput 8. Lucæ verſ. 48. ubi Chriſtus mulieri, quam à fluxo ſanguinis liberaverat, dixit: *Filia, Fides tua ſalvam te fecit, vade in pace.* Supponamus fœminam non corpore ſolùm, ſed animo quoque ſanatam fuiſſe, atque à Chriſto utramque ſanitatem attribui fidei; quemadmodum fides non excludit ſpem, & charitatem, quæ ad ſanationem, præſertim animi, concurrerint; ita neque removet omne gratiæ auxilium, quo præveniente, excitante, adjuvante, fides elicita ſit. Sic de altera muliere peccatrice dicitur Luc. 7. v. 47. *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum:* Ubi, quamvis peccata remittit dilectio; non tamen ſinè ſpe, & fide prævia, non ſinè gratia, ex qua naſcitur. Verſu 50. Mulierem Chriſtus alloquens ait: *Fides tua te ſalvam fecit, vade in pace:* Ex quo quidem Lutherani colligunt, ſolâ fide ſinè pœnitentia juſtitiam recuperari. Et quæ hæreſis ex ſacris codicibus fingi nequeat, ſi quidquid dicitur ſimpliciter, cum excluſione alterius intelligatur? Eleemoſynis juxta Scripturas redimuntur, & extinguuntur peccata: Dimittite, inquit Chriſtus, & dimittemini. Ideone injuriarum condonatio, & eleemoſyna, qua noſtrorum à Deo criminum veniam impetramus, excludit neceſſitatem gratiæ præcedentis, ut nihil dicam de motivo charitatis, & pœnitentiæ comitante? *Libenter Dei amor, noſtrum, quem prævenit,* (ſuâ gratiâ) *, ſubſequitur,* inquit, Sanctus Bernardus Epiſtola 107., & nimis dilucidus Tridentini canon eſt 3. Seſſ. 6. anathemate percutiens omnes aſſerentes, *Sinè præveniente Spiritûs Sancti inſpiratione, atque ejus adjutorio, hominem credere poſſe ſicut oportet.* Quem canonem, & vulgatiſſimam ejus doctrinam ſi ignoraverit Queſnellus, neceſſe eſt Theologicam ejus ſcientiam anguſtis finibus circumſcribi; aut, ſi noverit, nimiùm enormis eſt ejus in contemnendo Concilio œcumenico temeritas.

2 Alterum Scripturæ textum arripit Queſnellus 2. Petri 1. verſ. 3. *Omnia nobis Divinæ virtutis ſuæ, quæ ad vitam, & pietatem donata ſunt, per cognitionem ejus, qui vocavit nos, propriâ gloriâ, & virtute.* Quæ locutio indubiè accommoda eſt, quemadmodum illa: *Cœlum tegit omnia,* ubi ſubintelligitur, *præter ſe.* Ita per cognitionem Dei, & Jesu Chriſti omnia nobis donata ſunt, quæcunque nobis poſt eam dona cœleſtia obtigerunt, non ipſa prima Dei, & Chriſti cognitio, cum eâ, quæ neceſſariò ſupponitur, gratiâ; ut ab Eccleſia, quæ optima, & irrefragabilis Scripturarum interpres eſt, columna, & firmamentum veritatis, ſecuriùs, quàm à Novatoribus edocemur. Num alioqui etiam dona omnia, quæ cum ſanctificante gratiâ in Baptiſmo infantes accepimus, per actum Fidei nobis obveuêre? Ita quidem ſomniavit Lutherus ex illo Chriſti: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit; qui verò non crediderit, condemnabitur.* Hinc fingendum ſibi duxit in omnibus, qui baptizantur, infantibus, actum Fidei. Sicut ergo Queſnellus, niſi cum Luthero inſanire maluerit, admittere debet exceptionem donorum ſupernaturalium, & ſanctorum habituum in Baptiſmo infantibus conceſſorum, cùm nobis omnia per fidem obtingere dicuntur; ita ex Tridentini definitione, & totius Eccleſiæ ſenſu, in ipſis Scripturis, & traditione perpetuâ, ut oſtendi, fundatiſſimo, diſcat, gratiam quamdam eſſe fide anteriorem, ſinè qua credere nullus poſſit, neque ad juſtitiam ſe præparare. Quæ poſt conſtitutionem, & contra eam ab adverſariis excogitata ſunt, diſſolvam in ſequentibus.

3 Interim veram utriuſque articuli originem invenio in duobus Janſeniſtarum Ducibus Janſenio ipſo, & Arnaldo. Sic prior lib. 3. de Gratia Salvatoris cap. 11. in titulo „ Infideles carent omni gratiâ ſufficienti ad „ ſalutem tam proximâ, quam remotâ, & „ omnibus principiis ejus. „ Dein in ipſo capite ſic enuntiat: „ Et quidem eos omni „ tali gratiâ carêre, nullam in Auguſtini „ principiis dubitationem continet; quid- „ quid enim diximus, ut Judæos (etiam tem- „ pore legis Moſaicæ) gratiâ ſufficienti ſer- „ vandi præcepta legis caruiſſe probaremus, „ multò validiùs in infidelibus locum habet, „ prout res ipſa per ſe loquitur . . . uterque „ verò ſtatus expers gratiæ eſt, & ab Augu- „ ſtino vocari ſolet, *ante gratiam*, ut per hoc „ ipſum ſignificet, utrumque ſtatum carêre „ gratiâ, non ſolum faciendi; ſed gratia non „ faciendi id, quod prohibetur malum, ſive „ non conſentiendi carnalibus concupiſcen- „ tiis . . . . Oſtendemus duos iſtos ſtatus, ſub „ quorum altero neceſſariò Infideles vivunt, „ non ſolùm omni gratiâ Chriſti deſtitutos „ eſſe, ad cavendas, ſuperandaſque tentatio- „ nes; ſed etiam in ſtatibus illis deeſſe arbi- „ trio libertatem ad bonum: hoc arbitrium „ voluntatis non eſſe liberum ad faciendum

„ aliquem actum bonum; ſed tantummodo „ ad malum, utpote quòd ſub libidinibus „ rerum terrenarum, & carnalium ſervum, „ captivumque teneatur, à quibus niſi per „ ipſam ſolam Fidem liberatoris Chriſti li- „ berari nullo pacto potuit. „ Ibidem. „ Qua propter ſi infideles illa ipſa cupidita- „ te ſincerâ boni carent, ſinè qua eſſe non „ poteſt ullum opus bonum, hoc eſt non „ malum; ſed hæc per propriè dictam gra- „ tiam Dei, Fide credentis præcedente im- „ petratam dari debet, fruſtrà Scholaſtici „ gratiam neſcio quam infidelibus tribuunt „ ante fidem, quâ bene operantes ad fidem „ ipſam provehantur, CUM IPSA FIDES SIT PRIMA „ GRATIA. „ Habemus hîc doctrinam utriuſque Queſnelliani Articuli à Janſenio clariſſimè traditam, & tot phraſibus inculcatam, ut de ſenſu Authoris nulla ſupereſſe cuiquam valear dubitatio. Duos nihilominus ejuſdem textus addo non minùs dilucidos, ex eodem cap. *Hac quoque vera ratio eſt, cur apud Auguſtinum indifferenter uſurpentur, ſinè fide, & ſinè gratia, & ſinè charitate homines implere præcepta non poſſe.*

4 Ibidem „ Ex his omnibus jam abun- „ de manifeſtum eſſe puto, indubitatam „ Auguſtini indolem, ac doctrinam eſſe, quam „ diximus, quòd infideles non ſolùm non „ habeant ſufficientem gratiam ſervandi præ- „ cepta naturalia ante ſuſceptam fidem, „ quod mirabili profectò exorbitatione „ Scholaſtici docuerunt; ſed nullam omnino, „ qua bene vivere poſſint, vel naturalem „ legem ſervare, vel peccata vitare; in ejus „ quippe principiis FIDES EST PRIMA GRATIA. „ Hactenus Janſenius, quem Antonius Arnaldus non ſolummodo duabus grandibus apologiis ante quinque hæreſum damnationem defendere auſus eſt, ſed etiam poſt Sedis Apoſtolicæ cenſuram, totius Eccleſiæ conſenſu, atque obedientiâ ſuſceptam, propugnare contumax perrexit; etſi Janſenius ipſe moriens, publicis teſtamenti tabulis ſe, ſua ſcripta omnia, ac ſententias judicio Romani Pontificis ſubmiſerit. Et quidem Propoſitionem hanc quintam inter 31. ab Alexandro VIII. damnatas *Pagani, Judæi, Heretici, aliique hujus generis nullum omnino accipiunt à* Jesu *Chriſto influxum: adeòque hinc rectè inferes, in illis eſſe voluntatem nudam, & inermem ſinè omni gratiâ ſufficiente*: Hanc, inquam, Propoſitionem Arnaldus tradidit in Denuntiatione peccati Philoſophici, fortè conſilio, quale S. Athanaſius diſputatione 2. contra Arianos in illorum Principe detexit. *Diabolus*, inquit, *Ario perſuaſit, ut quaſi ſub ſpecie adverſarii contra hæreſes loqueretur, quo meliùs falleret, ſuam ipſius hæreſim ſubjiciens.*

5 Neque errorem ſuum Arnaldus poſt cenſuram corrigere voluit, ſed velut equus indomitus, & fræni impatiens, recalcitranſque cenſuram ipſam ferociùs momordit parte nona Difficultatum propoſitarum Domino Steyaert pag. 219. *Obteſtor*, inquit, *omnes ratione utentes, ut conſiderent, quomodo fieri poſſet, ut aliquis Propoſitionis illius quintæ cenſuram componeret, cum hoc Sancti Auguſtini principio, quo ad defendendam Eccleſiam adversùs Pelagianam hæreſim utitur*: GRATIA NON DATUR SECUNDUM MERITA. Imò, Arnalde, rationis uſus te deſtituerit, quando inter damnatum errorem, & catholicam Auguſtini ſententiam connexionem tibi deprehendere viſus es: non enim juxta Sedem Apoſlicam, & omnes ei obſequentes Catholicos, minùs gratuitò conceditur gratia *Paganis*, *Judæis*, *Hæreticis*, aliiſque ejus generis, quàm Fidelibus; imò, quò magis illi gratiâ indigni ſunt, eò minùs apparet, qua ratione Paganis, Judæis, Hæreticis tribueretur gratia ſecundùm merita potiùs, quàm Fidelibus.

6 Pergit Arnaldus pag. 222. *An igitur oportet nuntium remittere omnibus gratiæ adversùs Pelagianos, & Semipelagianos defenſoribus, quia hi conciliari nequeunt cum quodam Inquiſitionis Decreto tot aliunde vitiis laborante.* Ita Pontificis Maximi definitionem deprimit, ut incauti exiſtiment eſſe Cardinalium tantummodo in hæreticorum pravitatem inquirentium Decretum. Iterum Arnaldus pag. 223. *Utinam non permittatur in Eccleſia talis abuſus Decreti memorati, quo obtentu Propoſitionis cujuſdam ancipitis illic condemnatæ adigamini unquam ad abdicandam conſtantiſſimam omnium Sanctorum Patrum Doctrinam, qui Fidem Eccleſiæ adversùs dogmatum de gratiâ corruptores Pelagianos, & Semipelagianos vindicarunt!*

7 Denique pagina 232. *Ex doctrina omnium Sanctorum Patrum contra Pelagianos certantium, & Principum Theologorum certum eſt, non poſſe rejici ſententiam, tanquam falſam, quæ ſtatuit voluntatem Atheorum, & infidelium nudam, & inermem, & ſinè ulla gratia ſufficienti, quando continuò violant Divina mandata.* Ubi quidem inſinuat Arnaldus, omnia opera infidelium eſſe peccata, & virtutes Philoſophorum eſſe vitia, quod in Bajo damnatum, reſuſcitatum à Janſenio, & ab Arnaldo conſtat perpetuò fuiſſe adamatum. Ab hoc ſuo doctore domeſtico didicerit Queſnellus duos Articulos inter cæteros Conſtitutione Unigenitus proſcriptos. Patres verò,

Digitized by Google

verò, & ſcholarum principes, ad quos ſive Arnaldus, ſive Queſnellus provocat, videbimus infra.

CAPUT IV.

Occluditur via benigniori Queſnellianorum Articulorum interpretationi.

1 DEpellendus hic ſupereſt viri mihi colendiſſimi error innoxius circa factum, ſeu ſenſum Queſnelli in utroque intentum Articulo. Theologus iſte, ſacrâ quidem ſcientiâ præclarè inſtructus, ſed novitatum in Belgio, & Galliis ſerpentium ignarus, in animum ſuum inducere haud quaquam poterat, ſenſum utriuſque Articuli, etſi proprium verborum, & cuilibet primùm legenti obvium, Authori Obſervationum Moralium placuiſſe, utpote nimis alienum à communi Fidelium ſententiâ, & Catholicæ veritati, atque Tridentino Concilio aperrè nimiùm repugnantem. Definitionem quidem Synodi, vel ipſius Theologiæ tironibus perſpectam, Queſnello inter Theologos locum ſibi non infimum vindicanti, & tot ejus approbatoribus Sorbonicis, atque Epiſcopis ignotam fuiſſe, apparebat incredibile; cognitam verò, & ſimul contemptam, nefas dicere vel cogitare. Quapropter vir ille, ut ajebam, colendiſſimus utrumque Articulum cenſuit ſignificatione minùs rigidâ intelligendum, ut fidei nomine non accipiatur actus virtutis Theologicæ; ſed pia quædam cogitatio de prudenti credibilitate objecti fidei, & affectus aliquis piæ credulitatis, quæ ut diſpoſitiones, proximumque ad fidem ejus quodammodo ſemen ſunt, ſive ut ab Auguſtino vocantur lib. 1. ad Simplicianum quæſt. 2. *Inchoationes quædam Fidei, conceptionibus ſimiles*; ab aliis fides latè dicta; fortè, inquiebat, apud Queſnellum appellatione fidei veniet integrum complexum, ſeu aggregatum ex credendi actu, & neceſſariis ad eam diſpoſitionibus.

2 Utraque hæc fidei acceptio non videtur peregrina: juxta quam commodè Conciliantur Patres etiam Tridentini; ut cum ſeſſ. 6. cap. 18. dicitur: *Fides eſt humanæ ſalutis initium, fundamentum, & radix omnis juſtificationis*, non opponitur ei, quod definitum eſt canone 3. *Sinè præveniente Spiritus Sancti inſpiratione, atque ejus adjutorio hominem credere* non *poſſe ſicut oportet*. Nam ſive fidem ampliore ſignificatione acceperis, ut primo loco explicatum eſt, ſive magis reſtrictâ, ut ſecundo; poteſt ſemper dici humanæ ſalutis initium; neque obeſt, quòd ſimul credendi actum præveniat gratia. Sic facilè intelligitur illud Auguſtini lib. de Prædeſtinatione Sanctorum cap. 5. *Fides prima datur, ex qua cætera impetrantur, quæ propriè opera nuncupantur*. Verum eſt enim quòd Fides ſit prima inter ea, quæ opera nuncupantur; ſed hoc non impedit, quin primo illo fidei operè gratia prior ſit, ſinè cujus diſpoſitione homo credere non poſſet. Aut, ſi fidem latiùs accipias etiam pro initio quodam, & ſemine fidei, quòd prima ſit de objecti ejus prudente credibilitate cogitatio, quæ nobis infunditur ſinè nobis liberè concurrentibus; pariter verum eſt, quòd illa prima detur, ex qua impetrentur cætera, quæ propriè opera nuncupantur. Sic denique nullo negotio explicabis illud Ambroſii lib. 1. de Sacramentis: *Fides in Chriſtiano eſt prima*; nam & inter Chriſtianas virtutes indubiè prima eſt Fides, & de Fide cogitatio cæteras omnes ſalutiferas antecedit.

3 Sed hæc omnia nihil Queſnellum juvant, neque ſenſum ejus è luto damnationis extrahunt; vult enim ipſe fidem, qui actus virtutis Theologicæ eſt, primam cenſeri gratiam, ita ut fides ſinè ulla præcedente gratia eliciatur, contra graviſſimam Tridentinæ Synodi definitionem, diro in refragantes anathemate metuendam. Contra quam pergit Queſnellus contumax contendere quòd fide quiſquis caruerit, quiſquis infidelis, vel hæreticus eſt, omni penitùs gratiæ deſtituatur auxilio. Hic error ab Alexandro VIII. proſcriptus eſt: Hunc Queſnellus à magiſtro ſuo Arnaldo, & prius à Janſenio edoctus, contra Pontificis cenſuram mordicus ſuſtinere voluit: neque ſe vel poſt Clementis XI. Conſtitutionem, ab eo patitur dimoveri. Hunc itaque ſenſum Propoſitionis utriuſque obvium, à ſe fuiſſe intentum, nec ipſe Queſnellus inficiabitur, & omnes clamant circumſtantiæ, quia & Arnaldi, & Janſenii fuiſſe exploratum eſt; utriuſque autem veſtigia paſſim Queſnellum premere, quis præſentium controverſiarum peritus neſciat? Neque Queſnellus ipſe in ſuis contra Conſtitutionem vindiciis hunc à ſe ſenſum hactenus ſtuduit amoliri. Sed talis eſt ejus defenſio, ut ſi quod aliunde de ſenſu ejus fuiſſet dubium, omnem illa ad benigniorem interpretationem occludat aditum. De quo ampliùs ſequentibus capitibus convincemur.

CAPUT V.

Solvuntur quæ adverſarii objiciunt contra cenſuram Propoſitionis vigeſimæſextæ.

1 Quamvis eadem ſit Propoſitionum vigeſimæſextæ, & vigeſimæſeptimæ ſignificatio, ac proinde idem virus, eadem damnationis ratio; quia tamen adverſariis placuit, Propoſitiones ſingulas apologiis ſpecialibus vindicare, eamdem ſequor in reſponſionibus diviſionem, eumdem ordinem. Author libri Gallici cui titulus: *Conſtitution de Notre Saint Pere le Pape* Clement XI. *du* 8. *de Septembre* 1713. *avec des obſervations*, qui paſſim creditur Queſnellus, pro 26. Articulo adducit illud Auguſtini libro de Gratia, & libero arbitrio, cap. 14. *Spiritus gratiæ facit, ut habeamus Fidem, ut per fidem impetremus orando, & poſſimus facere, quæ jubemur. Ideo ipſe Apoſtolus aſſiduè legi præponit fidem, quoniam quod lex jubet, facere non valemus, niſi rogando impetremus, ut facere valeamus.* Dein ex Auguſtini Epiſtola 145. objicit illud: *Fides impetrat ſpiritum largiorem.* Ex eo quod ſpiritus gratiæ faciat ut habeamus fidem, non rectè colligitur, ſpiritum gratiæ dari per fidem; ſed potiùs fidem dari per gratiam: atque hanc eſſe priorem fide, ut cauſa prior effectu eſt, ſi non tempore, ſaltèm naturâ. Quod autem fides impetret ſpiritum largiotem non officit, quo minùs ipſa fides ex gratia ſit, & quidem ex gratia, quæ à fide diſtinguitur, eamque *præcedit*, ut ſeſſionis 6. Tridentino canone 3. definitur.

2 Perſpicuum eſt, quod Auguſtinus lib. de Gratia, & libero arbitrio cap. 13. ait: *Gratia per fidem* Jesu *Chriſti, eorum tantummodo eſt, quorum eſt ipſa fides.* Quomodo enim ea, quæ non niſi per Chriſti fidem eſt gratia, illorum ſit, qui fide deſtituuntur? Gratia Chriſtianæ ſpei, & charitatis, gratia pœnitentiæ, quæ per fidem Chriſti eſt, non niſi ejus fidem habentibus datur. Sed quid inde ad probandum quòd ſimpliciter, & abſolutè nulla prorſus gratia ſit, niſi per fidem, nec ipſa fides gratiam velut diſpoſitionem prævium ſupponat? *Pelagiani*, inquit Auguſtinus, *auſi ſunt dicere, gratiam eſſe naturam, in qua ſic creati ſumus, ut habeamus mentem rationalem, qua intelligere valeamus, facti ad imaginem Dei, ut dominemur piſcibus maris, & volucribus cœli, & omnibus pecoribus, quæ repunt ſuper terram; ſed*, ut rectè Auguſtinus obſervat, *non hæc eſt gratia, quam commendat Apoſtolus per fidem* Jesu *Chriſti; hanc enim naturam etiam eum impiis, & infidelibus certum eſt nobis eſſe communem; gratia verò per fidem* Jesu *Chriſti, eorum tantummodo eſt, quorum eſt ipſa fides; non enim omnium eſt fides.*

3 Sanctum Doctorem inter, & Pelagianos nunquam diſceptatio fuit, utrum fides ſit prima gratia; an verò ipſam fidem gratia aliqua ſupernaturalis præcedat; ſed an aliqua præter naturam nobis gratuitò datam, quam Pelagiani ad fallendam Eccleſiam nomine gratiæ prædicabant, gratia ſuperioris ordinis admittenda ſit. Affirmat Auguſtinus, & ad elidendam adverſantium aſtutiam, invictè demonſtrat ex eo, quod admittenda ſit *gratia, quam commendat Apoſtolus*, quæ datur *per fidem* Jesu *Chriſti*: Nam, inquit S. Doctor, natura communis eſt omnibus, etiam Paganis; fides autem Chriſti non eſt omnium: igitur gratia, quæ, teſte Apoſtolo, datur per Fidem Chriſti, non eſt natura. Argumentum ſimile eſt ei, quod formaretur ex oratione: Promittit Deus *ſpiritum bonum petentibus ſe*: Ubi certum eſt per ſpiritum bonum intelligi gratiam ſalutiferam Spiritus Sancti; atqui hic non promittitur natura, quæ etiam infidelibus, & impiis non petentibus, non orantibus communis eſt: igitur aſſerenda quædam eſt gratia alterius ordinis, quam ſit natura. Sed quemadmodum hinc nullâ ratione ſequitur, orationem eſſe primam gratiam, neque ex prævenіente gratia neceſſariò concipiendam; ita neque ex priori argumento ſequitur, fidem Jesu Chriſti eſſe cum prima gratia confundendam. Sed hæc fallacia Queſnello familiaris eſt, ut ex particulari effato inferat univerſale, ut hic: Aliqua gratia admittenda eſt, quæ non datur, niſi per Fidem Chriſti, ut gratia ſpei Chriſtianæ, charitatis, pœnitentiæ; ergo omnis gratia datur per fidem, ita ut fidem ipſam nulla gratia antecedat, nihil gratiæ obveniat hæreticis, aut infidelibus. Sinè dubio juxta Apoſtolum agnoſcenda eſt fides aliqua, quæ per dilectionem operatur: hinc ſolito ſuo ratiocinandi acumine Queſnellus contra Tridentinum infert, omnem fidem per dilectionem operari, nullam per timorem; imò nullam eſſe ſinè charitate. Sed de hoc alibi.

4 Objicitur ex lib. 1. operis imperfecti cap. 83. *Gratia Dei Chriſtianis eſt propria; non Chriſtianis, Gentilibuſque communis.* Cujus quidem veriſſimus ſenſus eſt, accipiendo gratiam pro habitu, quo juſti reddimur; hæc enim gratia Chriſtianis propria eſt, non infidelibus communis: & licèt à Chriſtianis ſubinde peccantibus amittatur; Chriſtianorum tamen ſtatui rectè dicitur propria, non infidelium. Sic gratiæ vocabulum intelligitur

tur ab Auguſtino lib. 1. de Peccatorum meritis, & remiſſione cap. 9. *Ille, in quo omnes vivificabuntur, præterquam quod ſe ad juſtitiam exemplum imitantibus præbet; dat etiam ſui ſpiritûs occultiſſimam gratiam, quam etiam latenter infundit & parvulis*, ad quos rationis impotes actuale auxilium non extenditur. Sic gratia accipitur à S. Baſilio lib. de Spiritu S. cap. 26. Sancto Ambroſio lib. 6. Hexaemeron cap. 8. Hieronymo comment. in Epiſt. ad Philemonem.

5 Intelligi quoqne poteſt Dei gratia actualis propria Chriſtianis, non infidelibus communis; quia Lex nova Chriſtianorum cordibus inſcripta per Spiritum Sanctum, adjuvat fideles, non alios legis illius expertes. Propria etiam Chriſtianis eſt propter Sacramenta, quibus gratiatum copia ſubminiſtratur: neque hæc gratia infidelibus communis eſt. Unde hic panis propriè filiorum, & fidelium dicitur, non gentilium, qui canibus comparantur; quibus panis filiorum communis non eſt; quamvis, & micarum ſubinde de menſa Domini cadentium participes fiant.

6 Ipſe Auguſtinus gratias aliquas, & quidem ſufficientes in adultis omnibus agnovit libro 83. Quæſtionum quæſt. 68. de æterna beatitudine ſub nomine cœnæ magnæ à Chriſto ſignificatâ Luc. 14. ſic aſſerens: *Nec illi, qui noluerunt venire, debent alteri tribuere; ſed tantùm ſibi: quoniam, ut venirent, vocati erant in libera voluntate*. In numero eorum procul dubio ſunt Judæi increduli, & infideles cæteri, quibus proinde non defuerit omnis gratia; nè Deum invitatorem facias fraudulentum, vel inſipientem, dum vocat, quos novit venire non poſſe: niſi Deum pariter & Auguſtinum ſtatuas Pelagio patrocinantem, ſi vocationem ſinè gratia homines ſequi poſſe cenſuiſſet. Quare meritò idem Sanctus Doctor lib. 2. de Sermone Domini in monte cap. 15. ait. *Nullam animam eſſe, quamvis perverſam, quæ tamen ullo modo ratiocinari poteſt, in cujus corde non loquatur Deus*. In Pſalm. 18. expoſitione iſtius *Nec eſt qui ſe abſcondat à calore ejus*, ſic Auguſtinus: *Cùm autem verbum etiam caro factum eſt, & habitavit in nobis, mortalitatem noſtram ſuſcipiens, non permiſit, ullum mortalium excuſare ſe de umbra mortis; & ipſam enim penetravit verbi calor*. Cui conſonans Anthor lib. 2. de Vocatione gentium cap. 29. ait, *ut neque ulli pereuntium excuſatio ſuppetat de abnegato lumine veritatis*. Quàm hæc remota ſunt à damnato Articulo, qui univerſos homines, exceptis Fidelibus, omni prorſus gratiâ ſpoliat!

7 Augnſtinus de ipſis, ut apparet, reprobis, & excæcatis ait: in Pſalmum 6. *Dedit eos in reprobum ſenſum; nam ea eſt cæcitas mentis: in eam quiſquis datus fuerit, ab interiore Dei luce ſecluditur; ſed non penitùs dum in hac vita eſt*. Quis dicat, incredulos Judæos nihil unquam habuiſſe gratiæ, quibus tamen exprobrabat Stephanus Act. 7. *Vos ſemper Spiritui Sancto reſiſtitis*? Quomodo in ſenſu proprio, & obvio 1. Tim. 4. dicitur Deus *Salvator omnium hominum, maximè Fidelium*; ſi nè minimam quidem gratiam ulli infidelium Deus præparaverit, quâ ullus eorum ſalvari poſſit, niſi qui re ipſa converſi ſunt?

8 A mendacio nunquam adverſarius expediet illud 2. Petri 3. *Nolens aliquos perire, ſed omnes ad pænitentiam reverti*. Nullus hìc peccator excluditur, nullns infidelis. Poteſtne autem ullus adultorum effugere exitium ſempiternnm, vel pœnitentiam agere abſque ullo gratiæ ſubſidio ſaltèm oblato? Nullos Deus excipit, cùm ait Apoc. 3. *Ecce ſto ad oſtium, & pulſo: ſi quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi januam, intrabo ad illum*. Solus Pelagius cum ſuis exiſtimaverit, quempiam aperire Deo januam poſſe ſinè gratia. Non igitur infideles abſque omni cœleſti auxilio, & gratia deſeruit.

9 Inſtant adverſarii illo Sancti Auguſtini Sermone 154. *Pagani, qui non habent gratiam Dei per* JESUM *Chriſtum*. Hæc Sancti Antiſtitis verba pridem ſibi objecit Cardinalis Aguirre, cujus patrocinium ſibi Janſeniſtæ, præcipuè Queſnellus, tantopere ambiunt. Sic autem Eminentiſſimus reſpondet in Theologia Sancti Anſelmi Diſput. 128. ſect. 1. de gratia infidelium „ Illa
„ licèt per Chriſti merita concedatur, non
„ dicitur gratia Chriſti; etenim juxta phra-
„ ſim S. Auguſtini, gratia Chriſti propriè,
„ & per ſe dicta ſolùm eſt illa, quæ ejuſdem
„ Chriſti cognitionem, & fidem involvit;
„ quam certè non affert gratia illa commu-
„ nitet gentilibus data ante prædicationem.
„ Eoque ſenſu Sanctus Doctor Sermone 5.
„ de Verbis Apoſtoli cap. 11. ait: *Pagani non*
„ *habent gratiam Dei per* JESUM *Chriſtum Do-*
„ *minum noſtrum*. Nimirum quoniam, ut ipſe
„ inquit lib. de Gratia, & libero arbitrio
„ cap. 15. *Gratia per Fidem* JESU *Chriſti, eo-*
„ *rum tantummodo eſt, quorum eſt ipſa Fides*.
„ Et S. Proſper lib. 2. de Vocatione gentium
„ cap. 17. palàm diſtinxit inter gratiam Chri-
„ ſti, & auxilium illud gratiæ commune gen-
„ tilibns: *In extremis mundi partibus*, ait,
„ *ſunt aliquæ nationes, quibus nondum gratia*
„ *Salvatoris illuxit, ... Quibus tamen*
„ *illa menſura generalis auxilii, quæ deſuper*
„ *omnibus ſemper hominibus eſt præbita, non ne-*
gatur.

„ *gatur*. Quantulacunque verò demum ea „ ſit, ex meritis Chriſti procedit ad omnes „ eos, quibus conceditur, & nemini pror- „ ſus negatur auxilium ſufficiens ad illam; „ ut ex tot Scripturis, & Patrum teſtimoniis „ colligitur.

CAPUT VI.

Nihil juvatur Adverſarius ex quodam Pelagii effato. Doctrina Catholica ulteriùs ſtabilitur, & confutatur hæretica.

1 Adverſarius ſuffragatorem tandem ſibi adſciſcit Hæreſiarcham Pelagium, qui ab Auguſtino, libro de Gratia Chriſti cap. 31. refertur aſſerens, *Quam arbitrii poteſtatem dicimus in omnibus eſſe generaliter: in Chriſtianis, Judæis, atque Gentilibus. In omnibus eſt liberum arbitrium æqualiter per naturam; ſed in ſolis Chriſtianis juvatur à gratia*. Ubi, etſi ex animadverſione ipſius Auguſtini conſtet, Pelagium nomine gratiæ nihil intelligere, niſi *Legem, atque Doctrinam*; tamen ita placet adverſario, ut Pelagium dicat cum Catholicis locutum. Verùm, ſi communis Catholicorum locutio Pelagianæ ſimilis in promptu fuerat, non debuit adverſarius ſolum producere Pelagium teſtem, utpote à nobis facilè recuſandum. Quanquam & hæreſiarchæ verbis, quoniam Queſnellus ita vult, ſenſum dabimus tolerabilem, ſed neque Pelagio, neque damnato hìc Articulo conſentientem. *In ſolis*, inquit Pelagius, *Chriſtianis liberum arbitrium juvatur à gratiâ*: quamvis enim gratia etiam ſubinde Judæis, atque Gentilibus concedatur; non tamen eorum liberum arbitrium per eam *juvatur*; quia eam ipſi ſua pervicacia repellunt.

2 Deus quidem Apocalyp. 3. *Ecce*, inquit, *ſto ad oſtium & pulſo, ſi quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi januam, intrabo ad illum*, Quæ divina ſententia ad omnes, & ſingulos ratione utentes dirigitur: nulla alicujus Judæi, aut Ethnici fit exceptio. Pulſus, divina vocatio, monitio, ſuaſio eſt, & adjutorium quoddam in actu primo, ut in ſcholis loquimur; ſed non in actu ſecundo, ſeu reipſa adjuvans, quod vocem Dei audiens reſiſtat, & oblatum repellat adjutorium. Unde cùm obſtinati Judæi, & Gentiles Divinis oraculis obturent aures, Deum ad ſe ingredi volentem admittere nolint, præparato ſibi auxilio non *juvantur*. 2. Theſſal. 2. *Charitatem veritatis non receperunt, ut ſalvi fierent, ideo mittet illis Deus operationem erroris*; unde quidem rectè inferes, eos charitate veritatis, quam recipere noluerunt, non fuiſſe *adjutos*; ſed non à Deo illis ſemper fuiſſe denegatam, nullatenus oblatam.

3 Iſaiæ 65. & Rom. 10. *Expandi*, inquit Deus, *manus meas tota die ad populum non credentem, & contradicentem*. Quæ Divinæ manûs extenſio ab incredulis, & perpetuò contradicentibus contempta, atque inhumaniter repulſa, contemptores non *adjuvat*; non tamen illi ſalvâ veritate dicere poterunt, ſe à Deo fuiſſe abſque ulla gratia ab initio, & perpetuò derelictos. Aliud ſcilicet eſt, adjutorium non habere in promptu, aliud eo non uti, ſive eo non re ipſa *adjuvari*. Partes ſuas abunde implevit medicus, ſi medicinam ægro, non præſcripſerit ſolummodo, ſed etiam porrigens hortatus eum fuerit ad ſumendum; quod ſi æger pervicax rejecerit, etiam infuſum ori ultro exſpuens, veriſſimè dicetur quòd medicina nolentem ægrum non *adjuverit*; ſed non quòd ſalubris ei medicina, & ſufficiens adjutorium denegatum ſit. Sic puero, & cuicunque pedibus infirmo oblata fuerit ductoris manus; ſi ab eo repellitur, non gradietur is quidem, quia non vult, atque ita nec à duce *adjuvatur*; non tamen defuiſſe ſibi auxilium affirmaverit abſque mendacio. Princeps vicino ſuo benevolus, ſi ſuppetias adversùs invaſorem ſufficientes ſubminiſtret, adjuvat eum quidem quantum in ſe eſt; ipſe tamen, cui auxilium mittitur, non *adjuvatur*, ſi ſubſidium inurbanus rejecerit, vel ignaviâ torpens, & manus conſerere cum hoſte nolens, ſubſidio oblato, vel etiam accepto, ad defenſionem uti, eique cooperari detrectaverit.

4 Sic de Deo S. Chryſoſtomus hom. 7. in Joannem, *Illuminat*, inquit, *omnem hominem venientem in hunc mundum: Illuminat profectò, quantum in ipſo eſt. Si qui autem ſponte ſua mentis oculis conniventibus ad hujus lucis radios aciem dirigere noluerunt, non ex luminis naturâ in tenebris perſtiterunt, ſed ex malitiâ ſuâ*. Ibidem, *Gratia in omnes diffuſa eſt; non Judæum, non Græcum, non Barbarum, non Schytam, non liberum, non ſervum, non virum, non mulierem, non ſenem, non juvenem excipit, aut dedignatur: Omnibus eadem eſt, omnibus ſe facilem exhibet, omnes pari honore advocat: Qui autem ejus munere frui negligunt, hanc ſuam cæcitatem ſibi ipſis imputent; cùm enim detur omnibus, omnibus pateat, & à nemine prohibeatur, perditi quidam, & nequam homines propriâ dumtaxat malitiâ ingredi recuſant*.

5 Idem Rom. 9. ſerm. 19. *Sed, & quantum in ſe fuit, Pharaonis miſertus eſt. Quod autem*

autem ſalvatus non ſit, totum per ſuam ipſius voluntatem ſtetit; ita ut quantum ad eum attinebat nihil illis, qui ſalvati ſunt, minus habuerit. Habuit igitur gratiam, quamvis illâ ad ſalutem uti, atque adjuvari noluerit; ſed eam ingratus, & pertinax rejiciens, peccata ſua, & ſupplicia auxerit. Adjutus itaque non fuit; quia noluit, etſi gratia adjuvare parata ei non penitùs denegata ſit. Quod aliquibus qui ſalvati ſunt, *nihil minus* habuerit Pharao, intellige de excitante gratia, non de cooperante, quam admittere recuſavit: quidquid ſit de diſtinctionis genere inter excitantem, adjuvantem, & cooperantem gratiam, in Catholicorum ſcholis controverſo.

6 Fruſtrà igitur Queſnellus damnato errori ſuo ſuffragium ſperet vel ab ipſius hæreſiarchæ ſubdoli doloſiſſima ſententiâ. Tam pulchra tamen adverſario viſa eſt, ut non vereatur hanc ex ea concluſionem ducere: *Si Roma damnando Articulum in gratiam Moliniſtarum, & Sfondratianorum, proſcribere voluerit tot Sanctorum effata, & limites tranſgredi, quos veritus eſt Pelagius; vel ex hoc, quid de Conſtitutione cenſendum ſit, facilè ſtatues.* Adeò Auguſtini Iprenſis diſcipuli ex Calvino, & Kemnitio profecerunt, ut dum hi Tridentinos Patres proſcidêre, velut Pelagii ſectatores, Queſnellus cum ſuis Apoſtolicam Sedem Pelagio faciat deteriorem. Intercepta in Belgio prope Aldenardam fuit Janſeniſtarum arcana clavis, qua in literis ſuis *Romam*, velut præcipuam Semipelagianorum arcem, *Maſſiliæ* nomine ſignificabant, Romanumque Pontificem nomine *Patris Generalis*, utique *Maſſilienſium*. Dum verò myſterium iniquitatis detectum, & palàm typis editum eſt, experta Janſenianorum ſecta hinc ſibi conflari non levem apud Catholicos invidiam, hanc à ſe frivolis tunc quidem obtentibus amoliri voluit: ſed, dein prodeunte Conſtitutione *Vineam Domini Sabaoth*, ubi, quidquid tricarum, & fallaciæ filiis ſuis pater mendacii ſuggeſſerat, Petrus per Clementem XI. ſubvertit, diceres Janſeniſtas fictitiæ pietatis, & modeſtiæ, veræ hypocriſis pœnituiſſe. Tunc enim Ægidius Candidorum Janſeniſtarum Princeps in *Denuntiatione ſolemni Bullæ Clementinæ* pag. 5. ita Schiſmatis ſui claſſicum buccinavit: *Hodie* Clemens *Pontifex juniorum Pelagianâ fuligine tinctorum, qui aſſiſtunt ei, conſilia ſequens, ab antiqua SS. Prædeceſſorum ſuorum documentis recedens, a Scripturis Sanctis, à Sacris Conciliorum canonibus, & probatorum in hac materia Eccleſiaſticorum Procerum traditis clarè deviat.*

7 Pag. 6. Eccleſiam alloquens: *Quod ergo*, inquit, *aut unde, prudentiſſima Mater, in tam magnis anguſtiis ſperandum nobis conſilium, aut præſidium? Nullum jam utique ab Urbe Româ, quæ à variis doloſiſſimis ſtratagematibus circumventa in Molinianas tendiculas immiſit pedem. Egreſſa eſt iniquitas à ſenibus judicibus Vicariis ejus, qui videntur regere populum tuum.* Ita novus Daniel Romanum Pontificem, Cardinales, & Apoſtolicæ Sedis conſultores Theologos, quia Innocentii X., & Alexandri VII. contra Janſenii hæreſim cenſuras eludi non patiuntur, ſpurciſſimis comparat Suſannæ accuſatoribus. Sed unde Ægidio huic *conſilium* tandem, aut *præſidium*? Nè aſylum quidem in Belgii Catholici provinciis reperiens, quærendum duxit apud Batavos, illic certius prò nova ſua Eccleſia conſilium accepturus, & præſidium, quàm *ab Urbe Roma*, hæreſibus ſemper contrariâ. Proſequitur Ægidius pag. 8. *Exurgite igitur, ò Sacri Proceres, eripite charæ Matris veſtræ naviculam, quam ipſe Navarchus in ſyrtes agit, à præſentiſſimo, ac diro naufragio.*

8 Pag. 11. *Profectò quàm non ſatìs hodie in horrore Pelagiana Romæ ſit peſtilentia, vel ex eo ſolo conſtare poteſt, quòd abominabilis ille liber Cardinalis Sfondratii, cui nomen* Nodus prædeſtinationis diſſolutus, *Pelagium, Cæleſtium, Julianum multis capitibus ſupergreſſus, ibidem exquiſitiſſimis ornatus approbationibus in prælum ierit.*

9 Idem in *Auguſtino Iprenſi Vindicato* pag. 275. *Totum prope mundum apertè poſt Pelagium, & Molinam abire cernimus, atque ipſa in primis Italia perquàm malè audit in illo genere.*

10 Aliàs ad fallendos ſimplices mentiuntur Janſeniſtæ, totam ferè Eccleſiam, exceptis Jeſuitis, Janſenio conſentire; nunc Candidorum Janſeniſtarum Princeps cernit totum prope mundum poſt Pelagium abire, atque ipſam in primis Italiam, cui Roma credendi norma eſt. Tanta Ægidii audacia initio diſplicuit ipſi Queſnello; quia Janſeniſtarum ingenium præproperè propalare videbatur. Hinc ſcripto publico ea à Queſnello reprehenſa temeritas eſt; Ægidio verò reprehenſionem indigniùs ferente, cœpta quædam inter utriuſque Janſenianæ ſectæ principes velitatio; donec damnatis Queſnelli 101. Articulis, hic non ampliùs ſibi diſſimulandum ratus, modeſtiæ larvam abjecit, & nunc ipſe *Romam* veluti *Pelagii limites ſupergreſſam* arguit. Sed facilè repellitur, omnes impudentiæ, & calumniæ limites ſupergreſſum convitium; nam neque damnatus Queſnelli Articulus ullum è Patribus ſuffragatorem, neque oppoſita Articulo cenſura commune quidpiam

piam habet cum Pelagio.

11 Paulus Oroſius inter primos Auguſtini diſcipulos, ipſi coætaneus, & amicus, qui eo vivente Pelagium aggreſſus in Apologetico pro *libertate arbitrii* ſic illum affatur. *Mea ſemper hæc eſt fidelis, & indubitata ſententia, Deum, adjutorium ſuum, non ſolùm in corpore ſuo, quod eſt Eccleſia, cui ſpecialia ob credentium fidem dona largitur; verùm etiam univerſis in hoc mundo gentibus, propter longanimem ſui, æternamque clementiam ſubminiſtrare: non, ut tu aſſeris cum diſcipulo tuo Cæleſtio, cui jam apud Africanam Synodum occulta illa impiorum dogmatum natura contuſa eſt, in ſolo naturali bono, & in libero arbitrio generaliter univerſis unam gratiam contributam; ſed ſpeciatim quotidie per tempora, per dies, per momenta, per atomos, & cunctis, & ſingulis miniſtrare.* Poſt plura ſic concludit: *Ex quo evidentiſſimè declaratum eſt, nemini hominum deeſſe adjutorium Dei; præſertim cum, & ſeductor adſiſtat, & inſit infirmitas.*

12 Quid hic conſentiens Pelagio, quid non directiſſimè adverſum? Pelagius *ſolum naturale bonum, & liberum arbitrium* Deo acceptum refert: Oroſius præterea Dei adjutorium ſuperioris ordinis, utpote omni *naturali bono*, ſuperadditum ſtatuit. Pelagius, & diſcipulus ejus Cœleſtius liberum arbitrium in ſolis Chriſtianis juvari ajebant per gratiam, qua ſolam intelligerent legem, atque doctrinam, ideoque *impiorum dogmatum natura* ab Africanis Patribus, teſte Oroſio, *contuſa* eſt. Hic autem Auguſtini diſcipulus cum Sanctiſſimo ſuo Magiſtro, ultra liberum arbitrium, legem, doctrinam, & quodcunque beneficium naturalis ordinis, *Deum, adjutorium ſuum univerſis in hoc mundo gentibus propter longanimem ſui, æternamque clementiam ſubminiſtrare aſſerit*, & quidem, *cunctis*, & ſingulis, ad declinandas *ſeductoris* inſidias, & carnis noſtræ ſublevandam *infirmitatem*, atque illecebras concupiſcentiæ ſuperandas.

13 Ita inquam Oroſius cum Sanctiſſimo ſuo Magiſtro, qui, ut ſupra notavi in Pſalm. 18. ad illud, *Nec eſt, qui ſe abſcondat à calore ejus*, ſic obſervat; *Cùm autem etiam Verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis, mortalitatem noſtram ſuſcipiens, non permiſit, ullum mortalium excuſare ſe de umbra mortis: & ipſam etiam penetravit Verbi calor.* Quid ad præcidendam omnibus mortalibus excuſationem faceret, ſi umbram mortis in aliquibus tantùm penetraſſet, omnes fidei munere non imbutos abſque omni deſerens cœleſti lumine, & calore? Ab hac duritie adeò remotus eſt Auguſtinus ut nulli prorſus homini rationis capaci cœleſtium illuſtrationum gratias denegari patiatur, lib. 2. de Sermone Domini in monte cap. 15. loco ſuperiùs indicato dicens, *Nullam animam eſſe, quamvis perverſam, quæ tamen ullo modo ratiocinari poteſt, in cujus corde non loquatur Deus.*

14 Hipponenſem Antiſtitem, relictis ſpuriis quibuſdam, & ſolo nomine diſcipulis, omnes probi ejus ſectatores, & divinæ gratiæ contra Pelagium vindices imitati ſunt. Inter quos clariſſimus Author librorum de vocatione Gentium, qui paſſim Proſpero tribuuntur, lib. 1. cap. 31. *Credimus*, inquit, *nullis hominibus opem gratiæ in totum fuiſſe ſubtractam*, juxta Queſnellum ſubtrahitur omnibus infidelibus, quia, *Nulla dantur gratia, niſi per Fidem.*

15 Ibidem dicitur: *Elaboratum eſt, quantum Dominus adjuvit, ut non ſolùm in noviſſimis diebus; verùm etiam in cunctis retro ſeculis probaretur, gratiam Dei omnibus hominibus adfuiſſe; Quoniam, ſive manifeſtè, ſive occultè, ipſe eſt, ut Apoſtolus ait, Salvator omnium hominum, maximè fidelium.* Queſnellus adeò non patitur dici opem gratiæ omnibus hominibus adeſſe, ut aſſertores ejus Pelagio quodammodo æſtimet deteriores. Quam calumniam neceſſe eſt impingat etiam Apoſtolo, qui, aſſerendo Deum Salvatorem omnium hominum, maximè fidelium, fundamentum præſtitit Eccleſiæ, credendi Chriſtum non ſolis fidelibus; ſed etiam aliis de ſua gratia proſpexiſſe, ſinè qua ſalutem fore impoſſibilem, nullus Catholicus ignorat.

16 Doctorem Angelicum eſſe *fideliſſimum Auguſtini interpretem*, aſſerente ipſo Janſenio, inficiari Queſnellus non poterit. Is in Caput 12. epiſtolæ ad Hebræos lectione 3. Divinam in omnes homines clementiam, & in præbendo omnibus gratiæ ſubſidio liberalitatem ita teſtatur: *Deus vult omnes homines ſalvos fieri, & ideo gratia nulli deeſt; ſed omnibus quantum in ſe eſt, ſe communicat:* Quomodo gratia nulli deeſt, ſi deeſt tot millionibus infidelium? Imò, ſi longè pluribus deſit, quàm adſit, numero infidelium fideles plurimùm ſuperante?

17 In caput 6. Joannis: *Cor humanum ex ſe ad inferiora tendens non poteſt ſurſum elevari, niſi tractum: ſi verò non elevatur, non eſt defectus ex parte trahentis, qui quantum eſt in ſe, nulli deficit; ſed eſt propter inpedimentum ejus, qui non trahitur . . . Deus enim omnibus ad trahendum manum porrigit quantum in ſe; &, quod plus eſt, non ſolùm attrahit manum recipientis; ſed etiam averſos ad ſe convertit ... ex quo ergo Deus paratus eſt dare omnibus gratiam, & ad ſe attrahere, non imputatur ei, ſi aliquis non accipiat; ſed ei, qui non accipit.* Quis

hæc

hæc componat cum damnato Articulo, juxta quem, ut *nulla dantur gratia, niſi per Fidem*, nullæ concederentur infideli. Angelicus autem exiſtimat, adeſſe omnibus, quia Deus quantum in ſe eſt, nulli deficit, ſed omnibus manum porrigit, ut eos ſurſum elevet ad fidem, juſtitiam, & ſalutem.

18 Celebris eſt ejuſdem Angelici ſententia de puero in ſilvis inter bruta animantia educato quæſtione 14. de veritate Art. 11. *Si aliquis nutritus in ſilvis, vel inter bruta animalia, ductum rationis ſequeretur in appetitu boni, & fuga mali, certiſſimè eſt tenendum, quòd ei Deus vel per internam inſpirationem revelaret ea, quæ ſunt ad credendum neceſſaria, vel aliquem fidei prædicatorem ad eum dirigeret, ſicut miſit Petrum ad Cornelium &c.* Idem tradit lectione 3. in caput 10. Epiſt. ad Romanos addens: *Sed tamen hoc ipſum quod aliqui faciunt quod in ſe eſt, convertendo ſe ſcilicet ad Deum, ex Deo eſt movente corda ipſorum ad bonum.* Si ſequentibus ductum rationis in appetitu boni, & fuga mali, Deus revelaturus ſit ea, quæ credi oportet: Si & illa hominis ad fidem præparatio ſit ex gratia, hæc ſinè dubio non datur per fidem, utpote gratiâ poſteriorem, ejuſque effectum.

CAPUT VII.

Proponitur Sententia Cardinalis Aguirre, & P. Antonini Maſſouliè ex Ordine Sancti Dominici.

1 SUſpicionem, ut ſupra vidimus, ingerere conatur adverſarius, quaſi in Moliniſtarum, & Sfondratianorum gratiam Roma Queſnelli articulum proſcripſerit. Frivolum quidem figmentum eſt; ſed deficientibus hæreſim ſolidis contra Eccleſiam argumentis, neceſſitatem ſibi impoſitam ſentit ad fictiones, dolos, mendacia, calumnias ſe convertendi; quæ, etſi ſapientibus offenſioni ſint, apud imperitorum tamen multitudinem probationis qualiſcumque locum obtinent. Nos verò hactenus tot clariſſima Scripturarum, Conciliorum, Pontificum, Patrum, atque ipſius Aquinatis teſtimonia contra damnatum Articulum adduximus, ut ſuſpicionis ineptiæ omnibus pateant explodendæ. Nempe etiam Angelicus, Patres omnes, Concilia, atque ipſe Scripturarum author Spiritus Sanctus, Moliniſtarum, & Sfondratianorum commodis ſtuduerint, in eorum, antequam exiſterent, gratiam, errores obtruſerint pro fide.

2 Queſnellus in *Explicatione Apologetica, Conſtitutio Theol. propugn. Tom.I.* & paſſim Janſeniſtæ avidè ambiunt patrocinium Cardinalis Aguirre, & Patris Antonini Maſſouliè. Utrumque Molinæ, & Cardinali Sfondratio in materia de prædeſtinatione, & gratia non nimiùm conſentire exploratum eſt; & quidem Patris Maſſoulie in editione utriuſque tomi *de Divina motione, & libertate creata* præcipuum videtur conſilium fuiſſe, ſcholæ ſuæ adversùs Molinam, & cæteros paſſim Societatis ſcriptores defenſio. Geminos illos itaque teſtes Queſnello minimè ſuſpectos contra ipſum proferre non inutile fuerit, præſertim cum Doctrinam non ſuâ promant induſtriâ fabricatam; ſed quam profiteantur ſe ex Divinis Oraculis, Patrum traditione, communique Eccleſiæ ſententia accepiſſe.

3 Ex Eminentiſſimo Aguirre ſufficeret ſolos ferè ſectionum titulos deſcribere. Diſput. 124. ſect. 1. „ Hominibus lapſis adeſt „ ex miſericordia, & dono Dei poteſtas „ ſimpliciter dicta ad præcepta ſervanda, aut „ ſaltèm facultas ad impetrandam illam per „ orationem, & alia pia opera. Illuſtria te„ ſtimonia Scripturæ, Auguſtini, & aliorum „ Patrum in eum ſcopum expenſa. Hæc aſ„ ſertio, quæ communis & certa videtur in„ ter omnes Theologos quarumlibet ſcho„ larum, repugnantibus ſolùm iis, qui aut „ tuentur Janſenium, aut non ſatis ab eo ſe „ differre oſtendunt ſuadetur &c.„. Poteſtas hæc à Cardinale tribuitur hominibus omnibus ſinè diſcrimine, etiam infidelibus, aſſerens adeſſe omnibus Divinæ gratiæ auxilia ſive proximè, ſive ita remotè ſufficientia, ut in poteſtate habeant propinquiora, & proximè ſufficientia ſibi oratione, vel aliis bonis operibus impetrare.

4 In eadem ſectione refert hanc Tridentini ſententiam ex ſeſſ. 6. cap. 11. *Deus impoſſibilia non jubet; ſed jubendo monet, & facere quod poſſis, & petere quod non poſſis, & adjuvat ut poſſis.* Quæ ex Auguſtino deſumpta eſt, unde ſic Eminentiſſimus concludit: „ Omnes „ ergo homines ſive juſti, ſive lapſi, poteſta„ tem ſimpliciter habent ad implenda Dei „ præcepta, aut facultatem, ad impetrandam „ illam. S. Auguſtinus lib. de duabus anima„ bus cap. 12. ait: *Summa iniquitatis, & inſa„ nia eſt, ut peccati reus quiſquam teneatur, „ qui non fecit, quod facere non potuit.* Loqui„ tur autem Concilium, & S. Doctor de ho„ minibus, non in ſtatu aliquo imaginario, „ aut Republicâ Platonis, ſed exiſtentibus „ re ipſa, ac proinde tum lapſis, tum etiam „ reparatis per gratiam „. Inter homines lapſos indubiè comprehenduntur infideles, quibus ſi omnem ademeris gratiam, neceſſe

eſt ea fatearis præcepta impoſſibilia,quæ ſinè gratiæ auxilio nequeunt obſervari.

5 Ibid. *Itaque, juxta Doctrinam Tridentini, expreſſam antea in Auguſtino, nemo peccat, nemini imputatur ad culpam, ſi omittat id, ad quod faciendum non habet poteſtatem*. „ Aut „ jam ſuppoſitam, aut quam orando impe- „ trare valeat... Ergo,à primo ad ultimum, „ nulla actio cadit ſub præceptum, niſi in „ hominibus lapſis adſit ſufficientia proxima „ ad illam eliciendam, vel facultas ad eam „ impetrandam; quæ ratiocinatio ita diſpo- „ ſita eſt, ut videatur præcludere omne effu- „ gium, ſeu exceptionem quamlibet adver- „ ſariorum „. Non poteſt igitur infidelibus omnis denegari gratia, nè omnium præceptorum, ſaltèm ſupernaturalium, Fidei, Spei, Charitatis, Religionis, Pœnitentiæ obſervatio ipſis impoſſibilis ſit, ideoque omiſſio innoxia. Quapropter veritati Catholicæ minimè conſona eſt aſſertio, omnem gratiam ſuſpendens à Fide;ita ut nullum cuiquam obtingat cœleſtis gratiæ auxilium, niſi per Fidem.

6 Sect. 2. titulus: „ Statuitur ſententia „ communis omnium aliorum,qui ſicut Chri- „ ſtum pro omnibus omnino hominibus mor- „ tuum tradunt, ita etiam omnibus abſque „ exceptione aliqua, parata & oblata ad ſa- „ lutem media neceſſaria docent. Probatio- „ nes præcipuæ ex Sacra Scripturâ, & ex „ variis locis S.Auguſtini „. Dicendo ſententiam communem omnium aliorum, ſolùm excipit Janſenium cum quibuſdam ejus ſequacibus. Diſputationis 127. ſectio prima ipſo titulo docet „ Omnibus adultis abſque „ exceptione conferri à Deo auxilia ad ſa- „ lutem ſufficientia, ſaltèm remotè, quibus „ imperrare poſſint proxima „. Probationes partim aliò remiſſæ, partim nunc propoſitæ ex variis Scripturæ locis, præſertim illo Pauli: *Deus vult,omnes homines ſalvos fieri*.

7 „ Probatur 1. ex omnibus iis Scriptu- „ ræ, Conciliorum, & Patrum teſtimoniis, „ quibus ſupra diſp. 124. per totam oſten- „ ſum fuit, omnibus adultis conferri ſuffi- „ cientiam, ſaltèm remotam, quâ parare „ poſſint proximam in ordine ad quælibet „ præcepta Dei ſervanda, & ad reſiſtendum „ tentationibus ex benignitate, & miſeri- „ cordia Dei. Cùm verò obſervantia man- „ datorum Dei, & reſiſtentia tentationum „ ſit via regia ad ſalutem, conſequens eſt, ut „ & omnibus adultis, quantumvis Barbari „ ſint, ex miſericordia, & benignitate Dei „ donentur auxilia,prædicto modo ſufficien- „ tia ad ſalutem. „

8 „ Prob. 2. ex tota diſputatione 125. „ ubi ex iiſdem fontibus Scripturæ, Conci- „ liorum, & Patrum probatum eſt,nulli pec- „ catori, etiam flagitioſiſſimo, aut rebelli, „ quamdiu viator eſt, negari prorſus omnia „ auxilia ad ſalutem neceſſaria.

9 „ Probatur 3. ex dictis tota diſputa- „ tione 126. in qua ex iiſdem capitibus de- „ monſtratum fuit, Deum omnibus prorſus „ hominibus lapſis præparaſſe, & obtuliſſe „ præſidia ad ſalutem neceſſaria, ſicut & „ Chriſtum pro iis tam parvulis, quàm adul- „ tis paſſum fuiſſe. Indè verò conſequens „ eſt, ut & Deus quibuslibet adultis contu- „ lerit auxilia, quibus poſſint ſalutem æter- „ nam adipiſci. Etenim,ut docet Auguſtinus „ lib. de Catechizandis rudibus cap. 26. ex „ illa voluntate Dei, ut omnes homines ſal- „ vi fiant, ortum eſt, ut Filium ſuum mitte- „ ret, qui omnium ſalutem morte ſua pro- „ curaret. *A quo interitu, hoc eſt pœnis ſempi-* „ *ternis, Deus miſericors volens homines libe-* „ *rare, ſi ſibi ipſi non ſint inimici, & non reſi-* „ *ſtant miſericordiæ Creatoris ſui,miſit Unige-* „ *nitum Filium ſuum*. Præſertim cùm Patres „ ibidem allegati diſertè doceant, Deum, „ quantum in ſe eſt, omnium ſalutem velle, „ & ita, ut, niſi per ipſos ſteterit, illam aſſe- „ quantur. Hoc autem falſum eſſet, ſi non „ omnibus adultis re ipſa conferrentur au- „ xilia neceſſaria; nam iis omnibus negatis „ homini, dici non poteſt per ipſum ſtare, „ quo minus ſalutem conſequatur. Sed de „ hoc ampliùs poſtea. Quare prætermiſſis „ nunc iis probationibus, aut potiùs in loca „ propria remiſſis, ſuadetur ſententia com- „ munis, & veriſſima ex iis Scripturæ locis, „ in quibus Deus teſtatur abſque exceptio- „ ne ulla, per ipſum non ſtare quominus ho- „ mines ſalventur, ſe non velle mortem pec- „ catoris; ſed ut convertatur, & vivat; ſe „ nihil ultra debuiſſe facere vineæ ſuæ,quod „ non fecerit, ſe velle, ut omnes ſalvi fiant, „ & ad cognitionem veritatis veniant,atque „ alia hujuſmodi.... Denique intelligi ſa- „ tis in Deo nequit voluntas illa Dei ab „ Apoſtolo Petro teſtata,*Nolentis aliquos per-* „ *ire; ſed omnes ad Pœnitentiam reverti*; niſi „ omnibus peccatoribus, etiam idololatris, „ & barbaris tribuat adjutorium ſuæ gratiæ, „ quo poſſint non perire, & converti ad pœ- „ nitentiam. Itaque omnia illa Scripturæ te- „ ſtimonia & alia plurima, quæ omittimus, „ ſibi conſonant abſque repugnantia ulla, ſi „ nemo ſit hominum adultorum, ſive ratione „ utentium,quamlibet infidelis, & barbarus, „ cui aliquando ſaltèm non conferantur au- „ xilia Divina interioris gratiæ, quibus ſuffi- „ cienter poſſit inchoare ſalutem ſuam.

Se-

10 Sectionis 2. titulus „ Sciliguntur ex „ quàm plurimis Patrum Auguſtino antiquiorum locis quædam illuſtria pro eadem „ voluntate Divina univerſali, & antecedenti, ut omnes prorſus homines ſalvi „ fiant,& collatione auxiliorum Divinæ gratiæ, aliquo modo ſufficientium ad illam inchoandam, & ſubinde obtinendam.

11 Sectionis 3. titulus „ Eadem doctrina confirmatur luculentis Sancti Auguſtini „ teſtimoniis, & eorum Patrum, qui impenſiùs, & tenaciùs ipſum ſecuti ſunt: veluti „ Bedæ, & Anſelmi; ſed præcipuè Proſperi, „ Pauli Oroſii, Fulgentii, & D. Thomæ.

12 Denique toti diſputationi 128. hic præfigitur ſcopus, ut Cardinalis oſtendat, *Qualiter cohæreat, quod plurimis infidelibus nullo modo fuerit prædicatum Euangelium, & tamen ii præditi ſint auxiliis ad credendum neceſſariis.* Hactenus Cardinalis Aguirre. Si intelligi ſatis in Deo nequeat voluntas illa Dei, ab Apoſtolo teſtata, *Nolentis aliquos perire; ſed omnes ad pœnitentiam reverti*, niſi omnibus peccatoribus, etiam idololatris, & barbaris tribuat adjutorium ſuæ gratiæ, quo poſſint non perire, & converti ad pœnitentiam: Si nemo ſit hominum adultorum, ſive ratione utentium, quamlibet infidelis, & barbarus, cui aliquando ſaltèm non conferantur auxilia Divinæ interioris gratiæ, quibus ſufficienter poſſit inchoare ſalutem ſuam, ut docet Eminentiſſimus Aguirrius, evidens eſt in ejuſdem ſententia, aliquas dari gratias, non per fidem, neque hanc eſſe inter omnes gratias primam; cùm hæc non obtingat adultis omnibus, quibus quædam gratiæ auxilia à Deo præſtari, ex tot Scripturarum, Patrum, Doctorum teſtimoniis invictè colligitur.

13 Non magis Adverſario favet; imò non minùs fortiter refragatur Pater Maſſouliè tom. 1. differt. 1. q. 8. art. 8. „ Quantum ad „ eos, inquit, ad quos Euangelii prædicatio „ pervenit,neque tamen Euangelio credunt, „ quique ſunt infideles contrariè, & privativè,in pœnam quidem peccati originalis, „ & aliorum quibus ſe macularunt, privantur efficaci auxilio, quo credant; recipiunt „ tamen ſufficiens auxilium, neque ignorantiam poſſunt obtendere. Unde & tenentur „ credere, non ſolùm neceſſitate medii, ſed „ etiam neceſſitate præcepti „. Ubi Queſnelli ſententia clariſſimè ſubvertitur. Quia juxta hunc Thomiſtam infideles,quibus Chriſti Euangelium annuntiatum fuit, etſi ab iis non receptum, *privantur quidem auxilio efficaci, quo credant; recipiunt tamen ſufficiens auxilium*: Juxta Queſnelli verò articulum, nè uni quidem iſtorum, ſeu purè negativè, ſeu privativè, & contrariè infidelium ullum conceditur Divinæ gratiæ auxilium, quia *nullæ dantur gratiæ, niſi per Fidem*.

14 Proſequitur Pater Maſſouliè art. 10. ubi ſtatim initio ſic concludit: „ Dicendum „ igitur ex D. Thomæ ſententia homini „ æquiſſimè imputari,quod Divina præcepta „ non impleat, quamvis efficax auxilium deſit, quo præcepta impleret, ſi adeſſet; quia „ Deus nedum efficax auxilium offert, eo „ ſenſu quo diximus; ſed etiam quia reipſa „ auxilium ſufficiens confert, cùm ſemper „ ex ſua erga hominem benevolentia, & ut „ loquitur Apoſtolus φιλανθρωπία ad Titum 3. „ aut lege, ac debito ſuæ providentiæ conferat homini,quæ neceſſaria ſunt,ut finem, „ ad quem deſtinatus eſt, obtinere poſſit, „ cujuſmodi eſt auxilium ſufficiens. Hoc „ enim,ut inquit D. Thomas, 1.parte q. 21. „ art. 1. ſibi ipſi, ſuæque providentiæ debet, „ ut nunquam creaturis deſit; ſed omnia „ juxta cujuſque creaturæ conditionem neceſſaria ad agendum tribuat. Atque eo ſenſu etiam juſtitiæ eſt, quod ſufficientia auxilia tribuat.... At verò inter ea,quæ homini neceſſaria ſunt ad conſequendum ultimum finem, primo loco reponendum eſt „ ſufficiens auxilium adeò ſanè neceſſarium, „ ut nunquam citra miraculum efficax auxilium tribuatur, niſi ſufficiens præceſſerit; „ quia cùm hæc duo naturâ ſuâ conjuncta „ ſint, poſſe, & agere, actus & potentia, potentia naturæ congenita, actus à potentia „ elicitus; & præterea cùm potentia agendi, „ quàm efficax auxilium perficit,& complet, „ actum antecedat, quem efficit; indè conſequitur, nunquam citra miraculum, tribui „ efficacem, & præviam motionem, niſi auxilium ſufficiens anteceſſerit. Sed cùm hæc „ ex D. Thoma probanda ſint,celebris locus „ eſt 1.2.q.106.art.2. „ &c.

15 Infideles plurimos ad Fidem converti nullus negaverit; nunquam autem converti quempiam abſque efficaci auxilio, per ſe notum eſt. Atqui *auxilium ſufficiens adeò neceſſarium eſt*, teſte Patre Maſſouliè, & apud eum D. Thomâ, *ut nunquam,citra miraculum, efficax auxilium tribuatur,niſi ſufficiens præceſſerit*: & iterum ex ratione naturali, inquir, *conſequitur, nunquam, citra miraculum, tribui efficacem, & præviam motionem, niſi auxilium ſufficiens anteceſſerit*. Si auxilium ſufficiens, quo intelligitur gratia actualis excitans, neceſſariò efficacem gratiam prævenit, adeò ut, citra miraculum, aliter fieri nequeat,evidens eſt, non omnes gratias dari per fidem; non enim fides elicitur,niſi efficaci gratiâ. Si verò hanc citra miraculum neceſſariò præcedat gra-

gratia ſufficiens, perſpicuum eſt, hanc dari non poſſe per fidem, ut neque cauſa, neque diſpoſitio ad effectum ab ipſo effectu producitur; quod ipſo naturæ lumine quilibet rationis compos facilè aſſequitur. Ibid: „ Quoties, inquit, occurrit præceptum implendum, urgetque tempus illud implendi, toties confertur à Deo auxilium ſufficiens, quod omnino complet potentiam, ita ut nihil omnino ex parte actûs primi, & ex parte potentiæ deſit ad implendum præceptum, & poſſit voluntas eo auxilio uti ſi velit, & implere præceptum „. Atqui omnibus infidelibus ſæpe occurrit præceptum implendum, quod implere nequeunt ſinè omni gratiâ, neque re ipſa perficiunt; igitur, hoc Thomiſta judice, perperàm à Queſnello negatur gratia omnibus infidelibus antequam convertantur.

16 Denique etiam in iis, qui convertuntur, errat articulus, aſſerens *nullas gratias dari, niſi per Fidem*; quia, quidquid ſit de ſententia Patris Maſſouliè, aſſerentis, ut ait, ex Sancto Thoma, nunquam à Deo tribui auxilium efficax, quin ſufficiens præceſſerit, clariſſima eſt Tridentini definitio ſeſſ. 6. can. 3. neminem *poſſe credere ſicut oportet*, niſi fidem præceſſerit gratia. Quæ autem fide gratia prior eſt, tanquam diſpoſitio, patet quòd per fidem dari nequeat, futura aliàs fide neceſſariò poſterior, ſi non tempore, ſaltèm naturâ. Minùs autem Queſnello tolerabile videbitur, quod Pater Maſſouliè artic. 8. de ſingulis, ſeu fidelibus, ſeu infidelibus, urgente præcepto ſtatuit, *Si quis, inquit, praeceptum non impleat, neceſſe eſt, ut ſaltèm recipiat auxilium ſufficiens; neceſſe enim eſt, quod advertat ſaltèm præcepti implendi obligationem; atque ea interna admonitio eſt effectus ſufficientis auxilii: nam alioquin ſi præceptum non impleret, inadvertentiâ, aut ignorantiâ excuſari poſſet, ſi ea ſit invincibilis; ſi enim vincibilis eſt, jam ſupponitur præceſſiſſe ſaltèm ſufficiens auxilium, quo vincere illam ignorantiam, aut inadvertentiam potuiſſet, ut ſtatim exemplis infra demonſtrabimus.*

17 In Queſnelli verò ſententia nec adeſſe debet, nec præceſſiſſe auxilium ſufficiens, ut omiſſio præcepti, quod ſinè gratia ſervari nequit, reum faciat, & inexcuſabilem, neque obtendi ſive à fidelibus, ſive ab infidelibus patitur inadvertentiam, quantumvis homini invincibilem, ſecundùm præſens, vel etiam præteritum gratiæ auxilium, naturæ lapſæ ſtatui præparatum. Et quidem Hæreticis, Judæis, Paganis nihil toto infidelitatis tempore concedit Divinæ gratiæ, nullam agnoſcens ante fidem: Et tamen illi peccatorum omnium, quæ ſinè cœleſtibus illis ſubſidiis vitari nequeunt, rei aguntur, & condemnantur, eodem judice Acheronticis Poëtarum judicibus duriore. Non enim uſque adeò inſanivêre iſti fabularum Architecti, ut Deos fingerent punientes crimina, quæ nulla hominis forent libertate commiſſa.

CAPUT VIII.

Solvuntur, quæ Adverſarii objiciunt ex Scripturis SS. contra cenſuram Propoſitionis vigeſimæſeptimæ.

1 CRedere *oportet, accedentem ad Deum quia eſt, & inquirentibus ſe remunerator ſit*. Ut dicitur Hebr. 11. v. 6. Sed quis, præter Queſnellum cum ſuis ſequacibus, inde eruat, fidem eſſe primam gratiam, & fontem omnium aliarum? Quin accedentem ad Deum, ut ei per pœnitentiam reconcilietur, & uniatur per charitatem, credere oportet, indubitatum eſt; non ideo tamen corruit catholica Eccleſiæ Doctrina, Concilii Oecumenici Canone Tridenti conſecrata: *Non poſſe hominem credere, ſicut oportet, ſinè gratiâ præcedente*. Ita Eccleſiaſtici 1. *Qui ſinè timore eſt, non poterit juſtificari*. Sed non ideo timor ille ſinè gratia eſt, etiam præveniente, & excitante. Apoſtolus ſcilicet toto illo capite fidei laudes accumulans, ad eam homines hortatur, oſtenſâ ejus ad veram juſtitiam, & beatitudinem neceſſitate. Ubi ſicut gratia adjuvans non excluditur, ita neque excitans: neque qui actum præcipit, diſpoſitionem ad actum neceſſarium removet. Qui ad ſe accedere vult infantem, eum vocat, allicit, etſi incedere is ſinè duce nequeat, manum porrigit, tractuque adjuvat imbecillitatem. Talis eſt infirmitas hominis lapſi egentis ad credendum prævia vocatione, excitatione, & vires ſuppeditante auxilio.

2 Non magis nobis officit illud Rom. 5. v. 1. & 2. *Juſtificati igitur ex Fide, pacem habeamus ad Deum per Dominum noſtrum* Jesum *Chriſtum, per quem habemus acceſſum per Fidem in gratiam iſtam, in qua ſtamus, & gloriamur in ſpe gloriæ filiorum Dei*. Ubi ex ipſis Apoſtoli verbis perſpicuum eſt, nomine gratiæ non intelligi actualem, ſive auxilium tranſiens, præſertim primum; ſed habitum permanentem, cùm dicitur, *Gratiam iſtam in qua ſtamus*. Audiatur interpres Angelicus: *In gratiam iſtam*, inquit, *ideſt in ſtatum gratiæ.... & hoc per fidem, per quam ſcilicet gratiam conſequamur. Non quia fides præcedat gratiam, cùm potius per gratiam ſit fides. Epheſ. 2. Gratiâ eſtis ſalvati per fidem, ſcilicet quia primus effe-*

ctus

Digitized by Google

ctus gratiæ in nobis eſt fides. Si fides eſt effectus gratiæ, patet, fidem non poſſe eſſe primam gratiam, nec fontem omnium aliarum. Ex eo igitur, quod per fidem acceſſus ſit ad gratiam ſanctificantem, non ſequitur nos per fidem accedere ad primum gratiæ auxilium, vel fidem eſſe primum omnium auxiliorum ſupernaturalium, & gratuitorum.

3 Non eſſe Adverſarios omnino peregrinos in Tridentino Concilio, ut ex ejus ignorantiâ impingere dicendi ſint in Canones, patet ex eo, quòd ubicunque aliquid, vel tenuiſſimam, ſed inaniſſimam ſpeciem locutionis ipſis patrocinantis præ ſe ferre in Tridentino viſum fuerit, ſtatim avidè arripiant, etſi novitatem ſuam tam eſſe Tridentino contrariam noverint, quàm atrum candido, Fidem Catholicam hæretico errori. Aſpernati itaque Adverſarii ſeſſionis 6. Canonem 3. cum ſuo anathemate, opponunt ei caput 8. ita docens: *Cùm verò Apoſtolus dicit, juſtificari hominem per fidem, & gratìs, ea verba in eo ſenſu intelligenda ſunt, quem perpetuus Eccleſiæ Catholicæ conſenſus tenuit, & expreſſit; ut ſcilicet per fidem ideo juſtificari dicamur, quia fides eſt humanæ ſalutis initium, fundamentum, & radix omnis juſtificationis, ſinè qua impoſſibile eſt placere Deo*. Et cap. 6. *Diſponuntur autem ad ipſam juſtitiam, dum excitati Divinâ gratiâ, & adjuti, fidem ex auditu concipientes, liberè moventur in Deum, credentes vera eſſe, quæ Divinitus revelata, & promiſſa ſunt*.

4 Rectiſſimè dicitur *Fides humanæ ſalutis initium, fundamentum, & radix omnis juſtificationis*, quia inter pietatis opera ad juſtitiam, & ſalutem conducentia, primum eſt fides, atque hoc eſt, quod Auguſtinus ſerm. 22. de verbis Apoſtoli ait: *Domus Dei credendo fundatur, ſperando erigitur, diligendo perficitur*. Et S. Proſper in Reſp. ad dubium 8. Genuenſium, *Fides eſt virtutum omnium fundamentum*. Sed indè quis ſapiens colligat, fidem gratiâ non præveniri, fidem elici abſque ulla prævia diſpoſitione, falſum eſſe anathema Tridentini Coneilii feriens omnem, qui *dixerit hominem ſinè præveniente Spiritûs Sancti inſpiratione poſſe eredere ſicut oportet*? Niſi autem pertinacia Adverſarios obexcaſſet, non objicerent Conſtitutioni Unigenitus, atque adeò Tridentino Canoni caput 6; nam ipſa, quæ ex eo referunt verba, damnato articulo apertè refragantur; dum enim dicimur, *Excitari Divinâ gratiâ, & adjuvari, ut fidem ex auditu concipientes liberè moveamur in Deum, credentes vera eſſe, quæ divinitus revelata ſunt*, liquet, Divinam gratiam excitantem, ut Catholici omnes Theologi ſentiunt, eſſe ab actu fidei diſtinctam, & ab ea ſeparabilem; utpotè cui diſſentire poſſumus, ut contra 4. Janſenii hæreſim definitum à Romanis Pontificibus credit Eccleſia. Faeem prætulêre Tridentini Patres ſeſſ. 6. can. 4. enuntiantes anathema *Si quis dixerit, liberum hominis arbitrium, à Deo motum, & excitatum, non poſſe diſſentire, ſi velit*. Ubi evidens fit, excitationem veluti diſpoſitionem, quam homo abjicere valeat, à conſenſu fidei diſtingui, eoque eſſe anteriorem, ſaltèm naturâ, ut cauſam effectu.

5 Quod Fides dicatur initium, fundamentum, radix juſtificationis, ubi, quemadmodum in Tridentino, eum cæteris humanis actibus comparatur, non obeſt, quin cum Divinis gratiis conſiderata, in his ipſa fundetur. Sic inquit Sanctus Thomas in 2. Epheſ. lect. 6. *Notandum eſt, quòd Apoſtoli dicuntur fundamenta. Expreſsè autem dicuntur fundamenta Apoeal. 21. Murus civitatis habens fundamenta duodecim, & in ipſis nomina duodecim Apoſtolorum. Eadem lectione ait: ſupraædificati ſupra fundamentum Apoſtolorum, & Prophetarum, ideſt, qui ſunt Apoſtoli, & Prophetæ. Vel aliter ſupra Chriſtum, qui eſt fundamentum Apoſtolorum*. Ib. *Ipſo ſummo angulari lapide Chriſto* Jesu, *cùm ipſe* Jesus *ſit ſummum fundamentum*. Sic Auguſtinus in Pſal. 86. ubi Apoſtolos dicit duodecim fundamenta, ſubjungit: *Et quia nec ipſi Apoſtoli, aut Prophetæ, in quibus fundamentum eſt eivitatis, ſe tenerent in ſe, ſecutus ibi ait, ipſo ſummo exiſtente lapide angulari Chriſto* Jesu, velut fundamento fundamenrorum.

6 Unde patet ſolutio calumniæ, quam Catholicis objicit Thcodorus Beza, quaſi Antichriſtiana vox ſit Apoſtolos appellare fundamenta Eeclesiæ, cùm nemo poſſit aliud fundamentum ponere, præter id, quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Jesus. Patet, inquam ſolutio in Hipponenſi, & Aquinate; nihil enim vetat Apoſtolos fundamenta Eccleſiæ dici, quia doctinam Euangelii à Chriſto acceptam prædieavêre primi: quo ſenſu Chriſtus primum eſt, & præcipuum fundamentum. Sic & Chriſtus propriiſſimè vocatur Petra Eccleſiæ, & tamen eadem appellatio ſenſu inferiore tribuitur etiam Petro, & ſuper eum Chriſtus Eccleſiam fundaturus. Sie ergo & Fides fundamentum juſtitiæ, & ſalutis eſt, etſi ipſa fundetur in Chriſto, & ejus auxilio non ſolùm cooperante, ſed etiam excitante, & prævio, tum in intellectu, tum in voluntate. Ita pariter, quamvis Fides dicatur juſtitiæ radix, non deſinit ipſa radix eſſe ex ſemine, quod eſt gratia, ut ſupta notavit S. Anſelmus, & ante eum Author libri de Vocatione gentium, ſive is S. Proſper ſit, ut communis fert opinio, ſive Sanctus Leo, ut Queſnellus exiſtimat. Denique ſic Fides

eum

cum cæteris noſtris actibus collata, initium juſtificationis, & ſalutis eſt, licèt gratia actus liberos præveniens, ipſius Fidei initium, & origo ſit. Sic & timor alia conſideratione initium juſtitiæ dicetur, ut Pſal. 100. *Initium ſapientiæ timor Domini*. Prov.14. *Timor Domini fons vitæ*. Iſaiæ 26. ſecundùm 70. Interpretes: *A timore tuo concepimus, & peperimus Spiritum ſalutis*. Denique & Fides completiſſimè ſumpta eum ſua radice, vel ſemine, quod eſt gratia tum cooperans, tum præviè diſponens, optimè intelligitur juſtitiæ, & ſalutis initium.

7 His poſitis, cætera, quæ adverſarii ex Scripturis, Patribus, & S. Thoma objiciunt, facilè diſſolvuntur. Qualia ſunt Gal.3. v. 3. *Ex operibus legis Spiritum accepiſtis, an ex auditu Fidei?* In quem locum S.Thomas: *Si ergo*, inquit, *Fides in injuſtis Galatis ſinè lege juſtos fecerat, non eſt dubium, quòd ſinè lege poterat eos in juſtitia conſervare*. Ubi nihil vetat, Fidem juſtificantem procedere ex gratia, non ſolùm cooperante, ſed etiam præveniente, qua & intellectui myſteria Fidei proponantur, ut digna creditu, & voluntati pia motio præbeatur, ut, non obſtante myſteriorum obſcuritate, Fidem intellectui impetet.

8 Neque plus difficultatis patitur verſ.5. *Qui ergo tribuit vobis ſpiritum, & operatur virtutes in vobis, ex operibus legis, an ex auditu Fidei?* Sicut enim Spiritus Sanctus non confertur propter ſolam Fidem; ſed etiam comitari debent ſpes, & dilectio ex gratia, ita & Fides ſuas præſupponit diſpoſitiones, quæ non ſolus auditus prædicationis, & doctrinæ eſt, ut fingebat Pelagius; ſed inſpirationes ſunt cœleſtes, & gratiæ naturali ordine ſuperiores. Objicitur quoque verſ.14. *ut pollicitationem Spiritûs accipiamus per Fidem*. Quod ita explicat Angelicus lect.5., „ *ut pollicitationem Spiritûs accipiamus*, ideſt promiſſiones, quas Spiritus Sanctus facit in „ nobis, ſcilicet de beatitudine æterna, qui „ quaſi arrha, & pignus nobis traditus ipſam „ nobis promittit. Vel *pollicitationem Spiritûs accipiamus*, ideſt Spiritum Sanctum, „ quaſi dicat, accipiamus pollicitationem de „ Spiritu Sancto factam ſemini Abrahæ; quia „ per Spiritum Sanctum conjungimur Chriſto, & efficimur ſemen Abrahæ. Secundò „ oſtendit, per quid proveniat nobis iſte fructus, dicens, *per Fidem*, per quam quidem „ & hereditatem æternam acquirimus. „ Sentiamus igitur cum S.Thoma, & Apoſtolo, Spiritum Sanctum, qui in juſtis eſt, promittere eis æternam beatitudinem, & per Spiritum Sanctum nos conjungi Chriſto, atque hunc fructum nobis obtingere per Fidem; ſed ideóne Fides non eſt ex prævenientis gratiæ auxilio? An infunditur nobis nulla noſtra prævia deliberatione, nulla illuſtratione intellectûs, nulla excitatione voluntatis, nullo ejus imperio, quod ex gratia ſit?

9 Ibid. verſ. 22. *ut promiſſio ex Fide daretur credentibus*, ſcilicet ex Spiritûs Sancti illuſtratione, & excitatione, cui obſequentes captivaverint intellectum in obſequium Fidei. Miraberis Lector, adverſarios tot conglobare ſententias, nihil penitùs ad finem propoſitum facientes, & quas quilibet facilè collectas reperiet apud Lutherum, Calvinum, & utriuſque diſcipulos, ubi de ſola Fide abſque operibus juſtificante agitur. Batavis hæc diſplicere non poterunt, qui Gallos transfugas adeò apud ſe profeciſſe jactabunt, ut Petrus Jurieux acceſſiſſe ad ſe Janſenii diſcipulos ſcriptis publicis pridem gloriatus eſt.

CAPUT IX.

Reſpondetur ad objecta ex Patribus.

1 EX Patribus primus objicitur Auguſtinus lib. de prædeſtinat. Sanctorum cap.7.dicens: *Ipſa* (Fides) *prima datur, ex qua impetrentur cætera, quæ propriè opera vocantur*. Hìc, ut paſſim alibi, bonam fidem in adverſariis requiro; non enim ignorant Auguſtinum adeò non aſſerere, quod Fides ſit prima gratia, ut diſertè doceat oppoſitum, quod textus integer palàm faciet. Sic illic Auguſtinus: *Ipſam quoque Fidem opus Dei dicit eſſe* Jesus, *& hanc ut operemur jubet. Dixerunt enim ad eum Judæi, Quid faciemus, ut operemur opera Dei? Reſpondit* Jesus, *& dixit eis: Hoc eſt opus Dei, ut credatis in eum, quem miſit ille. Sic ergo diſtinguit Apoſtolus ab operibus Fidem, quemadmodum in duobus regnis Hebræorum diſtinguitur Judas ab Iſrael, cùm & ipſe Judas ſit Iſrael. Ex fide autem ideo dicit juſtificari homines, quia ipſa prima datur, ex qua impetrentur cætera, quæ propriè opera vocantur*. Quamvis ſcilicet Fides etiam opus aliquod ſit; ejus tamen ab operibus diſtinguendæ occaſionem Apoſtolo præbuerant Judæi, qui ſuperbiâ ſe extollentes ſupra converſos è Gentibus, ſibi potiùs propter opera legis, quam illis, qui legem non ſervaverant, debitam contendebant prædicationem Euangelii, & Fidem. Hos reprimens Apoſtolus, & ex ejus doctrina Pelagium Auguſtinus, docet, Fidem non ex operibus obtineri; ſed opera per Fidem, quæ donum Dei eſt, utpote Divinæ gratiæ effectus. Ubi videmus, Fidem eſſe opus Dei, & noſtrum; Dei, quia datur per gratiam:

no-

noſtrum, quia Chriſtus mandat, ut illud *operemur*; hoc eſt, ut credamus in eum, quem Deus miſit. Nunquam ſanæ mentis Theologo incidit cogitare, quòd Deus nobis imperet primam actualem gratiam, cujus productionem conſtat non eſſe homini liberam, nec ab ejus pendêre arbitrio; ſed conſenſum tantummodo, vel diſſenſum ad hominem pertinere. Nam etſi gratia illa actus vitalis ſit, nempe illuſtratio intellectûs, & voluntatis excitatio, quæ quidem, animâ phyſicè concurrente, à Deo immittitur, non tamen actus appellatur humanus, ſeu moralis, quia in nobis non liberè cooperantibus à Deo producitur.

2 Sic Auguſtinus libro primo ad Simplicianum quæſt. 2. *ut velimus* (credere) *& ſuum eſſe voluit, & noſtrum: ſuum vocando, noſtrum ſequendo*. Lib. 1. Retractationum cap. 23. *Utrumque* (credere, & operari) *noſtrum eſt propter arbitrium voluntatis, & utrumque tamen datum per Spiritum Fidei, & Charitatis .... eâdem regulâ, & utrumque ipſius eſt, quia ipſe præparat voluntatem; & utrumque noſtrum, quia non fit, niſi volentibus nobis*; ubi rurſus vident adverſarii, quòd Deus tam ad credendum, quàm ad operandum *præparet voluntatem*. Si vel Auguſtino Judice prærequiratur ad credendum Divina & gratuita *præparatio voluntatis*, clarum eſt, Fidem non eſſe primam gratiam. Sed ut mala fides adverſantium ampliùs convincatur, eſtnè veriſimile, quòd oculos eorum fugiat, quod Auguſtinus libro de prædeſtinatione Sanctorum in fine capitis quinti ait, (inter quod & locum objectum, nonniſi paucorum verſuum caput interjacet) *non quia credere, vel non credere non ſit in arbitrio voluntatis humanæ; ſed in electis præparatur voluntas à Domino. Ideo ad ipſam quoque Fidem, quæ in voluntate eſt, pertinet, Quis te diſcernit? Quid autem habes, quod non accepiſti?*

3 Idem inculcatur cap. 6. unde duplici ratione perfidia convincitur; nam ex Sancti Antiſtitis ſententia manifeſtum eſt, & in Electis ad Fidem *præparari voluntatem à Domino*, & Fidei nomine illic non intelligi Fidem, ut in ſe eſt actus intellectus; ſed ut *in voluntate eſt*, velut ſui principio, à quo imperatur, & ad illud quidem Auguſtinus exigit voluntatis præparationem, quæ fit ex gratia. Omnia ex S. Doctoris verbis certiſſima ſunt. Primò enim ait *præparari voluntatem à Domino*. Secundò vocat *Fidem, quæ in voluntate eſt*. Tertiò ait *ad ipſam quoque Fidem, quæ in voluntate eſt, pertinêre, Quis te diſcernit?* Fides itaque non eſt prima gratia, utpote præparatione illâ voluntatis Fidem neceſſariò præcedente; ut nempe difficultas, quam myſterii credendi obſcuritas parit, imperio voluntatis Divinâ adjutæ gratiâ ſuperetur. Auguſtinum, Fidei nomine, non intelligere actum ſolummodo intellectûs, in quo propriè illam ex ſententia Theologorum omnium conſiſtere indubitatum eſt; ſed complexum ex actu fidei, & imperio voluntatis, ſive conſenſu ejus libero, ut propoſito myſterio intellectûs annuat, patet ex verbis citatis *de Fide, quæ in voluntate eſt*: non ſecundùm ſe, ſed ſecundùm ſui principium, ſeu originem; vel, ut in ſcholis loquimur, Fides in voluntate eſt non *formaliter*, ſed *radicaliter*. Quâ igitur adverſarius ratione colligit, Fidem ſtrictè dictam, ut communiſſimo Eccleſiæ ſenſu intelligitur, videlicet aſſenſum certum, & obſcurum intellectûs propter authoritatem Dei revelantis, eſſe Auguſtino primam gratiam, dum ad eam ab ipſo Hipponenſi Magiſtro prærequiritur *præparatio voluntatis*? Quod ipſum definit Concilium Arauſicanum ſecundum can. 5. dicens: *Initium Fidei eſſe ipſum credulitatis affectum, eumque ineſſe nobis per inſpirationem Spiritûs Sancti corrigentem voluntatem noſtram ab infidelitate ad Fidem*.

4 Sed neque is piæ credulitatis affectus, neque illum conſequens voluntatis imperium, eſt prima gratia; ſed neceſſariò præcedit pia cogitatio, quam non eſſe ex nobis, ſed à Spiritu Sancto didicimus ab Apoſtolo, & ex eo Auguſtinus libro de Prædeſtinatione Sanctorum cap. 2. in illud Pauli ad Corinth. *Non quòd idonei ſumus cogitare aliquid à nobis, quaſi ex nobis; ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt*, ait: *Attendant hic, & verba iſta perpendant, qui putant ex nobis eſſe Fidei cæptum.... Quis enim non videat, priùs eſſe cogitare, quàm credere? nullus quippe credit aliquid, niſi priùs cogitaverit eſſe credendum; quamvis enim raptim, quamvis celerrimè credendi voluntatem quædam cogitationes antevolent, moxque illa ita ſequatur, ut quaſi conjunctiſſima comitetur; neceſſe eſt tamen, ut omnia, quæ creduntur, præveniente cogitatione credantur, quanquam & ipſum credere nihil eſt aliud, quàm cum aſſenſione cogitare*.

5 Concilium qnoque Arauſicanum canone 5. docet, *ad conſentiendum prædicationi ſalutari eſſe neceſſariam illuminationem, & inſpirationem Spiritûs Sancti*. En gratias in voluntate, & intellectu non datas per Fidem, utpote illâ anteriores.

6 Non minùs doloſè illud objicitur Sancti Fulgentii lib. 1. de Veritate prædeſtinationis cap. 17. *Bonæ voluntatis initium in Fide conſiſtere*.. Truncationis perfidia convincenda

Digitized by Google

da eſt. Ait Fulgentius ex Apoſtolo, *Cum timore, & tremore ſalutem veſtram operamini; Deus eſt enim qui operatur in vobis & velle, & perficere pro bona voluntate. Hujus bonæ voluntatis initium in Fide conſiſtere, liber Cantici Canticorum oſtendit, ubi Chriſtus dicit Eccleſiæ, Venies & pertranſies ab initio Fidei.* Truncatam laciniam, ut ſcopo adverſarii ſerviat, intelliget incautus Lector, quaſi ſignificet, Fidem eſſe fontem omnis bonæ voluntatis; cùm tamen contraria illic ſententia Fulgentii ſit clariſſima, cùm dicitur: *Deus ſicut voluntatem ad credendum per gratiam præparat, ſic ipſam voluntatem, gratiâ operante, conſummat.* Voluntas igitur per gratiam præparata ad credendum, eſt fons, & origo Fidei; non Fides origo, & fons illius bonæ voluntatis. Non itaque omnis bonæ voluntatis initium in Fide conſiſtit juxta Fulgentium; ſed voluntatis *operandi ſalutem*, & juſtitiam eò conducentem. *Hujus bonæ voluntatis initium*, aſſerit *in Fide conſiſtere*, quia Fides docet ſalutem appetendam, eamque bonis actibus obtineri.

7 Voluntas bona credendi, & fide anterior, ſaltèm naturâ, juxta Fulgentium invictiſſimè confirmatur cap. ſeq., nempe 18., ubi Sanctus ita ex ſuperioribus infert: *Sola igitur gratia in nobis bonam voluntatem facit*, ſola fidem ipſi voluntati tribuit, eam antea, ut patet, deſideranti. *Ideo*, inquit, *voluntati noſtræ donum credulitatis infundit, ut eidem voluntati credenti, operantique non deſit.* Ubi iterum pia credulitas fide prior eſt, neque donum credulitatis per fidem datur; ſed fides per credulitatem. Illic *voluntas credens* dicitur, quia credendi affectus, qui fide ſtrictè dictâ prior eſt, principium quoddam fidei eſt, atque à Fulgentio vocatur *initium Fidei*.

8 Inſtabis: Additur ibidem, *Sed cùm bona voluntas habuerit fidem (ſinè qua bona eſſe non poteſt; quia ſinè fide impoſſibile eſt placere Deo; incipit operari bonum) ſi tamen gratiæ numquam deſit auxilium.* Ergo gratia, qua ſit bona voluntas, datur per fidem. Diſtinguo conſequens: gratia habitualis datur per fidem, concedo; gratia actualis, nego. Ita ſinè gratia habituali non ſumus boni, ſinè hac impoſſibile eſt placere Deo; non ideò tamen rectè aſſerueris, nullas dari gratias actuales, nullas volitiones bonas, niſi per habitum gratiæ. Aliud nempe tam apud Theologos, quàm apud Philoſophos eſt cauſa formalis, aliud cauſa efficiens. Gratia actualis, etiam ſinè habitu, efficit actus bonos in ſe, ſive, ut dicitur, *in ſubſtantia*; ſed habitualis neceſſaria eſt, ut boni ſint ad meritum.

9 Præterea voluntas ſubinde pro volendi facultate, ſubinde pro effectu, ſeu volitione accipitur. Priore ſenſu voluntas incipit bona eſſe per fidem; quia per fidem ad Deum accedit, & initium ponitur, quo, ubi charitate formabitur, Deo uniatur, & placeat. Sed abſque illa bonitatis forma, quæ voluntatem, & hominem integrum Deo gratum reddit, non deſinit eſſe bona in ſe credendi volitio, quæ ex gratiæ auxilio eſt; quamvis, & habitum gratiæ, & fidem naturæ ordine antecedat. Unde ex Fulgentio nequaquam conficitur, quòd *nulla dentur gratiæ, niſi per fidem*, ut aſſeritur damnato Articulo, ſed oppoſitum; videlicet gratias, quibus voluntas credendi à Deo inſpiratur, non dari per fidem, cùm voluntas credendi fidem intellectui imperet; *voluntas* autem hæc *ad credendum*, teſte Fulgentio, *præparetur à Domino*. Et hoc quidem, quod voluntatem afficit, Auxilium præceditur ſemper ab alio piam ſuggerente cogitationem, vel quæ ipſa pia cogitatio eſt ſinè qua voluntas credendi nunquam concipitur juxta Auguſtinum ſuperiùs: à quo religioſiſſimum hunc ejus diſcipulum divellere nemo adverſariorum auſus fuerit.

CAPUT X.

Reſpondetur ad objecta ex Sancto Thoma, & Cardinale de Aguirre.

1 OBjicitur, & illud Sancti Thomæ 1. 2. quæſt. 113. Art. 4. *Prima converſio in Deum fit per fidem*; ſed uſquamne dicit Angelicus primam hanc converſionem non eſſe ex gratiæ auxilio præveniente, neque præſupponere imperium voluntatis, quod ſit ex gratia, atque hoc imperium non præexigere cogitationem pariter ex Divino gratiæ ſubſidio, ut docentem vidimus Auguſtinum, cujus Aquinatem *fideliſſimum interpretem* agnoſcit ipſe Janſenius? Audiamus Angelicum ſui interpretem maximè legitimum 2. 2. quæſt. 2. Artic. 1. ad 3. *Dicendum, quòd intellectus credentis determinatur ad unum, non per rationem; ſed per voluntatem. Et ideo aſſenſus hic accipitur pro actu intellectûs, ſecundùm quod à voluntate determinatur ad unum.* Evidens autem eſt, illam fidei determinationem, quæ à voluntate fit, non poſſe eſſe à fide; ſed fidem à voluntatis determinatione. Hanc autem non fieri ſolis naturæ viribus, ſed ope gratiæ, ſolus Pelagius cum Maſſilienſibus negaverit.

2 Clariſſimè ſe explicat Angelicus eâdem quæſtione Art. 9. ubi quæritur, *utrum credere ſit meritorium*: quod ita reſolvit. *Reſpondeo*;

dto dicendum, quòd ſicut ſupradictum eſt, actus noſtri ſunt meritorii, in quantum procedunt ex libero arbitrio, moto à Deo per gratiam. Unde omnis actus humanus, qui ſubjicitur libero arbitrio, ſi ſit relatus in Deum, poteſt meritorius eſſe: Ipſum autem credere eſt actus intellectûs, aſſentientis veritati Divinæ ex imperio voluntatis, à Deo mota per gratiam: & ſic ſubjacet libero arbitrio in ordine ad Deum; unde actus fidei poteſt eſſe meritorius. Audiant adverſatii, *ipſum credere eſſe actum intellectûs, aſſentientis veritati Divinæ, ex imperio voluntatis à Deo motæ per gratiam*. Quæ gratia cùm ſit cauſa imperii voluntatis, atque hoc imperium cauſa fidei, perſpicuum eſt, quòd fide prior ſit ea gratia, atque ideo non poſſit per fidem homini dari.

3 Eamdem ſententiam S.Thomas repetit art. 10., & quæſt. 4. art. 5. Quando igitur ſuperiùs ait, *primam converſionem in Deum fieri per fidem*, intelligenda eſt fides non abſque ſuis neceſſariis diſpoſitionibus, ſicut apud Eccleſiaſticum, *timor Domini eſt initium ſapientiæ*, ubi timor fidem, & gratiam minimè excludir, ſed præſupponit. Idem intellige cum Proverb. 14. *Timor Domini* dicitur *fons vitæ*. Sic abſolutio ſacerdotis dicitur remittere peccata; ſed præſuppoſitis reliquis Sacramenti pœnitentiæ partibus, prævià inprimis ad abſolutionem neceſſarià pœnitentium diſpoſitione. Eodem modo S. Thomas quæſt. 4. art.7. in concluſione dicit, *Neceſſe eſt quòd fides ſit prima inter omnes virtutes*. Ubi certum eſt, non excludi prævium gratiæ auxilium, ad actum fidei neceſſariò diſponens; neque voluntatis imperium, ad fidem ab eodem Angelico prærequiſitum; neque gratiam, ex qua illud imperium procedit; neque cogitationem piam, atque hanc nobis Divino Spiritu, & gratuito immiſſam: quæ diſpoſitiones ſæpe fidei nomine comprehenduntur. Non ideo tamen fides deſinit eſſe prima virtus, atque ideo prima ad Deum converſio juxta Angelicum, & juxta Gregorium lib.2. Moralium cap. 46. *Primogenita proles* humani cordis per gratiam: Juxta Proſperum carmine de ingratis c.19.... *voluntatis genitrix, operumque creatrix*; Voluntatis ſcilicet, quæ in ſpe, charitate, & cæteris virtutibus eſt, præter eam, quæ ad fidem neceſſariò præſupponitur; ut abunde probatum eſt, & apud Orthodoxos Theologos nulli expoſitum diſceptationi.

4 Denique liber recentiſſimus hoc titulo: *Variæ Theologorum Galliæ Obſervationes in Conſtitutionem Sanctiſſimi* D. N. Clementis *Papæ* XI. &c. pag. 63. objicit Cardinalem de Aguirre, dicentem: *Omnium gratiarum, Theologicè acceptarum, ſive quod perinde eſt, omnium ſpecialium auxiliorum, quæ per Chriſtum conceduntur, initium ducit gratia fidei* Adeo citatum tomum 3. Theologiæ S.Anſelmi commentariis illuſtratæ diſp. 113. ſect. 4. num.34. ſed in mea editione, quæ eſt Romana anni 1690., nihil reperio ſimile. Supponamus tamen in aliquo numero erratum eſſe, & verba alibi reperiri; quid cogit *gratiam fidei* hic intelligi ipſam fidem, & non gratiam, ex qua fides gignitur? Ipſe adverſarius tamquam ſcopi ſui oblitus mox pag. ſequenti citat ejuſdem Eminentiſſimi diſputationem 128. Sectionem 1. num. 60. de quo ſic teſtatur: *Agnoſcit Cardinalis Aguirre, primam gratiam, cujus ope Ethnici incipiunt credere in Deum ut remuneratorem, fidem eſſe revera ſupernaturalem*, ubi ſi agnoſcit Cardinalis primam gratiam, cujus ope Ethnici incipiunt credere, minimè obſcurè indicat, primam gratiam non eſſe fidem, ſed cauſam fidei, ſive auxilium ad credendum diſponens, excitans, adjuvans, *cujus ope Ethnici incipiunt credere*.

5 Hoc de Cardinalis mente teſtimonium apertiſſima veritas adverſario expreſſit, ſic enim Eminentiſſimus loco citato, „ Quilibet gentiles adulti, ſaltèm ſemel, aut iterum, vel tempore, aut loco opportuno „ juxta beneplacitum Dei præveniuntur auxilio aliquo gratiæ excitantis, juxta illud „ Auguſtini lib. contra epiſtolam fundamenti cap.37. ita conſolantis naturam lapſam: „ *Neque tamen ſinè miſericordia derelicta es, quæ certis temporum, rerumque menſuris vocaris, ut redeas*. Itaque gentiles eo auxilio poſſunt proximè, & immediatè credere exiſtentiam unius Dei, & quod remunerator ſit, ac ſubinde concipere aliquem pium, & ſupernaturalem affectum, ad quærendum ipſum per orationem, eleemoſynas, & honeſta opera . . . quare in eo eventu auxilia gentilibus data, ſunt proximè ſufficientia ad fidem inchoatam, & imperfectam unius Dei remuneratoris: at verò ſolùm remotè ſufficientia, ad habendum fidem explicitam in Chriſtum, ſinè qua nemo de facto ſalvatur. „ ubi habemus exploratiſſimam Cardinalis Sententiam de *auxilio aliquo gratiæ excitantis, quo gentiles poſſunt proximè, & immediatè credere exiſtentiam unius Dei*: Datur igitur gratia excitans fidem, quæ proinde à fide diſtinguitur, eamque præcedit, ut cauſa, vel diſpoſitio effectum. Sic adverſario acceptam referre debeo novam confirmandæ veritatis authoritate Cardinalis Eruditiſſimi occaſionem. Plura ex eodem dedi ſupra.

Vigeſimaoctava Damnata Propoſitio.

Prima gratia, quam Deus peccatori concedit, eſt peccatorum remiſſio. *Obſerv. Moral. Marci* 11. *v.* 25.

CAPUT I.

Propoſitio adverſatur Scripturis Sacris.

1 APOCAL. 3. verſ. 20. dicit Dominus, *Ecce ſto ad oſtium, & pulſo: ſi quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi januam, intrabo ad illum, & cœnabo eum illo, & ipſe mecum.* In quæ verba ita Concilium Senonenſe, poſt traditam Divini adjutorii ad omne opus ſalutiferum neceſſitatem, monet can. 15. *Neque tamen tanta gratiæ neceſſitas libero præjudicat arbitrio; cùm illa ſemper in promptu ſit; & neque momentum quidem prætereat, in quo Deus non ſtet ad oſtium, & pulſet: cui ſi quis aperuerit januam intrabit ad illum, & cœnabit cum illo.*

2 Propoſitio verò damnata nullam penitùs concedi patitur peccatoribus gratiam, quæ non ſit ipſa peccatorum remiſſio. Unde Infidelibus, Judæis, Hæreticis, quibus nunquam obtingit converſio, nulla unquam obvenit gratia. Idem eſt de omnibus in Eccleſia peccatoribus, quamdiu in peccato permanſerint. Quæ ſi ita ſint, fallax eſt Dei aſſertio ſignificans ſe ſtare ad cujuſque hominis adulti, præcipuè Chriſtiani peccatoris oſtium, illudque pulſare, ut ſibi aperiatur, quo ad illum intrare per gratiam ſanctificantem valeat, & familiariùs cum illo converſari. Dicere juxta Queſnellum Dominus debuiſſet: Ecce ad nullius oſtium ſto pulſans, niſi quod ego ipſe ſtatim primo pulſu ultrò mihi pando, neminem expectans, ut aperiat, nullius præſtolans conſenſum.

3 Non minùs fraudulenta eſſet, ſi non & apertiſſimè mendax Dei declaratio Iſaiæ 65. verſ. 2., & Rom. 10. verſ. 12. *Expandi manus meas tota die ad populum non credentem, & contradicentem.* Si nihil Deus unquam auxilii conceſſerit, quo credere populus poſſet, vel orare, aut ullum opus pium exercêre, ſe ad juſtitiam, vel fidem diſponere, vel eam deſiderare, aut de ea cogitare, ſicut oportet. Quo ſenſu ſano dicere Deus potuit ſe ad illum tota die expandiſſe manum? Quod nihil auxilii populo iſti juxta Queſnellum præſtiterit, patet ex eo, quòd populus non crediderit, ſed incredulus hucuſque maneat, & contradicens; atque adeò alienus à juſtitia. Nam ut prima gratia, data peccatoribus, ſit peccatorum remiſſio, neceſſe eſt ſimul ſit liberatio ab incredulitate, & ad fidem atque juſtitiam converſio. Simile eſt quod dicitur Proverb. 1. *Vocavi, & renuiſtis: extendi manum meam, & non erat qui aſpiceret.* Iniqua exprobratio eſt, ſi ex omnibus, quibus intorquetur peccatoribus, nullus ſe convertere potuerit. Nullus autem potuit deſtitutus omni gratiæ auxilio, quod ſi adfuiſſet vel minimum, fuiſſet peccatoris cujuslibet, aliàs obduratiſſimi, ſanctificatio; ſiquidem Queſnellum audiveris. Sed eum errare graviter, convincunt Scripturæ ſingulæ, atque hæc in primis, in qua vocatio, & invitatio amantiſſima cum extenſione manûs ad adjuvandum, auxilium ſufficiens à Deo non denegatum; ſed à Peccatoribus contemptum indicat; atque ita non defuiſſe illis primam gratiam; non tamen ſecutam propterea peccatorum remiſſionem.

4 Iſaiæ 5. *Quid eſt*, inquit Deus, *quod debui ultra facere vineæ meæ, & non feci ei? An quod expectavi ut faceret uvas, & fecit labruſcas?* Nihil uvarum producere vinea potuit deſtituta omni culturæ præſidio, ut deſtitutam fuiſſe juxta Queſnellum colligitur ex eo, quod non niſi labruſcas eam protuliſſe teſtimonio Dei diſcimus; quia vel minimum culturæ initium labruſcas omnes ſuſtuliſſet, vineamque Domino charam, & fructiferam reddidiſſet.

5 Matth. 23. *Jeruſalem, Jeruſalem, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos ſuos ſub alas, & noluiſti!* Peccatrix Jeruſalem hìc increpatur, quòd converti, & protegi à Deo noluerit, vocata toties fruſtrà, & amantiſſimè invitata. Sed potuitne rebellis Deo, ſe ei reconciliare, ad eum accedere ſinè ulla gratia? Solus affirmaverit Pelagius. Nullam adfuiſſe juxta damnatum Articulum patet, ex eo quòd Jeruſalem rebellis permanens, congregari filios ſuos à Chriſto noluerit, aliàs certiſſimè convertenda, ſi vel tenuiſſimus Divini luminis ei radius effulſiſſet. Quænam igitur ea eſt, quam patheticè adeò exclamans, & illacrymans Servator prædicat, vocatio, & invitatio? Non interna; hæc enim juxta novos Theologos optatiſſimum ſe ipsâ præſtat ſanctitatis effectum. Num externa ſolummodo? Nota eſt Propoſitio quinta: *Quando Deus non emollit cor per interiorem unctionem*

nem gratiæ ſua, exhortationes, & gratiæ exteriores ad nihil ſerviunt, niſi ad illud magìs obdurandum.

6 Idem ſtatue de vocatione, quæ eſt Matth. 11. *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos.* Supervacanea, & fallax, imò noxia peccatoribus eſt expreſſa ſolis vocibus invitatio ob Propoſitionem quintam jam relatam. Si invitationi externæ vocatio interna acceſſerit, hæc ſola juxta præſentem Articulum tribuit effectum, peccatores reficit, ab omni liberans iniquitate, Dei oculis reddit amabiles, & dignos hereditate filiorum, quod cùm ex infinita peccantium multitudine paucis obveniat, perſpicuum eſt, neminem cæterorum à Chriſto fuiſſe interiùs vocatum, neminem vel minimo gratiæ præventum auxilio, ſi *prima gratia, quam Deus concedit peccatori, eſt peccatorum remiſſio.* Sic igitur derelicti illi peccatores, à Chriſto miſerè deluſi fuerint, quando ſe à Chriſto fuiſſe invitatos ſeriò, & ad eum accedere per pœnitentiam potuiſſe exiſtimaverint, cum non magìs id in poteſtate eorum fuerit, quam ut quidem ait Janſenius lib. 2. de Gratia Chriſti cap. 1. *Homini cæco ut videat, vel ſurdo ut audiat, vel tibiis fracto, ut rectè gradiatur.*

7 Quo ſenſu verò juxta doctrinam Articuli hortari Deus potuit peccatores omnes Iſa. 1. *Lavamini: mundi eſtote: auferte malum cogitationum veſtrarum . . . . ſi fuerint peccata veſtra ut coccinum, quaſi nix dealbabuntur?* Non enim illi lavare ſe, mundi eſſe, & auferre malum cogitationum ſuarum potuere ſolis naturæ viribus; præter paucos autem converſos, reliqui omnes deſerti à Deo ſunt abſque omni, vel tenuiſſimo gratiæ ſubſidio, ſi prima qnælibet conceſſa peccarori gratia ſit peccatorum remiſſio.

8 Reſtrictionem mentis Deo indigniſſimam affingit eadem Propoſitio, dum Ezech. 18. *Nunquid voluntatis meæ eſt mors impii, dicit Dominus Deus, & non ut convertatur à viis ſuis, & vivat? Nolo mortem morientis dicit Dominus: revertimini, & vivite.* Idem inculcatur cap. 33. Quomodo enim Deus non vult *mortem morientis impii*, quomodo vult ut *à viis ſuis convertatur, & vivat*, ſi nihil ei præſtet auxilii, quo à viis ſuis converti valeat, & à morte animæ liberari? Ita fallit Deus non unum; ſed omnes in peccatis infelicem animam exhalantes; vel minimum enim, quod eis præbuiſſet gratiæ ſubſidium, abſque dubio effeciſſet, ut nullus eorum reſiſteret; ſed omnes, nemine penitùs excepto, reverterentur à viis ſuis peſſimis, omnes à morte animæ liberarentur; cùm ipſa *prima gratia* fuiſſet eis *peccatorum remiſſio*, juſtitia, ſanctitas.

9 Ejuſdem reſtrictionis, & propriè dicti mendacii reus ſit Apoſtolorum Princeps Petrus, ac per eum loquens Spiritus Sanctus Epiſt. 2. cap. 3. ubi Deus deſcribitur veluti *Nolens aliquos perire; ſed omnes ad pœnitentiam reverti*, cùm nemo judicii ſani, & candidi pectoris dicturus ſit, voluiſſe Deum ſeriò omnes ad pœnitentiam reverti, & nullum perire peccantium, ſi inter tot pereuntium millia, nè uni quidem vel micam gratiæ ad pœnitentiam, ſeu proximè, ſeu remotiſſimè ſufficientis, vel qua ſufficientem petere poſſet, tantopere prædicata Dei benignitas elargita ſit; hæc enim ipſa prima, vel tenuiſſima gratiæ ſtilla fuiſſet ei *peccatorum remiſſio*, inquit Articulus. Ab eodem etiam gentium Apoſtolus ſtatuitur nos ſimili circumveniens fallaciâ, cùm 1. Tim. 4. de Deo teſtatur, quòd ſit *Salvator omnium hominum, maximè fidelium*, qui omnes in Hæreſi, Judaiſmo, & quacumque Infidelitate natos, educatos, mortuos, toto vitæ tempore reliquerit ſinè minimo gratiæ auxilio, quo fidem amplecti, pœnitentiam agere, & ſalvari potuiſſent. Quomodo Deus illorum omnium Salvator, Chriſtus Redempror dici valeat, nemo, niſi in Queſnelli, & Janſenii ſchola edoctus, intelliget.

10 Non ſufficit, ſi nos novus Theologus remittat ad voluntatem Dei ante primi hominis peccatum; nam Apoſtolus homines lapſos alloquens teſtatur, quàm Deus erga ipſos etiam in hoc luctuoſo ſtatu benignus, & miſericors ſit, quàm ſeriò cupiat lapſos omnes ſurgere, & pœnitentiâ ad ſe reverti; quàm firmam ſalutis conſequendæ fiduciam concipere omnes poſſint, ac debeant, modò quod in ſe eſt, ipſi præſtiterint, ſufficienti gratiæ præſidio nunquam eis, ſaltèm petentibus, denegando. Ar Queſnellus nihil hìc libero relinquens arbitrio, nullam exigens cum gratia cooperarionem, nullum hominis conſenſum, ipſam primam qualemcumque gratiam ſtaruit peccatoris juſtificationem, quam conſtat ſinè omni gratia eſſe impoſſibilem.

11 Magnificè Dei in omnes homines miſericordiam deſcribit Eccleſiaſticus cap. 18. *Quid eſt homo*, inquit, *& quæ eſt gratia illius? Propter hoc patiens eſt Deus in illis, & effundit ſuper eos miſericordiam ſuam, ... miſericordia autem Dei ſuper omnem carnem.* Quænam ea miſericordia eſt erga partem hominum longè maximam, quæ in peccato nata, nunquam ad juſtitiam pervenire in Queſnelli ſententia potuit, omni penitùs ſalutis ſubſi-

dio deſtituta, nullo vel minimo donata, quo ſaltèm eminus ad juſtitiam aſpirare licuiſſet; nam prima quæ peccatoribus conceditur gratia, juxta prætenſum huuc Auguſtini diſcipulum, eſt ipſa peccatorum remiſſio. Omnem itaque Dei erga peccatores illos miſericordiam in ſolis quibuſdam donis naturalibus, & exterioribus beneficiis terminari neceſſe eſt. Sed quænam ea beneficentia eſt, ſolis cumulandis peccatis, & augendis apud inferos ſuppliciis idonea, quando juxta Articulum 5. *Deo non emolliente cor per interiorem unctionem gratiæ ſuæ, exhortationes, & gratiæ exteriores non inſerviunt, niſi ad illud magis obdurandum*? Fruſtrà Peccatoribus illis objicitur 2. Theſſ. 2. *Charitatem veritatis non receperunt, ut ſalvi fierent; ideo mittet illis Deus operationem erroris*. Nunquam enim charitatem veritatis recipere potuerunt, nullo unquam conceſſo gratiæ auxilio. Neque dixeris, eos peccandi ſemper gratiæ obicem poſuiſſe: quomodo enim à peccando abſtinere potuerunt, quando juxta Articulum 38. *Peccator non eſt liber niſi ad malum, ſinè gratiâ Liberatoris*? Juxta Art. 40. *Sinè gratiâ nihil amare poſſumus, niſi ad noſtram condemnationem*. Juxta 39. *Voluntas, quam gratia non prævenit, nihil habet luminis, niſi ad aberrandum; ardoris, niſi ad ſe præcipitandum; virium, niſi ad ſe vulnerandum*?

12 Quænam iterum in Queſnelli ſententia eſſe poteſt ea Dei erga peccatores reprobos miſericordia, ut ſingulis dum adhuc in viâ ſunt, inculcatum cupiat illud Roman. 2. verſ. 5. *Benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit; tu autem ſecundùm duritiem tuam, & impœnitens cor, theſaurizas tibi iram in die iræ*? Nullum ſimilem adducere unquam ad pœnitentiam conatus eſt Deus, ſi prima gratia, quam Deus peccatori concedit, ſit peccatorum remiſſio. Nam, ut peccatori ad pœnitentiam ſinè præveniente, & excitante gratiâ pertingere impoſſibile eſt, ita Deus ignorare non poteſt, omnem ſinè tali auxilio conatum ad conſecutionem pœnitentiæ inutilem neceſſariò fore; quomodo igitur Articulus cum veritate conciliet in vel uno caſu, quod ex Pauli ad Romanos epiſtola jam allatum eſt, *Benignitas Dei &c.*

13 Fruſtranea pariter, & Deo indigna juxta Articulum foret monitio, prout ad peccatores dirigitur pſalm. 94. *Hodie ſi vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda veſtra*. Nam ſi per vocem intelligatur gratia, vel hæc eam comitetur, cùm ſit ipſa peccatorum remiſſio, non eſt periculum, nè ad iſtiuſmodi vocem cor cujuſpiam ſe obduret. Si verò *vox* ſolummodo exteriùs ſonans abſque interiore gratia fuerit, impoſſibile eſt eam *audiri*, ſicut oportet, & non *obdurari cor* juxta Art. 5. jam citatum cum 38. 39. 40.

14 Dilectus Chriſti diſcipulus ſupra pectus ejus recumbens, indè ſuaviſſimam, & conſolationis plenam hauſerat doctrinam, quam promit primo Evangelii ſui capite: *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem, venientem in hunc mundum*. Ubi tam generalis omnium hominum illuminatio, ſi adultorum pars longè maxima, Divino lumine, & omni vel minima ejus ſcintillâ perpetuò deſtituta manſerit, ut conſtat eam manſiſſe ſinè fide, quæ juxta Art. 27. *eſt prima gratia*, & hæc juxta præſentem Articulum *peccatorum remiſſio*, quam conſtat ſinè fide non concedi, ſinè qua Deo placere, teſte Apoſtolo, impoſſibile eſt? Denique ſi prima gratia, quæ peccatori conceditur ſit peccatorum remiſſio, Judæi non ſemper reſiſterent Spiritui Sancto, ut eis exprobrat S. Stephanus Act. 7. Non enim reſiſtunt primæ gratiæ, quæ ipſa ſit remiſſio peccatorum.

CAPUT II.

Eadem Propoſitio non cohæret cum doctrina Conciliorum, præcipuè Tridentini.

1 Concilium Lateranenſe, ſub Innocentio III. capite *Firmiter* ſic definit: „ Si poſt ſuſceptionem Baptiſmi quiſpiam relapſus fuerit in peccatum, per veram pœnitentiam ſemper poteſt reparari. „ Ubi quivis intelligit, doceri veram pœnitentiam peccatoribus omnibus eſſe, Deo adjuvante, poſſibilem. Ut autem ex infinita peccantium multitudine, pauci veram pœnitentiam agunt, dicendum foret juxta damnatum Articulum, paucis illam eſſe poſſibilem, cùm iis ſolis obtingat gratia, quibus conceditur reconciliatio, & ſatis conſtat ſinè gratia pœnitentiam, & juſtificationem haberi non poſſe.

2 Concilium Arauſicanum Secundum canon. 25. „ Hoc ſecundùm Fidem Catholicam credimus, quod acceptâ per baptiſmum gratiâ, omnes baptizati, Chriſto auxiliante, & cooperante, quæ ad ſalutem pertinent, poſſint, & debeant, ſi fideliter cooperari voluerint, adimplere. „

3 Confirmat id Concilium Valentinum III. dicens: „ Nec ipſos malos ideo perire, quia boni eſſe non potuerunt; ſed quia boni eſſe noluerunt, ſuoque vitio in maſſa damnationis, vel merito originali, vel etiam actuali permanſerunt. „ Habuere igitur auxilium, quo è peccato ſive originali, ſive

ſive etiam actuali, atque ita è maſſa damnationis emergere poterant; ſed neglexerunt: Non neglexiſſent autem, ſi quælibet conceſſa peccatoribus gratia foret ipſa peccatorum remiſſio.

4 Concilium Tridentinum ſeſſ. 6. cap. 6. de modo, quo præparantur peccatores ad juſtificationem, ſic docet: „ Diſponuntur autem ad ipſam juſtitiam, dum excitati Divinâ gratiâ, & adjuti, Fidem ex auditu concipientes liberè moventur in Deum, credentes, vera eſſe, quæ divinitus revelata, & promiſſa ſunt.... & dum peccatores ſe eſſe intelligentes à Divinæ juſtitiæ timore, quo utiliter concutiuntur, ad conſiderandam Dei miſericordiam, ſe convertendo, in ſpem eriguntur, Deum ſibi propter Chriſtum propitium fore, illumque tanquam omnis juſtitiæ fontem diligere incipiunt; ac propterea moventur adverſùs peccata, per odium aliquod, ac deteſtationem, hoc eſt per eam pœnitentiam, quam ante baptiſmum agi oportet. Denique dum proponunt ſuſcipere baptiſmum, inchoare novam vitam, & ſervare Divina mandata. „ Enumeratis accurato ordine actibus, quos præparatio ad juſtificationem complectitur; ſubjungit ſtatim Concilium initio cap. 7. *Hanc diſpoſitionem, ſeu præparationem juſtificatio ipſa conſequitur.*

5 Damnatus Articulus longè breviorem, & commodiorem juſtificationis modum comminiſcitur, quando eam tribuit primæ gratiæ, quæ peccatori conceditur. *Accedentem ad Deum, oportet credere, quia eſt, & quod inquirentibus ſe remunerator ſit*, ut ait Apoſtolus Hebr. 11. & Tridentinum ſeſſ. 6. can. 3. anathema vibrat in aſſerentes, *ſinè præveniente Spiritûs Sancti inſpiratione, atque ejus adjutorio hominem credere... aut pœnitere poſſe ſicut oportet, ut ei juſtificationis gratia conferatur.* Cùm autem Fides inter actus hominis ſalutiferos prima ſit; ſive, ut definit Synodus ſeſſ. 6. cap. 8. ſit *humanæ ſalutis initium, fundamentum, & radix omnis juſtificationis; ſinè quâ* (Fide) *impoſſibile eſt placere Deo, & ad filiorum ejus conſortium pervenire*; neceſſe eſt, juxta præſentem Queſnelli Articulum, junctum canoni 3. jam citato, remiſſionem peccatorum, atque adeò juſtificationem concedi ante omnia præparationis opera Fide poſteriora, imò concedi ante ipſam Fidem, cùm Spiritûs Sancti inſpiratio, & adjutorium Fidem neceſſariò præveniat, juxta can. 3. quam inſpirationem, quod adjutorium, utpote primam gratiam, eſſe ipſam peccatorum remiſſionem præſens Queſnelli Propoſitio enunciat. Sed quomodo tunc Concilium cap. 6. omnes longa ſerie recenſet hominis pœnitentis actus tanquam diſpoſitiones ad juſtitiam, ſi hæc primo præveniente gratiæ auxilio obtenta ſit? Quomodo omnibus illis adeò diſertè deſcriptis actibus ſtatim ſubditur ineunte cap. 7. *Hanc diſpoſitionem, ſeu præparationem, juſtificatio ipſa conſequitur*?

6 Non poteſt Queſnellus præſentem ſuum Articulum ſubducere Tridentino anathemati ſeſſ. 6. can. 9. *Si quis dixerit, ſolâ Fide impium juſtificari, ita ut intelligat, nihil aliud requiri, quod ad juſtificationis gratiam conſequendam cooperetur, & nulla ex parte neceſſe eſſe, eum ſuæ voluntatis motu præparari, atque diſponi, anathema ſit.* Juxta Queſnelli Articulum ſola Fide impius juſtificatur, ſuppoſito Articulo præcedente, *quòd Fides ſit prima gratia*; ſuppoſitâ autem veritate Catholicâ definitâ Tridentini can. 3. Quod nemo poſſit *credere ſicut oportet, ſinè præveniente Spiritûs Sancti inſpiratione, & adjutorio*, Fidem ipſam juſtificatio juxta damnatum Articulum antecedit, quia *prima gratia, quam Deus concedit peccatori, eſt peccatorum remiſſio.*

7 Veniamus ad ſeſſionem 14. quæ agens de Sacramento Pœnitentiæ non minùs claram Queſnelliani Articuli ſubverſionem continet cap. 1. de Pœnitentiæ virtute: „ Fuit quidem, inquit, Pœnitentia univerſis hominibus, qui ſe mortali aliquo peccato inquinaſſent, quovis tempore ad gratiam, & juſtitiam aſſequendam neceſſaria, illis etiam, qui baptiſmi Sacramento ablui petiviſſent, ut perverſitate abjectâ, & emendatâ tantam Dei offenſionem cum peccati odio, & pio animi dolore deteſtarentur; unde Propheta ait: Convertimini, & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus veſtris, & non erit vobis in ruinam iniquitas. Dominus etiam dixit: Niſi pœnitentiam egeritis omnes ſimiliter peribitis.

8 Videt hìc lector Catholicus Concilii Oecumenici doctrinam damnato articulo penitùs adverſantem. Et quidem non inſtitutionem recentem, aut humanam; ſed præceptum Divinum, imò naturale, atque hinc dogma omni tempore inconcuſſum, ſemper à fidelibus agnitum, & uſu perpetuo conſecratum; videlicet pœnitentiam univerſis, qui ſe peccato mortali inquinaverint, eſſe neceſſariam ad gratiam, & juſtitiam aſſequendam: ſinè pœnitentiâ peccatores neceſſariò perire. Juxta Articulum verò prima pia cogitatio à Spiritu Sancto inſpirata, *Prima gratia, quam Deus concedit peccatori, eſt peccatorum remiſſio.* Proinde cum juxta ſeſſionis 6. canonem 3. neminem poſſit peccati *pœnitêre ſinè præveniente Spiritûs inſpiratione*, neceſſe eſt pecca-

ta

Digitized by Google

ta ſemper ante pœnitentiam remitti, atque adeò ſalvari, quemcunque contingeret cum tali inſpiratione ante pœnitentiam emori.

9 Seſſ. 14. cap. 4. dicitur: „ Contritio, „ quæ primum locum inter dictos pœnitentiæ actus habet, animi dolor, ac deteſtatio „ eſt de peccato commiſſo, cum propoſito „ non peccandi de cætero. Fuit autem quo„ vis tempore ad impetrandam veniam pec„ catorum hic contritionis motus neceſſa„ rius, & in homine poſt baptiſmum lapſo „ ita demum præparat ad remiſſionem pec„ catorum, ſi cum fiducia Divinæ miſericor„ diæ, & voto præſtandi reliqua conjunctus „ ſit, quæ ad rite ſuſcipiendum hoc Sacra„ mentum requiruntur „. Damnatus Articulus tot reſciſſis ambagibus, breve juſtificationis compendium ſtatuit in prima, quæ peccatori conceditur gratia, quam ex Tridentino conſtat eſſe piam cogitationem quæ Pœnitentiam, & Fidem ipſam neceſſariò præcedit.

10 Eodem cap. de contritione imperfecta, ſeu attritione Synodus declarat . . . . „ Donum Dei eſſe, & Spiritus Sancti impul„ ſum, non adhuc quidem inhabitantis; ſed „ tantùm moventis, quo pœnitens adjutus, „ viam ſibi ad juſtitiam parat: & quamvis ſinè „ Sacramento Pœnitentiæ per ſe ad juſtifica„ tionem perducere peccatorem nequeat; „ tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento „ Pœnitentiæ impetrandam diſponit. Quam„ obrem falsò quidam calumniantur Catho„ licos ſcriptores, quaſi tradiderint, Sacra„ mentum Pœnitentiæ, abſque bono motu „ ſuſcipientium, gratiam conferre, quod „ nunquam Eccleſia Dei docuit, nec ſenſit. „ Ita Tridentinum. Articulus verò, quem hìc impugnamus, non patitur, attritionem, ſi Dei donum ſit, & Spiritus Sancti impulſus, negari eſſe Spiritûs Sancti inhabitantis; cùm, remiſſis per primam gratiam peccatis, non ſit cur Spiritus Sanctus animam non inhabitet; remiſſis, inquam, ante ipſam attritionem peccatis per primam gratiam, quæ non ſolùm Pœnitentiam; ſed Fidem ipſam neceſſariò prævenit, juxta ſeſſ. 6. can. 3. ſæpius citatum. Saltèm juxta Queſnelli Articulum præcedentem prima gratia eſt Fides: unde hæc ſaltèm ad Pœnitentiam diſpoſitio ſemper peccatorum remiſſionem obtinet, vel potiùs *ipſa* eſt peccatorum remiſſio.

11 Præſens Articulus aliquo modo confirmat memoratam hæreticorum calumniam; ſi enim prima gratia ſit remiſſio peccatorum, cùm prima gratia non ſit bonus motus hominis, ſed Spiritus Sancti, abſque libera noſtri cooperatione arbitrii, excitatus, eatenus inſultare nobis pergent hæretici, quòd juſtificationem ſtatuamus, abſque *bono motu ſuſcipientium*.

12 Eadem ſeſſione can. 1. infligitur anathema: *Si quis dixerit in Catholica Eccleſia Pœnitentiam non eſſe verè, & propriè Sacramentum pro fidelibus, quoties poſt baptiſmum in peccata labuntur, ipſi Deo reconciliandis à Chriſto Domino noſtro inſtitutum*. Can. 15. *Si quis dixerit, claves Eccleſiæ eſſe datas tantùm ad ſolvendum, non etiam ad ligandum, anathema ſit*. Sacramentum Pœnitentiæ numquam peccatores Deo reconciliat, ſi prima gratia, quæ neque eſt actus liber pœnitentis, neque ullo modo actus Sacerdotis Sacramentum adminiſtrantis, ſit peccatorum remiſſio. Neque propriè ligare, ſeu retinere peccata Sacerdos poterit, quæ ante Sacramentum ſemper fuerint remiſſa; certè quotum remiſſio, aut retentio ab ipſo non magis pendeat, quàm conceſſio, aut ſuſpenſio primi auxilii Sacramentum antecedentis.

CAPUT III.

Eadem Propoſitio convellitur Romanorum Pontificum Definitionibus.

1 PAganos, Judæos, Hæreticos, aliosque hujus generis, quamdiu tales manſerint, nunquam juſtificari; ſed ſemper hærere merſos ſordibus peccatorum, nemo Catholicus negaverit: adeò admiſſum ab omnibus Apoſtoli axioma eſt, *Sinè Fide impoſſibile eſt placere Deo*. Verùm, ſi *prima gratia, quam Deus concedit peccatori, ſit peccatorum remiſſio*, neceſſe erit omnem penitùs illis gratiam abjudicare; atque ita aſſerere, quòd *Pagani, Judæi, Hæretici, aliique hujus generis, nullum omnino accipiunt à* Jesu *Chriſto influxum; adeòque hinc rectè inferes, in illis eſſe voluntatem nudam, & inermem ſinè omni gratia ſufficienti*, quæ eſt Propoſitio 5. inter 31. damnatas ab Alexandro VIII. Quomodo autem illi ſua voluntate nuda, & inermi abſque ulla gratia vel remotiſſimè ſufficienti credere in Deum poterunt, ſperare, diligere, pœnitentiam de peccatis agere, & ad Deum converti? Quomodo ſuperare tentationes? Quomodo implere præcepta, quæcunque ſinè gratiæ auxilio ſervari ab homine infirmo nequeunt? Et tamen ea tranſgrediendo, vel non implendo culpam contrahunt, & merentur ſupplicia juxta Adverſarios, & cæteros Janſenii diſcipulos. Sic incurritur cenſura hæreſeos inflicta tertio Janſenii Articulo, *Ad merendum & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ, non requi-*

quiritur libertas à neceſſitate ; ſed ſufficis libertas à coactione.

2 Neceſſitas, inquies, eſt ipſis voluntaria, & conſequens; tum quia ſequitur ex peccato, quod commiſerant in Adamo, tum quia in illo habitualiter perſeverant, & peccata continuò peccatis cumulando, denegationem omnis auxilii merentur, atque ita neceſſitas ipſis non abſoluta eſt, nec propriè antecedens. Audio; ſed ea, quæ diſtinctio iſta confundit, altera magls ampla diſtinctio diſcernat: & ſententiæ inter Catholicos diſputatæ neque prohibitæ, etiam quibus minimè conſentio, à damnatis Queſnelli Articulis hic ſeparandæ ſunt. Illos enim, non has, ut ab initio indicavi, refellere in toto opere mihi eſt animus; quod & ſemper intellectum velim, nè repetere ſæpius neceſſe ſit.

3 Dico igitur in primis libertatem, quæ omnibus fuit in Adamo, & ad peccatum originis ab omnibus contrahendum ſuffecerat, non ſatis eſſe ad peccata perſonalia, quæ propriis ſingulorum actibus perpetrantur. Ut enim ait S.Thomas in 2.ſentent.diſt.30. qu.1. art.2. in corp. *Oportet, quòd ſecundum hoc, quòd aliquid rationem culpæ habet, ſecundùm hoc ratio voluntarii in ipſo reperiatur. Sicut autem eſt quoddam bonum, quod reſpicit naturam, & quoddam, quod reſpicit perſonam; ita etiam eſt quædam culpa naturæ, & quædam perſonæ, ſicut patet in culpa actuali, quæ per actum perſonæ committitur. Ad culpam verò naturæ,* (ſcilicet ad peccatum originale) *non requiritur voluntas niſi in natura illa.* Nec oppoſitum huic aſſertioni eſt probabile; ſed damnatum. Alioquin motus primò primi ſenſualitatis, infidelitas negativa, & ignorantia invincibilis eſſent peccata perſonalia, & formalia, utpotè voluntaria in capite, atque ea peccata & vitandi impoſſibilitas, ex delicto originis profecta ſunt. Iſtud autem conſectarium cum ſuo, unde profluit fonte, erroneum eſt, & meritò ab Alexandro VIII. in hac prima inter 31. Propoſitiones condemnatum: *In ſtatu naturæ lapſæ ad peccatum formale, & demeritum ſufficit illa libertas, qua voluntarium, ac liberum fuit in peccato originali, & voluntate Adami peccantis.*

4 Aſſero præterea quod attinet ad habitualem in originis peccato perſeverantiam, quæ non reperitur in hominibus in infantia baptizatis, ſive hæretici ſint, ſive obduratiſſimi Catholici, non poſſe iſtis eam maculam dici ampliùs voluntariam, neque indè ortam neceſſitatem ad culpam ampliùs imputari; quandoquidem illam originis maculam lavacro Spiritus Sancti ablutam in illis fuiſſe, Catholicis omnibus eſt exploratiſſimum.

5 Judæi quòque, Pagani ac infideles omnes, etiam negativi, habuerunt intrinſecè auxilia ſufficientia qualiſcunque ea ordinis fuerint, ſive ſupernaturalia, ut paſſim fit, & communior ferr ſententia; ſive ſaltèm naturalia, quibus vitare potuerunt prima peccata perſonalia, & implere eam legem, ad quam tunc obligatione inexcuſabili tenebantur. Ex oppoſito enim ſequeretur, quòd ea prima peccata imputarentur carentibus poteſtate ſimpliciter antecedente omne peccatum perſonale, & ſolùm conſequente libertatem, ſeu potentiam ea vitandi, quam habuerunt in Adamo: atque adeò ad peccatum formale, & demeritum ſufficere voluntarium, ac liberum in peccato originali, & voluntate Adami peccantis, quod jam oſtendimus minimè tolerabile eſſe; ſed meritò condemnatum.

6 Hinc ſequitur, nullum adultum neceſſariò damnari, etiam ſuppoſitâ illorum opinione, qui dicunt, infideles negativos, nullum unquam recepiſſe intrinſecum ſufficiens auxilium ſupernaturale; quia habuere ſaltèm omnes auxilium ordinis naturalis, ſufficiens, quo ſi uſi fuiſſent, Deus ex mera ſua bonitate, miſericordia, liberalitate, conceſſiſſet eis gratias ſupernaturales, quibus illuminati fuiſſent in intellectu, & excitati in voluntate ad eliciendum actum fidei neceſſarium. Quæ opinio cùm neque communis ſit, neque gravi careat difficultate, eam ſuis Authoribus relinquo pro ſua defendendam libertate, ut eam hactenus non prohibet Eccleſia. Magis verò placet ſententia communior ſtatuens, omnes omnino homines viatores recipere pro loco, & tempore auxilia quædam ſupernaturalia ſufficientia ad ſalutem, ſaltèm remota, quæ cum infidelitate negativa facilè componuntur, ut paſſim explicant Doctores ſcholaſtici.

7 Ut ut ſit: hìc ſolummodo contendo, eſſe in omnium ſententia vitandum illud inconveniens, quòd aliquis homo utens ratione, vel qui ea uſus fuerit, ita neceſſariò damnetur, ut ſalutem nunquam ullo pacto in ſua habuerit poteſtate. Quod inconveniens vitare voluit S.Thomas q.14. de veritate. art.11. ſic enim ſibi objicit: *Illud non eſt ponendum, quo poſito ſequitur inconveniens; ſed ſi ponamus, quòd ſit neceſſarium ad ſalutem, quòd aliquid explicitè credatur, ſequitur inconveniens. Poſſibile eſt enim aliquem nutriri in ſilvis, vel inter lupos, & talis non poteſt explicitè aliquid de fide cognoſcere: & ſic erit aliquis homo, qui de neceſſitate damnabitur, quod eſt inconveniens.* Reſpondet Angelicus. *Ad primum ergo dicendum, quòd non ſequitur inconveniens, poſito quòd quilibet teneatur aliquid explicitè credere, ſi in ſilvis,*

Digitized by Google

ſilvis, vel inter bruta animalia nutriatur; hoc enim ad Divinam providentiam pertinet, ut cuilibet provideat de neceſſariis ad ſalutem, dummodo ex parte ejus non impediatur. Si enim aliquis taliter nutritus ductum naturalis rationis ſequeretur in appetitu boni, & fugâ mali, certiſſimè eſt tenendum, quod ei Deus, vel per internam inſpirationem revelaret ea, quæ ſunt ad credendum neceſſaria, vel aliquem fidei prædicatorem ad eum dirigeret, ſicut miſit Petrum ad Cornelium Actor. 10.

8 Sed & in Scholis omnibus Catholicis certum eſt, fideles omnes, etiam peccatores, ſaltèm communiſſimè (quidquid ſit de aliquibus ex obduratorum numero maximè excæcatis) recipere frequenter auxilia tum ad ſalutem, tum ad præceptorum obſervationem ſufficientia, quibus ipſi ſua prava voluntate ſæpiſſimè reſiſtant. Fides enim, quæ in peccatoribus manet, eſt ſpeculativa ſimul, & practica: neque manet paſſim ita ſopita, ut quaſi extincta videatur. Sed potiùs per eam excitatur intellectus ad conſiderandam ſui ſtatûs calamitatem, moveturque affectus ad pœnitentiam, & converſionem. Unde peccatoribus omnibus, vel ferè omnibus dat Deus aliqua, iique intrinſecè recipiunt auxilia ſufficientia. Certa pariter Theologorum ſententia eſt, quòd Judæi, Pagani, & Infideles cæteri, quibus prædicatur Euangelium ſicut oportet, recipiant intrinſecè, ſaltèm plerique, & pro prima vice, ſupernaturale auxilium ſufficiens ad credendum: cui ut plurimum obſtinatè reſiſtunt.

9 Cùm igitur in his Scholæ omnes conveniant Catholicæ, & neceſſe ſit omnes Eccleſiæ filios convenire, certum pariter eſſe debet, Queſnellianos Articulos eſſe ſanæ doctrinæ contrarios, & à Sede Apoſtolica meritò damnatos; quamvis abundare hìc ſinamus in ſenſu ſuo eos Theologos, qui exiſtimant, infideles negativos nunquam intrinſecè recipere auxilia ſupernaturalia, atque obduratos peccatores aliquos tam infideles, quàm fideles, etiam in tentatione gravi, non recipere intrinſecè auxilia ſufficientia ad converſionem, aliaque præcepta implenda, & nihilominus peccare ea non implendo, quia auxiliorum ſufficientium denegatio, eſt præcedentium pœna peccatorum perſonalium, ideoque implendi præcepti impoſſibilitas non eſt ſimpliciter antecedens, ſed conſequens propriæ libertatis exercitium in peccatis prioribus, quæ evitare potuerunt poteſtate expedita, & liberrima per auxilia, quæ receperant reipſa ſufficientia. Abundare, inquam, hìc ſinimus Theologos iſtos in ſenſu ſuo; cum illis enim hìc nobis bellum non eſt, neque cenſurarum in eos diriguntur aculei, quibus ſubinde Queſnellium, ejuſque rebelles contra Eccleſiam ſocios perſtringere neceſſe eſt: à prioribus in hoc opere præſcindere ſemper mihi animus eſt, & ſic à lectoribus intelligi cupio.

10 Sed quid indè præſidii pro damnatis ſuis erroribus eruent Queſnelliani, ad quos convincendos abundè ſufficiunt ea, in quibus omnes extra hanc Novaturientium turbam, conſentiunt Theologi; ſi nempe peccatores ſint innumeri, non tantùm Fideles, ſed etiam Hæretici, Judæi, & Pagani, quibus non ſolùm præparata ſint; ſed etiam in iis intrinſecè recepta tam naturalis, quàm ſupernaturalis ordinis auxilia ſufficientia, quique hujuſmodi gratiis Chriſti ſua prava voluntate ac libertate ſæpiſſimè reſiſtant, cùm poſſint non reſiſtere, quomodo ſtare poteſt Queſnelliana illa toties inculcata gratiæ definitio? Art. 11. *Gratia non eſt aliud, quàm voluntas omnipotentis Dei jubentis, & facientis, quod jubet.* 19. *Dei gratia nihil aliud eſt, quàm ejus omnipotens voluntas: hæc eſt idea, quam Deus ipſe nobis tradit in omnibus ſuis Scripturis.* 20. *Vera gratiæ idea eſt, quod Deus vult ſibi à nobis obediri, & obeditur: imperat, & omnia fiunt: loquitur tanquam Dominus, & omnia ſibi ſubmiſſa ſunt.* Quis Theologorum unquam ſimilem gratiæ definitionem tradidit? Contra omnes vel tironibus notiſſimas definiendi leges, definitio hæc, aut nulli, aut ſaltèm non omnibus convenit definitis: nulli, inquam, ſi intelligatur de voluntate Dei in ſe; non omnibus, ſi de effectu in hominibus recepto accipiatur; quandoquidem tot gratias peccatoribus adeſſe vidimus, quibus quod jubet Deus, non facit: quibuſque homo non ſe ſubmittit, neque obedit Deo loquenti tanquam Domino, & volenti ſibi ab homine obediri.

11 Plures Queſnelli definitiones aliæ modum continent à nullo Catholico admittendum, art. 9. *Gratia Chriſti eſt gratia ſuprema, ſinè qua confiteri Chriſtum nunquam poſſumus, & cum qua nunquam illum abnegamus.* 10. *Gratia eſt operatio manûs omnipotentis Dei, quam nihil impedire poteſt, aut retardare.* 17. *Gratia eſt vox illa Patris, quæ homines interiùs docet, ac eos venire facit ad* Jesum *Chriſtum; quicunque ad eum non venit, poſtquam audivit vocem exteriorem Filii, nullatenus eſt doctus à Patre.* 21. *Gratia* Jesu *Chriſti eſt gratia fortis, potens, ſuprema, invincibilis, utpote, quæ eſt operatio manus omnipotentis*, &c. Quæ definitiones certiſſimè ſunt de ſubjecto illimitato non reſtricto; ideoque de omni ſunt accipiendæ gratiâ generatim, niſi velit Queſnellus, etiam tempore Janſenianæ hæreſeos graſſantis, Eccleſiam compellere, ut à proprio, & obvio vet-

verborum ſenſu recedat, & benignâ, quam nulla circumſtantia permittit, interpretatione reſtrictionem adhibeat, ſeu limitationem, atque adeò ſerpenti hæreſi curſus liberrimus relinquatur. Quot carnis,& mundi illecebris, quot effrænatis deſideriis, & concupiſcentiis ſerviunt peccatores Hæretici, Judæi, Pagani, etiam ii inter Catholicos,qui unanimi Theologorum omnium conſenſu gratias intrinſecè recipiunt; & tamen Queſnellus negatione generali ait Art. 16. *Nullæ ſunt illecebræ, quæ non cedant illecebris gratiæ; quia nihil reſiſtit Omnipotenti*. Quaſi verò nullæ ſint illecebræ, ad quas depellendas Deus operetur aliâ gratiâ, quàm omnipotente.

12 Sæpiſſime Verbum Dei ſeminatur, & effuſione ſuæ gratiæ illud irrigat Deus, tam in peccatoribus Catholicis, quàm in Hæreticis, Judæis, & Paganis, ut omnes conſenſu unanimi Theologos docere ſuperiùs vidimus. Queſnellus tamen Articulo 18. ait: *Semen verbi, quod manus Dei irrigat, ſemper affert fructum ſuum.* Iſtud nempe maximè placet Queſnello: in iſtud præcipuè ſtudia ejus collimant, ut modis omnibus inculcet, peccatoris animum aut nullâ tangi gratiâ, aut, ſi tangitur, certiſſimè converti. Art. 13. *Quando Deus vult animam ſalvam facere, & eam tangit interiori gratiæ ſuæ manu, nulla voluntas humana ei reſiſtit.* 14. *Quantumcunque remotus à ſalute ſit peccator obſtinatus, quando* JESUS *ſe ei videndum exhibet lumine ſalutari ſuæ gratiæ, oportet ut ſe dedat, accurrat, ſeſe humiliet, & adoret Salvatorem ſuum.* 15. *Quando Deus mandatum ſuum, & ſuam æternam locutionem comitatur unctione ſui Spiritûs, & interiori vi gratiæ ſuæ, operatur illa obedientiam, quam petit.* 29. *Extra Eccleſiam nulla conceditur gratia.* Quia ſcilicet juxta Queſnellum, ſi Hæretico, Judæo, vel Pagano, concedatur gratia vel minima, illico deſinit is eſſe extra Eccleſiam; Eccleſiæ autem membrum efficitur, non Fide ſolummodo, ſed & Sanctitate præditum.

13 Art. 27. *Fides eſt prima gratia, & fons omnium aliarum.* Art. 28. *Prima gratia, quam Deus concedit peccatori, eſt peccatorum remiſſio;* ſi autem prima gratia ſit Fides, & peccatorum remiſſio, ſequitur manifeſtè, Hæreticos, Judæos, & Paganos omnes, qui nunquam crediderunt, & quibus nunquam remiſſa ſunt peccata, nullam unquam Chriſti gratiam habuiſſe, qua converti, & legem implere potuerint. Sunt igitur, & fuere toto tempore, quo in hæreſi, Judaiſmo, Paganiſmo vixerunt, deſtituti poteſtate ſimpliciter antecedenti omne pravum libertatis propriæ exercitium vitandi; ſuperfuerit autem ſolummodo libertas conſequens in Capite, quatenus potuerunt illam poteſtatis privationem effugere in Adamo: ut in illorum hominum peccatis primis evidentiùs oſtenditur. Judæi enim & infideles, baptiſmatis perpetuò expertes, in quibus proinde hæret macula originis, peccatumque illud habitu perſeverans, ſicut deſtituuntur Fide ac remiſſione peccatorum, deſtituuntur pariter juxta Queſnellum omni penitùs gratiæ ſubſidio. Quomodo autem illi, in hac novatoris hypotheſi, à primo usûs rationis momento uſque ad vitæ terminum poruerunt propriis actibus ſe à culpa originis liberare, & habitualem in ea perſeverantiam impedire? Undenam in primis illorum peccatis perſonalibus, quæ ſinè omni gratia vitare non potuerunt, oſtendes libertatem illis propriam, & memoratis Pontificum definirionibus requiſitam? Minùs invenies, ſi conſideraveris Articulum Queſnelli 38. juxta quem *peccator non eſt liber niſi ad malum ſinè gratia Liberatoris*.

14 Ita pariter *neceſſe erit, infidelem in omni opere peccare*, quæ eſt damnata ab Alexandro VIII. Prop. 8. inter 31. Ubi & continetur 25. Michaelis Baji à 3. Pontificibus proſcripta, *Omnia opera infidelium ſunt peccata, & Philoſophorum virtutes ſunt vitia.* Ibid. 40. *In omnibus ſuis actibus peccator ſervit dominanti cupiditati*. 35. *Omne, quod agit peccator, vel ſervus peccati, peccatum eſt*.

15 Præterea ſequitur 67. *Homo peccat, etiam damnabiliter, in eo quod neceſſariò facit;* ſi junxeris Queſnellianam 40. *Sinè gratia nihil amare poſſumus, niſi ad noſtram condemnationem*. Compoſito ſic demerito cum peccandi neceſſitate, non debuiſſet ab Alexandro VIII. proſcribi hæc 2. inter Propoſitiones 31. *Tametſi detur ignorantia invincibilis juris naturæ, hæc in ſtatu naturæ lapſæ operantem ex ipſa non excuſat à peccato formali*.

CAPUT IV.

Eadem Propoſitio contraria eſt traditioni Patrum, atque Angelico Doctori.

1 Dionyſius lib. de Cœleſti Hieratchia cap. 9. „ Nempe (inquit) in aliis „ gentibus, ex quibus & nos ad „ immenſum, & infinitum Divini luminis „ pelagus, quod ſemper paratum eſt, & patet „ omnibus ad participaudum, ex præteriti „ erroris cæcitate reſpiravimus, ad quod ſa„ nè obſequentes ducebant Angeli præpoſi„ ti ſingulis gentibus „. Quomodo immenſum, & infinitum Divini luminis pelagus ſemper paratum eſt, & patet omnibus ad partici-

Digitized by Google

pandum, ſi nullus unquam ex infinita infidelium multitudine, quæ nunquam juſtificata periit, illius particeps eſſe potuerit; non enim potuit ſolis naturæ viribus: nè vel minimus autem Divini luminis radius ipſis conceſſus eſt; aliàs obtigiſſet certiſſimè remiſſio peccatorum, prima juxta damnatum Articulum gratia, quæ peccatoribus præſtatur. Juſtinus martyr dialogo cum Triphone adversùs Judæos in fine: „ Itaque ſi omnes, qui miſericordiam à Deo conſequi volunt, ſuperioris vitæ pœniteat, id præſtare poſſunt „ Quis hìc non intelligat, peccatores, ſaltèm aliquos, in poteſtate habere, ut eos ſuperioris vitæ pœniteat, ſed pervicaciâ nolle? Iſtud proſcriptus Articulus non patitur affirmari; nam ſola naturalis poteſtas ad pœnitentiam nulla eſt; illa autem, quæ ſuperioris ordinis foret ex gratia, effectu nunquam in peccatoribus, aliàs obſtinatiſſimis deſtituitur, cùm ſit ipſa juxta Articulum *peccatorum remiſſio*.

2 Clemens Alexandrinus lib. 2. ſtromatum. „ Divinum Verbum clamavit, omnes „ ſimul vocans, vel maximè cognoſcens, qui „ non erant pariturì: & tamen quoniam eſt „ in noſtra poteſtate parêre, & non parêre, „ ut nulli poſſint cauſari prætextum ignorantiæ, juſtam fecit vocationem „. Juxta Articulum, omnes, qui vocati ſunt, paruerunt; vocatio enim Verbi non eſt ſinè gratia, hæc autem in ſententia Articuli eſt ipſa peccatorum juſtificatio.

3 Idem Pater lib. 7. ſtromatum „ Servator quidem eſt non horum tantùm, aut illorum. Quomodo eſt Servator, & Dominus, „ ſi non eſt omnium Servator, & Dominus?... „ Nec ergo unquam aliquibus inviderit, qui „ omnes ex æquo vocavit „. Si omnes ex æquo vocavit, & vocatio non eſt ſinè aliqua gratia, debuiſſent adulti peccatores omnes aliquando conſequi juſtitiam, ſuppoſito, quòd prima, quæ conceditur peccatoribus gratia, foret ipſa delictorum condonatio.

4 Hilarius lib. 1. de Trinitate ait. „ Eſſe „ filios Dei, non neceſſitatem eſſe, ſed poteſtatem; quia propoſito univerſis Dei munere, non natura gignentium afferatur; ſed „ voluntas præmium conſequatur „. Primam gratiam habere, vel non habere, non eſt in hominis poteſtate; ſed illam Deus ex mera ſua miſericordia impertit, cui vult, & quando vult: ſi igitur prima gratia peccatoris ſit ipſa ejus juſtificatio, eſſe filium Dei non poteſtatis humanæ, & liberæ erit; ſed neceſſitatis.

5 Arnobius ſenior lib. 2. adversùs gentes: „ Omnibus uniformiter (Deus) poteſtatem ad ſe veniendi facit; patet, inquit, „ omnibus fons vitæ, nec ab jure potandi „ quiſquam prohibetur, aut pellitur. Si tibi „ faſtidium tantum eſt, ut oblati reſpuas beneficium muneris: quin imò ſi tantum ſapientia prævalcs, ut ea, quæ offeruntur à „ Chriſto, ludum, arque ineptias nomines, „ quid invitans peccat, cujus ſolæ ſunt hæ „ partes, ut ſub tui juris arbitrio fructum „ ſuæ largitatis exponat „? Si damnati articuli doctrinâ imbuti fuiſſent, contra quos Arnobius ſcripſit, Gentiles, quæſiviſſent, quænam illa dici valeat uniformis poteſtas à Deo facta omnibus ad ſe veniendi, ſi, ut Fides docet Catholica, venire ad Deum homines nequeant ſinè gratia; hæc autem quibuſcunque obtigerit peccatoribus, in quorum numero præcipuè infideles ſunt, ſit eis juxta Articulum juſtificatio, amicitia, & unio cum Deo? Quid nobis à Chriſto oblatum eſt, & in noſtro poſitum arbitrio, ut acciperemus, nec tamen accepimus? Prima gratia nobis deeſt hactenus, alioqui eſſemus converſi; ſinè hac autem nihil poſſumus.

6 Ephrem Syrus Serm. 3. de compunctione „ Semper ejus gratia corda noſtra viſitat; ſed ſi cor immundum offenderit, illicò recedit, rurſuſque Deus miſericordiâ „ tactus cogit eum ad nos peccatores inviſendos venire. . . . nequit enim penitùs „ nos gratia deſerere; à propriâ enim ipſius „ benignitate eò adigitur (Deus) ut omnium miſereatur. „ Juxta Articulum verò longè majorem hominum adultorum multitudinem penitùs, & perpetuò gratia deſerit; nec miſeretur eorum ulla ratione, qua ad ſalutem, vel juſtitiam pervenire valeant; quia longè major adultorum numerus nunquam juſtitiam aſſequitur: unde juxta Articulum omni ſemper deſtituitur gratiâ, cùm prima foret ipſa ſanctificatio.

7 S. Hieronymus in Pſalm. 140. „ O „ infeliciſſimum humanum genus, qui peccata excuſamus dicentes: Victus ſum à „ naturâ; cum in poteſtate noſtra ſit, & peccare, & domino adjuvante non peccare. „ Hæc oratio non ſolos appellat Juſtos, ſed infeliciſſimum humanum genus, in peccata lapſum, & neminem excipiens, quemlibet monet, quòd in poteſtate habeat, Deo ſemper adjuvare patato, non peccare. Non igitur peccatores omnes, antequam convertantur, omni penitùs carent gratiæ auxilio, ſinè quo pœnitentiam agere, aliaque implere præcepta, & nova peccata fugere nequeunt. Carerent autem ſemper, ſi prima, quæ peccatoribus gratia conceditur, peccata remitteret.

8 Chryſoſtomus in caput 9. Epiſtolæ ad Romanos Serm. 16. „ Deus quantum in ſe „ fuit

„ fuit, Pharaonis miſertus eſt; quod autem „ ſalvatus non eſt, totum per ſuam ipſius „ voluntatem ſtetit, ita ut quantum ad eum „ attinebat, nihil ab iis qui ſalvati ſunt, mi- „ nus habuerit. „ Quàm hæc remota ſunt ab Articulo omnem penitùs Pharaoni gratiam deneganti? Suppono enim obduratiſſimum pectus nunquam fuiſſe verâ, & ad juſtificationem ſufficienti pœnitentiâ emollitum. Si autem totum per ipſum ſtetit, quo minùs converteretur, ſi nihil ab iis, qui ſalvati ſunt, minus habuit, nactus fuerit ſaltèm aliqua gratiæ auxilia; etſi nondum juſtitiam. Quapropter perſpicuum eſt, in Chryſoſtomi ſententia primam gratiam, quam Deus peccatoribus impertit, non eſſe reconciliationem.

9 S. Auguſtinus lib. 1. retractationum cap. 22. „ Alio loco dixi: niſi quiſque volun- „ tatem mutaverit, bonum operari non po- „ teſt, quod in noſtra poteſtate eſſe poſitum „ dominus in alio loco docet, ubi ait: Aut „ facite arborem bonam, & fructum ejus bo- „ bonum, Matth. 12. quod non eſt contra „ gratiam Dei, quam prædicamus: in pote- „ ſtate quippe hominis eſt mutare volunta- „ tem in melius; ſed ea poteſtas nulla eſt, „ niſi à Deo detur. „ Ubi Retractatio Auguſtini, ut ſæpe aliàs, prioris ſententiæ, additâ explicatione, confirmatio eſt; quod nempe in poteſtate hominis ſit mutare in melius voluntatem, & ex peccatrice ſanctam reddere auxilio gratiæ, ſinè quo, ut Auguſtinus contra Pelagium affirmat, nihil boni ſalutiferi efficere poſſumus. Quare auxilium iſtud adeſſe ſupponendum eſt, inquit Auguſtinus, cùm Dominus jubet omnibus, ut arborem bonam faciant, & fructum ejus bonum. Sed cùm mandatum iſtud à paucis impleatur, neceſſe eſt gratiam à cæteris libero contemni arbitrio: Non igitur prima peccatoribus gratia ſemper ipſa juſtificatio eſt.

10 Author lib. 2. de Vocatione gentium cap. 15. „ Cùm ergo talia ad Cain lo- „ queretur Deus, numquid ambiguum eſt, „ voluiſſe eum, & quantum ad illum meden- „ di modum ſufficiebat, egiſſe ut Cain ab il- „ lo impietatis furore reſipiſceret? Sed ma- „ litia pertinax inde facta eſt inexcuſabilior, „ unde debuit eſſe correctior. „ Cain Peccator impius à Deo ad pœnitentiam vocatus eſt, & quantum ſufficiebat, ut ſequi poſſet, voluit eum Deus ab impietate revocare; ſed malitia Caini pertinax, conſilii, auxiliique Divini, quo corrigi debuerat, contemptu factus eſt ſceleratior, & graviore dignus ſupplicio. Non itaque omne gratiæ auxilium, quo corrigi poterat, ei defuit; quo tamen ad juſtificationis beneficium, quia noluit, non pervenit. Unde evidens eſt, primam, quæ peccatori conceditur, gratiam non eſſe ipſam criminum remiſſionem.

11 Laurentius Novarienſis de pœnitentia columna quarta. *Poſt baptiſma remedium tuum* (Deus) *in te ipſo ſtatuit: remiſſionem in arbitrio tuo poſuit.* Quod monitum omni ſuggeritur peccatori. Poteſt igitur quilibet poſt Baptiſmum lapſus agere pœnitentiam, atque ita non omni caret ſufficienti auxilio. Plurimi tamen pœnitentiam negligunt: non ergo primum gratiæ auxilium eſt ipſa peccatoris reconciliatio.

12 Patribus ſuccedat proximus tempore, non poſterior authoritate, Doctor Angelicus de veritate quæſt. 24. art. 11. *Obſtinatio in via eſt imperfecta, ita quòd non de facili poſſit quis cooperari, ut exeat de peccato; non poteſt autem ita eſſe obſtinatus in malo, quin ad ſuam liberationem cooperari poſſit.* Ubi manifeſtè Angelicus ſupponit, obſtinatis non deeſſe omne gratiæ præſidium; cùm ei ſemper cooperari poſſe aſſerat, quantumlibet obſtinatum. Cùm tamen iſtiuſmodi nefarii paſſim maneant in impietate; argumentum evidens eſt, peccatoris cujuslibet converſionem in prima gratia non conſiſtere.

13 Idem S. Doctor in 4. Diſtinct. 20. q. 1. art. 1. *Deus, qui dat omnibus abundanter, nulli gratiam denegat, qui quod in ſe eſt, facit, ut ſe ad gratiam præparet . . . . quamdiu manet homini uſus liberi arbitrii in hac vita, poteſt ad gratiam ſe præparare, de peccatis dolendo.* Neceſſe igitur eſt, in omnibus peccatoribus, quamdiu in hac vita ſunt rationis, & liberi arbitrii uſu præditi, agnoſcere ſufficiens aliquod gratiæ auxilium; nam quod ſinè ullo poſſint de peccatis dolere ſicut oportet, ut ſe ad ſanctificantem gratiam præparent, nemo Catholicus admiſerit.

CAPUT V.

Eadem propoſitio ratione Theologica Confutatur.

1 Vix apparet quid excogitari poſſit tali dogmate magis accommodatum ad fovendam peccatorum ſocordiam, & impœnitentiam libertinorum: Quid enim, inquient, de pœnitentia laborandum? Ad primam gratiam, præparare ſe nullus hominum poteſt; Sed merè gratuita Spiritus Sancti inſpiratio eſt, qui ubi, quando, & quomodo vult, ſpirat. Vel ergo gratia illa, quæ merus Divinæ miſericordiæ fœtus eſt, mihi conceditur, vel denegatur; ſi conceditur, ipſa eſt peccato-

rum remiſſio; ſi denegatur, fruſtranei ſunt omnes humanæ induſtriæ conatus, labores omnes inutiles. Sic nunquam pœnitentia, quæ actus liberi arbitrii, juvante gratiâ, eſt, peccatores Deo reconciliat; cùm prima ſemper pia cogitatio, quæ à Deo nobis abſque libera noſtra cooperatione ingeritur peccatores juſtificet.

2 Porrò ſicut habere, vel non habere primum gratiæ auxilium, in nullius poteſtate eſt hominis, quia, ut Auguſtinus ait, *quo viſo tangatur, nulla poteſtas eſt*; *nemo habet in poteſtate quid ei veniat in mentem*: ita juxta Articulum neque peccatori ulli liberum erit converti, vel non converti; quia prima peccatoris gratia, ſinè qua is nihil poteſt, quamque nec comparare homini, nec impedire liberum eſt, ipſa aſſeritur converſio. Unde nec Baptiſmus, nec in pœnitentiæ Sacramento abſolutio Sacerdotis unquam peccara primùm dimittet, cùm ad Baptiſmi effectum in adultis, & ad uſum poteſtatis clavium requirantur in confitentibus diſpoſitiones, quæ ſinè gratiæ auxilio eſſe non poſſunt; ipſum autem primum gratiæ auxilium ſe ſolo peccatori ante omne Sacramentum, ante omnem pœnitentiam tribuat reconciliationem. Baptiſmus ergo Sacramentum mortuorum in parvulis, non in adultis dici poterit; abſolutio autem Sacerdotis nunquam impertietur mortuis; ſed vivis ſolummodo, utpote vitâ animæ primo ſemper gratiæ auxilio reſtitutâ. Ita neque poteſtas clavium peccara unquam retinere poterit, ſeu remiſſionem ſuſpendere, quando primo gratiæ auxilio condonata fuerint, & peccatoris cum Deo reconciliario à Sacerdotis abſolutione non pendet.

3 Denique neque iſta Propoſitionis doctrina cohæret cum rigore, quem præ cæteris Sacramenti pœnitentiæ adminiſtris novi iſti Theologi declamant, ſolâ pœnitentis attritione, & horarum vel etiam dierum aliquot pia præparatione minimè contenti. Si præſens Propoſitio cum ſuperiore jungatur, quòd *Fides ſit prima gratia*, placebit Calviniſtis plurimùm. Si enim prima gratia, quæ peccatoribus conceditur, ſit peccatorum remiſſio, & fides ſit prima gratia, quis neget, fidem ſe ſolâ juſtificare? Adeò videbuntur Janſeniſtæ magnis paſſibus ad Calvini Eccleſiam progredi. Sed à prolixiore erroris inſectatione abſtineo, dum ipſos video adverſarios in hoc præcipuè incumbere, ut tam abſurdi dogmatis à ſe amoliantur invidiam. Expendamus eorum vindicias, quibus primùm verba ſuſtinere, dein ſenſum ab eis amovere hæreticum ſtudeant.

CAPUT VI.

Solvuntur Objectiones deſumptæ ex Scripturis.

1 Lucæ cap. 4. de Chriſto dicitur: *Intravit ſecundùm conſuetudinem ſuam die Sabbathi in Synagogam, & ſurrexit legere, & traditus eſt ei liber Iſaiæ Propheta, & ut revolvit librum, invenit locum ubi ſcriptum erat: Spiritus Domini ſuper me, propter quod unxit me, evangelizare pauperibus miſit me, ſanare contritos corde, prædicare captivis remiſſionem, & cæcis viſum, dimittere confractos in remiſſionem, prædicare annum Domini acceptum, & diem retributionis*. Qui textus damnatam Propoſitionem ſubruit potiùs, quàm ſtabiliat; nam dum beneficiorum ordo texitur, initium quidem ducitur à contritorum ſanatione, & remiſſione peccatorum; ſed *contritio cordis* ante remiſſionem peccatorum, & ſanationem exigitur. Unde non remiſſio; ſed contritio cum ſuis diſpoſitionibus neceſſariis prima gratia reputatur.

2 Non minùs Propoſitioni adverſatur cap. 24. verſ. 46. *Et dixit eis: Quoniam ſic ſcriptum eſt, & ſic oportebat Chriſtum pati, & reſurgere à mortuis tertia die, & prædicari in nomine ejus pœnitentiam, & remiſſionem peccatorum*. Ubi iterum remiſſioni peccatorum præmittitur pœnitentia, utique ex gratiâ; unde prima gratia minimè aſſeritur peccatorum remiſſio.

3 Auguſtinus Enarratione in Pſalmum 7. ait. „Duo ſunt officia medicinæ: unum, quo „ſanatur infirmitas: alterum, quo ſanitas cu„ſtoditur. Iuxta illud primum dictum eſt in „ſuperiore Pſalmo. *Miſerere mei Domine,* „*quoniam infirmus ſum*: Juxta hoc alterum „in hoc Pſalmo dicitur. *Si eſt iniquitas in ma*„*nibus meis &c.* ibi enim ut à morbo eva„dat, remedium: hic autem nè in morbum „incidat, tuitionem petit.„ Sicut igitur duo officia medicinæ ſunt, ita, & medicinalis gratiæ: alterum, quo peccatorum depulſione ſanetur infirmus; alterum, quo ſanatus, nè in mala recidat, præſervetur. Si aliud præ ſe non tuliſſet Queſnelli Propoſitio, nihil pepe，riſſet offenſionis, neque de ea accuſanda ulli incidiſſet cogitatio. Verùm et ſimilitudini contra ipſam Propoſitionem inſiſtamus; quemadmodum non eſt officium primæ medicinæ, ut ſit ipſa ſtatim morbi depulſio; ſed ſufficiat, ſi diſpoſitionem bonam operetur, cui aliæ, juxta medicæ artis regulas, ordine præ-

præſcribendæ ſanitatem reſtituant; ita non primæ ſtatim gratiæ eſt peccata remittere; ſed efficere congruas recuperandæ juſtitiæ diſpoſitiones, quibus dum alia ſucceſſerint divina præſidia, & cum iis novi conatus animæ pœnitentis, ſanitas ei, & ſanctitas reſtituatur.

CAPUT VII.

Diluuntur objecta ex S. Auguſtino.

1 HÆſi, fateor, cum in Hexaplis primo loco poſt memoratas Scripturas objectam legi hanc Auguſtini ſententiam ex Tract. 3. in Joannem, ita relatam Gallicè: *La premiere grace, que reçoit le pecheur, eſt celle, par la quelle ſes pechez luy ſont remis*: quaſi Latinè eſſet: prima gratia, quam accipit peccator, eſt ea, quâ ipſi peccata remiſſa ſunt. Quomodo verò ſimplices, Janſenianarum fraudum ignari, & quibus non vacat, vel non lubet, Auguſtini adire volumina, atque in citatos textus inquirere, quomodo, inquam, tales ad iſtiuſmodi citationes non hæreant, in quibus brevitas, & verſio ambigua obſcuritatem parit, quam auget ignorata truncatio? Reddamus textum integrum. *Accepimus*, inquit S. Doctor, *de plenitudine ejus primò gratiam: & rurſus accepimus gratiam; gratiam pro gratiâ. Quam gratiam primam accepimus? Fidem: in fide ambulantes, in gratia ambulamus; unde enim hoc meruimus? ..... Non attendat quid ſit, ſi jam aliquid eſt; ſed quid fuerit, ut eſſet aliquid: inveniet, non ſe dignum fuiſſe, niſi ſupplicio. Si ergo ſupplicio dignus fuiſti, & venit ille, qui non peccata puniret; ſed peccata donaret, gratia tibi data eſt, non merces reddita. Unde vocatur gratia? quia gratis datur, non enim præcedentibus meritis emiſti, quod accepiſti. Hanc ergo accepit gratiam primam peccator, ut ejus peccata demitterentur.*

2 Neque in citatis verbis, neque in toto illo capite agit Auguſtinus de gratia, qualis ſub ea voce communiter intelligitur, quæ mera gratia ſit; & dum pro actuali accipitur, partim in illuſtratione intellectûs, partim in voluntatis inſpiratione pia conſiſtit, atque à Deo nobis ſinè nobis liberè concurrentibus immittitur. Hanc vocationis nomine tradit Auguſtinus lib. 83. quæſtionum q. 68. lib. 1. ad Simplicianum, quæſt. 2. lib. de prædeſtinatione Sanctorum cap. 16. Enarratione in Pſalmum 102., & alibi paſſim. Huic gratiæ ait liberum eſſe homini conſentire, vel diſſentire, & reipſa diſſentire plurimos, juxta æternæ Veritatis ſententiam, quâ conſtat vocari multos, paucos eligi, ut obediant, & obediendo ſalventur. In objecto textu, & toto illo Auguſtini capite, gratia in latiori accipitur ſignificatione pro omni eo, quod ex gratia procedit, ut procedunt omnes actiones noſtræ liberæ ad juſtitiam conducentes, ac ſalutem; Imo ſalus ipſa gratia appellatur, *quia*, inquit, *ipſa fides gratia eſt, & vita æterna gratia eſt pro gratia*. Fidem itaque hìc aſſerit Auguſtinus primam gratiam, atque hac fide ait hominem juſtificari: ſi nempe viva ſit, & animata charitate; ſive, ut apoſtolus ait, fides, quæ per dilectionem operatur. Talem fidem veluti nobiliſſimam ſpeciem potiſſimùm Auguſtinus generica fidei appellatione intelligit, ut fidei catholicæ vindices contra Lutherum, & Calvinum conſenſu unanimi interpretantur. Alioquin Fidem ſinè Charitate eſſe poſſe, ſed non prodeſſe, ex Auguſtino didicimus, & certiùs ex Apoſtolo, juxta quem fides, etiam quæ montes transferat, ſinè charitate ſalutem conferre minimè poteſt, etſi ad eam eminus præparet, velut diſpoſitio ad timorem, ſpem, charitatem, pœnitentiam.

3 Quod igitur fides viva juſtificet, atque hæc prima gratia appelletur intuitu ſubſequentium operum, quibus *in Fide ambulamus*, & tandem ad æternam gloriam pervenimus, nihil juvat Articulum damnatum in ſenſu proprio, & obvio, à quo nullæ in Queſnelli textu circumſtantiæ verba ejus ad ſenſum latiorem, & minùs obvium divertunt, ut divertere in objecto Auguſtini capite jam demonſtratum eſt. Neque dicit Auguſtinus, *primam gratiam* ſimpliciter, ſed *hanc primam gratiam* illic ab omnibus facilè intellectam, & à Queſnelliana plurimum diverſam, eſſe *Quam peccator accipit, ut ei peccata dimittantur.*

4 Præterea, ſi fides informis, & per ſe non juſtificans intelligatur, poſſet tamen & ipſa homini ad juſtificationem dari velut diſpoſitio; etſi non ultima. Quo ſenſu accipit quidem peccator fidem, *ut ei peccata dimittantur*, accedente ſcilicet dilectione; ſed tum fides, & prima gratia non eſt ipſa *peccatorum remiſſio*. Quapropter ſi quid adverſarius in Articuli patrocinium proferre ex Auguſtino voluerit, neceſſe eſt *remiſſionem peccatorum* prædicatam oſtendat, quemadmodum in Articulo exprimitur, de *primâ gratiâ* ſimpliciter, & non de *hac prima gratia*, de qua illic Auguſtinus diſſerit, & à prima gratia ſimpliciter dicta plurimum diſcrepat. Quæritet adverſarius cum ſuis, & omnes Auguſtini angulos ſcrutetur diligentiùs, ut de gratia communiter à Theologis intellecta, & ab Auguſtino

Digitized by Google

ſtino expreſſa nomine *vocationis internæ* affirmatum reperiat, quòd ea, & quidem prima, *ſit peccatorum remiſſio*. Sed ſimul præmoneo, diſquiſitionis laborem non minùs fruſtraneum fore, quàm fuerit clamor, & ſaltus Prophetarum Baal, ut ignem elicerent in ſacrificium.

5 Hexaplis ſuccurrit *Queſnelli querela, & proteſtatio* pag. 333. citans Auguſtinum lib. 2. de Peccatorum meritis, & remiſſione cap. 7. dicentem: *Renovatio incipit à remiſſione omnium peccatorum*. De qua Auguſtini ſententia, & priore ex tract. 3. in Joannem, *Eſt ipſa*, inquit Queſnellus, *mea obſervatio duobus his teſtimoniis iiſdem prorſus vocibus expreſſa*. Sed exultationis vanitatem, ut demonſtravi circa prius Auguſtini teſtimonium, non minùs conſpicuam omnium oculis reddam circa poſterius. Eriam hìc ex breviatis tenebris, & truncationis fraude victoriam, more ſuo Queſnellus captat. Tota Auguſtini diſputatio eſt: An ſit quiſpiam, qui ſinè ullo omnino peccato vivat: negat S. Doctor, quia, inquit, credo Scripturæ dicenti, *Nè intres in judicium cum ſervo tuo; quoniam non juſtificabitur in conſpectu tuo omnis vivens*. Nulla verò hìc eſt quæſtio, quomodo, & per quam gratiam, primam, an ſecundam, vel per centeſimam peccatori conferatur delictorum remiſſio; ſed in quo conſiſtat hominis juſtitia, quibus conſtet gradibus: & dicit, primum gradum juſtitiæ eſſe remiſſionem omnium peccatorum, ſicut fit in Bapriſmo; quo tamen homo non ideo perfectus eſt; ſed adhuc multis animi infirmitatibus obnoxius. Juſtitia autem paulatim moribus Divinæ gratiæ congruis magis perficitur, donec omnimodam apud Superos conſequamur.

6 Auguſtinum loquentem audiamus: *In eo quod ſcriptum eſt, qui natus eſt ex Deo, non peccat, & non poteſt peccare, quia ſemen ejus manet: &, ſi quid aliud eo modo dictum eſt, multùm falluntur, minùs conſiderando Scripturas. Non enim advertunt eo quoſque fieri filios Dei, quo eſſe incipiunt in novitate Spiritûs, & renovare interiorem hominem, ſecundùm imaginem ejus, qui creavit eos. Non enim ex qua hora quiſque baptizatur, omnis vetus infirmitas ejus abſumitur; ſed renovatio incipit à remiſſione omnium peccatorum. Et in quantum quiſque ſpiritalia ſapit, qui jam ſapit, in tantum renovatur. Cætera verò in ſpe facta ſunt .... nam in Baptiſmo quamvis tota, & plena fiat remiſſio peccatorum; tamen, ſi continuò tota, & plena etiam hominis in æternam novitatem mutatio fieret, ... non diceret Apoſtolus: Etſi exterior noſter homo corrumpitur, ſed interior renovatur de die in diem*. Non igitur dicit Auguſtinus, primam peccatoris gratiam eſſe remiſſionem peccatorum, vel hanc eſſe à prima gratiâ; ſed *renovationem incipere à remiſſione omnium peccatorum*, tanquam principio renovationis intrinſeco, & formali; ſicut ſtatus peccati morralis incipit à primo lethifero peccato. De principio extrinſeco & efficienre, quod in adultis eſt auxilium gratiæ illuſtrans intellectum, & excitans voluntatem, hìc nulla Auguſtino quæſtio eſt, nulla tractatio.

7 Hìc modò attende Lector imperitiam Queſnelli, ſi Auguſtini ſenſum adeò planum non intellexerit, aliàs inſignem impudentiam. Quid enim indignius Theologo, quàm ex eo quod S. Doctor aſſerat, nos tum primum incipere eſſe renovaros ſpiritu, ſeu juſtos, cùm remiſſionem omnium peccatorum accipimus, atque eam renovationem paulatim magis bonis operibus perficiendam; ex eo, inquam, colligere, quòd ad renovationem illam nulla gratia diſponat; ſed quòd prima gratia, quam Deus concedit peccatori, ſit peccatorum remiſſio?

8 Similis ea collectio eſt alteri, quâ ſic diſcurrerem: incipit ſapientia à timore Domini, ſicut Pſalmo 110. & proverb. 1. dicitur: *Initium ſapientiæ timor Domini*. Ergo prima gratia, quam Deus hominibus ad conſequendam ſapientiam concedit, *eſt timor Domini*. Argumenti vel fallacia, vel fatuitas utrobique in eo ſita eſt, quòd principium intrinſecum, & formale, ut in ſententia Auguſtini, & Scripturæ eſt, confundatur cum extrinſeco, & efficiente. Sicut timor Domini prima pars eſt ſapientiæ, ſic remiſſio peccatorum prima pars eſt renovationis; ſed utrobique præcedit auxilium gratiæ efficiens timorem, remiſſionemque peccatorum: imò paſſim præit auxilium non unum, quod ad ſeriem actuum juſtificatione anteriorum requiritur.

9 Præterea, ſicut incipit eſſe ſapiens, qui timet Dominum; ſed non qui gratiæ auxilio à Deo donatus ad timendum Dominum, illud repellit, nolens timorem ſanctum admittere: ſic pariter incipit eſſe *renovatus*, qui remiſſionem nactus eſt omnium peccatorum; ſed non qui auxilio gratiæ ad illam conſequendam ſufficiente donatus diſſentit. Auxilio ad timorem Domini excitante fides prior eſt; & hanc iterum præcedit aliud ad fidem animum illuſtrans, & alliciens; ſic *renovatione* inchoatâ, ſive *incipiente* anterior eſt, ut dixi, ſeries actuum, atque adcò gratiarum quæ à Tridentino Concilio ſeſſ. 14. cap. 4. pro peccatorum remiſſione in Sacramento pœnitentiæ obtinenda deſcribitur.

10 Aliæ ex Patribus objectiones plus aper-

apertæ vanitatis continent, fraudis minus: ut quod ex Aug uſtino lib. 1. contra Julianum cap. 23. citatur de tribus in hoc mundo juſtificationis gradibus: apud me eſt lib. 2. cap. 8. *Juſtificatio porrò in hac vita nobis ſecundùm tria iſta confertur: priùs lavacro regenerationis, quo remittuntur cuncta peccata: deinde congreſſione cum vitiis, à quorum reatu abſoluti ſumus: tertiò dum noſtra exauditur oratio, qua dicimus: Dimitte nobis debita noſtra; quoniam quamlibet fortiter contra vitia dimicemus, homines ſumus*. Veriſſimum eſt, juſtificationem in hac vita nobis ſecundùm tria iſta conferri, quæ ſi juſtificationis gradus dicere placuerit; non repugnabo; modò intelligantur gradus juſtificationis intrinſeci, ut gradus ſanctitatis ſunt plurimi, quod non obeſt, quin ad eam aliis gradibus extrinſecis,ſeu diſpoſitionibus adducamur, quales in caſu ſunt, quæ à Tridentinis Patribus recenſentur tum ſeſſ. 14. jam citata, tum etiam ſeſſ. 6. cap. 6. *Diſponuntur autem ad ipſam juſtitiam, dum excitati Divina gratia, & adjuti, fidem ex auditu concipientes, liberè moventur in Deum credentes vera eſſe .... & dum peccatores ſe eſſe intelligentes à Divinæ juſtitiæ timore, quo utiliter concutiuntur ad conſiderandam Dei miſericordiam, in ſpem eriguntur, fidentes Deum ſibi propter Chriſtum propitium fore, illumque tanquam omnis juſtitiæ fontem diligere incipiunt; ideoque moventur adversùs peccata per odium aliquod, & deteſtationem; hoc eſt per eam pœnitentiam, quam ante Baptiſmum agere oportet*. Hi juſtificationis gradus extrinſeci ſunt, ſeu diſpoſitiones, quibus peccatores, juxta communem divinæ providentiæ ordinem, ad acquirendam in Baptiſmo juſtitiam diſponuntur. Sunt igirur præter gradus illos, quibus paulatim ad juſtitiam provehimur, tres juſtitiæ ſtatus; vel, ut adverſario interpretari placuit, tres gradus. Primus undis ſalutaribus obtentus. Secundus certamine contra concupiſcentiam, diabolum, & mundum. Tertius oratione, & pœnitentia, qua lapſus omnes reparantur à quibus etiam juſti non ſolent eſſe perpetuò immunes: ſed quod indè adverſarius emunget patrocinium errori tam abſurdo, & Hæretico, *Prima gratia, quam Deus concedit peccatori, eſt peccatorum remiſſio*, contra tam manifeſtam Tridentini Concilii Doctrinam?

11 Lib. 6. Operis imperfecti contra Julianum num. 8. de hominibus peccato originis à ſalute in languorem, mortiſque neceſſitatem dejectis Auguſtinus ait: *Propter quod eis ope opus eſt Salvatoris, qui primùm ſalvos facit remiſſione omnium peccatorum, poſt etiam omnium ſanatione languorum*. Quis ſanæ mentis Theologus hic detegat Queſnelli Articulum? Detegit Hexaplorum Author, vel potiùs ſe detegere ſimulat; ut autem in errorem perrrahat Lectorem pro *primùm ſalvos facit*, ponit *incipit ſalvos facere*, quo exiſtimes operationem Dei in anima ad eam juſtitiæ reſtituendam initium ducere à remiſſione peccatorum, tanquam primâ gratiâ peccatrici animæ conceſsâ; ubi tamen in genuino S. Doctoris textu aliud non aſſeritur, quàm ſanatione languorum priorem eſſe noxarum veniam: ſive inter duos iſtos Divinæ miſericordiæ effectus primum eſſe condonarionem. Sed hæc non definit, auxilia gratiæ prærequirere, quibus ad pœnitentiam animus juxta Doctrinam eccleſiæ diſponitur.

CAPUT VIII.

Reſpondetur ad Sanctos Fulgentium, & Chryſoſtomum.

1 Non melior fides ab adverſario nobis expectanda eſt, circa ſenrentiam Fulgentii lib. 1. de Remiſſione peccatorum cap. 5. Sic ibi Sanctus: *Vocationis autem hujus ad pœnitentiam principale eſt beneficium remiſſio peccatorum*. Quis indè iterum exſculpat Queſnelli Articulum, quòd *prima gratia ſit peccatorum remiſſio*? Exſculpere rurſus novit Hexaplorum Author; ſed corruptione textûs, affingendo nempe Sancto Fulgentio; ut dicat *primum*, & *principale eſt beneficium*, loco *principale* ſolummodò. Thebæorum militum præcipuum meritum fuit martyrium pro Chriſto: Ideone rectè diceretur primum id eorum fuiſſe? Injuria profectò, & contumelia foret in glorioſos Chriſti pugiles. Non minor in Chriſtum Salvatorem omnium injuria, & contumelia blaſphema eſt, quòd peccatorum remiſſio aſſeratur prima, quæ peccatoribus conceditur gratia, quaſi tot milliones adultorum infidelium, & aliorum reproborum, quibus nunquam juſtificatio obtigit, toto vitæ tempore abſque ullo prorſus gratiæ auxilio à Deo fuerint deſerri. Qua tunc ratione Salvator eorum omnium diceretur? Abſolutio, Sacramenti Pœnitentiæ pars potior eſt, ſed non prima ordine, & naturâ.

2 Omnibus in comperto eſt, *primum* ſubinde pro *præcipuo* accipi; ſed ea excuſatio in Queſnelli Propoſitione locum minimè habet; cùm nemo hactenus in dubium revocaverit, quin in Queſnelliano iſto, & ſimilibus pronuntiatis non de excellentia dignitatis, ſed prioritate temporis, naturæ, vel originis affirmatio ſit.

3 Licentiam quidem ſibi pridem hæretici vindicarunt, ut ad confirmationem hære-
ſeos

ſeos ſententias Patrum, atque ipſos Scripturarum codices non intactos relinquerent; ſed additione, truncatione, aliiſque fallaciis in erroris ſui patrocinium pertraherent. Nota eſt additio vocis *ſola*, qua Lutherus, ubi in Scripturis Fidem reperit juſtificantem, *ſolam Fidem* juſtificare juſſit. Et quæ hæreſis non ſe facilè Scripturarum, Patrumque authoritate ſtabiliat, ſi Sacris Textibus vocem addere, vel demere licuerit? Ita deinceps non multum laborandum videbitur Theologis, ut dogmata Scripturis, aut Patribus accommodent, quando nullo labore unius ſolùm, alteriuſve additione vocis, vel reſciſſione, Scripturarum, Patrum, Doctorumque ſententia præconceptæ cuilibet adaptabitur novitati.

4 Adducit adverſarius ex eodem Fulgentii libro cap.4. quod ait de remiſſione peccatorum: *Per ipſam fit, ut in bona via deinceps dono miſericordiæ prævenientis illuminatus ambulet; & in ea deductus miſericordia ſubſequentis munere perſeveret, ut indebita gratia benè vivendi donum inchoet in homine, peccatorum remiſſione donata, quod perficiat, perſeverandi virtute conceſſa.* Vis objectionis in eo ponitur, quòd gratia *peccatorum remiſſione donatâ, benè vivendi donum inchoet* in homine. Verùm, ubi dicitur, quòd peccatorum remiſſio detur abſque ulla gratia præveniente, quòd nulla prærequiratur in adulti animâ diſpoſitio, quæ ſit ex gratiâ; oppoſitum ſemper univerſa tenuit, & docuit Eccleſia, ut vel primis Theologiæ tironibus exploratum eſt, nec à pueris Fidei rudimenta utcumque callentibus ignoratur. Accepta peccatorum remiſſione inchoatur bona vita; quia tunc primùm incipit homo bonus eſſe, & vita ejus bona, quando peccator eſſe, ſeu noxæ lethiferæ reus deſinit; nec enim in eodem homine bonitas, ſive juſtitia, & ſanctitas, etiam in gradu infimo ſimul eſſe poſſunt cum peccato gravi, vel unico, etiam ſolius originis. Ante remiſſionem nec eſſe Deo gratus homo poteſt, nec habere meritum: cum illa igitur propriè incipit *benè vivendi modum*; etſi ipſum donum, & remiſſionem criminum præceſſerint quædam Divinæ gratiæ auxilia, quæ hominem ad illam recipiendam diſponerent. Dum itaque peccator bonis operibus ſe ad juſtitiam diſponit; nondum habet principium vitæ intrinſecum, quod eſt gratia per ſe ſanctificans; unde adhuc nihil habet vitæ, & quamvis ad hanc ſe præparet, remanet tamen adhuc in morte, donec cum remiſſione peccatorum, juſtificationis gratia, quæ prima vitæ anima eſt, & vitæ initium, à Divino Spiritu infundatur.

5 Denique ad Chryſoſtomum provocamur, cujus non verba proferuntur, ſed obtenditur ſententia ex homilia ad Neophytos, quòd eis gratuletur ante alia, quod baptiſmo à ſervitute dæmonis, & peccatorum debito penitùs liberati ſint. Gratiam hanc præponit novem aliis, quas ibi enumerat prærogativis. Verùm, aliud eſt, primam juſtificationem, quæ baptiſmo fit, novem aliis divinæ beneficentiæ donis, à Chryſoſtomo enumeratis, priorem eſſe, aliud abſolutè primam gratiam eſſe in adultis, quos ex certiſſima Eccleſiæ doctrina conſtat, pluribus cœleſtis gratiæ auxiliis debere ad baptiſmum non ſacrilegè ſuſcipiendum præparari. Quæremus itaque ex adverſario: uſquamne affirmat Chryſoſtomus, baptiſmum, quo remiſſio peccatorum fit, nullâ in adultis gratiâ præveniri, nulla ad eum opus eſſe præviâ hominis diſpoſitione, quæ non ſine gratiæ ſubſidio acquiritur?

6 Quàm multis juxta Chryſoſtomum, nunquam evenit baptiſmus, aut peccatorum remiſſio, qui tamen divinâ ſubinde gratiâ donantur, ſed uti ad juſtitiam nolunt? Sic homilia 7. in Joannem: *Gratia in omnes diffuſa eſt; non Judæum, non Græcum, non Barbarum, non Scythum, non liberum, non ſervum, non mulierem, non ſenem, non juvenem excipit, aut dedignatur: omnibus eadem eſt: omnibus ſe facilem exhibet, omnes pari honore advocat. Qui autem ejus munere frui negligunt, hanc ſuam cæcitatem ſibi ipſis imputent; cùm enim detur omnibus, omnibus pateat, & à nemine prohibeatur, perditi quidam, & nequam homines propriâ dumtaxat malitiâ ingredi recuſant.*

7 Denique haud capio, quomodo viros eruditionis famam, & nomen Catholicum etiam præ veris Catholicis ambientes non pudeat, frivolis iſtiuſmodi objectionibus Propoſitionem fulcire tam abſonam, & omni ratione deteſtabilem.

CAPUT IX.

Præcluditur prima Adverſariorum evaſio.

1 Quæ ſuperiore capite objecta ſunt, eo conſilio cumulaverat Adverſarius, ut damnato ſuffragarentur Articulo, prout jacet, ſive iiſdem, quibus exprimitur vocibus. Quæ verò præſenti capite Conſtitutioni opponuntur, eò ſolummodo collimant, ut ab Authore, & ſenſu Propoſitionis, prout in *Obſervationibus Moralibus* continetur, ut ex circumſtantiis colli-

colligendus eſt, perverſitatem amoliantur. „ Quiſquamne (inquit Hexaplorum Scriptor) litem Auguſtino, & cæteris intentet Patribus, quia dum remiſſionem peccatorum collocant ante alias gratias, non exprimunt actus Fidei, Spei, Charitatis, neque opera, aut exercitia pœnitentiæ, quibus adulti ad hoc Dei beneficium diſponendi ſunt; neque memorant orationem, aut gratias ad iſtiuſmodi actus eliciendum neceſſarias? Inſanire oporteret eum, qui tam inanibus argutiis accuſationem inſtitueret. Omnia illa velut prævia ſupponenda ſunt, & ſupponentur ſemper ab iis, qui bonam fidem ſibi ducem elegerint. Juſtificationis myſterium, quod omnes illos actus, & præparationis ſubſidia ſupponit, & continet, nobis in Symbolo proponitur duabus ſolummodò vocibus *Remiſſionem peccatorum*, quamvis eam multæ gratiæ præcedere debeant. Chriſtus loquens de fine, & fructibus ſui Sacrificii: *Hic* (inquit) *eſt Sanguis meus, qui pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum*. An igitur Jesus non obtulit Sacrificium, ut nobis mereretur donum Fidei, & animi converſionem, ſpiritum pœnitentiæ, ſpem in Dei miſericordia, & amorem juſtitiæ, ſaltèm inchoatum, cum ingenti cumulo gratiarum, beneficiorumque, quæ Deus ſæpe ad converſionem infidelium adhibet, vel peccatorum? Procul dubio ad merendum nobis etiam iſtiuſmodi gratias ſuum Chriſtus profudit ſanguinem; ſed ea omnia ad præparationem pertinent remiſſionis peccatorum: hæc autem primum beneficium eſt, quo Deus reconciliare ſibi peccatorem incipit, infundens ſimul charitatem, ut eum deinceps tanquam filium complectatur. „ Ita Adverſarius.

2 Nemo Patribus hic litem movet; ſed nec eorum ullus proſcripto dogmati patrocinatur, ſicut ſuperiore Capite ex ſingulorum, quos ſtudioſè Adverſarius conquiſiverat, accurato examine conſpeximus. Nullus unquam Sanctus Pater remiſſionem peccatorum abſolutè, ſive ſimpliciter primam gratiam vocat; ſed tantùm inſtituta cum aliis eam ſequentibus comparatione, atque hanc ſemper indicat enumeratis, vel expreſſis quomodocunque gratiis, quarum intuitu prima appellatur. Queſnelli autem Propoſitio abſoluta eſt, neque alia refertur gratia poſterior, cum qua collata peccatorum remiſſio, gratia prima intelligeretur. Juſtificatio quidem peccatoris auxilia gratiæ complura, & elicitos per ea actus tanquam diſpoſitiones prævias requirit in ſententia catholica; ſed quæ quotidie opinionum, & errorum monſtra non parit ſpiritus Novaturiens in iis, quibus Romana Cathedra contemptui eſt? Neque aliunde adeò explorata eſt Queſnelli fides, ut eum neceſſe fuerit à præſentis Articuli ſenſu hæretico credi alienum. Symbolum Apoſtolorum *Remiſſionem peccatorum* credendam proponens, non eam vocat primam gratiam, ut Queſnellus; neque anteriores gratias ullo excludit indicio: excludit clariſſimè Queſnellus.

3 Quod de Symbolo dixi, locum obtinet in verbis conſecrationis. Unde utrumque adverſarii exemplum nihil prorſus continet, quod damnato patrocinetur Articulo. Hujus turpitudinem manifeſtam, exemplis innumeris, & obviis convincere in promptu eſt. Pontifex, Imperator, Rex, aut Princeps quicunque Sereniſſimus, quempiam per omnes honoris, & dignitatis gradus ad ſupremam Aulæ ſuæ tandem promovet præfecturam, unde promoto commoda opportunitas naſcitur intimæ contrahendæ conſuetudinis cum Principe, & novorum quotidie favorum. Quid ſi aliis tot gratias à Principe acceptas cum admiratione prædicantibus, ipſe promotus palàm clamitet, typis per provincias, & regna divulget, nec diſſimulet coram Principe, quod prima, quam ei contulit gratia, fuerit, Aulæ præfectura, ex qua plura dein ſecuta beneficia provenerint. Quis non hic temeritatem interpretabitur, tot præcedentium beneficiorum turpiſſimam, ſeu oblivionem, ſeu diſſimulationem, quam neceſſe ſit graviter diſplicere Principi, adeò ut ingratus ille pro præteritis, indignus etiam cenſeatur præſentibus?

4 Faceretnè ſatis Aulicus, ſi ad placandum Principem diceret, ſe nomine primæ gratiæ non excludere voluiſſe anteriora beneficia, quæ præparationes quædam fuere ad tantum dignitatis apicem; ſed tantùm voluiſſe indicatum, quòd ea præfecturæ gratia, prima fuerit favores inter præfecturæ tempore ſecutos? Non ea, opinor, excuſatio ſatisfaceret Principi, qui meritò reſponderet, primam gratiam in priore ejus vulgatiſſima oratione abſolutè, & ſimpliciter poſitam, ſenſum expreſſiſſe pariter abſolutum, qui beneficia inficiaretur priora, vel ea è gratiarum numero excluderet; ita locutionem ejus ſonuiſſe in auribus judicum, quorum examini commiſſa fuerat, nec aliter intelligi poſſe ab ullo mortalium, qui enuntiationis proprietatem, & conſuetudinem uſitatiſſimam ſectari voluerit: allegationem alterius ſenſûs poſſe quidem pro retractatione quadam accipi Propoſitionis abſurdiſſimæ, non pro defenſione legi-

legitima; neceſſe proinde eſſe, ut ſuam ſaltèm in loquendo, ſcribendoque imprudentiam privatim, ac publicè damnet; neque de injuriâ cum Judicibus expoſtulet; ſed lapsûs ſui veniam precibus humilibus expetat.

5 Simili ratione fruſtrà Queſnellus ſibi perſuaſerit, in ſui gratiam inflectendum Romanum, & totius quodammodo orbis judicium, ut Propoſitionis verba alio ſenſu omnes accipiant, quàm ſignificatione obviâ, & propriâ præ ſe ferant. Non ſibi, & paucis Novatoribus jus vindicet, mutandi ſignificationem vocum, & aliò eas pro libitu detorquendi, quàm enuntiati proprietas, & obvia intelligentia poſtulaverit.

6 Sed neque recens ea adverſariorum declaratio omnem à ſuo, & Queſnelli ſenſu abſtergit malitiam. Damnata enim Propoſitio non in convertendis tantummodo peccatoribus primam gratiam aſſerit delictorum remiſſionem, ſed præterea omnibus Paganis, Judæis, Hæreticis, aliiſque ejus generis, qui non convertuntur, omne penitùs toto vitæ tempore auxilium adimit, quo fidem amplecti, pœnitentiam agere, & cætera valeant obſervare mandata, quorum tamen omiſſione fiunt rei, & ſupplicia merentur æterna.

7 Scimus, Queſnellum ſemper averſo animo fuiſſe à cenſura, quam Alexand. VIII. huic quinto inter 31. articulos inflixit: *Pagani, Judæi, Hæretici, aliique hujus generis nullum omnino accipiunt à Jesu Chriſto influxum; adeòque hinc rectè inferes, in illis eſſe voluntatem nudam, & inermem ſinè omni gratia ſufficienti*. Fuit ea nempe Propoſitio ab Arnaldo ante damnationem tradita *in denuntiatione peccati Philoſophici*, & dein ab eodem contra Sedem Apoſtolicam audaciſſimè defenſa, *in difficultatibus propoſitis Domino Steyaert* part. 9. pag. 12. 19. & ſequentibus. Quæ ab Arnaldo decrepito; ſed operam ei conferente Queſnello ſtudiorum adjutore domeſtico, prodiit *Peccati Philoſophici denuntiatio*, eum *propoſitis* dein *Steyartio difficultatibus* pro vindicanda Propoſitione ab Alexandro VIII. damnata, Queſnelliani Articuli fœtus eſt, & in eo apertiſſimè continetur, quod Queſnellus inficiari nullatenus poteſt, aut ignorare. Conqueritur, quòd præſens propoſitio juncta ſit duabus præcedentibus, nempe 26. *Nullæ dantur gratiæ, niſi per Fidem*. Et 27. *Fides eſt prima gratia, & fons omnium aliarum*. Cur autem non jungeretur, affinitate materiæ id exigente, & ut in omnium oculos tantò faciliùs doctrinæ pravitas inſiliat? Sie nempe apparet reſuſcitata, quæ pridem in Lutheranis, & Calviniſtis damnata fuerat de ſola fide juſtificante aſſertio. Si enim *prima gratia, quam Deus concedit peccatori, eſt peccatorum remiſſio*, & *fides eſt prima gratia*, quis talibus præmiſſis concluſionem hanc deneget: ergo *Fides in peccatore eſt peccatorum remiſſio*? Qui malè agit, odit lucem; ſic & qui malè docet, antequam novam Sectam ſatis potentiâ firmaverit. Sed ad Eccleſiæ cuſtodes pertinet de fraude commonefacere Fideles, atque errores ſubdolè inſertos in ea collocare luce, ut omnibus appareant execrandi.

8 Frendebit hìc factio, & fortè velut de impacta ſibi calumnia vociferabitur, objiciens Propoſitionem 51. aſſerentem: *Fides juſtificat, quando operatur; ſed ipſa non operatur, niſi per charitatem*: ubi quidem Fidei, ut juſtificet, comes neceſſaria jungitur charitas; non tamen propterea juſtificandi vis, quæ in prima gratia, eaque Fide conſtituitur, transfertur in charitatem, quando etiam hæretici juſtificationem unicè tribuentes Fidei; Charitatis tamen, aliorumque bonorum operum exigunt ſocietatem. Lutherus in caput 2. epiſtolæ ad Galatas dixerat: *Fides eſt formalis juſtitia, propter quam homo juſtificatur, non propter charitatem*. Lutherani autem Witthembergenſes in colloquio Altembergenſi aliorum actuum conſortium requirunt: & Philippus Melanchton in locis communibus, *clarè docemus*, inquit, *oportère in homine exiſtere notitiam articulorum, item contritionem, bonum propoſitum, inchoari dilectionem. De his dimicant adverſarii, quæ fatemur ipſi in homine oportère exiſtere. Sed addimus, oportère accedere fidem, id eſt, fiduciam miſericordiæ, quòd propter Filium Dei habeamus remiſſionem peccatorum, non propter has noſtras virtutes*. Calvinus in antidoto Concilii Tridentini ad art. 11. ſeſſ. 6. ait, Fidem ſolam juſtificare, ſed eam non eſſe ſolam; quemadmodum ſolus calor accendit, non ſplendor, etſi hìc cum calore conjunctus ſit. Conſentit Kemnitius apud Bellarminum lib. de juſtificatione cap. 12.

CAPUT X.

Præcluditur ſecunda evaſio.

1 HExaplorum Author ita pergit: „ Propoſitio 28. prout in *Obſervationum Moralium* libro enuntiatur, nihil habet niſi certum, &, niſi cenſores Romani perfidè ſuppreſſiſſent ultima „ ejus verba, quæ verum ejus ſenſum con„ ſtituunt, facilè appareret, Patrem Queſnel„ lum nunquam docuiſſe, quòd peccatorum „ re-

„ remiſſio ſit prima gratia abſolutè. Poſt-
„ quam ſcilicet dixerat: *Prima gratia, quam*
„ *Deus concedit peccatori, eſt peccatorum re-*
„ *miſſio,* ſtatim addit: *Sed ea remiſſio non da-*
„ *tur, niſi remittentibus.* Non exiſtimo quem-
„ quam velle Queſnello attribuere dogma
„ illud Pelagianum, quod poſſimus ignoſce-
„ re abſque ſpeciali Dei gratia. Evidens
„ igitur eſt, Queſnellum in ipſa Propoſitio-
„ ne damnata admittere gratias remiſſione
„ peccatorum anteriores: Quando itaque
„ remiſſionem illam aſſerit eſſe primam gra-
„ tiam, primam appellat non quaſi omnibus
„ priorem; ſed iis, quæ obveniunt, quando,
„ poſtquam proximo dimiſerimus, dimiſ-
„ ſumque nobis fuerit, ad alrare accedi-
„ mus. „ Ita Queſnelli Defenſor.

2 Vociferatio de Cenſorum perfidia præter irreverentiam gravem, & contumeliam, indicat in defenſore, aut calumniandi ſpiritum, aut ignorantiam craſſam, nec in Theologo, nec in Philoſopho, aut Dialecticæ tirone tolerabilem. Quis enim Dialecticus neſciat, Propoſitiones, ad rerum naturam, ſeu eſſentiam, vel etiam proprietatem eſſentiæ pertinentes, præſcindere ab earum exiſtentia; ideoque earum ſenſum, & ſignificationem minimè pendêre, vel determinari à quacumque addita circa exiſtenriam enuntiatione? ut ſi dixero: *Homo eſt animal rationale.* Vel *Homo eſt riſibilis; ſed non ratiocinatur, nec ridet, niſi prævia apprehenſione, niſi concurrente Deo, &c.* Indubiè pars prior, quæ hominis naturam, vel proprietatem eſſentiæ exhibet, abſoluta eſt, & à poſteriore, quæ operationem cuidam alligat conditioni, nullatenus dependet. Ita cùm prima gratia peccatoris dicitur eſſe peccatorum remiſſio, natura illius gratiæ, vel proprietas exponitur.

3 Quod autem remiſſio nulla detur, niſi ignoſcentibus, efficiet quidem, ut prima parirer gratia, quæ prædicatur eadem cum peccatorum venia, non detur niſi ignoſcentibus; ſed pars illa poſterior, qua condirio ad anterioris prædicati exiſtentiam neceſſaria connectitur, nihil immutat in tota enuntiationis primæ ſignificatione. Quapropter, ſicut in adducto exemplo definirio hominis, vel deſcriptio per proprieratem legitimè excerpi poteſt, & ſubjici Philoſophorum examini, nulla habitâ ſecundæ enuntiationis ratione, utpotè, quæ nullo modo reſtringat, vel afficiat anteriorem, ſic & excerpi ad examen Theologicum, & feriri cenſurâ potuit Propoſitio Queſnelli, ſic ut præteriretur ſilentio Propoſitio ſequens, quamvis eam cum priore conjunxerit particula adverſativa *ſed*; quia nihil hæc mutat in ſignificatione prioris. Sive itaque Propoſitio 28. in Conſtitutione Unigenitus, ſive in *Obſervationibus moralibus* conſideretur, ejuſdem ubique ſignificationis eſt, ejuſdem falſitatis. Neque prætermiſſa Propoſitio poſterior quidquam continet in Authoris ſenſu, unde colligas primam gratiam in damnato Articulo non intelligendam de prima abſolutè; ita ſaltèm, ut nulla prior ſit, quamvis alterius conſortium requiratur, nempe alieni remiſſio debiti.

4 Hanc in Queſnelli ſententia non apparere priorem remiſſione peccatorum, confirmatur ex Articulo præcedente, per quem Fides eſt prima gratia; hæc autem juxta præſentem Articulum eſt remiſſio peccatorum. Nam alieni delicti veniam fide, qualis ad juſtificationem propriam requiritur, priorem eſſe, nec Adverſarius, nec quiſquam alius admiſerit.

5 Proinde fixa maneat, ut eſt uſu omnium recepta regula, quod cùm enuntiatur aliquod *primum*, intelligendum ſit abſolutè, & ſimpliciter, niſi circumſtantiæ aliud determinent. Ita ſi de duobus Titii filiis Cajo, & Sempronio agens, Cajum appellaveris primum, cenſeri poteris non vocaſſe eum omnium, quos Titius habet liberos, primogenitum; ſed uni Sempronio, de quo ſermo fuerat, prætuliſſe. At ſi nullum præter Cajum exprimens, eum ſimpliciter nominaveris *primum*, vel primogenitum inter Titii liberos, nemo dubitabit, quin primum eum, ſeu primogenitum prædicaveris prorſus omnium.

6 In *Obſervationibus* quidem *moralibus* mentio fit condonandæ proximo injuriæ; ſed patet non poſſe condonationem hanc haberi peccatorum veniâ poſteriorem; cùm ejus declaretur neceſſaria conditio, ſinè qua remiſſio non conceditur. Neque poteſt venia data proximo juxta Queſnelli in damnatis Articulis doctrinam, eſſe prior remiſſione peccatorum, nè ſit prior ipsâ fide, quæ prima graria à Queſnello prædicatur Art. 27. cùmque prima gratia, quæ peccatori conceditur juxta Art. 28. ſit peccatorum remiſſio, liquet, ſidem in peccatore eſſe illam remiſſionem, juxta axioma lumine naturæ notum, *Quæcunque ſunt eadem uni tertio, ſunt eadem inter ſe.* Cùm ergo juſtificatio in Articulo *prima gratia* affirmetur, nec poſſit intelligi prima reſpectu gratiæ concomitantis, nec alia circumſtantia ſit, à qua primæ grariæ appellatio ampliſſima reſtringatur, relinquenda eſt in poſſeſſione ſignificationis, nullis circumſcriptæ limitibus, ut juſtificatio juxra Articulum ſit prima gratia, ſaltèm negativè, quam nulla præcedat, etſi comitetur conceſſa alteri offenſionis venia.

7 Quæ verò hic circumſtantia ſignificationem aliàs generalem limitat? Nulla præter allegatam ab Adverſario, quæ neque adhuc ipſa gratiam aliquam juſtificatione priorem ſtatuit; ſed tantummodo concomitantem. Sit itaque hactenus inconcuſſum, primam gratiam in 28. Articulo memoratam abſolutè & ſimpliciter intelligendam eſſe; ut nulla agnoſcatur conceſſa peccatori vel concedenda anterior; etſi concomitans non excludatur.

CAPUT II.

Præcluditur tertia evaſio.

1 Tertia & ultima Adverſariorum prætenſa evaſio eſt, quòd Queſnellus alibi doceat, primam gratiam non eſſe remiſſionem peccatorum. Ita, inquiunt, aſſerit in Obſ. mor. Luc. 7. v. 10. *Deus peccatorem donis miſericordiæ ſuæ diſponit ad ſanationem.* Quid verò impedit diſtingui ſanationem à reſuſcitatione? Peccatum eſt mors animæ. Sanctificante gratia reſtituitur vita; non tamen ſtatim omnis ſanitas. Vitæ reddimur per baptiſmum; ſed quantis adhuc obnoxii manemus, non ſolius corporis, ſed etiam animi infirmitatibus! Hinc gratia Chriſti, quæ etiam juſtis, & electis impenditur *medicinalis gratia* meritò appellatur, non tantùm quia à novis criminibus præſervat; ſed etiam quia pravos habitus à peccatis præteritis, etſi condonatis relictos reprimit, atque paulatim extinguit. Nihil quoque vetat de ſimilium ſanatione morborum, ſeu malorum habituum, qui dimiſſo criminum reatu remanent, intelligi gradus ſanationis, quos Queſnellus Marci 10. v. 47. memorat. Ex decem hos quatuor poriſſimùm objicit Hexaplorum compilator. „ 1. Agnoſcere cæcitatem ſuam, & petere, „ ut depellatur. 2. Recurrere ad ſupremum „ medicum. 3. Ardenter orare. 4. Non confidere, niſi in ejus miſericordia. Sanatio „ multùm promota eſt, quando quis novit „ liberatorem, & medicum implorare: à non „ exigua miſeriæ parte liberatus eſt, qui ad „ miſericordiam recurrit „.

2 Nonne remiſsâ originis culpâ adhuc mentis cæcitas nobis, ſeu ignorantia adhæſit, quam nec una, nec levis comitatur infirmitas? Quanto magis poſt addita tot crimina propriæ voluntatis? Baptiſmus, & Sacerdotis abſolutio, mortuos ad vitam revocant. Sed tenebras mentis non penitùs depellunt: neque extinguunt concupiſcentiæ ardorem, qui moleſtus, nec periculo vacuus morbus animi eſt. Quàm graves Sanctus Hieronymus ſibi poſt converſionem infirmitates adhæſiſſe deplorat! In dialogo adverſùs Luciferianos *Nunc*, inquit, *creberrimè in oratione mea, aut per porticus deambulo, aut de fœnore computo, aut abductus turpi cogitatione, etiam quæ dictu erubeſcenda ſunt, gero.* Auguſtinus lib. de continentia cap. 7. *Languorem autem iſtum culpa meruit, natura non habuit, quam ſanè culpam per lavacrum regenerationis Dei gratia fidelibus jam remiſit; ſed ſub ejuſdem medici manibus adhuc natura cum ſuo languore confligit. In tali autem pugna ſanitas erit tota victoria, cùm juſtus dicet: Benedic anima mea Domino, qui ſanat omnes languores tuos.* Ipſe Apoſtolus, quàm amarè de ſtimulis carnis queritur 1 Rom. 7. poſtquam dixit *Scio enim, quia non habitat in me, hoc eſt in carne mea bonum,* quod ibi pluribus proſequitur, tandem infirmitates ſuas morti quodammodo æquiparans concludit: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per* Jesum *Chriſtum Dominum noſtrum. Igitur ego ipſe mente ſervio legi Dei, carne autem legi peccati.*

3 Quæ omnia, ut Apoſtolus, Hieronymus, Auguſtinus, etiam poſt juſtificationem in ſe, & aliis profiteutur, ita deſideria, ac preces, ut ab infirmitatibus illis homo liberetur, non indicant ſemper ſtatum peccati, aut gratiam juſtificatione anteriorem. Idem reſpondeo ad id, quod ex Obſerv. Mor. Luc. 8. v. 44. adducitur „ Ut quis ſanetur, debet „ primò accedere ad Chriſtum per fidem de „ ejus potentia, miſericordia, & neceſſitate „ gratiæ ejus medicinalis, 2. indignum ſe „ æſtimare, qui in conſpectum ejus prodeat, „ 3. advolvi ejus pedibus, ibique humili ora„ tione cor ſuum effundere.

4 Qui nempe criminis à ſe commiſſi conſcius eſt, & de juſtificatione incertus, uti & de fide à ſe elicita ſupernaturali, & ſalutifera, meritò pœnitentiam agit, & ſe humiliat, ſicut David etiam peccato, ut confidere poterat, remiſſo; monet enim Scriptura, nè de peccato condonato ſinè metu ſimus, & noxiè ſecuri: Neque citra ſpecialem revelationem ſcire poſſumus an amore digni ſimus, an odio. Præterea hodierni paſſim Calviniſtæ & Lutherani ad pietatis opera, etiam pœnitentiæ, excitant peccatores, etſi fidei ſoli tribuant juſtificationem. Cætera adeſſe volunt, ſive ut ſigna fidei, ſive quacunque alia de cauſa, ut obſervavit pridem Bellarminus lib. 1. de juſtificatione cap. 12. Habemus ipſum famoſum Lutheri diſcipulum Philippum Melanchtonem in locis communibus dicentem: *Clarè docemus oportere in homine exiſtere notitiam articulorum, item contritionem, bonum propoſitum, inchoari dilectionem. De his dimicant Adverſarii;* quæ

quæ tamen fatemur ipſi in homine oportere exiſtere. Sed addimus oportere accedere fidem, id eſt fiduciam miſericordiæ, quod propter filium Dei habeamus remiſſionem peccatorum, non propter has noſtras virtutes. Non igitur hortario ad pœnitentiam, vel deſignatio variorum ejus graduum indicium certum eſt, aliquem ab errore juſtificantis ſolius fidei remotum eſſe, ſi ſe aliunde reddiderit ſuſpectum.

5 Denique air Adverſarius „ Si Propoſitio accepta fuerit ſenſu illo rigido, quòd remiſſio peccatorum ſit abſolutè prima gratia, quam Deus peccatori concedit: quòd primum ſit miſericordiæ ejus donum, quod à nullo alio prævenìatur, ſenſus valde exoticus eſt, qui in nullius mentem poteſt incidere, & qui *Obſervationum moralium* Authori minimè attribui debuit, præſertim relatâ Propoſitione proximè antecedente, quòd *Fides ſit prima gratia, & fons omnium aliarum*; unde imputatio illa ridicula ſubvertitur „. Ego verò jam oſtendi præſentem Articulum ex conſortio præcedentis, quòd *Fides ſit prima gratia*, adeò non ab omni erroris, & hæreſeos ſuſpicione liberari, ut indè potiùs, & ſenſus obvius ac proprius ab Authore intentus appareat, atque hic Calvinianæ hæreſi de fide ſola juſtificante conſentiens. Sic optimè ſcilicet inter ſe conveniunt *Fidem eſſe primam gratiam*, atque hanc eſſe *peccatorum remiſſionem*. Doctrina quidem *exotica* eſt, & longè gravioribus digna cenſuris; ſed, quòd illa Articulo imputetur, neque exoticum eſt, neque ridiculum, cùm ſenſus unicè proprius verborum ſit, & cuilibet legenti obvius. Ridiculus autem dici Articulus poſſet, ſi non foret nimiùm pernicioſus fidei, & funeſtus animis.

6 Ex Propoſitionibus à Conſtitutione damnatis plurimæ ſunt exoticæ, & inter Catholicos inauditæ; de quarum numero eſt hæc 11. *Gratia non eſt aliud, quàm voluntas omnipotentis Dei jubentis, & facientis, quod jubet:* Quo dogmate ſuppoſito, confirmamur inviĉtiſſimè in opinione, quod Queſnellus propriè dictam, & communiter in Eccleſia intellectam gratiam non admittat, remiſſione peccatorum, aut fide priorem; neque credat præveniri tali gratia hominem, ut ignoſcat proximo, vel quæcunque alia Dei exequatur mandata. Nos & voluntatem Dei propitiam, & cum ea gratias clementiſſimæ voluntatis Dei effectus, & in peccatoribus remiſſioni peccatorum prævios, flectendæ ſimul pertinaciæ congruos, Adverſariis noſtris affectu propenſiſſimo exoptamus. Inſtar novus Articulus cum duobus proximè impugnatis erroribus conſpirans.

Vigeſimanona Propoſitio damnata.

Extra Eccleſiam nulla conceditur gratia. *Obſerv. Moral. Luc.* 10. *verſ.* 36.

CAPUT I.

Propoſitio adverſatur Scripturis Sacris.

1 SI fides eſt prima gratia, eaque peccatores juſtificans, ut duobus Articulis jam confutatis traditur, neceſſe eſt, ut juxta præſentem nulla extra Eccleſiam concedatur gratia; quia extra Eccleſiam nemini obtingere poteſt ſalus, nemini juſtificatio. Verùm ſi ita eſt, quomodo infideles, & hæretici converti ad fidem poſſunt; ſaltèm qui reipsâ non convertuntur? Nam omni eos gratiâ, juxta Queſnellum, deſtitui neceſſe eſt; aliàs eſſent certiſſimè convertendi. Quomodo etiam tot milliones hominum, qui ſive è Judæis, ſive è gentibus ad Eccleſiam aggregati ſunt, ad eam vocari interiùs potuere, & credendo, ac pœnitendo ad eamdem adduci; cùm juxta Tridentinæ Synodi ſeſſionis 6. Canonem 3. nemo credere, aut agere pœnitentiam poſſit *ſinè præveniente Spiritûs Sancti inſpiratione*, quæ proinde extra Eccleſiam concedenda eſſet, ut poſſent fide, & pœnitentia ad baptiſmum, ac per eum ad Eccleſiam pervenire? Eadem ratione nemo, juxta Articulum, Schiſmati renuntiare poſſet, & Eccleſiæ reconciliari.

2 Neque dixeris, omnes extra Eccleſiam conſtitutos, ad eam, gratiâ ſibi oblatâ, aut præparatâ pervenire poſſe; nam ſi omnibus nunquam ad fidem convertendis, nunquam Eccleſiam ingreſſuris præparata eſt gratia, procul dubio aliqua ſufficiens ad ſalutem reipsâ confertur omnibus, aut ſaltèm quàm plurimis, tam Hæreticis, quàm Judæis, & Paganis, ut juxta omnium Catholicorum ſententiam expoſui ſupra, ubi Articulum 28. ex Romanorum Pontificum definitionibus confutavi. Cùm igitur nulli eorum, qui nunquam convertentur ad fidem, gratiam aliquam concedi ſtatuit hoc Articulo Queſnellus, nulli reipſa collatam; nulli etiam oblatam, aut præparatam ſimul docere deprehenditur; præſertim quia ſufficientis gratiæ præparatio provenit ex voluntate antecedente, quâ Deus vult eos ſalvos facere, quibus gratiam præparat.

parat. Atqui juxta Queſnellum nulla eſt talis in Deo voluntas reſpectu eorum, qui nunquam convertuntur ad fidem, nunquam conſequuntur ſalutem: Unde Art. 12. *Quando Deus vult ſalvare animam, quocunque tempore, quocunque loco effectus indubitabilis ſequitur voluntatem Dei.* Art. 30. *Omnes, quos Deus vult ſalvare per Chriſtum, ſalvantur infallibiliter.* Juxta Queſnellum igitur nulli eorum, qui nunquam convertentur ad fidem, reipsâ confertur, nulli præparata eſt aliqua gratia ſufficiens.

3 Quapropter præſens error iiſdem ferè Scripturarum, & Patrum teſtimoniis convellitur, quibus duo ſuperiores. Si nempe nulla conceditur gratia extra Eccleſiam, Chriſtus omnes ad ſe, & ad Eccleſiam ſuam vocare ſeriò non potuit. Matth. 11. *Venite ad me omnes.* Fruſtrà miſiſſet Apoſtolos in omnem terram, ut prædicarent Euangelium omni creaturæ: nullus Gentilium credere potuiſſet, nullus pœnitentiam agere, aut baptiſmi Sacramentum cùm fructu ſuſcipere: compati Stephanus debuit Judæis, non eis exprobrare, quod ad Eccleſiam non accederent, & ab ea averterent alios Act. 7. *Vos ſemper Spiritui Sancto reſiſtitis.* Nam ſinè gratia parêre Spiritui Sancto non poterant: neque ſe à reſiſtendo continere, ſi junxeris Propoſitionem 38. *Peccator non eſt liber, niſi ad malum, ſinè gratia Liberatoris*, quæ juxta præſentem Articulum nulla extra Eccleſiam datur. Ex iis tamen non ſolùm exoribus, ſed perſecutoribus Eccleſiæ Saulus abſque omni gratiâ derelictus non fuit; ſed efficaciſſimâ præventus.

4 Si nulla conceditur gratia extra Eccleſiam, aſſeri ſinè mendacio de Deo non potuit 2. Pet. 3. v. 9. *Nolens aliquos perire, ſed omnes ad pœnitentiam reverti*; cùm omnes gratiâ deſtitutos perire neceſſe ſit, pœnitentiam agere impoſſibile. 1. Tim. 4. dicitur: *Qui eſt Salvator omnium hominum, maximè fidelium.* Quomndo Deus Salvator ſit fidelium, intelligi poteſt; non quomodo cæterorum, qui extra Eccleſiam ſinè ulla gratia vitam ducere coguntur; indè ad æterna inferorum ſupplicia abſque ullo ſalutis obtinendæ adminiculo detrudendi. De infidelibus ait Apoſtolus Rom. 1. eos potuiſſe, & debuiſſe Deum agnoſcere, atque ut Deum colere, *ita ut ſint inexcuſabiles*, qui prætermiſerint. Potuiſſe eos ſinè gratia Deum colere ſicut oportet, nemo Catholicus agnoſcet; minùs etiam Queſnellus, juxta quem Articulo 40. *Sinè gratia nihil amare poſſumus, niſi ad noſtram condemnationem*, & 48. *Quid aliud eſſe poſſumus, niſi tenebræ, niſi aberratio, & niſi peccatum, ſinè Fidei lumine, ſinè Chriſto, & ſinè Charitate?* Ut autem ſalus, & vera juſtitia extra Eccleſiam eſſe non poteſt, ita nec gratia: cùm nulla gratia, juxta Queſnellum eſſe poſſit abſque vera juſtitia; nam per Artic. 28. *Prima gratia, quam Deus concedit peccatori, eſt peccatorum remiſſio.*

5 Matthæi 23. Salvator omnium amantiſſimus exprobrat rebelli Hieroſolymæ, quoties voluerit congregare filios ſuos quemadmodum gallina congregat filios ſuos ſub alas, quoties eos voluerit Eccleſiæ ſuæ aggregare, & ingrata noluerit. Quæ eſt autem ſeria voluntas? Quæ juſta exprobratio, ſi Judæis incredulis omnis denegata fuerit gratia, ſinè qua Chriſto, & ejus Eccleſiæ aggregare ſe, vel ad eam à Chriſto aggregandi accedere minimè potuerint? Quis illud quoque cum veritate conciliet in Queſnelli ſententia, quod Spiritus Sanctus enuntiat Iſaiæ 65. & Rom. 10. *Expandi manus meas tota die ad populum non credentem, & contradicentem?* Ex omnibus non credentibus, & extra Fidelium numerum, ſive credentium Eccleſiam, nullus quidpiam præſidii habuit, quo credere valeret, Deoque charitate conjungi; Si *extra Eccleſiam nulla conceditur gratia.* Qui error ſi ſtetiſſet, aut expungi omnino, aut limitari debuiſſet ad ſolos in Eccleſia conſtitutos, quod ſinè reſtrictione univerſim de Peccatoribus, & quidem impiis Deus declarat Ezech. 18. *Numquid voluntatis meæ eſt mors impii, & non ut convertatur à viis ſuis, & vivat?* Et iterum cap. 33. *Vivo ego dicit Dominus Deus, nolo mortem impii, ſed ut convertatur impius à via ſua, & vivat.*

6 De incredulis, quibus Euangelium prædicatum eſt; ſed qui illud recipere, & Eccleſiam ingredi noluerunt, dicitur 2. Theſſ. 2. *Charitatem veritatis non receperunt; ideo mittet illis Deus operationem erroris.* Juſta infligitur pœna iis, qui charitatem veritatis recipere cùm poſſent, noluêre; ſed quid pœnæ, & qua ratione meriti ſunt, qui extra Eccleſiam poſiti, auribus quidem audivere præconem Euangelii; ſed omni deſtituti gratia, ſinè qua fides impoſſibilis eſt, credere non poterant?

7 Non ad ſolos in Eccleſia conſtitutos; ſed ad omnes rationis compotes iſta Dei pertinet denuntiatio Apoc. 3. *Ecce ſto ad oſtium, & pulſo: ſi quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi januam, intrabo ad illum.* Infideles, & extra Eccleſiam exiſtentes, ſi Queſnellum audierint, quis, inquient, iſte pulſus eſt, quæ Dei invitatio, ut aperiamus januam, qoando Deus certiſſimè novit, nos abſque gratiæ ſuæ auxilio aperire non poſſe, & nullum vult nobis iſtiuſmodi ſubſidium impertiri? Iſtud nobis denegare ceſſet, aut blandâ adeò

adeò,ſed fraudulentâ nos oratione demulceret, quaſi ſibi jungere nos voluerit, amicâ ad nos ingredi beneficentiâ, & quodammodo familiaritate.

8 Ad eos, qui extra Eccleſiam ſunt, potiſſimùm dirigitur illud Prov. 1. *Sapientia foris prædicat .... convertimini; en proferam vobis ſpiritum meum .... quia vocavi, & renuiſtis: extendi manum meam, & non fuit qui aſpiceret: deſpexiſtis omne conſilium meum, & increpationes meas neglexiſtis*. Sed quem effectum habere poteſt ea prædicatio, quantum attinet ad illorum converſionem, quibus non major facultas obſequendi eſt, quàm cœcis videndi, vel ſurdis audiendi? Sapiens illud, & æternâ dignum ſapientiâ conſilium eſſe definit, ſi iis ſuggeritur, quibus exequi impoſſibile eſt, quod ſuadetur. Sed nos Queſnelli potiùs rejiciamus Articulum, quàm tot Divina Scripturarum oracula ſinamus falſitatis argui, aut ineptiarum.

CAPUT II.

Eadem Propoſitio adverſatur traditioni Patrum, etiam Sancto Thomæ.

1 Paulus Oroſius, qui ut aliàs monui, encomio decorari meruit ab Auguſtino, gratiam clariſſimè extra Eccleſiam extendit, liberalitate non minore, quàm ullus hoc tempore ſcholaſticus. Sic Apologia pro libertate arbitrii dicens: „Mea „ eſt hæc Fidelis, atque indubitata ſententia, Deum adjutorium ſuum non ſolùm in corpore, quod eſt Eccleſia; verùm „ etiam univerſis Gentibus ſubminiſtrare, & „ ſpeciatim quotidie per tempora, per dies, „ per momenta, per atomos cunctis, & ſingulis miniſtrare.... At verò ut adeſſe „ adjutorium Dei per ſingula, & per ſingulos probes, ex quo evidentiſſimè declaratum eſt, nemini hominum deeſſe adjutorium. „

2 Conſonat S. Proſper, ſeu quiſquis Proſpero non inferior Author librorum de Vocatione Gentium, Libro 2. caput 29. ait: „ Univerſitati hominum ita multiplex, atque ineffabilis bonitas Dei conſuluit ſemper, & conſulit, ut neque ulli pereuntium excuſatio ſuppetat de abnegato ſibi „ lumine veritatis, neque cuiquam ſit liberum de ſua juſtitia gloriari. „

3 Cap. 31. „ Elaboratum eſt, quantum „ Dominus adjuvit, ut non ſolùm in noviſſimis diebus; ſed etiam cunctis retro ſeculis probaretur, gratiam Dei omnibus hominibus adfuiſſe; providentiâ quidem pari, & bonitate generali; ſed multimodo „ opere, diverſâque menſurâ „. Neutro loco excluduntur infideles, aut qui degunt extra Eccleſiam.

4 Sed neque excludendos eos cenſuit S. Hieronymus in Pſalm. 14. dicens „ O infeliciſſimum genus humanum, qui peccata excuſamus dicentes: victus ſum à naturâ; eum in poteſtate noſtra ſit, & peccare, „ &, Domino adjuvante, non peccare. „ Excuſatio verò foret maximè legitima omnium qui in Eccleſia nunquam fuêre, atque ita juxta damnatum Articulum nunquam Dominum habuêre ullo infirmitati ſuæ ſuccurrentem auxilio, ſinè quo peccata, & tentationes vincere, Deique implere mandata, ut ad ſalutem & juſtitiam oportuit, minimè poterant.

5 Idem S. Doctor Epiſt. ad Cyprianum. „ Homo à principio conditionis Deo utitur „ adjutore; & cùm illius ſit gratiæ, quod „ creatus eſt, illiuſque miſericordiæ, quòd „ ſubſiſtit, & vivit, nihil boni operis agere „ poteſt abſque eo, qui ita conceſſit liberum „ arbitrium, ut ſuam per omnia opera gratiam non denegarit. „ Non diſtinguens Hieronymus inter Eccleſiæ filios, & extraneos, de univerſo agit genere humano, cui liberum Deus conceſſit arbitrium.

6 Chryſoſtomus in caput 9. Epiſt. ad Rom. Sermone 16. de Deo ait „ Quoniam „ vehementer bonus eſt,.... quantum in „ ſe fuit, Pharaonis miſertus eſt; quod autem ſalvatus non eſt, totum per ipſins voluntatem ſtetit; ita ut, quantum ad eum „ attinebat, nihil ab illis, qui ſalvati ſunt, „ minus habuerit. „ Habuit igitur aliquid gratiæ, & quidem extra Eccleſiam.

7 Non poteſt excogitari amplior Divinæ miſericordiæ, & profluentis ab ea in omnes homines gratiæ prædicatio, quàm illa ejuſdem Sancti Hom. 7. in Joannem: „ Gratia in omnes diffuſa eſt: non Judæum, non „ Græcum, non Barbarum, non Scytham, „ non liberum, non ſervum, non virum, „ non mulierem, non ſenem, non juvenem „ excipit, aut dedignatur: Omnibus eadem „ eſt: omnibus ſe facilem exhibet, omnes „ pari honore advocat: qui autem ejus munere frui negligunt, hanc ſuam cæcitatem „ ſibi ipſis imputent; cùm enim detur omnibus, omnibus pateat, & à nemine prohibeatur, perditi quidam, & nequam homines propriâ dumtaxat malitiâ ingredi „ recuſant „ Chriſti Eccleſiam, & æternæ ſalutis portum, ſufficientibus, ut ingredi poſſent, inſtructi præſidiis.

8 Auguſtinus lib. 2. de Peccatorum meritis

ritis cap. 17. „ Cùm voluntate humana, gra-
„ tia adjuvante Divina, ſinè peccato in hac „ vita homines poſſint eſſe, cur non ſint, „ poſſem facillimè, ac veraciſſimè reſpon- „ dere, quia homines nolunt. „ Quod de non ſolis in Eccleſia conſtitutis reſpondet Sanctiſſimus Antiſtes; ſed abſque limitatione de omnibus. Potueruntne autem omnes ſalubriter velle; ſi longè major hominnm pars ab Eccleſiâ manens ſeparata, omni deſtituatur gratiæ auxilio? Poſſe ait Auguſtinus, homines voluntate humanâ, non ſolâ, ſed *gratiâ adjuvante Divina* ſinè peccato eſſe; neceſſe eſt igitur aliqua Divinæ gratiæ ſubſidia etiam extra Eccleſiam hominibus obvenire.

9 Quod ab eodem Sancto non minùs manifeſtè traditur lib. 83. Quæſtionum quæſt. 68. „ Ad illam cœnam nec omues, qui vocati „ ſunt, venire voluerunt; neque illi, qui ve- „ nerunt, venire poſſent, niſi vocati. Itaque „ nec illi debent ſibi tribuere, qui venerunt, „ quia vocati venerunt; nec illi, qui nolue- „ runt venire, debent alteri tribuere; ſed „ tantùm ſibi; quoniam, ut venirent, vo- „ cati erant in libera voluntate. „ Cœnæ magnæ nomine in Euangelio venit primùm Eccleſia, & Fides in Chriſtum, dein cœleſtis gloria. Tam ad priorem, quàm ad poſteriorem qui non perveniunt, non poſſunt alteri tribuere; ſed tantùm ſibi: quoniam, ut venirent, vocati erant per gratiam utique, in liberâ voluntate; non ergo caruerunt auxilio, ſive qui ad fidem, & Eccleſiam venire noluerunt, ſive qui ſalutiferæ paruêre vocationi.

10 Irenæus lib. 4. cap. 17. „ Vis à Deo „ non fit; ſed bona ſententia adeſt illi ſem- „ per, & propter hoc conſilium quidem bo- „ num dat omnibus; poſuit autem in homi- „ ne poteſtatem electionis „ ut Eccleſiam ingrediatur priùs terreſtrem, poſtea feliciorem in cœlis. Poteſtas autem nulla eſt ſinè gratia.

11 Clemens Alexandrinus lib. 2. Stromatum ait „ Divinum Verbum clamavit, „ omnes ſimul vocans; eos quidem vel ma- „ ximè cognoſcens, qui non erant parituri: „ & tamen, quoniam eſt in noſtra poteſtate „ parêre, & non parêre, ut nulli poſſint cau- „ ſari prætextum ignorantiæ, juſtam fecit „ vocationem „ Omnium ubique gentium, factâ adultis omnibus ad Eccleſiam, & ſalutem veniendi libera poteſtate, utique per vocationis non exterioris ſolummodo; ſed etiam interioris gratiam, nemini ratione uentium denegatam.

12 Idem in Oratione exhortatoria ad Gentes: „ Audite qui eſtis longè, audite „ qui prope: nullis celatum eſt verbum: lux „ eſt communis, omnibus eluceſcit homini- „ bus. „ Fruſtrà gentes hortaretur Queſnellus, præfatus nullam concedi gratiam extra Eccleſiam; nec tamen ſinè gratia fidem, juſtitiam, ſalutem eſſe poſſibilem. Cui igitur uſui eſſe poteſt prædicatio Euangelii iis, qui extra Eccleſiam ſunt? Non ita ſentiunt citati Patres, & ante omnes illos Dionyſius lib. de cœleſti Hierarchiâ cap. 9. „ Ex gen- „ tibus, inquit, etiam nos ad immenſum, & „ infinitum Divini luminis pelagus, quod „ ſemper paratum eſt, & patet omnibus ad „ participandum, ex præteriti erroris cæci- „ tate reſpiravimus: ad quod ſanè obſequen- „ tes ducebant Angeli præpoſiti ſingulis „ Gentibus. „

13 S. Joannes Damaſcenus Dialogo contra Manichæos: „ Sanè Deus, qui naturæ „ bonitate, ac miſericordiâ præſtat, pecca- „ tum non vult, ac mortem peccatoris, nec „ viventium exitio delectatur. Verùm om- „ nibus bona fundit: qui vult accipit, & bo- „ nis potitur. „ Ubi ſanctus miſericordiam Dei non reſtringit ad fideles, aut Eccleſiam. Sed bona Dei in omnes, nemine penitùs excepto, profundi teſtatur, ut ad juſtitiam, ac ſalutem quiſcunque voluerit, accipiat.

14 Laurentius Juſtinianus lib. de Contemptu mundi cap. 8. „ Noli ô homo cùm „ delinquis, bonitatem damnare Divinam, „ quòd ſuam minimè prærogavit gratiam, & „ bene agendi tibi negaverit poteſtatem. „ Vult quantum in ipſo eſt, omnes homines „ ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis ve- „ nire, quatenus in omnibus reperiat quod „ coronet. „ Juxta Queſnelli Articulum omnes extra Eccleſiam viventes de Divina bonitate conqueri poterunt, quòd cùm bona ab eis opera, & quidem Fidem, Spem, & charitatem, religionem, pœnitentiam exigat, ſuam minimè prærogaverit gratiam, ſinè qua iſtiuſmodi actus impoſſibiles ſunt; imò, juxta Articulos trigeſimum octavum, & plures ſequentes, non ſolùm omnis boni poteſtas tollitur; ſed malè quoque agendi imponitur neceſſitas; nam, inquit Articulus 45. *Amore Dei in corde peccatoris non ampliùs regnante, neceſſe eſt, ut in eo carnalis regnet cupiditas, omneſque actiones ejus corrumpat.*

15 Denique damnato Articulo adverſantur, quotcunque Patres tradunt, Deum velle omnes homines ſalvos fieri, & Chriſtum pro omnibus hominibus mortuum; utraque enim doctrina juxta ſenſum proprium, & obvium, auxilia omnibus, ut ſalvari valeant, ſufficientia præparata enuntiat. Quod optimè obſervat Angelicus libro 3. contra gentes

tes

Digitized by Google

tes cap. 159. dicens, *Deus quantum in ſe eſt, paratus eſt omnibus gratiam dare; vult enim omnes homines ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, ut dicitur 1. Tim. 2. Sed illi ſoli gratia privantur, qui in ſeipſis gratiæ impedimentum præſtant: Sicut ſole mundum illuſtrante, in culpam reputatur ei, qui oculos claudit, ſi ex hoc aliquod malum ſequatur; licèt videre non poſſit, niſi lumine ſolis præveniatur.* Et 1. Tim. 2. lect. 1. Jesus *Chriſtus mediator Dei, & hominum, non quorundam; ſed inter Deum, & omnes homines: & hoc non fuiſſet, niſi voluiſſet omnes ſalvos.* Quod fortius exprimit S. Hieronymus epiſt. ad Oceanum de Digamia: *Mentitur Joannes Baptiſta, & digito Chriſtum, & voce demonſtrans, Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi, ſi ſunt adhuc in hoc ſeculo, quorum Deus peccata non tulerit.*

16 Cyrillus Hieroſolymitanus catecheſi 18. *Multimoda ſanè quædam relicta eſt ratio conſequendæ vitæ æternæ propter illius paſſionem &c. ut omnes, quantum in ipſo eſt, abſque impedimento illâ potiri poſſent.* Ediſſerat autem nobis Queſnellus modum aliquem, quo extra Eccleſiam ab initio educati ſalutem conſequi poſſint *abſque impedimento*, & tamen abſque omni gratia.

17 Gregorius Nazianzenus Oratione 25. in Arianos: *Omnes citra ullam exceptionem inſtaurati ſumus, qui ejuſdem Adam participes fuimus.* Magna ſanè exceptio neceſſaria eſt, adeò ut numerus excipiendorum, longè ſuperet numerum à Chriſto inſtauratorum, ſi nulli ex infinita multitudine exiſtentium extra Eccleſiam, quidpiam gratiæ conceſſum ſit: aut modum nobis alium intelligibilem exponat adverſarius, quo inſtaurati à Chriſto dici valeant, quibus nihil gratiæ mereri voluerit, etſi abſque ea inſtauratio adultorum, ſeu ratione utentium ſit impoſſibilis.

18 Rurſum Chryſoſtomus 1. Timoth. 2. Hom. 7. *Quomodo illi non crediderunt? Quia noluerunt: ſuas tamen ille partes executus eſt, dum pro eis in cruce penderet.* Ecce pendentem in Cruce Jesum pro incredulis, & extra Eccleſiæ ſinum errantibus: ſed quo ſenſu legitimo dici potuit pro illis in cruce pependiſſe, ſi nihil eis gratiæ præſtare decreverit? Iu quo Salvatoris partes intuitu eorum executus eſt? Denique ad interrogationem ſuam, *quomodo illi non crediderint*, reſpondere debuiſſet Chryſoſtomus: *quia non potuerunt*: reſpondens enim *quia noluerunt*, indicat credere eos potuiſſe: quod tamen à veritate alienum eſt, ſi Queſnellum audiverimus; quia credere nemo poteſt ſinè gratia, quæ extra Eccleſiam, aut fidelium numerum, Queſ-

nello judice, non conceditur.

19 Ad ſocietatem Filii Dei omnes homines rationis compotes vocantur: atque ut ſapientiſſimè animadvertit Angelicus in Epiſtol. 1. Cor. cap. 1. lect. 1. *Non videretur eſſe fidelis Deus, ſi nos vocaret ad ſocietatem Filii, & nobis denegaret, quantum in ipſo eſt, ea, per quæ pervenire ad eum poſſemus*: Inter quæ maximè neceſſarium eſt auxilium gratiæ. Neceſſe igitur eſt, eos, qui vocantur ad ſocietatem Filii Dei, tum temporalem, quæ eſt hic militans Eccleſia; tum æternam, quæ apud Superos eſt, non deſeri abſque omni gratiâ. Idem ſanctus Doctor 3. parte quæſtion. 52. art. 6. ad 3. *Homines quamdiu vivunt, poſſunt ad fidem, & charitatem converti; quia in hac vita non ſunt homines confirmati in bono, vel malo.* Quid autem eſt confirmari in malo, niſi derelinqui abſque omni gratia, abſque omni converſionis poteſtate? Sic relinquuntur omnes extra Eccleſiam conſtituti, ſi nulla eis gratia offeratur. Notiſſima eſt Sancti Thomæ ſententia de puero in ſilva inter bruta animantia educato, atque ita ſinè fide, & extra Eccleſiam; quem tamen cenſet, ſequendo ductum rationis in fuga mali, & appetitione boni, poſſe ſe ad fidem à Dei miſericordiâ impetrandam diſponere; utique non abſque gratiæ auxilio.

CAPUT III.

Eadem Propoſitio contraria eſt Conciliis, definitionibus Romanorum Pontificum, & rationi Theologicæ.

1 Concilium Lateranenſe ſub Innocentio III. cap. *Firmiter* ſic definit: *Si poſt ſuſceptionem Baptiſmi quiſpiam relapſus fuerit in peccatum, per veram pænitentiam ſemper poteſt reparari.* Si baptizatus quilibet, etiam in peccatum hæreſeos, vel ſchiſmatis lapſus poteſt ſemper per veram pœnitentiam reparari, neceſſe eſt aliquod extra Eccleſiam agnoſci gratię auxilium, ſinè quo vera pœnitentia nequeat exerceri.

2 Concilium Arauſicanum 11. can. 25. *Deus nobis inſpirat, ut & Baptiſmi Sacramenta fideliter requiramus, & poſt Baptiſmum cum ipſius adjutorio ea, quæ ſibi ſunt placita, implere poſſimus.* Baptiſmi Sacramentum nemo fideliter requirere poteſt ſinè gratiæ auxilio; Baptiſmum autem requirens, nondum in Eccleſia eſt. Oportet igitur extra Eccleſiam concedi aliquod gratiæ ſubſidium.

3 Concilium Tridentinum ſeſſ. 14. cap. 5.

 ait:

ait: *Univerſa Eccleſia ſemper intellexit inſtitutam etiam eſſe à Domino integram peccatorum confeſſionem, & omnibus poſt Baptiſmum lapſis jure Divino neceſſariam exiſtere.* Si omnibus poſt Baptiſmum lapſis, etiam in hæreſim, vel ſchiſma, confeſſio jure Divino imponitur neceſſaria, pariter neceſſaria eſt Hæretico illi, vel Schiſmatico extra Eccleſiam, gratia, ſinè qua confeſſio cum fructu inſtitui nunquam poterit.

4 Concilium Valentinum III. ſub Rege Lothario anno 855. docet; *nec ipſos malos ideo perire, quia boni eſſe non potuerunt; ſed quia boni eſſe noluerunt.* Quicunque extra Eccleſiam nati, & educati perierunt, juxta Articulum ſalvari non potuiſſent deſtituti omni gratia; unde de ipſis verè diceretur, *Malos ideo periiſſe, quia boni eſſe non poterant.*

5 Concilium Senonenſe can. 15. *Neque tamen tanta gratiæ neceſſitas, libero præjudicat arbitrio; cùm illa ſemper in promptu ſit, & nè momentum quidem prætereat, in quo Deus non ſtet ad oſtium, & pulſet.* Quod non de ſolis Eccleſiæ filiis, ſed de hominibus abſque limitatione prædicatur.

6 Rurſus Trident. ſeſſ. 6. cap. 11. *Deus impoſſibilia non jubet, ſed jubendo monet, & facere quod poſſis, & petere quod non poſſis, & adjuvat ut poſſis.* Hæc iterum Concilii doctrina non ſolo fidelium numero circumſcribitur; ſed ad omnes pertinet mortales; utpote illimitata. Juxta Articulum verò omnibus extra Eccleſiam conſtitutis eſſent impoſſibilia, quæcunque præcepta ſinè gratia nequeunt obſervari, ut ſunt præcepta Fidei, Spei, Charitatis, pœnitentiæ, religionis, & quæcunque naturæ ordinem ſuperant, ſive per ſe, ſive ratione humanæ infirmitatis, tentationum vehementium &c.

7 Clariſſimè autem Articulus continet quintum inter 31. damnatos ab Alexandro VIII. *Pagani, Judæi, Hæretici, aliique hujus generis,* (extorres ab Eccleſia) *nullum omnino accipiunt à* Jesu *Chriſto influxum, adeòque hinc rectè inferes, in illis eſſe voluntatem nudam, & inermem ſinè omni gratia ſufficienti:* Ex quo ſequitur, & quartus ab eodem Pontifice, eodem decreto proſcriptus, de Chriſto Salvatore. *Dedit ſemetipſum pro nobis oblationem Deo: non pro ſolis electis; ſed pro omnibus, & ſolis fidelibus.* Quâ enim ratione mortuus fuiſſet pro cæteris, quibus nullam gratiam promereri, & præparare voluerat? Demerentur illi tamen, quoties præceptum violant, quod abſque gratiæ auxilio nequeat obſervari: atque adeò peccata committendo inevitabilia, demerentur: unde conſecutio foret perſpicua, *Ad demerendum non requiri in ſtatu naturæ lapſæ libertatem à neceſſitate; ſed ſufficere libertatem à coactione:* Quod in tertia Janſenii Propoſitione hæreticâ à pluribus Pontificibus damnatum eſt. Hinc quoque ſponte fluit Bajana 67. *Homo peccat, etiam damnabiliter, in eo, quod neceſſariò facit.* Et 39. *Quod voluntariè fit, etiamſi neceſſariò fiat, liberè tamen fit;* ſufficiente ſcilicet ad demeritum libertate.

8 Ex quo verò capite libertas qualiſcunque talibus præceptorum operum omiſſionibus accerſetur in iis, qui extra Eccleſiam nati, primùm ad uſum rationis perveniunt? Ex nullo prorſus, niſi ad libertatem Adami confugeris, in quo voluntates noſtræ poſitæ cenſeantur. Verùm eam libertatem, licèt ad originis peccatum ſatis momenti habuerit; tamen ad proprii nominis peccatum ab adultis committendum in ſtatu naturæ lapſæ non ſufficere, conſtat ex damnatione hujus primi Articuli inter 31. de quibus ſupra, *In ſtatu naturæ lapſæ ad peccatum formale, & demeritum ſufficit illa libertas, qua voluntarium, ac liberum fuit in cauſa ſua peccato originali, & voluntate Adami peccantis.*

9 Quæcunque ignorantia abſque gratiæ præſidio vinci nequit, reddetur omnibus extra Eccleſiam inſuperabilis; non tamen propterea juxta Queſnellum, & omnes iſtiuſmodi prætenſos Auguſtini diſcipulos, omni culpâ liberabitur ex tali ignorantia delinquens, ſaltèm contra jus naturæ. Unde & ſequitur ſecunda hæc ab Alexandro VIII. ibidem damnata: *Tametſi detur ignorantia invincibilis in jure naturæ, hæc in ſtatu naturæ lapſæ operantem ex ipſa non excuſat à peccato formali.*

10 Si Queſnelli Articulo 29. junxeris ejuſdem trigeſimum octavum, *Peccator non eſt liber, niſi ad malum, ſinè gratiâ Liberatoris,* evitari non poterit cenſura Alexandri VIII. in Propoſitionem hanc octavam inter 31. *Neceſſe eſt, infidelem in omni opere peccare.* Non magis eluctabilis erit cenſura S. Pii V. Gregorii XIII., & Urbani VIII. in 25. Articulum Baji *Omnia opera infidelium ſunt peccata, & virtutes Philoſophorum ſunt vitia.*

11 Ex allatis hactenus videt Lector campum ampliſſimum patère argumentis Theologicis, quibus damnata Propoſitio convellatur. Omnes Pagani, Judæi, Hæretici, Fide Catholicâ, quantum ſufficit, annuntiatâ, tenentur credere: Schiſmatici omnes ad Eccleſiam accedere, atque eam ingredi; quod ſinè ope gratiæ præſtare nequeunt. Non igitur omnis gratia talibus denegatur; alioqui adſtringerentur ad impoſſibile, quod juſtitiæ, & lumini naturæ repugnat; unde profluxit Bonifacii VIII. de Regulis juris in ſexto Regula

gula 6. *Nemo poteſt ad impoſſibile obligari*.

12 Conſtat, pœnitendi præceptum peccatoribus omnibus ratione utentibus impoſitum, à quo minimè liberantur Hæretici, Schiſmatici, & quicunque extra Eccleſiam infideles ſunt, & peccatores. Non omni igitur gratiæ deſtituuntur auxilio, ſinè quo pœnitentia eſſe non poteſt. Quis mortalium non obſtringitur præcepto amandi Deum ſuper omnia ex toto corde, ex tota anima? quod nemo impleverit ſinè gratia. Debitum ſuſcipiendi Sacramentum Baptiſmi, promulgato ſatis Euangelio, ad omnes pertinet; uti ad baptizatos omnes in peccatum poſt baptiſmum relapſos Sacramentum confeſſionis, quod Hæreticos, & Schiſmaticos, non minùs, quàm Eccleſiæ obedientes, & Catholicos obſtringit: poſſuntne autem Sacramenta illa ab adultis utiliter ſuſcipi abſque ulla gratia?

13 Quot alia præcepta, quot difficultates, & tentationes graves ſuccurſum gratiæ requirunt! quæ ſi penitùs ſubtrahatur, peccabit Hæreticus, & Schiſmaticus neceſſariò. *Quis porrò peccet in eo, quod nullo modo caveri poteſt? Peccatur autem; caveri igitur poteſt*, ut ait Auguſtinus lib. 3. de libero arbitrio cap. 18., & lib. de naturâ, & gratia cap. 69. *Eo ipſo, quo firmiſſimè creditur, Deum juſtum, & bonum impoſſibilia non potuiſſe præcipere, hinc admonemur, & in facilibus quid agamus, & in difficilibus quid petamus*. Gratia igitur ſuo tempore ſubminiſtratur etiam extra Eccleſiam degentibus, urgente præcepto, quod abſque gratia nequeat adimpleri; gratia inquam conceditur, vel offertur, ſi non ſemper proximè, ſaltèm ita remotè ſufficiens, ut proxima impetrari petendo valeat.

14 Novum argumentum ſuggerit S. Thomas de veritate quæſt. 24. art. 11. dicens. *Obſtinatio in via eſt imperfecta, ita quòd non de facili poſſit quis cooperari, ut exeat de peccato; non poteſt autem ita eſſe obſtinatus in malo, quin ad ſuam liberationem cooperari poſſit*. Eſſent verò abſolutè confirmati in malo omnes Hæretici, Schiſmatici, & infideles, ſi nulla eis gratia concederetur, qua converti poſſent.

15 Denique, duce Angelico, & cæteris in Eccleſia Theologis, nullum eſt peccatum in hac vita, cujus venia impetrari nequeat. Tale autem juxta damnatum Articulum eſſet peccatum Hæreſeos, Schiſmatis, & cujuſcunque infidelitatis, quo homo redditur ab Eccleſia extorris; quia omne gratiæ auxilium ad converſionem neceſſarium ab homine inperpetuum arceret.

16 Quæ hactenus contra damnatum Articulum prolixiùs diſſerui, reperio veluti compendio tradita in quodam dialogo, Queſnelliani Euangelii præconem inter, & Schiſmaticum. Nihil illo facilius captu eſt cuilibet Lectori, Latini idiomatis non penitùs imperito. Quare ejus hic relatio neque inutilis fore videtur, neque ingrata.

CAPUT IV.

DIALOGUS

Inter Queſnellianum Miſſionarium, & Schiſmaticum de Propoſitione 29. ſecundùm ſe, & in ſenſu obvio intellectâ.

1 MISSIONARIUS. Non te terret horrore plena Sancti Fulgentii ſententia de Fide ad Petrum cap. 38. & 39. *Firmiſſimè tene, & nullatenùs dubites, non ſolùm Paganos; ſed etiam Judæos, Hæreticos, & Schiſmaticos, qui extra Eccleſiam Catholicam præſentem finiunt vitam, in ignem æternum ituros?* Et illa Sancti Cypriani de ſimplicitate Prælatorum. *Cum Deo manere non poſſunt, qui eſſe in Eccleſia Dei unanimes noluerunt: ardeant licèt flammis, & ignibus traditi, vel objecti beſtiis animas ſuas ponant, non erit illa fidei corona; ſed pœna perfidiæ: occidi talis poteſt; coronari non poteſt*. Brevius quidem, ſed non minùs terrificum eſt, quod recens magni nominis apud nos Theologus Paſchaſius Queſnellus obſervat in cap. Lucæ 10. v. 36. *Extra Eccleſiam nulla conceditur gratia*.

SCHISMATICUS. Si ea eſt Eccleſiæ veſtræ, quam Catholicam vocatis, doctrina, nihil eſt, quod me certiùs à cœtu veſtro debeat avertere. Si enim mihi extra Eccleſiam conſtituto nulla conceditur gratia, quomodo vincere tentationes potero, quibus ab Eccleſia veſtra retrahor? Quomodo me ad reconciliationem diſponere? Schiſmaticus, vt nos vocatis, ad Eccleſiam veſtram ſinè exhomologeſi non admittitur. Hæc prærequirit gratiam, quæ ſi extra Eccleſiam nulla ſit, nulla admiſſionis in eam ſpes eſt, nulla adulto in eam ingrediendi facultas.

2 MISSIONARIUS. Humilia te coram Deo, & Eccleſia: Agnoſce infirmitatem tuam, & quemcunque defectum virium, debitum ſchiſmati, & cæteris peccatis tuis ſupplicium: pete, quod deeſt, auxilium; ſed pete ardenter, & quantùm res iſta petenda eſt. Nam *Monemur*, inquit S. Auguſtinus lib. de natura, & gratia cap. 69. *& in facilibus quid agamus; & in difficilibus, quid petamus*.

SCHISMATICUS. Quid ergo, an Semipelagianus es, aut me Semipelagianum exi-

ſtimas, qui ad gratiam me præparem ſinè ulla gratia? Jam dixeras, tamquam dogma palmare, *Extra Eccleſiam nulla conceditur gratia*: Nunc jubes, ut orem ſicut oportet, ut cœleſte auxilium obtineam. Quis Catholicus cenſeat orari ſalubriter ſolis naturæ viribus? Neceſſe eſt itaque, ut, ſi vera eſt Doctoris veſtri obſervatio, in ſchiſmate perpetuò perſeverem.

3 Missionarius. Nuper minùs remotus apparueras à Regno Dei: Oportet interim in quemdam perditum Moliniſtam incideris, qui te in Auguſtini diſcipulos concitarit.

Schismaticus. Sed neque an Moliniſtæ ſint, aut quod iſtud genus hominum ſit, intellexi. At dogma veſtrum adducendis ad Eccleſiam Schiſmaticis minimè idoneum eſſe nimis habeo exploratum. Imò, quid magis avertere ab Eccleſia veſtra neceſſe eſt, quàm dogma tam inhumanum; quod omnes etiam caſu, & regionis, ac parentum diſpoſitione extra Eccleſiam natos, & educatos; omnes etiam baptizatos, & credentes, ſed, communi multis calamitate, ſchiſmate implexos, omni converſionis facultate, Eccleſiæ, & ſalutis ſpe æternùm deſtituat: omnem ad bonum ſalutiferum libertatem eripiat?

4 Missionarius. Næ tu in doctrina Auguſtiniana peregrinus es. Nos liberum arbitrium aſſerimus: non Pelagianum, non Ariſtotelicum; ſed Auguſtinianum in ſolo conſiſtens voluntario.

Schismaticus. Vos nomine; nos ſenſu Auguſtiniani ſumus; cum Doctorum Aquila, & Catholicis omnibus docentes, *neminem vituperatione, ſuppliciove dignum, qui id non faciat; quod facere non potuit*. Adeòque neminem ab Eccleſia extraneum vituperatione, ſuppliciove dignum, ex eo, quòd ſe Eccleſiæ non conciliet; ſi conciliare ſe privatus omni gratiâ non valeat. Vel igitur non ad ſolos in Eccleſia conſtitutos limitanda eſt gratiæ conceſſio, vel omnes extra Eccleſiam poſiti, ſi non ſe converterint, ab hoc crimine excuſandi ſunt. Neminem enim adultum ſinè gratia poſſe ad Eccleſiam accedere ſalubriter; vel ſi receſſerit, reverti, Catholicis omnibus in confeſſo eſt: ſolus cum ſuis refragatur Pelagius. Validiſſima ejuſdem veritatis apud Auguſtinum confirmatio eſt illa: *Peccati reum teneri quempiam, quia non fecit, quod facere non potuit, ſummæ iniquitatis eſt, & inſaniæ*. Hanc vos iniquitatem committitis, hanc incurritis inſaniam; dum nos omni gratia, ut contenditis, deſtitutos obſtringitis ad pœnitentiam, & cum Eccleſia reconciliationem, quam ſcitis eſſe ſinè gratiâ impoſſibilem. Quid juvat quidpiam voluntate fieri; & vigili intellectu, ſi voluntas neceſſitate ferreâ conſtricta uni parti, in aliam ſe inclinare nullatenus valeat? Ideo Pontifices veſtri meritò proſcripsêre hanc Bajanam 39. *Quod voluntariè fit, etiamſi neceſſariò fiat, liberè tamen fit*.

5 Missionarius. Conſtitutiones omnes contra Bajum fraudibus obtentæ ſunt.

Schismaticus. An etiam fraudibus attribuis Bullas contra Janſenium, quibus hæreſeos damnatur propoſitio 3. *Ad merendum, & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ non requiritur libertas à neceſſitate; ſed ſufficit libertas à coactione*? quæ doctrina includitur in hoc veſtro articulo 29. *Extra Eccleſiam nulla conceditur gratia*: ſi nempe jungatur cum eo; quòd omnis extrà Eccleſiam exiſtens, eam ingredi ſub æternæ damnationis pœna teneatur; etſi abſque gratiâ nequear.

6 Missionarius. Tota Janſeniani ſenſûs condemnatio dolis innumeris extorta, & ſubrepta potiùs eſt, quàm legitimo judicio impetrata.

Schismaticus. Quid autem de Decreto Alexandri VIII. quo inter 31. articulos damnatus eſt hic quintus: *Pagani, Judæi, Hæretici, aliique hujus generis, nullum omnino accipiunt à* Jesu *Chriſto influxum; adeòque hinc rectè inferes, in illis eſſe voluntatem nudam, & inermem ſinè omni gratia ſufficienti*; qui Articulus omnino convenit cum illo veſtro: *Extra Eccleſiam nulla conceditur gratia*; unde & ſequitur eodem proſcriptus Decreto hìc octavus *Neceſſe eſt, Infidelem in omni opere peccare*, ſuppoſito nempe veſtro dogmate 40. *Sinè gratia nihil amare poſſumus, niſi ad noſtram condemnationem*.

7 Missionarius. Pridem oſtendimus, Decretum iſtud eſſe inutile, perniciosum, & ipſo jure irritum.

Schismaticus. Quid ergo de hodierni Pontificis ſanctione, qua præſens veſtra aſſertio cum centum aliis profligatur?

8 Missionarius. Hic, ſi uſquam aliàs, iniquitas Adverſariorum contra Auguſtini diſcipulos, & doctrinam Euangelicam prævaluit. Sed & propterea Bullam iſtam innumeris apologiis doctiſſimis palàm aggreſſi ſubvertimus, exſufflavimus.

Schismaticus. Nulla Hæreticorum ſecta eſt; quæ non acceptâ in Eccleſiaſtico judicio clade triumphum canat de ipſis judicibus. Quot vindiciis poſt Calvinum, & Kemnitium Tridentinam Synodum impugnavêre Hæretici, &, quaſi expugnaverint, gloriantur?

9 Missionarius. Lutheri, & Calvini turba ignobilis eſt: nobis Epiſcopi, numero

ro quidem pauci; ſed doctrinâ, & pietate præſtantiſſimi ſuffragantur.

Schismaticus. Imò vel ipſi pauci, quos vobis veluti patronos adſciſcitis, librum Queſnelli ad perpetuas tenebras damnavêre, neque Propoſitionibus condemnatis ſe ſubſcribere profitentur; imò, ut ajunt, parati ſunt latam contra eas ſententiam certis conditionibus admittere. Sed de his, quidquid ſit, pauci adeò, & quidem ſinè Capite, conſtituendæ Eccleſiæ Catholicæ non ſufficiunt. Ad quam itaque me Eccleſiam invitas? Veſtra enim particularis eſt, à Romano Pontifice aliena, ipſo jure, ut Romano-Catholici ajunt, excommunicata. Sententiæ Pontificis contra vos conſentiunt Antiſtites penè omnes; atque ii numero majore, quàm quo plures olim peſtes Eccleſiæ, etiam in Synodis œcumenicis anathemati ſubjectæ, & abolitæ ſunt.

10 Missionarius. Nulla nos Pontificum cenſura ferit, ſed ſolos doctrinæ Articulos.

Schismaticus. Bullæ Pii V., Gregorii XIII., Urbani VIII. contra Articulos Bajanos, Alexandrina contra Janſenianos, Clementina contra Queſnellianos excommunicationem, & cæteras Hæreticorum pœnas in jure Eccleſiaſtico expreſſas infligunt, & ipſo facto abſque alia declaratione incurri decernunt ab omnibus, qui damnatas illic ſententias defendere deinceps auſi fuerint, ut vos audetis quotidie. Magis igitur, quàm nos à Romana Eccleſia exſulatis, tot excommunicationibus irretiti. Præterea nos ſola ſeparat inobedientia: vos etiam hæreſis. Excommunicatos omnes, quales vos eſſe perſpicuum eſt, ab Eccleſia ſeparari, omnium Romano-Catholicorum chorus clamitat. Sic enim ex Auguſtino jus veſtrum Eccleſiaſticum 11. q. 5. can. Omnis *Chriſtianus, qui à Sacerdotibus excommunicatur, Satanæ traditur. Quomodo? Quia ſcilicet extra Eccleſiam diabolus eſt, ſicut in Eccleſia Chriſtus*. Et in excommunicatorum abſolutione dicitur: *Reſtituo te unitati Eccleſiæ, & membrorum participationi*. Sententiam igitur contra vos fertis duriſſimam; dum ab Eccleſia remotos omni in perpetuum gratiâ ſpoliatis: actum eſt de reconciliatione veſtra: conclamatum de ſalute. Nullum deinceps peccatum remitti vobis poterit, ſive virtute pœnitentiæ, ſive Sacramento. Nullum enim delictum ſinè gratia condonari certum eſt; quia nulla ſinè pœnitentia fit remiſſio, nulla expers gratiæ pœnitudo. Nondum tam truculentæ ſententiæ horrorem concipis?

11 Missionarius. Mittamus iſtiuſmodi nimiùm odioſa: & ad propoſitam redeamus quæſtionem. Non legiſti recens opus celeberrimum à ſex columnis, in quas diſtribuitur, *Hexapla* appellatum?

Schismaticus. Videre mihi hactenùs non licuit.

12 Missionarius. Illic oſtenditur, damnatum Articulum eſſe in Scriptura à Sancto Spiritu revelatum, & longâ Patrum traditione ad nos deveniſſe. Sed non tam rigido, & exotico ſenſu ab illis traditur, aut defenditur à nobis, quàm Adverſarii ad conflandam Auguſtini diſcipulis invidiam ſoliti ſunt vociferari.

Schismaticus. Ego veritatis diſcipulus eſſe ſtudeo: neque ullo ſiniſtro affectu Propoſitionis perverſitatem exaggero; ſed verba accipio in ſenſu proprio, & obvio; de mentis veſtræ abditis judicium Superis relinquens. Quidquid autem argutiarum meditati fueritis, numquam Articuli veſtri ſenſus proprius, & obvius ab iis liberabitur conſectariis atrociſſimis, quæ deducere cœperam, & cuilibet in Theologicis non planè rudi facilè occurrent. Iterum dico, quòd illa veſtra enuntiatio in ſignificatione germana, & legitima duriſſimam in vos ſententiam ferat; juſtificationis, & ſalutis ſpem omnem præcîdens; omnis boni operis eliciendi ſubruens poteſtatem. Damnat quoque Eccleſiarum omnium praxim recipientium, abſolventium, Sacramentis cæteris donantium omnes, qui ad ſuum gremium pœnitentes confugiunt. Inutilis fuerit, & ſemper erit omnis virorum Apoſtolicorum pro converſione Infidelium labor: fruſtrà ſe tot periculis exponunt, patriam, & omnes charos deſerunt, ſi nulla extra Eccleſiam obtingit gratia, quæ aberrantes ad fidem, pœnitentiam, juſtitiam diſponat. Quomodo ad Eccleſiam acceſſit multitudo gentium? Quomodo Synagoga ſub adventum Antichriſti jungetur Eccleſiæ, *ut fiat unum ovile, & unus paſtor*? Chriſtus juxta vos illuſerit Apoſtolis, & eorum ſucceſſoribus, dum eos in mundum univerſum ire juſſit, & prædicare Euangelium omni creaturæ; ſi nulla extra Eccleſiam eſt gratia, ſuſceptionem fidei præveniens, & ad eam diſponens. Priuſquam credatur, mentis tenebræ diſſipandæ ſunt; ſopita voluntas excitanda, debilis adjuvanda eſt; ſinè cujus efficacì imperio numquam intellectus firmum præbebit obſcuræ fidei aſſenſum.

13 Missionarius. Semper eamdem oberras orbitam. Jam dixi, nos iſtiuſmodi conſectaria odioſa non admittere: neque Propoſitionem à nobis eo ſenſu intelligi; ſed tantùm quòd nulla ſalus, nulla ſanctitas, nulla

nulla vera juſtitia, aut gratia extra Eccleſiam ſit.

Schismaticus. Ego verò iterum repono, Eccleſiam non judicare de interioribus, niſi quantùm externo proferuntur indicio. Supponitur Author ſentire, quæ loquitur; præcipuè dum longa meditatione digeſſit, perpenditque, priuſquam chartæ, aut typis committeret, omnium hoſtium æquè, ac benevolorum oculos ſubitura. Eductionem conſectariorum ex dogmate veſtro, prout verba ejus per ſe exhibent, eludere non poteſtis, cui præter allegata convenit, quod adimat Chriſto titulum Redemptoris eorum omnium, qui extra Eccleſiam nati, & educati ſunt: Unde Deus dici ampliùs cum Scriptura, aut credi non poterit *Salvator omnium hominum, maximè fidelium*; ſed fidelium ſolummodo viventium in Eccleſia: in cæteris omnibus pium grati animi affectum erga Deum Salvatorem, & Redemptorem Chriſtum extinguitis. Eoſdem vel inviti abſolvitis à præceptis, quæ naturæ viribus ſuperiora ſunt. Quibuſcunque illi ſuccubuerint cupiditatum illecebris, quaſcunque ſecuti ſuggeſtiones dæmonum, ſi eas vincere ſinè gratia non potuerint, excuſandi à vobis neceſſariò ſunt, & omni culpa liberandi, niſi contempſeritis Propoſitionis 3. Janſenianæ anathema, aſſerentis: *Ad merendum, & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ, non requiritur libertas à neceſſitate; ſed ſufficit libertas à coactione*. Non enim eſt exemptio à neceſſitate tranſgreſſionis, ubi nulla poteſtas eſt implendi, quòd imperatur. Quid igitur miſeris illis ſupereſt, niſi, ut de ſalute neceſſariò deſperantes, de mediis ad eam aliàs conducentibus, qualia ſunt omnia virtutum opera, nè cogitent quidem: &, ut deſperatio vitiorum omnium fœcunda parens eſt, quid pronius, quàm ut in flagitiorum abyſſum præcipites ruant, laxantes fræna impiæ libertati? Quapropter aut in ſchiſmate mihi permanendum, aut alia ſuſcipienda Eccleſia, quàm veſtra, tam peregrina, nova, & non uno à Romanis Pontificibus damnata hæreſeos anathemate; nolo enim, ut mihi conveniat illud: *Incidit in Scyllam, cupiens vitare Charybdim*.

14 Missionarius. Ita pergis in exaggerationibus, cautè interim diſſimulans illud Lucæ 10. v. 36. in quo obſervatio noſtra fundatur: *Quis horum trium videtur tibi proximus fuiſſe illi, qui incidit in latrones?*

Schismaticus. Si me iſthac Scripturæ ſententiâ premere volueris, oſtendendum à te prius quid cum 29. veſtro Articulo relationis habeat, aut ſimilitudinis. Hanc difficiliùs invenies, quàm ego ſolutionem: locum hunc interpretati ſunt Origenes, Chryſoſtomus, Gregorius Magnus, Auguſtinus, Ambroſius, Theophylactus, Iſidorus Peluſiota; ſed horum nulli, fortè nec ulli mortalium ante vos, incidit talis ſeu explicatio, ſeu obſervatio, *extra Eccleſiam nulla conceditur gratia*: Senſus Chriſti, & à Legiſperito intellectus erat: Quis opere ipſo oſtendit ſe proximum fuiſſe illi, qui incidit in latrones? Ad quod aptè Legiſperitus reſpondet, *qui fecit miſericordiam in illum*. Tum Chriſtus: *Vade, & tu fac ſimiliter*, te charitate, & miſericordia ut proximum gerens, erga omnes, etiam alienos, extraneos, inimicos, quales Samaritanis erant Judæi; unde oppoſitum potiùs ex hoc loco colligi debuiſſet; quemadmodum ſcilicet Samaritanus Chriſtum repræſentans, erga alienum, extraneum, inimicum beneficus fuit, ita & Chriſtum etiam erga extraneos à ſuâ Eccleſiâ miſericordem eſſe, nec eos omni gratiæ auxilio relinquere deſtitutos.

15 Missionarius. Magis docilem te credideram, & captivaturum intellectum in obſequium Fidei.

Schismaticus. Captivare, Dei auxiliante gratiâ, paratus ſum; ſed in obſequium Fidei Catholicæ, & Apoſtolicæ, non novæ veſtræ, atque in tot dogmatibus hæreticæ.

CAPUT V.

Diluuntur Objecta.

1 Aliud in Scripturis non reperêre adverſarii, quo Propoſitionem defenderent, quàm illud Matthæi 12. v. 30. *Qui non eſt mecum, contra me eſt; & qui non colligit mecum, ſpargit*. Quid autem ſimilitudinis, quid relationis habet, ea Chriſti ſententia, cum hac damnata: *Extra Eccleſiam nulla conceditur gratia*? Teſte Chryſoſtomo, & Theophylacto, denuntiat illic Chriſtus, generatim quidem de omnibus; ſed præcipuè de Phariſæis, ſimulationem publicam, quaſi Chriſtum non odiſſent, minimè ſufficere; quemadmodum in ſeditionibus contra Principem, non implet boni civis, & fidelis ſubditi partes, qui adversùs eum non conſpirat cum rebellibus, niſi & hos reprimere, & Principem defendere verbo, & opere fuerit conatus. Reverà inter bonos, & malos, amicos Chriſti, & inimicos non inveniuntur homines medii. Quilibet enim vel juſtus eſt, atque ita Deo amicitiâ junctus; vel juſtitiâ carens, à Deo averſus eſt, ſive actûs ſui iniquitate, ſive delicto originis, à quo, niſi ſanctificante gratiâ, non liberabitur.

Sed

Sed quomodo hinc inferas omnes extra Eccleſiam, quacunque ratione exules, nullo Divinæ lucis radio illuſtrari; quo ad Eccleſiam converti, vel ad pœnitentiam diſponi utcunque valeant? Oppoſitum ſuperiora capita ex Scripturis, Patribus, Conciliis, Pontificibus, ratione Theologica evicerunt.

2 Recurrunt adverſarii ad Auguſtinum, qui epiſtola ad Feliciam Virginem, eam hortatur, nè propter quorumdam vitia paſtorum ſe ab Eccleſia Catholica ſeparet, *nec propter filios iniquitatis paſcua deſerat unitatis*. Et paulò inferiùs: *Si enim de iſto ſæculo exires ſeparata ab unitate corporis Chriſti, nihil tibi prodeſſet ſervata integritas corporis tui*. Verba autem ab adverſariis objecta ſunt, quæ ſubdo: *Ab ea verò ſeparati, quamdiu contra illam ſentiunt, boni eſſe non poſſunt;quia,etſi aliquos eorum bonos videtur oſtendere quaſi laudabilis converſatio, malos eos facit ipſa diviſio, dicente Domino, Qui mecum non eſt, adversùm me eſt: & qui mecum non colligit, ſpargit*.

3 Cùm ſchiſma crimen graviſſimum ſit, evidens eſt,juſtitiam, quæ nullum patitur delictum lethiferum,non poſſe ſimul cum ſchiſmate conſiſtere, atque adeò quantalibet virtute Schiſmaticus præditus eſſe videatur, è numero bonorum eum excludere neceſſe eſt; utpote Dei inimicum, & æternis inferorum dignum ſuppliciis. Sed quamvis Schiſmatici gratiæ habitu ſpoliati ſint, quos malevola à myſtico Chriſti corpore ſeceſſio execrabiles Deo reddidit, cùm tamen miſericordia Dei ſuperexaltet judicium, & miſerationes ſint ſuper omnia opera ejus, quamdiu in hac vita ſunt Schiſmatici, & quicunque alii peccatores, quantumvis impii, & obdurati, non omni gratiæ privantur auxilio, quin Deus ad eorum oſtium ſtet pulſans, ut januam ſibi pœnitentia aperiant. Licèt igitur habitus gratiæ ſeipſo hominem ſanctificans in Schiſmatico reperiri nequeat, nullum tamen crimen adeò enorme eſt, quod impedire valeat, nè Spiritus, ubi vult ſpirans, peccatricem animam ſubinde cœleſtis radii lumine illuſtret.

4 Non magis Articulo favet epiſtola Carthaginenſis Concilii ad Donatiſtas, ubi dicitur: *Quiſquis ergo ab hac Eccleſiâ Catholicâ fuerit ſeparatus, quantumlibet laudabiliter ſe vivere exiſtimet, hoc ſolo ſcelere, quòd à Chriſti unitate disjunctus ſit, non habebit vitam; ſed ira Dei manebit ſuper eum*. Unde quidem rectè intuleris:ergo in Schiſmaticis extra Eccleſiam nulla eſt vera ſanctitas, nulla gratia ſe ipſâ ſanctificans; ſed à negato gratiæ habitu ad negationem omnis gratiæ argumentum fatuè deducitur. Quod enim hìc Concilium aſſerit de Schiſmaticis, applicari poterit peccatori cuilibet in quocumque crimine perſiſtere volenti, quale eſt nolle ignoſcere inimico. Quantumlibet aliàs laudabiliter ſe vivere exiſtimet, hoc ſolo excluditur à vita, & ſalute. Sed ideone omni prorſus gratiæ auxilio manet perpetuò orbatus? Quomodo reſipiſcere ab hoc peccato ſuo poſſet, & pœnitentiam agere? Quod peccatores, quamdiu in hac vita ſunt ſenſûs compotes, poſſe, conſtans S. Thomæ, & communiſſima Doctorum ſententia eſt, refragante Janſenio cum ſuis.

5 Majorem objectionis ſpeciem præ ſe fert, quod adducitur ex epiſtola Epiſcoporum Africanorum in Sardinia exulum: *Non itaque gratia omnibus datur, quandoquidem ipſius gratiæ participes eſſe non poſſunt, qui fideles non ſunt*. Verùm etiam hic non de auxilio gratiæ, ſed habitu ſanctificante ſermo eſt; non enim Deus, ut cœleſtem opem impertiat, expectat, donec fideles ſimus; ſed fidem noſtram prævenit auxilio, ſinè quo fideles eſſe non poſſumus, qui ſenſus magìs elucet ex eo, quod in eadem epiſtola proximè antecedit: *Nec aliquo dicendus eſt Dei beneficio futuræ impietati præreptus, qui abſque juſtificationis gratia mortuus, eſt impiorum conſortio deputatus: à qua impietate ſive parvulus, ſive majoris ætatis, ſolo quiſque remedio eripitur, ſi Chriſti ſanguine redimatur. De gratiâ verò non dignè ſentit, quiſquis eam putat omnibus hominibus dari, cùm non omnium ſit fides*: ubi *juſtificationis gratia* diſtinctè exprimitur, de qua rectè Africani illi âſſerunt, *non dignè de ea ſentire, quiſquis eam putat omnibus hominibus dari, cùm non omnium ſit fides*, quæ juſtificationis initium, & fundamentum eſt. Non autem intelligi poteſt de quovis gratiæ auxilio cùm ab illo fidem neceſſariò præveniri, univerſa cum Tridentino Concilio ſeſſ.6. can.5. credat Eccleſia. Gratiæ autem illi diſſentire hominem poſſe, & ſæpe reipſa reſiſtere, proinde non omnes credere, qui ſufficiente gratiâ præveniuntur, etiam apud Catholicos indubitatum eſt, quidquid rebelles Eccleſiæ Janſeniani reclament.

6 Idem qui Africanorum exulum, ſenſus eſt Fulgentii lib. 1. de Veritate prædeſtinationis, & gratiæ cap. 20. cujus textum, nè ſignificatio intelligatur, mutilum Hexapla referunt. Verba Fulgentii ſunt: *Non ergo putemus,gratiam Dei omnibus hominibus dari;non enim omnium eſt fides*. Ibi ſiſtunt Hexapla. Fulgentius autem ſic proſequitur: *Et quidam charitatem Dei non recipiunt, ut ſalvi fiant*. Quæ pars ab adverſario callidè ſuppreſſa rationem Sancti Authoris complet,oſtenditque non

non de qualicunque agi gratiâ; ſed de juſtificante. Non enim ſive in Scripturis, ſive in tota Patrum traditione de aliis dicitur, quod charitatem Dei non recepetint, ut ſalvi fierent, niſi de iis, quibus chatitas Dei oblata ſit, & quibus liberum fuit eam recipere, quam teptobi malitiâ ſuâ repulerunt; unde evideus ſit, omnes, qui charitatem Dei, juxta Fulgentium non recepete, deſtitutos nequaquam fuiſſe omni ad juſtitiam, & ſalutem præſidio neceſſario, quod eſt gratia ſeu proximè, ſeu remotè ſufficiens; etſi caruetint tum efficaci, tum habitu ſeipſo ſanctificante.

7 Inducitur Gregorius Magnus cap. 5. Pſalm. Pœnit. de Eccleſia dicens: *Iſtud eſt corpus, extra quod non vivificat ſpiritus*. Verùm, cùm Fide contra ſecundum Janſenii articulum hæteticum conſtet, *gratiæ interiori in ſtatu naturæ lapſæ* aliquando *reſiſti*, non rectè colligitur, gratiæ auxilium ſemper fuiſſe denegatum, ex eo quod converſio ſecuta non ſit, ſive, ut Sancti Gregorii verbis utar, *Spiritus non vivificaverit*. Quoties contingit medicamen ſaluberrimum à Medico præſtari, quod æger petvicax repellat, aut etiam obtruſum, ingeſtum rejiciat, impediatque effectum? Denique non omne gratiæ auxilium viram animæ conferre, ſive juſtitiam, & remiſſionem peccatorum, nemo Carholicus ignorat, & contra præcedentem Articulum abunde demonſtratum eſt.

8 Objicitut & Baſileenſe Concilium, quod Legatis Eugenii IV. Pontificis, multa præclara de eo referentibus reſponderit, *in hoc laudândus eſt Deus, à quo omne bonum*; ſed ſimul hortatur, *ut ab univerſali Eccleſia ſe non ſcindat, extra quam nulla eſt vera virtus*. Quod quidem ſalubre monitum eſt; ſed Eugenio minimè neceſſariun. An non fuerit ipſis monitoribus, alii ſtatuant; nos à propoſito non divertamut. Nullam extra Eccleſiam eſſe veram virtutem, nempe ſalutiferam, ut nulla extra Eccleſiam ſalus eſt, ultto agnoſcimus; ſed indè minimè ſequitut, nullam extra Eccleſiam cuiquam gratiam obtingere. Multùm ſcilicet vera virtus à gratiâ diſtinguitur, veluti effectus à cauſa, & quidem effectus contingens, qui exiſtente cauſa, ſæpius impeditur, nè ab ea profluat, ut hìc quoties liberum humanæ volunratis arbittium obicem ponit gratiæ, nè ftuctus ſuos proferat, opera videlicet bona, & veras virtutes ad beatitudinem conducentes.

9 Non minùs ad defenſiouem Articuli inutile eſt, quod allegatur ex Auguſtini ſermone 71. cap. 20. *De remiſſione peccatorum, quæ cùm non niſi per Spiritum Sanctum detur, non poteſt dari, niſi in illa Eccleſia, quæ Spiritum Sanctum babeat*. Sapiens, & digna Auguſtino ratio eſt, cui lubenter ſubſcribimus; ſed quid indè ad negandum omne gratiæ auxilium extra Eccleſiam? Non enim, ut ſæpe inculcavi contta ptæcedentem Articulum, gratia cum remiſſione peccatotum confundenda eſt, velur ab ea inſepatabilis, cum Catholicis omnibus indubitatum ſit, plurimas gratias in peccatoribus eſſe, quibus teſiſtirut, quibus conſenſus à libeto arbitrio denegatut, ſinè quo tamen conſenſu, gratia compotes tationis nunquam juſtificat.

10 Quàm inanis, & nè digna quidem tefutatione ſit allata hactenus Propoſitionis defenſio, quilibet facilè videt: videt & Queſnellus cum ſuis, qui cùm nihil majoris roboris, ſive in ſacris literis, ſive in traditione pro tam abſona, & notiſſimæ veritati contraria novitate reperiant, Propoſitionem ſecundùm ſe, & à circumſtantiis ptæciſam abjiciunt velut ab Authoris, & *Obſervationum Moralium* ſenſu remotam. Non propterea tamen campo cedunt; ſed in Conſtitutionem inſilientes attociùs, eam non erroris quidem in dogmate, vel cenſurâ; ſed perfidiæ in excerptione redarguunt. Truncata, inquiunt, eſt *Moralis Obſervatio* modo indigniſſimo, ut non ſolùm innocua, ſed etiam neceſſaria, & ad fidem pertinens, longè aliam præ ſe ferrer, eamque horridam ſpeciem, quæ congruam cenſuræ Pontificiæ ptæberet matetiem.

11 Integram itaque *Obſervationem* ſic reddunt Hexapla: *Domus iſta unitatis* (Eccleſia) *eſt, in qua Deus duos denarios poſuit veritatis, & charitatis, ut ſuis impenderentur miniſtris, uſque dum eſſet rediturus. Eccleſia eſt domus ſalutis: extra eam nulla conceditur gratia, nulla ſanatio, nulla vita*. Hic, inquit Queſnellus in *Animadverſionibus* Conſtitutioni oppoſitis, perſpicuum eſt agi de gratia vitæ, ſanitatis, & ſalutis.

12 Mihi verò, & quibuſcunque placuetit communis, ptopria, & obvia loquendi tatio, contrarium apparet evidens, agi nempe de qualibet gratia; adeò autem gratiæ ſignificatum genericum non reſtringi à circumſtantiis, quas Queſnellus in Conſtitutione omiſſas quetitut, ut hæ potius Lectorem confirmare, eique perſuadete debeant, vocem *gratia* nullis in Queſnelli textu limitibus circumſctibi; ſed quoſcunque ab eo prætenſos limites ſubverti. Si enim Queſnellus ſolummodo dixiſſet, quod in Conſtitutione exprimitur, nullam concedi gratiam extra Eccleſiam, offendiſſet quidem oculos Lectoris Catholici locutio tam cruda, & in vulgari ſignificatione minimè tolerabilis; ſuſpicio tamen fotte ſubotiri cuipiam potuiſſet, Authorem

Digitized by Google

rem minùs quidem providè locutum ; ſed quod de gratia in genere verbis enuntiat, voluiſſe tantummodo de gratiæ habitu, non de auxilio ad juſtitiam diſponente intelligi ; verùm accedentibus, quæ in textu ſequuntur, tam benigna excluditur interpretatio. Non enim in ſuccincto brevium meditationum opere, in quo tam ſtudioſè omnis prolixitas vitatur, ſupponendus eſt Author, voces *gratia*, *ſanatio*, *vita*, tanquam ſynonymas cumulare voluiſſe, & non velut diſtincta orationis membra, quæ ſuum ſingula diverſum Lectoribus ingererent ſignificatum.

13 Ita ſi quis author in pluribus novaturiens ſcripſerit, *Nullum in juſtificatis remanet debitum*, *nulla culpa*, *nulla mors animæ*, *nulla damnatio*. Prima pars excerpi ad cenſuram, & proſcribi poterit velut contraria Tridentino Seſſ. 6. can. 30. Neque tamen author de reſciſſione cæterarum partium meritò conqueretur ; nam prima per ſe enuntiationem conſtituit ſimplicem, abſolutam, & à ſequentibus partibus minimè dependentem, aut limitatam. Sed neque cauſari author poterit, ex poſterioribus orationis compoſitæ membris primum intelligi debere, non ut omne prorſus debitum neget, ſed ſolummodo æternum, & damnationem inferens: Non, inquam, cauſari id author poterit ; nam facilè reſpondebitur, nihil in enuntiatione occurrere, quod prioris partis ſenſum à poſteriore jubeat determinari, cum ſignificationem præ ſe ferat penitùs abſolutam. Quin, & membra orationis ſequentia, dum quamdam gradationis ſpeciem exhibent, ſignificatorum potiùs diſtinctionem, quam ejuſdem rei diverſis ſolummodo vocibus expreſſionem indicare cenſenda ſunt. Copioſum verò, & luxurians ſcribendi genus, quo ſynonyma coacervantur quibuſdam Oratoribus familiare, *Moralis Chriſtianæ compendium* ſcribentibus inuſitatum eſt.

CAPUT VI.

Præcluditur ultima adverſariis evadendi via, quæ eſt de libertate ſinè gratia.

1 Vix aliud homini ſolet improperari odioſius, quàm privatio libertatis. Hanc Hæreſim ab initio huc uſque ſemper Eccleſia execrata eſt. Quapropter Janſeniſtæ, etſi revera libertatem hominis peſſumdent, queruntur tamen palàm de calumnia, quoties truculentæ adeò hæreſeos infamiam ſibi inſpergi perceperint. Si verò eos de hæreſi convicturus interroges, quam libertatem in homine extra Eccleſiam, & in terris Gentilium nato reperiant ad vitanda peccata, quæ abſque gratia vitari nequeunt, cùm juxta illos Nullæ dentur gratiæ, niſi per fidem : Fides ſit prima gratia, & fons omnium aliarum : Prima gratia, quam Deus concedit peccatori, ſit peccatorum remiſſio: Extra Eccleſiam nulla conceditur gratia ? Sed, & in ipſa Eccleſia quomodo poteſt Deus præcipere peccatoribus omnibus pœnitentiam, ejuſque omiſſionem ad novum imputare delictum, ad novum demeritum, & ſupplicium, ſi præter eos, qui remiſſione peccatorum donantur, nullus quidpiam gratiæ accipiat, quo pœnitentiam agere, Deoque ſe reconciliare poſſit ? De hoc, inquam, ſi adverſarios interroges ; reſpondent, liberum arbitrium eſſe in natura : iſtud ad peccandum ſufficere. Verùm hanc ſuis elabendi januam, præcludit Queſnellus Propoſitione 2. aſſerens *gratiam efficacem neceſſariam eſſe ad omne opus bonum: abſque illa non ſolùm nihil fieri ; ſed nec fieri poſſe*. Ubi etſi exceſſerit veritatis limites, bene agendi poteſtatem alligans gratiæ ſolùm efficaci ; tamen nihil apparet evidentius, quàm negatâ omni prorſus gratiâ, minimè ſalvari bonorum operum, naturæ vires ſuperantium, libertatem.

2 Inſtabis cum Janſenio lib. 3. de gratia Chriſti cap. 15. *Conſtat peccata à non habentibus gratiam ſufficientem poſſe vitari, non quidem illâ proximâ poteſtate, quæ dat ſimul velle quod poſſumus, & poſſe quod volumus ; nec illâ, quæ poteſtatem voluntatis velut in æquilibrio ad utrumque ponit . . . . ſed illâ remotiore poteſtate, quâ poſſunt ea vitare, ſi voluerint*.

3 Poteſtatem hanc pridem in Janſenio obſervatam, Conſtitutioni Alexandri VII., & Catholicis ejus defenſoribus objecit larvatus Sanvictorius, cui reſpondit Cardinalis Aguirre in defenſione Cathedræ Sancti Petri diſput. 21. ſect. 1. *Id ſolùm evincit, ipſum* (Janſenium) *conceſſiſſe homini poteſtatem quamdam remotam ad implendum præcepta Dei, quam nè quidem Lutherus, Calvinus, Beza, Zanchius, Molinæus, & Paræus, jurati Eccleſiæ Catholicæ, & liberi arbitrii hoſtes negarunt*. Talem poteſtatem obtinendæ ſalutis concedunt Calviniſtæ, inter quos Chamierus tom. 3. lib. 7. cap. 6. de Deo ait : *Fecit omnes ſalutis capaces, potentiâ ſcilicet non proximâ ; ſed remotâ, ut omnes facti ſunt muſicæ capaces, etiam muti* : Et qualis potentia audiendi eſt in ſurdo, videndi in cæco, in crurifrago currendi. Ita ſuperiùs aſſertam à Janſenio bene agendi facultatem in deſtitutis gra-

gratiâ, & quidem efficaci depingit ipſe Janſenius, cum tali impoſſibilitate conjunctam lib.2. de gratia Chriſti cap.1. *Cujus medicinali gratia, & adjutorio niſi vires priſtinæ reſtaurentur, tam eſt impoſſibile voluntati, ut bene velit, & operetur, quàm homini cæco ut videat, vel ſurdo ut audiat, vel tibiis fracto ut rectè gradiatur; quamvis eis, & lux, & ſpecies, & ſcipiones, & omnia cætera ſanitatis adjumenta ſuppetant.* Melanchton in c.4. Epiſt. ad Rom. talem poteſtatem vocat, qualis in nobis eſt *tranſvolandi Caucaſum*.

4 Ad iſtud quod Janſenius ajebat, poſſe homines abſque ſufficiente gratia peccata *vitare, ſi voluerit*, quærimus ex Janſenio, & ejus ſectatoribus, poſſintne homines abſque gratiâ *velle vitare peccata*? Non, inquiunt. poſſunt velle, ſed poſſunt vitare ſi voluerint. Capis, Lector Catholice, Janſeniſtarum argutiam, qua ſimplicibus illudunt, poteſtatem hominibus concedentes impoſſibilem, ac ſi diceretur: Poſſunt Pater, & Filius non producere Spiritum Sanctum, ſi velint: poteſt Deus peccare, ſi velit: poteſt Deus ſeipſum deſtruere, ſi velit; ſed neutrum ex his velle Deus poteſt, neque Pater, & Filius poteſt velle productionem Spiritus Sancti ſuſpendere. Quod igitur miſeris hominibus extra Eccleſiam conſtitutis, vel ſaltèm peccatoribus abſque omni gratia derelictis ſolatium adferre poteſt talis remotiſſima & hypothetica poteſtas converſionis? Hanc quidem veteratoriam fallaciam ſolis ſimplicibus capiendis idoneam, accepere, ut vidimus, adverſarii à Magiſtro ſuo Janſenio.

5 Sed non eſt cur eâ tanquam ingenii ſui fœtu glorietur Janſenius, aut ejus diſcipuli, cùm eamdem facilè in Luthero invenire potuerint, & ante hunc in Wickleffiſtis, qui negantes poſſe mundo huic quidpiam extentionis addi, ajebant tamen poſſe Deum addere, ſi vellet. Quos ſi interrogare pergeres, poſſitne Deus velle, hærebant, tergiverſabantur, tandem inficiabantur Deum poſſe, repetentes tamen poſſe, ſi velit. Cujus inſaniſſimæ reſponſionis vanitatem acutè exagitans Waldenſis tom.1. lib.1. cap.11. *Sub hac*, inquit, *gloſſa communi* POTEST SI VULT, *ſedent omnes Wickleffiſtæ ſecuri; non tamen ſicut Elias ſub Juniperi umbra; ſed ſicut Jonas ſub hedera. Accedat igitur vermis ille, qui eſt prima veritas, mentiar, ſi radices hujus gloſſæ non comedat, unde herba mareſcat. Cur negas Deum poſſe majorare mundum, quod tamen poteſt, ſi cùm vult poteſt? Non, inquis; Cur hoc? Quia non vult, & nihil poteſt niſi volens. Jam ecce ſuppoſui tibi quòd velit. Non, inquis, poteſt velle; ſed, ſi vult, poteſt.* Fraudem hanc à Wickleffo didicit Lutherus lib. de ſervo arbitrio. Rivetus ſummâ controver. Tract.4.q.3. quorum veſtigiis hic inſiſtit Janſenius loc. cit.

6 Urgent iterum adverſarii dicentes, non adeò eſſe remotam poteſtatem, quam aſſerunt, multò minùs impoſſibilem, qualis eſt voluntas peccandi in Deo, vel ſuſpendendi volitionem, qua neceſſariò producitur Spiritus Sanctus, quia in liberrima Dei poteſtate eſt, gratiam efficacem cuilibet hominum, extra Eccleſiam, & ſtatum gratiæ exiſtentium impertiri. Iterum reſpondeo, hanc poteſtatem Dei liberrimam nihil libertatis ad pœnitendum concedere peccatoribus, quibus gratia denegatur. Quid enim libertatis homini ad volandum præſtat poteſtas, quæ in Deo eſt, concedendi alas, dum ea neque deducitur ad actum, neque ut deducatur eſt in homine efficere, vel obtinêre?

7 Ante annum 70. ſuperioris ſeculi poteſtas illa remota ad actus ſupernaturales ſinè gratia non vocabatur libertas in ſcholis Catholicis. Tandem Lovanii Doctor quidam cæteris audentior, repudiatâ communi, & Ariſtotelica libertatis definitione anno 1679. in *Compendio Theologico*, quam paulò ante in ſchola tradiderat, ampliùs divulgavit novitatem, pag. 24. *Neque tamen eſt, quod ſinè gratia ſufficiente adulti non eſſent liberi ad ſupernaturalium præceptorum adimpletionem.* Cùm ſcilicet negata peccantibus gratia ſufficiente premeretur argumento negatæ libertatis, in iis, qui, deficiente omni tali auxilio, non implerent præcepta ſupernaturalia, ad quæ gratiam requiri Catholicis exploratum eſt, ad hoc libertatis commentum ſe adigi ſenſit quod & dein proſequi voluit in Theſibus anni 1684. *Ad libertatem requiſitam ad actus Fidei, Spei, & Charitatis, nulli neceſſitatem gratiæ admittant neceſſe eſt.* Ibidem: *Nihil à veritate magis alienum, quàm hæc aſſertio: Ad libertatem requiſitam ad actus Fidei, Spei, & Charitatis omnes neceſſitatem gratiæ admittant neceſſe eſt.* Verùm Doctoris illius authoritas apud ſanioris doctrinæ Theologos Lovanii eſt momenti perexigui, utpote cujus *Compendium Theologicum*, & quaſdam alias theſes Romæ condemnavit, & Authori Innocentius XI. & Carolus II. Rex Hiſpaniæ interdixêre aditu in ſenatum Theologicum, qui *ſtricta Facultas* appellatur. Queſnellus quidem ejus patrocinium ſuſcepit in pſeudonyma *Defenſione Eccleſiæ, & ſummorum Pontificum*, quaſi compendium illud Romæ dein abſolutum eſſet, quia non iterata prohibitione condemnatum. Nunquam abſolutum fuiſſe certiſſimè conſtat; de quo etiam Queſnellus,

Ius, ſi voluerit, à Tribunalis ſupremi adminiſtris, atque ipſis tabulis convincetur.

8 Interim novitas ipſa hìc paucis convellenda eſt. In memoriam revocet Lector adductum à me ſæpius Tridentinæ ſeſſionis 6. canonem 5. & alium Concilii Arauſicani. Hìc prætenſus Auguſtini diſcipulus ab ipſo Auguſtino docendus eſt. Lib. 4. ad Bonifacium cap. 3. *Non poteſt captiva voluntas, niſi Dei gratiâ reſpirare in ſalubrem libertatem, quod evertit hæreſim Pelagianam* lib. 1. ad eumdem cap. 3. *Nemo igitur poteſt habere voluntatem juſtam, niſi nullis præcedentibus meritis acceperit veram, hoc eſt, gratuitam deſuper gratiam. Hoc iſti nolunt elati, & ſuperbi.* Lib. 1. retractationum cap. 10. *Verum eſt enim, omnes homines hoc poſſe* (præcepta Dei adimplere) *ſi velint: ſed præparatur voluntas à Domino; & tantùm augetur munere charitatis, ut poſſint.* Lib. Expoſit. quarumdam Propoſitionum ex Epiſt. ad Rom. Propoſ. 18. *Gratia efficit, ut non tantùm velimus rectè facere; ſed etiam poſſimus.* Epiſtola 106. ad illud Apoſtoli *Non eſt volentis, neque currentis*, ſic obſervat: *Non quia nullus eſt hominis, atque voluntatis curſus; ſed quia nihil poteſt, niſi ille miſereatur.* Unde, & Richardus à S. Victore, *Si quando*, inquit, *ſubtrahitur gratia, ſimul perit & potentia.*

9 Inſtat pro ſe Lovanienſis Doctor objiciens illud Auguſtini libro de Prædeſtinatione Sanctorum cap. 5. *Poſſe habere Fidem, ſicut poſſe habere Charitatem, natura eſt hominum:* igitur ſinè gratia habemus credendi libertatem. Reſpondeo negando ſequelam; Auguſtinus enim tantùm aſſerit illic potentiam remotam, & incompletam; non autem liberam, de qua ſola eſt quæſtio. Mens Auguſtini patet ex antecedentibus; ſic enim illic proximè præceſſerat: *Eſt gratia naturæ attributa, qua ſumus animantia rationabilia, diſcernimurque à pecoribus .... Interim ſit naturæ fidem poſſe habere, nunquid & habere? Non enim omnium eſt fides, cùm fidem poſſe habere ſit omnium .... proindè poſſe habere fidem, ſicut poſſe habere charitatem, naturæ eſt omnium.* Senſus itaque Auguſtini eſt, nos in hoc à pecoribus diſcerni, quòd illa non ſint ſubjecta capacia Fidei, Spei, & Charitatis; nos autem ſimus, & quidem ex naturæ noſtræ ſupra beſtias prærogativâ. Porrò aliud eſt ſubjectum fidei capax, aliud hìc, & tunc liberum ad credendum. Omnes homines, etiam dormientes, etiam infantes, etiam fatui naturam habent fidei ſuſcipiendæ capacem, ut dicit Auguſtinus, quòd *Fidem poſſe habere ſit omnium:* Nemo tamen dixerit, omnes, etiam infantes, ſtultos, dormientes in eo ſtatu potiri credendi libertate.

10 Adde quòd Lovanienſis Doctor, etſi aſſeruerit eſſe in homine ſinè omni gratiâ libertatem credendi, & cætera exercendi opera, naturæ vires excedentia; non tamen affirmavit, ad credendum non requiri gratiam cooperantem, vel etiam prævenientem. Quia per potentiam, & libertatem intelligit tantùm facultatem remotam, & minimè expeditam. Ita nempe ſe explicat: „ Homo (inquit) ſinè gratia poteſt credere; ſed non poteſt credere ſinè gratia. Sicut oculus in tenebris cætera bene diſpoſitus habet potentiam videndi, etſi non poſſit videre in tenebris; quia lumen non eſt videndi potentia, neque pars ejus; ſed tamen neceſſariò requiritur ad videndi actum, ſeu exercitium „. Verùm acutus Doctor non videt diſcrimen latiſſimum; nam principium videndi conſiſtit in anima, & oculo, ac cæteris eo pertinentibus organis rectè diſpoſitis, lumen verò ſolùm requiritur, ut objectum illuminetur, & oculus moveatur, ſuamque videndi exerat virtutem. Præcipua itaque videndi cauſa eſt anima, inſtrumentum oculus, lumen ad inſtrumenti ſolùm diſpoſitionem pertinet. Gratia verò circa actus ſupernaturales ita diſponit animum, ut ſimul iſtiuſmodi actuum ſit cauſa, & quidem præcipua, quemadmodum Theologi omnes Catholici contra Pelagianos agnoſcunt.

11 Neque ſubſiſtit Doctoris Lovanienſis cavillatio, qua contendit, *ſinè gratiâ eſſe libertatem credendi; etſi non ſit libertas credendi ſinè gratia:* Alioqui redargueret Euangeliſtam, atque ipſum Chriſtum quaſi neque ille ſcribere, neque hìc dicere debuerit: *Sinè me nihil poteſtis facere*; ſed, Nihil poteſtis facere ſinè me; ut negatio gratiæ non afficiat potentiam, ſed actum, atque ita hunc ſolùm impediat, non illam. Verùm nos Euangeliſtæ potiùs, atque ipſi Chriſto, quàm prætenſo huic Auguſtini diſcipulo adhærentes, pergemus credere, & affirmare, non ſolùm non credi ſinè gratiâ; ſed & ſinè ea non eſſe poteſtatem, ſeu libertatem credendi, juxta illud apud Joan. 15. v. 5. *Sinè me nihil poteſtis facere.*

12 Cùm autem Janſeniſtæ ſibi pacem, ac patrocinium ſpondeant à Thomiſtis, inſignem Thomiſtam oppono, qui multorum inſtar ſit, Thomam de Lemos tom. 4. part. 2. Tract. 4. cap. 25. num. 339. *Docet Concilium* (Tridentinum) *non habere ex ſe hominem veram potentiam ſinè gratia ad juſtam vitam, & multo minùs ad vitam æternam habendam. Quia ſinè gratia talis vera potentia in homine non eſt, nec poteſt eſſe; cùm potentia ad actus ſupernaturales ſupernaturalis debeat eſſe, non naturalis; niſi cum Pelagio conſentire velimus. Solùm eſt*

ergo in homine ſinè gratiâ capacitas, ad habendum dona, & auxilia gratiæ, quibus veram obtineat potentiam, quâ poſſit jam bene vivere, & vitam æternam promereri. Unde quod Author ait, nulli dubium eſſe, quòd homo ſpoliatus donis gratuitis gratiæ poſſit ex ſe habere illos actus, ſcilicet justè vivere, & vitam æternam promereri in ſenſu diviſo, quomodo à Theologo dici poſſit, non video; quia potiùs omnibus hoc debet eſſe certum, quòd ſpoliatus homo omnibus donis gratiæ non poteſt, nec potentiam habet ex ſe ad illos ſupernaturales actus; ſed ex ſe præcisè tantùm habet capacitatem, vel, quod idem eſt, potentiam radicalem, atque remotam, ut poſſit elevari per dona gratiæ, & habere per illa potentiam proximam ad ſimiles actus. Quare negatâ gratiâ elevante, ut negatur in homine ſpoliato omnibus donis gratiæ, non eſt in homine ex ſe potentia ad actus ſupernaturales, quia illa potentia radicalis ſolùm eſt in homine, ut poſſit elevari per dona gratiæ: quæ potentia radicalis proinde capacitas eſt; quia capacitatem habet, ut poſſit elevari. Quæ capacitas non eſt in arbore, equo, vel lapide.

Compendio inſtauratur Oppugnatio quatuor Superiorum Propoſitionum.

CAPUT UNICUM.

Demonſtratur, eas effugere non poſſe ſenſum rigidum, obvium, & meritò damnatum.

1 NOn terreamur clamoribus Janſeniſtarum, quoties vociferantur adversùs judicium, ſeu malevolentiam, ſeu ignorantiam; quaſi in crimen vocentur dogmata maximè innocua, & tribuantur eis ſenſus exotici, qui nemini in mentem venerint, præterquam iis, quibus monſtra fingere placuerit, ut nuſquam occurrente vero Adverſario, in cerebri ſui phantaſma anathematis gladium animoſius ſtringant. Non, inquam, iſtiuſmodi terreamur clamoribus; ſed meminerimus genus illud præſtigiarum eſſe, & pridem fuiſſe hæreticis familiare, de quo videri poſſunt exempla apud Franciſcum Simonis parte 2. de fraudibus hæreticorum fraude 12. & 13. parte 3. fraude 1. 2. 3. 4.

2 Senſus Propoſitionum quatuor, quas ultimò impugnavi, plenus eſt veneno lethifero, ſi intelligitur, quem verba per ſe ingerunt ſingularum; majorem verò horrorem incutiunt, ſi conjunctæ paulò attentiùs conſiderentur. Hinc enim neceſſe eſt, ſtatim in Lectoris animum inſiliant conſectaria, quæ fontes ſuos Catholicis omnibus reddant magis execrabiles. Iſtos porrò ſenſus, & Propoſitionibus connaturales, & earum verbis planè congruos ex ſuperioribus facilè Lector intellexerit. Eumdem verò etiam Authoris fuiſſe, colligi potuit ex iis, quæ objectionibus reſpondi. Lubet ea hìc repetere compendio, atque uno velut obtutu perſpicienda proponere, ut doctorum, indoctorumque oculis, exitialium perverſitas dogmatum apertiùs pateat, quantumcunque eam Novatores ſubdoli tegere conentur, ut tenebris obvoluta noceat ſecuriùs, interemptura animas impunè, antequam ſentiatur.

3 Propoſitio 26. *Nulla dantur gratiæ, niſi per Fidem.* 27. *Fides eſt prima gratia, & fons omnium aliarum.* Utriuſque Propoſitionis ſenſus planus, & ab Authore intentus eſt, quod nulla dentur gratiæ auxilia Paganis, Judæis, Hæreticis, quamdiu tales permanſerint; in iis quoque, qui convertuntur, nulla penitùs fidem gratia præceſſerit, nulla naturæ ordinem tranſcendens diſpoſitio, nulla hominis deliberatio, cogitatio, nullus voluntatis affectus fidem imperans.

4 Propoſitiones geminas ſic intellectas horret animus Catholicus, & non in Theologicis rudis. Senſum illum impetunt argumenta omnia, quæ ſuperiùs ex Scripturis, Patribus, Conciliis, definitionibus Pontificum deducta ſunt, neque apparet dubium quin Apoſtolica Sedes, eodem utrumque Articulum ſenſu acceperit, quando poſt examen diligens ſolemnem ſententiam pronuntiavit.

5 Supereſt quæſtio, an Author fidem intellexerit perfectam, & explicitam Chriſti, an aliquam ſolummodo, qualis eſſe poſſet unius Dei abſque explicita Mediatoris? Reſpondet, & ſæpius inculcat in proteſtatione Queſnellus, ſe de fide, abſtrahendo à perfectâ & imperfectâ, locutum, atque ita ab omnibus intelligendum. Intelligimus & nos, ut verba ſonant, abſque limitatione, vel reſtrictione ad unam fidei ſpeciem.

6 Si tamen uterque Articulus attenditur cùm aliis connexus, ſenſum continet longè deteriorem, & evidentius hæreticum; conſideratus ſcilicet cùm vigeſima octava. *Prima gratia, quàm Deus concedit peccatori, eſt peccatorum remiſſio.* Si enim fides ſit prima gratia, atque hæc peccatorum remiſſio, quam neſcio an Queſnellus unquam admiſerit dari modò poſſe ſinè fide explicita Redemptoris, talem neceſſe fuit ab eo fidem intelligi, quæ ad juſtificationem ſufficiat. Verùm, cùm Propoſitiones ſingulæ, etiam ab invicem ſeparatæ

tæ feriantur, minimè opus eſt, ut Adverſarii autumant, ad defendendam cenſuræ Apoſtolicæ æquitatem, accipere fidem in duobus Articulis 26. & 27. pro perfecta, diſtincta, & explicita Mediatoris. Satis per ſe falſa eſt, & horrendis conſectariis obnoxia utraque aſſertio, licèt fides de imperfecta ſolummodo, & ſolius Dei, abſque Chriſti explicita intelligatur. Perſpicuè enim utraque Propoſitio, ſive ſingulæ continent errorem ab Alexandro VIII. damnatum, quòd *Pagani, Judæi, Hæretici, aliique hujus generis nullum omnino accipiant à Jesu Chriſto influxum; adeòque hinc rectè inferes, in illis eſſe voluntatem nudam, & inermem, ſinè omni gratia ſufficienti.* Unde præceptorum omnium ſupernaturalium Fidei, Spei, Charitatis, Religionis, Pœnitentiæ obſervatio ſit illis perpetuò impoſſibilis, uti & reſiſtentia adversùs tentationes, quæ ſinè ſuperioris ordinis ſuccurſu nequeunt innoxiè, & ſalubriter ſuperari. Hinc & in omnibus illis oritur innumerabilium peccatorum, etiam gravium neceſſitas, quæ proin delicta libertatis expertia, neceſſe pariter foret ab omni culpa, ac demerito liberare, quod nullus Authorum iſtorum admiſerit; aut neceſſitatem componere cùm demerito, quod hæreſeos in Janſenio damnatum eſt.

7 Quomodo ullius ex reprobis iſtis converſionem, aut ſalutem Deus ſeriò voluit, niſi in Adamo? Quomodo pro iis Filium miſit, & pro iiſdem Salvator mortuus eſt? Uterque Articulus deſtruit quoque fidei libertatem. Conſtat enim in omni ſana Theologia, non eſſe in poteſtate hominis accipere, vel non accipere primam gratiam, quæ ſi ipſa fides eſt, unde fidei iſti conciliabitur libertas?

8 Circa Propoſitionem 28. qua dicitur *Prima gratia, quam Deus concedit peccatori, eſt peccatorum remiſſio*, reclamantem audivimus ſuperiùs Queſnelli vindicem, quòd rigidus Propoſitionis ſenſus adeò exoticus ſit, ut neque Queſnello, neque alteri venire in mentem potuerit. Prorſus tamen obvius eſt, & cuilibet ſinè præjudicio legenti, neceſſe eſt occurrat animo, niſi cui charitas dictare forſitan viſa fuerit, ut genericum *gratiæ* vocabulum interpretans benigniùs, repugnante licèt locutionis proprietate, & conſuetudine communi, reſtringat ad unam tantummodo gratiæ ſpeciem, videlicet habitum ſanctificantem. Sed neque Queſnelli defenſor hanc ſuggerit explicationem, neque ipſe, aut cæteri Janſeniſtæ paſſim gratiæ ſimpliciter expreſſæ nomine habitum intelligunt. Imò, ut Bajus, quaſi de non agnitis ſupernaturalibus, & infuſis habitibus accuſatus ſubinde fuit, ita & de hoc in ſuſpicionem à pluribus vocatur nova Janſeniſtarum Eccleſia.

9 Dum autem ſenſum obvium appellat Adverſarius *valde exoticum*, Gallicè *fort extravagant*, nullum alium ſubſtituit, quem intelligi à lectoribus voluerit. Nos verò, & quisquis alius in Novatoris gratiam, uſitatum omnibus loquendi modum inflectere, ac pervertere nolumus, ſenſum rigidum agnoſcimus hìc proprium, & Germanum, licèt doctrina Articuli prorſus exotica ſit, Catholicis peregrina, ac fidei minimè conſentiens. Sic enim, & in Paganis, Judæis, Hæreticis, voluntas ſtatuitur nuda, inermis, abſque omni gratia ſufficiente, quod ab Alexandro VIII. damnatum ſuperiùs notavi. Simili modo nec Deus ullius peccatoris, quem nunquam reipſa convertit, pœnitentiam, aut juſtificationem voluerit; minùs verò ſalutem: Præcepta Fidei, Spei, Charitatis, pœnitentiæ, Religionis, & quæcunque ſupernaturale Dei ſubſidium requirunt, illis omnibus peccatoribus, etiam Chriſtianis, & Catholicis toto reliquo vitæ tempore ſunt impoſſibilia: & tamen eorum tranſgreſſio, ſeu omiſſio culpâ novâ mortiferâ miſeros conſtringit, & novis æternùm ſuppliciis reddit obnoxios: ubi manifeſta eſt hæreſis tertia Janſenii, neceſſitatem in hoc ſtatu componens cum demerito. Iiſdem omnibus adimit Chriſti merita, ita ut pro nullius ex illis ſalute Salvator mortuus fuerit; ſed pro morientium in juſtitia dumtaxat, ſive prædeſtinatorum: quæ hæreſis Janſenii quinta eſt.

10 Hunc ſenſum Propoſitionis obvium, fuiſſe pariter ab Authore intentum confirmant Propoſitiones aliæ, ex eodem decerptæ, damnatæque *Obſervationum moralium* volumine. In primis occurrit 25. *Deus illuminat animam, & eam ſanat æquè, ac corpus, ſola ſua voluntate: jubet, & ipſi obtemperatur.* Hic ad ſanandam peccatoris animam, adeòque juſtificandam, non requiritur ulla præparatio per actus, vel gratias, ad pœnitentiam diſponentes. Juxta iſtum itaque Queſnelli Articulum optimè intelligetur in ſenſu rigido, proprio, obvio vigeſimus octavus: *Prima gratia, quam Deus concedit peccatori, eſt peccatorum remiſſio.*

11 Suffragatur Propoſitio 44. *Non ſunt niſi duo amores, unde volitiones, & actiones omnes noſtræ naſcuntur: amor Dei, qui omnia agit propter Deum, quemque Deus remuneratur; & amor, quo nos ipſos, ac mundum diligimus, qui quod ad Deum referendum eſt, non refert, & propter hoc ipſum fit malus.* Ex ſuperioribus conſtat, omnem gratiam Queſnello efficacem eſſe. His ſuppoſitis, quem producere poteſt gratia effectum in peccatore ante criminum remiſſionem, ſive ante actum, qui peccatorem juſtificet, quod fit per amorem Dei, qui omnia

nia agit propter Deum, quemque Deus remuneratur? Hic ſcilicet amor Dei ſuper omnia eſt, hìc remittit peccata. Alius illo prior actus bonus, vel effectus gratiæ eſſe non poteſt; cum omnis volitio, omnis actio, quæ talis amor non eſt, vel ex illo non naſcitur, juxta Articulum ſit mala. Quid enim? Initiumne converſionis peccator ducet ab actibus Fidei, Timoris, Spei, &c? Is quidem converſionis ordo diſcitur ex Tridentino ſeſſ. *6.* cap. *6.* & ſeſſ. 14. cap. 4. ſed omnes illi actus, niſi ab amore Dei ſuper omnia imperentur, mali ſunt, juxta Articulum 44. atque adcò neque ex gratia eſſe poſſunt, neque congrua ad remiſſionem peccatorum diſpoſitio.

12 Conſonat huic Propoſitio Janſeniſtarum ſeptima inter 31. proſcriptas ab Alexandro VIII. *Omnis humana actio deliberata, eſt Dei dilectio, vel mundi: Si Dei, charitas eſt Patris; ſi mundi, concupiſcentia carnis: hoc eſt, mala eſt.* Neque primam, neque ullam aliam gratiam poſſe producere effectum malum, per ſe patet: neceſſe igitur eſt, primam gratiam eſſe, vel producere charitatem Patris. Atqui ait Petrus Apoſtolus Epiſtola 1. cap. 4. *Charitas operit multitudinem peccatorum.* Et Prov. cap. 8. *Ego* (inquit Deus) *diligentes me diligo.* Originem hæc novitas partim duxit à Bajo cujus hìc 38. Artic. à S. Pio V. damnatus eſt: *Omnis amor creaturæ rationalis, aut vitioſa eſt cupiditas, qua mundus diligitur, quæ à Joanne prohibetur; aut laudabilis illa charitas, qua per Spiritum Sanctum in corde diffuſa Deus amatur.* Quod Bajus dixerat de amore, extenderunt recentiores Art. 7. damnato ab Alexandro VIII. ad *omnem humanam actionem deliberatam*, ut etiam fides, & imperium voluntatis, quo fides elicienda decernitur, ſit *vitioſa cupiditas*, ſi à *laudabili illa charitate* diſtinguitur, qua *per Spiritum Sanctum in corde diffuſa Deus amatur.*

13 Quod verò *Charitas illa, quæ eſt plenitudo legis, non ſemper conjuncta ſit cum remiſſione peccatorum*, Baji quoque error fuit, ſed à Queſnello, ut apparet, & pluribus aliis Baji ſectatoribus deſertus; quia *Prima gratia, quam Deus concedit peccatori, eſt peccatorum remiſſio.* Dices; quomodo poteſt fides, ſeu prima gratia juxta Queſnellum intelligi peccatorum remiſſio, quandoquidem Articulus 51. ſit, *Fides juſtificat, quando operatur; ſed non operatur, niſi per charitatem?* Ubi videtur indicari, quòd fides non ſemper juſtificet. Verùm doloſa convincitur oratio eſſe hominis tenebras captantis, ut deprehenſus elabatur. In memoriam lector revocet ab Alexandro VIII. proſcriptam inter 31. aſſertiones hanc duodecimam: *Quando in magnis peccatoribus deficit omnis amor, deficit etiam fides, & etiamſi videantur credere, non eſt fides Divina, ſed humana.* Fides ſcilicet niſi imbuta ſit charitate, hoc ſenſu apud Janſeniſtas mortua eſt, quod non ſolùm nihil ſalutiferi operari poſſit; ſed neque vera Fides Divina ſit, ſed humana ſolummodo: quòd talis Fides ad nihil boni valeat; ſed tantùm ad peccandum. Id enuntiat ibi Propoſitio 11. *Omne, quod non eſt ex Fide Chriſtiana ſupernaturali, quæ per dilectionem operatur, peccatum eſt.* Ad eumdem terminum confluit Propoſitio illic 7. *Omnis humana actio deliberata, eſt Dei dilectio, vel mundi. Si Dei, charitas eſt Patris; ſi mundi, concupiſcentia carnis, hoc eſt mala eſt.* Sufficiunt Queſnelli dogmata, præſertim 44. ſæpius citatum, *non ſunt niſi duo amores*, &c. ut ſupra: cui cohæret 45. *Amore Dei in corde peccatorum non ampliùs regnante, neceſſe eſt, ut in eo regnet carnalis cupiditas, omneſque actiones ejus corrumpat.* Unde neceſſe eſt, actiones omnes in peccatoribus amore Dei anteriores, ſive virtutum moralium fuerint, ſive Fidei, & Spei, eſſe peccata; nam amorem Dei benevolum, *qui omnia agit propter Deum, quemque Deus remuneratur*, Queſnellum exigere, eſt manifeſtum. Fides, quam charitas non imbuit, nec imperat, juxta hunc Theologum vitioſa eſt, atque ita neque Divina eſſe poteſt, neque ex gratiâ. Cohæret igitur cæteris novi hujus Theologi dogmatibus, quòd omnis fides ſupernaturalis juſtificet: & cùm fides ſit prima gratia, hæc, cuicunque obvenerit peccatori, ſit in eo peccatorum remiſſio.

14 Differt tamen ea fides à Lutherana, quæ eſt mera fiducia, quòd peccata Deus propter Chriſtum condonaverit. Nulla verò juxta Queſnellum fides ſit, niſi ipſa ſimul ſit charitas, vel ab ea imperetur.

15 *Nullam dari gratiam extra Eccleſiam*, quæ eſt Propoſitio 29. dicere Queſnellus debuit juxta id, quod notavimus aſſertum Propoſitione 44. *Non ſunt niſi duo amores*, &c. Iſto enim ſuppoſito, ad quem effectum daretur gratia extra Eccleſiam? Non ad *amorem Dei, qui omnia agit propter Deum*; amor iſte, utpote juſtificans, non datur extra Eccleſiam; vel, ſi detur ratione baptiſmi flaminis, ſeu voti, quod continet ingrediendi Eccleſiam, ad eam hominem quodammodo aggregat. Ad alium autem actum dari gratia extra Eccleſiam non poteſt, utpote vitioſum, Queſnello quidem judice, cui conſentiunt Authores, & fautores Propoſitionis 7. inter 31. proſcriptæ ab Alexandro VIII. *Omnis humana actio deliberata eſt Dei dilectio, vel mundi; ſi Dei, Charitas eſt Patris; ſi mundi, concupiſcentia carnis: hoc eſt, mala eſt.*

Ex

16 Ex hactenus deductis Lector Catholicus perſpicit, Propoſitiones vigeſimam nonam, & tres præcedentes fuiſſe ex *Obſervationibus moralibus* fideliter excerptas, & meritò condemnatas in ſenſu obvio, prout etiam in libro exprimuntur: neque per inadvertentiam Authori excidiſſe; ſed ab eo ſtudioſè ex novæ Eccleſiæ dogmatibus concinnatas.

Trigeſima Propoſitio damnata.

Omnes, quos Deus vult ſalvare per Chriſtum, ſalvantur infallibiliter. *Obſer. Moral. Joan. 6. v. 40.*

CAPUT I.

Propoſitio repugnat Scripturis Sacris.

1 Propoſitionis ſenſus patulus eſt, & nulli obnoxius dubitationi, quin juxta illam Deus non omnes homines, non omnes fideles, ſed ſolos prædeſtinatos ſalvare velit, quin ſolis iis Chriſtum dederit Servatorem. Quanquam Propoſitionis Author non difficulter admitteret in Deo voluntatem ſalvandi omnes homines in Adamo ante lapſum, uti omnes Angelos ante rebellionem, quando gratiam ſufficientem tum cœleſtibus illis ſpiritibus, tum Adamo, & in illo poſteris etiam Janſenius agnovit. At lapſo parente, omne auxilium merè ſufficiens juxta Janſenium, & Queſnellum humano generi ſublatum eſt, pauci ad ſalutem electi, his ſolis Chriſtus Salvator datus eſt, cæteris in damnatione abſque ullo ad ſalutem auxilio ſufficiente derelictis. Prædeſtinatis autem præſtantur efficaciſſima auxilia, quibus reſiſtere, vel obtemperare non ſit in liberi arbitrii poteſtate. Sic igitur juxta Queſnellum, *Omnes, quos Deus vult ſalvare per Chriſtum,* per Chriſti merita, & gratiam, *ſalvantur infallibiliter*. Qui verò non ſalvantur, ſalvare eos per Chriſtum non voluit, neque voluit Chriſtus, cujus voluntas Divina cum voluntate Patris eadem eſt, humana quoque ei ſemper conformis. Ubi vides, non aliam in Queſnelli & Janſenii ſententia poſt lapſum primi hominis agnoſci voluntatem ſalvandi, quàm ſolos prædeſtinatos.

2 Pro hujus hæreſis confirmatione à Queſnello mittimur ad Chriſti verba Joan. 6. v. 40. *Hæc eſt autem voluntas Patris mei, qui miſit me, ut omnis qui videt Filium, & credit in eum, habeat vitam æternam; & ego reſuſcitabo eum in noviſſimo die*. Cujus loci ſenſus verus, & ab omnibus Catholicis admiſſus eſt; hæc eſt voluntas Patris, ut omnis, qui videt Filium, & credit in eum, non merè ſpeculativè, ſed practicè, ei obediendo uſque in finem, habeat vitam æternam; & ego reſuſcitabo eum in noviſſimo die. Quæ voluntas, ut patet, efficax eſt, & conſequens merita hominum, ac perſeverantiam, rejecta Lutheri interpretatione de ſola fide ſinè operibus ad ſalutem ſufficiente, & Calvini de juſtitia, ac ſanctitate amitti neſciâ. Voluntas porrò illa conſequens non excludit aliam antecedentem, erga ſalutem omnium hominum: Voluntatem, inquam, quæ præviſione mortis reproborum in peccatis anterior ſit, eiſque ſic conſideratis ſufficientia ad ſalutem media præparet, quorum ſingulis applicatio nullo Dei decreto oppoſito impediatur; ſed voluntate hominum in adultis propriâ, in parvulis alienâ, vel rerum ordine naturali. Iſtud Dei deſiderium modum ſalvandi homines per Chriſtum, & per ejus merita complectitur. Eadem Dei voluntas humanæ in Chriſto erga ſalutem omnium norma eſt. Nunc videndum quomodo Deus iniquitates omnium noſtrûm in Chriſto poſuerit; nec omnes tamen ſalvemur; quia non ſalvari, quantum in nobis eſt, volumus.

3 Rom. 5. v. 18. *Sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem: ſic & per unius juſtitiam, in omnes homines in juſtificationem vitæ*, etiam æternam beneficium pertranſiit, quantum fuit ex parte Dei volentis illud in omnes homines diffundi, modò ipſi voluerint ſuſcipere; ſed recuſant plurimi.

4 Rom. 8. v. 32. *Qui etiam proprio Filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit?* In quem locum ita Cornelius à Lapide: *Omnia, quæ ſcilicet ſpectant, vocationem, juſtificationem, glorificationem, & ſalutem noſtram, ut nulla adverſa, vel proſpera, nulli hoſtes, nulli perſecutores eam impedire poſſint, niſi ſponte iis cedamus, & ſuccumbamus*, ut ſuccumbunt ex nobis innumeri, atque ita voluntas Dei nos omnes per Chriſtum ſalvare cupientis, in multis finem ultimum, qui ſalus æterna eſt, non conſequitur, hominum vitio, non miſericordiæ defectu.

5 1. Cor. 8. & 11. *Peribit in tua ſcientia frater, propter quem Chriſtus mortuus eſt*, in quæ verba Sanctus Thomas: *Peribit infirmus in fide, id eſt, in tua ſcientia frater, propter quem*

quem ſalvandum Chriſtus mortuus eſt, & ita graviter peccas. Perit ergo aliquis, pro quo ſalvando Chriſtus mortuus eſt,& quem Deus per Chriſtum ſalvare voluit. Apoſtolo igitur, & Angelico ejus Interpreti repugnat damnata Propoſitio: *Omnes, quos Deus vult ſalvare per Chriſtum, ſalvantur infallibiliter*. Loco citato remittit nos etiam Aquinas ad Rom. cap. 14. v. 15. *Noli cibo tuo illum perdere, pro quo Chriſtus mortuus eſt*. *Pro quo*, ait Sanctus, *id eſt, pro cujus ſalute Chriſtus mortuus eſt*.

6 Ex priore Apoſtoli ad Cor. ſententiâ, ſic argumentum inſtituit Malderus Lovanienſis Doctor, & Epiſcopus Antverpienſis, contra Calviniſtas in Antiſynodicis cap. 7. num. 8. *Nullus electus perit: aliquis, propter quem Chriſtus mortuus eſt, perit; ergo aliquis, propter quem mortuus eſt Chriſtus, non eſt electus*; adeóque non ſalvabitur, etſi Deus ipſum per Chriſtum ſalvare voluerit. 2. Corinth. 5. verſ. 14. & 15. *Æſtimantes hoc, quoniam ſi unus pro omnibus mortuus eſt, ergo omnes mortui ſunt, & pro omnibus mortuus eſt Chriſtus: ut & qui vivunt, jam non ſibi vivant, ſed ei, qui pro ipſis mortuus eſt, & reſurrexit*. Ubi ex eo, quòd pro omnibus mortuus eſt Chriſtus, rectè colligit Apoſtolus, omnes mortuos fuiſſe. Si autem, ut vult Queſnellus, Chriſtus fuiſſet pro ſolis electis mortuus, ſive, *ſi omnes*, ut ipſe loquitur, *quos Deus vult ſalvare per Chriſtum, ſalvarentur infallibiliter*, inepta foret Apoſtoli ratio ex antecedente particulari inferens concluſionem univerſalem, ex morte ſcilicet Chriſti pro ſolis infallibiliter ſalvandis inferens mortem animæ, ſeu peccatum omnium hominum. Quæ argumentatio non magis concluderet, quàm hæc Medici, qui totam civitatem ægrotaſſe contenderet ex eo, quòd decem ægros ab infirmitate liberaſſet. Ut igitur legitima ſtatuatur Apoſtoli ratio, qualis certiſſimè fuit, intelligendus neceſſariò eſt aſſeruiſſe mortem Chriſti pro omnibus omnino hominibus, ut indè mortem, ſeu peccatum omnium hominum rectè colligeret. Dum autem Chriſtus pro omnibus mortuus dicitur, *ut & qui* per mortem ejus *vivunt, jam non ſibi vivant; ſed ei, qui pro ipſis mortuus eſt, & reſurrexit*; intellige, inquit S. Thomas in hunc locum, ut *totam vitam ſuam ordinent ad ſervitium, & honorem Chriſti*: atque ita ſalventur, quod tamen non ſemper fieri, ſicque nec Deum per Chriſtum in omnibus finem intentum conſequi in comperto eſt.

7 1. Timot. 2. verſ. 1. *Obſecro omnium orationes fieri pro omnibus hominibus*: utique ut ſalventur. Verſ. 5. *Unus enim Deus, unus & mediator Dei, & hominum homo Chriſtus* Jesus, *qui dedit redemptionem ſemetipſum pro omnibus*. In quam Apoſtoli ſententiam ita Sanctus Thomas: Velle *ponitur quandoque pro voluntate beneplaciti, quandoque pro voluntate ſigni. Voluntate ſigni vult ſalvare omnes, quia omnibus propoſuit ſalutis præcepta, conſilia, & remedia. Pro voluntate beneplaciti ſic exponi poteſt quatuor modis*. Inter quos hunc ponit quarto loco: *Secundùm Damaſcenum, ut intelligatur de voluntate antecedente, non conſequente .... Sic in Deo ſalus omnium hominum in ſe conſiderata habet rationem, ut ſit volibilis. Et Apoſtolus hic ita loquitur, & ſic ejus voluntas eſt antecedens. Sed ſi conſideretur bonum juſtitiæ, & quod peccata puniantur, ſic non vult; & hæc eſt voluntas conſequens. Et ſubdit* (Apoſtolus) ad agnitionem veritatis; *quia ſalus non eſt, niſi per agnitionem veritatis.... dicit ergo homo Chriſtus* Jesus *eſt mediator Dei, & hominum; non quorumdam; ſed inter Deum, & omnes homines: & hoc non fuiſſet, niſi vellet omnes ſalvare*.

8 Hinc collige primò, Deum velle ſalvare per Chriſtum non eos ſolos, qui ſalvantur infallibiliter, ſed omnes homines, Quia Jesus Christus dedit redemptionem semetipsum pro omnibus, teſte Apoſtolo: & quia idem Mediator Dei, et hominum, addente S. Thoma, *non quorumdam, ſed inter Deum, & omnes homines, & hoc non fuiſſet, niſi vellet omnes ſalvare*: Qui tum per ſe evidens eſt ſenſus Apoſtoli, tum, Interprete Angelico, in omnium oculos ſplendidiore lucis radio inſilit.

9 Collige ſecundò duo Janſeniſtarum mendacia. Primum, dum fingunt S. Thomam non agnoviſſe in Deo *voluntatem beneplaciti* erga ſalutem omnium hominum; *ſed voluntatem ſigni ſolummodo*. Secundum, dum voluntatem antecedentem aſſertam à Damaſceno, ab Angelico adoptatam, fingunt antecedere tantùm, non ſubſequi prævìſionem peccati Adami. Primum mendacium convincitur ex eo, quod S. Thomas pro ſe, & Damaſceno oppoſitum ferens teſtimonium apertè ſtatuat quarto loco, *voluntatem beneplaciti erga ſalutem omnium hominum*. Eamdem in Deo voluntatem tradit S. Bonaventura in 4. diſt. 46. qu. 1. art. 1. *Deus voluntate beneplaciti vult omnes ſalvos fieri voluntate antecedente*. Secundum convincitur ex eo, quòd Angelicus voluntatem Dei ſalvandi omnes homines probet ex Apoſtolo; *quia* Jesus *Chriſtus dedit redemptionem ſemetipſum pro omnibus*, & quia eſt *mediator Dei, & hominum*: atque, ut optimè obſervandum monet S. Thomas, *non quorumdam, ſed inter Deum, & omnes homines: & hoc non fuiſſet, niſi voluiſſet omnes ſalvare*.

vare. Quamvis enim nonnulli celebres Theologi putent, Verbi Incarnationem decretam fuiſſe ante prævisionem peccati: omnes tamen unanimi conſenſione fatentur, & res per ſe manifeſta eſt, Chriſtum non fuiſſe decretum tanquam *Redemptorem*, niſi peccato prævifo, ſaltèm in aliquo genere cauſæ, quia redemptio ſtatuitur propter captivitatem, & prius eſt intelligere debitum, quàm ſolutionem. Præterea *mediatio* Chriſti inter Deum, & omnes homines præſupponit Deum hominibus offenſum, adeóque peccatum. Deus ergo non ſolùm ante peccarum Adami; ſed etiam poſt illud voluit omnes homines ſalvos fieri, quia voluit, ut Jesus *Chriſtus daret redemptionem ſemetipſum pro omnibus*, & quia voluit ut eſſet *Mediator Dei, & hominum*: & quidem, ut ex patente Apoſtoli ſententia animadvertit Angelicus, *non quorumdam, ſed inter Deum, & omnes homines: & hoc non fuiſſet, niſi voluiſſet omnes ſalvare*.

10 Epiſtola 1. Joan. cap. 2. verſ. 2. *Ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris: non pro noſtris autem tantùm, ſed etiam pro totius mundi*. In quem locum Cornelius à Lapide ex Clemente Alexandrino, & aliis ſic commentatur: *Non pro peccatis noſtris, qui ſumus fideles, tantùm; ſed pro peccatis infidelium totius mundi. Pro his enim quoque paſſus eſt Chriſtus, eisque meruit gratiam, & gloriam: ſi in eum credere, ejuſque merita amplecti velint. Unde & juſſit prædicari Euangelium hoc omnibus gentibus, eaſque baptizari in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti, Marci 15. Rurſum Chriſtus, ut hoſtia propitiatoria, offertur in Sacrificio Miſſæ pro omnibus hominibus, etiam infidelibus, ac defunctis in purgatorio exiſtentibus, uti fusè docet hic noſter Juſtinianus. Eccleſia enim tantùm excipit excommunicatos; pro his enim vetat ſacrificari*. Sanctos Patres dabo mox. Interim verba Scripturæ ſola deſtruunt Propoſitionem damnatam. Si enim Chriſtus eſt propitiatio pro peccatis totius mundi, hinc fit, quòd Deus illum mundo dederit pro peccatis ejus, nullo excepto, propitiatorem; atque ita, quantùm in Deo fuit, Salvatorem omnium hominum, & non ſolùm eorum, qui infallibiliter ſalvi fiunt.

11 Ad Hebr. 2. verſ. 9. *Videmus* Jesum *propter paſſionem mortis gloriâ, & honore coronatum, ut gratia Dei pro omnibus guſtaret mortem*. In quæ verba Sanctus Thomas, Pro omnibus, inquit, *ecce utilitas: pro omnibus autem dupliciter poteſt intelligi: vel ut ſit diſtributio accommoda, ſcilicet pro omnibus prædeſtinatis: pro iſtis etiam tantùm habet efficaciam: vel abſolutè pro omnibus, quantùm ad ſufficientiam. Sufficiens enim, quantùm ad ſe, omnibus eſt 1. Tim. 4. Qui eſt Salvator omnium hominum; maximè autem Fidelium. Chryſoſtomus: Pro omnibus hominibus generaliter mortuus eſt; quia omnibus pretium ſufficit: & ſi omnes non credunt, ipſe tamen, quod ſuum eſt, implevit*. Pretium non tantùm omnibus redimendis ſufficiens fuit; ſed etiam pro redemptione, & ſalute omnium oblatum: alioquin enim Salvator non quod ſuum erat impleviſſet, neque pro omnibus guſtaſſet mortem ſufficienter; ſicut non dicetur guſtaſſe pro dæmonibus; etſi illorum omnium liberationi indubiè mors Chriſti ſufficeret.

12 Epiſtola 1. ad Timoth. cap. 4. v. 10. *Speramus in Deum vivum, qui eſt Salvator omnium hominum, maximè fidelium*. In quod iterum Cornelius à Lapide: *Deus eſt Salvator omnium hominum, quantùm eſt ex parte ſua; quia omnibus Chriſtum Salvatorem, & media, quibus ſalvari poſſint, exhibuit: maximè tamen eſt Salvator fidelium; quia hiſce fidem, ſpem, gratiam, maxima, & proxima ſalutis adjumenta actu contulit, hosque præ aliis curat, &c. Ita Theophylactus, & Anſelmus*. Similiter Sanctus Proſper, ſive Author lib. 2. de Vocatione gentium cap. 31. *Elaboratum eſt*, inquit, *quantum Dominus juvit, ut non ſolùm in noviſſimis diebus; ſed etiam in cunctis retro ſæculis probaretur, gratiam Dei omnibus hominibus adfuiſſe: quoniam ſive manifeſtè, ſive occultè*, ipse est, *ut Apoſtolus ait*, Salvator omnium hominum, maxime fidelium. *Quæ ſententia ſubtiliſſimæ brevitatis, & validiſſimi roboris, ſi tranquillo conſideretur intuitu, totam hanc, de qua agimus, controverſiam dirimit. Dicendo enim*, quia Salvator omnium, *confirmavit bonitatem ſuper univerſos homines eſſe generalem*.

13 Epiſt. 2. S. Petri cap. 3. verſ. 9. *Non tardat Dominus promiſſionem ſuam, ſicut quidam exiſtimant; ſed patienter agit propter vos, nolens, aliquos perire; ſed omnes ad pænitentiam reverti*. Si Deus non vult aliquos perire; ſed omnes ad pœnitentiam reverti, vult igitur peccatores omnes converti, & ſalvari; et quidem per Chriſtum; nam voluntas Dei, ut omnes revertantur ad pœnitentiam, non poteſt eſſe antecedens peccatum Adami: à quo enim peccato tunc reverti poterant, cujus eos poterat pœnitere, cùm nullum eſſet? Patet quoque ſupponi in illis peccata actualia; nam quoties Scriptura hortatur peccatores ad pœnitentiam, ſemper intelligitur de peccatis propria voluntate commiſſis. Damnata quoque eſt hæc Novatorum Propoſitio 19. inter 31. ab Alexandro VIII. *Homo debet agere totâ vitâ pænitentiam pro peccato originali*.

14 Ezechielis 18. verſ. 23. *Nunquid volun-*

luntatis meæ eſt mors impii, dicit Dominus Deus, & non ut convertatur à viis ſuis, & vivat? verſ. 32. *Quare moriemini Domus Iſrael? Quia nolo mortem morientis, dicit Dominus: revertimini, & vivite.* Vult Deus, non mortem morientis; ſed ut revertatur, & vivat. Non igitur vult interitum eorum, qui pereunt; ſed eorum vitam æternam. Atque ita *non omnes, quos Deus vult ſalvare per Chriſtum, ſalvantur infallibiliter.* Sed neque obeſt, quòd illa Deus per Prophetam dixerit ante Chriſti adventum; nam conſtat omnes gratias, & media ſupernaturalia ad converſionem, juſtitiam, ſalutem, collata veteribus fuiſſe per Chriſtum, ſive ex futuris ejus meritis.

15 Matth. 23. verſ. 37. *Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos ſuos ſub alas, & noluiſti!* Quomodo Chriſtus figuratâ locutione clariore nobis exprimere potuiſſet voluntatem ſuam ſalvandi etiam eos, qui malitiâ ſuâ nolunt ſalvari, & pereunt? Denique facilè huc applicari poſſunt omnia Scripturæ teſtimonia, quæ contra propoſitionem 12., & 13. allata ſunt.

CAPUT II.

Propoſitio trigeſima repugnat profeſſionibus Fidei Catholicæ ab Eccleſia ſtabilitis.

1 Magnum Concilium Nicænum primum, cujus poſt Scripturas Sacras præcipua eſt in Eccleſia authoritas, & quod in Conſtantinopolitano, Epheſino, Calchedonenſi approbatum eſt, præſcripſit Symbolum fidei, quod memoratur ab Athanaſio in Epiſtola ad Jovinianum Auguſtum, à Sancto Baſilio in profeſſione præſcripta Euſtachio Sebaſtienſium in Armenia Epiſcopo, & à S. Leone Papa in literis ad Leonem Auguſtum, quæ extant in editionibus communibus ejuſdem Concilii ante Canones. In hoc ſymbolo de Jesu Chriſto ita jubemur fide credere, & profiteri: *Qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit, & incarnatus eſt, & homo factus, paſſus eſt, & reſurrexit.* Ex quo fidei Symbolo Eminentiſſimus Cardinalis Joſephus Saenz de Aguirre in Theologia S. Anſelmi edita Romæ 1690. diſp. 126. ſect. 3. Sic ſolidiſſimè argumentatur. *Omnes prorſus homines, ſive electi, ſive reprobi, ſive chriſtiani, ſive adhuc cathecumeni, ſive jam fideles, ſive vocati ad fidem, licèt vitio ſuo credere nolint, tenentur uti formula illa credendi in* Jesum *Chriſtum. Cum ergo formula illa ſit vera, certa, & Catholica omnibus iis, qui eam fide Divina proferre tenentur, quales ſunt paulò ante memorati; conſequens eſt, ut propter eos omnes* (& propter eorum omnium salutem) *Chriſtus venerit, & paſſus fuerit, & reſurrexerit. Quare contra veritatem ſymboli Nycæni videtur reſtringi Incarnatio, paſſio, & reſurrectio Chriſti, vel ad ſolos prædeſtinatos, vel ad ſolos fideles, ita ut ex vi meritorum ipſius cæteris hominibus præſidia ad ſalutem neceſſaria nequidem oblata, aut parata fuerint. Si enim ad ſolos prædeſtinatos reſtringitur, cæteri fideles, qui in re prædeſtinati non ſunt, non poſſent certò, & catholicè eam formulam proferre: Imò nec ipſi prædeſtinati, qui neſciunt ſe eſſe prædeſtinatos. Rurſus, ſi ad ſolos fideles reſtringatur, cæteri ad fidem vocati non tenerentur credere, nec uti illâ formulâ; quoniam juxta opinionem contrariam Chriſtus pro iis nec è cælo deſcendit, nec paſſus, aut mortuus eſt: Imò nec credere poſſent, cùm negentur iis oblata, & parata remedia neceſſaria ad ſalutem, ſinè quibus eſt impoſſibile credere.* Hactenus Cardinalis: quæ ratiocinatio tam firma eſt, & perſpicua, ut nullis Janſenianorum artibus infringi valeat, vel cavillationibus obſcurari.

2 Quare ſæpe miratus ſum, Janſenianos presbyteros, qui Chriſtum pro nullius reprobi ſalute deſcendiſſe, incarnatum, hominem factum, paſſum eſſe, & reſurrexiſſe credunt, non vereri nihilominus in Sacrificio Miſſæ eam fidei profeſſionem palàm edere, qua teſtentur, ſe Fide divina credere Chriſtum pro ſua ipſorum *ſalute* paſſum: *Qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem*, inquiunt, *deſcendit de Cælis &c.* Juxta ſuam fidem, ſeu hæreſim, ſi ſaltèm candidi eſſe vellent, & non Catholicæ plebis, atque Eccleſiæ deceptores, deberent omnino ab iis Miſſis, in quibus ea fidei profeſſio emittenda eſt, abſtinere, vel illud *propter nos homines, & propter noſtram ſalutem*, mutare *in propter aliquos homines, & propter prædeſtinatorum ſalutem*; ſi nempe, & iſtud per Eccleſiam, & Fidem Catholicam liceret. Cùm enim nemo citra ſpecialem revelationem de ſalute ſua, ac prædeſtinatione certus eſſe poſſit certitudine fidei, ut contra Calviniſtas à Tridentinis Patribus definitum eſt, neque veriſimile ſit, Janſeniſtas hanc ſibi de ſua ſalute revelationem, aut certitudinem auſuros vindicare; qua fallendi temeritate, & impudentiâ, qui pro ſolorum ſalute electorum Chriſtum Patri ſua merita obtuliſſe mordicus ſuſtinent, pro ſalute ſua Chriſtum mortuum eſſe, publica fidei profeſſione, quæ certiſſima eſſe debet, audent aſſerere? Si Titius lytrum obtulerit, centum quidem mancipiorum redemptioni ſuffi-

Digitized by Google

ſufficiens; at ex centum non voluerit redimere niſi decem, cæteris in ſervitute relictis, non dicerent omnes centum: Titius propter nos mancipia, & propter noſtram redemptionem venit, lytrum ſoluturus; ſed propter aliquos è nobis electos. Argumentum hoc ex Nycæna Synodo deductum, quod contra Calviniſtas ſtrinxerant pridem, & ineluctabile meritò arbitrati ſunt Malderus Epiſcopus Antverpienſis in Antiſynodicis cap.7. num.10., & Paulus Windeckius lib. de morte Chriſti pag. 261., eamdem prorſus vim obtinet adversùs damnatæ Propoſitionis authorem, Calvinianis in hac hæreſi conſentientem.

3 Similis eſt profeſſio fidei in Symbolo, quod Athanaſio tribuitur, & ab univerſa approbatur ac recitatur Eccleſia. Illic tanquam fidei Articulum ſinguli corde credimus ad juſtitiam, & ore ſic de Chriſto confitemur ad ſalutem: *Qui paſſus eſt pro ſalute noſtra*. Atqui ſecundùm omnes ſermone proprio, & obvio utentes, in expreſſione primæ perſonæ pluralis numeri ſemper intelligitur comprehenſa prima perſona numeri ſingularis. Unde ſi ſic teſtatus fuero: *Juro nos hodie divinis officiis interfuiſſe*, convincor de perjurio, ſi non interfuerim; etſi ex ſociis interfuerint aliqui. Ita non minùs perfidiæ reus eſt Propoſitionis author, quoties hac fidei profeſſione utitur, *qui paſſus eſt pro ſalute noſtrâ*; dum credit non eſſe Chriſtum mortuum, vel paſſum pro ſalute ullius, niſi qui *ſalvandus eſt infallibiliter*, nec ullius alterius ſalutem voluiſſe.

4 Recentior fidei profeſſio à Rege Chriſtianiſſimo, & pleriſque ejuſdem regni Epiſcopis expetita contra Janſenianam hæreſim in Galliis præcipuè graſſantem, ab Alexandro VII. Pontifice conſtituta eſt anno 1664. 15. Kalendas Martii Bulla *Regiminis Apoſtolici*, ut ſequitur. *Ego N. Conſtitutioni Apoſtolicæ Innocentii X. datæ die 31. Maji 1653., & Conſtitutioni Alexandri VII. datæ 17. Octobris 1656. ſummorum Pontificum me ſubjicio, & quinque Propoſitiones ex Cornelii Janſenii libro, cui nomen* AUGUSTINUS, *excerptas, & in ſenſu ab eodem Authore intento, prout illas per dictas Conſtitutiones Sedes Apoſtolica damnavit, ſincero animo rejicio, ac damno, & ita juro. Sic me Deus adjuvet, & hæc Sancta Dei Evangelia.*

5 Præſcriptam profeſſionis, ac juramenti *formulam ab omnibus*, inquit Pontifex, *Eccleſiaſticis, etiam Venerabilibus Fratribus noſtris Archiepiſcopis, & Epiſcopis, nec non aliis quibuſcunque Eccleſiaſtici Ordinis, tam Regularibus, quàm Secularibus; etiam Monialibus, Doctoribus, & Licentiatis, aliiſque Collegiorum Rectoribus, atque Magiſtris ſubſcribi diſtrictè mandamus, idque intrà tres menſes à die publicationis, ſeu notificationis præſentium: aliàs contra eos, qui intrà terminum præfatum non paruerint, irremiſſibiliter procedi volumus, juxta canonicas Conſtitutiones, & Conciliorum Decreta*. In Conſtitutionibus autem, quæ illic juratâ ſubſcriptione admitti jubentur, hæc damnatur Janſenii Propoſitio quinta, SEMIPELAGIANUM EST DICERE CHRISTUM PRO OMNIBUS OMNINO HOMINIBUS MORTUUM ESSE, AUT SANGUINEM FUDISSE. Hanc inquiunt Innocentius X., & Alexander VII. *falſam, temerariam, ſcandaloſam, & intellectam eo ſenſu, ut Chriſtus pro ſalute dumtaxat prædeſtinatorum mortuus ſit, impiam, blaſphemam, contumelioſam, Divinæ pietati derogantem, & hæreticam declaramus, & uti talem damnamus*. Atqui trigeſima Queſnelli Propoſitio: *Omnes, quos Deus vult ſalvare per Chriſtum, ſalvantur infallibiliter*, continet hunc impium, blaſphemum, contumelioſum, Divinæ pietati derogantem, & hæreticum ſenſum, *Chriſtus pro ſalute dumtaxat prædeſtinatorum mortuus eſt*. Subſumptum negat Queſnellus cum Janſeniſtis omnibus; Sed affirmat Sedes Apoſtolica cum univerſis ſibi obſequentibus Chriſti fidelibus. Janſeniani damnatum Propoſitionis ſenſum ſolummodò intelligunt, quo Chriſtus diceretur mortuus pro ſola ſalute prædeſtinatorum; quia de fide eſt, mortuum eſſe etiam pro juſtitia temporanea juſtorum non perſeverantium.

6 Sed, inquiunt, damnatus Propoſitionis ſenſus non eſt, neque ulla ratione damnabilis, qui cum Janſenio negat Chriſtum pro aliorum, quàm prædeſtinatorum ſalute mortuum, utpote ſenſus Auguſtini. Pontifices autem, & univerſa ipſis conſentiens Eccleſia, negant Auguſtiui ſenſum eſſe: Agnoſcunt autem eſſe Janſenii, & uti talem damnant. De priore ſenſu, quod etiam juſtitia temporanea juſtorum non perſeverantium, atque adeò non prædeſtinatorum, ſit ex Chriſti meritis, definiri à Pontificibus non debuit, quia de hoc ſumma fuit inter partes conſenſio: ſola fuit controverſia Janſenium inter, & Doctores Catholicè ſentientes, an Chriſtus etiam pro ſalute eorum, qui prædeſtinati non ſunt, mortuus fuerit, negante Janſenio cum ſuis, affirmantibus cæteris. De hoc ſenſu conſulta Apoſtolica Sedes controverſiam diremit, teſtante ipſo Innocentio X. in Bulla, *Cum occaſione*, ſe *inter alias ejus opiniones*, nempe memorati illic libri, *cui titulus Auguſtinus Cornelii Janſenii*, damna-

damnare quinque illas Propoſitiones, de quibus *orta fuerat, præſertim in Galliis, controverſia*. Dein in Decreto anni 1654. 23. Aprilis declarat *ſe condemnaſſe in quinque Propoſitionibus Auguſtini Cornelii Janſenii Epiſcopi Iprenſis Doctrinam*. Rurſus eodem anno 29. Septembris in Brevi ad Cleri Gallicani Epiſcopos, in comitiis generalibus congregatos: *Omnibus*, inquit, *paſtoralis officii adminiſtris injunximus ut, quæ par eſt, obedientiâ ubique ſervari enixè curent Conſtitutionem noſtram, quâ die 31. Maji anni 1653. damnavimus in quinque Propoſitionibus Cornelii Janſenii Doctrinam ejus libro contentam, cui titulus* Augustinus.

7 Mortuo Innocentio X. cùm Janſeniani præfractè pergerent Magiſtri ſui ſententiam, velut ab anathemate intactam defendere, & damnatæ Propoſitioni ſenſum affingere, de quo nulla fuerat inter partes diſceptatio; recurrêre ad Alexandrum VII Antiſtites Catholici pro remedio extinguendæ pertinaciſſimæ hæreſi opportuno. Muneri ſuo non defuit Chriſti Vicarius, & Conſtitutione Ad sanctam *filios iniquitatis* pro meritis perſtrinxit, ac poſt confirmatam Deceſſoris ſui Bullam, „ quinque illas Propoſitiones ex „ libro præmemorati Cornelii Janſenii Epi- „ ſcopi Iprenſis, cui titulus eſt *Auguſtinus*, „ excerptas, ac in ſenſu ab eodem Cornelio „ Janſenio intento damnatas fuiſſe, defini- „ mus, (inquit,) & declaramus, & uti ta- „ les, inuſtâ ſcilicet eâdem ſingulis notâ, „ quæ in prædictâ declaratione, & definitio- „ ne unicuique illarum ſigillatim inuritur. „ iterum damnamus . . . . . Mandantes „ omnibus Chriſti fidelibus, nè prædictam „ Doctrinam teneant, prædicent, doceant „ verbo, vel ſcripto exponant, vel inter- „ pretentur publicè, vel privatim, palàm, „ vel occultè, imprimantve ſub pœnis, & „ cenſuris contra hæreticos in jure expreſſis, „ ipſo facto abſque alia declaratione incur- „ rendis.

8 Non ſic flecti potuit dura cervix perduellium; ſed Bullâ *Regiminis Apoſtolici*, ab eodem Pontifice, invictum brachium conferente Rege Chriſtianiſſimo, adigendi fuere ad jurandam fidei profeſſionem, qua quinque propoſitionum ſenſum, à Janſenio intentum, id eſt, prout in ejus libro exprimitur, ſinguli ejurarent. Hic Janſenianis diu hæſit aqua, nec pejerare palàm auſis, nec volentibus adamatum Janſenii ſenſum abdicare. Unde multi exilia, cenſuras Eccleſiaſticas, privationes officiorum paſſi, ſe novæ hæreſi victimas immolarunt, Janſeniſtarum Martyrologio mirificè celebrandi. At Queſnellus tandem ſupra Magiſtrum ſuum Arnaldum ſapiens, nè novum Euangelium, nova Eccleſia interiret, librum edidit mendaci hoc titulo: *Defenſe de l'Egliſe Romaine, & des Souverains Pontifes: Defenſio Romanæ Eccleſiæ, & Summorum Pontificum*: Cujus totus ſcopus eſt, ſnos edocere modum jurandi verbis formulæ Alexandrinæ, & ſimul retinendi in quinque Propoſitionibus ſenſum Janſenii. Quod, etſi cuilibet verba Formulæ illius conſideranti peregrinum, imò impoſſibile appareat; nihil tamen hac in parte impoſſibile ſibi perſuadet Queſnellus, authoritatem ſibi vindicans mutandi pro libitu, ſeu pro ſuæ hæreſeos neceſſitate, ſignificationes vocum. Quem ſcilicet ab initio Janſeniani agnoverant, & in libello ſupplice *trium columnarum*, Innocentio X. declaraverant columnâ primâ eſſe ſenſum *alienum, qui propoſitionibus* ſolummodo *malignè affingi poſſet, quem tamen legitimè ſumptæ non habent*: Nunc Pater Queſnellus cum ſuis, ut, ſalvâ conſcientiâ Janſenianâ, ejurare liceat quinque propoſitiones in *ſenſu proprio, & obvio*, poſtquam Innocentius XII. *ſenſum proprium, & obvium* ejurandum præcepit, mutat vocum ſignificationes: & qui antea erat *ſenſus* à Propoſitionibus *alienus*, atque *malignè* ſolummodo *affingi poterat, quem tamen legitimè ſumptæ non habebant*, uti reverà minimè habent; nunc, inquam, oppoſitum exigente conſervandæ hæreſeos neceſſitate, appellare Qeſnello cum ſuis placet eumdem *ſenſum proprium, & obvium*, atque hoc modo Propoſitiones *in ſenſu*, ſi Superis placet, *proprio, & obvio ejurare*.

9 Eâdem authoritate Queſnellus mutat ſignificationem nominum circa columnam ſecundam: qui nempe tunc Janſenianis omnibus, quorum nomine loquebantur eorum Oratores, erat *ſenſus non alienus, ſed verus legitimus, germanus*, ſeu proprius, & obvius, ut erat reipſa, nunc tamen, jubente Queſnello, factus eſt *improprius, & nullo modo obvius*; atque ita novo iſto novæ Eccleſiæ capite definiente, retineri poteſt velut ſanus, Catholicus, Auguſtinianus, ejuratis licèt quinque Propoſitionibus in *ſenſu proprio, & obvio*.

10 Neque, inquit Qeſnellus, obeſt, quòd jurans juxta præſcriptam Alexandri formulam dicat: *Quinque Propoſitiones ex Cornelii Janſenii libro, cui nomen* Augustinus *excerptas, & in ſenſu ab eodem authore intento, prout illas per dictas Conſtitutiones Sedes Apoſtolica damnavit, ſincero animo rejicio, ac damno, & ita juro*: Iſtud, inquit Queſnellus, non obeſt, quin totam juramenti formulam enuntiare liceat, retinendo tamen in animo firmiter totum

tum Janſeniani libri ſenſum velut Auguſtinianum, & Catholicum, modo hoc non prodatur exteriùs; nam quidquid in juramento dicitur de excerptione Propoſitionum ex libro Janſenii, & de damnatione ſenſûs ab authore, vel libro intenti, eſt, inquit, ſolummodo *connotatum* quoddam ad juramentum minimè pertinens, & cui minimè neceſſe ſit, nos animo aſſentire.

11 Is totius libri Queſnelliani relatus compendio diſcurſus eſt, prætermiſſis probationibus, quas nimis longum eſſet referre, & refutare inutile; cum id abunde præſtiterit Apoſtolica Sedes, non ſolùm proſcribendo ejus librum, vel ipſo titulo mendaciſſimum, & condemnando reſolutionem Queſnelli, & 40. Doctorum circa famoſum *caſum conſcientiæ* Janſenianæ; ſed etiam edendo Conſtitutionem verè Apoſtolicam, cui initium *Vineam Domini Sabaoth*, in qua, ut plura huc facientia prætermittam, Clemens XI. in memoratam Queſnelli, etſi non nominati, cavillationem acriter invectus, ita decernit: „ Inſuper, ut quævis in poſterum erroris occaſio penitùs præcidatur, atque omnes „ Catholicæ Eccleſiæ filii Eccleſiam ipſam „ audire, non tacendo ſolùm, (nam, & impii in tenebris conticeſcunt) ſed, & interiùs obſequendo, quæ vera eſt orthodoxi „ hominis obedientia, condiſcant; hac noſtra perpetuò valitura Conſtitutione, obedientiæ, quæ præinſertis Apoſtolicis „ Conſtitutionibus debetur, obſequioſo illo „ ſilentio minimè ſatisfieri; ſed damnatum „ in quinque præfatis Propoſitionibus Janſeniani libri ſenſum, quem illarum verba „ præ ſe ferunt, ut præfertur, ab omnibus „ Chriſti fidelibus ut hæreticum, non ore „ ſolùm; ſed, & corde rejici, ac damnari „ debere; nec aliâ mente, animo, aut credulitate ſupradictæ formulæ ſubſcribi licitè poſſe; ita ut, qui ſecus, aut contra, quo „ ad hæc omnia, & ſingula ſenſerint, tenuerint, prædicaverint, verbo, vel ſcripto „ docuerint, aut aſſeruerint, tanquam præfatarum Apoſtolicarum Conſtitutionum „ tranſgreſſores, omnibus, & ſingulis illarum cenſuris, & pœnis omnino ſubjaceant, eadem authoritate Apoſtolica decernimus, declaramus, ſtatuimus, & ordinamus.

12 Ex tam copioſo, & irrefragabili antecedente ſequitur evidentiſſima concluſio, damnatas eſſe quinque Propoſitiones in ſenſu libri Janſenii, & eodem ſenſu ejurandas eſſe ab iis qui formulæ Alexandri VII. ſive juſſi, ſive ſponte ſubſcripſerint. Atqui omnes tam Janſeniani, quàm Catholici fatentur, libri Janſenii ſenſum circa quintam Propoſitionem eſſe, quòd Chriſtus pro nullius reprobi, ſed ſolorum prædeſtinatorum ſalute mortuus ſit; etſi aliquibus reprobis fidem, & juſtitiam temporaneam promeritus. Ergo Queſnelli Propoſitio trigeſima, *Omnes, quos Deus vult ſalvare per Chriſtum, ſalvantur infallibiliter*, tradit ſenſum à Summis Pontificibus damnatum, & ejurandum profeſſione fidei, quæ Alexandri VII. formulâ continetur.

13 Si quis, quod non exiſtimo, ſubſumptum in dubium vocaret, convinci facilè poſſet clariſſimis Janſenii textibus, quales ſunt ſequentes lib. 3. de Gratia Chriſti caput 21. „ Quibuſdam hominibus dare (Deus) prædeſtinavit fidem, charitatem, & in ea perſeverantiam uſque ad finem, quos eſſe „ prædeſtinatos, electos, & ſalvandos dicimus .... pro iſtis in æternum vivificandis (Chriſtus) mortuus eſt, pro iſtis „ ab omni malo liberandis rogavit Patrem „ ſuum, non pro cæteris, qui à fide, & charitate deficientes in iniquitate moriuntur. „ Ibid. Quæ ſanè cùm in Auguſtini doctrinâ, „ perſpicua, certaque ſint, nullo modo „ principiis ejus conſentaneum eſt, ut Chriſtus Dominus vel pro infidelium in infidelitate morientium, vel pro juſtorum non „ perſeverantium æterna ſalute mortuus eſſe, ſanguinem fudiſſe, Patrem oraſſe ſentiatur .... ex quo factum eſt ut juxta „ S. Doctorem non magis Patrem pro æterna illorum liberatione, quàm pro Diabo„ li deprecatus fuerit „. Si verò non de ſalute, ſed de fide agatur, & juſtitia temporanea eorum, qui à fide, vel charitate deficientes pereunt, *pro his*, inquit Janſenius ibid., *intantum mortuus eſt* Chriſtus, *& in tantum propitiatio peccatorum eſt, & in tantum rogavit Patrem, in quantum temporalibus quibuſdam Divinæ gratiæ effectibus exornandi ſunt*; ſed non pro æterna eorum ſalute oravit, aut mortuus eſt.

14 Hæc de ſenſu quintæ Propoſitionis Janſenii hæretico, cui ad amuſſim convenit Propoſitio Queſnelli trigeſima. Si verò Lector ſcire deſideret, ubinam Janſenius tradiderit priorem quintæ Propoſitionis ſenſum, qui tantummodo *falſus, temerarius, ſcandaloſus* declaratus eſt; tradidit eodem libro de Gratia Chriſti, eodem cap. 21. his verbis, „ Nec enim juxta doctrinam antiquorum „ pro omnibus omnino Chriſtus paſſus, aut „ mortuus eſt, aut pro omnibus omnino „ tam generaliter ſanguinem fudit; cùm hoc „ potiùs tanquam errorem à Fide Catholica „ abhorrentem doceant eſſe reſpuendum.

In

„ *tholici* ORTHODOXAS *vocabant*, *Semipelagianiſ-* „ *mi argueret*. Quid eſt igitur, quòd hujus „ Concilii, quo uno præcipua novi dogma- „ tis placita ſubruuntur, nè mentionem qui- „ dem fecerit? Una hæc proferri ratio poteſt, „ quam ego veriſſimam puto: nimirum iis de „ rebus ea tantùm ſcripſit, quæ apud Cal- „ viniſtas legerat; in quorum libris cum ni- „ hil prorſus offenderet ad Concilii Arela- „ tenſis authoritatem labefactandam, de „ iſto ſilere coactus eſt. Neque enim, cùm „ hæc ſcriberet, emiſſum erat in lucem opus „ Uſſerii Calviniſtæ *Britannicarum Eccleſia-* „ *rum antiquitates*, quo in libro cap. 13. Fau- „ ſti, ac Lucidi epiſtolas Semipelagianas, & „ nullius Synodi authoritate comprobatas „ eſſe contendit. Vix in Gallia viſus eſt hic „ liber, cùm novæ opinionis fautores, qui „ in omnia hæreticorum opera jus direptio- „ nis habere ſe putant, illum continuò ex- „ pilarunt. „ Ut autem, Lector, ſcias, qua- les Epiſcopi fuerint, qui Fauſti epiſtolæ ſub- ſcripſère: inter illos reperiuntur S. Pragma- tius, S. Patiens, S. Claudius. Imò Cardi- nalis de Aguirre Theologiæ Sancti Anſelmi diſp. 115. num. 25. *pleroſque illorum*, inquit, *relatos fuiſſe in numerum Sanctorum obſer- vat idem Baronius loco citato ad annum* 490. *num*. 25.

8 De memorata verò Lucidi epiſtola ſic Baronius: „ Subjiciamus hìc etiam Lucidi epi- „ ſtolam, quam ad alium Epiſcoporum con- „ ventum in deteſtationem eorumdem erro- „ rum his verbis conſcripſit (alloquens 27. „ Epiſcopos) Correctio veſtra, ſalus publica, „ & ſententia veſtra, medicina eſt. Unde & „ ego ſummum remedium duco, ut præteri- „ tos errores accuſando excuſem, & ſaluti- „ fera confeſſione mea diluam: proinde jux- „ ta prædicandi recentia ſtatuta Concilii „ damno vobiſcum ſenſum illum ... quod „ Chriſtus, & Salvator noſter mortem non „ pro omnium ſalute ſuſceperit. „ Dein poſt relatam Lucidi epiſtolam ſic Baronius animadvertit. „ Hactenus profeſſio Lucidi „ ſecundùm ea, quæ à nominatis Epiſcopis „ in Synodo definita fuiſſent, in hoc incum- „ bentibus patribus, ut errores exploderent „ illorum potiſſimùm, qui ex Doctrina San- „ cti Auguſtini malè ab ipſis percepta, ſive „ in pravum ſenſum calumnioſè detortâ, „ pravas deduxiſſent concluſiones.

9 De eadem Lucidi epiſtola Cardinalis Aguirre in Theolog. S. Anſelmi diſput. 126. num. 27. ſic notat: „ Idem Lucidus in pro- „ feſſione fidei ſuæ fatetur, ſe olim erraſſe, „ idque corrigit dicens: *Memini, me ante di-* „ *xiſſe, quòd Chriſtus pro iis tantùm, quos cre-* „ *dituros præſcivit, adveniſſet &c. Nunc verò* „ *ſacrorum teſtimoniorum authoritate, quæ ab-* „ *unde per ſpatia divinarum inveniuntur Scri-* „ *pturarum, ex ſeniorum doctrina ratione pa-* „ *tefactâ, libens fateor Chriſtum etiam pro per-* „ *ditis adveniſſe, quia eodem nolente perie-* „ *runt* .... Porrò Epiſcopi in eodem Con- „ cilio congregati fuerunt num. 30. „ Ha- ctenus Cardinalis.

CAPUT IV.

Eadem Propoſitio damnata eſt in Moguntinâ Synodo.

1 VEniamus nunc ad Moguntinam Synodum, quæ eamdem Queſnelli errorem in Gotheſcalco damnavit. Præmittenda tamen quædam de Gotheſcal- co, & authoritate iſtius Synodi.

2 Rabanus Archiepiſcopus Moguntinus, & præſes Concilii ad Hincmarum Archiepi- ſcopum Rhemenſem epiſt. Syn. Concilii Mo- guntini Tom. 3. Concil. Gallic. pag. 66. „ No- „ tum (inquit) ſit dilectioni veſtræ, quod „ quidam gyrovagus Monachus, nomine „ Gotheſcalcus, qui ſe aſſerit ſacerdotem in „ veſtra parochia ordinatum, de Italiâ ve- „ nit ad nos Moguntiam, novas ſuperſtitio- „ nes, & noxiam doctrinam de Prædeſtina- „ tione Dei introducens, & populos in er- „ rorem mittens: dicens quod prædeſtina- „ tio Dei ſicut in bono ſit, ita & in malo: & „ tales ſint in hoc mundo quidam, qui pro- „ pter prædeſtinationem Dei, quæ eos cogat „ in mortem ire, non poſſint ab errore, & „ peccato ſe corrigere: quaſi Deus eos fe- „ ciſſet ab initio incorrigibiles eſſe, & pœ- „ næ obnoxios in interitum ire .... De- „ crevimus eum cum perverſa ſua doctrina „ mittere ad vos, quatenus eum recludatis „ in veſtra parochia, unde primùm inordi- „ natè receſſit, & non ſinatis eum ampliùs „ errorem docere, & ſeducere populum „ Chriſtianum, quia jam multos, ut audivi, „ ſeductos habet. „

3 Flodoardus lib. 3. hiſtoriæ Rhemenſis cap. 14. de eodem Gotheſcalco ſcribit, quod eſſet *Habitu Monachus, mente ferinus, quietis impatiens, & vocum novitate delectans, ac in- ter ſuos mobilitate noxiâ ſingularis*. Hincma- rus autem Nicolao Papæ ſcribit, eum in Mo- guntino Concilio *ab omnibus Germaniæ Epi- ſcopis damnatum fuiſſe*. Tritemius in Chronico Hirſangienſi ad annum 848. *Fuerunt*, inquit, *inter alios, præſentes ibi celeberrimi viri Epi- ſcopi, Helti Archiepiſcopus Trevirenſis, Hilde-* *boldus*

boldus Archiepiſcopus Colonienſis, Altfridus Epiſcopus Hildesheimienſis, Haymo Epiſcopus Halberſtatenſis, Ludericus Epiſcopus Bremenſis, &c. Et alii multi Epiſcopi & Abbates, & Monachi, inter quos complures erant vitâ, & doctrinâ famoſiſſimi.

4 Qualis fuerit Haymo Epiſcopus Halberſtatenſis, prætermiſſis aliorum elogiis, Cardinalis Baronius teſtatur, dicens fuiſſe *Scientiâ clarum*; Sixtus Senenſis *Virum Sanctitate, & eruditione inſignem, qui compoſuit in omnes libros utriuſque Teſtamenti commentarios, pietate, brevitate, dictionis ſimplicitate, ac perſpicuitate laudandos*. Paulus Windeckius lib. de efficacia mortis Chriſti contra Calvinum pagina 251. eum vocat *Virum Orthodoxæ doctrinæ peritiſſimum, ac Doctorem ſui ſeculi facilè Principem*.

5 Rabanum Maurum Archiepiſcopum Moguntinum Concilii Præſidem non minoribus paſſim laudibus Scriptores celebrant. Sanctus Odilo Abbas Cluniacenſis vocat *Fide Catholicum, & ſpirituali ſcientiâ ad plenum edoctum*. Joannes Tritemius *Virum in Divinis litteris eruditiſſimum, cui nec Italia ſimilem, nec Germania peperit æqualem*: Sixtus Senenſis *Virum omnium diſciplinarum cognitione abſolutiſſimum, cui nullum parem eo ſeculo Germania tulit*: Cardinalis Baronius *Fulgens temporibus iſtis Germaniæ ſidus, verticem hujus temporis Theologorum, & non imparem magnis Doctorem*. Talibus Judicibus Gotheſcalcus cum erroribus ſuis damnatus eſt. Quinam verò errores ejus fuerint, teſtatur Hincmarus, ad quem includendus, & corrigendus à Concilio miſſus eſt. Ex illis ad inſtitutum noſtrum pertinent præcipuè ſequentes: *Non eſt quiſquam, quem Deus ſalvare velit, & non ſalvetur, quia Deus noſter omnia, quæcunque voluit, fecit*: & *illi omnes impii, & peccatores, pro quibus idem filius Dei, nec orationem, nè dico ſanguinem fudit, neque pro eis ullo modo crucifixus fuit*, &c. Ubi primus error idem eſt, qui Queſnelli trigeſimus: *Omnes, quos Deus vult ſalvare per Chriſtum, ſalvantur infallibiliter*. Solùm diſcrimen eſt, quod Queſnelli Propoſitio addat *per Chriſtum*; ſed hæc particula ſubintelligitur in primo Gotheſcalci Articulo, ut vel ex ſecundo colligitur. Queſnellus quoque eam non exprimit in Propoſitione 12. *Quando Deus vult ſalvare animam, quocunque tempore, quocunque loco, effectus indubitabilis ſequitur voluntatem Dei*: Quam Propoſitionem ſenſu prorſus eamdem eſſe cùm Gotheſcalci Articulo, Queſnellus ipſe non diffitebitur. Neque negaverit hanc ſuam 12. ſenſu convenire cùm trigeſima, quàm hic diſcutimus.

6 Eodem modo hæreticos Gotheſcalci errores recenſet Didacus Alvarez Archiepiſcopus Tranenſis à Queſnello ſæpius; ſed immeritò in patrocinium adſcitus. Lib. de Origine Pelag. hæreſ. cap. 30. *Circa annum*, inquit, *octingenteſimum quinquageſimum alii hæretici Gotheſcalcani, Lutheranæ, atque Calvinianæ hæreſi viam aperuerunt . . . . Secundò aſſeruit Gotheſcalcus, quod Chriſtus non venit, ut omnes ſalvaret, nec paſſus eſt pro omnibus, niſi ſolummodo pro his, qui paſſionis ejus ſalvantur myſterio. Et intelligit, quod non eſt Salvator omnium, quantùm ad ſufficientiam, quod eſſe hæreticum conſtat ex locis Scripturæ, quàm plurimis. Tertiò in eodem ſenſu Gotheſcalcus prædicavit, quòd Deus non vult omnes homines ſalvos fieri; ſed ſolùm electos; quæ aſſertio in ſenſu à Gotheſcalco intento, quem in præcedenti Propoſitione tenuit, toleranda non eſt*.

7 Quod Gotheſcalcus errore 2. aſſerit, *Chriſtum non veniſſe, ut omnes ſalvaret*, clarè continetur hoc Queſnelliano Articulo 30. *Omnes, quos Deus vult ſalvare per Chriſtum, ſalvantur infallibiliter*. Si enim Deus vult ſalvare ſolos eos, qui ſalvabuntur, evidens eſt, eum non voluiſſe omnes per Chriſtum ſalvare, ſive *Chriſtum non veniſſe, ut omnes ſalvaret*.

8 In illo Queſnelli dogmate continetur tertium Gotheſcalci; nam ſi ſolos velit ſalvare Deus per Chriſtum eos, qui ſalvantur infallibiliter, ut docet Queſnellus, vult ſalvare ſolos electos, ut docuit Gotheſcalcus. Damnata itaque à Concilio Moguntino fuit trigeſima Queſnelli Propoſitio.

9 Dices: Gotheſcalci aſſertio tertia à Didaco Alvarez reprehenditur, ut *non toleranda in ſenſu à Gotheſcalco intento, quem in præcedenti Propoſitione tenuit*. Atqui ſenſus præcedentis Propoſitionis erat, quòd Chriſtus *non eſt ſalvator omnium, quantùm ad ſufficientiam*. Hunc autem ſenſum non aſſerit Queſnellus, qui cum Janſenio non difficulter admittet, Chriſti merita fuiſſe in ſe ſufficientia ad ſalvandos omnes homines, imò & Angelos. Atque ita non tradit Queſnellus ſenſum, quem Didacus Alvarez è Theologia, & Eccleſiâ notaverat eliminandum.

Reſpondeo nullum in verbis Alvarezii, vel Hincmari, vel alterius eſſe veſtigium, quo Gotheſcalcus accuſetur, quaſi adeò inſipiens, ut negaret Chriſti merita toti mundo, imò & infinitis mundis redimendis, ac ſalvandis, ſi voluiſſet, ſufficere. Sed negavit pretium illud pro totius mundi ſalute tanquam ſufficiens oblatum fuiſſe. Atque in hoc ſenſus Gotheſcalci non tolerandus, ſed hæreticus ab Alvarezio pronuntiatus eſt; *Conſtat*, inquit, *eſſe hæreticum*. Ut enim Chriſtus dicatur *ſalvator omnium, quantum ad ſufficientiam*, non ſatis eſt

eſt obtuliſſe Patri pretium, quod ſalvandis omnibus ſufficeret, quamvis non pro omnibus hominibus, ſed pro ſalute ſolorum obtulerit electorum. Sic medicus, qui tota civitate ægrotante, medicinam excogitaſſet omnibus ſanandis idoneam, non poſſet ullo vero ſenſu dici, ægrorum omnium ſalvator quoad ſufficientiam, ſi medicinam non obtuliſſet omnibus, ſed paucis amicis, vel divitibus reſervaſſet, cæteris abſque ullo ſufficiente remedio derelictis, atque ita pereuntibus miſerè.

10 Si autem ad Fidem Catholicam ſatis eſſet agnoſcere, quòd Chriſti merita redimendis & ſalvandis omnibus ſuffecerint, etſi non pro omnibus oblata, immeritò doctrina Janſenii, Calvini, vel Lutheri de morte Chriſti pro ſolorum ſalute electorum hæretica cenſeretur ab Eccleſia, cùm nullus eorum merita Chriſti ſaluti omnium ſufficere negaverit; ſed pro ſalute omnium fuiſſe oblata.

CAPUT V.

Eadem Propoſitio contraria eſt Concilio Cariſiaco.

1 CONdemnatus in Germania Gotheſcalcus, & in Galliam remiſſus, non minùs eam, quàm prius Germaniam conturbavit. Novus illic contra eum Epiſcoporum conventus celebratus eſt, de quo Hincmarus ita ſcribit lib. de prædeſtinatione cap. 2. *In Synodali conventu in Cariſiaco Palatio iterum auditur Gotheſcalcus ab Epiſcopis, & cæteris quàm plurimis viris Eccleſiaſticis, atque Religioſis, qui eidem Synodo interfuerunt.*

2 Aderant inter cæteros Antiſtites Wenilo Senonenſium Archiepiſcopus, & Hincmarus Remenſium; qui loco citato ſic narrationem proſequitur: *In quorum judicum præſentia, ſicut & in Moguntina Civitate, inventus hæreticus, atque incorrigibilis* Gotheſcalcus, *honore presbyterali .... abjectus, & pro ſua irrevocabili contumacia, ſecundùm leges, & Agathenſes Canones, ac regulam Sancti Benedicti, ut improbus, virgis cæſus, ſicut decreverant Germaniæ Provinciarum Epiſcopi, nè aliis noceret, qui ſibi prodeſſe nolebat, ergaſtulo eſt retruſus.*

3 Sententiam ſuam contra Gotheſcalcum Patres Cariſiaci ſic concludunt. *Ut de cætero doctrinale tibi officium uſurpare non præſumas, perpetuum ſilentium ori tuo virtute æterni Verbi imponimus.* Hactenus Concilium anni 849. Dein ſive in eodem Concilio, ut putavit Binius, ſive in alio ejuſdem nominis celebrato 853. ut obſervant Labbe, & Sirmondus, traditæ ſunt contra Gotheſcalcum aſſertiones 4. quæ vulgò *capitula Cariſiaca* appellantur. Horum tertium eſt, *Deus omnipotens omnes homines ſinè exceptione vult ſalvos fieri, licèt non omnes ſalventur. Quòd autem quidam ſalvantur, ſalvantis eſt donum; quòd autem quidam pereunt, pereuntium eſt meritum.* Quartum, *Chriſtus* JESUS *Dominus noſter, ſicut nullus homo eſt, fuit, vel erit, cujus natura aſſumpta non fuerit; ita nullus eſt, fuit, vel erit homo, pro quo paſſus non fuerit: licèt non omnes paſſionis ejus myſterio redimantur.* Ubi manifeſtum eſt decerni, quòd Deus omnes homines per Chriſtum velit ſalvos fieri, licèt non omnes redimantur efficaciter, ſive ſalventur. Unde ſubvertitur damnata *Obſervationum Moralium* Propoſitio 30. *Omnes, quos Deus vult ſalvare, per Chriſtum; ſalvantur infallibiliter.*

4 Gotheſcalcus ſynodali judicio damnatus, & in Altivillari Monaſterio incluſus; ſed non correctus, geminam edidit profeſſionem fidei, breviorem unam, prolixiorem alteram, utramque de ſola prædeſtinatione, ſubdolam, & diſſimulatis reliquis accuſationum capitibus, minimè ſufficientem. Nempe tenebras quærens, ſolummodo memorat prædeſtinationem reproborum ad pœnam, quæ & à Catholicis affirmatur. Rabanus autem in epiſtola ad Herebrardum comitem teſtatur, Gotheſcalcum ita prædeſtinationem expoſuiſſe, *quaſi Deus prædeſtinatione ſua cogat hominem interire.* Et Amolo Lugdunenſis Archiepiſcopus in epiſtola ad Gotheſcalcum pag. 19. *Quarto*, inquit, *loco diſplicet nobis valde, quia tam durè, & indiſciplinatè, & immaniter de Divina Prædeſtinatione ſentis, & loqueris in damnatione reproborum, ut omnes illos, qui ad ſiniſtram ponendi ſunt, in die judicii, & cum Diabolo, atque Angelis ejus, pro malis meritis ſuis, æterno igne damnandi, ita ſunt divinitus ad interitum prædeſtinati, ut eorum prorſus nullus aliquando potuerit, nullus poſſit ſalvus eſſe: quod ſentire, & dicere, quid eſt aliud, quàm in Deum graviter, & horribiliter blaſphemare, ſi illis ejus prædeſtinatio hanc neceſſitatem irrevocabiliter impoſuit, ut omnino, quod ad ſalutem ſuam proficeret, operari non poſſint?* Idem de Gotheſcalco referunt recentiores minimè ſuſpecti. Didacus Alvarez de Origine Pelag. hæreſis cap. 30. *Inter alios*, inquit, *errores, quibus Gotheſcalcus favere viſus eſt Lutheranis, hic eſt valde notandus; eſſutivit enim Deum ſuis prædeſtinationibus neceſſitatem, & vim inferre ad bene operandum, & peccandum.* Jodocus Coccius tom. 2. lib. 1. art. 5. ex Aventino & Trithemio ait, Gotheſcalcum docuiſſe, quosvis homines inevitabili lege, & neceſſitate pro-

providentiæ Divinæ, ſive inferis, ſive Superis deſtinarum eſſe.

5 Dices: Nonnulli Gotheſcalcum defendunt, quaſi nihil circa reprobarionem docuerit, quàm quod ſuſtinerur ab omnibus; Deum quoſdam prædeſtinaſſe ad pœnam; non verò ad impietatem.

Reſpondeo, teſtimonia contra Gotheſcalcum adducta plus de eo probare, ſaltèm antequam in Moguntino Concilio condemnatus eſt; at familiare eſt hæreticis, ubi ſe captos videnr, & ab Eccleſia convictos, verba ſua, retento ſenſu hæretico, mitigare, ut nihil à Catholicis diſtare videantur. Ita Calviniani poſt Tridentini anathema, in aſſerentes, quod *improbi Divina poteſtate reprobentur ad malum*, Confeſſiones ſuas ita temperarunt, ut quotquot deinceps in Gallia, Helvetia, Hollandia, Anglia, Scotia, Germania novæ prodierunt, diſſimulato, vel tecto hæreſeos veneno, Catholicæ quodammodo eatenus appareant. De quo videri poteſt Veronus I. Controv. de reprob. cap. t. Quidquid autem de Gorheſcalco ſit, nobis ſufficit, doctrinam de voluntate Dei ſalvandi per Chriſtum non ſolos prædeſtinatos, Concilii Cariſiaci fuiſſe authoritate ſtabilitam.

CAPUT VI.

Solvuntur Objecta contra Concilium Cariſiacum.

1 NUlla eſt, inquiunt Janſeniſtæ, iſtius Concilii authoritas, utpote eliſa à Concilio Valentino III. quod compoſitum ex 14. Epiſcopis trium Provinciarum Lugdunenſis, Viennenſis, & Arelatenſis, approbatum à Nicolao I. Pontifice, rejicit quatuor capitula Cariſiaca, & nominatim quartum de motte Chriſti pro omnibus; ſic enim loquitur canone 4. „ Item de redemptione Sanguinis Chriſti, propter nimium errorem, qui de hac cauſa exortus eſt; ita ut quidam, ſicut eorum ſcripta indicant, etiam pro illis impiis, qui à mundi exordio uſque ad paſſionem Domini, in ſua impietate mortui, æterna damnatione puniti ſunt, effuſum eum definiant conrra illud Propheticum: *Ero mors tua, ô mors: ero morſus tuus, inferne*, illud nobis ſimpliciter, ac fideliter tenendum, ac dicendum placet juxtà Euangelicam, & Apoſtolicam veritatem, quod pro illis hoc datum pretium teneamus, de quibus ipſe Dominus noſter dicit: *Sicut Moyſes exaltavit ſerpentem in deſerto, ita exaltari oportet Filium hominis, ut omnis, qui credit in ipſum non pereat, ſed habeat vitam æternam; ſic enim Deus dilexit mundum, ut Filium ſuum Unigenitum daret, ut omnis, qui credit in eum non pereat; ſed habeat vitam æternam*. Et Apoſtolus, *Chriſtus*, inquit, *ſemel oblatus eſt ad multorum exhaurienda peccata*. Porrò capitula quatuor, quæ à Concilio Fratrum noſtrorum, minùs proſpectè ſuſcepra ſunt propter inutilitatem, vel etiam noxietatem, & errorem contrarium veritati, &c.

Reſpondeo cùm Cardinale de Aguirre Theologiæ S. Anſelmi diſp. 126. ſect. 3. „ Vix, aut nè vix quidem, inter urrumque id Concilium eſſe contrarietatem aliquam quoad partem Dogmaticam, ſive rem ipſam; quamvis Valentini Patres aliud præ ſe ferant, aut reſtentur; fortaſſis, ut multi jam ante nos obſervarunt, quoniam aliqui ipſorum non bene affecti erant erga Hincmarum Remenſem, qui utriuſque Cariſiacenſis Synodi præcipuus Author fuerat: porrò nullam oppoſitionem eſſe, quo ad quartum capitulum in quo ſolo nunc verſamur, patet; nam Valentini Patres in eo canone excipiunt à Redemptione Chriſti illos, qui à mundi exordio uſque ad paſſionem Chriſti in ſua impietate mortui, æterna damnatione puniti ſunt: ac proinde non *omnes*; ſed *multi* redempti fuerint, iique credentes, ſive fideles, de quibus tamen ſubditur capitulo quinto quoſdam æternam ſalutem aſſequi; *Quia in redemptione ſua fideliter permanſerunt: alios quia permanere noluerunt in ſalute fidei, quam initio acceperunt*, nullatenus ad æternam felicitatem pervenire. Hoc autem totum, ſi rectè intelligatur, & cohærenter ad ſenſum Conciliorum & Patrum, quorum teſtimonia in tota hac diſputatione, & ſequenti allegamus, non opponitur in re doctrinæ à Cariſiaca Synodo definitæ capitulo illo quarto, cujus ſumma eſt; quemadmodum nullus eſt homo, cujus naturam Chriſtus non aſſumpſerit, ita nullum eſſe, pro quo paſſus non fuerir, licèt non omnes paſſionis ejus myſterio redimantur (efficaciter).

„ Non, inquam, opponuntur invicem ea duo; ſed optimè cohærent; quod faciliùs exponetur, oſtendendo priùs, nullam in re contrarietatem eſſe inter utramque illam partem capituli tertii Cariſiacenſis: *Deus omnes homines ſinè exceptione vult ſalvos fieri; licèt non omnes ſalventur*. Quod enim Deus velit omnes homines ſinè exceptione ſalvos fieri juxta doctrinam omnium, aut ferè omnium Sanctorum, intelligitur de voluntate generali Dei, quan-

„ tum

„ tum in ſe eſt, præparantis, & offerentis „ præſidia, & auxilia ad ſalutem neceſſaria „ omnibus hominibus, quæ voluntas à Theo- „ logis frequenter dicitur *antecedens*; ab „ aliis verò *conditionata* circa ſalutem æter- „ nam omnium, *Si per illos non ſteterit*. Vo- „ luntas autem circa electos eſt alia ſpecia- „ lis, & efficaciter præparatrix, ac collatrix „ eorum mediorum, quibus aliqui præ aliis „ perducuntur re ipſa ad æternam ſalutem: „ quæ à Theologis appellatur voluntas *con-* „ *ſequens*, & ad ſolos prædeſtinatos ſpectat. „ Unde poſterior illa pars, *licèt non omnes* „ *ſalventur*, intelligitur de iis, ad quos non „ extenditur voluntas ſpecialis Dei, & con- „ ſequens; ſed ſolùm illa generalis, & ante- „ cedens: inter quas nulla, nequidem appa- „ rens, eſt contradictio „.

3 Hactenus Cardinalis non ſolùm nobis, ſed ipſis potiſſimùm adverſariis, eum perpetuò patronum inclamantibus, maximè venerabilis. Cum quo etiam dico, non conſtare de approbatione Nicolai I. data Valentino Cœtui; nam id olim quibuſdam aſſerentibus negavit Hincmarus; & Annales Bertiniani approbationem memorantes nulla referunt Pontificis Verba. Sic à quàm multis jactatur hodie, & ad Poſteros libellis plurimis transferetur prætenſa Alexandri VII. approbatio famoſorum quinque Articulorum, quos Arnaldus cum Girardo, & Lalanio Janſenianis notiſſimis, callidè terminis æquivocis inſtruxerant, etſi conſtet certioribus documentis, Pontificem, & S.Congregationem ſtudioſè voluiſſe ab eorum approbatione, & vel mentione abſtinêre!

4 Notandum, quòd qui Valentinam Synodum conſtituerant, iidem dein compoſuerint Lingonenſem, & Tullenſem; in quibus etſi priorem Doctrinam confirmarint, prætermiſſa tamen eſt acrior contra Cariſiacos cenſura; quos fortè deprehenderint à ſe loquendi formulis, non dogmatibus diſſidêre. Valentini nempe Origeniſtarum, & ſimilium errorem, quo fingitur, damnatos Chriſti paſſione liberandos, vehementer deteſtati ſunt: huic favere credebant Cariſiaca capitula tertium, & quartum, quibus aſſeritur voluntas Dei ſalvandi omnes homines, & Chriſti voluntas omnes redimendi. Ita ipſi loquentes de voluntate conſequente, non attendebant, Cariſiacos agere de antecedente.

5 Quàm hæc vera ſint, conſtat ex ipſo, qui Cariſiacis canonibus condendis præfuit, Hincmaro de præd. cap. 27. pag. 218. Offenſio nempe, & exacerbatio animorum intellectum præoccupans, adverſariorum dicta facilè interpretatur deteriùs: ut hodie in Anti-Queſnellianorum Antiſtitum documentis Paſtoralibus, quos non errores, quas non hæreſes ſibi videntur detexiſſe Queſnelli vindices, quas præter ipſos nemo alius illic viderit? Quod autem mirandum magis eſt, eaſdem hæreſes, quas Queſnelliani exquiſitiſſimis artibus in adverſariis fingunt, in ſuo magiſtro lucidiſſimè emicantes, & obvias minimè conſpiciunt, vel pudendâ fraude diſſimulant.

6 Modum hunc conciliandæ utriuſque Synodi Valentinæ, & Cariſiacæ amplectitur etiam diſertiſſimè Lugdunenſis Eccleſia in libro de tenenda veritate Scripturæ in Bibliotheca PP. pag. 452. Cùm enim tertium illud Cariſiacenſe capitulum expendit: *Deus omnipotens omnes homines ſinè exceptione vult ſalvos fieri &c.* interpretationem noſtram probat, & ab omni erroris ſuſpicione alienam eſſe docet. „ Item (inquit) alius dicat, & „ ſentiat, ſicut etiam à quibuſdam majori- „ bus dictum, & ſenſum reperitur: Apoſto- „ lus cum ſuperiùs orari juſſiſſet pro omni- „ bus, pro Regibus, & his, qui in ſublimita- „ te ſunt, poſt illa omnia generaliter de uni- „ verſo genere humano ſubjunxit: Qui vult „ omnes homines ſalvos fieri: Quid habet „ mali, aut periculi etiam iſta intelligentia? „ Neque enim qui ita ſentit, putat volunta- „ ti Dei, qua vult omnes homines ſalvos „ fieri, aliquem reſiſtere, & contraire, ut „ non poſſit implere quod velit: & ambo ſi- „ bi, & iſte videlicet, & ille, licèt diverſa „ ſentientes, fideliter atque unanimiter „ concordant. „ Egregia planè ſententia, quæ totam hanc controverſiam decidit. Ait illum, qui docet ex S. Pauli ſenſu, Deum velle ſolos electos ſalvos fieri; & alterum, qui aſſerit ex ejuſdem Apoſtoli mente, Deum velle omnes generaliter homines ſalvos fieri, fideliter, & unanimiter concordare; quia nimirum prior ille Apoſtolum explicat de voluntate quâ *Deus omnia quæcunque voluit fecit* juxta ea quæ tradit Lugdunenſis Eccleſia in libro de tribus Epiſtolis ibid. pag. 376. Alter verò eumdem interpretatur de altera voluntate, qua ex ipſius Janſenii confeſſione l.10. de gratia Chr. c.1., Luciferum alioſque rebelles Angelos ſalvos fieri voluit. Unde Eccleſia Lugdunenſis *eos fideliter, & unanimiter concordare* his verbis probat, quæ perinde ad Angelos, atque ad homines ex ejus ſenſu pertinent: *Quod quolibet modo dixerit Apoſtolus de Deo, qui vult omnes homines ſalvos fieri: tamen nullus hominum, niſi gratuitâ ejus miſericordiâ ſalvetur; nullus, niſi juſto ejus judicio, perire permittatur.*

7 Similitudo ab his Conciliis adhibita magis indicat illorum Patres ſenſibus convenire. Quod enim Cariſiaci, ſimilitudine poculi ſalutiferi, expreſſerant; hoc Valentini, ſimilitudine Serpentis ænei, deſignant. Suam Cariſiaci acceperunt iiſdem prorſus verbis traditam à Sancto Proſpero Reſponſ. ad 1. objectionem Vincentianam: poculum ſalutiferum, etſi omnibus paratum, non tamen prodeſt omnibus, ſed iis ſolis, qui ſumere voluerint. Ita Serpens æneus ſaluti omnium erectus eſt; ſed voluntate antecedente, & conditionata, ut nempe ſalutem reipſa conferret aſpicientibus, non iis, qui oculos avertere, vel claudere voluerint. Talis eſt voluntas Dei, & Chriſti, qui ſalvandis omnibus venit; ſed qui eum recipere noluerint, ſibi imputare debent, quòd communis beneficii participatione priventur. Atque hoc eſt quod Concilium Tridentinum conforme Cariſiaco docet ſeſſ. 6. cap. 3. *Etſi ille pro omnibus mortuus eſt; non omnes tamen mortis ejus beneficium recipiunt, ſed ii dumtaxat, quibus meritum paſſionis ejus communicatur.*

8 Non vident ſcilicet adverſarii, qui communi doctrinæ Valentinam Synodum objiciunt, quod opponant ſe Tridentinæ; nam, ut illi volunt, docuiſſent Valentini Patres pro iis ſolummodo Chriſtum paſſum, & mortuum, quibus paſſio, & mors ejus profuerit, nempe fidelibus in Chriſtum credentibus: Tridentinum autem ait pro omnibus mortuum; non tamen omnes mortis ejus beneficium recipere, ut non recipiunt infantes ſinè Baptiſmo morientes: non recipiunt beneficium juſtificationis adulti, fidem, & baptiſmum reſpuentes; ſalutis verò beneficium, & beneficiorum maximum non recipiunt, niſi perſeverantes in juſtitia. Neque perſpiciunt, qui ex adverſariis Janſeniani haberi nolunt, quòd, ſi Valentina Synodus particularis 14. Epiſcoporum aſſeruiſſet, Chriſtum pro ſolis fidelibus paſſum, non tantùm impingeret in citatam Tridentini ſententiam; ſed reprobata, & condemnata in hac parte fuiſſet ab Alexandro VIII. proſcribente Articulum hunc 4. inter 31. *Dedit ſemetipſum pro nobis oblationem Deo, non pro ſolis electis; ſed pro omnibus, & ſolis fidelibus*: Ubi clarum eſt, damnari propoſitionem ptopter partem ultimam de Chriſti oblatione *pro ſolis Fidelibus*.

9 Antequam hìc manum de tabulâ tollam, lectorem moneo, ea, quæ de Gotheſcalco, & aliis illius temporis Prædeſtinatianis, ac Synodis particularibus ſcripſi, in controverſiam vocari à nonnullis; ſententiam verò, quam ſequor, eſſe authorum tum multitudine, tum merito præcellentium. Quanquam neque ab hac hiſtoria, ſententiæ dogmaticæ tot aliunde certiſſimis ſtabilita fundamentis veritas ullatenus dependeat.

CAPUT VII.

Eadem Propoſitio trigeſima pridem everſa eſt à Patribus tum Græcis, tum Latinis.

1 ORdior à Græcis, quos faciliùs nobis adverſarii concedunt exemplo Janſenii Tomo 3. Edit. 1. Lovan. colum. 404. illos inter Pelagianos abdicantis, velut lucubrationum Origenis, quem Pelagianorum anteſignanum vocat, lectione circumventos. Sed quos Eccleſia tamquam Fidei, & traditionis teſtes idoneos complectitur, non eſt cur ab authoritatis ſuæ poſſeſſione dejiciamus, propter Novatorum eos faſtidientium criminationes. Et quidem eamdem Pelagianiſmi calumniam impingit Janſenius omnibus ſibi adverſis Patribus Latinis, nominatim Sancto Hieronymo ibid. colum. 405. Verùm talis patrum accuſatio nihil cauſam Novaturientium juvat; ſed peſſumdat. Nos itaque calumnias eorum, & blaſphemias non morati, damnatum in Queſnello errorem, traditione Patrum Græcorum pariter ac Latinorum, pridem ſubrutam demonſtremus.

2 Clemens Alexandrinus lib. 7. Stromatum pag. 298. edit. an. 1592. ait: *Chriſtum veniſſe ad communem hominum ſalutem*. pag. 3. *Verbum æternum tum ſingulis privatim, tum communiter omnibus unus eſt Salvater.*

3 Gregorius Nazianzenus orat. 2. in Paſcha vocat paſſionem, & mortem Chriſti, *non exiguæ cujuſdam partis orbis terrarum; ſed totius mundi expiationem, numquam intermorituram*. Oratione 25. Inter beneficia omnibus impenſa numerat *rationem, Legem, Prophetas, ipſas etiam Chriſti perpeſſiones, per quas omnes reformati ſumus, nullo penitùs excepto, qui eidem Adamo participavimus*. Si Chriſtus venit ad communem hominum ſalutem, non eſt cur reſtringatur ad ſalutem eorum ſolummodo, qui *ſalvabuntur infallibiliter*. Paſſio, & mors Chriſtl eſt *totius mundi expiatio numquam intermoritura*: Igitur Chriſtus æternam *totius mundi* ſalutem voluit. Denique *omnium Adamo participantium, nullo penitùs excepto, reformatio* indicat voluntatem Dei, ſalvandi per Chriſtum non ſolos Prædeſtinatos; ſed omnes Adami poſteros, nullo penitùs excepto.

4 Chryſoſtomus homilia 26. in epiſt. ad Romanos in illa verba: *Noli cibo tuo perdere illum*

illum pro quo Chriſtus mortuus eſt, ſic notat: *non omnes lucrifacturus erat Chriſtus: & nihilominus pro univerſis mortuus eſt, quod in ſe ſitum erat, faciens*. Idem homilia 7. in epiſt. 1. ad Tim. exponens illud Apoſtoli: *Qui ſemetipſum dedit redemptionem pro omnibus*: ait, *quid ergo, & pro Gentilibus? Ita: Chriſtus pro omnibus, & propter omnes, ut uno pro omnibus mortuo, omnes in ipſo vivamus*, non exiguo tempore, ſed æternùm.

5 Idem in expoſitione epiſtolæ ad Galat. cap.2. v.20. Chriſtus *quemlibet hominum tantâ charitatis menſurâ complectitur, quantâ orbem univerſum; quocirca ſacrificium quidem ipſum, pro tota naturâ oblatum fuerat, qui autem uſum Sacrificij percipiunt, ſoli ſunt credentes. Et tamen non illum à tali beneficentia deterruit, quod non omnes accederent. Ac nihilominus prandium illud Euangelicum omnibus paratum fuerat, Luc. 14. v. 16. Sed quoniam venire noluerunt, qui erant invitati, non propoſita fercula ſubtraxit, ſed alios invitavit. Eodem hic quoque modo fecit. Nam & ovis ab nonaginta novem avulſa unica erat; nec tamen ille eam neglexit.*

6 Cyrillus Alexandrinus lib. 1. in Joannem juxta edit. Pariſienſ. anni 1638. pag.89. *Eum, qui ad omnium ſalutem venerat, recipere noluerunt*: Non igitur ſalvati ſunt, licèt ad eorum ſalutem venerit: adeòque non *omnes, quos Deus vult ſalvare per Chriſtum, ſalvantur infallibiliter.*

Idem in epiſt. ad Monachos, quæ refertur in Concilio Epheſino par. 1. cap. 1. *ut ſibi attribueretur paſſio, & unus ex omnibus reſurgens, qui pro omnibus erat mortuus, proprio ſanguine redimeret quidquid hominum ſub cœlo eſt, & acquireret Deo, ac Patri eos omnes, qui in univerſa terra conſiſtunt*: Acquireret nempe ad ſalutem; ſed acquiſitionis deſiderium non in omnibus effectum habuit, ob eorum, qui acquiri noluerunt, malitiam. Idem in oratione 1. in S. Babylam de Juliano ait: *Bene de ſe meritum*, & *Salvatorem*, qui nè *Unigenito quidem propter ipſum pepercerat, averſatus eſt, & odio habuit.*

7 Euthymius in Matth. cap.20. v.21. *pro omnibus tradidit animam ſuam, omneſque redemit, licèt multi ſponte ſua in ſervitute remanſerint*, ſalvari nolentes, quantumcunque vellet Salvator. Hactenus Patres Græci: adeamus modò Latinos.

8 Hilarius initio Commentarii in Pſalmum 91. ait: *Unigenitum Dei filium hominem natum, ut æternitatem* beatam *omnibus*, *qui per inhabitantem in carne noſtra peccati legem moriebantur, inveheret*; ſed non omnes ſuſcipere voluerunt, mortem perpetuam æternæ beatitudini præferentes.

9 Ambroſius lib. de Paradiſo cap. 8. *Venerat Dominus* Jesus *omnes ſalvos facere peccatores: etiam circa impios oſtendere debuit ſuam voluntatem; & ideo nec proditurum debuit præterire*. Et infra: *quod in Deo fuit, oſtendit omnibus, quod omnes voluit liberare.*

Idem lib.2. de Abel, & Cain cap. 3. *Ipſe ergo, qui pro ſalute univerſorum expectatus advênit .... in quo omnium hominum ſuſcepta eſt redemptio.*

10 Auguſtinus tractatu 12. in Joannem cap. 3. ad iſtud: *Non enim miſit Deus filium ſuum, ut judicet mundum; ſed ut ſalvetur mundus per ipſum*, ſic animadvertit: *Ergo quantum in Medico eſt, ſanare venit ægrotum. Ipſe ſe interimit, qui præcepta Medici obſervare non vult. Venit Salvator in mundum; quare Salvator dictus eſt mundi, niſi ut ſalvet mundum, non ut judicet mundum? Salvari non vis ab ipſo? ex te judicaberis*. Potuitne clariùs rejici Propoſitio damnata? Quot enim in mundo ſunt, qui ſanati noluerunt à Divino Medico, qui ſanandis omnibus venit: atque ita ſe interimunt, nolentes Medici obſervare præcepta! Quotquot ſalvari à mundi Salvatore noluerint, reclamabunt in judicio adversùs hanc impietatem, quæ dicit, Deum neminem voluiſſe ſalvare per Chriſtum, niſi qui ſalvetur infallibiliter.

Idem in Joan. tract. 4. ſub initium: *Populi autem ſpernentes propter ſuperbiam ſuam, humilitatem Dei, crucifixerunt Salvatorem ſuum, & fecerunt damnatorem ſuum*. Quomodo reprobi ex crucifixo Salvatore ſuo fecere damnatorem; ſi illorum ſalutem Chriſtus nullatenus voluerit?

Idem de Symbolo ad catechumenos l.2. cap.8. alloquens reprobos: *Videtis vulnera, quæ infixiſtis? Agnoſcitis latus, quod pupugiſtis? Quoniam & per vos, & propter vos apertum eſt, neque tamen intrare voluiſtis* ad ſalutem capeſſendam tam amanter invitati. Ubi procul dubio Auguſtinus Chriſti vulnera veluti ſalutis portum reprobis apertum oſtentat, in quem malitia ſua ingredi noluerint. Salutem igitur iis Chriſtus optavit, & obtulit, quorum perverſitas recuſavit.

11 Etſi ſermones alioqui de tempore, qui Auguſtino inſcribuntur, incerti Authoris ſint, tamen ſexageſimus ſeptimus feriæ 2. poſt Dominicam primam Quadrageſimæ à Patre Maſſouliè, cujus authoritas vel apud Adverſarios in pretio eſt, differt. 4. quæſt. 3. art.8. Sancto Auguſtino ſinè dubitatione tribuitur. In illo autem ſic inducitur Chriſtus „ Severitate judicis contemptæ miſericordiæ reos accuſans: *ut tu eripereris morti*, „ *animam in tormentis demiſi: en clavorum* „ *ve-*

Digitized by Google

„ *veſtigia, quibus affixus pependi: en perfoſ-*
„ *ſum vulneribus latus: ſuſcepi dolores tuos, ut*
„ *tibi gloriam darem: ſuſcepi mortem tuam, ut*
„ *tu in æternum viveres: conditus jacui in ſe-*
„ *pulchro, ut tu regnares in cœlo. Cur quod pro*
„ *te pertuli, perdidiſti? Cur ingrate redemptio-*
„ *nis tuæ munera renuiſti?* „ Non potuit fortiùs, nec clariùs exprimi mors Chriſti, pro ſalute etiam non ſalvandorum.

Idem ſermo ab Eruditiſſimo Iprenſium Antiſtite Guilielmo Herinx Summæ Theologiæ par. 4. q. 4. §. 6. Auguſtino tribuitur, & verbis à Patre Maſſouliè citatis, addit ſequentia ejuſdem Sancti: *Cùm eſſem impaſſibilis, pro te pati dignatus ſum; ſed tu deſpexiſti in homine Deum, in infirmo ſalutem.* Hugo Victorinus quæſt. 15. in epiſt. 2. ad Corinth. *Secundùm Auguſtinum mortuus eſt pro omnibus Chriſtus, quia hoc eius mors promeruit, ut per ipſum omnes ſalvarentur, niſi in ipſis remaneret; ſufficiens enim erat ad omnium ſalutem.*

12 S. Paulinus epiſt. 2. *Omnem, quantùm in ipſo eſt, hominem ſalvum fieri vult, qui fecit omnes; nam & idcirco deſcendit ad nos, ut ad illum aſcenderemus.* Idem epiſt. 29. *In omni loco plura quotidie mirabilia ſolito ſigna crebreſcunt, ut omnem, quantum in ipſo eſt, hominem ſalvum faciat. Oſtendit in raris, quod omnibus, ſi velint, proſit.*

13 S. Leo Papa ſerm. 4. de Paſſione Domini: *Quam Dominus* Jesus *ita ad omnium hominum ſuſcepit ſalutem, ut inter clavos, quibus ligno tenebatur affixus, pro interfectoribus ſuis paternæ clementiæ ſupplicaret.* Idem repetit ſerm. 2.

14 S. Proſper in præfatione Reſponſionis ad objectiones Vincentianas, eas vocat *ineptiſſimarum blaſphemiarum prodigioſa mendacia, & impias, ac profanas opiniones*; quarum prima eſt, *quod Dominus noſter* Jesus *Chriſtus non pro omnium hominum ſalute, & redemptione ſit paſſus.*

15 Agmen Patrum claudat Sanctus Anſelmus in illa verba 1. Tim. 2. *qui dedit redemptionem ſemetipſum pro omnibus*; Propoſitionem damnatam clariſſimâ debellat ſententiâ. *Nullum*, inquit, *excipiens, qui vellet redimi ad ſalvandum. In hoc enim patet, quantùm Deus homines diligat, & eos velit omnes ſalvos fieri, ſi perverſitas eorum non obſtiterit; quia mediator Deus, quem Deus inter ſe, & homines poſuit, mortem pro omnibus ſuſtinuit, ut omnes à morte æterna redimeret; & ideo, qui non ſalvantur, non eſt quod de Deo, vel de mediatore poſſint conqueri; ſed de ſeipſis, qui nec redemptionem, quam mediator dedit, nec ſalutem, quam Deus obtulit, voluerunt recipere.*

Idem oratione 28. juxta editionem Geberonianam, ita Chriſtum alloquitur: *æquali dilectione nos omnes creaſti: æquali dilectione pro omnibus paſſionem ſuſcepiſti; æqualiter omnibus vitam æternam præparaſti.*

Eat nunc Queſnellus, & in traditione Patrum cæcutire volentibus perſuadeat, ex mente Antiquorum à ſe aſſeri: *Omnes, quos Deus vult ſalvare per Chriſtum, ſalvari infallibiliter.*

CAPUT VIII.

Eadem Propoſitio damnata refellitur authoritate communi Scholarum Sanctorum Auguſtini, & Thomæ.

1 E Schola Auguſtiniana teſtis omni exceptione major, & ipſorum ſubinde Janſeniſtarum encomiis celebratus eſt Eminentiſſimus Cardinalis de Aguirre, qui in Theologia S. Anſelmi de hoc Sancto Patre in epiſtola dedicatoria ait, quòd *S. Auguſtinum in methodum, compendiumque redegerit.* Dein integra diſputatione 126. mortem Chriſti pro ſalute omnium hominum fortiſſimè defendens, ſectione 1. refert ſententiam Calviniſtarum, Janſenii, & quorundam ejus Lovanii ſequacium. Sectioni verò ſecundæ hunc præmittit titulum: *Statuitur ſententia communis omnium aliorum, qui, ſicut Chriſtum pro omnibus omnino hominibus mortuum tradunt; ita etiam omnibus abſque exceptione aliquâ, parata, & oblata ad ſalutem media neceſſaria docent. Probationes præcipuæ ex Sacra Scriptura, & ex variis locis Sancti Auguſtini.*

2 Tum ſectionem ſic orditur: „ Communis tamen, & certa Theologorum penè
„ omnium ſententia eſt, Deum omnibus om-
„ nino hominibus præparaſſe, atque offerre,
„ quantùm in ipſo eſt, media neceſſaria ad
„ ſalutem. Ita ex variis Scripturæ locis te-
„ ſtimoniiſque Sanctorum Patrum, & ipſius
„ Auguſtini nominatim colligunt, & de-
„ monſtrant omnes ii Theologi, qui à qua-
„ draginta annis ſcripſerunt contra quintam
„ illam Propoſitionem Janſenii: *Semipela-*
„ *gianum eſt dicere, Chriſtum pro omnibus om-*
„ *nino hominibus mortuum eſſe, aut Sanguinem*
„ *fudiſſe.* Illam enim Sedes Apoſtolica, ut
„ ſupra vidimus, proſcripſit &c. Si autem
„ Chriſtus pro omnibus omnino hominibus
„ mortuus eſt, & Sanguinem fudit, colligi-
„ tur palàm, omnibus quoque iis parata fuiſ-
„ ſe, & oblata media ad ſalutem neceſſaria.
„ Alioqui enim mors Chriſti fruſtrà omnino
„ tolerata fuiſſet, & Sanguis ejus incaſſum-
„ fu-

„ fuſis pro his, quibus nec paratum, nec
„ oblatum fuiſſet ullum ad ſalutem reme-
„ dium. Deinde Chriſtus omnibus iis ſalu-
„ tis media obtulit, & paravit, pro quibus
„ ſalvandis mortem pertulit, & Sanguinem
„ fudit, ut ex damnatione ejus Propoſitio-
„ nis conſtat. Ergo Chriſtus omnibus om-
„ nino iis ſalutis media obtulit, paravitque.
„ Et ſanè non aliter definire potuit Eccleſia
„ plurimis Scripturæ teſtimoniis edocta:
„ quorum aliqua ſolùm indicare ſufficiat, ad-
„ juncta interpretatione Sanctorum Patrum.
„ In primis occurrit Apoſtolus, Tim. 2. di-
„ cens de Deo: *Qui vult omnes homines ſal-*
„ *vos fieri, & ad agnitionem veritatis veni-*
„ *re. Unus enim Deus, unus, & mediator*
„ *Dei, & hominum homo Chriſtus* JESUS, *qui*
„ *dedit redemptionem ſemetipſum pro omnibus.*
„ Quod teſtimonium planè decretorium, &
„ æquè univerſale eſt circa voluntatem ſal-
„ vandi omnes, ac circa redemptionem obla-
„ tam pro omnibus„

3 In Thomiſtarum Schola occurrit primus Angelicus ejus Princeps, & Eccleſiæ Doctor in 1. Tim. cap. 2. verſ. 4. lectione prima. *Homo Chriſtus eſt mediator Dei, & hominum: non quorumdam; ſed inter omnes homines: & hoc non fuiſſet, niſi vellet omnes ſalvare.* Ibid: in fine lectionis primæ. *Ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris, pro aliquibus efficaciter; ſed pro omnibus ſufficienter; quia pretium Sanguinis ejus eſt ſufficiens ad ſalutem omnium; ſed non habet efficaciam niſi in electis propter impedimentum*, peccantium pervicaciâ poſitum, quo propitia Salvatoris in ipſos voluntas eliditur, nè effectum, quantumvis optatum, valeat obtinere.

4 Audiendus hic *S. Thomas ſui interpres*, quo titulo librum ſuum, *de divina motione in ordine ſupernaturali* inſignivit Pater Antoninus Maſſouliè Socius Reverendiſſimi Patris Generalis Ordinis Prædicatorum. Neque hunc Angelici Doctoris, & ſuæ Scholæ interpretem recuſare Queſnellus poterit, cujus toties implorat patrocinium, nec umquam meminit ſinè encomio. Sic autem recentior hìc Thomiſta Tom. 2. Romæ edito anno 1693. habet diſſert. 4. quæſt. 3. art. 8. in titulo: *Quinta Janſenii Propoſitio.* SEMIPELAGIANUM EST DICERE, CHRISTUM PRO OMNIBUS OMNINO HOMINIBUS MORTUUM ESSE, AUT SANGUINEM FUDISSE. *Ab ea remotiſſima eſt Scholæ D. Thomæ Doctrina.* Tum in ipſo Articulo: *Nulla*, inquit, *in Janſenio Propoſitio eſt, quæ magis à communi pietatis ſenſu abhorreat, & majorem in ipſum invidiam concitaverit, quam hæc quinta Propoſitio, qua negat Chriſtum pro omnibus hominibus mortuum eſſe*; ut manifeſtè negat etiam hæc trigeſima Queſnelli damnata: *Omnes, quos Deus vult ſalvare per Chriſtum, ſalvantur infallibiliter.*

5 Pergamus in Sancti Thomæ interprete, eodem articulo: *Non negat Janſenius, quin ex meritis, & morte Chriſti auxilia Divina recipiant, quotquot ad fidem perveniunt, vel charitate Divinâ exornati in ea non perſeverant; ſed negat, ea auxilia ad eorum ſalutem ordinari.* Tum refert hæc Janſenii verba: *Si quid pro illis rogavit Patrem, pro temporalibus quibuſdam juſtitiæ effectibus rogavit, & pro iiſdem obtinendis obtulit pretium, fuditque ſanguinem ſuum.* Addit interpres, *non autem pro æterna eorum ſalute. Hæc ſatìs de mente Janſenii, ejuſque principiis. Verùm quàm à vero pietatis ſenſu hæc abhorreant, quàm à genuina Sancti Auguſtini ſententia, & mente aliena ſint, facillimè demonſtrari poteſt. Nec dubito quin etiam Sanctus Auguſtinus dixiſſet,* NON DISPUTATIONIBUS REFELLENDOS, SED SANCTORUM ORATIONIBUS REVOCANDOS ESSE, QUI ITA SENTIUNT: *Capite 2. de dono perſeverantiæ.* Poſt multa: *Etenim quem ſenſum haberet hæc Divi Pauli objurgatio* PERIBIT INFIRMUS IN TUA SCIENTIA FRATER, PROPTER QUEM CHRISTUS MORTUUS EST (ſi ſubintelligeretur) *non tamen animo redimendi, aut æternam ſalutem conferendi? Parum dubio procul hæc objurgatio ſublime Divi Pauli ingenium deceret, abſurdum enim planè ſenſum efficeret.*

Quod verò ad Divum Auguſtinum attinet, certum eſt, nunquam de ea ſinceriſſima Dei, & Chriſti Domini voluntate, de ſalute omnium dubitaſſe. Quod pluribus Auguſtini textibus confirmat.

6 Alius quoque recens, & non ignobilis Scriptor ex S. Dominici familia eſt Vincentius Ferre tom. 2. tract. 9. de volunt. Dei q. 6. §. 5. num. 644. *Fatendum eſt*, inquit, *Chriſtum verè effectu ipſo mortuum fuiſſe pro omnibus, non quod effectus paſſionis omnibus applicatus ſit, ſed omnibus à Deo præparatus, omnibus in ſtatu naturæ lapſæ adultis ratione utentibus oblatus immediatè, parvulis mediatè in aliis.* Idem §. 6. num. 647. *Omnes homines tenentur ad ſalutis conſecutionem, ergo poſſunt illam conſequi. Hoc poſſe dant media ſufficientia*, ad conſecutionem beatitudinis.

7 Gonetus etiam celebris Thomiſta tomo 1. tract. 4. diſp. 4. art. 2. *Janſenii ſententia*, inquit, *non tantùm Fidem mutilat, & Spem infringit; verùm etiam refrigerat Charitatem.* Et infra: *Præcipuum Divinæ gratiæ incentivum nobis Janſenius eripit, cùm pro electorum tantùm ſalute Chriſtum mortuum eſſe affirmat.*

Oppo-

Digitized by Google

Oppoſitum probat Gonetus illo 1. Tim. 2. *Deus vult omnes homines ſalvos fieri*, non ſimplici velleitate, & nudâ complacenriâ nihil mediorum præparante; ſed,ut explicat art.5. *Voluntate antecedente præparante media, ſeu auxilia, quibus homines ſufficienter ordinentur, & promoveantur in vitam æternam.*

Ibidem. *Contra Janſenium oſtendimus diſput.5. à num.159. Chriſtum pro omnibus mortuum eſſe. Paſſio Chriſti pro omnibus oblata, cauſa eſt ſufficiens ſalutis omnium, & velutl generalis quædam apotheca continens omnia media, ſeu remedia ad ſalutem neceſſaria: & fons ille, de quo dicitur Zachar. 13. In illa die erit fons patens domui David. Pari benevolentia Deus omnibus hominibus, etiam peccato ſauciis, auxilium offert Chriſti meritis paratum.*

Ibidem. *Si ly* DARE *ſumatur, prout ſignificat idem, quod præparare, ſeu offerre in communi, Deus omnibus reprobis tam parvulis, quàm adultis dat media, ſeu auxilia ad ſalutem ſufficientia. Probatur breviter: Deus habet voluntatem antecedentem de ſalute omnium hominum, quæ non ſolùm eſt voluntas ſigni; ſed etiam beneplaciti, ... atqui proprius hujus voluntatis effectus eſt præparare media, ſeu auxilia ad ſalutem ſufficientia.*

8 Goneto præluxit Didacus Alvarez de Auxiliis diſp.112. num.5.6.7. dicens, *Deum omnibus offerre, quantum eſt ex ſe, auxilia intrinſeca ſufficientia ad ſalutem: Chriſtum pro omnibus mortuum eſſe, & dein omnibus adultis conferre auxilium ſupernaturale intrinſecum ad implenda præcepta naturalia, quæ, ſuppoſito peccato, per vires naturæ impleri non poſſunt: & illud auxilium recipi ab omnibus pro loco, & tempore, quo præceptum obligat, & præſertim dari omni homini ad uſum rationis venienti: &, ſi eo benè utatur, infallibiliter dandum auxilium ſufficiens ad immediatè credenda myſteria Fidei.*

Supra dedimus eundum religioſum Archiepiſcopum Tranenſem conrra Gotheſcalcum, cujus hanc opinionem referens *Chriſtum non veniſſe, ut omnes ſalvaret, nec paſſum eſſe pro omnibus, ſed ſolummodo pro his, qui paſſionis ejus ſalvantur myſterio* ait, *quod eſſe hæreticum conſtat, ex locis Scripturæ quamplurimis.*

De alio Gotheſcalci errore, Deum non velle omnes ac ſingulos homines ſalvos fieri, ſic farur: *Quæ aſſertio*, inquit, *toleranda non eſt. Videtur enim ſignificare Deum voluntate antecedente, quantum eſt ex parte ſua, non velle omnes homines ſalvos fieri, quod à veritate catholica, & à ſenſu Apoſtoli eſt alienum.* Paulò anre monuerat, Gotheſcalcum, *Lutheranæ, atque Calvinianæ hæreſi viam aperuiſſe.* Videri poteſt de Origine Pelagianæ hæreſis cap. 30.

9 Non videt, aut videre non vult Queſnellus, eamdem ſe poſt Lutherum, & Calvinum viam ingredi. Hæccine ut Novarores rigidos interpellem, eſt via arcta, quæ ducit ad cœlum, an lara, quæ ad inferos? *Hæreticam eſſe conſtat* laudaro à vobis Alvarezio, quæ Queſnello in Propoſirione 30. veritas eſt ex præcipuis, quas *Chriſtianæ Ethicæ Synopſis* complectirur.

10 Didacus Nugnez Cabezudo tom. 2. in 3. part. qu. 1. ad art. 2. *Probatur, Chriſtum ſatisfeciſſe pro omnibus quantùm ad ſufficientiam; hoc enim eſt dediſſe omnibus auxilium ſufficiens; ut agant pænitentiam.* Quæſt. 82. ad art.1. concluſ.2. *Impoſſibile eſt, quòd peccatores ſalventur, niſi agant pænitentiam, ſed omnibus dat Deus auxilium ſufficiens ad ſalutem, ergo etiam ad pænitentiam.* Minor paret Joan. 3. *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium ſuum unigenitum daret, ut omnis, qui credit in ipſum non pereat, ſed habeat vitam æternam.* Et 1. Joan. 3. *Ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris; non pro noſtris autem tantùm, ſed etiam pro totius Mundi.* Er 1. Tim. 4. *Salvator omnium hominum, maximè fidelium.*

11 Franciſcus Zumel in diſput. variis in primam parrem, & 1. 2. pag.351. *Si Deus voluit dare Chriſtum, ut Redemptorem omnium hominum in particulari, & ſecundùm ſe, neceſſe eſt voluiſſe illis ſalutem, & media ſufficientia ad conſequendam eam. Sed Deus voluit dare Chriſtum, ut Redemptorem omnium hominum in particulari, & ſecundùm ſe; ergo etiam voluit dare omnibus in particulari, & ſecundùm ſe gloriam, & media ſufficientia ad ejus conſecutionem. Quæ concluſio certitudinem habet concluſionis Theologicæ, quia conſequentia eſt evidens, & minor eſt de fide apud omnes*, præter Queſnellum, & ejus in nova Eccleſia ſocios.

Idem in 1.2. qu. 109. art. 8. *Certum eſt Deum habuiſſe univerſalem voluntatem circa omnes homines, dandi eis remedia ſufficientia contra peccatum, & ſufficientia auxilta ad conſequendam ſalutem, & vitam æternam, ad quam omnes retulit. Hæc Propoſitio adeò certa eſt, ut non poſſit negari ſinè præjudicio Fidei, & ſinè magna injuria redemptionis Chriſti. Imò verò eſt ſententia communis Sanctorum ſuper illud Pauli, Vult omnes homines ſalvos fieri.* Igirur Deus vult omnes homines ſalvare per Chriſtum Redemptorem, etiamſi non omnes ſalventur.

12 Dominicus Soto in 4. Diſt. 15. quæſtion. 1. art. 1. contra Armachanum aſſerentem aliquos peccatores, non poſſe pœnirere, „ Eſt hæc opinio (inquit) non ſolùm falſa, „ ve-

„ verùm etiam erronea, ut hic D. Thomas „ ait, quippe quæ Dei in primis bonitati ad- „ verſatur, cujus nullum magis nativum eſt „ in operibus extra ſe factis, quàm omnes „ homines, ut ait Paulus, ſalvos facere. „ Hoc enim uno propoſito illos creavit, at- „ que hac ſiti illos redempturus de cœlo „ deſcendit, ut, nemine excepto, ſuam eis „ beatitudinem impertiret. Quo circa error „ iſte blaſphemus eſt, & injurius in Chri- „ ſtum, & ejus paſſionem. „ Sed apud no- vos Theologos blaſphemia iſta in nova Ec- cleſia pars ſymboli præcipua eſt.

13 Joannes Gonzales de Albelda in 1. part. diſp. 73. ſect. 3. ait „ In Deo eſſe „ ſinceram voluntatem generalem, qua vult „ omnes homines ſalvos fieri . . . . qua „ omnibus vult auxilia ſufficientia, ut æter- „ nam poſſint, ſi velint, ſalutem conſequi. „ (Diſput. 77. ſect. 3.) Si auxilia ſufficientia „ ad ſalutem conſiderentur in generali, om- „ nibus conferuntur à Deo ejuſmodi auxi- „ lia, quia pro omnibus mortuus eſt Chri- „ ſtus, ... quamdiu quis manet in hac vi- „ ta, excluſus non eſt à remedio ſalutis, ſive „ adultus ſit, ſive parvulus, cui per alios „ ſubveniri poteſt.

14 Facilè concedet Queſnellus, quòd ſi Deus omnibus concederet gratiam ſufficien- tem ad converſionem, concederet hoc ipſo ad ſalutem, atque adeò omnes ſufficienter vel- let ſalvare per Chriſtum, cujus meritis præ- ſidia iſta ad ſalutem ſufficientia impertit. At- qui Salmanticenſes Thomiſtæ Tract. 14. q. 3. diſp. 6. de gratia efficaci fol. 515. edit. an- ni 1679. tradunt „ Omnem hominem adul- „ tum habere auxilium ſufficiens ad ſuam „ converſionem, vel immediatè in ſe ipſo, „ vel mediatè in alio auxilio, quo, ſi utere- „ tur, aliud perfectius, & proximè ſufficiens „ conſequeretur. (Et ſup.) Nullum homi- „ nem obligari elicere in aliquo inſtanti „ actum ſupernaturalem, qui non habeat „ auxilium ſufficiens ad ejus impletionem, „ vel immediatè in ſe ipſo, vel mediatè in „ alio auxilio, quo poſſit perfectius auxi- „ lium conſequi. „

Neceſſaria nempe, & mutua connexio eſt inter voluntatem Dei ſalvandi homines per Chriſtum, & præparationem, atque ob- lationem mediorum ſufficientium. Ideo Pe- trus Molinæus Calviniſta in Epiſtola citatâ à Maldero 1. 2. fol. 485. & à Salmanticenſibus ſup. *Peſſimum*, inquit, *quod reperio in opinio- nibus iſtis nuperis, eſt gratia iſta ſufficiens, quam dicitur Deus dare omnibus hominibus.* Allegatis hactenus Thomiſtis conſentiunt e- juſdem ſcholæ cæteri.

Conſtitut. Theol. propugn. Tom. I.

CAPUT IX.

Damnatæ Propoſitioni contraria etiam eſt Scotiſtarum Schola, cum cæ- teris Catholicis.

1 IN Scotiſtis nihil ſpei habet Queſnel- lus, quos paſſim ſuis novitatibus, at- que huic imprimis infenſiſſimos non ignorat. Grave Janſenianis vulnus inflixit R. Pater du Boſc ex ordine S. Franciſci in li- bro *de Morte Chriſti pro omnibus* edito anno 1651. Qui cùm Regi Chriſtianiſſimo eſſet non ſolùm à Sacris concionibus; ſed etiam à con- ſiliis, vir non minùs prudens, quàm diſer- tus, & ſummæ apud Principes æſtimationis, Janſeniſmum dejecit, ac protrivit, uti Ho- rantius, & alii ejuſdem Ordinis Bajum pro- ſligavêre primi.

2 Recentius Alexandri VIII. Decretum contra 31. Propoſitiones ſolicitationibus Scotiſtarum debemus acceptum. Illic quar- ta Propoſitio aſſerebat Chriſtum *ſe dediſſe oblationem pro ſolis fidelibus*. Qui dein vindi- cias Decreti illius edidit titulo reflexionum in 31. Propoſitiones ſub nomine *Hilarii à S. Sepulchro*, apprimè mihi notus eſt Minorita zelo ſecundùm ſcientiam præditus. Ideo & præcipuo poſt Jeſuitas odio Janſenianis eſt Franciſcanorum Religio, & tot ab eis glo- rioſè proſcinditur libellis famoſis, atque ca- lumniis.

3 Unum ex illo Ordine præterire non poſſum Guilielmum Herinx Epiſcopum Ipreſenſem Janſenii in cathedra ſucceſſorem, ſed Janſeniſmi oppugnatorem acerrimum. Is Summæ Theologicæ par. 4. diſp. 2. q. 4. §. 6. „ Paulò fuſiùs (inquit) tractanda eſt difficul- „ tas hiſce temporibus ſpecialiter agitata de „ generalitate meritorum mortis, & paſſio- „ nis Chriſti, an ſcilicet ſint à Chriſto obla- „ ta, & à Patre acceptata pro redemptione, „ & ſalute omnium hominum; an verò ſolo- „ rum electorum. Poſterius enim effutire „ non ſunt veriti Calvinus, Beza, & alii „ recentiores hæretici. Ad quorum dogma „ incautè acceſſit Janſenius lib. 3. de gratia „ Chriſti Salvatoris cap. 21. . . . . nec tamen „ hi dubitant, quin mors Chriſti in ſe fuerit „ ſufficientiſſima pro redemptione omnium „ omnino hominum; imò dœmonum. Sed „ negant illam fuiſſe pro omnibus ex parte „ Chriſti oblatam; at pro ſalute dumtaxat „ electorum; Quod tamen requireretur ad „ hoc, ut Chriſtus dici poſſet mortuus pro „ ſalute reproborum; nè alioquin etiam pro

„ diabolo mortuus dici queat ; quod ipſe „ Janſenius ſupra rectè obſervavit, dicens, „ quòd ipſa phraſis, qua quis dicitur ſe pro „ aliquo redemptionem dare, præ ſe ferre vi- „ deatur redemptionem ex redimentis ani- „ mo in uſum, ac liberationem captivorum „ offerri, ac dirigi. Quod rectè declarat „ Smiſing tract. 3. de Deo uno diſp. 6. n. 175. „ & planè ex communi loquendi modo ſatis „ conſtat. Itaque indubitata omnium Cath- „ olicorum doctrina habet, Chriſtum pro „ omnium, & ſingulorum ſalute ſanguinem „ fudiſſe, & mortuum eſſe. „ Ita doctiſſimus Epiſcopus. Profectò, ſi ea ſit, *indubitata omnium Catholicorum doctrina*, qualis Queſnelli erit directè oppoſita de Chriſto pro ſolorum electorum ſalute mortuo? Sive, ut in præſenti Articulo loquitur, *Omnes, quos Deus vult ſalvare per Chriſtum, ſalvantur infallibiliter*.

4 E' Societatis ſchola nullum profero, cum Petavii, Martinoni, Richardi, ſive de Champs, & plures, præſertim recentiores ſatis noti ſint, ac præcipua Janſeniſtarum ſoleat eſſe de Societatis Patribus querela. Quapropter, miſſis Jeſuitis, ſolos aliarum claſſium pro communi doctrina teſtes exhibeo, finem præſenti capiti impoſiturus, ubi ex variis nationibus paucos addidero.

5 Alexander Peſantius Italus, in 1. par. q. 23. art. 5. *Cavenda eſt*, inquit, *blaſphemia Calviniſtarum dicentium Chriſtum non fuiſſe mortuum pro ſalute omnium*. Atqui hæc eadem eſt blaſphemia Queſnelli; ſi enim *Omnes, quos Deus vult ſalvare per Chriſtum, ſalvantur infallibiliter*, cùm certiſſimum ſit non ſalvari omnes, evidens foret concluſio, Deum non voluiſſe ſalvare per Chriſtum omnes homines, & ſic *Chriſtum non fuiſſe mortuum pro ſalute omnium* hominum, ut cenſuit Calvinus, quem in hac ſequitur cum Janſenio Queſnellus.

6 Gabriel Pennottus libro 5. caput 10. „ Catholica poſitio eſt in hac controverſia, „ omnes, & ſingulos homines, etiam poſt „ prævisum Adæ peccatum, per ſupernatu- „ ralem Dei providentiam eſſe ordinatos in „ finem ſupernaturalem æternæ ſalutis. Ita- „ que voluntate antecedenti, etiam præſup- „ poſitâ præſcientiâ originalis peccati, Deus, „ quantum in ipſo eſt, vult, & exoptat æter- „ nam hominum omnium, & ſingulorum ſa- „ lutem; & ob id præparavit omnibus me- „ dia ſufficientia, & proportionata (ut ſunt „ Incarnatio Verbi, Sacramenta, adultis „ auxilia actualia) ad eamdem ſalutem con- „ ſequendam. „

7 Matthæus Kelliſonus Collegii Anglorum apud Duacenos præpoſitus, in 3. part. quæſt. 1. art. 2. dub. 1. inter Calvinianos errores hunc refert, & oppugnat, *Chriſtum non eſſe ordinatum pro omnium ſalute*.

8 Libri à Paulo Windeckio Germano conſcripti ſufficiet referre titulum, qui ſic ſonat: „ Controverſiæ de mortis Chriſti ef- „ ficacia inter Catholicos, & Calviniſtas „ hoc tempore diſputatæ, in quibus Calvi- „ niſtarum errore deſtructo, confirmatur ve- „ ritas catholica, contra quam, Chriſtum „ non pro omnium hominum ſalute mor- „ tuum eſſe, horribiliter blaſphemant pro- „ feſſores Calviniſmi Genevenſes, Baſileen- „ ſes, Heidelbergenſes, Tigurini, Bernen- „ ſes &c. „ Cum his horribiliter blaſphemantibus conſpirat Queſnellus. Dein in Epiſtola nuncupatoria ad Archiepiſcopum Saliſburgenſem ita Doctor ille Germanus: „ Hæc „ doctrina, quæ ingenti animarum ſtrage „ in Calviniſtarum Provinciis obtinuit, „ Chriſtum nempe non pro omnium homi- „ num ſalute mortuum eſſe, ipſum ingenti „ contumelia afficit: erga majorem humani „ generis partem crucem ejus opprimit, & „ oblivioni tradit &c. Compluribus aliis „ atrociſſimis blaſphemiis fulcitur hic peſti- „ lentiſſimus error. „ Similia habet toto libro. Hæc ille ante Queſnelli, & Janſenii tempora, non prævidens exorituros in ipſo Eccleſiæ ſinu (ſi tamen in Eccleſia Queſnellus ſit) qui damnatiſſimas illas blaſphemias ab inferis revocarent.

9 Quos ex Thomiſtis dedi, plerique, & clariſſimi Hiſpani ſunt. Quo zelo contra præſentem, & cæteras Queſnelli blaſphemias feratur natio illa antonomaſticè Catholica, & Conſtitutionum omnium Apoſtolicarum obſervantiſſima, inſigne ſpecimen, ac teſtimonium dederunt nuperrimè Salmanticenſis academiæ ad Pontificem, Cardinales, atque Sorbonam epiſtolæ.

10 In Galliis inopem me copia fecit, Notiſſima enim ſunt Cleri Gallicani ſæpius in comitiis iterata ſtudia, contra quinque Janſenii hæreſes, quarum poſterior ipſiſſima eſt Queſnelli, quam hic oppugnamus. Extant typis editæ literæ Epiſcoporum octoginta quinque ad Innocentium X. Dein aliæ Cardinalis Mazarini, ſex Archiepiſcoporum, & aliorum antiſtitum ultra triginta ad eumdem Pontificem: Aliæ rurſus ad Alexandrum VII. ſignatæ nominibus pluſquam ſeptuaginta Præſulum, comprehenſis Abbatibus &c. ad eumdem Chriſti Vicarium contra Janſeniſtarum cavillationes, Patriarchæ ſui ſenſum damnationi ſubducere fruſtrà conantium, Conſtitutâ contra hæreſim illam jurandi formulâ, quidquid Eccleſiaſticorum eſt in Gal- lia,

lia, virorum æquè, ac mulierum, præſentem Queſnelli hæreſim in Janſenio ejuravit. Paucos excipe, qui cenſuris ab Eccleſia, à Rege Chriſtianiſſimo exiliis, carceribus, aliiſque hæreticorum ſuppliciis mulctati ſunt. Nunc quoque poſt Conſtitutionem Unigenitus ultra centum tenemus Epiſcoporum edita typis mandata Paſtoralia, quibus præſens Queſnelli Propoſitio cum centum aliis rejicitur, aboletur, damnatur, iiſdem prorſus cenſuris, quas eis Clemens XI. Pontifex maximus inflixit. Idem Ludovico XIV. vivente, & imperante, præſtitit Sorbona. Quæ, licèt dein cum paucis Epiſcopis explicationis aliquid circa quaſdam illic proſcriptas opiniones à Chriſti Vicario deſiderans, interim Bullæ promulgationem ſuſpenderit, nullus tamen Epiſcopus, nullus Doctor, præter Scriptores quoſdam Anonymos, non profitetur, ſe Queſnelliani libri dogmata, quæ cum proſcriptis Janſenii erroribus conſpirant, ut evidentiſſimè conſpirat hoc trigeſimum, reſpuere penitùs, & condemnare.

CAPUT X.

Proſternitur idem error ratione Theologicâ deductâ ex ſuperioribus.

1 Illuſtriſſimus Herinx Iprenſis Epiſcopus poſtquam Hæreſim Janſenii quintam de morte Chriſti pro ſalute dumtaxat prædeſtinatorum, oppugnaverat Scripturarum oraculis, & traditione Patrum „ Prædictis, inquit, accedit multiplex ratio „ Theologica: nam in primis non ſolùm electi; ſed & reprobi debent credere, & recitare Symbolum Fidei, quod uti in Nycæna Synodo editum eſt, ita ſonat: *Credimus in unum Dominum* Jesum *Chriſtum .... qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit, & Incarnatus eſt, & homo factus, paſſus eſt &c.* Quod ſanè quilibet „ per fidem applicat ſibi in particulari, & „ non ſolùm in generali, hoc vel ſimili modo, qui propter nos electos deſcendit.

„ Deinde in pretioſo Sanguine, qui effuſus eſt propter nos ſingulos, fundatur, „ ſive roboratur totius fiduciæ noſtræ, & „ ſpei Theologicæ certitudo, dum meritò „ confidimus, quod non perdet nos, nec „ deſpiciet Deus, propter quos filium ſuum „ miſit crucifigi, ut ponderat Auguſtinus „ variis locis. Hinc inſuper elucet, quem „ tanti facit Auguſtinus cum aliis Patribus, valor cujuſlibet animæ Chriſtianæ, „ veluti tam pretioſo Sanguine redemptæ, „ ut proinde idem Auguſtinus in Pſalmum „ 102. quemlibet compellans dicat: *O anima! Erige te: tanti vales &c.*

„ Probatur ulteriùs, quia Chriſtus pro „ omnibus iis ſanguinem fudit, quorum ſalutem ſitiebat, in Cruce clamans, Sitio. Sitiebat autem ſalutem omnium, etiam reproborum, & univerſos invitabat dicens, Sitio, ut ait Beatus Laurentius Juſtinianus „ de triumphali Chriſti agone. Cap. 19. qui „ etiam Serm. de Paſſione Domini ait: Sitit „ utique pereuntium ſalutem animarum: „ nec eſt aliquid aliud vulgatum adeò omnibus concionatoribus Catholicis.

„ Denique probatur: quia Chriſtus pro „ omnibus (id eſt pro omnium ſalute) eſt „ mortuus, pro quibus in cruce orabat dicens: Pater ignoſce illis &c. Oravit autem „ ibi pro ſuis inimicis, & crucifixoribus, „ etiam reprobis. „ Unde S.Leo Papa Sermone 1. de Paſſione: *Tanta eſt bonitas noſtri Redemptoris, ut etiam vos* (Principes Sacerdotum) *poſſitis conſequi veniam, ſi Chriſtum Dei filium confitendo, illam parricidalem malitiam relinquatis; non enim Dominus in cruce frustrà oravit dicens: Pater dimitte illis &c. Quod remedium nec te Juda tranſiret; ſi ad eam pœnitentiam confugiſſes, quæ te revocaret ad Chriſtum, eique æternum conjunxiſſet, non quæ inſtigaret ad laqueum.*

2 Quæ ſolidiſſima ſunt, & proſcripti dogmatis horrorem incutiunt; addere tamen juvabit quædam majoris gratiâ explicationis. Si omnes, quos Deus vult ſalvare per Chriſtum, ſalventur infallibiliter; igitur nullos vult ſalvare per Chriſtum, niſi qui ſalvantur, & ſunt ſoli prædeſtinati, atque ita omnibus aliis ſalus eſt impoſſibilis. Quomodo enim, & quibus auxiliis ſalvari poſſet, quem neque Deus per Chriſtum ſalvare voluit, neque Chriſtus ad ſalvandum redimere? Tali ſcilicet Deus non voluerit Chriſtum mereri ſubſidia ad ſalutem ſufficientia, neque ea Chriſtus meritus fuerit, præſertim junctâ aliâ Queſnelli ſententiâ, juxta quam nullum in hoc ſtatu datur auxilium ſufficiens; ſed omnis Jesu *Chriſti gratia principium efficax boni cujuſcumque generis neceſſaria eſt ad omne opus bonum; abſque illa non ſolùm nihil fit, ſed nec fieri poteſt*; ut habet 2. Propoſitio. Sic omnibus non prædeſtinatis ſalus eſſet impoſſibilis defectu potentiæ antecedentis.

3 Sic multis à Deo præceptum imponeretur impoſſibile; nam omnes homines, etiam reprobi, ad ſalutem conniti tenentur, eamque promereri; neutrum poſſunt, ſi Queſnelli Propoſitio vera eſt: Præceptum pœnitendi juxta omnes theologos, evidenti ratio-

tionis lumine dictante, obſtringit peccatorem obligatione ſtrictiſſima in articulo mortis, unde pendet æternitas. Atqui in damnato principio pœnitentia omnibus reprobis in articulo mortis eſt impoſſibilis; alioqui ſalvari poſſent; etſi neque Deus illos ſalvare per Chriſtum voluiſſet, neque Chriſtus eorum ſalutem promereri, neque eis concedere gratiam ſufficientem; minùs etiam efficacem, *Sinè qua* juxta novos Theologos, *non ſolùm nihil boni fit, ſed nec fieri poteſt*.

4 Præcepta quoque virtutum Theologicarum Fidei, Spei, & Charitatis obligant adultos omnes, potiſſimùm in vitæ termino: Atqui charitatis actus qualis præcipitur ex tota mente, ex totis viribus; tunc omnibus reprobis impoſſibilis eſt in eadem Queſnelli ſententia: talis enim actus indubiè juſtificat, unde reprobi cum eo decedentes, ſalute excludi non poſſent: Salvarentur itaque, quibus Deus ſalutem per Chriſtum obtingere non voluit, nec Chriſtus eam à Patre petere, vel impetrare: Salvarentur & ipſi ſinè ea gratia, *ſinè qua non ſolùm nihil fit, ſed nec fieri poteſt*.

5 Præterea quiſquis ſanctificante gratia, amicitiæ cum Deo contraxit neceſſitudinem, tenetur eam nunquam diſſolvere, nunquam expellere Deum, qui apud eum manſionem fecit. Hic iterum juſtus, qui prædeſtinatus non eſt, in Queſnelli principio obligatur ad impoſſibile. Atque hæc juſti iſtius impotentia propriiſſimè foret antecedens, denegato omni medio ſufficiente.

6 Denique fallax eſſet Dei amicitia, & fraudulenta in filios adoptatio per ſanctificantem gratiam, quandocunque vellet juſtos temporaneos deſtituere præſidiis neceſſariis, ſinè quibus neque amicitiam Dei conſervare poſſent, neque promiſſam filiis conſequi hereditatem. Scimus quidem, hanc in quolibet iſtiuſmodi promiſſo ſubintelligi conditionem, ſi per eos non ſteterit; per eos autem ſtetiſſe nullus ſapiens, nullus æquus cenſeat, ſi caruerint gratia, ſinè qua non ſolùm nihil fit, ſed nec fieri poteſt, & *ſinè qua nihil amare poſſumus niſi ad noſtram damnationem*. Ut docet Propoſitio 40.

7 Hinc cujuslibet prudentis judicio decernendum relinquo velut problema: quænam hæreſis magis à ratione appareat aliena, nempe Calviniana ſtatuens juſtitiam in ſolis prædeſtinatis, eamque amitti neſciam; an Queſnelliana, in plurimis neceſſariò neceſſitate antecedente, & inevitabili amittendam.

CAPUT XI.

Solvuntur argumenta in oppoſitum producta ex Scripturis.

1 Hexaplorum Author objicit quæ ſequuntur Scripturæ teſtimonia, Joan. 6. verſ. 39. *Hac eſt autem voluntas ejus, qui miſit me, Patris, ut omne quod dedit mihi, non perdam ex eo, ſed reſuſcitem illud in noviſſimo die*. Cap. 10. verſ. 26. *Sed vos non creditis, quia non eſtis ex ovibus meis*. verſ. 27. *Oves meæ vocem meam audiunt, & ego cognoſco eas, & ſequuntur me*. verſ. 28. *Et ego vitam æternam do eis; & non peribunt in æternum: & non rapiet eas quiſquam de manu mea*. verſ. 29. *Pater meus quod dedit mihi, majus omnibus eſt: & nemo poteſt rapere de manu Patris mei*. cap. 17. verſ. 12. *Cùm eſſem cum eis, ego ſervabam eos in nomine tuo. Quos dediſti mihi cuſtodivi: & nemo ex eis periit, niſi filius perditionis, ut Scriptura impleatur*.

2 Luc. 12. verſ. 32. *Nolite timere puſillus grex, quia complacuit patri veſtro dare vobis regnum*.

Act. Apoſt. cap. 13. verſ. 48. *Crediderunt quotquot erant præordinati ad vitam æternam*.

3 Rom. 8. verſ. 28. *Scimus autem quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum iis, qui ſecundùm propoſitum vocati ſunt ſancti*. verſ. 29. *Nam quos præſcivit, & prædeſtinavit conformes fieri imaginis Filii ſui, ut ſit ipſe primogenitus in multis fratribus*. verſ. 30. *Quos autem prædeſtinavit, hos & vocavit: & quos vocavit, hos & juſtificavit: quos autem juſtificavit, illos & glorificavit*.

4 Epiſt. 1. S. Joan. cap. 2. verſ. 19. *Ex nobis prodierunt, ſed non erant ex nobis; nam ſi fuiſſent ex nobis, permanſiſſent utique nobiſcum; ſed ut manifeſti ſint, quoniam non ſunt omnes ex nobis*.

5 Jubet tamen Queſnellus nos labori parcere, & liberari tædio lectorem Catholicum, quo affici ipſum in legendis, & nos in ſcribendis tot textuum explicationibus oporteret, quos omnes conſtat agere de voluntate Dei conſequente, abſoluta, efficaci. Huic ſcilicet ſoli ſtabiliendæ ſtudere Queſnellum; de hac proinde intelligendas omnes ejus vindicias teſtatur in publica ſua, & ſolemniſſimâ *proteſtatione* pag. 46. ac dein amplius pag. 140. & ſequenti. Verba proteſtationis mox diſcutiam. Priùs aliqua circa relatos Scripturarum textus notanda ſunt.

6 Lecto-

6 Lectoris animum ſubierit admiratio, cur tot Sacri Codicis teſtimonia Adverſarius congerat, quibus Calviniſtæ, & alii paſſim Hæretici contra doctrinam Eccleſiæ de voluntate Dei ſalvandi omnes homines abutuntur, quæ cùm evidens ſit agere de ſola voluntate Dei conſequente, abſoluta, & efficaci, neque de alia intelligere ſe illa proteſtetur Queſnellus, quid faciunt ad firmandum Articulum, quo omnis à Deo voluntas ſincera, & ſeria erga reproborum beatitudinem abdicatur?

7 Quid manifeſtius, quàm agi de ſola voluntate prædeſtinante, quæ apud omnes efficax eſt, Act. 13. *Crediderunt quotquot erant praordinati ad vitam æternam*. Quod ipſa Hexapla rectè vertunt Gallicè *Tous ceux, qui avoient eté predeſtinez a la vie eternelle, embraſſerent la foy*: Ad Rom. 8. ubi diſertè exprimuntur, *vocati ſecundùm propoſitum*: & *prædeſtinavit* iteratò inculcatur.

8 Non minùs mirabilis eſt Adverſarii in corrumpendo Sacro Codice pertinacia; novit, pridem ſcandalo fidelibus fuiſſe verſionem novi Teſtamenti Montenſem, & tanquam *temerariam*, *damnoſam*, *à vulgata editione difformem*, *& offendicula ſimplicium continentem* prohibitam, atque damnatam à Clemente IX. Pontifice; lectione ejus, retentione, venditione, impreſſione vetita ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ ipſo facto incurrendæ. Neque dubium apparet, quin depravatio, quæ eſt Euangelii S. Joannis cap. 17. v. 12. tot Catholicorum ſcriptionibus impugnata, inter eas ſit, quæ occaſionem dederint cenſuræ: tamen Hexapla eam inſtaurare minimè verentur, dum ita vertunt, *J'ay conſervè ceux, que vous m'avez donnè, & aucun d'eux ne s'eſt perdu. Il n'y a eu de perdu, que celuy qui etoit enfant de perdition, afin que l'Ecriture fut accomplie*; quaſi Chriſtus dixerit; Ego *quos dediſti mihi cuſtodivi, & nemo ex eis periit. Solus periit filius perditionis*. Locutio autem Chriſti ita ſe habet, *Quos dediſti mihi cuſtodivi, & nemo ex eis periit, niſi filius perditionis, ut Scriptura impleatur*. Patet diſparitas ſenſûs: Chriſtus aſſerit, ex duodecim Apoſtolis, quos ei Pater dederat, periiſſe unum, & ſolùm Judam: Euangelium Queſnelli Chriſto contrarium affirmat, ex iis, quos Pater dederat, neminem periiſſe; ſed ſolùm Judam, veluti à Patre datorum numero minimè comprehenſum.

9 Interpretatio ea Calvini fuit, à quibuſdam Belgii Theologis imprudenter adoptata, in cenſura anni 1588. quam authoritate Sedis Apoſtolicæ Octavius Calatinus Nuntius irritam declaravit, & inſtaurationem ejus *auſum temerarium*. Ea eſt famoſa illa ab Arnaldo prædicata *excellens cenſura*, non minoribus à Queſnello encomiis ornata, & libro integro defenſa. Huic adhærere Queſnellus mavult, quàm vulgatæ Scripturarum editioni, à Tridentino Concilio authenticæ judicatæ, & univerſis propoſitæ Chriſti fidelibus. Quam & ſecuti hìc noſcuntur S. Chryſoſtomus, Theophylactus, Cyrillus Alexandrinus cùm Doctorum aquila Auguſtino, & Angelico; à quibus recedere auſus eſt Calvinus; cujus veſtigiis imprudentiùs inſtiterunt primùm cenſuræ incongruæ Authores, qui dein aliquos à communi Sanctorum Patrum, & interpretum tramite incautos, forſitan & novitatum aliunde ſpiritu afflatos, abduxêre. De hac corruptione plura videri poſſunt in erudito opere Gallico cui titulus: *Obſervationes in novam defenſionem verſionis Gallicæ novi Teſtamenti editæ Montibus*, &c. pag. 17. & ſequentibus. Nobis hìc diutiùs immorari non eſt neceſſe.

CAPUT XII.

Solvuntur objecta ex SS.PP. ac primùm ex SS. Auguſtino, & Fulgentio.

1 EXamen prolixius exigerent teſtimonia Patrum, quæ in Hexaplis pro trigeſima Propoſitione referuntur, niſi memorata Queſnelli proteſtatio vellet ea non in alium allegari finem, non alio ſenſu accipi, quàm ut ſtabiliant dogma ab omnibus admiſſum Catholicis, quòd *omnes, quos vult Deus ſalvari per Chriſtum*, voluntate conſequente, abſolutâ, efficaci, *ſalventur infallibiliter*. Hoc ſenſu Propoſitio operoſis apud Catholicos probationibus non eguit; neque tot Patrum cumulatis ſuffragiis; cùm omnes in eamdem ultro conveniamus ſententiam; ſed non Articulus à CLEMENTE XI. condemnatus.

2 Primùm Conſtitutioni objicitur ex Auguſtino celebris definitio prædeſtinationis, quæ non eſt aliud, quàm *præſcientia, & præparatio beneficiorum Dei, quibus certiſſimè liberantur quicunque liberantur*. Dein profertur illud ex libro de correptione & gratia cap. 7. *Horum* (Electorum) *ſi quiſquam perit, fallitur Deus: ſed nemo eorum perit, quia non fallitur Deus. Horum ſi quiſquam perit, vitio humano vincitur Deus; ſed nemo eorum perit, quia nulla re vincitur Deus*. Nemo dubitat, quin prædeſtinatio certiſſima ſit, ut nullus electorum pereat. Sed non omnis in Deo voluntas electio,

vel

vel prædeſtinatio eſt, ut vel tirones Theologi noverunt.

3 Tertium objicitur ex lib. 4. contra Julianum cap. 8. *Omnes ergo, qui ſalvi fiunt, & in agnitionem veniunt veritatis, eo volente veniunt. Quia etſi nondum ſicut parvuli, utuntur voluntatis arbitrio, eo volente regenerantur, quo creante generantur. Et qui jam utuntur voluntatis arbitrio, niſi eo volente, ac ſubveniente, à quo præparatur voluntas, velle non poſſunt.* Nihil iterum eo notius, quàm ſalvari neminem, niſi Deo volente. Sed indè non ſequitur ſalvari quemcunque Deus, & quomodocunque voluerit.

Nemo niſi redemptus à Chriſto beatitudine potitur; etſi ad hanc non omnes redempti perveniant, ut Fides Eccleſiæ contra recentiores hæreticos docet. Sic, licèt ſinè Dei auxilio ad ſalutem nullus ſe promovere valeat; non ideo tamen cuicunque Dei auxilium, & qualecunque conceditur, ei beatitudo obvenit: quia, definiente Tridentino, non eſt tale Dei trahentis auxilium, ut ei reſiſtere liberum arbitrium nequeat, & reſiſtere ſæpius ex Pontificum contra Janſenium Conſtitutionibus, & aliunde indubitatum eſt.

4 Quartò opponitur illud Epiſtolæ Africanorum Epiſcoporum in Sardinia exulum. „ Vos itaque dilectiſſimi fratres, per gratiam „ Dei eſtote ſtabiles, & immobiles: ac tenentes veram Fidem, exhibete fratribus aliter „ ſentientibus charitatem: nec de aliquo deſperetis; quia qui hodie veritatem in alio non agnoſcit, poteſt cras, Deo revelante, cognoſcere. Deo enim ſubeſt, cùm volet, poſſe. Oremus ergo pro eis, ut Dominus operetur in eis. Exhibeamus eis bonam voluntatem, de qua nos poſſumus habere mercedem, ſcientes quoniam in conſpectu Dei quiſquis de numero prædeſtinatorum fuerit, non peribit; & in omnibus voluntas Omnipotentis implebitur, ut per gratiam ſalvi fiant, & agnitionem veritatis, Domino illuminante, percipiant „ Nè verò hæreamus ancipites in tam prolixa ſententia, quid potiſſimùm Propoſitioni damnatæ patrocinari Queſnellus exiſtimet, majoribus notatur characteribus, quòd *quiſquis de numero prædeſtinatorum fuerit, non peribit, & in omnibus voluntas Omnipotentis implebitur, ut per gratiam ſalvi fiant.* Quaſi verò proſcriptus Queſnelli Articulus aliud non ſignificet, quàm quòd omnes, quos Deus ad ſalutem propter Chriſti merita prædeſtinat, eam conſecuturi ſint infallibiliter, & non id ſimpliciter afferat de quacunque Dei voluntate ſincera & ſeria, ut illimitata Authoris locutio præ ſe fert.

5 Non minùs prolixa eſt ſententia, quæ objicitur S. Proſperi ex l. 1. reſponſionum pro Auguſtino cap. 8. ex quo delibemus præcipuum ab Adverſario diſtinctis characteribus expreſſum: *Hæc*, inquit, *filiorum Dei adoptio, hæc gentium plenitudo præſcita, & prædeſtinata à Chriſto ante conſtitutionem mundi. Hæc eſt Jeruſalem, quæ ab initio uſque in finem lapidibus vivis, & electis ædificatur, ut Civitas fundata in ipſo angulari lapide Chriſto* Jesu, *in quo omnis ædificatio conſtructa creſcit in Templum ſanctum in Domino. De his lapidibus nihil ejicitur, nihil minuitur, nihil rapitur.* Ubi iterum clarum eſt agi de *ſolis electis lapidibus, de gentium multitudine præſcita, & prædeſtinata in Chriſto*. Unde nihil eruitur pro damnato Articulo, qui ab electione, & prædeſtinatione præſcindens, cuilibet Dei veræ, & ſeriæ voluntati erga ſalutem hominum effectum attribuit infallibilem.

6 Simile eſt, quod objicitur ex S. Fulgentio lib. de Fide ad Petrum Diaconum, cap. 35. *Firmiſſimè tene & nullatenus dubita, omnes, quos vaſa miſericordiæ gratuita bonitate Deus fecit ante conſtitutionem mundi in adoptionem Filiorum Dei prædeſtinatos à Deo, neque perire poſſe aliquem eorum, quos Deus prædeſtinavit ad regna cælorum.* Non eſt bonæ fidei indicium, quod Adverſarius in verſione Gallicâ omiſerit *prædeſtinatos* & *prædeſtinavit*, quamquam & in *vaſis miſericordiæ*, quæ nominat, prædeſtinatio ſubintelligenda ſit. Unde patet iterum nihil damnato Articulo ſuffragari.

7 Magis ad fallendum idonea eſt objectio deſumpta ex Fulgentii libro de Incarnatione, & gratia cap. 31. *Omnes, quos Deus vult ſalvos fieri, ſinè dubitatione ſalvantur, nec poſſunt ſalvari, niſi quos Deus vult ſalvos fieri: nec eſt quiſquam quem Deus ſalvare velit, & non ſalvetur.* Propoſitio mea, inquit Queſnellus, de verbo ad verbum eadem eſt, cum iſta Fulgentii; ſed remittere nos Queſnellum poſſemus ad Stephanum de Champs lib. 3. de hæreſi Janſeniana diſp. 7. cap. 15. & 16. ubi ſimilem illius Sancti textum à Janſenio objectum referens ex cap. 29. explicat de voluntate abſolutâ, & prædeſtinante. Agit illic nempe Fulgentius contra Pelagianos, & eorum reliquias, negantes prædeſtinationem, & aſſerentes voluntatem Dei ſalvandi omnes homines prorſus *indifferentem*; itaut quilibet ſolis naturæ viribus eam ſequi, & ad ſalutem perducere ſe poſſet, non egens gratiæ auxilio: è contra poſſit quamcunque Dei de ſua beatitudine voluntatem infringere, ac perire. Hunc errorem impugnare volens Fulgentius, uti & Proſper, & Auguſtinus, totus fuit in prædicanda Divinæ voluntatis omnipotentiâ, &

ele-

electionis efficacitate. Ideo & locum Apoſtoli de voluntate prædeſtinante intelligit, ut omnes, quos Deus vult ſalvos fieri, intelligantur electi, quæ una ex Catholicis interpretationibus ab Auguſtino ſæpius adhibita eſt, & tum potiſſimùm in uſu Patribus erat; quia confutandis Pelagianis eo tempore vigentibus maximè opportuna. At dein contrariâ invaleſcente hæreſi Prædeſtinatianorum, quam Lutherus, Calvinus, Janſenius, ſectati ſunt, alia Paulini loci interpretatio, quæ magis ſimplex, & obvia eſt, & communis etiam olim fuit, pleriſque Patribus, præſertim Græcis; ab Auguſtino minimè repudiata, & quoad ſenſum tradita, nunc totius Eccleſiæ ore celebratur, frendentibus hæreticis, tergiverſantibus hypocritis.

8 Senſum à me attributum Fulgentio circumſtantiæ omnes loquuntur. Sic enim ibi aſſerit: *Nec exiſtimemus, voluntatem omnipotentis Dei, aut in aliquo non impleri, aut ullatenus impediri*. Tum ſequuntur verba à Queſnello objecta, poſt quæ ſtatim ſubjungit Sanctus: *Quia Deus noſter omnia quæcunque voluit, fecit.* Ubi evidens eſt agi de voluntate abſoluta, ſeu quatenus *Omnipotens* eſt. Quod autem in Pelagianis evertere intendit, illud eſt, quod explicat cap. 29. & 30. nempe in priori ait. *Illud verò Apoſtolicum, ubi dicitur de Deo, qui vult omnes homines ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, non ſicut oportet intelligunt, qui hanc Dei voluntatem, ſicut in vaſis miſericordiæ, ſic*, ET IN VASIS IRÆ ACCIPIENDAM EXISTIMANT, *minùs conſiderantes veraciſſimam Scripturæ ſententiam, quæ divinæ commendans* OMNIPOTENTIAM *voluntatis, omnia inquit, quæcunque voluit fecit in Cœlo, & in terra. Proinde hi, qui voluntatem Dei, qua omnes homines vult ſalvos fieri, æqualem circa redimendos, & damnandos exiſtimant, cùm interrogati fuerint, cur velit Deus omnes homines ſalvos fieri, nec tamen omnes ſalvi fiant, quid reſpondebunt?* Ubi rurſus perſpicuum eſt, à Fulgentio reprehendi Pelagianos, qui *æqualem circa redimendos, & damnandos* Dei voluntatem autumant. Idem intelligitur illis verbis, *qui hanc Dei voluntatem, ſicut in vaſis miſericordiæ, ſic & in vaſis iræ accipiendam exiſtimant*, atque ita ſubruunt omnem prædeſtinationem, omnem voluntatem ſpecialem, & efficacem erga ſalutem electorum. Imò, teſte Fulgentio, hæretici illi affirmabant, quod *ipſum velle bonum non in homine Deus inchoet, ſed ut ab homine naſcatur expectet*. Quod *operari cum vult in hominis voluntate, non poſſit, priuſquam in homine ipſum velle repererit*. Cap. 30. quod *ad ſalvandos homines, non excitet, neque mutet; ſed expectet hominum voluntates*. Contra iſtos Divinæ gratiæ inimicos Fulgentius capite 31. magis ſtabiliens Dei in homines poteſtatem, & voluntatis abſolutæ efficaciam, de voluntate conſequente, & prædeſtinante ſic accipit locum Apoſtoli: *Omnes itaque dixit, ſed quoſcunque Dominus advocaverit, quos etiam Beatus Paulus ſecundùm propoſitum vocatos inſinuat*. Quam Fulgentii, & Auguſtini explicationem proni admittimus, ſed quâ minimè excluditur alia de voluntate Dei antecedente erga omnes homines benigniſſimâ, etſi non in omnibus efficaci; quam inexpugnabili Sanctorum Patrum, etiam Auguſtini, & Principum Theologorum agmine, ſuffragantibus Conciliorum, & Pontificum Decretis, atque ipſis clariſſimis Scripturarum textibus firmatam ſupra dedimus.

9 Nihilominus addendum hìc aliquid de eo, quod objicitur ex Auguſtino Enchiridii cap. 103. ubi S. Doctor permittit memoratum Apoſtoli locum *quocunque alio modo intelligi, dum tamen credere non cogamur, aliquid omnipotentem Deum voluiſſe fieri, factumque non eſſe, qui ſinè ullis ambiguitatibus, ſi in cœlo, & in terra, ſicut & veritas cantat, omnia quæcunque voluit fecit, profectò facere noluit quodcunque non fecit*. Quam voluntatem cùm ipſe explicet Auguſtinus de ea, qua omnia Deus quæcunque voluit fecit, clarum eſt intelligi abſolutam, efficacem, conſequentem; quod autem præter hanc agnoſcat aliam antecedentem, conditione nixam, & inefficacem, nè adverſarii quidem ſaltèm pro ſtatu naturæ integræ inficiari poſſunt; fatente ipſo Janſenio lib. 10. de gratia Chriſti. Tam enim illud *Omnia quæcunque voluit, fecit in cœlo, & in terra*, ſive ſignificationem obviam ſpectes, ſive mentem Auguſtini, complectitur Angelos, quàm homines; & tam hos in primæ originis ſanctitate ſtantes, quàm ex ea in peccati calamitatem delapſos, dicente Auguſtino cap. 102. *Quantælibet ſint voluntates vel Angelorum, vel hominum; vel bonorum, vel malorum; vel illud quod Deus, vel aliud volentes, quàm Deus, omnipotentis voluntas Dei ſemper invicta eſt*. Quo fundamento poſito, illud Apoſtoli, Deus vult omnes homines ſalvos fieri, *de voluntate Dei omnipotentiſſima* ibi ſe intelligere profitetur. Voluntatem tamen aliam inefficacem erga ſalutem omnium hominum, & Angelorum ante lapſum, negare adverſarii non poſſunt, docente Magiſtro ſuo Janſenio, libro & capite jam citato: *Habuit Deus generalem voluntatem benevolentiæ erga omnes Angelos, & quantùm in ſe eſt, omnium beatitudinem æternam voluit, omnibuſque propterea beatitudinis conſequendæ media ſufficientiſſima largitus eſt*.

Sunt-

Suntnè propterea omnes Angeli æternam beatitudinem conſecuti? Num Adam, ut mediis etiam ſufficientibus inſtructus poterat, & voluerat Deus, in juſtitiâ perſeveravit? Minimè. Ubinam hic igitur voluntas illa abſoluta, & omnipotentiſſima, quæ omnia quæcunque voluit fecit in cœlo, & in terra? Patet itaque, voluntatem inefficacem, & cum conditione agnitam fuiſſe ab Auguſtino; etiam Ipreníi, quem Queſnellus ab Hipponenſi aberrare non affirmaverit. Si autem omnes Angelos, atque adeò omnes homines ante lapſum Deus ſalvos fieri voluerit voluntate inefficaci, eliduntur argumenta adverſariorum omnia, quæ ſive ex Scripturis, ſive ex Patribus, ſive aliunde pro unica hìc voluntate Dei, eâque efficiente, & abſoluta corradere conſueverunt: neque obeſt aliquid, quin voluntas Dei erga ſalutem prorſus omnium, etſi multorum intuitu inefficax; tamen vera, & ſeria ſtatuatur.

CAPUT XIII.

Refelluntur objecta ex SS. Bernardo. & Thoma.

1 Opponunt Hexapla etiam S. Bernardum ſermone 3. de Laudibus B. Virginis dicentem: *Non poſſunt perire, pro quibus filius rogat nè pereant, pro quibus Pater tradidit Filium in mortem, ut vivant*. Quæ Melliflui verba intelligenda eſſe de oratione Filii abſoluta, & efficaci, atque ejuſdem rationis voluntate in Patre Filium tradente, facilè colligitur ex eo, quod idem Sanctus tum hìc, tum alibi voluntatem præterea inefficacem erga ſalutem omnium hominum docuiſſe conſpicitur. Sic enim ipſo, qui objicitur loco, agnoſcens *Chriſtum pro nobis traditum*, omnes tamen ſolicitè admonet: *Studeamus effici ſicut Parvulus iſte, diſcamus ab eo, quia mitis eſt, & humilis corde, nè magnus ſcilicet Deus ſinè cauſa factus ſit homo parvus, nè gratìs mortuus, nè in vacuum crucifixus*. Quod periculum nobis eſt, ſi Chriſtus pro nobis traditus eſt, nè pereamus, neque perire poſſint, pro quibus Chriſtus mortuus eſt nè pereant, pro quibus Pater tradidit Filium in mortem, ut æternùm vivant? Fruſtranea igitur foret Bernardi adhortatio, ſi, uti certiſſimum eſt, neminem ſalvari poſſe, pro cujus ſalute Filius non rogaverit, ita nemo damnari valeat, pro cujus ſalute Filius quomodocunque Patrem precatus fuerit, & ab eo qualicunque voluntate in mortem traditus.

2 Profectò ſi pro nullius pereuntis ſalute Chriſtus Patrem rogaverit, fallit ejuſdem Sanctiſſimi Doctoris ſententia ſermone 2. in Pſalmum *Qui habitat* omnes homines tam ſuaviter conſolantis: *Poſſunt omnia dicere: Creator meus es tu. Poſſunt & animalia dicere Paſtor meus es tu. Poſſunt omnes homines dicere: Redemptor meus es tu*. Multos eſſe vocatos novimus, paucos verò electos; ſi igitur pro nullius reprobi ſalute mortuus ſit, nonniſi pauci homines dicere poterunt: Redemptor meus es tu; imò nullus in hac vita, niſi cui ſalutem ſuam Deus ſingulari gratia revelaverit, poterit abſque erroris periculo Chriſtum ſibi adſcribere Redemptorem; Quis enim ſibi certam adſeribat electionem? Hìc exclamandum omnibus eſt: *O altitudo ſapientiæ, & ſcientiæ Dei, quàm inſcrutabilia ſunt judicia ejus*. Et tamen, inquit Mellifluus, *poſſunt omnes homines*, abſque diſcrimine, *dicere; Redemptor meus es tu*. Quod prorſus conſonat formulæ Fidei à Concilio Nicæno præſcriptæ, à Conſtantinopolitano, Epheſino, Calchedonenſi approbatæ. *Credo in unum Dominum* Jesum *Chriſtum, &c. qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de cœlis*. Talis Fidei profeſſio omnibus imperari non poſſet, ſi aliquid complecteretur incerti: indubitatus itaque Fidei articulus eſt, Dei Filium de cœlis deſcendiſſe pro ſalute omnium, & ſingulorum hominum, qui ad iſtud profitendum præcepto Eccleſiæ adiguntur. Unde minimè mirum eſt, quod in Soliloquiis, quæ inter opera Sancti Auguſtini relata, ſaltèm, ut Lovanienſes teſtantur, Scriptoris pii, & in Auguſtini voluminibus verſatiſſimi ſunt, cap. 32. talis præſcribatur Fidei profeſſio: *Confiteor te Deum Patrem ingenitum ... te verum Deum, & Dominum* Jesum *Chriſtum Filium Dei unigenitum, Creatorem, Salvatorem, & Redemptorem meum, & totius generis humani*.

3 Alia ſententiæ ex Bernardo objectæ commoda explicatio eſt, quod nullus à Chriſto redemptus perire poſſit, ſed tantùm propriâ ſponte ſe perdere. Sic viæ ducem peritiſſimum nactus, dicitur aberrare non poſſe, etſi libero arbitrio viæ ducem deſerere poſſit, currere per avia, & invia, ac ſe erroribus voleus implicare. Nullus, pacato mari, firmiſſimo inſtructus navigio, perire poteſt; ſed nunquid ſe inſaniens, vel imprudens in mare projicere, & ſubmergi? Canis ligatus neminem mordere poteſt; ſubintellige, niſi qui morderi ſtultè volens, ad eum propiùs acceſſerit.

4 Objectiones Author Hexaplorum terminat ſententiâ S. Thomæ ex prima par. q. 23. art. 6.

art.6. ubi relatâ prædeſtinationis definitione Auguſtiniana, ſic concludit: *Reſpondeo dicendum, quòd prædeſtinatio certiſſimè, & infallibiliter conſequitur ſuum effectum*. Rurſus art.8. ad 3. *Prædeſtinatio per creaturam poteſt adjuvari, ſed non impediri*.

Duo hic Lector eruditus mirabitur: primum, quòd adverſarius Doctorem Angelicum damnato Articulo quaſi patrocinantem adſciſcere audeat, quem ei oſtendimus infeſtiſſimum: alterum, quod pro articulo adducat, quæ tam perſpicuis vocibus aſſerta leguntur de prædeſtinatione, nullam habente cum proſcripto dogmate connexionem. Imò, inquit Queſnellus in *Proteſtatione* pag. 140. connexio indubitata eſt, *nam in obſervatione mea exprimitur Voluntas efficax*, & *abſoluta*. Verùm verba illa *Voluntatis efficacis*, & *abſoluta* in editionibus à Conſtitutione memoratis non reperiuntur. Sed Propoſitio prout in Conſtitutione refertur, & proſcribitur, integra eſt, quæ in damnato Queſnelli Codice continetur, nullo ejus reſciſſo apice: atque ea conformis prorſus eſt, omnibus Queſnelli, Arnaldi, Janſenii, & totius novæ Sectæ notiſſimis dogmatibus. Poſterior autem verborum iſtorum additio, quidquid ſit de Cenſorum Pariſienſium eam jubentium conſilio; at Queſnello non abdicandæ hæreſi, ſed tegendæ tantummodo ſerviiſſe deprehenditur. Quid enim illo in retinendis mordicus quibuſcunque opinionibus magis obſtinatum? Quandonam ullus ab eo error agnitus eſt, aut vocatus in dubium? An & tot exemplarium millia, quæ multis editionibus hæreſim ubique diſſeminant, impunè permittenda ſunt Lectores innumeros corrumpere, neque ſalubris cenſuræ antidoto proſpici Eccleſiæ à Summo Pontifice poterit?

CAPUT XIV.

Expenditur Queſnelli contra Conſtitutionem Proteſtatio.

1 PAg.46. „ Credo, inquit, ſicut Paulus, Deum velle omnes homines ſalvos fieri. Sed credo pariter, Deum voluntate abſolutâ, & efficaci non velle ſalutem, præterquam Prædeſtinatorum, quibus ſolis impertit, quidquid ad ſalutem obtinendam eſt neceſſarium. Jesus Chriſtus etiam mortuus eſt pro omnibus, ut declarat Apoſtolus; verùm, cùm ejus voluntas, ut ſimpliciter loquamur, abſoluta, & conſequens fuerit ſemper conformis voluntati Patris, tali voluntate neque mori, neque orare voluit pro ſalute æterna, niſi Electorum tantùm. Quidquid in hac materia à me aſſertum eſt, ad has reducitur veritates. Subſcribo omnibus, quæ ab Eccleſia de his quæſtionibus definita ſunt. A veritate autem alienum eſt, me ullum ex erroribus circa liberum arbitrium, aut gratiam, aut voluntatem Dei, & Jesu Chriſti pro ſalute hominum ab Eccleſia condemnatis reſuſcitare.

Expectaverat fortè Lector Catholicus aliquid à Queſnello, quo fidem ſuam à ſuſpicione liberaret, vel ſecerneret ab hæreticis. Proponatur autem hæc ejus Profeſſio Fidei omnibus Calviniani verbi præconibus, nullus eſt, qui non ei lubens ſubſcripſerit. Subſcribent & Catholici, inter neceſſaria ad ſalutem intelligentes gratiam ultimò efficacem, ſive perſeverantiæ donum, quod reprobis non obtingere manifeſtum eſt. Neque adeò Calviniſtæ deſipiunt, ut Apoſtolo dicenti: *Deum velle omnes homines ſalvos fieri*, apertè audeant refragari; ſed omnis Catholicos inter, & Hæreticos de dogmatis illius ſenſu diſceptatio eſt. Senſu autem Queſnellum hæreticis conſentire, & repugnare Catholicis, multi hîc, & alibi damnati ejus Articuli convincunt. Quod aſſero de voluntate Dei, idem eſt de Chriſti morte pro ſalute hominum, per *omnes*, non ſingulos intelligit homines, ſed claſſes, ordines, ſeu genera hominum, omnes electos, excluſis reprobis: à Chriſto oblatum Patri pretium, quod omnibus omnino mortalibus, ut redimerentur ſufficeret; ſed non oblatum pro ullius ſalute extra numerum Prædeſtinatorum. Quid hic igitur à Janſeniano, & Calviniano fœdere alienum? Calvinus exponens illud Apoſtoli: *Vult omnes homines ſalvos fieri*, ait: *Pueriliter hallucinantur, qui hunc Pauli locum prædeſtinationi opponunt .... aliquid fortè dicerent, ſi Paulus hic de ſingulis hominibus ageret*. Rurſus, *de hominum generibus, non de ſingulis perſonis ſermo eſt*. Idem lib. 3. Inſtitut. cap. 24. de eodem Apoſtoli textu ait: *Nihil aliud profectò ſignificat, quàm nulli hominum ordini viam ad ſalutem præcluſiſſe*. Magiſtro ſuo Calviniani omnes concinunt. Pomeranus: *Hujus loci ſenſus eſt, nullum Mundi ordinem à ſalute excludi*. Gaſpar Megander *Omnis generis homines, ſeu de quolibet ſtatu aliquos ſervare vult*.

2 Prætermiſſis itaque *querelis*, & *proteſtationibus* ſubdolis, ſi Catholicus in hoc articulo haberi Queſnellus voluerit, edicat clarè, & didacticè Deum velle ſalutem æternam non ſolummodo prædeſtinatorum, ſed

etiam aliorum, ideoque adultis reprobis media offerre ſufficientia ad ſalutem conſequendam: atque in illòrum poteſtate eſſe oblata accipere, iiſque ſe ad immortalem beatitudinem promovêre: ſinè ambagibus profiteatur, hanc Dei voluntatem erga homines eſſe, non ſolummodo conſideratos ante lapſum Adami, ſed etiam poſt illum.

13 Non dedignetur etiam Queſnellus aliquo ſaltèm diſcrimine, ſe ab hæretico Janſenii ſenſu circa quintam Propoſitionem disjungere. Nè verò anceps hæreat circa ſenſum illum, quis ſit, & ubi à Janſenio traditus: legitur lib. 3. de Gratia cap. 20. editionis primæ Lovanienſis columna 390. „ Chriſtus pro infidelium in infidelitate morientium, aut juſtorum non perſeverantium ſalute mortuus non eſt, nec ſanguinem fudit, nec ſemetipſum redemptionem dedit, nec Patrem oravit: imò non magis pro æterna liberatione ipſorum, quàm pro Diaboli deprecatus eſt. „ At, inquiet Queſnellus, nunquid ſatis eſt, quod proteſtor pag. 139. in ipſo titulo §. 5. „ Falſum eſt me non credere, quod Jesus Chriſtus mortuus ſit pro omnibus hominibus? „ Atque id ſtatim ſequitur paragrapho exordium: „ Credo, & profiteor cum Paulo, & Tridentino Concilio, quod Jesum Chriſtum propoſuerit Deus propitiatorem per fidem in Sanguine ipſius pro peccatis noſtris, non ſolùm autem pro noſtris, ſed etiam pro totius mundi. Vult ergo Deus omnes homines ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Verùm etſi ille pro omnibus mortuus eſt, non omnes tamen ejus mortis beneficium recipiunt; ſed ii dumtaxat, quibus meritum Paſſionis ejus communicatur. „

4 Rectè iſtud quidem; ſed ad catholicum ab hæretico Janſeuii ſenſu ſeparandum minimè ſufficit. Quid enim illa Queſnelli profeſſio in ejus ſenſu amplius continet, quàm hæc Janſenii lib. 3. de Gratia Chriſti cap. 21. „ Chriſtus ſe dedit redemptionem, ſeu pretium pro omnibus ſufficienter, quia ſufficiens pretium obtulit, non tamen pro omnibus omnino efficienter, quia non omnibus applicatur illa redemptio: idque juxta regulam à S. Proſpero diverſis in locis traditam, &c. cui conformiter Scholaſtici dicere ſolent, Chriſtum omnes redemiſſe ſufficienter, ſed non efficienter.

5 Quid nempe aliud toto illo magnifico verborum apparatu ſive à Janſenio, ſive à Queſnello prætenditur, quàm Chriſti Sanguinem, utpote pretii infiniti, redimendis omnibus prorſus hominibus abunde quidem ſufficere, modò Chriſtus eum pro ſalute omnium offerre voluiſſet; ſed non voluiſſe pro beatitudine ullius extra numerum electorum; quæ eſt hæreſis in quinto Janſenii articulo damnata. Non ignorat id Queſnellus, ſed fixum habet, ab ea nè lato quidem ungue recedere. Miſſas igitur faciat inanes, quaſi de calumnia, querelas; ſed ſi fidem, ſi famam ſuam in tuto poni deſideret, non rejiciat, quæſo, clarum, & catholicum melioris proteſtationis compendium, quod in ejus gratiam ſubjicio: Credo Deum, etiam poſt prævifum totius humani generis in primo homine peccatum, voluiſſe omnes, & ſingulos homines ſalvos fieri; ideoque miſiſſe Filium ſuum, ut omnes ab æterno exitio liberaret. Pro ſalute igitur omnium prorſus hominum Filius Dei ſupplicia, & mortem ſubiit. Hinc ſufficientia ad ſalutem præſidia adultorum nemini penitùs ſubtrahuntur: Parvuli ſinè baptiſmo morientes, non eo privantur ex decreto Numinis oppoſito memoratæ voluntati; ſed alienam culpam, aut negligentiam permittente, vel etiam nolente cauſarum ſecundarum ordinem, & curſum impedire.

6 Renuntiet quoque Queſnellus immitibus ſuis, & propriis novæ ſectæ dogmatibus: Qualia ſunt, quæ ex Janſenii cap. 20. col. 390. ſuperiùs protuli; quibus ſimile eſt illud Arnaldi in quinto Articulo inter 31. ab Alexandro VIII. damnatos: „ Pagani, Judæi, Hæretici, aliique hujus generis nullum omnino accipiunt à Jesu Chriſto influxum; adeóque hinc rectè inferes, in illis eſſe voluntatem nudam, & inermem ſinè omni gratia ſufficienti. „ Utrique horrifico, ac deteſtabili errori conſonat vigeſimus ſextus Queſnelli, *Nulla dantur gratia, niſi per Fidem*. Vigeſimus ſeptimus, *Fides eſt prima gratia, & fons omnium aliarum*, Vigeſimus octavus: *Prima gratia, quam Deus concedit peccatori, eſt peccatorum remiſſio*. Vigeſimus nonus: *Extra Eccleſiam nulla conceditur gratia*. Quibus accedit trigeſimus, quem modò diſcutimus, cum tribus ſequentibus, qui proximis capitibus reſervantur. Si junxeris quadrageſimum, quod *Sinè gratia nihil amare poſſumus, niſi ad noſtram condemnationem*; qualem nobis, Deus bone! Queſnellus deſcribit totius humani generis Redemptorem? *Falſum eſt*, inquit, *me non credere, quòd* Jesus *Chriſtus mortuus ſit pro omnibus hominibus*. Sed quomodo mortuus eſt pro omnibus hominibus, ſi nullos voluerit ſalvos fieri, niſi *qui ſalvantur infallibiliter*, ut tradit Propoſitio trigeſima, nec ullum cæteris obtulerit medium ſufficiens, quod arripere potuerint, ut beatitudine potirentur? Mortalium multitudo

titudo longè maxima nunquam Fidei lumine illuſtrata fuit, cui ſi omnis perpetuò gratia deſuerit, velim iterum Queſnellus edoceat, quo ſenſu pro immensâ illâ infidelium turbâ Chriſtus mortem oppetiiſſe affirmetur?

7 Sufficit, inquit, mors Salvatoris omnibus liberandis: at, ut rectè advertit ipſe Janſenius, ſufficit etiam omnibus dæmonibus; ideonè Chriſtus pro iis mortuus dicatur? Neque effugiunt Janſeniſtæ per hoc, quod Chriſtus pro peccato originis extinguendo obierit, atque illud omnibus hominibus commune ſit, non dæmonibus: Quid enim, juxta Queſnellum, infideles in cæcitate mortui plus unquam beneficii accepère à Chriſto, quàm dæmones; quid benignioris erga illos, quàm erga hos voluntatis Chriſtus habuit? Non enim Salvatoris intentio peccatum originis in communi, & abſtracto reſpicit, ſed prout in hominibus reperitur, & quidem ſingulis. Quid igitur indè ſubſidii, aut ſolatii infidelibus eſt, ob quod Chriſtum veluti Redemptorem ſuum agnoſcere teneantur, ſi is in mente ſingulos diſtinctiſſimè concipiens, quos redemptione ſuâ comprehenderet, ipſos excluſerit? Nè originis quidem peccatum, Queſnello Judice, extinguere Chriſtus voluit in iis infidelibus, quibus nunquam obtigit juſtificatio.

8 Ultima Queſnello elabendi ſpes eſt in illo Tridentini ſeſſ. 6. cap. 3. *Verùm etſi ille pro omnibus mortuus eſt, non omnes tamen mortis ejus beneficium recipiunt; ſed ii dumtaxat, quibus meritum paſſionis ejus communicatur*. Unde colligit Queſnellus ſatis intelligi, quomodo Chriſtus dici poſſit Redemptor etiam eorum, qui nullum à morte ejus beneficium recipiunt, ut parvuli ſinè baptiſmo decedentes, & qui infantibus comparantur perpetuò amentes.

Verùm & hic evaſioni aditus facilè præcluditur; nam ſicut officium Redemptoris communis omnium hominum non requirit, ut concedantur omnibus gratiæ ſpeciales, & electis propriæ, quas juſtitia, & felicitas æterna certiſſimè conſequatur; ita neque ad eum pertinet naturæ immutare ordinem, & impedire, nè ullus in terris infidelium toto vitæ tempore laboret amentiâ, vel nè ullus moriatur parvulus in utero matris abſque baptiſmo. Satis eſt, ſi ex Servatoris meritis, præparentur ſingulis remedia cuilibet accommodata ſtatui, neque per Liberatorem ſtet, quin ſingulis applicentur; adultis ſcilicet, qui divinorum inſtinctuum capaces ſunt, illuſtrationes intellectûs, & excitationes voluntatis, quibus juſtitiam aſſequi, & in ea ad finem uſque valeant permanère: Parvulis baptiſmus, quem cupit obvenire ſingulis, mittens in omnem terram Viros Apoſtolicos, plures ad idem charitatis munus invitans, jubens pro ſalute omnium Deum precibus ſolicitari. Procul igitur eſt Eccleſia Catholica ab ea Janſeniſtarum execrabili duritie, quæ negato omni gratiæ ſubſidio, pleriſque hominibus præcepta reddit impoſſibilia, impoſſibilem juſtitiam, & ſalutem, Deum pauciſſimis benevolum, nec Chriſtum pluribus Redemptorem.

9 Sed neque perſpicit Queſnellus, vel perſpicere ſe diſſimulat, hanc Synodi doctrinam præſenti ſuo articulo, & aliquot ſequentibus directiſſimè adverſari. His enim Queſnellus omnem Dei voluntatem, omnia Chriſti deſideria circa ſalutem hominum aſſerit eſſe efficacia: Negat clariſſimè Tridentinum, cùm ait: *Etſi ille pro omnibus mortuus eſt; non omnes tamen mortis ejus beneficium recipiunt; ſed ii dumtaxat, quibus meritum paſſionis ejus communicatur*. Contra contendit Queſnellus, meritum paſſionis communicari iis omnibus, eoſdem omnes beneficium mortis Chriſti recipere, pro quibus, ut ſalvarentur, mortuus eſt. Quemadmodum Fides docet, à plurimis reſiſti gratiæ, ita & plurimi Dei gratiam non recipiunt; quia recipere nolunt; ſed rejiciunt oblatam: oculos Divini Solis radiis occludunt: animum ad illicita divertunt, brutorum inſtar animalium immergunt ſe voluptatum ſordibus. Si talibus paſſionis meritum non communicatur, quia oblatam gratiam recipere nolunt, non propterea Deo, & Chriſto neganda eſt laus Salvatoris, etiam intuitu eorum, qui ſalvari noluerunt, nec communicationem meritorum Chriſti admittere.

10 Accedit, quòd illo Tridentini capite non de auxiliis gratiæ agatur, ſed de habitu ſanctificante. Hic paſſionis fructus dicitur non ab omnibus recipi, etſi pro omnibus mortuus ſit. De iſta meritorum communicatione ibi Synodus tractat, non de illa, quæ gratiarum actualium eſt. Sic habet titulus capitis: *Qui per Chriſtum juſtificantur*. Exordium capitis ſunt verba jam citata, quibus probatio ſtatim ſubnectitur. „ Nam ſicut revera homines, niſi ex ſemine „ Adæ propagati naſcerentur, non naſceren- „ tur injuſti, cum ea propagatione per ipſum, „ dum concipiuntur, propriam injuſtitiam „ contrahant; ita niſi in Chriſto renaſce- „ rentur, nunquam juſtificarentur, cùm eâ re- „ naſcentiâ per meritum paſſionis ejus gra- „ tia, qua juſti fiunt, illis tribuatur. „ Neque in tota reliqua capitis parte verbum eſt, quod de receptione, vel communicatione gratiarum actualium, apertam faciat mentionem. Nihil

Nihil itaque Tridentini ſententia continet, quod damnato patrocinetur errori; ſed eum invictiſſimè debellat.

CAPUT XV.

Caſtigantur plura Queſnelli mendacia in eadem ejus proteſtatione occurrentia.

1 Quis demum à multiplicis mendacii labe purget, quod in eâdem Proteſtatione pag.47. Queſnellus ait: „ Se omnibus ſubſcribere, quæ circa hanc materiam definivit Ecclesia, nullumque inſtaurare ex erroribus ab ea condemnatis? „ Subſcribitne cenſuræ Alexandri VIII. adversùs Articulum hunc quartum inter triginta & unum: „ Dedit ſemetipſum pro nobis, oblationem Deo, non pro ſolis electis, ſed pro omnibus, & ſolis fidelibus? „ Damnatnè cum eodem Pontifice ibidem Articulum quintum: „ Pagani, Judæi, Hæretici, aliique hujus generis nullum omnino accipiunt à Jesu Chriſto influxum; adeòque hinc rectè inferes, in illis eſſe voluntatem nudam, & inermem ſinè omni gratia ſufficienti? „

2 Non magis Queſnellus approbat proſcriptionem Articuli 8. in eodem diplomate *neceſſe eſt infidelem in omni opere peccare*. Tenemus enim infamem ejus ſatyram, quam velut *Epiſtolam Abbatis ad quemdam Romanæ Curiæ Prælatum* typis edidit. In qua illud Pontificis Decretum ab initio uſque ad finem impudentiſſimè vellicat, ubique ſuum prodens ingenium Schiſmaticum; ut cùm ait pagina 22. „ Condemnare illas Propoſitiones, eſt peſſimè remunerari zelum Facultatis Theologicæ tam illuſtris, qualis eſt Lovanienſis, & laborem, quem ab illa deputati ſubiverunt veniendo Romam, quæſituri remedium ad ſedanda diſſidia. Pagina 23. „ Innocentius XI. videbatur tranquillitatem Eccleſiæ aliquautùm reſtauraſſe, & aliqua ex parte amputaſſe ſimilium novarum diſſenſionum radices; at ecce jam reviviſcunt per decretum æquivocum, ad nihil niſi ad diſſenſiones utile. Pag. 50. „ Decretum illud procuratum eſt à factione Miniſtrorum Hiſpaniæ, qui crediderunt hoc maximè profuturum ad fovendas diſcordias, quæ ſunt inter Curiam Gallicam, & Romanam, atque ad impediendam concordiam, cui pridem incumbi cœperat. Pag. 11. „ Proſcribere hos Articulos, eſt de re nihili excitare ſtrepitum, abuti ſuperiori authoritate, & ciêre in Eccleſiâ tumultus per cenſuras, quibus oportuit ſedari. Pag. 22. „ Tam æquivocarum enuntiationum damnatio ad nihil valet, niſi ad diſſidiorum incendia in ſcholis excitanda. „

3 Tenemus & temeratiam non minùs, iiſdemque damnatis erroribus patrocinantem *Nonam partem difficultatum propoſitarum Domino Steyaert*; anonymam quidem, ſed cujus gloriam Janſeniani paſſim tribuunt Arnaldo, cui tunc ad ultimam ſenectutem provecto quin Queſnellus contubernalis ſubſidiariam operam contulerit, indubitatum eſt, in iis præcipuè, quæ ad idem Alexandri VIII. decretum pertinent, quo plura ex ejus dogmatibus proſcribuntur.

4 Quærere igitur nobis liceat ex Queſnello, cujus ſubſcribat ſententiæ; num memorati Pontificis ferientis hunc Articulum 8. *Neceſſe infidelem in omni opere peccare*, an Arnaldi pag. 125. aſſerentis *Denuntiatores non alio conſilio poſtulaſſe ejus cenſuram, quam ut præcipuum Moralis Chriſtianæ fundamentum ſubruerent*. Rurſus pag. 201. *Quid huic Propoſitioni*, Infideles peccant in omni opere, *opponas, niſi quod in Bulla quadam Pontificis inter damnata dogmata reperiatur? Sed quis rationis compos dixerit, Bullam iſtam prævalêre authoritati tot Pontificum, & Conciliorum, doctrinam eamdem in Auguſtino approbantium?* Quam minimè Auguſtini eſſe nos alibi demonſtramus, ſed & conſtat proſcriptam fuiſſe à S. Pio V. Gregorio XIII. Urbano VIII. inter Bajanos Articulos num. 25.

5 Licetnè ſperare futurum aliquando, ut Queſnellus circa Articulum 5. ab Alexandro VIII., ut ſupra retuli, damnatum *Pagani, Judæi*, &c. adhæreat potiùs Pontificiæ definitioni, quàm huic Arnaldicæ contra eam invectivæ pag. 222. *An igitur oportet nuntium remittere omnibus gratiæ adverſùs Pelagianos, & Semipelagianos defenſoribus, quia hi conciliari nequeunt cum quodam Inquiſitionis Decreto tot aliunde vitiis laborante?* Pag. 232. *Ex doctrina omnium Sanctorum Patrum contra Pelagianos certantium, & Principum Theologorum certum eſt, non poſſe rejici ſententiam velut falſam, quæ ſtatuit voluntatem Atheorum, & infidelium nudam, inermem, & ſinè ulla gratia ſufficiente, quando continuò violant Divina mandata.*

6 Fruſtrà ex Queſnello quæſiverimus; num ſubſcribat etiam omnibus, quæ in eadem materia ab Eccleſia definita ſunt? Subſcribit ſcilicet definitis ab Alexandro VIII. Alexandro VII. Innocentio X. Urbano VIII. Gregorio XIII. S. Pio V. quemadmodum ſubſcribit definitis à Clemente XI. quando Decreta om-

omnia partim frivolis interpretationibus molitur eludere, partim, depoſitâ ſimulationis larvâ, audet apertâ fronte, argumentis hoſtilibus impudentiùs aggredi. Sed nulla contra Queſnellum prævalere poteſt Eccleſiæ definitio, niſi in Concilio Oecumenico, vel extra illud omnes Epiſcopi Conſtitutioni Pontificiæ conſenſerint. Unde tot hæreticæ peſtes primis Eccleſiæ ſæculis extra Concilium Oecumenicum damnatæ, quæ Epiſcopos plures nactæ fuerant ſuffragatores, quam hæreſis Queſnelli, reſuſcitari ab inferis poterunt, & fœdere cum nova ſectâ inito bellum adversùs Eccleſiam inſtaurare. Imò etſi omnes à Queſnelli partibus Epiſcopi deficerent, novum illæ excogitavêre clypeum in famoſo opere *Temoignage de la verité*, *Teſtimonium veritatis*, ubi *vocem populi* tanquam vocem Dei firmiſſimum ſtatuunt fidei ſuæ contra omnia Pontificum, Epiſcoporumque anathemata propugnaculum. Sed de hoc aliàs plura.

7 Si verò quæſtio ſit de Innocentii X. Alexandri VII. Clementis XI. ſæpius iterato anathemate adversùs hæreſim impiam, & blaſphemam in quinto Janſenii Articulo condemnatam an illi conſentiat, in promptu habet non ſolummodo affirmationem; ſed etiam ſacro jurisjurandi robore, quoties opus fuerit, confirmandam. Si verò plus lucis in profeſſione deſiderans, ſciſcitandum putaveris, quomodo damnare Queſnellus valeat tanquam hæreticos, quicunque dixerint Chriſtum non *pro ſalute omnium hominum*; *ſed duntaxat prædeſtinatorum mortuum eſſe*; qui, ut omnibus notum eſt, ſenſus fuit Janſenii? Reſpondet non iſtud in quinto Janſenii Articulo damnatum; ſed ſenſum alium, & à Janſenii mente prorsùs alienum; quaſi Chriſtus ita mortuus fuiſſet *pro ſalute duntaxat prædeſtinatorum*, ut non etiam reprobis quibuſdam meritus ſit temporalem juſtitiam; adeòque nullus unquam foret juſtus, niſi ad æternam ſimul electus beatitudinem, quæ hæreſis Calvini eſt, non Janſenii.

8 Profectò magis lucida ſunt Iprenſis Epiſcopi verba, quàm ut de eorum ſenſu diſceptatio moveatur, lib. 3. de gratia Chriſti cap. 21. *Quibuſdam hominibus dare prædeſtinavit Fidem, Charitatem, & in ea perſeverantiam, uſque in finem, quos eſſe prædeſtinatos, electos, & ſalvandos dicimus .... Pro iſtis in æternum vivificandis mortuus eſt: pro iſtis ab omni malo liberandis rogavit Patrem ſuum; non pro cæteris, qui à Fide, & Charitate deficientes in iniquitate moriuntur.* Ibid. *Quæ ſanè cùm in Auguſtini doctrinâ perſpicua, certaque ſint, nullo modo principiis ejus conſentaneum eſt, ut Chriſtus Dominus, vel pro infidelium in infidelitate morientium, vel pro juſtorum non perſeverantium æterna ſalute mortuus eſſe, Sanguinem fudiſſe, Patrem oraſſe ſentiatur.* Poſſet hîc Janſenius æquè, ac Queſnellus in nupera proteſtatione ſubſumere pag. 183. atqui *neque inſanio, neque Pelagianus ſum*, ut exiſtimem, juſtitiam etiam tantummodo temporalem acquiri poſſe ſinè gratia, aut hanc aliunde nobis, quàm ex Chriſti meritis obvenire.

9 Quibus poſitis, ſi adversùs Queſnellum inſtiteris, aſſerens, Pontifices enuntiationem Janſenii in ſenſu Authoris hæreticam declaraſſe, &, uti talem ab univerſa damnari Eccleſia, ſtatim comminiſcitur *Quæſtionem Facti*, in qua Pontifices, & univerſa Eccleſia in Concilio Oecumenico congregata erroris periculo ſubjaceant. Sed quæ, amabo, hîc *Quæſtio Facti*? Nullum diſſidium eſt, ubi partes utrinque conſentiunt, ut omnes agnoſcimus, quod Janſenius non negaverit, Chriſtum pro juſtitia temporali eorum, qui à juſtitia deficiunt, oraviſſe Patrem, atque illis meritum ſuo Sanguine eas gratias, quibus ad juſtitiam pervenerint, & in ea ſubinde permanſerint annos aliquot; etſi tandem funeſto lapſu vitam impiè terminantes. Senſus itaque Janſenii planus, & apertus omnibus eſt, ut de eo dubitari non poſſit; atque adeò nec diſputatio, nec quæſtio inſtitui, uti revera hactenus à nemine inſtituta eſt. Tota itaque, & unica ſuperfuit difficultas, Romano digna examine, an ſenſus ille Propoſitionis quintæ Janſenii, prout ab Authore tam dilucidis vocibus traditus eſt, ſit Catholicus, an hæreticus. Cujus quæſtionis deciſio, ut patet, ad jus, & Fidem certiſſimè pertinet, aut nulla unquam à Conciliis, nulla à Pontificibus juris, & Fidei diſceptatio dirempta eſt. Cùm ergo Queſnellus *Proteſtationis* pagina 47. aſſerat: *"Je ſouſcris à tout ce que l'Egliſe à decidé ſur cette matiere: Subſcribo omni definitioni Eccleſiæ circa hanc materiam*, quæ eſt, ut in titulo exponitur, *de voluntate Dei, & morte Jesu Chriſti pro ſalute omnium*, ut Fidem ſuam Queſnellus liberet, neceſſe eſt agnoſcat, illum Janſeniani voluminis ſenſum eſſe hæreticum, & velut talem à Pontificibus anathemate percuſſum.

10 Sed tum quid faciet tot ſuis ſcriptis, in quibus ſenſum illum velut Auguſtinianum, & Catholicum defendit, ut in ſua *Traditione Romanæ Eccleſiæ circa gratiam*, in *Innocentia, & fide Cleri Hollandici*? Quid aget prætenſa ſua *Defenſione Romanæ Eccleſiæ, & Summorum Pontificum* cujus unicus, vel præcipuus ſcopus eſt, ſenſum Janſeniani operis ſubducere condemnationi, ſumma temeritate, & impudentia vociferans, librum illum nunquam Romæ fuiſſe legitimè examinatum, nunquam

ejus

ejus ſenſum à Pontificibus intellectum; ſed anti-Janſeniſtarum dolo Pontifices circumventos, alium exiſtimaſſe libri ſenſum, quàm Janſenii textui ſubeſſet, ut proinde, cùm maximè damnare ſe libri ſenſum aſſererent, minimè tamen re ipſa ferirent; ſed alienum, & fraude Janſenio impoſitum?

11 Verùm turpiter imponit Eccleſiæ, & Summis Pontificibus Queſnellus, non ſolummodo negligentiam, ignorantiam, errorem adeò inexcuſabilem Sedi Apoſtolicæ affingendo; ſed vel maximè ſacrilegè pejerando, ſi unquam Alexandrinæ formulæ ſubſcripſerit; vel ſaltèm docendo pejerare cæteros, quoties juxta formulam illam ſenſum Janſeniani libri deteſtari ſe profeſſi fuerint, velut impium, blaſphemum, hæreticum, quem ut Auguſtinianum, Catholicum, irrefragabilem animo retinent, & cum eo veram blaſphemiam, atque hæreticam impietatem impunè, ac perpetuò fovent.

12 Contra doloſam iſtiuſmodi, ac pernicioſiſſimam ſubſcribendi Alexandrinæ formulæ rationem, à Queſnello in fictitia ſua *Eccleſiæ & Pontificum defenſione* traditam, Chriſtianum populum ſapientiſſima Providentia Clementis XI. præmuniendum cenſuit Conſtitutione, quæ incipit *Vineam Domini Sabaoth.* Ubi Queſnellus ſinè dubio perſtringitur eâ, quam excerptam ſubjungo, ſententiâ: *Quin etiam eo impudentiæ non nullos deveniſſe compertum eſt, ut veluti naturalis honeſtatis, nedum Chriſtianæ ſinceritatis obliti, aſſerere non dubitaverint, præfata Formula à memorato Alexandro prædeceſſore præſcripta, ſubſcribi licitè poſſe etiam ab iis, qui interiùs non judicant prædicto Janſenii libro doctrinam hæreticam contineri. Quaſi verò contra quam ſcriptum eſt, qui loquitur veritatem in corde ſuo: & qui jurat proximo ſuo, & non decipit, hujuſmodi erroris ſectatoribus liceat Eccleſiam ipſam jurejurando decipere, ſimulque Apoſtolicæ Sedis providentiam fallere, dum ejuſdem formulæ conceptis verbis loquuntur, quod Eccleſia loquitur; quod tamen ſentit ipſa, non ſentiunt: ſeque parere conſtitutionibus Apoſtolicis profitentur, quibus animo contradicunt.* Reprehendi illic ſubſcribendi methodum à Queſnello traditam toto libro *Defenſe de l'Egliſe Romaine*, &c. inficiari ipſe nec volet, nec poterit; etſi multis ea Conſtitutio, ſive ejus, ſive ei adhærentium libellis infamibus impugnata ſit.

13 Cùm igitur Queſnellum nihil interim de ſententia mutaſſe; ſed remediorum multitudine continuò magis in pertinacia obdurari, & quaſi nimio lumine excæcari penitùs, quotidiana Eccleſiam experientia, & in apertum prorumpens ſchiſma rebellio doceat, oculos mentis nobis erui oportet, ut non videamus *ſubſcriptionis* à Queſnello memoratæ fallaciam. Si Fidem ſibi ab Eccleſia haberi cupiat de ſincera definitionum ſuſceptione, deſinat impugnare tantâ Eccleſiæ offenſione, & animarum pernicie tot Apoſtolicas ſanctiones, maximè dogmaticas. Deſinat funeſto ſchiſmate tunicam Chriſti inconſutilem diſcindere, & pro Eccleſia tot ſæculorum ſucceſſione ſub uno capite à Chriſto conſervatâ, turbam inducere Acephalorum.

CAPUT XVI.

Examinantur obſervationes nomine Theologorum Gallorum editæ 1716.

1 Quamquam nihil magnopere obſervationes iſtæ contineant, quod in ſuperioribus ſolutum non ſit, authoritas tamen qualiſcunque operis, quod magnifico *Theologorum Galliæ* nomine circumfertur, exigit ut ſpecialis ratio ejus habeatur. Sic igitur ſeu veri, ſeu ficti *Galliæ Theologi* Pag.51. objiciunt „ S.Pu-
„ dentii Epiſcopi Tricaſſini in Galliis nono
„ ſeculo celebratiſſimi ſuffragium, quod
„ Archiepiſcopo Senonenſi miſit de electio-
„ ne Æneæ Pariſienſis Archiepiſcopi, quam
„ declaravit approbare ſe non poſſe, niſi
„ ante ordinationem *Confitendo ſubſcribere*,
„ *& ſubſcribendo confiteri vellet, ſcriptis, &*
„ *dictis Beatorum Patrum Innocentii, Zoſimi,*
„ *Bonifacii, Sixti, Leonis, Gelaſii, Cæleſtini,*
„ *Gregorii, Hilarii, Ambroſii, Auguſtini, Iſi-*
„ *dori, Primaſii, Fulgentii, Hieronymi, Caſ-*
„ *ſiodori, Bedæ, aliorumque æquè Catholico-*
„ *rum, atque Ortodoxorum, ac ſpecialiter ſu-*
„ *per quatuor Capitulis, quibus omnis Eccleſia*
„ *Catholica adverſùs Pelagium, ejuſque hære-*
„ *ticos ſequaces pugnavit, & vicit.* Deinde
„ præmiſſis tribus capitulis, nempe de libe-
„ ro arbitrio, de gratuita prædeſtinatione,
„ de Chriſti Sanguine pro omnibus fidelibus
„ fuſo, quartum hoc capitulum continua ſe-
„ rie attexit: *Quarto ut credat, atque confi-*
„ *teatur, Deum omnipotentem omnes, quoſcun-*
„ *que vult, ſalvare, & neminem poſſe ſalvari*
„ *ullatenus, niſi quem ipſe ſalvaverit: omnes*
„ *autem ſalvari, quoſcunque ipſe ſalvare vo-*
„ *luerit.* Hæc non minùs ſancti, quàm eru-
„ diti Epiſcopi fidei profeſſio, penitùs con-
„ ſentanea eſt doctrinæ à Concilio Valenti-
„ no 3. traditæ circa annum 855. Hinc col-
„ ligitur, hanc Dei voluntatis erga ſalutem
„ hominum exprimendæ formam, ita conſe-
„ cratam fuiſſe Patrum traditione, ut ejuſ-
„ dem

„ dem confeſſio ab Ænea in ejus conſecra-„ tione exigeretur. „

2 Quem prætenſi Galliæ Theologi Pudentium, nos Prudentium appellamus: neque ſanctitatis elogium ei magis ereptum cupimus, quam Fauſto Rhegienſi, aut Joanni Caſſiano, quorum qualeſcunque boni mores fuerint, doctrinam Eccleſia minimè probavit. Poſteriores duos ab Acatholicis Maſſilienſium erroribus immunes non fuiſſe probè norunt, & ubique memorant adverſarii; Prudentium verò ab oppoſita Prædeſtinatianorum hæreſi non ſatis receſſiſſe, multorum ſententia eſt. Atque in primis non bene Catholicis olet hic ejus de Chriſti morte Articulus „ Sanguis Chriſti effuſus eſt pro om-„ nibus credentibus, ſed non pro iis, qui „ nunquam crediderunt, nec credunt, nec „ credituri ſunt. „ Quomodo enim eum concilies cum hoc Apoſtoli 1. Tim. 4. *Salvator omnium hominum, maximè fidelium*? Prudentius ſtatuit Chriſtum Salvatorem ſolorum fidelium. Neque convenit inter Prudentium, & Tridentinam Synodum ſeſſ. 6. cap. 3. docentem: „ Pro omnibus mortuus eſt; non „ omnes tamen mortis ejus beneficium reci-„ piunt; ſed ii dumtaxat, quibus meritum „ paſſionis ejus communicatur. „ Juxta Prudentium non pro omnibus mortuus eſt, ſed pro ſolis credentibus. Tridentinum ait non omnibus, pro quibus Chriſtus mortuus eſt, meritum paſſionis ejus communicari: Prudentius definit pro nemine mortuum eſſe, niſi cui paſſionis meritum communicatur, ut conſtat communicari omnibus credentibus. Quis enim præter Pelagium, & ejus ſectatores dixerit, credere hominem abſque auxilio gratiæ ex Chriſti meritis conceſſæ?

3 Sed & quis Prudentii Articulum ſatis diſcreverit à quarto inter 31. hæreſeos, & aliis reſpective cenſuris notatos ab Alexandro VIII. „ Dedit ſemetipſum pro nobis „ oblationem Deo, non pro ſolis electis, „ ſed pro omnibus, & ſolis fidelibus? „ Si pro iis, qui nunquam crediderunt, nec credunt, nec credituri ſunt, Chriſti Sanguis juxta Prudentium effuſus non eſt, neceſſe erit aſſerere „ Paganos, Judæos, Hæreti-„ cos, alioſque hujus generis (in erroribus „ permanentes) nullum omnino accipere à „ Jesu Chriſto influxum; adeòque hinc recte inferes, in illis eſſe voluntatem nudam, „ & inermem, ſinè omni gratia ſufficienti. „ A quo enim, juxta Prudentii ſententiam, auxilium gratiæ ipſi recipere poſſent, dum nullum niſi ex Chriſti meritis obtingere indubitatum eſt; nec minùs evidens, à beneficio meritorum omnes exortes eſſe, pro quibus Chriſti Sanguis minimè effuſus eſt. Ita impingitur in cenſuram Articuli 5. ab eodem proſcripti Pontifice. Sic omnia præcepta ſupernaturalia, & quæcunque quavis ex cauſa ſubſidium gratiæ exigant, fiunt infidelibus obſervatu impoſſibilia; præceptorum tamen omiſſio juxta Prudentium, & Conſtitutionis Unigenitus adverſarios non foret ſinè demerito: atque ita „ Ad demerendum „ in ſtatu naturæ lapſæ non requiritur liber-„ tas à neceſſitate, ſed ſufficit libertas à „ coactione. „ Cùm autem meriti, & demeriti eadem ſit ratio, habebitur integra Propoſitio 3. hæretica Janſenii, *ad merendum, & demerendum* in ſtatu &c. ut ſupra.

4 Eadem Prudentii enuntiatio continet Janſenianam quintam „ Semipelagianum eſt „ dicere, Chriſtum pro omnibus omnino „ hominibus mortuum eſſe, aut ſanguinem „ fudiſſe. „ Quam cenſuere Pontifices, & cum eis cenſet Eccleſia univerſa eſſe *falſam*, *temerariam*, *ſcandaloſam*. Nam Prudentii ſententiam cum damnata conſentire quoad dogma, eſt manifeſtum: oppoſitam quoque ab eo judicari non tolerabilem; ſed Maſſilienſium errore laborantem, colligitur ex eo quod electionem Æneæ Pariſienſis Epiſcopi ſe approbare non poſſe declaraverit, niſi articulis à ſe propoſitis ſubſcriberet. Senſus verò Propoſitionis 5. Janſenianæ „ Impius, „ blaſphemus, contumelioſus, Divinæ pie-„ tati derogans, & hæreticus eſt „ ſic intellectus, ut Chriſtus pro ſalute ſolorum prædeſtinatorum mortuus ſit. Quid porrò diſcriminis eſt inter ſenſum illum, prout à Janſenio in famoſo volumine intentus conſpicitur, & hunc Prudentii, quem vult ut Æneas „ Credat, atque confiteatur, Deum omnipo-„ tentem omnes, quoſcunque vult, ſalvare, „ & neminem poſſe ſalvari ullatenus, niſi „ quem ipſe ſalvaverit, omnes autem ſalva-„ ri, quoſcunque ipſe ſalvare voluerit „ atque ita omnes ſalvari, pro quorum ſalute Chriſtus mortuus fuerit; quia pro nullius ſalute mortuus eſt, niſi quem Pater ſalvari meritis Filii voluerit?

5 Ex iis, quæ de duobus hactenus Prudentii articulis diſſerui, confirmatur inolita multorum de ejus doctrina non ſatis fidei dogmatibus conſentiente, exiſtimatio. Extat antiquus Prudentii manuſcriptus codex contra Joannem Scotum, in cujus prima pagina ſic notatur. „ Compoſitor hujus libri Pru-„ dentius de quibuſdam Catholicis dogma-„ tibus non ſentit Catholicè, ſicut alia ejus „ ſcripta demonſtrant. „

6 Annales quoque Bertiniani non niſi viginti annis aut circa, poſt Prudentii obitum

tum conſcripti, ad annum 861. Sic teſtantur: „ Gallindo, cognomento Prudentius, natione Hiſpanus, apprimè literis eruditus; „ qui ante aliquot annos Gotheſcalco Prædeſtinatiano reſtiterat, poſt felle commotus contra quoſdam Epiſcopos ſecum hæretico reſiſtentes, ipſius hæreſis defenſor acerrimus; indeque non modica inter ſe diverſa, & fidei adverſa ſcriptitans moritur. „

7 Addit tamen adverſarius hanc à Prudentio ſcriptam *Fidei profeſſionem penitùs conſentaneam eſſe doctrinæ à Concilio Valentino tertio traditæ circa annum* 855. Alii idem ſtatuunt de Eccleſia Lugdunenſi. Utraque contra Conſtitutionem accuſatio deſumi potuit ex ineptiſſimo libello ante viginti annos edito cum hac inſcriptione: *Calumnia convicta, ſeu Epiſtola Familiaris Cleandri &c.* Ubi pagina 18. in ejuſdem Prudentii Epiſcopi Tricaſſini patrocinium vocatur Valentinum Concilium, & pag. 20. Eccleſia Lugdunenſis. Valentini Patres damnant eos „ qui Chriſti ſanguinem effuſum definiunt pro illis impiis, qui à mundi exordio uſque ad paſſionem Domini in ſua impietate mortui æterna punitione puniti ſunt. „

8 Ibidem pag. 20. adducitur Lugdunenſis Eccleſia, quæ referente Magiſtro Floro, ita loquitur: „ Ceſſet hæc nova, & inaudita præſumptio, ut nullus hominum, etiam impiorum, & apud inferos irrevocabiliter damnatorum fuerit, pro quo Chriſtus paſſus non fuerit, cum pro ſolis illis defunctis paſſionem ſuſtinuerit, qui eum, dum in corpore viverent, fideliter venturum, & mundum ſua paſſione redempturum crediderunt. Hoc itaque eſt Catholicum, hoc Fidei Eccleſiæ ab initio commendatum. „ Tam Lugdunenſes, quam Valentini meritò rejiciunt errorem tunc graſſantem, quo dicebatur, Chriſtus ſuo ad inferos deſcenſu liberaſſe indè quotquot fuerant damnati. Contra errorem illum rectè decernitur, Chriſtum non eſſe mortuum pro omnibus, voluntate ſcilicet conſequente, ſive non pro reprobis, poſtquam æternis addicti ſuppliciis ſupponuntur; non negatur autem, Chriſtum pro eorum quoque ſalute Patri ſua merita obtuliſſe; cùm ex illis ſufficientia ad juſtitiam, & ſalutem præſidia iis, dum viverent, partim oblata, partim etiam præſtita fuerint.

9 Hic ſenſus ex ſimilitudine à Valentinis Patribus adhibita facilè colligitur: „ Illud (inquiunt) nobis ſimpliciter, & fideliter tenendum, ac docendum placet juxta Evangelicam, & Apoſtolicam veritatem, quod pro illis datum hoc pretium teneamus, de quibus ipſe Dominus noſter dicit: ſicut Moyſes exaltavit ſerpentem in deſerto, ita exaltari oportet Filium hominis, ut omnis qui credit in ipſum, non pereat, ſed habeat vitam æternam. „ Serpentem erexit Moyſes, ut omnis, qui eum aſpiceret, à lethiferis ſerpentum morſibus ſanaretur. Deſiderio itaque antecedente cupiebat Deus per Moyſen ſanitatem omnium, non abſolutè; ſed ſub conditione, modò oculos ad ſerpentem æneum converterent. Sanari verò voluntate conſequente eos ſolos voluit, qui oblato à ſe remedio uterentur. Idem ſenſus eſt alterius ſimilitudinis à S. Proſpero acceptæ, & inſertæ Cariſiacenſi Capitulo, quod ab adverſariis quoque objicitur: „ Poculum humanæ ſalutis, quod confectum eſt infirmitate noſtra, & virtute Divinâ, habet quidem in ſe, ut omnibus proſit, ſed ſi non bibitur, non medetur. „ Non potuit clariùs ſignificari ſupremi Medici voluntas ſeria antecedens; erga ſalutem omnium ſed non abſoluta, & conſequens intuitu eorum, qui medicinam reſpuerent.

CAPUT XVII.

A quibus Authoribus doctrinam Articuli trigeſimi accipere Queſnellus potuerit.

1 Fruſtrà à Queſnello Sacros Scripturarum codices, fruſtrà SS. Patres in patrocinium vocari, ſuperiùs demonſtratum eſt. Scholarum quoque Principes ab eadem novitate abhorrêre, tum ex eorum textibus, tum ex ſcholarum, eos ſibi Duces deligentium, ſententiis eſt manifeſtum.

2 Doctrinam Articuli tradidit Janſenius in quinta Propoſitione, quæ hæreſeos, impietatis, blaſphemiæ notam à Pontificibus tulit, univerſâ approbante Eccleſiâ. Verba illius ſupra dedi. Similia ſæpius repetit tomo 1. lib. 8. cap. 23. „ Chriſtus non pro totius mundi redemptione crucifixus, & mortuus eſt, ſed tantùm pro iis, qui ſalvantur.

Tom. 3. lib. 3. cap. 19. „ Nil juvat, quòd Chryſoſtomus, Oecumenius, Theophylactus, aliique Græci ſenſum iſtum recentiorum (de Deo volente omnes prorſus homines, nemine excepto, ſalvare) verum eſſe dicant; quia Chryſoſtomus ante exortas de gratia difficultates ſua exaravit, & nulli imperfectiùs de gratia, quàm Græci locuti ſunt. „ Hanc contra Chryſoſtomum, & cæteros Græcos Patres cenſuram didi-

didicit Janſenius à Calvino, qui eam in affini mareria effutiit lib. 2. Inſtitut. cap. 2.

3 Idem hæreticus in expoſitione illius, *Deus vult omnes homines ſalvos fieri*, *puerilem hallucinationem* vocat communem expoſitionem, Paulum *de ſingulis hominibus agere*, quâ rejectâ ſuam ſubſtituit, velut unicè admittendam, *Nihil aliud profectò ſignificat* (Apoſt. 1. Tim. 2.) *quàm Deum nulli hominum ordini viam ad ſalutem præcluſiſſe*. Rurſus in cap. 17. Joannis *Chriſtus proprii gregis ſolummodo fuit ſolicitus*, *& pro electis ſuis dumtaxat oravit*.

4 Calvinum ſequuntur Contra-remonſtrantes in ſpecimine Amſtclodamenſi art. 44. *Qui docent*, *Chriſtum pro omnibus*, *& ſingulis hominibus mortuum eſſe*, *hi faciunt Divinum conſilium*, *& Decretum incertum*.

5 Paulus Windeckius inter celebriores Calvini adverſarios de morte Chriſti pag. 23. graviter invehitur in hæreticos, qui „ Divo „ Auguſtino (inquit) calumnioſè, & nequi- „ ter affinxerunt, quod Dominus noſter Jesus „ Chriſtus non pro omnium hominum „ redemptione ſit paſſus, à quâ tam ſacrilegâ „ improborum hominum calumniâ mox ſe „ liberat, & egregiè vindicat. „

6 Certe vindicat Auguſtinum Proſper in præfatione ad objectiones Vincentianas, eas appellans *ineptiſſimarum quarumdam blaſphemiarum prodigioſa mendacia*, inter quæ primum eſt, *quòd Dominus noſter* Jesus *Chriſtus non pro hominum omnium ſalute*, *& redemptione ſit paſſus*. In alia præfatione, quæ præmittitur reſponſioni ad capitula Gallorum, dicit aliquos, Auguſtinum non intelligendo, collegiſſe quædam *deteſtationem* prometentia, atque ita *injuſtis opprobriis* voluiſſe Sanctum *infamare*, & *calumniari*. Tum inter ea, quæ Auguſtino injuſtiſſimè attribui queritur, eſt, *quòd non pro totius mundi redemptione Salvator ſit crucifixus*. Ipſe autem Proſper, aut quisquis eo non inferior, Author lib. 2. de Vocatione Gentium cap. 31. ſic docet: „ Sive „ manifeſtè, ſive occultè, ipſe eſt, ut Apo- „ ſtolus ait, Salvator omnium hominum, „ maximè fidelium; quæ ſententia ſubtiliſſi- „ mæ brevitatis, & validiſſimi roboris, ſi „ tranquillo conſideretur intuitu, totam „ hanc de qua agimus, controverſiam diri- „ mit; dicendo enim: qui eſt Salvator omnium „ hominum, confirmavit bonitatem Dei ſu- „ per univerſos homines eſſe generalem. „ Adjiciendo autem, maximè fidelium, oſten- „ dit eſſe partem generis humani, quæ me- „ rito fidei divinitus inſpiratæ ad ſummam, „ atque æternam ſalutem ſpecialibus benefi- „ ciis provehatur. „

7 Sed propter plura ſimilia aſſerta, S. Proſper Janſenio, licèt aliàs ab ipſo laudatus, diſplicet lib. 3. de Gratiâ Chriſti cap. 21. „ Proſpero (inquit) antiquior, & doctior „ Auguſtinus nunquam in ſcriptis ſuis fate- „ tur Chriſtum pro omnibus, nullo excepto, „ ſe dediſſe redemptionem, vel crucifixum „ eſſe, vel mortuum; ſed tantummodo pro „ illis, quibus mors ejus profuit, qui certo „ modo multi, & omnes ſunt. Hinc genui- „ niùs, veriùſque reſpondemus, Chriſtum „ dici ſe Redemptionem dediſſe pro omni- „ bus: hoc eſt pro univerſa ſua Eccleſia, & „ conſequenter pro omnibus hominum ge- „ neribus, Regibus, privatis, &c. „ Verùm in hoc credendum minùs Janſenio, quàm ipſi Sancto Proſpero, qui in præfatione ad capitula Gallorum teſtatur, ſe *in nullo recedere à tramite earum definitionum*, *quæ in Sancti viri* (Auguſtini) *diſputationibus continentur*. Et ipſe Janſenius lib. 6. de Gratia Chriſti, cap. 13. agnoſcit „ Proſperum eſſe acer- „ rimum, & accuratiſſimum Doctrinæ Augu- „ ſtini defenſorem, nec ab ejus tramite, „ quantum ad gratiam, vel liberum arbi- „ trium attinet, vel latum unguem diſceſ- „ ſiſſe. „

8 Si loco Proſperi Janſenius, vel Queſnellus Hipponenſi Antiſtiti defenſor obtigiſſet, ſententia negans Chriſtum pro omnibus eſſe mortuum non inter *Prodigioſa mendacia*, *calumnias*, *impias*, *profanas*, *blaſphemas* opiniones, ut Proſper appellaverat, ampliùs cenſeretur, ſed inter tutiſſima, & inconcuſſa Auguſtini dogmata. Ita Antonius Arnaldus, Queſnelli doctor domeſticus, in prima pro Janſenio Apologia pag. 173. „ Evidens eſt „ ſecundùm Concilia, & Patres, quod hæc „ Propoſitio: Jesus Chriſtus mortuus eſt „ pro omnibus hominibus, vel redemit „ omnes homines, non poſſit intelligi de „ omnibus hominibus in particulari „ pag. 208. „ Quod attinet ad ſecundam partem „ anathematis, quæ ſtabilit generalem Dei „ voluntatem ſalvandi omnes homines, pa- „ tet evidentiſſimè, quam authoritatem ha- „ beant ejuſmodi anathemata, & quàm ſtu- „ pendum ſit, quòd talia adhibere quidam „ audeant, tanquam Eccleſiæ Catholicæ „ deciſiones. Imo, (inquit,) „ pag. 172. „ Eccleſia in ſuis Conciliis damnavit tan- „ quam doctrinam falſam, & Scripturæ con- „ trariam; quòd Jesus Chriſtus mortuus ſit „ pro infidelibus, qui moriuntur in ſua infi- „ delitate.

9 Ideo primis Janſenii Sectatoribus ſtatim curæ fuit, hoc dogmate etiam pueros imbuere, compoſito famoſo *Catechiſmo de gratia*; qui quidem à Sede Apoſtolica pro-

ſcriptus ſæpius; ſed novis ſemper divulgatus editionibus, ſubinde etiam mutato, nè damnatus videretur, titulo. Illic quæſtione 66. quæritur: *Vultne Deus ſolos electos ſalvos fieri?* Reſpondetur *Ita: eos tantùm ſalvare vult, quos prædeſtinavit; at ſolos electos prædeſtinavit. Si vellet omnes, ac ſingulos homines ſalvare, omnes reipſa ſalvarentur, quia omnia quæcumque vult in cælo, & in terra, facit; nec eſt qui poſſit ejus reſiſtere voluntati.* Quod quidem argumentum, utì, & cætera, Janſeniſtas docuêre eorum prodromi Calviniſtæ Theodorus Beza, Hieronymus Zanchius, Andreas Willetus vulgò dictus *Calvini breviator.* Sic nempe Beza in Apologia Colloquii Montpelgartenſis pag. 315. & 312. *Si verè, & ſimpliciter Deus vellet omnes ſalvos fieri, omnes neceſſariò ad ſalutem perducerentur; quia voluntas ejus eſt omnipotentiſſima. At non omnes actualiter ſervantur.*

10 Hieronymus Zanchius: „ Cum Dei „ voluntas nullâ ratione impediri poſſit, & „ ſit omnipotentiſſima, idcirco nullo modo „ dici poteſt, Deum ſimpliciter, & pro„ priè velle omnes in univerſum homi„ nes ſalvos fieri. „ Idem in explicatione Theſis 12. „ Cùm voluntas Dei ſit om„ nipotentiſſima, profectò ſi ſimpliciter vel„ let omnes homines ſalvos fieri, omnes ſal„ vi fierent &c. ideo Pſalmo 113. dicitur, „ quæcunque voluit Dominus fecit in Cœ„ lo, & in terra.... cæterùm pugnat cum „ Dei omnipotentia, & majeſtate dicere, „ Deum aliquid ſimpliciter velle, & illud „ non fieri. Quare, ſi qui non ſalvantur, di„ cendum eſt, Deum noluiſſe ſimpliciter illos ſalvari. „ Willetus in Synopſi Papiſmi lit. de reparatione generis humani pag. 145. „ Si Deus omnes homines ſalvos fieri vellet, „ cur non omnes ſalvarentur? Num ejus vo„ luntati quis obſiſtit? Neque hic vetuſtio„ rum Pelagianorum valet effugium, Dei „ voluntatem non impleri, ſcilicet quia ho„ mo adverſatur; ita enim Deo homines po„ tentiores conſtituerentur.

11 Habet hìc Queſnellus, quibus progenitoribus fœtus tam deteſtabilis in lucem prodierit ſeculo 16., poſtquam oblivione quodammodo ſepulti eſſent Prædeſtinatiani veteres, Calvini, & Janſenii majores. Cùm primùm prædicari publicè cœpit inaſſuetis ad eam blaſphemiam Chriſtianis, auribus horrorem incuſſit, & offenſionem graviſſimam, teſte Franciſco Feu-ardentio Theomachiæ Calviniſticæ lib. 5. cap. 15. „ Bezâ „ coram Principe Friderico, univerſoque „ Germanorum, & Gallorum cœtu concio„ nante..... cùm tam abſurda, horrenda, „ & manifeſtè impia diceret de morte Chri„ ſti, quòd videlicet non pro omnibus pec„ catis, & peccatoribus ſit mortuus, Illu„ ſtriſſimus Princeps Comes Fridericus Do„ minum Jacobum monuit, ut finem collo„ quio imponeret. Pertæſa enim erat Cel„ ſitudo ejus talia amplius audire...... ex „ quibus Calviniani animadvertere poſſunt, „ ſe ob iſtas admiſſas in Chriſtum frequen„ tes, & graves blaſphemias meritò odioſos „ factos eſſe Deo, angelis, & hominibus.

12 Majorem turbationem in Bernenſium Calviniſtarum animis excitavit eadem novitas, ut refert Samuel Huberus in Hiſtoria Colloq. Bernen. pag. 162. „ Quidam (in„ quit) ex Calvinianis Præconibus Bernæ, „ cùm die Palmarum pro concione hanc in „ auditu Chriſtianorum horrendam doctri„ nam, Chriſtum non pro omnibus homini„ bus mortuum eſſe, docuiſſet, multos no„ vi Euangelii alumnos in dubitationem de „ gratiâ, & propitiatione Chriſti, deſpera„ tioni proximam conjecit; adeò ut feſto „ Paſchatis multi ad cœnam Zvvinglianam „ accedere detrectarent, cujus ſumptione „ incerti eſſent, an pro ipſorum peccatis „ Chriſtus redemptionis ſuæ pretium exſol„ viſſet.

13 Nihilominus paulatim magis obcæcati, hæreſeos fœditates non perſpexêre; ſed Magiſtrorum fallacium fraudibus circumventi credere cœperunt ſententiam, quæ redemptionem ad ſolos reſtringit prædeſtinatos, quaſi ea magis ad Dei, & Redemptoris gloriam pertineret.

Sic Beza reſponſ. 2. circa colloquium Montpelgartenſe pag. 216. ait, *Impium, & blaſphemum, affirmare damnari poſſe quemquam, pro quo Chriſtus ſatisfecerit*; ut ſatisfeciſſe juxta Calviniſtas creditur pro quolibet juſtitiam ſemel conſecuto.

Pag. 221. *Falſum, blaſphemum, impium eſt, dicere Chriſtum, ſive quoad conſilium Dei attinet, ſive quoad effectum* (pro reprobis) *Crucifixum, & mortuum eſſe.*

14 Quin, & ignorantibus perſuaſum eſt, doctrinam de Deo omnes homines ſalvare, & de Chriſtò ſingulos redimere volente ab antiquis gratiæ hoſtibus Pelagianis, & Maſſilienſibus, ſive Semipelagianis originem traxiſſe. Ita Janſenius lib. 3. de gratia Chriſti cap. 20. ait *Non exiguum iſti interpretationi* (communi de Deo omnes homines volente ſalvare) *præjudicium fuit, quod ſic explicuerunt eum locum hoſtes gratiæ Pelagiani, & Semipelagiani.*

Ibidem *Id olim ad nauſeam uſque à Pelagianis, præſertim Maſſilienſibus inculcatum fuit,*

fuit, ut mirum ſit, recentiores tanto ſtudio trita hæreticorum arma colligere, & obſoleta recudere. Sed quanto veriùs Catholici in Janſenianos argumentum converterent, dicendo, Eccleſiam in pacifica tot ſeculis poſſeſſione fuiſſe credendi mortem Chriſti pro omnibus. Quid igitur in mentem venerit Calviniſtis hæreſim tam atrocem in campum reducere; quid verò, & Janſeniſtis confracta toties à Scriptoribus Catholicis arma Calviniſtarum colligere, & inſtaurare certamina?

15 Quod Janſeniſtæ paſſim jactant de agnito à ſe pretio ſufficienti pro omnium mortalium ſalute, ſed non pro ſalute omnium oblato, diſcere potuerunt à Calvinianis, de quibus olim Paulus Windeckius lib. de morte Chriſti pag. 81. ajebat, „ Quàm ineptè hanc „ diſtinctionem ſibi applicent (de oblatione „ pretii ſufficientis, non efficientis) cordatioribus diſpiciendum relinquo. Scholaſtici Doctores ex Paulo docent; pretium „ paſſionis Dominicæ in hunc modum pro „ omnibus hominibus eſſe ſufficiens, ut id „ Chriſtus univerſis, nemine, occulto conſilio, indè ſecluſo, præparaverit, & ordinaverit. At hujus contrarium docent Calviniſtæ. „ Quod repetens pag. 42. ſic concludit „ Procul igitur faceſſat vana, & mendax iſta Calviniſtarum jactantia, qua nobiſcum idem jactare ſimulant (dicentes „ Chriſtum pro omnibus mortuum eſſe quoad ſufficientiam) nam ſolùm verba; non „ autem ſenſum hujus diſtinctionis nobiſcum „ uſurpant, & hoc ſpecioſo fuco, ac inanibus præſtigiis Lectorem ludificantur.

Idem pag. 42. „ Docent Calviniſtæ „ Chriſtum quoad ſufficientiam pro omnibus, & quoad efficaciam pro ſolis prædeſtinatis, mortuum eſſe: nec huic diſtinctioni obluctantur; ſed ea ſæpe numero, & libenter uti ſolent, his vocabulis doctrinam „ ſuam immiſcent, quod à doctrinâ Scholaſticorum valde abhorret. . . . ac mihi ſimiles impoſtoribus eſſe videntur, qui in „ pharmacopolio lemma quoddam pixidi inſcriptum, ubi ſalubre medicamentum aſſervaretur, indè detractum, pixidi veneнaræ inſcriberent; & ſic ob bonum lemma „ inſcriptum, jactarent pharmacum eſſe ſalubre. Ita verſuti hi nebulones diſtinctione hac utentes, eam pro rerum, ac perſonarum commoditate aliter, atque aliter attemperant, & pro ſalubri Scholaſticorum „ pharmaco, Doctrinæ ſuæ virus exitiale, „ ſed ſub lemmate ſalubris hujus diſtinctionis pulchre abſconditum, incautis epotandum propinant.

Trigeſimaprima Propoſitio damnata.

Deſideria Chriſti ſemper habent ſuum effectum; pacem intimo cordium infert, quando eis illam optat. *Obſerv. Mor. Jo. 20. verſ. 19.*

CAPUT I.

Confutatur damnata Propoſitio.

1 Cum ergo, inquit Euangeliſta loco citato, *ſerò eſſet die illo, & fores eſſent clauſa, ubi diſcipuli erant congregati propter metum Judæorum, venit* Jesus, *& ſtetit in medio, & dixit eis, pax vobis*. Hic Queſnellus ſolitâ ſuâ obſervandi methodo inter Theologos, & Scripturarum interpretes inuſitata, ex facto uno, ſive ex antecedente particulari univerſalem colligit concluſionem: *Deſideria Chriſti ſemper habent ſuum effectum*. Nos ſaniorem, & ab omnibus ratione utentibus admiſſum interpretationis canonem ſecuti, dicimus; ut invitatio ſit ſeria, affectum ei reſpondere neceſſe eſt. Unde quicunque hactenus invitantem Chriſtum legimus Matth. 11. verſ. 28. *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos*; perſuaſum habuimus, Chriſtum verè deſiderare, ut omnes laborantes, & onerati ad eum veniant: ita ſenſit S. Chryſoſtom. homil. 19. apud S. Thomam in Catena aurea in hunc locum. *Non autem dicit, Venite ille, & ille, ſed omnes; qui in ſolicitudinibus, qui in triſtitiis, qui in peccatis eſtis, non ut expetam noxas* (ſive ut gloſſa marginalis habet, *non ut noxarum ultionem, ſeu vindictam repetam*) *ſed ut ſolvam peccata*. Et ipſe Sanctus Thomas in expoſitione ejuſdem loci, ſic interpretatur. „ Venite „ ad me omnes, venite ad mea beneficia. „ Et primò ponitur invitatio, ſecundò neceſſitas invitationis, tertiò utilitas. Dicit ergo venite ad me, quod verbum „ etiam Sapientiæ eſt. Eccl. 24. Tranſite ad „ me omnes &c. Qui laboratis ſpecialiter hoc poteſt convenire Judæis, quia „ laborabant in oneribus legum, & manda-

„ torum . . . . Item generaliter quantum „ ad omnes, qui laborant propter humanita- „ tis fragilitatem , onere ſcilicet pecca- „ torum .

2 Audit Queſnellus, Chryſoſtomo, & Angelico interpretibus, invitari à Chriſto omnes generaliter peccatorum onere laborantes. Supra quos Eccleſiæ Doctores ſe efferens, jubet nos credere, *Deſideria Chriſti ſemper habere ſuum effectum*: neque omnes laborantes, & oneratos invitari ſeriò. Unde Chriſti vocantis ſenſus foret; *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis*, ſed non deſidero, ut veniatis omnes: *& ego reficiam vos*: non deſidero vos omnes reficere.

3 Non plus ſenſus proprii, non plus invitationis ſeriæ juxta Queſnellum continet vocatio *ad nuptias* Matth. 22. aut Lucæ 14. ad *Cœnam magnam*. Ad hanc multi non ſolummodo dicuntur vocati, & invitati; ſed iterata invitatione preſſi quodammodo: miſit enim Dominus *ſervum ſuum hora cœnæ dicere invitatis, ut venirent, quia parata ſunt omnia*. Apud Matthæum ter invitati ſunt; *Miſit* quippe rex *ſervos ſuos vocare invitatos ad nuptias, & nolebant venire. Iterum miſit alios ſervos, dicens: Dicite invitatis: Ecce prandium meum paravi; tauri mei, & altilia occiſa ſunt, & omnia parata, venite ad nuptias*. Utrobique ex invitatis nè unus quidem venire voluit, utrobique Dominus *iratus* deſcribitur adverſus ingratos; & quidem apud Lucam: *Dico autem vobis*, inquit, *quòd nemo virorum illorum, qui vocati ſunt, guſtabit cœnam meam*: in quorum locum pauperes, ac debiles, cæci, & claudi ſubrogantur: & apud Matthæum concluditur: *Multi enim ſunt vocati; pauci verò electi*.

4 Uterque locus typum exhibet vocationis hominum ad ſalutem; in typo autem, ut cum re ſignificata conveniat, debuit juxta Queſnellum Dominus ſervos hanc invitandi, & vocandi rationem edocere: „ Dicite in- „ vitatis, ecce prandium meum paravi: tau- „ ri mei, & altilia occiſa ſunt, & omnia pa- „ rata; venite ad nuptias; ſed potiùs non „ venite, quia neque venire poteſtis, neque „ dominus deſiderat ut ullus veſtrum ve- „ niat. „ Qualis, amabo, fuiſſet illa invitatio? Inhumana prorſus, ſtulta, & nè inter barbaros quidem tolerabilis. Quid enim invitas; & tam operosè, atque iteratò urges, ut veniamus tam multi, ſi nè unum quidem noſtrûm venire deſideras? Hic ſcilicet modus eſt, quo in Queſnelli ſententia omnes reprobi vocantur, invitantur ad ſalutem à Chriſto per Eccleſiæ miniſtros: à Chriſto, inquam, invitantur, vocantur in ſpeciem amantiſſimè; ſed revera dolosè, & abſque ullo Chriſti erga eorum ſalutem deſiderio, ſi quidem *deſideria Chriſti ſemper habent ſuum effectum*. Matth. 23. v. 37. dicit Chriſtus: „ Jeruſa- „ lem, Jeruſalem, quæ occidis Prophetas, „ & lapidas eos, qui ad te miſſi ſunt, quoties „ volui congregare filios tuos, quemadmo- „ dum gallina congregat pullos ſuos ſub „ alas, & noluiſti? Ecce relinquetur vobis „ domus veſtra deſerta. „ Chriſtus Queſnelli axiomate imbutus, niſi fallere Judæos voluiſſet, dicere debuerat: Jeruſalem, Jeruſalem, quoties viſus ſum velle congregare filios tuos, ſed revera non volui, quia *deſideria mea ſemper habent ſuum effectum*.

5 Aliter S. Thomas in expoſitione eorumdem verborum, JERUSALEM, JERUSALEM, inquit: *Deſignat iſta geminatio affectum miſerantis, unde dicitur Lucæ 19., quòd videns Civitatem, flevit ſuper eam*. Quem alienæ calamitatis verè miſeret, deſiderat ſinè dubio, ſi in poteſtate habeat, ſuccurrere. Quomodo verò Chriſtus luculentiùs nobis exprimere potuiſſet deſiderium ſalvandi Jeruſalem, quàm aſſumptâ gallinæ ſimilitudine? Nam, ut hìc Sanctus Auguſtinus: „ mirus eſt amor omnibus „ ferè avibus, ad confovendos, & prote- „ gendos pullos; ſed præcipuè gallinis, quæ „ pullos colligunt ſub alas, id eſt ſummo „ cum deſiderio, & ſolicitudine eos fo- „ vent. „ At in Queſnelli ſententia nullam ſolicitudinem, nullum deſiderium Chriſtus habuerit colligendi filios Jeruſalem, qui colligi noluerunt: nullum ei deſiderium fuerit ſervandi civitatem, cujus proinde excidium non niſi fictis lacrymis, ficta commiſeratione defleverit; ſi quidem *deſideria Chriſti ſemper habent effectum ſuum*.

6. Non ita Cyrillus apud S. Thomam in catena aurea ad hunc locum: *Miſerebatur*, inquit, *eorum Chriſtus, qui omnes homines vult ſalvos fieri: quod nobis non patuiſſet, niſi per aliquod humanum fieret evidens: effuſæ enim lacrymæ ſunt ſigna triſtitiæ* de eorum interitu, quos ſalvos fieri amator omnium voluerat.

7. In eadem Angelici catena Theophylactus: EO QUOD NON COGNOVERIS TEMPUS VISITATIONIS TUÆ, *ideſt, mei adventûs: veni enim viſitaturus, & ſalvaturus te: quod ſi cognoſceres, & in me crederes, eſſes pacata Romanis, & ex omnibus exempta periculis, ſicut omnes, qui crediderunt in Chriſtum, evaſerunt*. Non ſic juxta Queſnellum interpretari, ſeu Theophylactus, ſeu Angelicus debuiſſet verba Chriſti; ſed ita: Veni viſitaturus, non ſalvaturus te; quia nullum te ſalvandi habui deſiderium: neque volui, ut me cognoſceres, & in me crederes: ne-

que

que deſideravi, ut eſſes pacata Romanis, & ex omnibus exempta periculis, ſicut omnes credentes in me, evaſerunt; quia ipſis pacem deſideravi, & *deſideria mea ſemper habent ſuum effectum*.

8 Iterum S. Thomas in illud Chriſti apud Joannem cap. 19. Sitio, *oſtenditur*, inquit, *ejus ardens deſiderium de ſalute generis humani*; 1. *Tim.* 2. *vult omnes homines ſalvos fieri*. Ecce deſiderium non qualecunque, ſed ardens ſalutis omnium hominum. S. Petrus Epiſt. 2. cap. 3. monet quòd Dominus patienter agat propter nos, *nolens aliquos perire; ſed omnes ad pœnitentiam reverti*. Non omnes tamen ad pœnitentiam revertuntur, quos Chriſtus reverti vult; ſed multi pereunt, quos perire non vult, utpotè nolens aliquos perire; ſed omnes ad pœnitentiam reverti: Queſnellus verò uti Clementem XI. in multis, ita & ipſum Apoſtolorum Principem hic erroris arguit, quaſi dicere non debuerit, quòd Dominus *Non velit aliquos perire, ſed omnes ad pœnitentiam reverti*; cùm non revertantur omnes, & deſideria Chriſti effectu ſuo nunquam deſtituantur. Juxta hanc Queſnelli ſententiam fallaces fuere omnes Chriſti hortationes, omnia monita ad juſtitiam, & ſalutem eorum, qui converſi non ſunt. Monita enim hortatoris, præſertim urgentia, & ſæpius iterata, indubiè deſiderium ejuſdem indicant, ut hortatio conſequatur effectum: Chriſto autem nullum unquam deſiderium fuiſſe ſalutis reproborum, damnata Queſnelli novitas contendit.

9 Nos errorem hunc in ſuperiore abunde confutavimus Scripturarum oraculis, Conciliorum, & Pontificum definitionibus, profeſſionibus Fidei, traditione Patrum, & Scholaſticorum, ac denique multiplici Theologica ratione, quæ omnia hic cum Lectoris tædio repetere ſupervacaneum foret; cùm præſenti argumento accommodare ſingula, cuivis facillimum ſit. Si enim non omnes, quos Deus vult ſalvare per Chriſtum, ſalventur infallibiliter, ſed ex eis multi pereant, ut illic oſtenſum eſt, patet, deſideria Dei, & Chriſti non ſemper conſequi effectum. Poſterior pars Propoſitionis damnatæ, aſſerens, quòd Chriſtus ſemper, *pacem intimo cordium inferat quando eis illam optat*, nihil continet, quod non habeatur in priore. *Pax*, teſte Cornelio à Lapide in Luc. 19. v. 41. *Hebrais proſperitatem, ſalutem, felicitatem, omneque bonum tam corporis, quàm animi ſignificat*. Chriſtum autem, qui Judam ad Apoſtolici muneris dignitatem, ad convictum familiarem elegit, cumulavit tot gratiis, ac ſingularibus beneficiis, nunquam ei ſalutem optaſſe, non video quomodo poſſit abſque contumelia Salvatoris, abſque impietate, & blaſphemia affirmari.

CAPUT II.

Solvuntur Objectiones.

1 Joan. 11. verſ. 22. dicit Chriſto Martha: *Sed, & nunc ſcio, quia quæcunque popoſceris à Deo, dabit tibi Deus*. Verſ. 41. ait Chriſtus Æterno Patri: *Gratias ago tibi, quoniam audiſti me*. Verſ. 42. *Ego autem ſciebam, quia ſemper me audis; ſed propter populum, qui circumſtat, dixi, ut credant, quia tu me miſiſti*.

2 Luc. 22. v. 31. *Simon, Simon, ecce Satanas expetivit vos, ut cribraret ſicut triticum*. Verſ. 32. *Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua*.

3 Heb. 5. v. 7. *Exauditus eſt, pro ſua reverentiâ*.

Omnem Chriſti orationem abſolutam, & efficacem à Patre ſemper fuiſſe exauditam, Interpretes omnes meritò prædicant, nemine revocante in dubium. Non eadem ratio eſt de oratione qualibet ſub conditione, qualis fuit de paſſionis calice, quem à ſe transferri optaverat, ſi fieri poſſet, ſalva Patris voluntate, & humani generis, quam Pater præfixerat, copioſiſſima redemptione. Quod ipſe Filius prævidens in his Divinæ providentiæ circumſtantiis fieri non poſſe, ſtatim correxit deſiderium, & petitionem revocavit. Vel hinc tamen Queſnellus intelligere utcunque potuit, non omnia Chriſti deſideria ſemper habuiſſe ſuum effectum; quia non omnia abſoluta ſunt, neque ex ejus intentione efficacia. Sic illud, quod habet de ſalute omnium hominum, conditionem continet, ſi & ipſi velint, ut eſt in adultis, vel ſi nihil obſit in naturæ ordine, vel ex aliorum defectu, ut in parvulis, qui ſive in utero Matris moriuntur, ſive in terris barbaris, abſque baptiſmo.

4 Quod objecêre Hexapla de oratione Chriſti pro Petro, digreſſioni non inutili locũ præbet ex erudito Cornelii à Lapide commentario. „ Nota, inquit, Chriſtum hac oratione Petro præ cæteris Apoſtolis duo inſignia privilegia poſtulaſſe, & impetraſſe. Primùm fuit perſonale, ut ſcilicet ipſe Petrus nunquam Fidem in Chriſtum amitteret .... ita S. Chryſoſtomus homiliâ 38. in Matth. S. Auguſtinus libro de correptione & gratia cap. 8. Theophylactus, & alii hic. Hoc probabile eſt; at non certum .... Alterum, & certum privilegium fuit commune Petro cum omnibus ejus Succeſſoribus; ut ſcilicet ipſe, & cæteri Pontifices Romani (Romæ enim Petrus Chriſto ita volente

„ Ca-

,, Cathedram Pontificiam ſtatuit, & ſtabili-
,, vit) nunquam publicè à Fide deficerent,
,, ſic, ut Eccleſiam docerent hæreſim, vel er-
,, rorem aliquem, qui ſit contra Fidem. Ita
,, S.Leo ſermone 2. de natali Sanctorum Pe-
,, tri, & Pauli, S.Cyprianus lib. 1. epiſt.3. ad
,, Cornelium, Lucius I. Felix I. Agatho, Ni-
,, colaus I.Leo IX. Innocentius III.S.Bernar-
,, dus, & alii, quos citat, & ſequitur Bellar-
,, minus, libro 1. de Romano Pontifice.
,, Opus enim fuit, ut Chriſtus ſapientiſſi-
,, ma ſua providentiâ Eccleſiæ ſuæ, quæ ſem-
,, per à Diabolo cribratur, & tentatur, non
,, tantùm tempore Petri, ſed omni deinceps
,, futuro uſque ad finem mundi proſpiceret
,, de oraculo veræ Fidei, quod ipſa in omni
,, fidei dubio conſulere, & à quo in fide in-
,, ſtrui, & confirmari poſſet; alioqui enim
,, Eccleſia in fide poſſet errare; quod abſit;
,, eſt enim ipſa, ut ait Paulus 1. Tim.3. v.15.
,, *Columna, & firmamentum veritatis*. Hoc
,, ergo Eccleſiæ oraculum eſt Petrus, omneſ-
,, que ſuccedentes Romani Pontifices. Qua-
,, re hæc Chriſti promiſſio facta Petro, ejuſ-
,, que ſucceſſoribus, maximè ſpectat ad tem-
,, pus, quo Petrus Chriſto ſuperſtes cœpit
,, eſſe Caput Eccleſiæ, ſcilicet illico poſt mor-
,, tem Chriſti.

5 Si Eccleſiam non poſſint Pontifices, nempe ex Cathedra definientes, docere hæreſim, vel errorem fidei contrarium, non poſſunt etiam veram fidem, vel doctrinam fidei conſonam damnare. Qualia igitur ſunt tot Queſnelliana dogmata hæreſeos, impietatis, blaſphemiæ & aliis reſpectivè cenſuris à Clemente XI., pleraque etiam à pluribus Romanis Pontificibus notata, & ad inferos detruſa? Quamquam nec tanta authoritate, & prorſus falli neſcia Romanorum Pontificum opus eſt, ut tam exitialium demonſtretur errorum pernicies.

6 Ex hoc ipſo tamen Evangelii textu, & ejus interprete Auguſtino, adverſarius cenſuram præſentis articuli redarguit. Sic nempe Hipponenſis Antiſtes lib. de correptione & gratia cap.8. *Quid moliturus es contra verba dicentis: Rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua? An audebis dicere, etiam rogante Chriſto, nè deficeret Fides Petri, defecturam fuiſſe, ſi Petrus eam deficere voluiſſet, hoc eſt, ſi eam uſque in finem perſeverare noluiſſet; quaſi aliud Petrus ullo modo vellet, quàm pro ipſo Chriſtus rogaſſet, ut vellet?* Abſolutè ſcilicet, & efficaciter voluit Chriſtus, & hac ratione à Patre petiit Vicario ſuo conſtantiam in Fide. Nam, pergit ibidem Auguſtinus, *quis ignorat tum fuiſſe perituram Fidem Petro, ſi ea, qua fidelis erat, voluntas ipſa deficeret, & permanſura, ſi eadem voluntas maneret? Sed quia præparatur voluntas à Domino, ideo pro illo Chriſti non poſſet eſſe inanis oratio. Quando rogavit ergo, nè Fides ejus deficeret, quid aliud rogavit, niſi ut haberet in fide liberrimam, fortiſſimam, invictiſſimam, perſeverantiſſimam voluntatem?* Unde liquet deſiderium Chriſti, cum ſecutâ indè oratione pro Petri in Fide perſeverantia fuiſſe abſolutum, & efficax.

7 Non hujuſmodi fuiſſe omne Salvatoris votum in Auguſtini ſententiâ, pluribus ejuſdem Sancti Doctoris textibus clariſſimis facilè comprobabo. Sermone 4. de Sanctis: *Quando in cruce pendens orabat, videbat & prævidebat omnes inimicos; ſed multos ex illis futuros amicos prævidebat, & ideò omnibus veniam poſtulabat. Illi ſæviebant; & ille orabat: Illi dicebant Pilato, Crucifige; Ille clamabat: Pater ignoſce*. Habes hic Chriſtum veniam poſtulantem pro omnibus, ex quibus multos futuros præviderat amicos. Deſiderium igitur Chriſti, & veniæ poſtulatio pro omnibus, non pro omnibus efficax fuit.

8 In Pſalmum 68. concione 1. poſt medium, *De cruce cum diceret, Sitio; fidem illorum quærebat, pro quibus dixerat, Pater ignoſce illis, quia neſciunt quid faciunt. Sed illi homines quid propinarunt ſitienti? Acetum; acetum enim vinum vetus dicitur; meritò de vetere homine propinarunt, quia novi eſſe noluerunt. Quare novi eſſe noluerunt? Quia ad titulum pſalmi hujus, ubi ſcriptum eſt*, PRO IIS, QUI COMMUTABUNTUR, NON PERTINUERUNT. Et tamen pro iis, ut commutarentur, dixerat, Pater ignoſce illis: illos ſitiverat, illorum quæſiverat fidem. Quis hic non videat deſiderium Chriſti effectu in plurimis deſtitutum?

9 Sermone 111. de diverſis: *Quando ille pendebat in cruce, ſævientes circumſpiciebat, inſultantes ferebat, pro inimicis orabat; medicus etiam cùm occideretur, ſuo ſanguine ægrotos ſanabat: Dixit enim, Pater ignoſce illis, quia neſciunt quid faciunt. Nec iſta vox vacua, vel inanis fuit: & ex ipſis poſtea millia crediderunt in eum, quem occiderunt, ut diſcerent pati pro ipſo, qui pro ipſis, & ab ipſis paſſus eſt*. Audis Chriſtum petentem *ignoſce illis*, ex quibus poſteà millia crediderunt in eum, pluribus in infidelitatis perfidia manentibus obduratis.

10 Sermone 59. de verbis Domini cap. 11. *Tales etiam Judæos, in ſeipſum, cùm hic eſſet, ſævientes, tanquam phreneticos ſanavit, pro quibus in ligno pendens oravit. Dixit enim: Pater ignoſce illis; quia neſciunt quid faciunt. Multi tamen eorum ſedato furore, tanquam phreneſi oppreſsâ, cognoverunt Deum, cognoverunt Chriſtum*. Non omnes pro quibus oraverat, *ignoſce illis*, ſed *multi eorum* converſi ad Chriſtum ſunt.

ſunt. Pro cæteris ergo inefficax poſtulatio fuit, & deſtitutum effectu deſiderium. Sic error proſcriptus, ipſius à quo præſidium ſperaverat, Auguſtini non ſemel authoritate proteritur.

11 Objiciunt Adverſarii S. Proſperum, qui in epiſtolâ ad Ruffinum cap. 6. de Petro ait: *Rogaverat pro eo Dominus, nè deficeret fides ipſius. Nec utique fruſtrà rogaverat, cujus una erat cum eo, quem rogaverat, operatio.*

Non fruſtrà rogaverat Chriſtus, quia oratio ejus abſoluta fuit, & efficax. Quod autem operatio Chriſti una fuerit cum eo, quem rogaverat, non probat omne Chriſti deſiderium ſemper abſolutum eſſe; nam quod de volunrate Chriſti credimus, & Conſtitutio definit, idem prælucente Conſtitutione aſſerimus de voluntate Dei, quòd non omnia ejus deſideria fuerint abſoluta, & efficacia; ſed aliqua, nominatim de ſalute hominum non prædeſtinatorum, conditionem hanc involverint, *niſi obicem poneret creatura*, quo poſito deſiderium Dei, & Chriſti, non conſequitur effectum. Ut aliquam ſpeciem præ ſe ferret objectio citatur Proſper, quaſi diceret: *Oratio ejus inanis eſſe non poterat.*

12 Quod Hexapla addunt ex Sancto Bernardo libro de præcepto & diſpenſat. cap. 10. neque ibi, neque in vicinis capitibus reperio, aut quidquam ſimile; ſupponamus tamen à Sancto ſcriptum, quod ei tribuitur, *perire non paſſe eos, pro quibus nè perirent, Salvator oravit.* Eamdem ex Bernardi ſermone 3. de laudibus Beatæ Virginis objectionem ſolvimus ad Articulum 30. intelligenda nempe Bernardi ſententia eſt de oratione, ut ſuperius explicui, abſolutâ. Quid enim? An nullo modo juxta Bernardum oraverit Chriſtus nè perirent illi, quorum, ut alibi idem Sanctus ait, Redemptor eſt, quorum ſalutem toto vitæ ſuæ tempore operatus? Ita ſermone 2. in Pſalmum, QUI HABITAT *poſſunt*, inquit, *omnia dicere, Creator meus es tu; poſſunt & animalia dicere, Paſtor meus es tu; poſſunt omnes homines dicere, Redemptor meus es tu.* Sermone 11. in Cantica omnibus & ſingulis hominibus inculcat Mellifluus. *Memento jam te, etſi de nihilo factum, non tamen de nihilo redemptum. Sex diebus condidit omnia, at verò per totos triginta annos operatus eſt ſalutem tuam in medio terræ.* S. Bernardo teſte omnes homines abſque erroris periculo dicere poſſunt, *Redemptor meus es tu*: per totos triginta annos operatus es ſalutem meam in medio terræ; quomodo dubitare quis poterit, an ullum ſalutis ſuæ habuerit *deſiderium*, an eam ulla ratione à Patre petierit?

13 De precibus etiam abſolutis accipiendus eſt Doctor Angelicus 3. par. qu. 21. art. 4. cum ait: AD SECUNDUM *dicendum, quòd Dominus non oravit pro omnibus crucifixoribus, neque etiam pro omnibus, qui erant credituri in eum; ſed pro his ſolùm, qui erant prædeſtinati, ut per ipſum vitam conſecuturi æternam.* Ubi de oratione agitur abſoluta ſolummodo, ut ex toto capite manifeſtum eſt: ſeque explicat ipſa concluſio: *Et ideo*, inquit, *omnis abſoluta voluntas Chriſti, etiam humana, fuit impleta; quia fuit Deo conformis, & per conſequens omnis ejus oratio fuit exaudita.*

14 Quod enim aliàs etiam Chriſtus, *quantum eſt de ſe*, precatus fuerit pro ſalute eorum, qui illam non conſequentur, aſſerit, perſpicuè Sanctus Thomas explicans illud Chriſti apud Joannem cap. 17. *Ego pro eis rogo, non pro mundo rogo.* Sic enim interpretatur: *Chriſtus, quantùm eſt de ſe, pro omnibus oravit; quia oratio ſua, quantum eſt de ſe, eſt efficax pro omnibus, ut valeat toti mundo; ſed tamen non in omnibus ſortitur effectum, niſi in Sanctis, & electis Dei, & hoc propter impedimentum mundanorum.* Quid poteſt pro communi ſententia proferri clariùs? Et alioqui miſerè hic ab Angelico deludimur, ſi omnis Chriſti oratio effectum omnem, quem petiit, quem deſideravit, conſecuta ſit? Quis enim, niſi Sophiſta ridiculus, interpretur, quòd *Chriſtus, quantùm eſt de ſe, pro omnibus oraverit*, etſi *in ſolis electis oratio ſortiatur effectum, propter impedimentum mundanorum*; ſi pro nemine quidquam Chriſtus petierit, nemini quidquam deſideraverit, præter id, quod re ipſa omnimode impletum eſt?

15 Ipſe Pater Antoninus Maſſouliè, quem Queſnellus ſemper Patronum invocat differt. 2. de Divinâ Gratiâ qu. 1. art. 3. ait: *S. Thomas aliquando efficacem gratiam, aut orationem Chriſti nuncupavit, quæ tamen nihil efficiat ob voluntatis malitiam, quæ Divinæ gratiæ obluctatur.*

Tri-

Trigeſimaſecunda damnata Propoſitio.

Jesus Chriſtus ſe morti tradidit ad liberandum pro ſemper ſuo Sanguine primogenitos, ideſt electos, de manu Angeli exterminatoris. *Obſervat. Moralium. Galat. 4. verſ. 4. 5. 6. 7.*

CAPUT I.

Damnatæ Propoſitionis error profligatur.

1 Adeamus locum ab Authore deſignatum: *At ubi venit plenitudo temporis, miſit Deus Filium ſuum, factum ex muliere, factum ſub lege, ut eos, qui ſub lege erant, redimeret, ut adoptionem filiorum reciperemus. Quoniam autem eſtis filii, miſit Deus Spiritum Filii ſui in corda veſtra, clamantem: Abba Pater.* Ubi nulla *Electorum* mentio eſt; ſed filiorum adoptionis, ſeu juſtorum: qui è Judæis à jugo legis, & ſtatu ſervitutis liberati ad ſtatum filiorum tranſierant. Si verò Queſnellus adoptionis filios confuderit cum *liberatis pro ſemper primogenitis, ideſt electis de manu Angeli exterminatoris*, qui ſunt ad vitam æternam prædeſtinati, concinit Calvino prædeſtinationem à juſtitia, & juſtos à prædeſtinatis minimè ſeparanti.

2 Propoſitio accepta ſtrictè, & in rigore verborum non excludit quidem mortem Chriſti pro ſalute etiam reproborum, etſi nullam horum mentionem faciat, juxta vulgare axioma præſcindentium non eſt mendacium; in communi tamen, & obvia acceptione, qui Chriſtum pro ſalute electorum mortuum aſſerit, cenſetur excludere cæteros, ſaltèm in his temporum, & errorum circumſtantiis, ſerpente Janſenianorum hæreſi, quæ Chriſti mortem ad reproborum ſalutem extendi non patitur. Unde Propoſitio in earum numero eſt, quas Conſtitutio *captioſas* vocat, *malè ſonantes, ſuſpectas, piarum aurium offenſivas*. Senſus quoque Authoris hæreticus, & quinto Janſenii articulo quoad ſenſum ejus hæreticum conformis, evidentiùs colligitur ex præcedenti ſimul, & duabus Propoſitionibus, quas jam expendimus 30. & 31.

3 Senſus itaque Obſervationum Moralium hic eſt: Jesus Chriſtus ſe morti tradidit ad liberandum pro ſemper *ſuo ſanguine*, ſolos *primogenitos*, ideſt ſolos *electos de manu Angeli exterminatoris*. Excluſionis notam non expreſſit, ſatis à ſuis ſubintelligendam ratus, & à ſimplicibus ſupponendam, atque ita Janſeniſmo, qui idolum Queſnelli noſcitur, irretiendos plurimos. Hæreſim igitur incautis inſtillare voluit, ita tamen, ut à peritioribus fortè accuſatus, haberet in quas ſe reciperet latebras, &, ſi non divinam, humanam ſaltèm effugeret ultionem.

4 Vociferantur hìc Queſnelli vindices, & quaſi de injuſtitia conqueruntur, quod Propoſitiones non ſolùm *conjunctim*; ſed etiam *diviſim* prohibeantur, & ut præciſæ à conſequentium, & antecedentium circumſtantiis; unde, inquiunt, ad præſentis Articuli cenſuram ſufficere non debet, quod ille, ut conjunctus præcedentibus, ad ſenſum trahi valeat deteriorem, modò in rigore Propoſitio vera ſit.

Reſpondeo primò: Propoſitiones etiam ſingulas, ſive diviſim ſumptas non ſpoliari propterea circumſtantiis temporis, uſûs communis, & Authoris, eique adhærentium.

Reſpondeo ſecundò: Diviſione illa ſuppoſitâ Propoſitionem quidem convinci non poſſe de hæreſi adeò manifeſtâ; at non eximi cenſuris reliquis. Quod ſimilium inductione exemplorum facilè demonſtro.

5 Novator aliquis effutiat Propoſitiones ſequentes: *In Divinis eſt una natura, una perſona: in Chriſto una natura: ex duodecim Apoſtolis duo ſunt ſalvi: duo ſunt legis novæ Sacramenta: Auguſtinus, & Thomas in aliquibus non ſunt hæretici. Aliqua Dei præcepta juſtis volentibus, & conantibus ſecundùm præſentes, quas habent vires ſunt poſſibilia: aliqua opera meritoria, & demeritoria in ſtatu naturæ lapſæ, ſunt libera à neceſſitate, & non ſolùm à coactione.* De his accuſatus Author, nonnè, inquiet; Propoſitiones iſtæ in rigore veriſſimæ ſunt? ubi tres perſonæ, vel duæ naturæ ſunt, nunquid & una eſt? Si omnes Apoſtoli præter Judam ſalvi ſint, in majore iſto ſalvorum numero comprehenditur binarius, uti & in ſeptenario Sacramentorum. Si Auguſtinus, & Thomas in nullo hæretici fuerint, ex negativa univerſali, juxta omnem logicam, rectè ſequitur negativa particularis: idem eſt in affirmativis. Unde ex poſſibilitate omnium præceptorum in juſtis volentibus, & conantibus, ſequitur poſſibilitas aliquorum. Si omnia merita, & demerita in ſtatu naturæ lapſæ

lapſæ ſint neceſſitatis expertia; ſunt igitur & aliqua. Sic Propoſitionibus quidem ſingulis utcunque conciliatur veritas; ſed non eximitur ambiguitatis vitium, & magis obvia in pravos ſenſus propenſio; unde earum Author immeritò conqueri cenſendus eſt; ſi Propoſitiones illas crudas, & horridas inter captioſas, malè ſonantes, ſuſpectas, piarum aurium offenſivas Judex legitimus relegaverit.

6 Hoc verò fictitios inter Articulos, & trigeſimum ſecundum Queſnelli diſcrimen eſt, quòd verus ſenſus, & innoxius, qui ſubeſſe prioribus dicitur, intentus ab Authore eſſe potuerit; at Queſnellus duobus præcedentibus articulis de hæreſi convictus, eamdem in præſenti Articulo à ſe intentam fuiſſe, videlicet quintæ Propoſitionis, inficiari non poterit. Ipſam Queſnelli conſcientiam appello, an non hunc Propoſitionis ſuæ ſenſum conceperit; Chriſtum ſe morti tradidiſſe ad liberandos pro ſemper ſolos primogenitos, id eſt electos de manu Exterminatoris, ſive ab æterna damnatione, etſi reproborum aliquos juſtitiâ donaverit temporali.

CAPUT II.

Fruſtrà Hexaplorum Author Queſnellum, fruſtrà Queſnellus ſe à Janſenio ſecernere nititur.

1 Vix uſquam alibi verboſa magis ſunt Hexapla, quàm in præſentis Articuli defenſione: poſt ſeriem Scripturarum, & Patrum, aſſumitur Queſnellus ſuiſmet textibus vindicandus, adeò ut nè ſuſpicionis quidem umbra de bona ejus fide, ac ſano dogmate ſuperfutura ſit. Præmittitur autem, quòd agat ſolùm de voluntate Dei abſolutâ, & efficaci, atque idem intelligendum ſit de voluntate Chriſti erga beatitudinem Electorum. Ita, inquit Author, cum Spiritu Sancto in Scripturis, ita eum Patribus locutus eſt Queſnellus, ita ſenſit. Quod & de ſe ipſe teſtatur *Querelæ, ac Proteſtationis* pag.46. & 140.

2 Ut nos de veritate Hexapla convincant, ex ipſo *Obſervationum Moralium* libro duo demonſtranda ſuſcipiunt. Primum, *quòd Queſnellus agnoſcat in Deo voluntates abſque effectu*. Secundum, *quòd doceat velle Deum ſalvare omnes homines, & Chriſtum pro omnibus eſſe mortuum*. Quod de intenta ſolummodo à Queſnello efficacis, & abſolutæ voluntatis connexione perpetua cum effectu hic modò aſſeritur, tum à Queſnello ipſo, tum ab ejus vindicibus, liberat me labore tetrico, ac ſuperfluo explicandi pariter de eadem voluntate, quidquid ex Scripturis, & Patribus ab adverſariis corraſum eſt. Neque aliquid ſpeciale tota ea textuum coacervatio continet, quod contra geminos ſuperiores Articulos à me expoſitum non ſit, conciliatumque cum communi Eccleſiæ doctrinâ.

3 Diſcutiendum hìc ſupereſt, qua fide aſſeratur, Queſnellum in *Obſervationibus Moralibus* agnoſcere duo illa de voluntate Dei, & morte Chriſti dogmata, unde argumentum fiat, ſitnè Author circa præſentem Articulum ab omni eximendus ſuſpicione malitiæ.

4 Admittere Queſnellum in Deo voluntatem quamdam impropriè dictam, quam Scholaſtici voluntatem ſigni appellant, & complacentiam nudam, facilè credo; nam talem quoque legimus apud Janſenium lib.3. de Gratia Chriſti cap.20. ubi, poſtquam dixerat, in Deo fuiſſe voluntatem ſalvandi omnes homines ante peccatum Adæ, ex qua ei dederit ſufficientiſſima media ad perſeverandum, ſi voluiſſet: & cujus perſeverantia ſimul poſteris profuiſſet ad ſalutem; *At*, inquit, *poſtquam peccata jam ab hominibus inducta conſiderantur, antecedens voluntas in ſola mentis præciſione, adeòque nuda quadam velleitate nihil omnino gratiæ cauſante conſiſtere poteſt*; ut complacentia erga ſalutem dæmonum, tanquam bonum abſolutè poſſibile; unde proſequitur Janſenius: *Nihil igitur omnino doctrina Damaſceni de antecedente ſalutis omnium voluntate, recentioribus prodeſt, ut quæ optimè cum negandæ ſalutis, & gratiæ ſufficientis voluntate conſiſtit*.

5 Non aliam voluntatem inefficacem erga ſalutem reproborum hactenus profitetur Queſnellus: neque hæc ad doctrinam catholicam à pernicioſis novitatibus ſecernendam ſufficere poteſt, ſicut non ſuffecit in Janſenio, ut ab hæretici ſenſus liberaretur invidiâ. In ſecundo dogmate, quod eſt de morte Chriſti pro omnibus, ambiguum apparet, an ſaltèm in vindiciis aſſeratur mortuus pro omnibus hominibus: an pro omnibus ſolùm prædeſtinatis, ut damnatus Articulus in communi intelligentiâ hoc tempore enunciat: ſive an de omnibus ſolùm hominum claſſibus, & nationibus, an de hominibus ſingulis. Quapropter ex Queſnello quærimus, an nunc ſaltèm rejiciat illud Janſenii tom. 3. lib.3. cap.20. *Proderit illi neceſſariò Chriſti ſanguis, & mors, pro quo Sanguinem illum fuderit, & mortuus fuerit: & cui nullo modo prodeſt, pro illo nec Sanguinem ſudit, nec mortuus eſt?* Quod directè opponitur Tridentino aſſerenti ſeſſione 6.cap.3. *Etſi ille pro omnibus mortuus eſt; non omnes tamen mortis ejus beneficium recipiunt,*

piunt, ſedii duntaxat, quibus meritum paſſionis ejus communicatur. Hoc Tridentini effatum non refugiunt hodie adverſarii : imò eo utuntur ſpiculo ad confingendam communem ſententiam de ſufficiente gratiâ, omnibus ratione utentibus præparatâ. Ita & Queſnelli vindices, & Queſnellus ipſe in Proteſtatione pag. 139.

6 Verùm duo in Trid. ſententia notanda ſunt. Primum, quòd illic *Mortis beneficium* intelligatur juſtificatio; hic enim titulus capitis eſt: *Qui per Chriſtum juſtificantur:* tum ſtatim ſequitur aſſertio relata. Alterum eſt, quòd, etſi verba in rigore à Tridentinis Patribus accepta ſuppoſueris; atque adeò aliquibus, pro quibus Chriſtus mortuus eſt, nullum penitùs beneficium ex ejus meritis obvenire; non ideo illud prorſus ſubtrahi exiſtimandum ſit, aliquibus ratione utentibus, qui illuſtrationum in intellectu, & excitantium motuum in voluntate capaces ſunt, quibuſque mandatorum incumbit obſervatio, abſque gratiæ auxilio futura impoſſibilis. Satis eſt omni mortis Chriſti beneficio carêre infantes, & perpetuò amentes, qui ex hac vita non ſuſcepto baptiſmate decedunt.

7 Haud equidem dubito, quin multi ſimplices, & Janſenianarum artium ignari, ad talem Queſnelli proteſtationem autumaverint, eum de Chriſto pro omnibus mortuo non adeò perversè ſentire, quàm communis de eo ferat opinio; quin & videatur damnato Janſenii dogmati oppoſitus; quandoquidem Iprenſis Epiſcopus tanquam Semipelagianum rejecerit, quod Queſnellus hic, ut ſuum, proinde ut catholicum agnoſcit. Verùm omnium oculis exponendum ſuſcipio, & clariſſimè convincendum, quod novus hic Proteſtans, & Protheus Eccleſiam conetur ſtratagemate deludere, & à damnato, atque hæretico quintæ Propoſitionis Janſenianæ ſenſu minimè recedat. Facem præfert ſequens digreſſio.

8 Certiſſimum eſt, ac notum omnibus, quòd Arnaldus, & Queſnellus præcipui hactenus fuerint defenſores Janſenii, & doctrinæ ejus univerſæ. Communibus Janſenianorum calculis meruit Arnaldus novi *Ordinis Pater Abbas*, Queſnellus *Pater Prior* appellari. Teſtantur id omnium Janſeniſtarum literæ in *Cauſa Queſnelliana* editæ. Meruerat, inquam, Arnaldus hunc titulum, duabus præcipuè grandibus pro Janſenio apologiis, deinde ab Innocentio X. damnatis: meruerat & pertinaciâ adversùs celebrem Sorbonæ cenſuram anni 1656. qua Propoſitio ejus de negata *Petro gratiâ, ſine qua nihil poterat* in generalibus comitiis velut Janſeniana, & hæretica proſcripta eſt, additâ ſimul graviſſimâ cenſurâ adversùs patens ejus mendacium, quo negabat Propoſitiones quinque damnatas in Iprenſis volumine contineri. Et ut cætera Janſeniſtarum duce facinora prætercam, noviſſima eſt ejus contra Sedem Apoſtolicam, contra Regem, & Archiepiſcopum ſuum, in recuſanda Janſeniſmi ejuratione, contumacia.

9 Queſnellus pariter dignus tali Magiſtro diſcipulus, & ad illius uſque mortem Socius individuus, *Patris Prioris* munus tam ſtrenuè implevit, ut mox ab Arnaldi obitu totius Ordinis, ſeu novæ Eccleſiæ moderator ſupremus communibus votis ſucceſſerit. Conſtat id ex *cauſa Queſnelliana* art. 10. §. 6. Si irrefragabile ipſius Queſnelli teſtimonium de ſuo in novam hæreſim animo Lector deſideret, in eodem Juridico Proceſſu art. 9. pag. 223. producitur Queſnelli ſcriptum, quo dolorem ſuum exprimit de *Injuria Janſenio illata*, & quod *nondum tempus advenerit, eum vindicandi, quia*, inquit, *adhuc nimia adverſantium vires ſunt, & nimius defectus luminis in Judicibus*. Sed tandem quaſi de meliore paulatim Orbis Chriſtiani diſpoſitione ſibi plaudit *Notis in Epiſtola Domini Steyaert*, pag. 17., & 18. dicens, „ Adeò non perſuadetur, ſenſum ab authore (Janſenio) „ intentum hæreticum eſſe, ut jam demum „ credere cœperit Orbis Catholicus, nihil in „ ipſo non eſſe Catholicum.

10 Ita univerſam Janſeniani libri hæreſim Queſnellus, poſt tot Sedis Apoſtolicæ fulmina, defendere contumax pergit. Alibi etiam ſpeciatim de morte Chriſti pro ſalute hominum, de quo dogmate præſens nobis diſceptatio eſt, Janſenii arctiſſimè inſiſtit veſtigiis.

11 Veteranus è Clero Miſſionarius in Hollandiâ, conſpicatus poſt Arnaldi, Queſnelli, Gerberonii, & ſimilium è Gallia profugorum in illas Provinciâs adventum, inter novitates varias, & Janſenii hæreſes potiſſimùm diſſeminari præſentem de morte Chriſti pro ſalute duntaxat Electorum, typis edidit Libellum ſupplicem, five, ut appellat, *Memoriale breve*, Innocentio XII., & Eminentiſſimis Congregationis de Propaganda Fide Cardinalibus exhibendum; in quo pag. 5. ſic memorat. „ Sed artificiorum eorum „ prorſus ſingulare eſt: ac formas illi (Ar- „ naldi, & Queſnelli diſcipuli) ſe verſant in „ omnes, circa mortem à Chriſto obitam. „ Edicunt rotundè: Chriſtum mortuum eſſe „ pro omnibus: mortuum non pro ſolis præ- „ deſtinatis; ſed etiam pro reprobis. Quid „ ve-

„ velimus pluta? ſed non acqnieſcendum.
„ Si inſtemus, & urgeamus, quo ſenſu mor-
„ tuum dicant pro omnibus Chriſtum? Mor-
„ tuum non pto ſolis prædeſtinatis; ſed
„ etiam pro reprobis? Ajunt; quia mortuus
„ pro natura omnibus communi (ſed uon
„ quatenus in ſingulis eſt) pro omni gene-
„ te, natione, ſtatu, ſexu, ætate, conditio-
„ ne: pro aliquibus ex omni tempore; quia
„ pretium, quod dedit, abunde eſt ſufficiens
„ pto omnibus; ſi pro omnibus fuiſſet obla-
„ tum; quia etiam reprobis quibuſdam do-
„ na quædam temporalia fidei, ſpei, chari-
„ tatis &c. morte ſuâ promeritus eſt. Sed
„ eadem omnia commentus erat Janſenius,
„ ut invidiam à Doctrina ſua amoliretur. Si
„ verò urgeamus ulteriùs, ſitne ita pro om-
„ nibus, etiam reprobis, mortnus Chriſtus,
„ nt pro ſalute vel unius reprobi, id eſt ho-
„ minis pereuntis mortuus ſit; hærebit unda.
„ Quid? Negabunt, pernegabnnt: præter fu-
„ cos, quos faciunt imperitis, nihil ex iis eli-
„ cueris: nunquam id (qnod fides exigit) cla-
„ rè elocnturi ſunt. Quid ni? Ipſum, intimum-
„ que Doctrinæ eorum fundamentum eſt,
„ *Chriſtum pro ſalute duntaxat prædeſtinato-*
„ *rum mortuum eſſe*, ſeu quos ſolos Deus ſal-
„ vos vult. Et hujus Doctrinæ conſectarium
„ eſt, neutiquam ab eo ſeparabile, certum in-
„ fallibiliter eſſe neminem, Chriſtum pro ſa-
„ lute ſua, nt nempe ſalvari queat, eſſe mor-
„ tuum. Quis ignorat mortalium, quin
„ quod nos facit Chriſtianos, ſit certitudo
„ illa infallibilis, quam quiſque habet, quod
„ Chriſtus JESUS mortuus ſit pro ſalute ſua,
„ & pretio ſui Sanguinis gratias ſibi prome-
„ tuerit omnes, quæ neceſſariæ ſunt, ut &
„ evitare peccata, virtutes exercere, & ſa-
„ lutem reipſa conſequi poſſit? In hoc car-
„ dine verſatur ipſa fides, & ſpes omnis
„ Chriſtiana: indè in homine amor enaſcitur,
„ quo feratur in Chriſtum, dicatque cum
„ Apoſtolo Gal. 2. *qui dilexit me, & tradidit*
„ *ſemetipſum pro me &c.*

13 Senſit hìc Queſnellus, ſenſit, & *Ægidius* vulgò *Candidus*, & ſectæ inter Janſeniſtas *Candidæ* Anteſignanus, intima hæreſeos præcordia transfigi. Quare contra Adverſarium hunc omnes eloquentiæ ſuæ vires uterque exerit. Poſterior in *Refutatione prodroma*, & *gratiâ triumphante*, Queſnellus in *Fide, & innocentiâ Cleri Batavici*; præſertim à pag. 34. ubi more ſuo, & hæreticorum omnium, convictus rationibus, ad declamationes, & contumelias confugit: totam adverſarii ſui Orationem arguit, tanquam „ pa-
„ raphraſim præſumptionis temerariæ, quam
„ Calviniſtæ docent habendam ab omnibus
„ de ſua ad ſalutem prædeſtinatione, quod
„ Tridentina Synodus ſeſs. 6. cap. 12. & can.
„ 15. ac 16. condemnavit. Nemo, inquiunt
„ Patres illi, quandin in hac mortalitate vi-
„ vitur, de arcano Divinæ Prædeſtinationis
„ myſterio uſque adeò præſumere debet, ut
„ certò ſtatuat, ſe omnino eſſe in numero
„ Prædeſtinatotum. „ Idem definitur utroque canone. Tum exclamans Queſnellus interrogat: „ Quis doctrinam libelli ſupplicis cum
„ his ſanctionibus componat? Si enim ille
„ veritati congruat, ubi eſt igitur profun-
„ dum illud prædeſtinationis myſterium?
„ ubi timor, & tremor ſalubris; cum quo, ut
„ ſalutem noſtram operemur, monet cum
„ Apoſtolo Concilium? Ubi incertitudo illa,
„ in qua nos perpetuò hìc vivere Deus vo-
„ luit, an amore, an odio digni ſimus? Quid
„ fiet his veritatis indubitatæ dogmatibus,
„ quæ Apoſtolos, & viros ſanctiſſimos con-
„ cuſsère formidine, ſi certitudine falli ne-
„ ſciâ credere quiſque debeat, quod Chri-
„ ſtus promeruit ſibi omnes gratias, quæ ne-
„ ceſſariæ ſunt, ut vitare peccata, virtutes
„ exercere, & ſalutem reipſa conſequi poſ-
„ ſit? „ Hactenus Queſnellus. Verùm ab iſta libelli ſupplicis Doctrina nihil ſibi metuit Eccleſia, nihil definito à Tridentinis Patribus dogmati de prædeſtinatione.

14 Mirabilis autem eſt affectata Queſnelli ignorantia, non diſcernens inter certitudinem, quòd Chriſtus nobis promeruerit gratias ſufficientes, quibus ſalutem conſequi poſſimus, & quòd ad eam ſimus certiſſimè perventuri. Non adeò cæci ſunt Catholici gratiæ ſufficientis aſſertores, ut non perſpiciant infinitas penès Deum eſſe gratias ſufficientes, qnibus poſſint vitare peccata, exercere virtutes, beatitudinem acquirere, ſed quibus non conſentiet liberum voluntatis arbitrinm. Nunquid omnes Fide divina credere debemus, præcepta Dei juſtis volentibus, & conantibus, ſecundùm præſentes, quas habent vires, non eſſe impoſſibilia, ita ut deſit qnoque eis gratia, qnâ poſſibilia fiant? Sic contra primum Janſenii Articulum univerſa credit Eccleſia. Quàm multi tamen ſufficiente, & pleniſſimâ obſervandi præceptum facultate à Deo donati, non obſequnntur! Quemadmodum nempe quibuſcunque notum eſt Theologiæ, non Janſenianæ, tironibus, diſcrimen latiſſimum potentiam inter, & actnm, caverint ſibi à conceſſione gratiæ ſufficientis argumentum deducere ad prædeſtinationem.

15 Quid ad Theologos provoco? Nullus eſt fidelium, qui, quantumcunque credat, ſe cum ſufficienti auxilio, quod urgente præ-

cepto ſemper in promptu ſit, poſſe Divinis obedire mandatis, tamen non Deum oret, nè inducatur in tentationem, id eſt, ut tentatio ceſſet, vel non pertrahat in ruinam.

16 Vocari nos ad Agni nuptias, ex Euangelio omnes didicimus; adeòque non ſubtrahere Deum vocatis ſubſidia neceſſaria, quibus invitationem admittere, & ad nuptias dignè accedere omnes rationis compotes valeant; quis tamen fidelium ſuæ conſcius infirmitatis, & liberi quidem; ſed tamen in malum ſemper proni arbitrii, ac ſimul exigui numeri electorum, non ſic vocari cupiat, & ſolicitè cum Auguſtino petat, quemadmodum Deus novit infirmæ voluntatis *congruere, ut vocantem non reſpuat*? Iſtud autem gratiæ non vulgari; etſi ſufficienti; ſed ſpeciali proprium eſt. Inanes itaque ſunt Queſnelli adversùs illum libelli ſupplicis Articulum, & doctrinam Catholicam declamationes.

17 Diſcriminis aliquid inter Janſenianam hæreſim, & præſentem Queſnelli ſententiam fruſtrà expectavimus. Satis ipſi eſt præſcribere ſequentes fidei noſtræ limites, in memorato *Fidei, & innocentiæ* Janſenianæ libello pag. 32. „ Nullus fidelium eſt, qui ſe ad ſalutem vocatum credere non debeat, & firmâ fiduciâ ſperare, merita paſſionis, & mortis Chriſti ſibi eſſe applicanda, modò in ſalutem ſuam labore debito incumbere, atque ad eam viâ arctâ à Chriſto nobis in Euangelio monſtratâ, tendere voluerit. Hi limites æqui ſunt, intrà quos continere ſe debet credentium fides.

Quantum in ſubdolis Queſnelli vocibus eſt inane! Verba ſcilicet ſpecioſa legimus; ſed vero ſenſu apud proferentem prorſus vacua. Quis enim juxta ipſum laborare ſalubriter poteſt abſque gratia efficiente? Hæc non conceditur omnibus, etiam fidelibus, & juſtis; alioqui nullus juſtitiâ excideret: neque in ullius poteſtate eſt, talem gratiam precibus, vel piis operibus, in ejus ſententia obtinere; ad hæc enim iterum; imò ad initium volendi, atque ad ipſam volendi poteſtatem gratia efficax requiritur, ſecundo ejus articulo expreſſa; Jesu *Chriſti gratia principium efficax boni cujuscunque generis, neceſſaria eſt ad omne opus bonum: abſque illa non ſolùm nihil fit; ſed nec fieri poteſt*. Et profectò apud omnes Catholicos nemo poteſt quidpiam ſalutiferi agere, petere, deſiderare, aut ad illud quomodolibet ſe diſponere ſinè gratia. Hæc autem præter efficientem nulla à Queſnello admittitur. Quæ ejus mens tot *Obſervationum Moralium* Articulis ſe prodidit, ut nullis impoſterum fucis facilè obducenda ſit. Nam juxta Articulum tertium, omnia tum demum fiunt nobis poſſibilia, quando ea in nobis Deus operatur, juxta nonum: Omnis *Gratia Chriſti, eſt gratia ſuprema, ſinè qua confiteri Chriſtum nunquam poſſumus, & eum qua nunquam illum negamus*: quam patet aliam intelligi non poſſe, præter efficientem. Juxta decimum, *Gratia non eſt aliud, quàm voluntas omnipotentis Dei, quam nihil impedire poteſt, aut retardare*. Similis eſt Articulus undecimus, & cæteri ſaltèm uſque ad vigeſimumſecundum, tam variis conſpicui phraſibus, tot illuſtrati figuris, ut, ſi uni forſitan offuciis involvendo Janſeniana intenderet induſtria, cæterorum ſplendor omnes tenebras facilè depelleret.

18 Senſus igitur Queſnelli in iſta Janſeniſmi Batavici *Defenſione* hìc eſt, hæc fiducia ab eo credentibus inſtillata: Quod *nullus fidelium ſit, qui ſe ad ſalutem vocatum credere non debeat, & firmâ fiduciâ ſperare, merita paſſionis, & mortis Chriſti ſibi eſſe applicanda*, modò ex ſingulari Dei prædeſtinantis miſericordiâ donatus fuerit eâ *gratiâ, quæ eſt operatio manûs Omnipotentis Dei, quam nihil impedire poteſt, aut retardare*, & *ſinè qua nihil poſſumus*. Neque datur alia apud Queſnellum, quàm quæ definitione adductâ comprehenditur. Ita fidelium vocatio ad ſalutem, tam ipſis incerta redditur, quàm prædeſtinatio: Imò evertitur illud Salvatoris in Euangelio, *Multi ſunt vocati; pauci verò electi*; cum nullius vocatio ſeria ſit, cui deeſſe noſcitur veniendi facultas. Hanc autem Chriſtus, juxta Queſnellum, noverat deeſſe omnibus non Prædeſtinatis, utpote quibus non obtigerit gratia efficiens ſalutem, & à ſola pendens Dei voluntate: cum quo auxilio omnia fiunt, & ſinè quo nihil fieri poteſt; adeòque nemo anguſtam cœli portam ingredi. Cùm autem & quævis gratia ſit *operatio manus Omnipotentis Dei, quam nihil impedire poteſt, aut retardare*; quid hominibus agendum ſupereſt; niſi ut complicatis, ut dicitur, manibus, cum hæreticis Prædeſtinatianis, & liberi arbitrii ſubverſoribus, otioſè expectent à Deo illam gratiam, ſi fortè eam ſibi ab æterno deſtinarit. Hinc molle conſuitur pulvinar deſidiæ mortalium, & porta latiſſima panditur effræni licentiæ Libertinorum. Unde & inutile redditur Chriſti monitum, ſalutem operandi cum timore, & tremore; neque enim ſalutis operatio, neque *timor, & tremor ſalutaris* eſſe poteſt, ſinè gratiæ auxilio, quod in Dei quidem manu eſt, qui, cujus vult, miſeretur; cuicunque autem illud deſtinaverit, *nihil* effectum ejus *impedire poterit, aut retardare*, Queſnello Judice.

19 Non

19 Non magis, quàm Calviniana præſumptio, tolerabilis eſt excogitata ab hoc Novatore perfidia. Quomodo ſcilicet Chriſtus Deum, atque adeò ſeipſum in adimplendis promiſſionibus *Fidelem* per Apoſtolum prædicat, quaſi nunquam paſſurus ſit nos tentari ſupra quàm poſſumus ſuſtinere; ſi quotquot poſt Adamum, & quoties in peccatum labimur, tentati fuerimus ſupra vires, & reſiſtendi poteſtatem? Defuit ſcilicet gratia efficax, ſinè qua, juxta Queſnellum, nulla poteſt ſalubriter ſuperari tentatio, ut nulla gratiæ victoriam *impedire*.

20 Denique amicitia Dei cum juſto, & adoptatio ejus in filium, non vera apparebit, ſed ſimulata; ſi, ubi eum diabolus aggreditur, omne Deus auxilium ſubtrahat, ſinè quo juſtus ſe contra inimicum defendere minimè poſſit. Quomodò hic vera fuerit Tridentini affirmatio ſeſſ. 6. cap. 11. *Deus ſua gratiâ ſemel juſtificatos non deſerit, niſi priùs deſeratur*? Fruſtrà dixerit, debuiſſe juſtum ad Deum humili oratione confugere, atque ab eo petere auxilium, quo hoſtilem impetum reprimere valeret; nam nè orare quidem potuit deſtitutus omni gratiæ ſubſidio, quod defuiſſe ex orationis omiſſione convincitur; ſi juxta Queſnelli Articulum 11. *Gratia non eſt aliud, quàm voluntas omnipotentis Dei, jubentis, & facientis quod jubet*: ſi omnis *Gratia Chriſti eſt gratia ſuprema, ſinè qua confiteri Chriſtum nunquam poſſumus, & cum qua nunquam illum abnegamus.* Unde abnegatio Chriſti in Petro indicium erit, Apoſtolum in ea tentatione, qua lapſus eſt, omni penitùs fuiſſe Chriſti gratiâ deſtitutum. Quos itaque *Fidei Catholicæ limites* Queſnellus novæ moderator Eccleſiæ figit, minimè fideles ſunt, fraudulenta quoque, & inanis omnis ejus adversùs Conſtitutionem *Querela, & Proteſtatio*.

21 Hinc funditus ſubruta patet, & nihil veri ſenſûs continens utraque Hexaplorum aſſertio: Prima *Quòd Queſnellus agnoſcat in Deo voluntates abſque effectu*. Secunda *Quòd doceat Deum velle ſalvare omnes homines, & Chriſtum pro omnibus eſſe mortuum*. Denique quoties ex his quidpiam affirmare verbotenus viſus fuerit, vani ſunt ſinè ſenſu catholico ſoni, & fallaces Janſeniani oraculi præſtigiæ.

CAPUT III.

Fruſtrà Queſnellum vindicare conatur Author Variarum Theologorum Galliæ Obſervationum.

1 Recentior Queſnelli patronus Authot libelli: *Variæ Theologorum Galliæ obſervationes in Conſtitutionem Sanctiſſimi Domini Noſtri* Clementis *Papæ* XI. citato Valentini Concilii tertii canone quinto & Tridentini ſeſſ. 6. cap. 3. quæ ſupra dedimus, ſubſumit pag. 32. *Apertas baſce Eccleſiæ definitiones ſincera mente ſuſcipientes Theologi credunt, ac palàm profitentur à Romanis Pontificibus Innocentio X., Alexandro VII., Innocentio XII., &* Clemente XI. *quintam Janſenii Propoſitionem, tam quoad primam, quàm ſecundam partem meritò cenſuris acerbiſſimis notatam, atque in ipſo ejus libri ſenſu proſcriptam fuiſſe*.

2 Libellos Gallicos fungorum inſtar quotidie naſcentes cernimus à Queſnello, ejuſque ſociis, pro *Obſervationum Moralium* defenſione, & contra Clementis XI. Conſtitutionem; in eorum autem nullo tam diſertam Articuli quinti Janſeniani damnationem; portò, etſi profeſſio in anonymi, & Queſnello, ut apparet devotiſſimi, opere ſuſpecta ſit de fallacia non una, qualem pluribus ſupra deteximus, ſupponamus tamen ex animo ſcriptam: duo cuperem ab Authore ſciſcitari: Primum, cur ad fidem Lectoribus faciendam de ſuo candore, ſenſum utriuſque partis, quam in quinto Janſenii Articulo damnat, non explicet, cùm ſatis conſcius ſit, quas tricas circa illum excogitaverint Janſeniſtæ? Alterum eſt, ut Galliæ Theologos, ſaltèm aliquos nominet, qui ſenſum utriuſque partis verè Janſenianum damnent, & tamen approbent Queſnellianum. Aliàs ex eo, quod Queſnellus Janſenio penitùs conſentiat, ut jam abunde demonſtratum eſt, & notum omnibus, concludere oportet adversùs hunc Queſnelli vindicem, quod condemnans Janſenium, & abſolvens Queſnellum, in præſenti de morte Chriſti controverſia admodum peregrinus ſit, & nè ſtatum quidem quæſtionis percipiat, vel quod fidei ſit peſſimæ; imò cæteris Janſenianis fraudulentior.

3 Præcipuus, qui in Articuli 32. damnatione à Conſtitutionis Clementinæ adverſariis obtenditur, offenſionis lapis eſt, quod ſimiles, ut ajunt Propoſitiones occurrant in Patribus, atque ipſis Scripturis. An autem, in-

Digitized by Google

inquiunt, uti nobis non licet locutione, quam tanta conſecravit authoritas? Quo illa bono Eccleſiæ, quâ Sedis Apoſtolicæ ſapientiâ prohibetur?

Nullum iſto argumento hæreticis familiarius, atque, ut rudi populo apparet, vix ſuperabile, ad circumventionem ejus maximè accommodatum eſt. Verùm quæ hæreſis tam abſona eſt, ut non aliquos ex Scripturis, vel Patribus textus ad ſui referat confirmationem erroris? Sed & quicunque ſcientiæ ſacræ non prorſus ignarus eſt, facilè intelligit, locutiones plurimas ad ſenſus varios, modò optimos, modò perverſos à circumſtantiis determinari. Exemplis ſtatim res fiet planiſſima.

4 Iſtud quidem, inquiunt adverſarii, capimus; ſed tota difficultas eſt, quod Propoſitiones omnes, & ſingulæ in Conſtitutione Unigenitus feriantur, ita ut *quicunque illas, vel earum aliquam, conjunctim, vel diviſim docuerit, defenderit, ediderit, aut de eis etiam diſputativè publicè, aut privatim tractaverit, niſi forſan impugnando, Eccleſiaſticis cenſuris, aliiſque contra ſimilia perpetrantes à jure ſtatutis pœnis, ipſo facto, abſque alia declaratione ſubjaceat*. Agnoſco Prohibitionis Pontificiæ formam, & ajo ſecundùm omnes ac ſingulas partes eſſe ſapientiâ pleniſſimam, ut oſtendendum ſuſcipio, ubi confutatis Propoſitionibus 101., Conſtitutionis contra eas cenſura, ejuſque modus, ſeu forma vindicabitur. Interea objectionis ſuæ imprudentiam, vel fraudem ſimplicibus pernicioſam adverſarii videant exemplo multiplici, & clariſſimo convictam.

5 Author de Calviniſmo maximè ſuſpectus, imò indiciis certiſſimis deprehenſus, librum iiſdem erroribus, ſubinde apertiùs, aliàs minùs perſpicuè, & magìs ſubdolè propinatis, reſperſum edidit, eo ſucceſſu, ut typis ſæpius iteratis, atque adeò exemplaribus innumeris Gallia, Belgium, & vicinæ provinciæ, non ſatis cautæ, veneno inficiantur lethifero. Tandem, malo nimiùm graſſante, complures Epiſcopi, & alii zelo religionis excitati, remedium à Sede Apoſtolica poſtulant: hæc diligenti præmiſſo examine Propoſitiones in opere detegit plurimas, ad animarum, & religionis exitium conſpirantes, quarum quidem aliæ hæreſim apertâ oſtenrant fronte, aliæ ſub fallacium velamine verborum, virus quodammodo occultant. Conſtat præcipuos Calvini errores eſſe contra Euchariſtiæ myſterium, & meritum bonorum operum, ſubſtituta juſtificatione per ſolam fidem. Quas hæreſes inductus liber ſubinde propalam ſinè diſſimulatione protrudit, ſubinde larvatas, & vocibus Scripturam Sacram, Patreſque quodammodo imitantibus, ſicut diaboli ſolent Angelos lucis tantâ mentiri arte, ut fallant, etiam ex non omnino rudibus, plurimos.

6 Familiaris Calvino, Petro Martyri, & aliis Calvini ſectatoribus eſt objectio deſumpta ex Auguſtini libro contra Adimantum cap. 12. *Non dubitavit Dominus dicere: Hoc eſt corpus meum, cùm ſignum daret corporis ſui.* Ex commentario in Pſalm. 98. ita inducitur Rex Propheta Chriſti nomine diſcipulis denuntians: *Non hoc corpus, quod videtis manducaturi eſtis, & bibituri illum Sanguinem, quem fuſuri ſunt, qui me crucifigent. Sacramentum aliquod commendavi vobis*. Tract. 25. in Joannem: *Quid paras dentem, & ventrem? Crede, & manducaſti*. Tract. 30. in Joannem, *Corpus Chriſti, in quo reſurrexit, uno in loco eſſe poteſt, veritas ejus ubique diffuſa eſt*. Objiciunt & illud venerabilis Bedæ in cap. 10. Epiſtolæ primæ ad Corint. *Quod vidiſtis panis eſt, & calix, quod nobis etiam oculi renuntiant. Corpus ergo Chriſti, ſi vis intelligere, audi Apoſtolum dicentem. Vos eſtis corpus Chriſti*. Hæc, & plura iſtiuſmodi à Calviniſtis objecta videre eſt apud Bellarminum lib. 2. de Sacramento Euchariſtiæ cap. 24. & ab eodem ſolidiſſimè ſoluta. In ipſo Miſſæ Sacrificio poſt conſecrationem Sacerdos cruce ſignans Sacram Hoſtiam vocat *Panem Sanctum*.

7 Statue modò prætenſum Auguſtini diſcipulum ex his, & ſimilibus locis ita profeciſſe, ut ex Janſeniſmo gradum fecerit ad Calviniſmum, prout is qui refertur in *Cauſa Queſnelliana*, & de ſe profitetur novus hæreſiarcha Labadie in epiſtola ad ſuos aliàs Ambiani ſocios. Statue, inquam, eum, dum adhuc Catholicus haberi voluit, librum edidiſſe non pauciora, nec minùs ſpecioſa pietatis monita complectentem, quàm in Queſnelli *Obſervationibus Moralibus* leguntur: nec minùs teri omnium manibus: nec minùs à ſubdolis præconibus ubique commendari, circumventis etiam quibuſdam magni nominis Præſulibus; detectum autem à pluribus venenum denuntiari Sedi Apoſtolicæ, ut neceſſarium ab ea antidotum expediatur. Inter accuſatos autem Articulos, præter eos, qui corpus Chriſti in Euchariſtia apertiùs inficiantur; aliqui ſint magìs ſubdoli, & ferè ex Auguſtini, aliorumque Patrum vocibus concinnati, quales apparent, quos hìc ſubjicio:

Primus „ Quando Chriſtus dixit Apo„ ſtolis, accipite, & comedite hoc eſt cor„ pus meum, dedit eis ſignum ſui corporis.

Secundus „ Sacramentum quidem ali„ quod commendavit diſcipulis Chriſtus; „ ſed

„ ſed illi non hoc corpus, quod videbant, „ manducaverunt: neque biberunt illum „ ſanguinem, qui à crucifixoribus funden„ dus erat.

Tertius „ Chriſtus non dentibus tangi„ tur: non in ventrem mittitur; ſed per „ fidem manducatur.

Quartus „ Veritas Chriſti ubique diffu„ ſa eſt; ſed corpus in quo reſurrexit, uno „ in loco eſſe poteſt. „ Nonne hæ Propoſitiones ſubdolæ cum aliis hæreſim apertiùs enunciantibus damnari meritò in novo iſto volumine poterunt, & interdici poterit fidelibus, nè quis *illas*, *vel illarum aliquam*; *conjunctim*, *vel diviſim doceat*?

8 Simillimum exemplum eſt de ſola fide juſtificante, pro qua Calviniſtæ deſcribere ſolent ex Sancto Hilario, qood habet can.8. in Matth. *Movet Scribas remiſſum ab homine peccatum; hominem enim tantùm in* Jesu *Chriſto intuebantur, & remiſſum ab eo, quod lex laxare non poterat. Fides enim ſola juſtificat.*

Ex Baſilio homilia de humilitate: *Hæc eſt perfecta, & integra gloriatio in Deo, quando neque ob juſtitiam quis ſe jactat; ſed novit quidem ſeipſum veræ juſtitiæ indigum; ſolâ autem fide in Chriſtum juſtificatum.*

Ex Chryſoſtomo homilia de Fide, & lege naturæ: *Fidelem abſque operibus poſſum monſtrare, & vixiſſe, & regnum cœlorum aſſecutum: nullus ſinè fide vitam habuit; latro autem credidit tantùm, & juſtificatus eſt.* In epiſtolam ad Titum homil.3. *Si credis, fidei cur alia infers, quaſi fides juſtificare non ſufficiat ſola?*

Ex Auguſtino lib. 1. contra duas epiſtolas Pelagianorum cap. 21. *Quantælibet fuiſſe virtutis antiquos prædices juſtos, non eos ſalvos fecit, niſi fides Mediatoris.* Lib. 83. quæſtionum, qu.76. *Si quis, cùm crediderit, mox de hac vita deceſſerit, juſtificatio Fidei manet cum illa, nec præcedentibus bonis operibus: quia non merito ad illam; ſed, gratiâ pervenit: nec conſequentibus, quia in hac vita eſſe non ſinitur.*

Ex Theophylacto in cap. 3. epiſtola ad Galatas: *Fides ſola habet in ſe juſtificandi virtutem.*

Ex Bernardo ſerm.22. in Cantica: *Quiſquis pro peccatis compunctus eſurit, & ſitit juſtitiam, credat in te, qui juſtificas impium, & ſolam juſtificatus per fidem pacem habebit ad te.* Epiſt.77. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit, ſic animadvertit: cautè non repetiit, qui verò baptizatus non fuerit, condemnabitur: ſed tantùm,* qui verò non crediderit, *innuens nimirum, ſolam fidem interdum ſufficere ad ſalutem, & ſinè illa ſufficere nihil.* Hæc, & plura ſimilia objecta ab hæreticis, & à Bellarmino facilè explicata, conciliataque cum Fide Catholica habet Lector de juſtificatione lib.1. cap.25.

9 Jam verò Scripror Novaturiens, hìc ad exemplum memoratus, cæteris enuntiationibus apertiùs Calvinianis immiſcuerit ſequentes, ex Patrum verbis callidè adornatas.

I. Sola Fides juſtificat.

II. Perfecta de Deo gloriatio eſt, quando ſe novit veræ juſtitiæ indigum; ſolâ autem in Chriſtum fide juſtificatum.

III. Fidelis vivere, & Regnum Cœlorum aſſequi ſinè operibus poteſt; ſi crediderit tantùm.

IV. Si credis, non eſt cur Fidei alia inferas, quaſi Fides ad juſtificandum non ſufficiat ſola.

V. Nonniſi Fides Mediatoris facit ſalvos.

VI. Si quis cùm crediderit, mox ex hac vita decedat, juſtificatio Fidei ad eum ſinè bonis operibus pervenit.

VII. Fides ſola habet in ſe juſtificandi virtutem.

VIII. Quiſquis credit in te, qui juſtificas impium, ſolam juſtificatus per Fidem, pacem habebit ad te.

Num Sedes Apoſtolica plurimas Authoris illius Propoſitiones manifeſtiùs hæreticas damnans, effata iſtioſmodi Calviniſmum non parum olentia, permittere debebit, nec poterit prohibere, nè conjunctim, vel diviſim impoſterum teneantur? Ex Patrum tamen vocibus quodammodo conflata ſunt, nec ullum ex Queſnellianis Articulis in Patribus expreſſum clariùs deprehendes. In illis quidem catholicæ ſunt; quia ad ſenſum ſanum à circumſtantiis, antecedentium, conſequentium, perſonarum, temporum determinantur, Nulla verò talis circumſtantia faveus eſt in ſcriptis illius Neoterici; uti neque Queſnelli; ſed omnes potiùs ad ſenſum hæreticum concurrunt: vel, ſi præciſæ à volumine conſiderentur, ut minimùm malè ſonant, ſcandalo, & hæreſeos ſuſpicioni obnoxia ſunt; hoc potiſſimùm tempore, quo Calviniſmus, & Janſeniſmus, quibus Propoſitiones illæ adeò congruunt, tantâ graſſantur animorum pernicie.

10 Hæc, Lector, memineris ad cæteros quoque Articulos referenda, qui ſignificatum ſua ſponte ingerunt abſurdum, maximè, ſi cum circumſtantia Authoris, & tot aliorum ejus dogmatum conferantur; quamvis in Patrum fortè aliquo verbis quodammodo ſimilibus legerentur, ſed ad ſenſum longè alium à circumſtantiis tranſlati. Sola verò definitio

tio gratiæ à Queſnello tot Propoſitionibus inculcata, quâ omnis gratia, præterquam efficiens, excluditur, viam obſtruit omni ſano ſenſui circa mortem Chriſti, & à Deo volitam ſalutem omnium hominum, uti ex iteratis ſæpè à me animadverſionibus facilè intelligitur. Non enim multo ſtudio opus eſt, ut quis percipiat, non potuiſſe Deum, aut Chriſtum ſeriò velle ſalutem ullius non prædeſtinati; ſi omnis gratia ſuum invictiſſimè conſequatur effectum. Sic enim evidens eſt, reproborum nemini obtigiſſe auxilium, quo ſalvari potuiſſet. Unde pariter liquet, quòd hic Queſnelli Articulus, Jesus *Chriſtus ſe morti tradidit ad liberandum pro ſemper ſuo Sanguine primogenitos, id eſt, electos de manu Angeli exterminatoris*, nullo modo patiatur ſenſum catholicum, quaſi etiam pro æterna aliorum liberatione mortuus ſit. Omnes autem ſententiæ Patrum ſenſum hunc patiuntur, & exigunt, ut omnes pro orthodoxa Fide Scriptores Polemici, contra hæreticorum blaſphemias conſenſu unanimi confirmant.

11 Novum arietem Conſtitutioni intorquet adverſarius, qui nomine *Theologorum Galliæ Obſervationes* edidit. In illis denuntiatores Propoſitionis, & cum eis omnes, qui examini interfuerunt Romani Theologi, Cardinales, ipſe Summus Pontifex, inſcitiæ redarguuntur, aut malæ fidei, quòd Gallicum *pour jamais* verterint *pro ſemper*, cùm verti debuerit *in æternum*, iſtud nempe *pro ſemper*, juxta Obſervatoris acumen intelligi poſſet de temporanea tantùm liberatione, quæ ultra hujus vitæ terminos non extenditur. Sed nonnè prodigii inſtar eſt, quòd Queſnellus, neque *in Querela, & Proteſtatione*, neque in *Obſervationibus* contra Conſtitutionem, neque *in Hexaplis* errorem iſtum, ſi quis foret, annotaverit? At magìs credo, quòd puduerit illum accuſationis tam frivolæ, & grammatico, quàm theologo dignioris. Quis enim hactenus præter Novatorem hunc verborum apicibus inſidiantem, iſtud in Conſtitutione *pro ſemper*, aliter intellexit, quàm *in perpetuum*? Talibus ſcilicet ſuppetiis ex Belgio opus habuit Queſnellus, & ejus in Galliis factio: ſiquidem Author ſcribens nomine *Theologorum Galliæ*, Belga ſit, aut, qui cum Belgis facilè confunditur, Leodienſis, ut plures veriſimile reddunt circumſtantiæ.

CAPUT IV.

Proferuntur Queſnelli Textus, quibus dicitur agnoviſſe voluntates in Deo carentes effectu. Expenduntur duo primi.

1 Qui ſemel à Fidei tramite, & Sedis Apoſtolicæ obedientiâ deſcivêre, velut in tenebris huc, illuc palabundi, cæcorum inſtar ceſpitare ſolent, ac ſæpe ferri in oppoſita, ut de Lutheri contradictionibus catalogus prodiit non exiguus. Janſeniana tamen hæreſis id habet præ cæteris ſpeciale, quod à præconceptis erroribus nuſquam diſcedat. Si verò ad quarumdam vocum, aut phraſium mutationem, & quaſi oppoſitionem ſubinde neceſſitas, aut magna novæ Eccleſiæ utilitas compulerit, non fit niſi ſenſibus iiſdem ſemper manentibus immotis, pertinaciâ diabolicæ non multùm diſſimili.

2 Queſnellus ſuam in fide, & quidem catholicâ, conſtantiam probare nititur longa textuum ſerie, in quibus volitiones in Deo agnoverit effectibus deſtitutas, ut, ſi qui articuli à Pontifice damnati forſitan duriuſculè ſonare viderentur, ſenſus à Fide Catholica non alienus colligi, inquit, poſſet, ac deberet ex tot aliis locis in eodem *Obſervationum Moralium* volumine manifeſtis. Unde, quæ pro Sanctis Patribus duriùs ſubinde loquentibus, benigniùs interpretandis, profertur ratio ex circumſtantiis antecedentium, & conſequentium, in Queſnelli quoque adducitur defenſionem; hoc tamen inter cætera diſcrimine, quòd Patrum ſenſus ex eodem plerunque, vel vicino capite extra omne dubium, & abſque fallacia pateſiat; Queſnelli autem excuſatio paſſim ex remotioribus planè aliud agentibus, & fide peſſimâ eruatur.

3 Calumniam hic ſibi inferri vociferabitur Queſnellus. Quapropter ſinguli ejus textus, qui ab eo, & ejus defenſoribus adferuntur, velut impactis ipſi erroribus contrarii, æquiſſimâ veritatis librâ expendendi ſunt. Remittimur autem ad *Obſervationes Morales*, quas ſubjicio.

„ I. Matth. cap. 23. verſ. 37. Deus vult
„ peccatoris pœnitentiam, cùm eam ipſi
„ curet tot vocibus, & modis tam variis
„ prædicari: ſed peccator auſcultare de-
„ trectat.
„ II. Marci 6. verſ. 14. Peccator pacem
„ non habet, cùm eam deſiderat, quia
„ à Deo oblatam rejecit.
„ Marc. 7. verſ. 29. Multum refert bene uti

„ uti occaſionibus, quas Deus offert ad aliquod virtutis exercitium, cùm ſalus unicæ quandoque occaſioni affixa ſit. Omnia exponis periculo, ſi eam elabi patiaris.

„ III. 1. Cor. 7. verſ. 16. Salutem mariti ſubinde Deus alligat pietati conjugis, & hujus ſalutem pietati mariti. Unde uterque habet, cur diligenter caveat, nè deſit Divinæ miſericordiæ conſiliis circa conſortem.

„ IV. Joan. 6. verſ. 57. Utinam tuo, Domine, obſequar deſiderio, ut in te meam..... neque illi mea deſideria perverſa obicem ponant!

„ V. Marci 6. verſ. 6. Ingrati animi vitium junctum incredulitati, manus ligat divinæ beneficentiæ.

„ VI. Luc. 19. verſ. 42. Non eſt calamitatum maxima eſſe peccatorem; ſed non agnoſcere ſuum peccatum, neque ejus remedium, & repellere ſalutarem manum ejus, qui nos ſanare vult per pœnitentiam.

„ VII. Apocal. 8. verſ. 13. Sæpè maximis flagellis præmittuntur monitiones; adeò deſiderat Deus noſtram ſalutem, & quodammodo invitus punit.

„ VIII. Act. 22. v. 18. Deus retrahit ſuos miniſtros, ſuum verbum, ſuum lumen ab iis, qui non utuntur, ut oportet; in quo ſtatu nos ſumus, quando Deum adigimus, ut nos deſerat.

„ IX. Matci 11. verſ. 14. Exemplum S. Matthæi nihil in Juda operatum eſt, quamvis fortè Jesus iſtud ei ob oculos ponere voluerit.

Hiſce relatis Queſnelli ſententiis animadverſiones quatuor addunt Hexapla numero 1. 3. 4. & 8.

Num. 1. *Deus vult, ſed non vult peccator; dantur igitur in Deo voluntates abſque effectu.*

Num. 3. *Juxta P. Queſnel Deus alligat ſalutem oblatæ à ſe nobis occaſioni: vult itaque nos ſalvare; ſed nos eam ſubinde elabi patimur, quæ occaſio, & Dei voluntas tunc abſque effectu eſt.*

Num. 4. *Deus rebus aliquibus ſalutem noſtram adſtringit, & deeſſe poſſumus miſericordiæ ejus conſiliis. Cui dein dubium apparêre poterit, quin P. Queſnellus agnoverit in Deo volitiones ſinè effectu?*

Num. 8. *Quid dici fortius poteſt, quàm* ipsum adigimus? *Si ipſum cogimus ut illuſtrationes ſuas nobis ſubtrahat; voluit igitur illas nobis conſervare.*

5 Ita Queſnelli in Hexaplis defenſio, quæ utinam adeò Catholica eſſet, quàm ſpectato verborum cortice aliquibus nimiùm credulis, & Janſenianæ ignaris fallaciæ forſitan apparebit! Non quaſi contendam quidpiam eâ falſi ſeu perverſi dogmatis contineri. Ut enim non omnia impiorum opera mala ſunt, ita nec omnia hæreticorum dicta hæreſeos, aut erroris maculâ aſperguntur. Plures Calviniſtarum conciones typo editas legi, nihil de controverſis quæſtionibus diſputantes; ſed morales ſolummodo, & miſericordiæ, ac pietatis opera ſuadentes, non aliter, ac ſolent Euangelii apud nos præcones maximè orthodoxi. Hinc non ab omni veritatis ſpecie alienum apparet, quod ſæpius audiveram, à Calvinianis Prædicantibus conciones noſtras, quæ ſingularem pietatis, & eruditionis famam nactæ fuerint, avidè conquiri, & tanquam ſuas populo recitari. Ita in novem illis Queſnelli ſententiis, uti & in quatuor additis animadverſionibus, nihil eſt, quod Catholicus æquè, ac Janſeniſta hæreticus enuntiare, ſalvis uterque ſuis dogmatibus, non valeat. Quapropter ad Queſnelli purgationem prorſus inutiles ſunt; præterquam apud rude vulgus, & fœminas, quæ, ut ſæpe leves ſunt corde, Magiſtris etiam novaturientibus citò, & perfacilè credunt. Quoniam tamen tantâ nos confidentiâ Queſnelli defenſor ad has ejus ſententias provocat, ſingulas expendamus.

6 Prima eſt: *Deus vult peccatoris pœnitentiam, cùm eam ipſi curet tot vocibus, & modis tam variis prædicari; ſed peccator auſcultare detrectat.* Quærendum hìc ex Queſnello, quo voluntatis genere Deus peccatoris illius pœnitentiam velit, quænam illæ voces, qui modi tam varii ſint, quibus Deus memorato peccatori pœnitentiam prædicari curet; & an ille tunc, cùm detrectavit, auſcultare, ſive obtemperare potuerit? Voluitne Deus aliter, quàm voluntate ſigni, quæ prorſus impropria eſt, an etiam beneplaciti, quæ etſi non ſemper efficiat, quod deſiderat; ſive, ut Scholaſtici ajunt, non ſemper ſit efficax reſpectu finis, eſt tamen reſpectu præparationis, & oblationis mediorum ad finem ſufficientium; imò, ſi per creaturam non ſteterit, etiam efficacium? Fruſtrà ex Adverſario quærerem, ut voces, & modos panderet, quos ait tam varios, quibus, curante Deo, peccatoribus pœnitentia prædicatur; ſcio enim innumeros eſſe, & ex his complures adeò mirificos, ut humanæ induſtriæ inſcrutabiles ſint. De iis ſolis quæſtionem inſtituo, qui Theologis paſſim, & vulgo fidelium noti in gratiis ſufficientibus conſiſtunt. Sinè his enim à quantumcunque multis concionatoribus, quantumvis ſonoris vocibus, quacunque eloquentiâ converſio peccatori neceſſaria proponatur, nunquam fiet, aut fieri poterit, ut is auſcultet, ſicut oportet ad reconciliationem, & juſti-

tiam. Id minimè ignorat Queſnellus, dum etiam ultra veritatis limites neceſſitatem gratiæ extendit Art. 39. dicens: *Voluntas, quam gratia non prævenit, nihil habet luminis, niſi ad aberrandum; ardoris, niſi ad ſe præcipitandum; virium, niſi ad ſe vulnerandum: eſt capax omnis mali, & incapax ad omne bonum.* Quod Prædicatori auſcultare detrectans peccator, auxilium Dei efficax non habuerit, evidens eſt: abſque efficaci autem ad quid cætera juvant juxta Queſnellum Art. 5. *Quando Deus non emollit cor per interiorem unctionem gratiæ ſuæ, exhortationes, & gratiæ exteriores non inſerviunt, niſi ad illud magis obdurandum?* Vel hinc patet, nullam in nova Eccleſia gratiam ſufficientem eſſe, quæ ab efficiente diſtinguitur; quem enim haberet, aut habere poſſet effectum ſalutiferum, quando ſinè efficaci nihil boni operis fieri poteſt: Art. 2. *Jesu Chriſti gratia, principium efficax boni cujuſcunque generis, neceſſaria eſt ad omne opus bonum: abſque illa non ſolùm nihil fit, ſed nec fieri poteſt?* Quomodo igitur ſinè efficaci gratia, quam certum eſt abfuiſſe, auſcultare peccator ſalubriter potuit? Hic nobis modò conveniendus eſt Adverſarius, ut explicet quàm feriò, & bona Fide nobis exhibeat Deum volentem, ut pœnitentiam agat peccator, cui nec præparat, nec offert auxilium ſufficiens? Quid ſinè hoc omnes prædicantium voces, & modi cæteri prodeſſe poterunt? Quid boni peccator facere?

7 Finem itaque offuciis Queſnellus faciat: & quamvis veriſſimum ſit apud omnes Catholicos, *quòd Deus velit peccatoris pœnitentiam; cùm eam ipſi curet tot vocibus, & modis tam variis prædicari; ſed peccator auſcultare detrectet*; in Queſnelli tamen ſyſtemate, nihil penitùs veri, & ſani ſenſûs tota complectitur oratio. Sic enim exponenda eſt: Deus vult peccatoris illius pœnitentiam impoſſibilem, cum eam quidem ipſi curet tot vocibus, & modis tam variis prædicari; ſed nullo oblato ei gratiæ ſufficientis auxilio, ſinè quo neminem pœnitere criminum ſalubriter poteſt. Quid igitur miri, quod peccator auſcultare detrectet, dum nulla ei auſcultandi facultas eſt? *Prædicatio* enim ſinè gratiâ neminem ad pœnitentiam adduxit unquam, aut adducere poteſt. Nam prædicatio ad doctrinam ſolummodo pertinet; quam ad actiones ſalutiferas ſufficere Pelagii hæreſis fuit, ab Auguſtino, & Sanctis ejus diſcipulis tot voluminibus debellata. Neque decipiant nos *tot voces, & modi* illi *tam varii*, quos prædicationi Queſnellus tribuit; quia quandiu omne Divinæ gratiæ auxilium peccatori eidem adimit, à Pelagio minimè recedit; cùm & de hæretico iſto nos moneat Auguſtinus lib. de gratiâ Chriſti cap. 3. *Quid juvat Pelagium, quia diverſis verbis eamdem rem dicit, ut non intelligatur in lege, atque doctrinâ gratiam conſtituere?* Sic, & quid Queſnellum juvat, *tot voces, & modos tam varios* prædicationi attexere, quando cum conſtat *diverſis verbis eamdem rem dicere, ut non intelligatur in lege, atque doctrina*, ſeu prædicatione omne conſtituere auxilium, quod peccatori reliquum faciat ad pœnitentiam? Rurſus *varii* illi *modi*, non ſunt alii, quàm quos Auguſtinus eodem libro cap. 7. detegit in Pelagio non eſſe niſi *doctrinam, & revelationem, & oculorum cordis adapertionem, & demonſtrationem futurorum, & apertionem diabolicarum inſidiarum, & multiformem, & ineffabilem dono gratiæ cœleſtis illuminationem*; ſed non excitationem, roburque voluntatis. Imò Queſnellus, nè gratiam quidem illuminantem in peccatore illo commemorat. Quid ergo ad cætera ejus peccata, etiam hæreſeos crimen addere vult, jubens miſerum ad pœnitentiam conniti ſolâ virtutis iſtius prædicatione ſinè gratia?

8 Neceſſe itaque eſt, Queſnellum, aut conſentire Bullæ Unigenitus, tot ſuos de gratia, & voluntate Dei errores condemnanti, aut permittere, ut ſocii ſui Ludovici Montaltii aliàs Blaſii Paſchalis epiſtola 2. famoſis utamur *præconibus*, qui *publicè* proclament, in Galliis præſertim, & Belgio: Notum omnibus eſto, quod cùm Queſnellus, & cæteri Janſeniſtæ dicunt, Deum velle peccatoris pœnitentiam, cùm eam ipſi curet tot vocibus, & modis tam variis prædicari; ſed peccatorem detrectare; id eos ſignificare velle, Deum peccatoris pœnitentiam minimè velle, neque curare, ut ipſi prædicetur eo modo, quo exaudiri prædicatio poſſit, aut peccator ſicut oportuit, auſcultare.

Ex hac primæ nobis objectæ ſententiæ explicatione, facilis erit ad ſequentes reſponſio.

9 Secunda Queſnelli ſententia: *Peccator pacem non habet, cùm eam deſiderat; quia à Deo oblatam rejecit.* Patet Authoris ſenſus, oblatam peccatori illi pacem fuiſſe in Adamo; poſtea verò non fuiſſe oblationem feriam; utpotè cùm ſciret Deus acceptationem eſſe impoſſibilem, denegatâ gratiâ, tum efficaci, tum ſufficienti, ſinè qua oblatam pacem admittere non potuit. Quomodo verò ſinè gratia potuiſſet oblatam pacem non rejicere, dum *peccator non eſt liber, niſi ad malum, ſinè gratia liberatoris* juxta damnatum Art. 38.?

10 Altera objectæ ex Queſnello ſententiæ pars erat: *Multum refert bene uti occaſionibus, quas Deus nobis offert, ad aliquod virtutis exer-*

exercitium, cùm ſalus unicæ quandoque occaſioni affixa ſit. Omnia exponis periculo; ſi eam elabi patiaris. Sic eſt: verùm quam hæc Catholicè à Catholicis dicuntur, tam fallacitet enuntiantur à Queſnello. Quisquis enim Janſenianæ fraudis ignarus hæc audis, indubiè exiſtimas, ſenſum proferentis eſſe, quòd Deus nobis ſubinde offerat virtutis exercendæ occaſionem, quam arripere quidem in poteſtate noſtra ſit; ſed negligentiâ prætereamus. Nihil autem ſimile ab Authore intenditur; cùm juxta illum nullus uſquam hominum ſit, aut à lapſu Adami fuerit, qui ullum boni operis exercitium, in ſua poſitum libertate, neglexerit. Non enim in poteſtate hominis in Adamo lapſi eſt, quidpiam boni facere abſque efficiente gratia juxta tot Articulos in Queſnello damnatos, in primis ſecundum: *Jesu Chriſti gratia, principium efficax boni cujuſcunque generis, neceſſaria eſt ad omne opus bonum; abſque illa non ſolùm nihil fit; ſed nec fieri poteſt*: cum illo autem principio efficaci exercitium boni operis nunquam omitti, perſpicuum eſt: & juxta Articulum Queſnelli nonum, *Gratia Chriſti eſt gratia ſuprema, ſinè qua confiteri Chriſtum nunquam poſſumus, & cum qua nunquam illum abnegamus.* Quod de Chriſti confeſſione Author aſſerit, locum etiam penès eumdem obtinet in omni opere bono. Nullum videlicet fieri poteſt abſque cœleſtis gratiæ ſubſidio; juxta Artieulum verò undecimum, *Gratia non eſt aliud, quàm voluntas omnipotentis Dei, jubentis, & facientis, quod jubet*: Imò juxta decimum, *Gratia eſt operatio manûs omnipotentis Dei, quam nihil impedire poteſt, aut retardare.* Unde certiſſima fraude, & mendacio ſcatet, quidquid ab iſtiuſmodi Theologis affirmatur de volitionibus Dei ſinè effectu, & de oblatis à Deo bonorum operum occaſionibus, quas amplecti homo potuerit; pravâ tamen neglexerit voluntate. Quotieſcunque boni occaſionem elabi homo patitur, juxta Queſnellum patitur neceſſariò; quia uti eâ ſinè gratiâ eſt impoſſibile: cum ea non minùs impoſſibile eſt occaſionem negligere, quia *gratiam nihil impedire poteſt, aut retardare.*

CAPUT V.

Expenduntur tres ſequentes Queſnelli textus.

1 Tertius Queſnelli textus ſic ſonat: *Deus ſalutem mariti ſubinde alligat pietati conjugis: & hujus ſalutem pietati mariti, unde utrique cavendum diligenter, nè deſit Divinæ miſericordiæ conſiliis circa conſortem.* Vel is, cujus ſalus cum pietate alterius connexa dicitur, habet gratiæ ſufficientis auxilium, vel non: Si habet, invictiſſimè juxta Queſnellum ſalvabitur. Si enim in peccatis fuerit, Art. 28. *Prima gratia, quam Deus concedit peccatori, eſt peccatorum remiſſio.* Dein ſupponi debet, non deeſſe quoque gratiæ auxilium ſufficiens, ut ſalutem conſequi valeat. Quo poſito, juxta Queſnellum fieri nequit, ut is ſalute excidat; cùm Artic. 11. *Gratia non ſit aliud, quàm voluntas omnipotentis Dei, jubentis, & facientis quod jubet*: Art. 10. *Gratia eſt operatio manûs omnipotentis Dei, quam nihil impedire poteſt, aut retardare.* Si verò auxilium ſufficiens defuerit, ut ſinè illo præcepta ad ſalutem neceſſaria, ſunt impoſſibilia obſervatu, ita & ſalus neceſſariò impoſſibilis redditur.

2 In qno igitur, & quandonam deeſſe alteruter conjugum poteſt Divinæ circa alterum miſericordiæ conſiliis, aut evitare nè deſit? Si gratia illi adfuerit ſufficiens, in Queſnelli ſententia deeſſe conſiliis Dei non poterit; quia jam vidimus, omnem gratiam juxta novæ Eccleſiæ definitionem, *eſſe operationem manûs omnipotentis Dei, quam nihil impedire poteſt, aut retardare.* Si verò auxilium illud defuerit, Divinæ miſericordiæ conſiliis obſequi non poterit; quia juxta Articulum 40. *Sinè gratia nihil amare poſſumus, niſi ad noſtram condemnationem.* Tota itaque ad pietatis ſpeciem adornata Queſnelli monitio, inanis in ſenſu ejus eſt, & ad occultandam hæreſim ſubdolè compoſita. Sic Pelagio nihil magìs in promptu erat, quàm gratiæ, & Divini adjutorii appellatio, cùm ſub ea aliud paſſim non intelligeret, quàm legem, atque doctrinam. Unde Auguſtinus lib. de gratia Chriſti cap. 5. *Poſſibilitatem*, inquit, *voluntatem, actionem tantâ ſubtilitate curavit diſtinguere, ut quandocunque legimus, vel audimus*, Pelagium *Divinæ gratiæ adjutorium confiteri, ut à malo declinemus, bonumque faciamus, ſive in lege, atque doctrinâ, hoc ubilibet conſtituit, ſciamus quid loquitur, nec erremus, aliter eum intelligendo, quàm ſentit. Scire quippe debemus, quod nec voluntatem noſtram, nec actionem, Divino adjuvari credit auxilio.* Dolus Pelagio aliquandiu ſuceeſſit, dum ejus confeſſio ipſum decepit Zoſimum Pontificem: *Eſtne ullus locus*, inquiebat Pontifex, *in quo Dei gratia, vel adjutorium prætermiſſum ſit*? Unde Sanctiſſimus mirabatur, tam ſanæ confeſſionis hominem accuſari potuiſſe. Ipſe penè circumventus eâ fraude fuerat Auguſtinus, ut fatetur lib. de peccato orig. cap. 18. *Videte*, inquit, *latebras ambiguitatis falſitati præparare refugia, offundendo ca-*

liginem veritati; *ita ut etiam nos*, *cumprimùm ea legimus*, *recta*, *vel correcta propemodum gauderemus*. Sed, ut magna ſcelera diu latere non ſolent, ita neque peſtilens hæreſis, qualicunque fucata hypocriſi. Fraus itaque tandem deprehenſa, & hæreticus Author iteratâ Sedis Apoſtolicæ ſententiâ damnatus, expulſusque Eccleſiâ eſt.

3 Quod quarto loco producitur, pium indubiè foret, niſi Catholico ſenſu in Authoris ſyſtemate eſſet vacuum, quo ait Queſnellus: *Utinam tuo, Domine, obſequar deſiderio, ut in te maneam... Neque illi mea deſideria perverſa obicem ponant!* Meritò ſic optant, & timent omnes Catholici; ſed Queſnellus prædeſtinatianæ hæreſeos ſectator, & ſectatorum Coryphæus novit, quid ſcripſerit Articulo 31. *Deſideria Chriſti ſemper habent ſuum effectum*: & Art. 30. *Omnes quos Deus vult ſalvare per Chriſtum, ſalvantur infallibiliter*. Si Chriſti, adeòque Dei deſideria ſemper habeut ſuum effectum, quis metuat, nè ſua perverſitas eum impediat? Si Deus deſideret, ut in ſe maneas, & ſalveris, manebis, & ſalvaberis infallibiliter, ut clarè, confidenter, & ſinè ambagibus utroque enuntiatur Articulo; quo & plures alii conſpirant. Verùm te, Queſnelle, omnes boni Catholici, pro ſalute animæ tuæ, & multarum, quas alioqui hæreſis tua in exitium trahit, rogant, obteſtantur, ut damnatis tuis Articulis renuntians, non ampliùs fraudulenter; ſed ſeriò orare Deum valeas; *Utinam tuo Domine obſequar deſiderio, ut in te maneam... Neque illi mea deſideria perverſa obicem ponant!* Alioqui quandiu Articulos proſcriptos mordicus retines, oratio iſta, & quæcunque ſimiles nullam in Deo voluntatem ſeriam, & quæ à Scholaſticis *beneplaciti* vocatur, unquam in ore, & volumine tuo ſignificabunt; ſed ſubdolam ad fallendos ſimplices hypocriſim. Proſequamur objectos cæteros Queſnelli textus.

4 Quintus ſic habet: *Ingrati animi vitium junctum incredulitati, manus ligat Divinæ beneficentiæ*. Nihil etiam hac ſententiâ apud Catholicos verius eſt; ſed apud Queſnellum nihil continet, niſi vacuas omni ſenſu Catholico voces. Quid enim eſt, cur Deum ingratus mortalium animus tantopere commoveat in miſeros, poſt Adæ lapſum omni privatos boni operis libertate, & in perpetuam, Queſnello judice, conjectos peccandi neceſſitatem, niſi dum omnipotenti, & inſuperabili gratiæ muniuntur ſubſidio? Nam omnis quidem *Gratia*, juxta novæ Eccleſiæ fidem Artic. 10, *Eſt operatio manûs omnipotentis Dei, quam nihil impedire poteſt, aut retardare*. Sed ea abſente, quæ paucis, & ex mero Dei beneplacito conceditur, quid reliquis ſupereſt, niſi, ut & perpetuò peccent, & neceſſariò? Quia juxta Articulum Queſnelli 40. *Sinè gratia nihil amare poſſumus, niſi ad noſtram condemnationem*. Quod non caſu, aut conſiderationis defectu Authori excidit, ſed pluribus vicinis Articulis ſtudioſè Lectoribus ingeritur, inculcatur. Nec mirum; cùm inter Bajanæ, & Janſenianæ doctrinæ cardines habita ſemper ea ſententia ſit. Famoſus enim noſcitur Bajanus Articulus 27. à S. Pio V. Gregorio XIII. & Urbano VIII. damnatus, *Liberum arbitrium ſinè gratia Dei adjutorio non niſi ad peccandum valet*. Qui indubiè inter eos eſt, de quibus Urbani VIII. Conſtitutio *In eminenti* declarat, quod *in libro Janſenii contra præfatas deceſſorum damnationes, & prohibitiones, magno cum Catholicorum ſcandalo, & authoritatis dictæ Sedis contemptu defendantur*: ibid. *Malo in ſcandalum totius Reipublicæ Chriſtianæ, & Fidei Catholicæ perniciem vergenti*.

5 Legimus ſcilicet apud Jauſenium editionis primæ Lovanienſis Tomo 2. col. 496. *Ita periit libertas abſtinendi à peccato, ut nec in ullo quidem opere*, (ſinè gratiæ auxilio,) *omnis peccati culpam poſſit effugere*. Ibid. *Ita inducta eſt peccandi neceſſitas, ut in omni actu, quo legem ſibi videtur, vel ſervare, vel tranſgredi, reus alicujus peccati teneatur*; ſi gratia defuerit. Num forſitan Queſnellus dicet, quòd, etſi abſque gratia peccetur continuò; non tamen neceſſariò; ſed liberè? ut aſſeritur Art. 38. *Peccator non eſt liber, niſi ad malum ſinè gratiâ Liberatoris*. Quia nempe, ut explicat Janſenius lib. 4. de ſtatu naturæ lapſæ cap. 25., *Neceſſitas à nobis tradita ſolùm eſt neceſſitas in genere, ex qua fit, ut non poſſint homines ante gratiam agere, niſi malè. Hæc autem* (neceſſitas) *non impedit, quo minùs in peccatis ſingularibus perpetrandis liberam, & indifferentem ad faciendum, & abſtinendum habeant voluntatem*; dum inter peccata remanet neceſſitatis expers electio, ut abſque gratia poſſit homo ſuperbiam, gulam, libidinem vincere avaritiâ, & avaritiam gulâ, ſuperbiâ, libidine. Sic paſſim avari amore pecuniæ jejunant: Phariſæi ex vana gloria: ſubinde avarus opes profundit in libidinem. Hypocrita honoris ambitione abſtinet ab adulterio, & ebrietate; atque ita, ut clavus clavo pellitur, ita juxta Janſenium, unius amore vitii ſinè gratiâ aliud ſuperatur.

6 Verùm præterquam, quod per ſe abſurdiſſimum ſit, homines abſente gratia adſtringere perpetuò neceſſitati peccandi, etiam conceſsâ inter crimina electione, unde damnatio homini fiat inevitabilis; nè tantum quidem libertatis reliquum ſinit Doctrina Jan-

Janſenii, quid quid ipſe, ſive fraude, ſive ignorantiâ, aliter profiteatur. Quod ut pateat, exponenda hic breviter eſt tota ejus de libertate, verius dixero de neceſſitate, Doctrina. Fundatur illa in ſuavitate, & delectatione indeliberata, ſive cœleſtis gratiæ ad bonum, ſive terrenæ concupiſcentiæ ad malum. Quælibet ex his duabus, quam contigerit ardentiorem eſſe, trahit ſecum voluntatem neceſſariò in conſenſum deliberatum, juxta axioma Janſenii, *quod ampliùs nos delectat, ſecundùm id operemur neceſſe eſt*. Quod quidem ab Auguſtino Catholicè aſſertum; ſed perperam intellectum eſt à Janſenio. Quod enim Auguſtinus in Epiſtolam ad Galatas ait, de neceſſitate conſequente operum ex delectatione deliberata, & liberrima voluntatis, Janſenius hæreticè interpretatur de neceſſitate antecedente omnem voluntatis deliberationem, & orta ex majore ſuavitate gratiæ in bonis actibus, vel terrenæ concupiſcentiæ in malis, quæ voluntatem neceſſariò, & efficacitate hìc & nunc indeclinabili, atque inſuperabili abripiat ad aſſenſum.

7 Ut autem de ſola peccandi neceſſitate, quæ ad præſentem controverſiam attinet, dicam, Janſenius lib.2. de ſtatu naturæ lapſæ cap.24. ait, *Nunc nullum peccatum aliter, niſi concupiſcentiâ voluntatem provocante, & voluntate concupiſcentiæ conſentiente, perpetrari.* Concupiſcentiæ autem delectatio hominem ad peccatum alliciens, non eſt vaga quædam, & ad malum in genere; ſed, ut ipſa determinata eſt, & certæ ſpeciei, libidinis, avaritiæ, vel ſuperbiæ, &c. ita ad peccatum provocat ſpeciei determinatæ. Si igitur ſubſiſteret Janſenii principium de delectatione indeliberata fortiore, aſſenſum deliberatum neceſſariò inferente, minimè eſſet in hominis poteſtate unum peccatum eligere præ alio, peccatum ſuperbiæ, vel avaritiæ, præ peccato libidinis, quando hujus delectatio indeliberata cæteris foret ardentior. Unde perſpicuum eſt, nullam penitùs libertatem à Janſenio, & ejus Sectatoribus relinqui, ſive ad deſiſtendum à crimine, ſive ad unum alteri præferendum. Nihil hìc tribuo Janſenio, quod non omnium oculis in ejus expoſitum ſit volumine, neque an ejus ſenſus ſit, revocari poteſt in dubium; conſecutio autem ex ejus dogmate deducta, prorſus clara, & irrefragabilis eſt: nec vereor nè ullo Sophiſmate eludatur. Fore autem, ut Queſnellus totius Janſeniani Ordinis, communibus calculis, *Pater Prior*, quemadmodum centenis ſuorum litteris in proceſſu juridico convincitur; fore, inquam, ut Queſnellus Janſenium tot ſcriptis à ſe obſtinatiſſimè defenſum aliquando deſerat, nullam ſpem faciunt tot contra Conſtitutionem Unigenitus molimina.

8 Qua ergo ratione ingratos increpat, & incredulos, quaſi his duobus vitiis manum Dei, aliàs ad conferenda beneficia paratam impediant? Non poteſt profectò ſincera eſſe Dei benevolentia, ſi peccatis neceſſitate commiſſis teneri ſe ſinat, vel ſimulet à benefaciendo. Imò peccata non ſunt, ſi non libera, teſte S.Auguſtino lib.3. de libero arbit. cap.18. *Quis peccet in eo, quod nullo modo caveri poteſt?* libro de natura, & gratia cap.67. *Quæcunque iſta cauſa eſt voluntatis, ſi non poteſt ei reſiſti, ſinè peccato ei ceditur.* Denique omnis ad virtutem hortatio, vel reprehenſio vitiorum, non plus veri ſenſûs habet in ore Queſnelli; quàm in Calvinianorum Prædicantium, qui ſubverſâ hominis, tum in bonis, tum in malis actibus libertate, fruſtrà eum ad virtutes inducere, fruſtrà à peccatis avertere, verbis fallacibus conantur, aut conati ſe hypocritæ fingunt. Indubitata nobis, & omnibus Catholicis eſt, Doctoris Angelici ſententia, in quæſtionibus diſputatis quæſt. de malo quæſt.6. de electione. *Quidam poſuerunt, quòd voluntas hominis ex neceſſitate movetur ad aliquid eligendum; nec tamen ponebant, quòd voluntas cogeretur. Non enim omne neceſſarium eſt violentum . . . Hæc autem opinio eſt hæretica. Tollit enim rationem meriti, & demeriti . . . . Si enim non ſit liberum aliquid in nobis; ſed ex neceſſitate movemur ad volendum, tollitur deliberatio, exhortatio, præceptum, & punitio, & laus, & vituperium.* Solæ igitur hortationum larvæ ſunt, quas Queſnellus in citatis textibus, & ubivis alibi ſubdolè affectat: & quandoquidem, teſte Angelico, atque ipſo naturæ lumine dictante, ubi eſt peccandi neceſſitas; etiam exempta à vi, & coactione, non poſſit eſſe *punitio*, aut *vituperium*, non poteſt in Queſnelli ſententia Deus, ad benefaciendum homini paratus, obtentu ingrati ejus, atque increduli animi, à conferendo beneficio impediri, aut ad quodcunque aliud infligendum ſupplicium moveri, juxta Divinæ, humanæque regulas æquitatis.

CAPUT VI.

Expenduntur reliqui Queſnelli textus.

1 Aſſentior textui ſexto, quòd *non ſit calamitatum maxima, eſſe peccatorem; ſed non agnoſcere ſuum peccatum, neque ejus remedium, & ſalutarem repellere manum medici volentis nos ſana-*

ſanare per pœnitentiam. Quod monitum etſi ſapiens, & pium in ore Catholici; at in hæretici Prædeſtinatiani, & Janſeniſtæ, inter quos loco non infimo Queſnellus eſt, nihil habet ſerium, præter inutilem calamitatis confeſſionem: nihil quod ad emendationem vitæ, aut ſtudinm pœnitentiæ conferre vel minimum poſſit. De obdurato peccatore ſermo eſt: quomodo autem poteſt hic in illo ſyſtemate peccatum ſuum, ſicut oportet, agnoſcere obcæcatus, de quo cum emphaſi Queſnellus interrogat, Art.1. *Quid aliud remanet animæ, quæ Deum, atque ipſius gratiam amiſit, niſi peccatum, & peccati conſecutiones, ſuperba paupertas, & ſegnis indigentia, hoc eſt generalis impotentia ad laborem, ad orationem, & ad omne opus bonum?* Quâ ingreſsâ animam generali impotentiâ ad omne opus bonum, etiam ad orationem, quæ deberet cœleſte lumen, & robur expoſcere, fruſtraneæ ſunt omnes ad pœnitentiam hortationes. Saltèm, inquies, non deberet repellere *manum ſalutiferam Medici, volentis nos ſanare per pœnitentiam*. Sed quid vobis eſt manum Medici repellere, niſi peccata præterita novis ſemper cumulare? Quid autem deſtitutus omni gratiæ ſubſidio aliud apud vos poteſt? Art.38. *Peccator non eſt liber, niſi ad malum ſinè gratia Liberatoris*. 40. *Sinè gratia nihil amare poſſumus, niſi ad noſtram condemnationem*.

2 Si Divini luminis radius peccatori obtingeret, agnoſceret morbum ſuum, neque manum Medici repelleret. Juxta Art. 14. *Quantumcunque remotus à ſalute ſit peccator obſtinatus, quando* Jesus *ſe ei videndum exhibet lumine ſalutari ſuæ gratiæ, oportet ut ſe dedat, accurrat, ſe humiliet, & adoret Salvatorem ſuum*. Art.15. *Quando Deus mandatum ſuum, & ſuam externam locutionem comitatur unctione ſui Spiritûs, & interiori vi gratiæ ſuæ, operatur illa in corde obedientiam, quam petit*. Art. 10. *Gratia eſt operatio manûs omnipotentis Dei, quam nihil impedire poteſt, aut retardare*. Imò peccator eſſe hoc ipſo deſineret Art.28. *Prima gratia, quam Deus concedit peccatori, eſt peccatorum remiſſio*. Sic pœnitentia, quæ juxta Tridentinum ſeſſ.6.can.3. *Sinè præveniente Spiritûs Sancti inſpiratione* peragi non poteſt, juſtificationi prævia nunquam foret; ſed illâ ſemper poſterior: adeòque non efficeret juſtitiam; ſed collatam præſupponeret.

3 Si nondum dogmatum ſuorum inſaniam, & juxta illa fallaciam præſentis moniti, Queſnellus percipiat, ſtatuamus Medicum (cùm in hac Textus verſetur ſimilitudine) qui phrænesi laborantem accedens, & tentare volens arteriam, ab infirmo repellitur; poteſtne ob repulſam à phrænetico manum, juſtâ adversùs eum indignatione commoveri, & velut omni indignum remedio deſerere? An non tangeretur potiùs commiſeratione, ut fortiora adhiberet medicamina, ut miſer poſſet ſenſibus primùm reſtitui, & morbum ſuum cognoſcens, manum Medici admitteret lubens, nec ullam deinceps refugeret medicinam? Inſanire autem ab omnibus ratione utentibus diceretur ipſe Medicus; ſi ideo curare phræneticum nollet, quia is ſui impos manum ſalutiferam repuliſſet. Porrò peccatori juxta Queſnellum gratiâ deſtituto, non magis liberum eſt à peccato abſtinêre, quàm phrænetico non delirare; ſicut etiam Janſenii effatum eſt lib.2.de gratia Chriſti Salvatoris cap. 1. *Cujus medicinali gratiâ, & adjutorio, niſi vires priſtinæ reſtaurentur, tam eſt impoſſibile voluntati, ut benè velit, & operetur, quàm homini cæco ut videat, vel ſurdo ut audiat, vel tibiis fracto ut rectè gradiatur; quamvis eis & lux, & ſpecies, & ſcipiones, & omnia cætera ſanitatis adjumenta ſuppetant*: ſic neque poſſibile eſt à malo abſtinere, ſive omiſſione præcepti non delinquere: ejuſdem nempe apud Janſenium, & Queſnellum rationis eſt, ejuſdem impoſſibilitatis ſinè gratiâ abſtinere à malo, & facere bonum. Videamus itaque, qualis ſtatuatur à Queſnello Medicus intuitu omnium, quos non ſanat: præclarus ſcilicet, qui eorum nulli prorſus concedere voluerit remedium, quo poſſet à morbo ſive levi, ſive gravi, etiam lethifero præſervari; nec ulli ægrotantium præſtare medicinam, qua ſanari poſſet, & liberari ab interitu.

4 Clementior juxta Catholicos eſt totius humani generis Medicus, qui neminem, ſive in gravis, ſive in leviſſimi infirmitatem peccati incidere patitur, quin remedium ei præſentiſſimum offerat, quo poſſit malum imminens avertere: Quin, etſi ſocordiâ ſuâ præſervatricem manum non admiſerit, indè in morbos varios incidens, nunquam tamen, dum ei halitus, & ratio ſupereſt, penitùs deſeritur: ſemper ei remedia præparata offeruntur, & ſubinde reluctanti ingeruntur, ſaltèm ſufficientia, quibus æger convaleſcere valeat, niſi pervicax potionem infuſam regerens, exitium præferat ſaluti. Ipſorum crucifigentium crudelitate, & blaſphemiis adeò non commotus eſt Servator, quin etſi noſſet eſſe graviſſima crimina, excuſaret apud Patrem, remitti poſtulans, quòd ex ignorantiâ, quamvis facillimè ſuperabili, ac proinde minimè inculpata committerentur. Denique cœleſtis Medicus ſive inter mortales olim degens, ſive nunc apud Superos, Queſnelliani

ni Medici duritiem minimè imitatus eſt. Sed de hoc plura cap. ſequenti.

5 Salubre quoque monitum Catholicis eſt Textus ſeptimus. Sed ad nihil utile Adverſariis. Quod nempe *maximis flagellis præmittantur ſæpe monitiones : & quod adeò deſideret Deus noſtram ſalutem, ut puniat quodammodò invitus*, nos quidem ad amorem, & pœnitentiam excitat, ut & benigniſſimi Patris nos ſalvare volentis reſpondeamus affectui, & flagella graviſſima peccatis noſtris debita avertamus. Verùm quis moniti hujus, & mille ſimilium in Queſnelli principiis poteſt eſſe fructus? Nihil enim *monitio* exterior abſque interioris gratiæ ſubſidio conferre poterit ad ſalutem. Omnis autem juxta Queſnellum ſufficiens gratia, qua pœnitentiam agere valemus, eam ſinè cunctatione operatur. Idem eſt de quovis alio opere bono; ſiquidem juxta Articulum 10. vera traditur definitio: *Gratia eſt operatio manûs omnipotentis Dei, quam nihil impedire poteſt, aut retardare*. Sinè hac neque agere bonum poſſumus, neque declinare peccatum. Juxta Art. 5. *Quando Deus non emollit cor per interiorem unctionem gratiæ ſuæ, exhortationes, & gratiæ exteriores non inſerviunt, niſi ad illud magìs obdurandum*. Neque aliquid boni eſt nobis poſſibile, niſi quod re ipſa per gratiam operamur juxta Art. 4. *Ita, Domine; omnia poſſibilia ſunt ei, cui omnia poſſibilia facis, eadem operando in illo*; cætera ſunt impoſſibilia. Quapropter Art. 3. *In vanum, Domine, præcipis, ſi tu ipſe non das, quod præcipis*.

6 Si igitur omnis interior monitio efficit omne, ad quod eſt ſufficiens, neque ſinè illa quidpiam valeamus, quem uſum, quem fructum habere poteſt textûs ſeptimi apud Authorem, & ejus aſſeclas exhortatio? Non meliùs indè conficitur ulla Dei ſinè effectu volitio, niſi hoc nomine intellexeris ſimplicem complacentiam, qualem Deus etiam juxta Janſenium habet erga liberationem Dæmonum, cæterorumque apud inferos damnatorum; in qua ſibi, velut in bono poſſibili, complaceat, abſque ullius tamen oblatione medii, quo liberationem unquam conſequi poſſint. Hæc volitio Queſnello antecedens eſt, quam erga ſalutem omnium, etiam reproborum, admitti in Deo poſſe ſuos edocuit Janſenius lib. 3. de gratia Chriſti cap. 20., poſtquam lib. 1. cap. 10. declaraſſet voluntatem ſalvandi omnes fuiſſe ante prævisionem lapſûs omnium in Adamo. Ideo verò voluntatis actum antecedentem appellat ſerium; quia ejus intuitu Deus media ad ſalutem ſufficientiſſima Adamo, & in eo poſteris deſtinavit; poſt lapſum autem voluntas antecedens in nudam, & nihil gratiæ conferentem vertitur complacentiam, ſaltèm circa plurimos. Sic nempe lib. 3. cap. 20. definit: *Poſtquam peccata jam ab hominibus inducta conſiderantur, antecedens voluntas in ſola præciſione mentis, adeòque nudâ quadam velleitate, nihil omnino gratiæ cauſante conſiſtere poteſt... Nihil igitur omnino doctrina Damaſceni de antecedente ſalutis omnium voluntate recentioribus prodeſt, ut quæ optimè cum negandæ ſalutis, & gratiæ ſufficientis voluntate conſiſtit*.

7 Nonne bellè à Queſnello, & cæteris Janſenii diſcipulis deluditur, quiſquis eos credit veram voluntatem beneplaciti, voluntatis antecedentis vocabulo communiter intellectam, & auxiliorum ſufficientium præparatricem agnoſcere in Deo erga ſalutem omnium hominum? Quæ quidem voluntas à Catholicis creditur etiam conſequens peccatum Adami; antecedens autem reproborum obitum, ſive in peccato originis, ſive in iis, quæ propria ſingulorum commiſerit perverſitas.

8 Exiguam verò, aut nullam Queſnellus omnibus hominibus fiduciæ rationem ſuppeditat, exiguum amoris incentivum erga Deum veluti *omnium hominum*, nemine excepto, *Salvatorem*; ſi partem hominum longè maximam, videlicet reprobos omnes, ante ullius propriâ voluntate commiſſi criminis præſcientiam, decreverit auxiliis ad ſalutis conſecutionem ſufficientibus penitùs deſtituendos. Quo poſito decreto, omnes illos in peccato emori neceſſe eſt, & ſuppliciis addici perpetuis, neceſſitate indeclinabili, & omnem eorum actum liberum prorſus antecedente. Profectò quemadmodum nemo ſanæ mentis, & communis conſuetudinis loquendi utcunque conſcius dicet, Deum velle omnes ex inferno dæmones liberare, quia ſibi in ea liberatione tanquam bono poſſibili complacet, dum eorum nulli offerre unquam ſtatuit quidpiam ſufficientis auxilii, quo ſe ex iis ſuppliciis valeat expedire; ita neque Queſnellus dicendus eſt agnoſcere in Deo voluntatem ſeriam ſalvandi omnes homines, vel unum ſaltèm ex infinitâ damnandorum multitudine.

9 Nos, etſi de æternâ prædeſtinatione non ſinè timore, & tremore cogitemus, abſque ullo tamen errandi periculo credimus, quod Deus noſtrum omnium ſalutem ab æterno voluerit, & velit, ea voluntate antecedente, quæ prorſus ſufficientia ſingulis offerat ſalutis præſidia, quibus ſaltèm adulti omnes, ſi, ut verè poſſunt, uti voluerint, æterna gaudia conſequantur; etſi, prædeſtinatione ſuppoſitâ, quæ falli nequit, futurum

rum non ſit, ut velint omnes; unde reprobos adultos neceſſitare, non niſi conſequenter, perire neceſſe eſt. Quemadmodum autem, ut definit Tridentina Synodus ſeſſ.6. cap.12. *Nemo quandiu in hac mortalitate vivitur, de arcano Divinæ prædeſtinationis myſterio uſque adeò præſumere debet, ut certò ſtatuat, ſe omnino eſſe in numero prædeſtinatorum*; ita neque Queſnellus, neque Janſeniſtæ cæteri, poſſunt ſinè erroris formidine dicere, quod poſſunt omnes Catholici: *Deus noſtram ſalutem deſiderat*; Quia ibi ſolummodo verum intelligitur Omnipotentis deſiderium, ubi eſt præparatio mediorum ſufficientium, quæ omnes Catholici ſibi non penitùs deeſſe certi ſunt, hæſitantibus circa ea omnibus cum Queſnello Janſenianis. Cùm enim in ſolis prædeſtinatis ſufficientia hìc agnoſcant ſubſidia, quibus ad ſalutem promoveri valeant, non certiùs affirmare poterunt, quod *Deus ſalutem noſtram deſideret*, quàm *Deus nos ad ſalutem prædeſtinet*.

10 Deum quodammodo invitum ad puniendum accedere, eſt Catholicis exploratum: non ita Queſnello cum ſuis; nam Deum ſeriò velle, ut peccata ab omnibus vitentur; commiſſa autem expientur, pœnitentiâ ſponte ſuſceptâ; nè ipſe, juſtitiâ vindictam exigente, graviùs plectere cogatur, facilè intelligunt, & fatentur Catholici, edocti ab Eccleſia de ſufficientibus, quæ Deus non denegat, præſidiis, ut peccata declinare omnes valeant, & commiſſa dolore convenienti eluere. At in adverſariorum ſententia, in qua Deus nulli delinquentium ſufficientem præbeat vitandis, quæ committunt, criminibus facultatem: nemini impœnitentium largiatur, quo pœnitêre eum ſalubriter poſſit; minimè elucet ea Dei clementia, ob quam dicendus ſit punire *quodammodo invitus*: Adeò in objectis Queſnelli ſententiis nihil ſincerum eſt, nihil non ex fraudibus ad circumveniendos ſimplices, & eludendas Eccleſiæ ſanctiones ſubdolè contextum.

11 Non plus bonæ fidei eſt in duobus ſequentibus Queſnelli Textibus: octavus ſcilicet ſic docet. *Deus retrahit ſuos Miniſtros, ſuum verbum, ſuum lumen ab iis qui non utuntur, ut oportet. In quo ſtatu nos ſumus, quando Deum adigimus, ut nos deſerat.* Atqui ex damnatis Queſnelli dogmatibus clariſſimè ſequitur, neminem, ſaltèm poſt Adami lapſum, extitiſſe unquam, qui Dei Miniſtris, Divini Verbi prædicatione, & cœleſti lumine uſus non fuerit quantùm potuit. Ex hac igitur parte nihil rationis Deo, juxta Adverſarium, eſſe poteſt, cur ſuos Miniſtros, ſuum verbum, ſuum lumen ab ullo mortalium retrahat. Aſſumptum evidens fit ex tot Queſnelli Articulis, ut voluntariè cæcum eſſe oporteat, qui non perſpicit. Quid enim hæc ſibi vult Divinæ gratiæ definitio, quæ eſt Articulo 20. *Vera gratiæ idea eſt, quod Deus vult ſibi à nobis obediri, & obeditur: imperat, & omnia fiunt: loquitur tanquam dominus, & omnia ſibi ſubmiſſa ſunt*? Art.21. *Gratia* Jesu *Chriſti eſt gratia fortis, potens, ſuprema, invincibilis, utpote quæ eſt operatio voluntatis omnipotentis, ſequela, & imitatio operationis Dei incarnantis, & reſuſcitantis Filium ſuum.* Prætereo Articulum 22. 23. 24. 25. & 11. ſolus decimus, ſæpe citatus, ſufficiet: *Gratia eſt operatio manûs Dei omnipotentis, quam nihil impedire poteſt, aut retardare.* Nonne igitur evidens eſt quòd in hujus Authoris ſententia gratiam nemò impediat, aut retardet, nemo eam fruſtretur effectu, aut eâ non ſicut oportuit, utatur? Non poteſt eſſe argumentum magis legitimum, quàm ex negatione potentiæ, deducere negationem actûs: Gratiam ab operatione ſua nihil impedire poteſt, aut retardare: nihil itaque impedit, nihil retardat. Et, ſi ea gratiæ idea ſit, tot deſcripta Articulis, quod ſit invincibilis, omnipotens, tot expreſſa efficaciſſimis terminis, & figuris, ut effectus, & obedientia, quam in his circumſtantiis gratia exigit, ab ea prorſus nequeat ſeparari, quandonam fiet, aut fieri poterit, ut quis eâ gratiâ non ſicut oportuit, utatur? Si verò unquam contingeret, ut quis eâ non ſic uteretur, jam gratiam *impediret*, quod fieri non poſſe Articulo 10. affirmatur: Dein gratia omnipotens, invincibilis, ſuprema, & omnibus illecebris ſuperior eſſe deſineret, nec eſſet amplius gratia, utpote cujus jam excidiſſet natura, amiſſa eſſet idea.

12 Unde nunquam juxta damnatos Articulos fieri poteſt, ut in eo ſtatu ſimus, in quo, quia Divino lumine uſi non fuerimus, Deus ad nos deſerendum adigatur; cùm defectus ille, ſive omiſſio usûs gratiæ poſt Adæ lapſum, juxta Articulos illos nunquam contigerit, & nè contingere quidem poſſit. Quia tamen ſubinde hæretici, etiam præter, & contra intentionem, verum prædicant, utinam adverſarius tam obduratâ in tot erroribus impiis, blaſphemis, hæreticis pertinaciâ, tam publicâ, & perniciosâ contra Chriſti Vicarium rebellione non efficiat, ut ſua, in ſe, ſuoſque convertatur ſententia. Obſerv. Moral. in Act. cap.22. verſ.18. *Deus retrahit ſuos miniſtros, ſuum verbum, ſuum lumen ab iis, qui non utuntur, ut oportet: in quo ſtatu nos ſumus, quando Deum ad nos deſerendum adigimus!*

13 No-

13 Nonus textus pronuntians, *S. Matthæi exemplum nihil in Juda operatum eſſe, quamvis fortè* Jesus *iſtud ei ob oculos ponere voluerit*, vel ſupponit Chriſtum cum Propoſitione exempli, illuminaſſe intus animum Judæ cœleſti gratiæ radio, motumque pium impreſſiſſe voluntati; vel eum cæcitati ſuæ reliquiſſe, & duritiei abſque omni gratiæ interioris ſubſidio. Si exemplo gratiam junxerit, patet falſitas Articulorum omnium damnatorum, quos jam retuli de invictiſſima ſemper gratiæ efficacitate. Si cum exemplo nihil opis ſuperioris Chriſtus contulerit, impoſſibilis tum etiam juxta adverſarium eſſe debuit Judæ perfidi converſio, ut fides contra Pelagium docet: & Queſnellus fidei limites excedens, *Sinè gratia*, inquit Art. 40., *nihil amare poſſumus, niſi ad noſtram condemnationem*. Artic. 39. *Voluntas, quam gratia non prævenit, nihil habet luminis, niſi ad aberrandum; ardoris niſi ad ſe præcipitandum; virium, niſi ad ſe vulnerandum: eſt capax omnis mali, & incapax ad omne bonum*. Judæ non profuiſſe exemplum Matthæi, ſive à Chriſto propoſitum ſuppoſueris, ſive non, ex ſecuta colligitur pertinaciâ; ſed ea exempli Propoſitio, niſi aliquod gratiæ auxilium comitatum fuerit, ſicut non ſufficit, ut Judas converti potuerit, ita neque ut Chriſtus dici converſionem ejus ſeriò voluiſſe. Voluntatis ſcilicet nomine, communi uſu loquendi, & ſignificatione obvia, non intelligitur alia, quàm quæ apud Scholaſticos *beneplaciti* appellatur, non quidem ſemper efficax, ut fidem ipſam aſſequatur; efficax tamen quoad media, quæ præparat verè ſufficientia; etſi ea in adultis ſæpe repellat, fruſtreturque effectu humanæ pervicacia voluntatis.

14 Iſtud in Juda contigiſſe indubitatum quidem ſanioribus Theologis eſt, cum S. Leone dicentibus Serm. 11. de Paſſione: *Pro omnibus impiis mortuo Domino, potuiſſet etiam hic* (Judas) *conſequi remedium, ſi non feſtinaſſet ad laqueum*. Verùm in ſententia Queſnelli, omnem tunc Judæ gratiam denegante, voluntas Chriſti ſeria pro Judæ converſione, nemini rationis compoti perſuaderi poterit, ut credatur. De his plura in cap. VII. & ſeqq. Interim ſatis à me convictos eſſe adverſarios confido, quod novem allatis ex Queſnello textibus minimè ſtatuatur ulla voluntas Dei poſt Adami lapſum inefficax: ſed illudatur ſimplicitati, & bonæ fidei Lectoris Catholici, in dignoſcendis Janſeniſtarum fraudibus minùs forſitan verſati.

CAPUT VII.

Examen trium primorum textuum Queſnelli, quibus dicitur docuiſſe quòd Deus velit ſalutem omnium hominum, & Chriſtus pro omnibus mortuus ſit.

1 INter hæreſes, quæ ab initio in præſens uſque ſeculum Eccleſiam divexarunt, nulla deprehenditur frauduleutior Janſenianâ; quæ præcedentium omnium dolos præcipuos, magno collectos ſtudio, non contenta imitari, videtur multis continuò novis ſuperare voluiſſe. Quapropter quisquis Catholicus Lector eis decipi non amat, non niſi cautiſſimè libros talium Scriptorum legat, omnia ſuſpecta habens in materia inter ipſos, & Catholicos agitata. Si alicubi videantur à Janſenii locutionibus recedere, non ſtatim credat, ſenſum intendi Janſenio contrarium, & Catholicum; ſed ſi pluſculum operæ in conſiderando poſuerit, verba reperiet, variis ſenſibus obnoxia, & pati ſignificationem Janſeniano ſyſtemati minimè repugnantem. Specimen habes in ipſo præſentis capitis titulo, quem Queſnellianis vindiciis Hexapla præfixêre. Quiſquis enim Janſenianæ aſtutiæ minùs conſcius legit, *Deum velle ſalutem omnium hominum, & Chriſtum pro omnibus eſſe mortuum*, minimè dubitabit, quin aſſeratur voluntas Dei pro ſalute omnium, prout modo ſunt, hominum, & mors Chriſti pro omnium hominum ſalute. Non is tamen Authoris ſenſus eſt, de quo nec in omnibus, qui ſequuntur, textibus, nec in ullo alio ejus opere unquam mentio fit: & nimiùm repugnat damnatis ejus Articulis duodecimo, 31.32.33. quibus voluntas Dei, & mors Chriſti pro ſalute eorum ſolummodò, qui eam adepturi ſunt, verbis dilucidis affirmatur. Inſpiciamus textus ſingulos qui Catholicas loquendi formas ſubdolè imitantur.

2 Primus textus invenitur in obſervatione ad Lucæ 10. verſ. 9. *Dei Filius non miſit ſuos miniſtros, niſi ut regnum omnibus hominibus annuntient, eoſque omni beneficiorum genere ad illud accipiendum compellant*; etſi pauci ex omnibus juxta eumdem Authorem accipere poſſint: quia pauci ſunt electi; illis autem ſolis largiri Deus conſtituit auxilium gratiæ, quo regnum admittere valeant, dum juxta damnatum Articulum 40. *Sinè gratia nihil amare poſſumus, niſi ad noſtram condemnationem*. Et quidem ut admittere poſſint juxta Queſ-

Queſnellum opus eſt gratia efficaci; nam Artic. 5. *Quando Deus non emollit cor per interiorem unctionem gratiæ ſuæ, exhortationes & gratiæ exteriores, non inſerviunt, niſi ad illud magis obdurandum*; hinc in fraudulento Scriptore patet ſpiritus blaſphemiæ contra Dei Filium; quaſi is non alio fine omnes homines exteriùs invitet, & quodammodo compellat, ad accipiendum regnum, quàm ut omnes, ſi paucos electos exceperis, *magis obduret*, magis damnabiles reddat, & gravioribus æternùm excruciet ſuppliciis. Iſtudne eſt Scriptorem agere inter Catholicos pium, & aſceticum, an inter hæreticos ſtrenuè Sycophantam?

3 Alter textus habetur in obſervatione ad Matth. 11. verſ. 28. Jesus *neminem excipit, omnes invitantur, & urgentur, ut ipſum adeant*. Eadem huic textui in ſenſu Authoris facilè applicabitur animadverſio. Quod enim ſinè gratia nemo ad Chriſtum venire poſſit, de fide eſt contra Pelagium: quod nemo poſſit ſinè gratia efficaci, error eſt Janſenii, & Queſnelli Art. 2. juxta quem *Abſque gratia efficaci non ſolùm nihil* (boni) *fit, ſed nec fieri poteſt*. Artic. 4. *Ita, Domine; omnia poſſibilia ſunt ei, cui omnia poſſibilia facis, eadem operando in illo*. In omnibus itaque hominibus, præterquam in paucis electis, venire ad Chriſtum, ſive ad Agni nuptias, manet impoſſibile. Nonne & iſtud eſt Jesum invitatorem reddere fraudulentum, qui, ut Queſnellus ait: *Neminem excipit, omnes invitat, & urget* interea dum vult, ut ex omnibus ſic invitatis, nonniſi paucis venire *ſit poſſibile*, cùm in paucis Deus operetur, ut veniant?

4 Tertius textus legitur in Obſervatione ad Marci 4. verſ. 6. *Nullam oportet excludere regionem; quia Chriſtus vult, ut omnibus prædicetur*; etſi non velit ſeriò ut omnes credant, vel credere poſſint, quia ſolis Fidelibus, ſive aliquando in ipſum credituris, vult Fidem eſſe poſſibilem juxta Articulos jam recenſitos, videlicet juxta 4. iis ſolùm ſunt mandata poſſibilia, quibus Deus poſſibilia facit, reipſa ea in animis *operando*, & juxta 2. abſque gratia efficaci non ſolùm nihil boni agimus, ſed neque poſſumus. Nonne itaque ſapiens, & Deo digna volitio à Queſnello fingitur, quâ Chriſtus velit Fidem prædicari omnibus, etſi pleriſque impoſſibilem? Sic error videbitur confirmari eorum, qui volunt etiam prædicandum Evangelium beſtiis, arboribus, & ſaxis; quia prædicari jubetur omni creaturæ. Ad Evangelii præconem attinet denunciare ejus præceptum, & neceſſitatem credendi, juxta illud Chriſti, *qui verò non crediderit, condemnabitur*. Sed an peccat ſurdus non audiendo, cæcus non videndo? Peccant tamen omnes, qui, audito Evangelio, non credunt; vel igitur credere poſſunt; vel, ſi nequeant, nemo rationis compos omiſſionem fidei ad novum eis deputaverit peccatum: nam, ut rectè Auguſtinus lib. 3. de libero arbitrio cap. 18. *Iſta eſt cauſa voluntatis, ſi non poteſt ei reſiſti, ſinè peccato ei ceditur*. Teſtatur Chriſtus, quòd ſi non veniſſet, & locutus eis fuiſſet, peccatum non haberent; quia credendi impoſſibilitas eximit à culpa, non in Queſnelli, ſed in æternæ veritatis judicio. Novator iſte cum Magiſtro ſuo Janſenio, omnem eliminans gratiam, præter efficientem, illâ tamen abſente, credere nos jubet & cætera, quæ ſinè gratia ſunt impoſſibilia, virtutum ſupernaturalium opera exercere, nihil moratus Tridentinæ Synodi ſeſſ. 6. cap. 11. definitionem: *Deus impoſſibilia non jubet, ſed jubendo monet, & facere quod poſſis, & petere quod non poſſis, & adjuvat ut poſſis*. Juxta Queſnellum neque adjuvat Chriſtus majorem hominum multitudinem, ut credere poſſint, neque adjutorium offert; & tamen fidem ab illis exigit, & prædicari iis tanquam poſſibilem imperat, præcones Evangelii decipiens, uti & innumeros, ad quos fallax Evangelii dirigitur prædicatio. Quapropter Queſnelli textus, qui veriſſimus eſt apud omnes Catholicos, in ejus ſententia nihil ſinceri continere poteſt; ſed ſolam impietatis, & hæreſeos occultationem. Quod iniquitatis myſterium magis hic in lucem publicam pertrahendum eſt.

5 Queſnellus anno 1690. tomo 3. *Traditionis Eccleſiæ circa gratiam* pag. 379. ſic ſcripſerat: *Chriſtus eſt mortuus pro omnibus ſecundùm voluntatem antecedentem ſuperiùs explicatam, qua vellet, ut omnes conarentur Eccleſiam ingredi, fugere peccatum, ad Dei recurrere miſericordiam. Id genus volendi dicitur voluntas ſigni, ſeu declaratio voluntatis Dei tanquam legiſlatoris*.

6 Adire nos oportet ſuperiorem illam, ad quam remittimur, voluntatis antecedentis explicationem. Pagina 363. relatâ Angelici ſententiâ, dicitur. „ Ad explicandam „ hanc voluntatem antecedentem, addi po„ teſt, eam conſiſtere non ſolùm in eo, quòd „ Deus mentem abſtrahens à lapſu hominis, „ deſideret ſalutem omnium, in quantum „ homines ſunt, atque ad beatitudinem crea„ ti; verùm quòd voluntas iſta Dei antece„ dens, ſive anterior, feratur quoque gene„ ratim in omne, quod intrà ordinem eſt, „ quod juſtum, & in ſe bonum. Quia itaque „ ſecundùm ordinem eſt converſio peccato„ ris, pœnitentia, & quòd Dei bonitatem „ homo non deſpiciat, quòd gratias ejus non „ reji-

Digitized by Google

„ rejiciat,quod accedat ad Sacramenta; cen-
„ ſetur Deus omnia iſta velle. Quamvis con-
„ ſiderans omnes ſingulares circumſtantias,
„ non decreverit dare omnibus gratias effi-
„ caces, quibus certiſſimè ſalventur, & ſinè
„ quibus certiſſimè damnentur. Hæc igitur
„ antecedens voluntas non ſolùm ſignificat,
„ quod Deus creaturas omnes rationales fe-
„ cerit ad fruendum beatitudine; ſed etiam,
„ quod effundat ſuper ipſos reprobos mul-
„ tas ſive exteriores, ſive interiores gratias,
„ quibus abuti iniquum eſt. Et volens,ut in-
„ greſſus in Eccleſiam illis pateat, dicitur
„ Deus voluntate antecedente velle, ut ad
„ ſalutem omnes perveniant; quia vellet,ut,
„ nè obſtinatiſſimi quidem, perſiſterent in
„ malitia; ſed mediis ſibi oblatis uterentur;
„ quamvis voluntate juſtitiæ conſiderans
„ omnes circumſtantias, & ſapientiæ ſuæ
„ conſilia, cenſeat expedire, ut illos malitiæ
„ ſuæ relinquat, neque illis conferat auxilia
„ efficacia, quæ ſola de cordis humani cor-
„ ruptione triumphant. Hinc evidens eſt
„ Deum voluntate antecedente velle ſalu-
„ tem reproborum, atque etiam dæmonum;
„ attamen deverſimodè. Cùm enim non of-
„ ferat ampliùs dæmonibus ulla media, non
„ vult, ut gratiis ſuis bene utantur, utpote
„ quarum nulla ipſis ſupereſt. Dici verò po-
„ teſt, quod hominum adhuc viatorum deſi-
„ deret converſionem, pœnitentiam, & bo-
„ num uſum gratiarum, à quibus nondum
„ penitùs excluſi ſunt, ſicut dæmones. Illud
„ voluntatis genus eſt,quod Chriſto expreſ-
„ ſit lacrymas propter Jeruſalem, gemituſ-
„ que propter Judæorum interitum,qui ima-
„ go reproborum eſt; quamvis aliàs nihil
„ volens, niſi quod vellet Pater, voluntate
„ abſoluta conſentiebat Decreto prædeſti-
„ nationis Sanctorum, in quo pars nulla eſt
„ impiis. Neſcio an nllus Jeſuita futurus ſit,
„ qui hanc doctrinam impetere audeat.

Hactenus Queſnelliana Eccleſiæ tradi-
tio, undique obducta fucis, nè ſenſus nova-
turiens, & latens appareat hæreſis; quæ, nè
circumveniat incautos, detractis phaleris,
nuda Lectoribus exponenda eſt.

7 Chriſtus ibi mortuus dicitur pro om-
nibus, *non ſolùm* ea voluntate antecedente,
qua omnes tum homines,tum Angeli ad æter-
nam beatitudinem creati fuerant,atque adeò
voluntate antecedente omne peccatum, quæ
tunc omnibus Angelis,& univerſis in Adamo
poſitis hominibus ſufficientia præparavit au-
xilia, quibus ſi uti vellent, felicitate perpe-
tua potirentur. Poſt Angelorum verò multo-
rum lapſum,& omnium in Adamo mortalium,
voluntas illa Dei antecedens, malis Angelis
ad ſupplicia detruſis, manet velut ſimplex
complacentia circa ſalutem eorum, velut bo-
num ſecundum ſe abſolutè poſſibile;ſed nihil
iis deſtinat mediorum, quo ad beatitudinem
poſſint è ſuppliciis emergere. At circa homi-
nes in Adamo lapſos voluntas antecedens
benignior eſt.

8 Huc uſque ſana apparet traditio; ſed
deinceps Lector attentionem à te poſtulo ſin-
gularem. Non in eo major iſta ſita eſt vo-
luntatis antecedentis, erga lapſos in Adamo
homines benignitas, quaſi nullius parvuli ba-
ptiſmum impedire velit, quin & parentibus,
& aliis tribuat ſufficientia media,quibus par-
vuli cujuſcunque ſalus valeat ſaltèm preci-
bus obtineri, neque ullus adultorum ſit, cui
non aliquas Chriſtus interiores gratias tri-
buat, quibus ad juſtitiam promovère ſe ali-
quando poſſit,& ſalutem. Hoc tamen Cath-
olici paſſim Janſenianæ ignari fallaciæ in-
telligunt nomine voluntatis in Deo antece-
dentis erga ſalutem omnium hominum, non
ut ſunt in abſtracto, ſive ut Cardinalis Aguir-
rius acutè monet, *Non in Republica Platonis*,
ſed prout in præſenti rerum ordine reperiun-
tur ex Adamo lapſo progeniti. Non,inquam,
adeò juxta Queſnellum benigna eſt voluntas
illa antecedens; ſed nulli adulto gratiam in
hoc ſtatu contulit, qua poſſet vel uni ex infe-
licibus parvulis baptiſmum à Deo precibus,
vel quibuſcunque bonis operibus impetrare.
Sed & inter adultos omnes reprobos nè unus
quidem eſt, qui fortè juſtitiam aſſecutus, in
ea perſeverare potuerit; utporè omni ad hoc
ſufficiente auxilio deſtitutus. Cùm enim ju-
xta Articulum Queſnelli 4. tunc ſolummodo
bona omnia homini poſſibilia ſint, *Quando
Deus poſſibilia facit, eadem operando in illo*,
patet juſtitiam, & ſalutem, omnibus iis im-
poſſibilem fuiſſe, in quibus eam Deus re ipſa
non operatur: atque ita Chriſtum pro nullius
reprobi ſalute mortuum: qui ſenſus multis
aliis Queſnelli Articulis,quos impugnavi hac-
tenus, confirmatur; & indubiè hæreticus,
impius, blaſphemus eſt, quibus cenſuris in
Propoſitione 5. Janſenii à Summis Pontifici-
bus conficitur.

9 Præterea adultorum non tantùm plu-
rimi, ſed plerique toto vitæ tempore, nè
unam quidem interiorem gratiam,Queſnello
Judice, accipiunt, cùm conſtet longè majo-
rem eſſe adultorum multitudinem, cui nun-
quam obtigerit juſtificatio; juxta Articulum
autem 28. *Prima gratia, quam Deus concedit
peccatori, eſt peccatorum remiſſio*. Articul. 26.
Nulla dantur gratiæ, niſi per fidem. Art. 27.
*Fides eſt prima gratia, & fons omnium alia-
rum*. Art. 29. *Extra Eccleſiam nulla concedi-*
tur

tur gratia. Longè autem major infidelium, quàm fidelium copia eſt. Nihilominus traditionem ſuam proſequitur. „ Patet(inquit)
„ volente Chriſto, Eccleſia omnibus, acceſ-
„ ſus ad Sacramenta nemini denegatur, imò
„ verò omnes Eccleſiam intrare, omnes ad
„ Sacramenta accedere, Dei Filius optaret,
„ hunc in finem tot adhibet Eccleſiæ Mini-
„ ſtros, qui ad ingreſſum omnes ſuo nomine
„ invitent, & quantùm in ipſis eſt, compel-
„ lant. Tot utitur ad Sacramenta, & juſti-
„ tiam hortatoribus, quos ire jubet in om-
„ nem terram, & prædicare omnibus cum
„ fide,& baptiſmo pœnitentiam,quam vellet
„ ab omnibus ſuſcipi. „ Quid amplius à Chriſto deſideres ad titulum Redemptoris omnium, quid amplius à Queſnello ad nomen Scriptoris Catholici?

10 Verùm ulluſnè inter tot hominum Myriades, qui Eccleſiam ingreſſi non ſunt, eam intrare potuit? Ulluſne eorum omnium, qui Sacramenta non ſuſcepêre, potuit ſuſcipere cum fructu? Ad utrumlibet neceſſaria requiritur gratia, ut fides docet contra Pelagium; gratia autem ſemper operatur effectum, ut Queſnellus contendit contra Fidem & Eccleſiam Articulo 11. *Gratia non eſt aliud, quàm voluntas omnipotentis Dei, jubentis & facientis, quod jubet*. Quin & hominem ei ſemper obedire neceſſe eſt; quia Art. 10. *Gratia eſt operatio manûs omnipotentis Dei, quam nihil impedire poteſt, aut retardare*.

11 Quàm igitur frivolum eſt, & Scriptore Polemico indignum, in eo opere, quod contra Janſenii adverſatium pro Janſenio edidit, ea doloſo premere ſilentio, de quibus unicè diſceptatur! Non enim quæſtio Janſenium inter, & ejus Adverſarios eſt, an Chriſti pro omnibus morituri voluntas adferret adultis omnibus gratias efficientes juſtitiam, in ea perſeverantiam, atque ita beatitudinem ſempiternam. De ſola hic diſputatur gratia ſufficiente, an eam mors Chriſti non præparet univerſis ejus capacibus, & utentibus ratione: an patiatur eam ſubtrahi omnibus prorſus reprobis: ſufficientem, inquam, gratiam, qua in juſtitia ante obtentâ perſeverare valeant, vel eam ſaltèm in fine vitæ pœnitentiâ impetrare. Aſſertio iſtiuſmodi gratiæ ſufficientis veram, & Catholicam in Deo voluntatem ſtatuit antecedentem, Chriſtoque verum tribuit titûlum Redemptoris, ac Salvatoris omnium hominum, quantum in ipſo eſt, & non Electorum duntaxat; ſed etiam pereuntium. Cætera à Queſnello memorata, & multis inculcata verbis, ad quæſtionis caput inutilia ſunt, & ſolùm diſtrahendis, fallendiſque incautis Lectoribus accommodata.

CAPUT VIII.

Expenditur ulteriùs tertius Queſnelli textus, & quæ ſit juxta ipſum voluntas Chriſti antecedens.

1 Voluntas iſta Chriſti antecedens, qua vellet juxta Queſnellum *omnes membra fieri Eccleſiæ*, etiam eos, qui non fiunt, nec fieri poſſunt: qua vult omnes ſuſcipere Sacramenta, qui ſuſcipere nequeunt, eſt juxta eumdem *voluntas ſigni, ſive declaratio voluntatis Dei tanquam Legislatoris*. Ut autem declaratio voluntatis non niſi impropriiſſimè voluntas dicitur, ita voluntas ſigni non eſt propriè in Deo; ſed ſignum externum ſolummodo voluntatis. Præceptum autem, monitio, hortatio, increpatio nomine voluntatis ſigni à Scholaſticis appellata, quæ gratiæ exteriores ſunt juxta Queſnellum, non conferunt auxilia omnibus neceſſaria, vel ſufficientia. Ideo Janſeniſtæ, quibus fixum eſt, omnem ſalutis obtinendæ reprobis eripere facultatem, omne ſufficiens ad eam auxilium, tamen avidè amplectuntur voluntatem ſigni in Deo erga eorum ſalutem. Hæc voluntas, inquit Queſnellus, Chriſto lacrymas expreſſit, ob Hieroſolymæ excidium. Ita Janſeniſtarum Prior, ita cæteri, ubi ad fallendam Eccleſiam, loquendi cum ea occurrit neceſſitas, voluntatem generalem in Deo erga ſalutem omnium hominum admittere non recuſant; utì neque voluntatem in Chriſto moriendi pro omnibus; ſed voluntatem, quæ in nuda poteſt conſiſtere complacentia, ut eſt modo in Deo erga ſalutem dæmonum, & hominum inferis adſcriptorum, quanquam pro viatoribus reprobis continet apertum Eccleſiæ ſinum, & Sacramenta, præter alia, partim exteriora, partim interiora beneficia, & gratias ſubinde temporales; ſed ad ſalutem ejuſve obtinendæ poteſtatem minimè ſufficientes. His adduntur præcepta, conſilia, hortationes, minæ, increpationes, & ſimilia ad voluntatem ſigni pertinentia; ſed nihil ſufficientis auxilii ad ſalutem; cùm, ut ait Queſnellus, ſit tantùm *declaratio voluntatis Dei veluti Legislatoris*. Aſſertio voluntatis iſtiuſmodi *antecedentis*, & *ſigni*, prout à Queſnello, & Janſenianis ejus ſociis intelligitur, ad Fidem Catholicam minimè ſufficit, utpotè cum qua facilè cohæreat *hæreſis, impietas, blaſphemia* Propoſitionis quintæ Janſenianæ; videlicet, quod pro nullius reprobi ſalute Chriſtus mortuus cenſeatur; unde nec ullus extra prædeſtinatos ſatis ſe ad ſalutem diſponere valeat: negatis ad eam mediis ſufficientibus; unde pœniten-

Digitized by Google

nitentia ipſis omnibus eſt in fine impoſſibilis, impoſſibilitate antecedente:& quibuſcunque ex iis aliquando juſtitia obtigerit, neceſſe eſt neceſſitate rurſus antecedente, eos peccare, & juſtitiâ excidere.

2 *Voluntas ſigni*,quæ à Queſnello hìc cum antecedente confunditur, etſi ex ſe mediâ ſufficientia non præbeat, tamen aliunde præſtita,vel oblata ſupponit; aliàs non verebitur Catholicus dicere, eam fore maleſanam, ſuffragante Auguſtino, & præter Janſeniſtas, genere hominum univerſo lib. de Fide contra Manichæos cap. 9. *Quis enim non clamet, ſtultum eſſe,præcepta dare ei, cui liberum non eſt, quod præcipitur facere,& iniquum eſſe eum damnare, cui non fuit poteſtas juſſa complere?* Talem impingit Deo ſtultitiam Queſnellus, dum ab infinitâ hominum multitudine, quibus Evangelium nunquam prædicatum eſt, obſervationem exigit mandatorum impoſſibilem; quia *Fides eſt prima gratia* juxta Articulum 27. *Extra Eccleſiam nulla conceditur gratia* Art. 29. *Sinè gratia autem nihil amare poſſumus niſi ad noſtram condemnationem* Artic. 40. adeóque nullum ſeu facile, ſeu difficile implere præceptum, ſaltèm cujus adimpletio in actione conſiſtit. Hoc pluribus aliis Articulis confirmatur;in primis 39. *Voluntas, quam gratia non prævenit, nihil habet luminis, niſi ad aberrandum; ardoris, niſi ad ſe præcipitandum; virium, niſi ad ſe vulnerandum; eſt capax omnis mali, & incapax ad omne bonum.*

3 Hanc omnis boni operis impoſſibilitatem non ſoli apud Queſnellum ſubeunt infideles; ſed omnes ante reconciliationem peccatores; quia Art.28.*Prima gratia,quam Deus concedit peccatori, eſt peccatorum remiſſio*. Denique iis ſolùm poſſibilia præcepta ſunt, qui ea ſervant, & tunc tantummodo quando ſervant juxta Art.4. *Ita, Domine: omnia poſſibilia ſunt ei,cui omnia poſſibilia facis,eadem operando in illo*. Tunc igitur quoque poſſibilis erit alicui ſalus, quando Deus illam in eodem operabitur: quod paucis contingit, ut numerus electorum exiguus eſt: adeóque cæteris omnibus ſalutis impoſſibilitas antecedens eſt, antecedens,inquam,omnem liberum humani arbitrii conſenſum. Nonne igitur inſigniter imponit, & illudit ſimplicibus Queſnellus, quoties dicit ſe voluntatem in Deo antecedentem admittere erga ſalutem omnium hominum; & ſimiliter mortem Chriſti pro omnibus?

Voluntatem quoque *ſigni*, Auguſtino Judice, *ſtultam* Deo tribuit, præcepta ſcilicet, conſilia, vocationem, promiſſa,increpationes cum præceptorum omnium impoſſibilitate,& neceſſitate omiſſionis, ſeu tranſgreſſionis propriſſimè antecedente. At,inquit Queſnellus, vult Chriſtus Eccleſiam patêre omnibus, Sacramenta inſtituit omnibus, qui ea accipere voluerint: ut omnes ad ſe veniant, ut Eccleſiam ſuam ingrediantur, ut ad Sacramenta accedant, omnes invitat, allicit, hortatur, tum ſuis, tum Apoſtolorum, & ſequentium eos Miniſtrorum Eccleſiæ Dei prædicationibus, urget etiam præceptis, inſtat minis, objurgationibus ſuppliciis contra negligentes.

4 Iſta quidem à Queſnello non doloſè minùs, quàm magnificè occinuntur, ut ſimulet ſe,ſuosque circa voluntatem Dei,& mortem Chriſti pro omnibus ab Eccleſia non diſſentire. Ego verò nè tota iſta Queſnelli, & ſociorum oratio ſubdola pulverem injiciat in oculos imperitorum, eam facili convictione præfoco. Quomodo Chriſtus Eccleſiam ſuam velut ſalutis portum patere vult omnibus? Quomodo omnes ad ejus ingreſſum, præcepto,conſiliis,hortationibus, blanditiis, promiſſionibus,minis,per ſe,ſuoſque Apoſtolos, & ſecutos uſque ad mundi finem Eccleſiæ Miniſtros,allicit,inſtigat; ſi partem hominum, etiam adultorum longè maximam juxta Queſnellum deſtituat omni interioris gratiæ ſubſidio? Sinè hoc enim tam eſt impoſſibile Eccleſiam ſalubriter ingredi, accedere ad Sacramenta, aut quomodocunque ſe ad juſtitiam, & ſalutem diſponere, quàm volare per aëra, ſive, ut Janſenius lib. 2. de Gratia Chriſti cap.1.ait, *quàm homini cæco, ut videat, vel ſurdo, ut audiat, vel tibiis fracto, ut rectè gradiatur.*

5 Hæretica quidem hic eſt ſententia Janſenii, quòd eam impoſſibilitatem tribuat omnibus, quandocunque efficaci, ſeu efficiente gratiâ, quam ſolam medicinalem vocat, caruerint;ſi verò de iis ſolummodo ſermo eſſet, quibus omne gratiæ interioris auxilium,etiam ſufficiens defuerit, veriſſima foret enuntiatio. Quapropter quiſquis in Janſenii,& Queſnelli gratiam deſipere non vult, remotiſſimum eſſe pronuntiabit à Dei ſapientiâ, vocare, hortari, allicere blanditiis, & promiſſis tot milliones infidelium in infidelitate permanentium, quorum nè uni quidem concedere vellet ad ſe veniendi poteſtatem: Peccatores omnes præcepto, minis, increpationibus inſtigare ad pœnitentiam; & tamen longè maximæ peccantium multitudini, quæ reproborum eſt, denegare gratiæ ſufficientis auxilium, quod ſolum novit præſtare pœnitentiæ facultatem. Quam ſimiliter inſipientiam Queſnellus affingit Chriſto, ſtatuens invitantem omnes homines tot urgentiſſimis monitis,& præceptionibus ad ſalutem, non præſtitâ reproborum ulli obtinendæ beatitudinis poteſtate.

Quid

Quid ad hunc finem juverit accepiſſe plurimos baptiſmum, & annorum aliquot juſtitiam; ſi eam neceſſitate antecedente amittere neceſſe eſt, ſubtracto ſufficiente auxilio, ſinè quo perſeverari in juſtitia non poteſt.

6 Quod ſecundùm occulta, & inſcrutabilia Divinæ providentiæ conſilia aliquibus auxilium perſeverandi efficax, atque adeò perſeverantia ipſa negetur, indubitatum Catholicis eſt, neque propterea deſinit Deus appellari meritò Salvator omnium hominum: & Chriſtus omnium Redèmptor; utpote, qui etiam reprobis omnibus à Patre obtinuit ſufficientia, quibus ſalvari poſſent, ſubſidia; parvulis quidem in parentibus & aliis; adultis verò in ſe ipſis. Sic optimè intelliguntur lacrymæ Chriſti lugentis interitum Jeroſolymæ,& in eo tot exitium animarum.In Queſnelli autem ſententiâ neceſſe eſt,titulum Salvatoris, & Redemptoris omnium reſtringi adeò, ut non niſi exiguam partem hominum comprehendat.

7 Denique memoratæ Chriſti lacrymæ cum illa exprobratione, *Quoties volui congregare filios tuos, ſicut gallina congregat pullos ſuos ſub alas, & noluiſti*, maximè ſeriæ apud nos ſunt: & in Catholicis omnibus, eas piè meditantibus, excitare debent certiſſimam de ſua ſalute, ſi per ipſos non ſteterit, fiduciam, & ſimul ardentiſſimum amorem erga Deum,& Mediatorem Chriſtum,qui ex ſeria voluntate ſalvandi omnes, tot media omnibus ſufficientia procurarit,ut nemini rationis capaci defuerit ſalutem reipſa conſequendi poteſtas; ſed Queſnelli imbutus principiis,incertus quilibet hærere debet,an ſalus ſibi poſſibilis ſit; an pro ea Chriſtus mori voluerit; ſufficientiaque à Patre petierit media, quibus præcepta implere, perſeverare in juſtitia, & beatitudinem adipiſci redemptus valeat. Indè non parum frigeſcere neceſſe eſt amorem hominum erga Deum, ejuſque Filium Mediatorem. Lacrymæ verò ejus ſuper Jeruſalem cum juncto teſtimonio de propenſa ſua erga ſalutem pereuntium voluntate, de ſolicitudine tam eximia, quaſi nihil ex parte ſua deeſſe paſſus fuerit, quo ſalvari potuerint; lacrymæ, inquam, illæ Chriſti, cum tali de ſua benevolentia ſolicitudine, de adhibitâ operâ teſtimonio, in Queſnelli ſententia prorſus fallaces ſunt, & perfectiſſimâ Chriſti rectitudine indignæ. Quis enim ſapiens, & non in mendaciſſimo Janſeniſtarum gymnaſio inſtructus, tales lacrymas, talem proteſtationem componat cum voluntate deſerendi abſque omni ſufficiente gratiæ ſubſidio, omnes animas, quarum illic tantoperè defletur interitus?

8 Reſpondet Queſnellus tom. 3. Traditionis de gratiâ, pag.378. Non omne ſe adimere cunctis reprobis meritorum Chriſti beneficium; ſed *cum horrore rejicere Calvini ſententiam velut hæreticam,quâ ſtatuitur Chriſtus nullo ſenſu pro omnibus mortuus; ſed pro ſolis prædeſtinatis,quaſi illi ſoli ex meritis mortis Chriſti donum fidei, & juſtitiæ accipiant, à quo beneficio omnes prorſus reprobi excludantur. E contrario enim ſuſtinemus,Chriſtum pro omnibus mortuum fuiſſe ſecundùm ſenſus varios: Primò, in quantum mors ejus pretium ſufficiens fuit omnibus hominibus. Secundò, quia Sacramenta, quæ Chriſtianæ gratiæ fontes ſunt, & omnem virtutem ſuam hauriunt ex morte Chriſti, in lege nova ſunt expoſita omnibus, & à pluribus etiam reprobis ſuſcipiuntur: quodque in lege veteri quotquot ad Deum recurrerent per Chriſtum, reconciliarentur. Tertiò, pro omnibus mortuus eſt ſecundùm voluntatem antecedentem ſuperiùs explicatam.*

9 Quoad primum neque Calvinus, neque ullus hæreticus, niſi qui Chriſti Divinitatem negaverit, eò dementiæ prolapſus deprehenditur, ut Chriſti mortem, quæ dignitatis indubiè infinitæ eſt, exiſtimaverit non eſſe pretium redemptioni omnium ſufficiens. Sed quid valor iſte ſanguinis immenſus juvare potuiſſet miſeros mortales; ſi pro eorum nemine oblatus fuiſſet? Hinc nemo Catholicus dixerit, Chriſtum eſſe Dæmonum Redemptorem; etſi mors ejus liberationi omnium quoque Dæmonum ſuffecerit. Quapropter locutione propria pro nullius ſalute poteſt Chriſtus dici mortuus, niſi pro cujus ſalute mortem ſuam Patri obtulerit. Id minimè ignoravit ipſe Janſenius lib. 3. de Gratia Chriſti cap.21. dicens: *Quia ipſa phraſis, qua quis dicitur ſe pro aliquo redemptionem dare, præ ſe ferre videtur redemptionem ex redimentis animo in uſum, ac liberationem captivorum offerri, ac dirigi... Et quia alioquin etiam pro dæmonibus ſe dediſſe redemptionem dici poſſet, quibus redimendis ſinè dubio pretium ſanguinis ejus eſt ſufficiens*: unde concludit, ſe *veriùs, genuiniuſque reſpondere*, quod Chriſtus ſit mortuus pro generibus ſingulorum.

10 Conſtat, familiarem eſſe Scholaſticis diſtinctionem de Chriſto pro omnium ſalute mortuo *ſufficienter, non efficienter*; quâ catholicè intelligunt, Chriſtum mortem ſuam pro ſalute omnium obtuliſſe, ac petiiſſe omnibus ſufficientia, quibus ſalvari poſſent, media; non tamen omnium ſalutem voluiſſe abſolutè mediis efficacibus certiſſimè obtinendam. Quare Janſeniſtæ fallendis ſimplicibus ſemper intenti, etiam hanc à Scholaſticis diſtinctionem vocetenus; at ſenſu longè diſpari,

pari, atque improprio mutuantur, fraudem hanc eis permittente Janſenio lib. 3. de Gratia Chriſti cap. 21. ubi relatâ câ Scholaſticorum diſtinctione velut commodâ ad declinandam ſermonis duritiem, quam præ ſe fert aſſertio de Chriſto, non pro omnibus mortuo: *Solutio iſta*, inquit, diſtinctionis hujus beneficio, *facilis eſt, ex qua nullo modo ſequitur, ſufficiens adjutorium omnibus ex tali redemptione omnium eſſe præparatum*: quod ſolis prædeſtinatis competere Janſenius contendit. Ideo doctrina ejus de Chriſto pro nullius reprobi ſalute mortuo, in Propoſitione quinta ab Innocentio X. & Alexandro VII. damnatâ, cenſuram hæreſeos, impietatis, blaſphemiæ evadere non potuit: nec poteſt doctrina Queſnelli pluribus expreſſa Articulis, & Janſeniano ſenſui ad amuſſim conveniens.

11. Secundus inter *ſenſus varios* à Queſnello allegatos de Sacramentis, non magis eum juvat ad ſubducendam anathemati ſenſum ſuum. Quid enim ad declinandam hæreſim confert, Sacramenta ex Chriſti meritis eſſe inſtituta, & robur accepiſſe; ſi reproborum nemini ad ea concedatur acceſſus, prout ſaluti ſufficeret, vel ejus obtinendæ poteſtati?

12 Tertius ſenſus de voluntate antecedente, quæ à Queſnello cum voluntate ſigni confunditur, ſatis à me ſuperiùs confutatus eſt, ſive oſtenſus, minimè ſufficere.

Rationi congruus eſt *horror*, quo Queſnellus rejicit Calvini ſententiam velut hæreticam; utrius tamen hic dogma plus horroris Catholicis incutiat, haud adeò facilis apparet determinatio. Horrifica indublè Calvini opinio eſt aſſerens, Chriſtum pro ſolis mortuum prædeſtinatis, cæterorum nemini fidem, & juſtitiam promeritum; qui error detrahit non parum benevolentiæ, & miſericordiæ Salvatoris erga genus humanum; non tamen eatenus illum arguere videtur ſævitiæ, aut alterius vitii dedecentis Deum; ut enim poterat Deus hominem ſinè Redemptore relinquere, ita partem humani generis potuit eligere ad juſtitiam, & ſalutem, cæteris in peccato abſque omni reconciliatione, atque omni ſalutis medio deſertis. Verùm an non inhumanum, & quaſi barbarum ſonat, tot milliones hominum, quos per ſanctificantem gratiam in amicos Deus, & filios adoptavit, addictâ perpetuâ apud eos manſione, ac dein hereditate cœleſti; ſi per eos non ſteterit; paulò poſt nullâ eorum interveniente culpa deſerere abſque omni neceſſario auxilio, quo in juſtitia perſeverare poſſint? Quæ autem ſævitia eſt, amicos ſuos, & dilectiſſimos filios nihil mali meritos ita deſtituere, ut in crimina eos labi neceſſe ſit, & abſque ullo liberi arbitrii demerito eos non ſolùm amicitiâ ſuâ, & hereditate privare; ſed & ſuppliciis addicere atrociſſimis; quia non fecerint, quod in eorum nullatenus fuerat poteſtate! Conſectarium hoc odioſiſſimum non multis rationum difficilium anfractibus trahitur; ſed dilucidè, & ſpontè ſua fluit ex tot Queſnelli Articulis, omnem ſufficientem gratiam denegantibus, quæ nempe ab efficiente diſtinguitur. Calvinus quidem cunctis reprobis omne denegat ſufficiens auxilium; ſed Dei hoſtibus; amicorum autem nemini.

13 Lepidum eſt, quod Queſnellus traditionis Eccleſiæ parte 3. pag. 363. ſuperiùs relata ait: *Deum ſupra ipſos reprobos multas, ſive exteriores, ſive interiores gratias effundere, quibus abuti iniquum eſt*. Quandonam contigit, ut quis abuteretur *Gratiâ*, quæ juxta Art. 11. *Non eſt aliud, quàm voluntas Omnipotentis Dei jubentis, & facientis, quod jubet*? Num Queſnello excidit Art. 9. *Gratia Chriſti eſt gratia ſuprema, ſinè qua confiteri Chriſtum nunquam poſſumus, & cum qua nunquam illum negamus*? Imò quandonam fieri poterit, ut quis gratiâ abutatur; ſi, ut traditur Art. 10. *Gratia eſt operatio manus Omnipotentis Dei, quam nihil impedire poteſt, aut retardare*? Num fortè gratiâ abutitur, qui ea deſinente in peccatum incidit? Atqui ceſſante gratiâ juxta Queſnellum nihil agere homo poteſt, niſi malum, art. 40. *Sinè gratia nihil amare poſſumus, niſi ad noſtram condemnationem*.

14 Abuſus gratiæ juxta Janſenianam fallaciam eſt, quando concurrens tentatio fortior impedit actum perfectiorem, quem gratia aliàs operaretur; unde ſit ut voluntatem in actu bono inferioris ordinis, ſive velleitate ſiſtere neceſſe ſit. Atque hoc Janſenii defenſoribus ſufficit, ut Alexandro VII., & aliis Pontificibus inſultent, quaſi ſecundam Propoſitionem hæreticam in ſenſu Janſenii perperàm proſcripſerint. Sic audax *Ægidius*, vulgò *Candidus*, in *Panegyri Janſeniana* pag. 113. hanc ex Iprenſis Antiſtitis libro 2. de gratia Chriſti cap. 27. objicit profeſſionem: *Conſtat multos divinitus mente colluſtrari, imò verò, & in ipſa voluntate motibus Divina gratia percelli, qui tamen ab interna ejus ſuaſione, & inclinatione diſſentiunt*. Quæ, inquit Ægidius, Propoſitio eſt contraria ſecundæ inter quinque Janſenio attributas, *Interiori gratia in ſtatu naturæ lapſæ nunquam reſiſtitur*. Verùm Ægidius nomen *Candidi* hìc non implet opere: referenda fuit ſententia integra; ſed in ea viderat objectionem ſuam ab ipſo refelli Janſenio: Poſtquam ſcilicet ab initio lib. 2. uſque ad caput 27. contenderat: *Nullum dari poſt*

poſt lapſum auxilium ſufficiens, quin ſimul efficax ſit, qui eſt ipſe titulus capitis primi; & cap.24. dixerat: *Gratiam Dei Auguſtinus ita victricem ſtatuit ſupra voluntatis arbitrium, ut non rarò dicat, hominem operanti Deo per gratiam, non poſſe reſiſtere.* Cap.25. *Hæc itaque eſt vera ratio, & radix, cur nulla omnino medicinalis Chriſti gratia effectu ſuo careat; ſed omnis efficiat, ut voluntas velit, & aliquid operetur.* Ibid. *Gratia, & opus ita reciprocantur, ut quemadmodum ex gratia data mox effectum operis conſecutum inferre ſolet* (Auguſtinus) *ita vice verſa ex defectu operis, gratiam non eſſe datam.* Hæc, inquam, poſtquam totâ ſuâ eloquentiâ, & multiplici phraſium varietate inculcaverat Janſenius, tandem cap. 27. ſibi objicit, & ſolvit Ægidii difficultatem: *Neque verò moveat quemquam, quòd conſtet multos divinitùs mente colluſtrari; imò verò & in ipſa voluntate motibus Divinæ gratiæ percelli, qui tamen ab interna ejus ſuaſione, & inclinatione diſſentiunt, ut propterea falſum putet, gratiam in eo, cui datur, ſemper operari.* Totius autem ſolutionis à Janſenio illic adhibitæ compendium eſt, quòd omnis gratia efficiat ſemper id, ad quod ſufficit; cùm autem non omnis ſufficiat ad quemlibet effectum, ad quem voluntatem excitat; ut auxilium cenſeatur efficax, & nihil ei reſiſtere, ſatis eſt, quòd omnem obtineat effectum, cujus hic, & nunc capax eſt, & ad quem à Deo conceditur. In qua hypotheſi evidens eſt, hominem in hoc ſtatu nunquam abuti gratia: Neque minùs perſpicuum, non poſſe hominem accuſari *iniquitatis*, quòd cum gratiâ non operetur ultra ejus vires: Et quomodo poteſt effectum gratiæ extendere ultra Dei voluntatem?

15 Videt itaque Queſnellus, cum Janſeniano ſuo gratiæ ſyſtemate minimè conſiſtere, quòd reprobi gratiâ *abutantur*, ut propterea ab eo poſſint argui *iniquitatis*; Neque hac ratione explicari voluntatem Dei ſalvandi omnes homines, & mortem Chriſti pro ſalute ullius reprobi, ſeu non prædeſtinati. Denique niſi pertinacia obcæcaverit intellectum, ignorare non poteſt omnimodam ſenſûs ſui cum hæretico quintæ Propoſitionis Janſenianæ concordiam. Ex his contra tertium Queſnelli textum annotatis, facillimè detegitur fallacia ſequentium, ideo adversùs eos perbrevis obſervatio ſufficiet.

CAPUT IX.

Examinantur reliqui Queſnelli textus, quibus dicitur docuiſſe, velle Deum ſalutem omnium hominum, & Chriſtum pro omnibus mortuum eſſe.

1 QUartus Queſnelli textus invenitur in obſervatione ad illud 1. Timoth. cap. II. v. 8. *Cùm ſalus pro univerſa terra ſit, pro omni terra orandus eſt Deus.* Priori loco per *univerſæ terræ* vocabulum intelligi omnes regiones, omnes nationes, & omnia hominum genera, non ſingulos omnium generum, nationum, atque terrarum, ut tom. 3. Traditionis Eccleſiæ de gratia, part.2. cap.5., & alibi ſæpe Queſnellus explicat. Si tamen orari jubeat pro ſingulis hominibus, eſt *quia neſcimus electos à reprobis diſcernere*. Ita Queſnellus Tom. 3. Traditionis Eccleſiæ de gratia pag.376.

2 Quod juxta illum ſalus non ſit in poteſtate ullius reprobi, fit evidens ex eo, quòd ſalus nemini poſſibilis ſit ſinè gratia; & juxta Queſnellum art.11. *Gratia non ſit aliud, quàm voluntas omnipotentis Dei jubentis, & facientis quod jubet.* Artic. 10. *Gratia eſt operatio manûs omnipotentis Dei, quam nihil impedire poteſt, aut retardare.* Vel igitur habet reprobus gratiam ſufficientem, ut juſtitiam finalem habere poſſit; vel non habet: ſi habeat, ſalvabitur certiſſimè; quia gratiæ effectum nihil impedire, juxta Articulum 10, poteſt; atque adeò tunc, contra ſuppoſitum, reprobus non eſſet: ſi non habet ſufficientem gratiam, tunc ſalus eſt ipſi impoſſibilis: *Ita, Domine; omnia poſſibilia ſunt ei, cui omnia poſſibilia facis, eadem operando in illo*, Art.4. in quo autem bonum opus, finalem juſtitiam, & ſalutem non *operaris*, eadem ipſi poſſibilia non ſunt in novi Theologi doctrinâ.

3 Tim. II. v.3. & 4. *Caveamus nobis ſolicitè* (inquit Queſnellus) *nè velimus Divinæ miſericordiæ, & gratiæ limites præſcribere. Veritas pro omnibus carnem aſſumpſit. Debemus igitur orare pro omnibus; ſi ſecundùm Spiritum veritatis ſapimus.* Veritatem pro omnibus carnem aſſumpſiſſe à Queſnello intelligitur; quia Eccleſiam, & Sacramenta inſtituit, quæ pateant omnibus accedere volentibus; etſi non alii velle poſſint, ſicut oportet, quàm quibus omnipotens, & efficiens gratia ad hoc conceditur, quæ paucorum eſt, ſi cum infidelium multitudine comparentur.

Pro

Digitized by Google

Pro omnibus orandum Queſnellus docet; quia nobis ignotum eſt, ad quos præ cæteris prædeſtinatio pertineat; Traditionis Queſnellianæ de gratiâ tom. 3. pag. 376.

4 1. Tim. 11. v. 6. *Figura proſolo eo populo erant, ex quo prodire debuit Salvator. Vera ſalus omnium eſt nationum, quæ tradita ſunt Servatori. Epiſcopi, & Sacerdotes debent ſinè diſcrimine laborare pro ſalute omnium, tanquam Miniſtri bonitatis Dei, (qui dat eſſe omnibus) tanquam cooperantes charitati Chriſti, qui naturam omnium aſſumpſit, ut omnium eſſet Mediator: tanquam diſpenſatores ſanguinis, qui lytrum omnium eſt: tanquam Myſtæ ſacrificii ejus, quod pro omnibus offerunt.* Jesus *eſt ſolus Mediator tanquam Homo Deus, rationc ſui ſacrificii, & propriis ſuis meritis, ſolus Mediator neceſſarius omnibus, ſolus pro omnibus mortuus.* Juxta Queſnellum dicitur Mediator omnium, quia nullus alius Mediator eſt; non quaſi Chriſtus pro omnibus hominibus apud Patrem intercedat, ut peccatorum remiſſionem conſequi valeant; cùm ſinè gratiæ auxilio adultis peccatoribus reconciliatio ſit impoſſibilis; *Prima* autem *gratia, quam Deus concedit peccatori, eſt peccatorum remiſſio*, juxta damnatum Articulum 28. unde perſpicuum fit, nullam infidelibus, nullam hæreticis perpetuis unquam gratiam obtigiſſe; ideoque reconciliationem ipſis fuiſſe perpetuò impoſſibilem. Sanguis Chriſti, juxta Queſnellum, eſt lytrum omninm, qui redimuntur, & redimendis omnibus ſufficiens; ſed non pro redemptione, & ſalute omnium prorſus hominum oblatum eſt à Filio, acceptumque à Patre; ſiquidem verus ſit Art. 30. *Omnes quos Deus vult ſalvare per Chriſtum, ſalvantur infallibiliter*: 31. *Deſideria Chriſti ſemper habent ſuum effectum*. 32. Jesus *Chriſtus ſe morti tradidit ad liberandum pro ſemper ſuo ſanguine primogenitos, id eſt electos*; non verò alios. Solus dicitur pro omnibus mortuus; quia nullus alius pro hominibus mortuus eſt; non quaſi pro omnibus omnino hominibus mortuus ſit, juxta Queſnellum, niſi adeò impropriè, ut præter fideles nullus fidem, præter juſtos nullus juſtitiam, præter electos ad ſalutem, nullus eam obtinere potuerit; reprobis omnibus neceſſariò perituris, & quidem neceſſitate antecedente omnem liberi arbitrii in natura lapſa propriam determinationem.

5 1. Cor. 8. v. 6. *Totius religionis compendium: Unicus Deus Creator, unicus Chriſtus Reparator: unicum caput nos omnes ſibi carnis aſſumptione unit: Unicus Dominus nos omnes ſibi vindicat redemptione: unicus Sacerdos, & Mediator nos omnes reconciliat, & religione ſua nobis acceſſum præbet ad Deum. Id totum Chriſtus eſt in omnibus.* Non decet Theologum tale præſcribere *Religionis compendium*, quo Catholici ab Hæreticis minimè diſcernantur. Quid autem in toto hoc compendio eſt, quod Janſenianus æquè, ac Catholicus non agnoſcat? Quid, quod repugnet ſenſui *hæretico, impio, blaſphemo* quintæ Propoſitionis Janſenii, quo Chriſtus pro ullius, præterquàm Prædeſtinatorum ſalute, negetur mortuus? Quem ſenſum Janſenii fuiſſe nemo hactenus inficiari auſus eſt; ſed Catholicum eſſe, Queſnellus mordicus ſuſtinet, ſic gloriatus in notis ad epiſtolam Doctoris Steyaert pag. 17. *Jam demum credere cæpit Orbis Catholicus, nihil in libro Janſenii non eſſe Catholicum*: Quod tamen nondum credere cœpit Germania, Hiſpania, Luſitania, Polonia, Italia, neque in Gallia, & Belgio Epiſcopi, Doctores, licentiati, Baccalaurei, præter perjuros aliquot, vel qui ejuratâ ſeriò Janſenii hæreſi, dein canum inſtar ad vomitum redierint. Peranguſtis igitur terminis neceſſe eſt ab adverſario circumſcribi *orbem Catholicum*, quando pro ſolis aliquot inferioris notæ in Gallia, & Belgio ſpuriis Auguſtini diſcipulis, cum decepta ab iis mulierculærum, & rudium quorumdam turbâ accipitur. An in objecto Queſnelli textu *Nos omnes* ſignificet omnes, ex quibus juxta ipſum Eccleſia conſtituitur, qui ſunt ſoli Electi; an omnes hoc tempore credentes; an verò omnes prorſus homines, obſcurum eſt. Magis apparet intelligi illic ſolos novæ Eccleſiæ ſectatores; hi enim ſoli juxta ipſum à Chriſto reconciliantur: ſolâ ſuâ religione autumat acceſſum præſtari ad Deum, juſtitiam, & ſalutem.

6 2. Cor. 5. verſ. 14. Omnes mortui ſunt, & Chriſtus *pro omnibus ſinè diſcrimine mortuus eſt. Diſpenſatores itaque meritorum mortis ejus, remedium iſtud applicare debent omnibus abſque acceptione perſonarum ſive Judæorum, ſive Gentilium; inimicorum pariter, & amicorum, verbum Dei æquè omnibus prædicando.* Chriſtus pro omnibus mortuus dicitur, & quidem *ſinè diſcrimine* ſubintelligendo *ſufficienter*, non ſenſu communi Scholaſticorum; ſed Janſenii, qui lib. 1. de gratia Chriſti cap. 21. dicit. *Chriſtus ſe dedit redemptionem ſeu pretium pro omnibus ſufficienter, quia ſufficiens pretium obtulit: non tamen pro omnibus omnino efficienter, quia non omnibus applicatur iſta redemptio: idque juxta regulam à Sancto Proſpero diverſis in locis traditam &c. cui conformiter Scholaſtici dicere ſolent, Chriſtum omnes redemiſſe ſufficienter, non efficienter.* Dicere enim verò id ſolent Scholaſtici; ſed ſenſu di-

verſiſſimo à Janſeniano. Thomiſtas aliquot celebres audiamus. Didacus Nugnez Cabezudo Tom. 3. in 3. partem quæſt. 1. ad Art. 2. *Probatur*, inquit, *Chriſtum ſatisfeciſſe pro omnibus quoad ſufficientiam; hoc enim eſt dediſſe omnibus auxilium ſufficiens, ut agant pænitentiam.* Quæſt. 86. ad Art. 1. concluſione 2. *Impoſſibile eſt quòd Peccatores ſalventur; niſi agant pænitentiam. Sed omnibus dat Deus auxilium ſufficiens ad ſalutem; ergo etiam ad pænitentiam. Minor patet Joan. 3. Sic Deus dilexit mundum, ut Filium ſuum Unigenitum daret, ut omnis, qui credit in ipſum, non pereat; ſed habeat vitam æternam. Et 1. Joannis 3. Ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris; non pro noſtris autem tantùm; ſed etiam pro totius Mundi. Et 1. Tim. 4. Salvator omnium hominum, maximè fidelium.* Habent hìc Janſenius, & Queſnellus ſenſum Catholicum diſtinctionis de morte Chriſti pro omnibus quoad ſufficientiam, non quoad efficaciam.

7 Vincentius Ferre tomo 2. Tract. 9. de voluntate quæſt. 6. §. 5. poſtquam retulit Propoſitionem quintam Janſenii hæreticam, ſic concludit num. 644. *Fatendum eſt, Chriſtum verè effectu ipſo mortuum fuiſſe pro omnibus, non quod effectus paſſionis omnibus applicatus ſit* (conſtat enim non eſſe applicatum parvulis ſinè Baptiſmo morientibus) *ſed omnibus à Deo præparatus, omnibus in ſtatu naturæ lapſæ adultis ratione utentibus oblatus immediatè, parvulis mediatè in aliis.* Ibidem Reſpondens objectioni Janſenii ait: *Etſi homo per peccatum contraxerit immediatam carentiam auxiliorum; ſufficienter tamen ſcimus ex Tridentino, quòd Deus impoſſibilia non jubet; ergo ſemper erit fatendum, quod per Chriſtum Salvatorem reſtituta ſint hominibus auxilia ſufficientia, ut poſſint obſervare mandata; aliàs Deus juberet impoſſibilia.* Num. 653. citat Ferrarienſem 3. contra gentes cap. 159. dicentem de gratia ſufficiente. *Secundum autem auxilium omnibus impendit, & nulli, quantum ad hoc, abſens eſt Deus; cùm nullus ſit, qui ab eo non moveatur ad bonum, & ad gratiæ* (ſanctificantis) *præparationem.* Citat, & Dominicum Soto in 4. diſtinct. 14. Art. 10. affirmantem, *Nunquam per Deum ſtat, quo minùs quicunque peccator reconciliari cum ipſo valeat; nemini enim auxilium ſpeciale denegat, quod ad reconciliationem ſufficit.*

8 Denique idem Ferre citatâ Angelici ſententiâ, qua Sanctus Doctor in illud 1. Tim. 2. Ipse est propitiatio pro peccatis nostris: *pro aliquibus efficaciter; ſed pro omnibus ſufficienter*, ſic animadvertit: *Quibus in verbis* (S. Thomas) *exprimit Chriſtum pro omnibus in effectu mortuum; etſi efficaciam ſalutis æternæ non omnes acceperint ex morte Chriſti: ſicut dum quis tantùm habet in ſe auxilium ſufficiens, dicimus; iſte efficaciter, hoc eſt, in effectu habet in ſe ſufficientiam ad ſalutem; ſed non ſalvabitur ex vi illius ſolius.*

9 Didacus Alvarez dè auxiliis diſputat. 112. num. 5. 6. 7. docet, *Deum omnibus offerre, quantum eſt ex ſe, auxilia intrinſeca ſufficientia ad ſalutem: Chriſtum pro omnibus mortuum eſſe: & dein omnibus adultis conferre auxilium ſupernaturale intrinſecum ad implenda præcepta naturalia, quæ ſuppoſito peccato per vires naturæ impleri non poſſunt: & illud auxilium recipi ab omnibus pro loco, & tempore, quo præceptum obligat; & præſertim dari omni homini ad uſum rationis venienti, & ſi eo bene utatur, infallibiliter dandum auxilium ſufficiens ad immediatè credenda Myſteria Fidei.*

10 Agmen claudat Gonetus Tom. 2. diſput. 5. num. 159. *Contra Janſenium oſtendimus, Chriſtum pro omnibus mortuum eſſe. Paſſio Chriſti cauſa eſt ſufficiens ſalutis omnium, & velut generalis quædam apotheca continens omnia media, ſeu remedia ad ſalutem neceſſaria: & fons ille, de quo dicitur Zachariæ 13. In illa die erit fons patens domui David. Pari benevolentia Deus omnibus hominibus, etiam peccato ſauciis, remedium offert Chriſti meritis paratum.*

Ibid. *Si dare ſumatur prout ſignificat idem quod præparare, ſeu offerre in communi, Deus omnibus reprobis tam parvulis, quàm adultis dat media, ſeu auxilia ad ſalutem ſufficientia. Probatur breviter: Deus habet voluntatem antecedentem de ſalute omnium hominum, quæ non ſolùm eſt voluntas ſigni,* (ut vult Queſnellus cum Janſenio) *ſed etiam beneplaciti. Atqui proprius hujus voluntatis effectus eſt præparare media, ſeu auxilia ad ſalutem ſufficientia. Ergo &c.*

11 In his ſententiis Thomiſtarum, quorum aliàs tanto Queſnellus ambitu affectat amicitiam, habet compendium eorum, quæ Catholici paſſim in ipſo deſiderant, ut nempe dicat cum Didaco Nugnez, Chriſtum ita ſatisfeciſſe pro omnibus, quantum ad ſufficientiam, hoc ſenſu, quòd dederit omnibus auxilium ſufficiens ad pœnitentiam, & ſalutem: Cum Vincentio Ferre Chriſtum verè effectu ipſo mortuum fuiſſe pro omnibus hoc ſenſu, quod paſſionis ejus effectus omnibus à Deo non quidem applicatus; ſed præparatus fuerit, & quidem omnibus in ſtatu naturæ lapſæ; adultis ratione utentibus oblatus immediatè, parvulis mediatè in aliis: Quòd per Chriſtum Salvatorem reſtituta ſint omnibus hominibus auxilia ſufficientia, nè cui

cui Deus cenſeatur mandare impoſſibilia: Quòd aliqui reipſa habeant auxilium ſufficiens ad ſalutem, cum quo tamen eam non conſequentur. Cur cum eodem, & Ferrarienſi non aſſerit Queſnellus, quòd Deus auxilium ſufficiens impendat omnibus? Quòd illud nulli deſit? Quòd nullus ratione utentium ſit, qui non ſubinde à Deo moveatur ad bonum, quo ad ſanctificantem gratiam præparetur? Quam hæc contraria ſunt Propoſitionibus Queſnelli aſſerentibus, *Fidem eſſe primam gratiam*, & *remiſſionem peccatorum eſſe primam gratiam, quæ peccatoribus conceditur*, atque adeò Infideles, Hæreticos, Judæos, in errore perpetuò enutritos, nihil unquam gratiæ ex Chriſti meritis accepiſſe!

12 Cur non ait cum Soto, quemlibet peccatorem poſſe juſtitiam conſequi; nemini enim auxilium ſpeciale à Deo denegari, quod ad reconciliationem ſufficiat? Cur non cum Alvarez, Deum adultis omnibus offerre auxilia ſupernaturalia intrinſeca, & non ſolùm extrinſeca, ut ſunt Queſnelliana *patens Eccleſia*, & *Sacramenta*? Queſnelliana inquam, non Catholica; ad hanc enim Eccleſiam, ad hæc Sacramenta adulto nemini aditus patet ſinè prævio gratiæ auxilio intrinſeco, quod à Novo Theologo conſtat non admitti in infidelibus, & peccatoribus, niſi dum actu convertuntur; quia juxta Art. 27. *Fides eſt prima gratia*. 29: *Extra Eccleſiam nulla conceditur gratia*. 28: *Prima gratia, quam Deus concedit peccatori, eſt peccatorum remiſſio*. Cur cum eodem Thomiſtu non dicit, illud auxilium ſupernaturale intrinſecum recipi ab omnibus pro loco, & tempore, quo præceptum obligat? Nimiùm Queſnello moleſtus videbor, ſi petiero, ut cum eodem Alvarezio ſtatuat auxilium ſupernaturale intrinſecum dari omni homini ad uſum rationis venienti, &, ſi eo bene utatur, quemadmodum poteſt, infallibiliter dandum auxilium ſufficiens ad immediatè credenda myſteria fidei.

13 Gonetum quoque adverſarius ſequatur aſſerentem in Deo ſinceram voluntatem erga ſalutem omnium hominum; non *ſigni* ſolummodo; ſed etiam *beneplaciti*, atque ideo Deum præparare, & offerre omnibus media, ſeu auxilia ad ſalutem ſufficientia; qualia ratione utentibus, ut dixi, non ſunt Sacramenta ſinè omni interiore gratiæ auxilio. Verùm à tam ſanis dogmatibus Queſnellus auditum avertens, mavult locutionibus, quoad ſpeciem piis; ſed ambiguis, & in ſenſu ſuo nihil à quinta Janſenii hæreſi alienum proponentibus deludere incautos. Ita feſellit quemdam Scholæ Catholicæ alumnum, ut in eodem opere Theologico totum Tractatum de morte Chriſti pro omnibus prætermitteret, de qua victoria ſibi plaudit Queſnellus, ſcribens ad Wallonum; quia nempe, inquit, Tractatus ille plenus erat *ineptiis*; quales Queſnello, & Wallono ſunt indicatæ ſuperiùs Thomiſtarum ſententiæ, & quæcunque aliæ Catholicos à Janſenianis hæreticis ſecernunt. Nihil plus boni diſcriminis ſpero à textibus Queſnelli ſequentibus.

14 2. Cor. 5. v. 15. *Quid æquius* (quærit Queſnellus) *quàm conſecrare vitam ſuam ei, qui nobis illam morte ſuâ redemit*? Neque Janſenius illud negaverit. Non enim ibi exprimitur mors Chriſti pro ſalute omnium hominum: neque unius quidem reprobi. Adeò ſolicitus ubique eſt Queſnellus, nè uſpiam Articulis 30. 31. & 32. renuntiare cenſeatur. Sed quomodo, ſi hi ſubſtiterint, credere quilibet poterit, vitam ſuam eſſe redemptam à Chriſto? Ut nemo credere poteſt ſe eſſe prædeſtinatum, ita neque credere poterit ſe eſſe ad vitam æternâm redemptum. Verùm & Queſnellus caverit, redemptionem omnium hominum aſſerere, ſed cùm fidelibus ſcribat; hi, ut baptizati ſaltèm ſunt, nihil eſt cur dubitent, quin ad vitam, & juſtitiam, ſaltèm temporalem, redempti fuerint. Neceſſe tamen eſt omnium erga Chriſtum amorem non parum frigeſcere, ſi cum adverſariis ſentiant, incertum eſſe, an à Chriſto redempti ad beatitudinem ſint, an abſque ſufficientibus ad eam obtinendam auxiliis derelicti, ut pereant, æternis neceſſariò addicendi ſuppliciis: & quidem neceſſitate propriiſſimè antecedente.

15 Marci 15. verſ. 22. De Sacrificio Crucis ait Queſnellus: *Sacrificium generale eſt, quod redimere, ſanctificare, & ſalvum facere debet, non ſolùm populum Judæorum; ſed nationes omnes*. Hoc quoque libenter agnoſcunt, non ſolùm Catholici; ſed etiam hæretici, & quidem cum Janſenio Calviniani omnes. Sed hi non agnoſcunt cum Catholicis ſenſum alium ampliorem. Calviniani ſcilicet cum Janſenio, & Queſnello, hærent in ſolis generibus ſingulorum, duce Calvino lib. 3. Inſt. cap. 24. Pomerano, Gaſpare Megandro &c.

16 Iterum Queſnellus Marci 15. verſ. 38. *Univerſa terra brevi deveniet templum Dei Sacrificio Euchariſtico, quod renovabit ubique Sacrificium impletum in monte Calvariæ, & annuntiabit ubique Chriſtum mortuum eſſe pro ſalute totius mundi*: nempe pro omnibus mundi regionibus, & ordinibus; non pro ſingulis hominum; niſi quoad ſufficientiam pretii: non quoad offerentis intentionem: vel intel-

lige, ut ſupra ſe Queſnellus explicuit, de voluntate *Signi*, non beneplaciti; non de voluntate præparante omnibus media ad ſalutem ſufficientia, quæ ſingulis ratione utentibus, remotè, vel proximè applicentur ita, ut in illorum poteſtate ſit, bene utendo remotis, conſequi proxima. Sed qui fidem odit Catholicam, odit dilucidas iſtiuſmodi enuntiationes, quas videt in uſu eſſe totius Eccleſiæ, ut ab hæreticis diſceruatur. Interim, dum hypocrita, nec apparere hæreticus, nec Catholicus eſſe vult, neceſſarium ſibi ducit, Catholicis quibuſdam ludere locutionibus; ſed quæ contineant nihil hæreſi ſuæ contrarium; etſi à multis, fraudem non ſuſpicantibus, benigniùs accipienda prævideat.

17 Similibus, quibus hic Queſnellus vocibus, ſubinde ludit etiam Janſenius lib. 3. de Gratia Chriſti cap. 21. dicens: *Chriſtus ſe dedit redemptionem, ſeu pretium pro omnibus ſufficienter, quia ſufficiens pretium obtulit; non tamen pro omnibus omnino efficienter, quia non omnibus applicatur iſta redemptio . . . . cui conformiter Scholaſtici dicere ſolent, Chriſtum omnes redemiſſe ſufficienter, non efficienter.* Ita Catholici, & Ariani illam Chriſti enuntiationem proferunt *Pater major me eſt*; Sed ſenſu diverſiſſimo, quod & de diſtinctione ſufficientis pro omnibus redemptionis, ab hæreticis æquè, ac Catholicis uſurpari ſolitâ, ſuperiùs oſtendi. Fruſtrà quæretur in omnibus Queſnelli ſcriptis quidpiam, quo ſe à Janſenio, & quintæ ejus Propoſitionis ſenſu hæretico diſcernat. Sed de hoc plura ad Articulum 33.

18 Pergit Queſnellus de Chriſto Luc. 22. verſ. 49. *Abſit, ut velit ſervare vitam ſuam, exponendo periculo vitam aliorum, qui venerat, ut funderet ſanguinem ſuum pro omnibus hominibus.* Superiùs non dubitat Author aſſerere, *Chriſtum mortuum eſſe pro ſalute totius mundi*; hic autem quaſi ſubterfugiens nimis Catholicam profeſſionem tantùm dicit mortuum *pro omnibus hominibus*. Cur non dixit *pro ſalute omnium omnino hominum*? Adverbium *omnino* excludit reſtrictionem ad ſola hominum genera, ſeu ſingulos tantùm ordines.

Addendo *ſalutem*, viſus fuiſſet ſaltèm verbotenus rejicere ſententiam Janſenii, qui, quidquid ſit de temporalibus quibuſdam beneficiis, nulli reprobo concedit ſufficientem gratiam qua ſalvari valeat. Hic ſenſus in quintâ Janſenii Propoſitione cenſuram hæreſeos, impietatis, blaſphemiæ meritò à Pontificibus tulit: hic adeò charus permanet Queſnello, ut centum diverſis modis, & phraſibus mortis Chriſti pro hominibus meritum tractans, mirificâ ſemper aſtutiâ caveat, ne quid Janſeniano ſenſui contrarium uſpiam enuntiet.

19 Hactenus Queſnellianos textus eo, quo in Hexaplis referuntur ordine, expendimus; circumveniendis quidem ſimplicibus peridoneos; ſed non eluendo veneno, quo damnatos in Conſtitutione Articulos turgere deprehendimus. Et quæ adeò perdita hæreſis eſt, quæ non Catholicas ſubinde loquendi formulas imitetur? Calvinum ſubinde legi de Euchariſtiæ myſterio differentem inſtar Catholici, profitentem quod ipſum Corpus, & Sanguis Chriſti, & non tantummodo figura ejus, verè à fidelibus ſumatur; ſed tandem eo hæreticus delabitur, ut ſumptio ſit per fidem; nec alia illic Chriſti præſentia, quàm imaginaria. Cæteri, qui in Hexaplis ſequuntur Queſnelliani textus, ſolâ phraſium & figurarum variatione à prioribus differunt; quos proinde Lector ex illorum diſcuſſione facilè intelliget nihil continere, niſi ſubdolum, nihil damnato Janſenii ſenſui, & quintæ ejus hæreſi, vel in minimo apice contrarium. De quo aliquid ampliùs dicendum ſupereſt ad Articulum ſequentem.

Trigeſimatertia Propoſitio damnata.

Proh quantum oportet bonis terrenis, & ſibimetipſi renuntiaſſe, ad hoc, ut quis fiduciam habeat, ſibi, ut ita dicam, appropriandi Chriſtum JESUM, ejus amorem, mortem, & myſteria, ut facit S. Paulus dicens: Qui dilexit me, & tradidit ſemetipſum pro me. *Obſervat. Moral. ad Gal. 2. verſ. 20.*

CAPUT I.

Detegitur hæretica hypocriſis.

1 QUam ſpecioſâ pietatis larvâ hic ſe tegere nititur hæretica hypocriſis! Si Chriſtum pro ſolis Electis mortuum ſinè ambagibus edixiſſet, Janſeniana fœditas nuda, atque omnium

nium oculis conſpicua, incuſſiſſet horrorem, ſaltèm Catholicis, & quibus aliqua Apoſtolicæ Sedis reverentia, aliquis religionis amor, & ſalutis ſuæ cura ſupereſſet. At iis adornata hæreſis, obducta que pigmentis, minùs facilè dignoſcitur, captis quodammodo oculis legentium, doloſæ faſcino pietatis. Verùm fraude modò à Clemente XI. detecta, facile eſt exclamationem impiam æquiore alia retundere. Proh quantum oportet Scripturarum oraculis, Conciliorum, ac Pontificum definitionibus, Traditioni Patrum, Catholicæ Fidei, ac ſaluti ſuæ renunciaſſe; quantum detrahere Dei erga homines miſericordiæ: quantum blaſphemiæ impingere Chriſto: quot ei paſſione ſacratiſſima redemptos adimere oportet, ut quis ſe, & vulgus fidelium avertat à fiducia dicendi cum Apoſtolo: *Qui dilexit me, & tradidit ſemetipſum pro me*; atque adeò ſibi, ut ita dicam, appropriandi Chriſtum, ejus amorem, mortem, & myſteria!

2 Iſtam enim Pauli ſententiam, ſibi quemlibet applicare non ſolùm poſſe; ſed etiam debere, ex Scripturis, Conciliis, Pontificibus, Eccleſiæ Catholicæ ſenſu, & fidei profeſſionibus contra Propoſitionem trigeſimam diſputantes evicimus. Et quidem una Magni Concilii Nycæni à pluribus ſequentibus approbati authoritas, & omnium ſeculorum conſenſus, fideli cuilibet ſufficere debet, ut non detrectet corde credere ad juſtitiam, & ore confiteri ad ſalutem, quod ex memorato Nycæno Concilio ab Eccleſia præſcribitur: *Credo .... in* Jesum *Chriſtum .... Qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de cælis. Et incarnatus eſt de Spiritu Sancto ex Maria Virgine, & homo factus eſt. Crucifixus etiam pro nobis ſub Pontio Pilato, paſſus &c.* Quæ magnum indubiè Chriſti in nos, cum adhuc peccatores eſſemus, amorem teſtatiſſimum faciunt. Cùm autem nos ipſos appellamus, & noſtram ſalutem, ſinguli nos ipſos plurali numero comprehenſos profitemur, noſtramque ſalutem à Filio Dei carnem aſſumente, & tam dira patiente intentam. Quod compendio Apoſtolus complectens ſingulos nos ſecum dicere de Chriſto docuit, *Qui dilexit me, & tradidit ſemetipſum pro me*. Unde non bonorum omnium abdicatione, vel renuntiatione opus eſt; ſed ſola Chriſtiana Fide, ut quis ſe filii Dei pretioſo Sanguine redemptum credat, docentibus etiam Tridentinis Patribus ſeſſ. 6. cap. 3. *Etſi ille pro omnibus mortuus eſt; non omnes tamen mortis ejus beneficium recipiunt*.

3 Cùm tamen ex Apoſtolo ad Galatas Obſervationem tam inſipidam elicere ſibi viſus ſit Adverſarius; ex eo quærere nobis liceat, quos hic duces, aut Magiſtros ſecutus ſit? Nam Sacri Textûs reverentia, & Concilii Tridentini authoritas poſtulat, ut non quiſque ſibi pro libitu Divinis oraculis ſenſus affingat; ſic enim Synodus ſeſſ. 4. in Decreto de Canonicis Scripturis ſtatuit: *Ad coërcenda petulantia ingenia, decernit ut nemo ſua prudentia innixus, in rebus fidei, & morum, ad ædificationem Doctrinæ Chriſtianæ pertinentium, Sacram Scripturam ad ſuos ſenſus contorquens, contra eum ſenſum, quem tenuit, & tenet S. Mater Eccleſia, cujus eſt judicare de vero ſenſu, & interpretatione Scripturarum Sanctarum, aut etiam contra unanimem conſenſum Patrum ipſam Scripturam Sacram interpretari audeat*.

4 Eſſe autem *Obſervationem* adverſarii contrariam communiſſimo Eccleſiæ ſenſui, unde certiùs edocebimur, quàm ex profeſſionibus Fidei ſupremâ pridem authoritate conſtitutis, & uſu perpetuo in Eccleſiâ conſervatis? Juxta illas homo quilibet, ſive juſtus, ſive peccator, & peccatorum maximus profitetur, ſe à Chriſto redemptum, ſibi impenſa Chriſti merita, ut propterea quilibet cum Apoſtolo dicere poſſit, ac debeat, *qui dilexit me, & tradidit ſemetipſum pro me: atque ita appropriare Chriſtum* Jesum, *ejus amorem, mortem, & myſteria*.

5 Sic Tridentinus Theologus, & illuſtris Scripturarum interpres Alphonſus Salmeron, in hunc locum ait: *Chriſtus Dominus etſi pro omnibus hominibus ſe tradiderit immolandum, & proprium effuderit ſanguinem, tanta tamen charitate hoc pro omnibus præſtitit, ac ſi pro ſingulo quoque noſtrum id effeciſſet*. Minimè ſuſpectus adverſariis eſt Guilielmus Eſtius, qui ad eumdem Apoſtoli textum ſic animadvertit: *Dilexit me, ideſt, qui me ſervum peccati, & preſſum onere legis, per quam à peccato liberari non poteram, nihil tale merentem dilexit, & quod argumentum eſt excellentiſſimum dilectionis, ſemetipſum in mortem tradidit, ut me à morte redimeret*. Ubi vident adverſarii, ſuam corruere novitatem, qua vellent ea Pauli verba non veluti peccatoris eſſe, aut de ſe Peccatore affirmari; ſed de eo qui jam dixerat, *Vivo autem, jam non ego; vivit verò in me Chriſtus*; Nam licèt tunc vitâ juſtitiæ Apoſtolus viveret, cùm hæc profiteretur; profeſſio tamen de eo tempore eſt, quo fuerat immerſus peccatis, & damnationi obnoxius. De quo ipſe non finit nos ambigere Rom. 5. verſ. 7. dicens: *Vix enim pro juſto quis moritur; nam pro bono forſitan quis audeat mori; commendat autem charitatem ſuam Deus in nobis*,

bis, quoniam cùm adhuc peccatores eſſemus, ſecundùm tempus Chriſtus pro nobis mortuus eſt.

6 Delibatam ſuperiùs interpretationem Eſtii proſequamur: *Chriſtianæ*, inquit, *gratitudinis eſt, Chriſtum futeri non ſolùm pro omnibus electis in mortem ſe dediſſe; ſed ita Chriſti beneficium, quod multis commune eſt, interpretari, ut quiſque ſibi perſuadeat, eum pro ſe propriè paſſum, & mortuum; quemadmodum hoc loco facit Apoſtolus.* Neminem Eſtius excipit; ſed omnibus Chriſtianæ gratitudinis debitum imponit, ut quiſque ſibi perſuadeat (non ſoli Sancti, ut Paulus) Chriſtum ſibi venisse mediatorem, pro ſe paſſum, ſibi remiſſionem peccatorum, & æternam beatitudinem promeritum; ſed ab iis ſolis inter adultos conſequendam, qui cooperari piiſſimæ Redemptoris intentioni voluerint.

7 Si antiquiores iterpretes audire adverſarius malit; ita Oecumenius: *Quod commune eſt, proprium facit* (Apoſtolus) *oſtendens tantum gratiarum actionis quemque debere Chriſto, ac ſi propter ipſum ſolum homo factus fuiſſet.* Si beneficium commune eſt, ita ſingulos homines obſtringens, ut quilibet gratiarum actionem Chriſto debeat, ac ſi ſoli ſibi Redemptionis gratiam impendere voluiſſet; non igitur ſolus Apoſtolus, non ſoli ejus ſanctimoniæ imitatores, ſed quiſque mortalium poteſt illud grati animi edere teſtimonium, quod à Paulo præſcribitur: *Qui dilexit me, & tradidit ſemetipſum pro me.* Ita & Chryſoſtomus: *Hic eſt affectus ſervi fidelis, ut beneficia Domini ſui, quæ communiter data ſunt omnibus, quaſi ſibi ſoli præſtari reputet, & quaſi ipſe ſit omnium debitor, & pro omnibus ipſe ſolus habeatur obnoxius.* Tum recitat memoratam Pauli ſententiam.

8 S. Auguſtinus: *O tu bone Omnipotens, qui ſic curas unumquemque noſtrûm, tanquam ſolum cures: & ſic omnes, tanquam ſingulos!* Conſentit Angelicus parr. 3. quæſt. 1. art. 4. ad 3. *Ex hoc ergo quòd aliquis debet reputare ſibi beneficia Chriſti præſtita eſſe, non debet exiſtimare, quòd non ſint aliis præſtita*, nempe ut ibidem monet: *peccatum naturæ ita perfectè curatum eſt in unoquoque, ac ſi in uno ſolo eſſet curatum.* Quodnam poteſt eſſe incentivum amoris ardentius, quis ſtimulus fortior, quàm viva mentis apprehenſio, & fides certa, quòd Chriſtus homines prorſus omnes, & ſingulos tanto complexus ſit amore, ut quoſcunque pertulit cruciatus, ſingulorum causâ ſuſceperit, non recuſaturus totum uni impendere, ſi vel unus ſolus, eo ſalutis præſidio eguiſſet.

Hujus Divini amoris recordatio ita pectus inflammaverat Doctoris Melliflui, ut meritò exclamaret Serm. 21. in Cantica: *Qui fieri poterit, ut talem non diligam Dominum? Dilexit me non exiſtentem: dilexit reſiſtentem, & inimicum: pro me calicem paſſionis bibit: pro me tulit contradictores in verbis; obſervatores in factis, illuſores in tormentis, conviciatores in morte. Hæc amorem meum blandiùs alliciunt: juſtiùs exigunt: arctiùs ſtringunt: vehementiùs accendunt.* Eadem eſt doctrina S. Thereſiæ, Franciſci Saleſii, Ludovici Granatenſis: & cujus non Scriptoris myſtici, ſe aliosque ad pietatem promoventis? Ipſe Apoſtolus eodem utitur ſtimulo 2. Cor. capite 5. verſ. 14. dicens: *Charitas Chriſti urget nos; quoniam ſi unus pro omnibus mortuus eſt, ergo omnes mortui ſunt.* Et verſ. 15. *Pro omnibus mortuus eſt Chriſtus, ut & qui vivunt, jam non ſibi vivant; ſed ei, qui pro ipſis mortuus eſt, & reſurrexit.* Charitas ſcilicet Chriſti, quâ dilexit nos adeò, ut pro omnibus mortuus ſit, urget nos, ut eum viciſſim, & propter eum proximos amemus; ut non vivamus intenti commodis noſtris, honoribus, voluptatibus; ſed promovendo cultui, & honori ejus, qui pro omnibus mortuus, jus in omnes acquiſivit ſingulare, tanquam Dominus in ſervos, quos tam caro ſui ſanguinis pretio redemit, & à morte liberavit æterna. Quæ ratio excogitari poteſt ad redamandum Chriſtum potentior? *Debet enim*, inquit S. Anſelmus, *anima humana in ſe deficere, & proficere in Chriſto, qui mortuus eſt, ut nos moreremur peccatis; & reſurrexit, ut ad juſtitiæ opera reſurgeremus. Et quid eſt aliud* NON SIBI, SED ILLI VIVANT, *quàm ut non ſecundùm carnem vivant in ſpe terrenorum, & corruptibilium bonorum; ſed ſecundùm ſpiritum in ſpe reſurrectionis?*

9 At qnem finem, quem fructum habere poteſt frigida illa Queſnelli novitas, imò pernicioſiſſima hæreſis, Chriſtum ſtatuens non niſi pro perfectis, ſimilibus Apoſtolo Paulo, nec niſi cœleſtia ſpirantibus mortuum? Fructum ego quidem tam rigidi, & glacialis dogmatis non video, quàm ut in vulgo fidelium, & imperfectorum qualecunque Divini amoris initium, ſi non reſtinguatur penitùs, ſaltèm non parum imminuatur, & flacceſcat, amiſsâ fiduciâ, qua perſuaſi hactenus crediderant, Chriſtum eſſe ſuum, atque omnium hominum, maximè fidelium Salvatorem. Profectò fieri natum eſt, ut animos, & ſpem abjiciant plurimi; ſi fidem habeant Queſnellianæ exclamationi: *Proh! Quantum oportet bonis terrenis, & ſibimetipſi renuntiaſſe ad hoc, ut quis fiduciam habeat, ſibi, ut ita dicam, appropriandi Chriſtum* Jesum, *ejus amorem, mortem, & myſteria, ut facit San-*

Digitized by Google

Sanctus Paulus dicens, *Qui dilexit me, & tradidit ſemetipſum pro me?* Quis enim è Chriſtianæ plebis multitudine, niſi fortè in ſuperba Janſenianorum ſchola, de ſe altum ſapere edoctus, facilè autumet ſe tantùm bonis terrenis, ac ſibimetipſi renuntiaſſe, quarum renuntiaverat Apoſtolus cùm diceret, *Vivo autem, jam non ego; vivit verò in me Chriſtus*.

10 Quapropter erronibus iſtis repulſis, pergamus aures præbere potiùs SS. Patribus, atque in primis S. Bernardo monenti in Pſal. *Qui habitat* verſ. 2. *Sicut poſſunt omnia dicere Chriſto: Creator meus es, ſic poſſunt omnes homines dicere: Redemptor meus es tu*. Audit adverſarius, *omnes homines*, & non ſolos perfectos, qui bonis terrenis, & ſibimetipſis penitùs renuntiaverint, poſſe Chriſto dicere: *Redemptor meus es tu*, neque ſolos perfectos, aut juſtos id poſſe, ſicut non ſoli perfecti, nec ſoli juſti; ſed *omnes homines* dicere ſinè dubio poſſunt, ac debent: *Creator meus es tu*. Ante Bernardum Author libri de Vocatione gentium cap. 16. *Nulla*, inquit, *ratio dubitandi eſt*, J*esum Chriſtum Dominum noſtrum pro impiis, & peccatoribus mortuum, à quorum numero ſi aliquis liber inventus eſt, non eſt pro omnibus mortuus Chriſtus. Sed prorſus pro omnibus mortuus eſt Chriſtus*.

11 S. Hieronymus Epiſt. 83. ad Oceanum: „ Mentitur Joannes Baptiſta, digito „ Chriſtum, & voce demonſtrans, ac di„ cens: Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit „ peccata mundi; ſi ſunt adhuc in hoc ſecu„ lo, quorum peccata Chriſtus non tu„ lerit. „

12 S. Leo Papa Serm. 1. de Nativ. „ Una cunctis lætitiæ communis eſt ratio: „ quia Dominus noſter, peccati, mortiſque „ deſtructor, ſicut nullum à reatu liberum „ reperit, ita liberandis omnibus venit.

13 S. Ambroſ. lib. de Joſeph cap. 7. ſub finem: „ Suum eſt, quod à te Chriſtus „ repoſcit: ipſe vitam omnibus dedit, ipſe „ pro omnibus mortem ſuam obtulit. „ Idem in Pſam. 118. verſ. 18. „ Omnibus di„ cit Jesus, volo, qui non vult eſſe pec„ catum. Velle Chriſti commune in omnes „ eſt. „ Idem ad verſ. 64. „ Sol juſtitiæ om„ nibus ortus eſt, omnibus venit, omnibus „ paſſus eſt, omnibus reſurrexit. Si quis „ autem non credit in Chriſtum, generali „ beneficio ipſe ſe fraudat; ut ſi quis clauſis „ feneſtris, ſolis radios excludat; non enim „ ideo ſol non eſt ortus omnibus, quia ca„ lore ejus ſe defraudavit. „ Ibid. ad v. 89. „ Dilata cor tuum: occurre Soli lucis æter„ næ, qui illuminat omnem hominem; & „ illud quidem verum lumen omnibus lucet; „ ſed, ſi quis feneſtras ſuas clauſerit, æter„ no lumine ſe ipſum fraudavit. Excluditur „ ergo Chriſtus, ſi tu mentis tuæ januam „ claudas. Etſi poſſit intrare, non vult ta„ men importunus irruere, non vult invitos „ cogere. Ortus ex virgine proceſſit ex al„ veo, univerſa totius orbis irradians, ut „ luceret omnibus. Capiunt qui deſiderant „ fulgoris perpetui claritatem, quam nox „ nulla interpolat.

14 Baſilius Magnus in Pſalm. 48. „ In„ ventum eſt unum pro omnibus ſimul homi„ nibus dignum pretium, nempe Sanctus, & „ omni pretio ſuperior pretioſus Sanguis „ Domini noſtri Jesu Chriſti, quem pro no„ bis omnibus effudit.

15 Gregorius Nazianzenus oratione 25. inter beneficia omnibus omnino hominibus communia, collocat, *Rationem, Legem, Prophetas, ipſas etiam Chriſti perpeſſiones, per quas omnes reformati ſumus, nullo penitùs excepto, qui eidem Adamo participavimus*. Omnes itaque, qui eidem Adamo participavimus, *fiduciam habemus* minimè temerariam; ſed in Eccleſiæ Doctrina omnium temporum, & fide Catholica fundatiſſimam, *nobis*, *ut ita dicam*, *appropriandi Chriſtum* Jesum, *ejus amorem, mortem, & myſteria, ut facit S. Paulus dicens, qui dilexit me, & tradidit ſemetipſum pro me*. Ubi patet de amore Chriſti non conſequente, qui juſtitiam, & ſanctitatem ſupponit in dilecto; ſed de antecedente, ſermonem eſſe. Qualiſcunque autem in adulto quolibet bonorum omnium, & ſui ipſius abdicatio ſupponeretur neceſſaria ad amorem Chriſti conſequentem, & percipiendum redemptionis fructum præcipuum hereditatem filiorum Dei; nemo tamen Catholicus perfectionem eam requiſiverit ad *fiduciam* de amore Chriſti antecedente, quo *me* peccatorem, antequam egerim boni quidpiam, vel agere potuerim, *dilexit, & tradidit ſemetipſum pro me*. Quid enim miſeris mortalibus in Adamo lapſis ſupereſſe boni potuit, quo dilectionem Chriſti, & tanta eam ſecuta beneficia mereremur? Multum Julianus Chriſti hoſtis infeſtiſſimus abfuit ab ea, quam damnata Propoſitio requirit, perfectione; & tamen memorata Apoſtoli verba uſurpare ingratus potuit, ac debuit, dicente Gregorio Nazianzeno invectivâ 1. contra eumdem: *Tu manum movere auſus es, adverſùs eam, quæ & pro te, & propter te clavis transfixa eſt*.

16 S. Auguſtinus oratione de 5. hæreſibus cap. 6. Chriſti nomine ſic Arium alloquitur: *Sanguinem meum fudi: animam meam poſui*,

ſui, ut mihi conjungerem te; & tu dividis me? Ut iſtud Arius crederet, ſola fide in Chriſtum opus habuit, non renuntiatione, quam damnata exigit Propoſitio.

17 S. Cyprianus lib. de opere, & eleemoſynâ parum ante finem inducit Diabolum Chriſto in judicio exprobrantem, quod ingratos reprobos adeò dilexerit, ut ſe tormentis, & morti tradiderit propter eos, qui ſervire ipſi non voluerint; ſed diabolo, nunquam pro eis paſſo, nunquam de eis benemerito. *Ego*, inquit, *pro iſtis, quos mecum vides, nec alapas accepi, nec flagella ſuſtinui &c.* Adeò à veritate remotum eſt, quod ait Queſnellus; oportere bonis omni-„ bus, & ſibimetipſis renuntiaſſe (in perfe-„ ctionis gradu minimè vulgari)„ ad hoc, ut „ quis fiduciam habeat, ſibi, ut ita dicam, „ appropriandi Chriſtum Jesum, ejus amo-„ rem, mortem, & myſteria, ut facit San-„ ctus Paulus dicens, Qui dilexit me, & tra-„ didit ſemetipſum pro me.

18 Opto autem Propoſitionis Authori, ut, ſi non bonis omnibus, ſaltèm malis ſuis, & damnatis erroribus, propriæque hæreticis contumaciæ renuntiet, ut non de antecedente ſolùm Chriſti amore, quo etiam pro reprobis paſſus eſt, ſed & de conſeqnente habere fiduciam poſſit, ejuſque fructus totâ felici æternitate percipere.

Interim execremur omnes peſtiferum damnatæ Propoſitionis venenum, quod Malderus Epiſcopus Antverpienſis in Antiſynodicis cap. 7. *propriè antichriſtianum* vocat, &, inquit, „ eamdem blaſphemiam Beza cum „ ſuis defendit, nempe Chriſtum pro ſolis „ electis mortuum. Verendum nè tandem „ cum Turcis homines iſti dicant, pro nemi-„ ne Chriſtum eſſe mortuum.

CAPUT II.

Solvuntur Objectiones ex Scriptura, & Patribus.

1 Cum aliud ex Scripturis non occurreret, quod in Articuli videretur poſſe pertrahi patrocinium, repetitur illud Apoſt. 2. Gal. 20. *Qui dilexit me, & tradidit ſemetipſum pro me*, quaſi ipſe nobis textus ſufficere debeat, ut credamus non licère cuipiam, enm cum Apoſtolo enuntiare, atque applicare ſibi, niſi qui ad perfectionem Apoſtolicam perveniſſet. Verùm toto ſuperiori capite oſtenſum eſt, nullâ adhoc ſingulari opus eſſe perfectione; ſed ſola fide; imò indubitatam eſſe adeò cuilibet facultatem, ut etiam certa ſingulos urgeat Divinæ legis obligatio, ad credendum iſtud inter cætera fidei myſteria, quæ Nycæno Fidei Symbolo proponuntur:

Ex Patribus primus objicitur Chryſoſtomus, qui ad memorata verba Apoſtoli exclamans interrogat. „ Quid facis ô Paule? Dum „ communia velut tibi propria vindicas, „ quæque pro toto terrarum orbe facta ſunt, „ tibi facis ſingularia? Non enim dixiſti Qui „ dilexit nos; ſed Qui dilexit me; atqui „ Euangeliſta dicit: *Sic Deus dilexit mundum*; „ Quin, & tu ipſe dicis Rom. 8. *Qui proprio* „ *Filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus* „ *tradidit illum*: non igitur pro te; ſed pro „ omnibus. Ac rurſum, ut *acquireret ſibi populum peculiarem*. Quid eſt igitur quod „ hîc dicit? Cùm conſideraret Apoſtolus in-„ firmitatem humanæ naturæ, & ineffabilem „ Dei ſolicitudinem, tum quibus ipſum ma-„ lis liberaſſet, quæ bona largitus eſſet, in-„ flammatus illius deſiderio hunc in modum „ loquitur, quandoquidem, & Prophetæ „ non rarò Deum communem, ſibi proprium „ faciant. Præterea verò declarat, hoc quo-„ que par eſſe, ut quiſque noſtrûm non mi-„ nùs agat gratias Chriſto, quàm ſi ob ipſum „ ſolùm adveniſſet. „ Hîc Chryſoſtomum ſiſtit adverſarius: Nos illum aliquanto ampliùs proſequamur. Sic pergit S. Doctor. „ Neque enim recuſaturus erat vel ob unum „ tantam exhibere diſpenſationem; adeò ſin-„ gulorum quemque hominum pari chari-„ tatis modo diligit, quo diligit orbem uni-„ verſum. Itaque victima pro tota quidem „ oblata eſt natura, ac ſufficiebat omnibus „ ſervandis; cæterum ſoli illi, qui crediderunt, ſunt quibus uſui fuit beneficium. „ Attamen non abſterruit eum ab ejuſmodi „ diſpenſatione, quòd non omnes accede-„ rent; ſed quemadmodum in Euangelio „ convivium omnibus quidem paratum „ erat; verùm, quoniam qui vocati fuerant, „ venire noluerunt, non pariter ſuſtulit, quæ „ fuerant parata; ſed alios vocavit. Itidem, „ & hic fecit; nam & ovis, quæ fuerat à nona-„ ginta novem diſtracta, unica erat; nec hanc „ tamen contempſit..... Ergo cùm ille ſic „ dilexerit, ut ſemetipſum etiam tradide-„ rit, omnique ſalutis ſpe deſtitutum ad „ tantam, ralemque vitam adduxerit, tu „ poſt tot accepta bona, denuò recurris ad „ vetera? „

2 Quid in tota Chryſoſtomi ſententia eſt, quod prohibeat Chriſtianis vulgaribus, nè ſinguli cum Apoſtolo dicânt: *Qui dilexit me, & tradidit ſemetipſum pro me*? Aut nè eâ ratione *fiduciam habeant, ſibi, ut ita dicam, appropriandi* Jesum *Chriſtum, ejus amorem, mortem*,

tem, & myſteria? Imò verbis Chryſoſtomi ad utrumque maximè invitamur ſinguli, atque impellimur. Si enim, ut Sanctiſſimus Doctor aſſerit, Chriſtus adeò ſingulorum quemque hominum pari charitatis modo diligit, quo diligit orbem univerſum; ſi pariter, quod ex Joan. 3. apud Chryſoſtomum conſtat, *ſic Deus dilexit mundum, ut Filium ſuum unigenitum daret*, ineluctabili ratione teneor, & tenentur ſinguli de ſe homines agnoſcere, *Chriſtus dilexit me, & tradidit ſemetipſum pro me*. Atqui *appropriare ſibi Chriſtum, ejus amorem, mortem, & myſteria,* continetur in appropriatione ſententiæ Paulinæ; Nec enim ipſe adverſarius aliter appropriationem illam adhibet, quàm velut Apoſtolici effati paraphraſim, ſeu explicationem. Quemadmodum igitur ſinguli homines poſſunt, & debent cum Apoſtolo de Chriſto dicere: *Dilexit me, & tradidit ſemetipſum pro me*, ita ſinguli poſſunt ac debent *appropriare ſibi, ut ita dicam, Chriſtum, ejus amorem, mortem, & myſteria*.

3 Præterea, teſte Chryſoſtomo, *Paulus iis verbis, declarat hoc quoque par eſſe, ut quiſque noſtrûm non minùs agat gratias Chriſto, quàm ſi ob ipſum ſolum adveniſſet; neque enim recuſaturus erat, vel ob unum, tantam exhibere diſpenſationem; adeò ſingulorum quemque hominum pari charitatis modo diligit, quo diligit Orbem univerſum*. Evidens itaque eſt Chriſtum mortuum eſſe pro æterna ſalute, etiam reproborum, & quidem omnium, ac ſingulorum; cùm nulla ratio veriſimilis, nulla authoritas dictet, futurum fuiſſe, ut Chriſtus *tantam exhiberet diſpenſationem*, ſive tanta merita, tantas paſſiones pro unius ſolius hominis juſtitia tantummodo temporali.

4 Denique diligitne Chriſtus ita mundum univerſum, ut ſaltèm non aliquibus ex illo beatitudinem velit? Vult igitur eam omnibus, & ſingulis; cum *pari charitatis modo diligat ſingulorum quemque hominum, quo diligit Orbem univerſum*. Et alioqui *par* non eſſet, quod vult eſſe Chryſoſtomus, ut *quiſque noſtrum non minùs agat gratias Chriſto, quàm ſi ob ipſum ſolum adveniſſet*. Chriſtus enim, ut dixi, non adveniſſet pro ſolo alicujus temporali beneficio; ſi autem incertus quilibet ſit, ut in ſententia Adverſariorum eſſe debet, an pro ſua ſalute Chriſtus advenerit, perſpicuum eſt, fieri non poſſe, ut quiſque non minùs gratias agat Chriſto, quàm ſi ob ipſum ſolum adveniſſet.

5 Ex deductis hactenus manifeſtum eſt, Chryſoſtomum adeò non approbare Adverſariorum erga reprobos crudelitatem, & affictum Redemptori clementiſſimæ charitatis defectum, ut potiùs S. Doctor reprobis tribuere nimium videatur, dum Chriſti erga eos charitatem *parem* nominat dilectioni erga Orbem univerſum; atque adeò erga prædeſtinatos. Verùm cùm agnoverit aliàs Chryſoſtomus eminentiſſimum electionis beneficium in prædeſtinatis, quo Chriſti erga illos dilectio infinitis gradibus affectum erga reprobos tranſcendit, ſatis exploratum eſt, clariſſimum Eccleſiæ Doctorem, in deſcripta ſententia agere non de *charitatis modo* quolibet; ſed de antecedente ſolummodo, & primo illo, quo omnes homines ſinè diſcrimine complexus concipitur ante aliquorum præ cæteris electionem. Unde Chryſoſtomi nobis objecta authoritas inſigne communis ſententiæ firmamentum eſt. Ideo, qua parte nobis potiſſimum favet, & Janſenianam deſtruit novitatem, callidè ab Adverſario ſententia Chryſoſtomi truncata eſt. In eo autem videtur Adverſarii temeritas ſuperare quodammodo Janſenianam; quòd quem Janſenius exemplo Calvini, inter Græcos PP. *Origenis, & Auguſtini ætatem interjectos*, ſibi agnoſcit oppoſitum, Adverſarius in Janſenii caſtra invitiſſimum pertrahere moliatur. Ut autem molitionis ſuæ inutilitatem clariùs perſpiciat, exhibeo Chryſoſtomum, etiam reprobis perſuadentem, quòd Chriſtus ipſos dilexerit, ſeque pro ipſis tradiderit crucifigendum. Hom. 7. in 1. Tim. 2. *Quomodo illi*, inquit, *non crediderunt? Quia noluerunt: ſuas tamen ille partes executus eſt, dum pro eis in cruce penderet*. Ubi vides, juxta Chryſoſtomum non oportere, *bonis terrenis, & ſibimetipſi renuntiaſſe, ut quis fiduciam habeat ſibi, ut ita dicam, appropriandi Chriſtum* Jesum, *ejus amorem, mortem, & myſteria*. Nam increduli iſti, & in perfidia obdurati aberant plurimùm à perfectâ illâ, quam Adverſarius ad eam perſuaſionem, & fiduciam requirit, bonorum terrenorum abdicatione; & tamen credere juxta Chryſoſtomum poterant, quòd etiam erga ipſos Chriſtus partes Redemptoris executus ſit, *dum pro eis in Cruce penderet*.

Notiſſimæ quoque ſunt ejuſdem Patris ſententiæ de voluntate Dei ſeriâ, quantum in ipſo eſt, ut omnes prorſus homines ſalventur. Hom. 9. de laudibus Pauli. Hom. 7. in Joannem. Hom. 1. in epiſt. ad Epheſ. Hom. 11. in cap. 2. Geneſ. ſermone 16. in Epiſt. ad Rom. cap. 9.

6 Etiam Hieronymus à Janſenio in Semipelagianiſmi ſuſpicionem vocatus fuerat; Adverſarius tamen ab eo ſuis partibus vindicando minimè deſperat, in damnati Articuli patrocinium vocans interpretationem ejus Gal. 2. verſ. 20. ſic ibi S. Pater: *Beatus, multum-*

que felix, qui vivente in ſe Chriſto, per ſingulas cogitationes, & opera poteſt dicere: in Fide vivo *Filii Dei, qui dilexit me, & tradidit ſemetipſum pro me*. Objicientis levitas ſtatim in oculos inſilit; non enim *Beatus, multumque felix* ſupra commune vulgus hominum hic prædicatur, quiſquis poteſt dicere, *qui dilexit me, & tradidit ſemetipſum pro me*; hoc enim juxta certiſſimam ab Hieronymo traditam alibi ſententiam, poſſunt omnes homines; *Sed qui vivente in ſe Chriſto, per ſingulas cogitationes, & opera poteſt dicere: In Fide vivo Filii Dei, qui dilexit me*, &c. A cujus prædicationis veritate remoti ſunt plurimi, in quibus nempe non vivit Chriſtus per ſanctificantem gratiam; ſed diabolus per peccatum: Neque in Fide vivunt; ſed cum Fide ſuâ mortuâ mortui ſunt. Adeò illi non poſſunt per ſingulas cogitationes, & opera dicere: *In Fide vivo Filii Dei*, &c. poſſunt tamen ſimpliciter dicere, *qui dilexit me, & tradidit ſemetipſum pro me*: Atque hoc ſenſu *fiduciam habere appropriandi ſibi Chriſtum, ejus amorem, mortem, & myſteria*.

7 Quomodo igitur, inquies Lector, in mentem venire Adverſario potuit, ut remotam adeò à damnato Articulo ſententiam Hieronymi in illius defenſionem adducere auſus ſit? Revera plus hic temeritatis ſtolidæ apparet, quàm aſtutiæ; dum textus objicitur, tam dilucidè aliud prorſus enuntians, quàm poſtulet proſcriptus Articulus; ſed morem ſuum proſequi Adverſarius voluit provocandi CLEMENTEM XI. ad JUDICIUM PATRUM circa Propoſitiones ſingulas; cùm autem hic authoritas omnis deficeret, ſuppetias undecunque accerſendas ſibi conſtituit, valituras ſaltèm apud eos, apud quos in poſſeſſione eſt perſuadendi quidlibet, & captivandi intellectum inſipientium in obſequium novæ Fidei, novæ Eccleſiæ, ſive, ut ipſi loqui malunt, novi ORDINIS, cujus PATER PRIOR Queſnellus Epiſcopis, Cardinalibus, atque ipſo Romano Pontifice ſuperior ſit.

Repono autem Adverſario celebrem Hieronymi locum, ex epiſtola ad Oceanum de Digamia: *Mentitur Joannes Baptiſta, & digito Chriſtum, & voce demonſtrans, Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi; ſi ſunt adhuc in ſeculo, quorum Chriſtus peccata non tulerit*. Nullus igitur in mundo reprobus eſt, qui cum Apoſtolo de Salvatore dicere non poſſit: *Qui dilexit me, & tradidit ſemetipſum pro me*, atque hoc ſenſu appropriare ſibi Chriſtum, ejus amorem, mortem, & myſteria.

8 Tertius & ultimus objicitur Theodoretus, eumdem Apoſtoli locum hoc illuſtrans commentario: *Quin etiam in hac mortali vita vitam immortalem mihi præfinio, ac deſcribo, & illam per Fidem aſpicio. Ea de cauſa Chriſtus Dominus pro me mortem ſubiit, ut mihi vitam immortalem procuraret*. Hæc Theodoretus nomine Pauli enuntiat. Eſt autem proſecutio ejus, quod ad verſum præcedentem dixit: *Priorem vitam depoſui: in aliam vitam tranſii: à Chriſto ſumitur mea vitæ inſtitutio: aliam vitam non habeo*.

Si propterea Theodoretus cenſendus eſt, damnato favere Articulo, faverit etiam Apoſtolus, cum Theodoreti verba ſint congrua Paulini textûs interpretatio. Enimvero, inquiet Adverſarius, ſuffragatur Apoſtolus Articulo; ideo primus inter patrocinantes ſuperiùs adductus eſt.

9 Ego autem hic iterum mirabilem Adverſarii dialexin non capio, dum ex facto ſingulari non concluſionem ſolùm, ſed legem quoque, & obligationem elicit univerſalem, ut argumentum ſit hujuſmodi: Paulus ait: *Chriſto crucifixus ſum Cruci. Vivo autem jam non ego: Vivit verò in me Chriſtus. Quòd autem nunc vivo in carne, in Fide vivo Filii Dei, qui dilexit me, & tradidit ſemetipſum pro me*. Hinc modò, Lector, Theologicam attende concluſionem: Proh quantùm igitur oportet bonis terrenis, & ſibimetipſi renuntiaſſe omnes illos, qui fiduciam habere voluerint dicendi cum Apoſtolo: Filius Dei *dilexit me, & tradidit ſemetipſum pro me*. Nos verò credimus, quod, ut veriſſimè iſtud profiteri quis poſſit, non debeat magis renuntiaſſe bonis terrenis, & ſibi ipſi; quam renuntiaverit Judas, qui ex avaritia tradidit Redemptorem. Nam & de turpiſſimo hoc fure, & impiiſſimo traditore verè ſcripſit S. Leo ſerm. 11. de paſſione: *Pro impiis omnibus mortuo Domino, potuiſſet etiam hic conſequi veniam; ſi non feſtinaſſet ad laqueum*: potuiſſet igitur, & hic ſibi applicare illud Paulinum, *qui dilexit me, & tradidit ſemetipſum pro me*. Traditus nempe Chriſtus eſt non ſolùm à proditore, à Scribis & Phariſæis, à populo, à Pilato, à crucifixoribus; ſed etiam à Patre, & ſemetipſo.

10 Auguſtinus in pſalm. 68. verſ. 27. de Juda ait: *Projecit pretium argenti, quo ab illo Dominus venditus erat, nec agnovit pretium, quo ipſe à Domino redemptus erat*. Si redemptus etiam Judas à Domino fuerit, meritò dicere potuit, *qui dilexit me, & tradidit ſemetipſum pro me*.

CA-

CAPUT III.

Hexaplorum Author fruſtrà conatur mitigare damnatam Propoſitionem. Ineptiſſimè verò hic debacchatur Author Obſervationum in Conſtitutionem.

1 Satis perſentiens Adverſarius objectorum hactenus inanitatem, nec quidquam damnato Articulo ſimile, ſive in Scripturis, ſive in Patribus reperiendum, fugam ſimulat, & quaſi ſenſûs Hæretici defenſionem deſerens, non ea, inquit, Propoſitionis ſignificatio eſt, quæ ab accuſatoribus, & cenſoribus ei tribuitur; ſed „ poſtulat æquitas, ut 33. Propoſitio non accipia- „ tur, niſi de modo quodam appropriandi „ ſibi mortem Chriſti prorſus ſingulari, at- „ que in gradu fiduciæ, & amoris minimè „ vulgaris; ſed talis quodammodo, qualis „ fuit in gentium Apoſtolo. S. Gregorius in- „ terrogat, quomodo poſſit quis aſſumere, „ ut apud Deum intercedat pro populo, „ quando ſecurus non eſt de ſanctâ familia- „ ritate cum Deo, bonis actibus acquiſita: „ & quomodo poſſit pro aliorum interccede- „ re reconciliatione, ignorans, ſitne ſibi re- „ conciliatus Deus. Si cui libitum foret hanc „ ampliùs urgere Gregorii ſententiam, ex „ ea eliceret, non licere juxta S. hunc Pon- „ tificem orare pro proximo, niſi cùm certi „ ſumus de obtenta nobis remiſſione pecca- „ torum. Verùm ſatis lector percipit, quod „ enuntiationes iſtiuſmodi morales non de- „ beant accipi in rigore. Par juſtitia impen- „ datur Queſnello.

Ubi reperienda ſit ea Gregorii enuntiatio, quibus expreſſa vocibus, non indicat Adverſarius, jubens nos relationi ſuæ credere, nec dubitare de bona fide. Verùm nos exemplis adeò frequentibus edocti de ejus in citandis Authoribus perfidia, præſentem adeò illegitimam, & non uni obnoxiam fallaciæ allegationem jure repellimus, donec referantur verba, indicetur locus, quem adire liceat, atque expendere. Interim ad præſentem quod attinet quæſtionem, latiſſimum inter prætenſam Gregorii ſententiam, & damnatum Articulum eſt diſcrimen, quod interceſſio pro alio, etiam apud homines, ut efficax ſit, videatur præſupponere, quod intercedens gratiâ valeat apud eum, ad quem interceſſio dirigitur; at verò, ut quis ſe beneficiis alteri obſtrictum fateatur, uti ſit quoties agnoſco, quod Dei Filius me dilexerit, & tradiderit ſemetipſum pro me, nulla requiritur familiaritas, nulla amicitia, aut ſtatus gratiæ: ſufficit nota veritas beneficii, quam meritò profitebitur, etiam reus maximè, & inimicus.

2 Quod dicitur de Obſervationibus moralibus, non debere eas in rigore accipi, locum non obtinet in damnato hic volumine, quod *Obſervationum Moralium* obtentu tot ubique interſerit novitates dogmaticas, & pridem à Summis Pontificibus damnatas, ut non adeò inſtituendis moribus, quàm reſtituendæ hæreſi, & perdendis cum fide animis conſcriptum eſſe videatur. Aptiſſimùm moribus fundamentum fides eſt; hæc potiſſimum periculoſis adeò temporibus ſtabilienda eſt, aut ſaltèm diligentiſſimè cavendum, nè ſuſpectis, & hæreſim ſonantibus enuntiationibus quaqua parte temere inexetur. Quomodo autem præſentem Articulum à rigido, & proprio ſenſu divellere poſſumus, quando is conſpicitur tot Articulis præcedentibus clariſſimè tradi, tam variis modis, & phraſibus inculcari, ac totum ab Authore ſyſtema gratiæ in eumdem dirigi ſcopum, ut cæcos nos eſſe oporteret, aut cæcitatem in Queſnelli gratiam ſimulare, ſi Articulum vellemus à Propoſitionis Janſenianæ quintæ ſenſu hæretico ad alienum benigniorem, & minimè obvium transferre. Is, ſi Queſnello placuerit, ſervire poterit honeſtæ palinodiæ; ſed non defenſioni adversùs æquiſſimam ſupremi Tribunalis ſententiam.

3 Ferociùs in eam, & Sedem Apoſtolicam inſurgit Queſnellus, vel quiſcunque approbatus ab eo vindex in *Obſervationibus circa Conſtitutionem*: „ Videtur, inquit, Romæ „ propoſitum fuiſſe, ut finem imponeret pa- „ tientiæ fidelium, condemnando enuntia- „ tionem ejuſmodi, quæ ſe ipſa illicò, & pri- „ mo aſpectu approbationem extorquet om- „ nibus, quibus aliquis pietatis ſenſus eſt. „ Dum Paulus dixit de Chriſto: *Qui dilexit* „ *me, & tradidit ſemetipſum pro me*, tribue- „ bat ſibi mortem Chriſti non ratione ſo- „ lummodo communi, credens illum pro ſe, „ ſicut pro omnibus mortuum; ſed eam ſibi „ aſſerebat ratione ſingulari. Plenus Fide, & „ Charitate firmam conceperat fiduciam, „ pro ſe Chriſtum ſpecialiter mortuum eſſe, „ ſe in numero eſſe electorum, pro quibus „ Chriſtus ſanguinem fudit, ut vitam habeant „ ſempiternam. De fiducia ſimili Paulinæ lo- „ quitur Author *Obſervationum Moralium*, „ mentem ſuam ea perſpicuitate exprimens, „ ut nullus de ea ſinatur, vel momento tem- „ poris ambigere. Quis autem dubitet, quin „ ad fiduciam adeò vivam requiratur inte- „ gra ſui ipſius, & creaturarum abdicatio?

„ Quid igitur? Num cæteri, qui ad tam „ emi-

„ eminentem virtutis apicem provecti non „ ſunt, ſperare non poſſunt, neque confidere „ pro ſe mortuum eſſe Chriſtum? Miſera ca- „ villatio! Procul dubio fiduciam iſtam amit- „ tere nunquam licet: ſemper ſuperſunt ad „ eam motiva, maximè etiam ſceleratis. Ipſe „ timor, nè non ſimus in numero prædeſti- „ natorum, ratio nobis eſt ſperandi.

Poſt plura de prædeſtinatorum ſanctitate „ Indè fit,(inquit) ut quis non ſolùm in com- „ muni credat, quòd Chriſtus pro nobis mor- „ tuus ſit, ſed etiam, ut habeat fiduciam de „ hoc ſpecialem, & intimam, quæ etſi non „ omnem excludat formidinem, nec impe- „ diat operationem ſalutis cum timore, & „ tremore; gignit in animis pacem ineffabi- „ lem, quam nemo intelligit, niſi qui Divina „ largiente miſericordiâ,experitur. Profectò „ *Obſervationum Moralium* Author dogma- „ tibus adeò piis, & ſanctis, non merebatur „ cenſuras tam horridas, quibus in Conſti- „ tutione perſtringitur „. Hactenus Queſ- nelli vindex.

4 Ex tot Articulorum Apoſtolicis cen- ſuris, tot Gallicanorum Antiſtitum docu- mentis Paſtoralibus, tot Academiarum, & Regionum, Coſtitutionem Unigenitus ſi- nè minima oppoſitione ſuſcipientium conſen- ſu, perſpectiſſimum Queſnellus, & ejus ſocii habeant,ſe de Janſeniana hæreſi ubique gen- tium accuſari; & quidem in præſenti Articu- lo, uti & tribus præcedentibus, attribui ſibi cum *hæreſi*, *blaſphemiam*, *& impietatem* Pro- poſitionis Janſenii quintæ. Nonne igitur mirabile eſt, quod nonniſi vanis contra eam clamoribus debacchentur, nihil interim pro- ferentes ex quatuor tomis *Obſervationum Mo- ralium*, vel ex ullo alio Queſnelli opere ido- neum, ſi quid habent, quo tantam amolian- tur infamiam? Neceſſe verò eſt, Catholico- rum omnium admirationem, & luctum cre- ſcere, dum vident, nè in ipſis quidem vindi- ciis, quas conſtat Queſnelli eſſe, aut ab Ipſo approbatas, quidpiam contineri, hæretico quintæ Propoſitionis Janſenianæ ſenſui con- trarium; ac proinde omnes iſtiuſmodi Apo- logias adeò non ſpem facere converſionis, ut potiùs obfirmatam ſignificent in hæreſi per- tinaciam. Si Scriptores apparere Catholici, & haberi ab Eccleſia ſeriò velint, cur non tandem aliquando utuntur clarâ aliquâ pro- feſſione orthodoxis paſſim Authoribus uſita- tiſſimâ, qua à damnata hæreſi ſecernantur? Iſtiuſmodi profeſſiones ſæpius indicavi: quòd Chriſtus non pro ſolorum Electorum ſalute mortuus ſit;ſed pro ſalute etiam reproborum: quòd non ſolis prædeſtinatis meritus ſit, & præparaverit media ſufficientia, quibus ſalu- tem reipſa conſequi poſſint, ſed etiam repro- bis: quòd ſanguis Chriſti non ſolùm ſit pre- tium ſufficiens ſalvandis omnibus, ſed etiam pro ſalute omnium omnino hominum obla- tus: quòd adulti, qui pereunt, non deſtituti fuerint omni gratiâ ſufficiente ſaltèm remo- tè, qua poteſtatem proximam, & completam procurare ſibi potuerint ad ſervanda præce- pta, peccata vitanda, & beatitudinem impe- trandam: denique ſalutis conſecutionem, in eorum, qui rationis compotes ſunt, libertate cum divina gratia conſtitui, ac totam ex eis perditionem eſſe, qui gratiis à Deo oblatis, inditiſque uti noluerint, quemadmodum po- terant, ad ſalutem.

5 En tot profeſſionis catholicæ modi, qui cum plurimis ſimilibus in omnium ordi- num, & ſcholarum libris editis frequentiſſi- mè occurrunt; ſed ex his nullus novis Augu- ſtini diſcipulis placet, qui de aſperſâ ſibi hæ- reſeos maculâ muliebribus ubique lamentis conqueri malunt, quàm ullum dogma hæreſi contrarium profiteri. Non quaſi profeſſioni- bus ipſi nullis ludant, & illudere conentur Eccleſiæ; ſed fraus ſubdola ab iis, qui in illo- rum artibus dignoſcendis aliquam operam poſuêre, facilè detegitur. Sic ubi Hexapla ad præcedentem Articulum convincere nos parant de fide Queſnelli, quaſi ab hæreſi, & errore remotiſſimâ,titulum hunc præmittunt, ipſis Queſnelli textibus comprobandum: *Pa- ter Queſnel docet, quòd Deus velit ſalvare omnes homines, & quòd* Jesus *Chriſtus ſit mortuus pro omnibus*. Qui verò Queſnellia- nam *de gratia traditionem* legit tom.3. par.2. cap.5. art.1.& 2. videt, voluntatem hanc Dei & Chriſti explicari per antecedentem pecca- tum Adæ, quæ poſt illud transferatur in vo- luntatem ſigni, quâ non omnibus hominibus adultis, aut fidelibus ſingulis præparet gra- tias, quibus ſalvari valeant, ſed tantùm ali- quibus,videlicet electis; reprobis autem qui- buſdam juſtitiam temporalem; quibuſdam ſo- lummodo gratias exteriores, ut ſunt inſtitu- tio Eccleſiæ, & Sacramentorum; ſed abſque ullo gratiæ auxilio, quo Eccleſiam poſſint, ſicut oportet, ingredi, aut Sacramenta ſalu- briter ſuſcipere. Unde ſalus his redditur impoſſibilis: qui ſenſus quoque Janſenii eſt, in Propoſitione quinta hæreſeos, impietatis, & blaſphemiæ cenſuris à Pontificibus no- tatus.

6 Cur autem, ſicut in titulo illo ponitur *Deus velle ſalvare omnes homines*; non etiam dicitur: *Chriſtus pro ſalute omnium hominum mortuus*? Poſterius nuſquam à Queſnel- lo aſſeritur; imò ſtudioſè cavetur, nè ſaltem verbotenus opponatur Janſenio: *Mors Chri- ſti*

Digitized by Google

Hi pro ſalute totius mundi faciliùs ab illo admittitur, ſubintelligendo non ſingulos, qui in mundo ſunt, ſed nationes, & genera ſingulorum, quod placuit etiam Janſenio: & cur ulli diſpliceat Prædeſtinatiano hæretico?

7 Saltèm hic, ubi *Obſervatio* impudens Romam audet laceſſere, nonne hæreſim diſſimulare callidiùs debuerat, neque tam apertè prodere, quòd non poſſint ſinguli fide certiſſima credere, Chriſtum eſſe pro ipſorum ſalute mortuum; ſed hoc tantùm *ſperare poſſint*, & *fiduciam de eo habere non expertem formidinis*, quemadmodum fiduciam quilibet habere poteſt, quòd ſit in numero prædeſtinatorum; ſed quantæ formidini, & erroris periculo ea ſpes, ſeu fiducia expoſita eſt! Sic nempe dum impuratum Queſnello ſenſum hæreticum à præſenti ſaltèm ejus Articulo Obſervator avertere conatur, aut hunc tenebris involvere; tamen imprudens ipſemet hæreſim prodit, cùm ait: *Quid igitur? Num cæteri, qui ad tam eminentem virtutis apicem provecti non ſunt, ſperare non poſſunt, neque confidere pro ſe mortuum eſſe Chriſtum? Miſera cavillatio! procul dubio fiduciam iſtam amittere nunquam licet; ſemper ſuperſunt ad eam motiva, etiam maximè ſceleratis*. Videt Lector qualis fiducia vulgò Fidelium concedatur? Sola Spes incerta, non Fides falli neſcia, quòd Chriſtus pro ipſis mortuus ſit.

Idem repetitur his verbis: *Inde fit, ut quis non ſolùm in communi credat, quod Chriſtus pro nobis mortuus ſit; ſed etiam ut fiduciam habeat, de hoc ſpecialem, & intimam, quæ etſi non omnem excludit formidinem* (nè Chriſtus fortè pro ipſo mortuus non ſit) &c.

8 Hic uſui venit ſapiens monitum Martini Steyaertii, apud Lovanienſes Doctoris præcipui, aliàs Arnaldo amici, & ab eodem Pariſiis excepti hoſpitio: ſed qui poſtea, deſertis Arnaldi Caſtris, ad Pontificios Theologos tranſiens, ab adverſariis vulgò *Frater apoſtata* appellatus eſt. Is explorata habens Janſeniſtarum molimina, inter artes ipſis familiares referre ſolitus erat, facilè negare detectum in lucubrationibus ſuis ſenſum hæreticum, quaſi à ſe traditus non eſſet; ita tamen ut ſtudioſiſſimè ſimul declinent oppoſitum profiteri. Quapropter, inquiebat, dimittendi non ſunt cum iſtiuſmodi ſuis tergiverſationibus: ſed urgendi fortiùs, ut nunc ſaltèm, ſi Catholici apparere voluerint, ſenſum declarent imputatæ ſibi hæreſi contrarium. Hoc autem ſubterfugiunt, qui ſibi pro luce tenebras delegerunt. Nos itaque ſapienti Doctoris monito inſiſtentes, precemur adverſarios, quoniam aſſerunt Romanos Theologos, Cardinales, atque ipſum Summum Pontificem cum obedientibus ſibi Chriſtiani Orbis Epiſcopis, & Academiis, non intelligere, vel perperàm interpretari Articulum Queſnelli 33. quaſi accederet ad ſenſum hæreticum in Propoſitione quinta Janſeniana condemnatum; edicant nunc ſaltèm candidè; an juxta Queſnellum, & ejus ſocios, quilibet poſſit Fide divinâ credere, atque adeò fiduciâ falli neſciâ, applicando ſibi dictum Apoſtoli, prædicare de Chriſto: *Qui dilexit me, & tradidit ſemetipſum pro me*; non ſolùm pro obtinendis mihi beneficiis quibuſdam temporalibus; ſed beatitudine etiam æternâ. Hic lapis Lydius: hic finis querelarum eſto. Sed tam catholicam declarationem ab adverſariis non expecto, utpote tot præcedentibus Articulis, & toti Janſeniano, atque Queſnelliano de gratia ſyſtemati nimis contrariam.

9 Evidens interim manet, damnatum Articulum, ſive conſideres cum circumſtantiis Authoris, & totius operis, atque omnium ab ipſo aliàs editorum, ſive accipias ſecundùm verba ab omnibus præciſa circumſtantiis, uti ſonant in ſenſu obvio, non de Divina agere prædeſtinatione; ſed de morte Chriſti pro ſalute hominum, non ut erant ante primi hominis peccatum, ſed uti ſunt modò contractâ originis maculâ, & propter eam obnoxii damnationi. Pro hac ab omnibus, & ſingulis hominibus avertendâ Dei Filium veniſſe, omnes hactenus credideramus catholici: Queſnellus autem veſtigia ubique ſequens Janſenii nos nimiæ credulitatis, & fiduciæ arguens, *Proh quantum*, inquit, *oportet bonis terrenis, & ſibimetipſi renuntiaſſe ad hoc, ut quis fiduciam habeat, ſibi, ut ita dicam, appropriandi Chriſtum* Jesum, *ejus amorem, mortem, & myſteria, ut facit S. Paulus, dicens: Qui dilexit me, & tradidit ſemetipſum pro me*. Ubi iſtud, *ut facit S. Paulus*, ſimilitudinem aliquam, non æqualitatem ſignificat. Quis enim Articulum legens non præoccupatus, exiſtimet Authorem hìc aliud non aſſerere, quàm oportere valde perfectum eſſe, ut quis fiduciam tam vivam, tam ſecuram habeat prædeſtinationis, & ſalutis, quàm habuerit Paulus? De prædeſtinationis, & ſalutis ſecuritate in Articulo nulla mentio eſt; ſed de Chriſti ſe ipſum pro nobis morti tradentis dilectione. Neque de æqualitate, vel inæqualitate amoris ejus erga electos, & reprobos agitur; ſed de amore ſimpliciter, morte, & traditione pro hominibus.

10 Hanc fuiſſe pro omnibus, & ſingulis, Eccleſia nobis hactenus perſuaſerat: nos fide id certiſſima credideramus; verùm perſuaſionem hanc velut erroneam, eximere nobis volens

Digitized by Google

lens Queſnellus jubet nos pari paſſu procedere, in fiducia prædeſtinationis ad ſalutem, & fiducia mortis Chriſti pro ſalute; unde,ſicut non exiguus in virtute profectus requiritur, ad fiduciam firmam de prædeſtinatione, profectum ſimilem in homine Queſnellus exigit ad fiduciam non fluctuantem de morte Chriſti pro ejuſdem ſalute. Hoc ſenſu Articulus à doctiſſimis denuntiatoribus intellectus indubiè, & accuſatus eſt: nec intelligi aliter meliùs potuit à Romanis Theologis, Cardinalibus, atque ipſo Summo Chriſti Vicario. Eumdem ſenſum in Articulo agnovère quadraginta Epiſcopi Galliæ in *Paſtorali inſtructione* nomine communi editâ, atque à pluribus dein aliis adoptatâ: neque veriſimile eſt, ſenſum alium Articulo tribui à cæterarum Regionum Epiſcopis, & Academiis, Sedis Apoſtolicæ judicium ſinè oppoſitione, vel exceptione ſequentibus. Denique ſic Articulus ſemper intelligetur ab omnibus, quibus ſermonis ſimplicitas, & proprietas, ac ſignificatio obvia placuerit, velut optima interpretandi regula; niſi ubi aliud ratio ſuadet, vel authoritas. At hic, ut abundè ſuperiùs monſtratum eſt, ſuadet prorſus nihil; neque circumſtantia libri, neque Authoris. Contra verò non ſolùm tres Articuli præcedentes; ſed plerique alii de Gratia, atque omnia Queſnelli de Auxiliis ſcripta, in eumdem ſenſum conveniunt.

CAPUT IV.

Oſtenditur impudentia Authoris Obſervationum in Conſtitutionem.

1 ENimvero, ut ex hactenus diſputatis liquet, & ut Adverſarius maleſanè exprobrat, non Conſtitutio, non Sedes Apoſtolica *patientiâ Fidelium abutitur*; ſed Queſnelli, & ſociorum ejus, in defendendis erroribus, etiam blaſphemis, impiis, hæreticis tam publica pertinacia, tam ſcandaloſa,& ſchiſmatica Eccleſiam perturbans univerſam, meritò ad indignationem omnes provocat. Utinam tandem non compellat Superos ad ultionem! Quod adverſarius addit de tam manifeſtâ damnati Articuli bonitate, ut *ſeipſa illico, & primo aſpectu approbationem extorqueat omnibus, quibus aliquis pietatis ſenſus eſt*, reſponſionem ſeriam non meretur, ſed contemptum; quis enim Lutheri, aut Calvini aſſecla, aut quis alius hæreticus de errore quolibet perverſiſſimo à Sede Apoſtolica, vel Synodo, etiam Oecumenicâ, damnato dicere id ipſum pari confidentia non poterit? Cui nempe hæretico nova ſua contra Eccleſiam dogmata non ſunt ſancta, ac penè Divini Spiritûs oracula? Thaliam ſuam ſic Arius orditur, teſte Athanaſio oratione 2. contra Arianos: *Secundùm Fidem Electorum Dei, Deo familiarium, puerorum Sanctorum, rectè ambulantium, qui Sanctum Dei Spiritum acceperunt, hæc ego ipſa condidici à conſortibus Sapientiæ, elegantibus Dei Diſcipulis, ac per omnia Sapientibus: horum per veſtigia veni ego, conſentiens illis, &c.*

2 Et ut vetera mittamus; famoſus nuper Frater Eugenius Brugenſis, tam Janſeniſta candidus, quàm impudens Quietiſta, utramque hæreſim, ut in gradu proximo cognatæ ſunt, jungere cupiens, *in ultima voce zelatricis innocentiæ* ait pag. 115. *Sicut* (Janſeniſtarum adverſarii) *per vafrè fabricatas quinque Propoſitiones, doctrinam Janſenii, Romæ procurarunt damnari, ut per latus Janſenii doctrinam S. Auguſtini à doctrina Janſenii reverà inſeparabilem arietarent, & dejicerent; ſic etiam fortaſſis multas Propoſitiones Michaëlis Molinos talibus terminis concepêre, quòd vix à poſitionibus fundamentalibus, à Sanctis Patribus Dionyſio Areopagita, Auguſtino, & aliis, ac Theologiæ myſticæ Doctoribus Bonaventura, Henrico Suſone, Taulero, &c: nobis propoſitis, diſtingui poſſint. Ita ut per condemnationem Molinos (quem aliqui magis infelicem, quàm nocentem autumant) & prætenſæ ejus doctrinæ, videantur voluiſſe eliminare illud parum, quod reſtat ſupernaturalis operationis Spiritûs Dei vivificantis. Sed quidquid conentur, quidquid machinentur, quidquid ſubdolè per ſe, & ſuos efficiant Patres Jeſuitæ, Spiritus, illis frendentibus, ubi vult, ſpirabit.* Spiritus ſcilicet Quietiſmi, & Janſeniſmi, ſpiritus hæreſeos, rebellionis, & ſchiſmatis. Infelix quidem, non adeò tamen falſus augur fuit Frater Eugenius; ſi prædictio ad hæc tempora referatur. Nonne tali afflatus ſpiritu, alter *Candidus*, & *Candidorum* Janſeniſtarum Princeps Ægidius nuper poſt *panegyrim Janſenianam*, cum pluribus eam ſecutis *Apologiis*, edidit *Apologiam novam pro ſancta doctrina Cornelii Janſenii Epiſcopi Iprenſis*?

3 Plurimos Janſeniſtarum libros, & errores Sedes Apoſtolica condemnavit: ullane unquam condemnatio, judicio Queſnelli, & ejus ſodalium juſta fuit; ulluſne liber non pius, ullane opinio non ſancta? Vix prodierat Conſtitutio Unigenitus contra 101. Queſnelli Articulos, ſtatim contra eam proſiliit ſat notus audaciâ Scriptor in Belgio, qui *Monitum ad plebem fidelium* ſic orditur Dilecti in Christo: *Tranſmiſſa nuperrimè Romà venit Conſtitutio. Quæ procul du-*

bio

bio multis Fidelium mirabilis apparebit, utpote cujus ſcopus videtur, omnia ſanctiſſimæ Religionis noſtræ, & Chriſtianæ pietatis fundamenta ſubvertere, hominem miſerum ſubtrahere divinæ gratiæ, & æternam illi promittere beatitudinem; poſtquam abſque Fidei lumine, abſque Chriſto, abſque Deo, ejuſque amore, vitam duxerit.

4 Non minùs judicio Queſnelli, & Arnaldi in religionem, & pietatem impegerat Decretum Alexandri VIII. feriens Articulos 31. de quo ſic Arnaldus, in difficultatibus propoſitis Doctori Steyaert parte 9. pagina 129. *Plures ſunt in hoc Decreto Propoſitiones, quarum cenſuram non alio fine poſtularunt earum delatores, quàm ut præcipua Chriſtianæ Ethicæ fundamenta ſubruerent.* Queſnellus in epiſtola nomine *Abbatis ad quemdam Romanæ Curiæ Prælatum* typis edita pag. 11. ait: *Quod attinet ad 31. Propoſitiones, indubiè miraris, quòd notatæ ſint cenſurâ: clarum eſt enim, pleraſque habere ſenſum bonum. Quanquam dari poſſit ſenſus malus, & obnoxius cenſuræ; id tamen non fieret, niſi vi illata verbis; & certum eſt, ac toti Orbi notorium, ſenſum hunc à nemine fuiſſe traditum.* Pag. 52. *Contra hoc Decretum magni aliquid audendum eſſet; ſed quia Curia Romana exigeret ſibi fieri ſatis, conſultiùs eſt nihil omnino agere, & Decretum contemnere.*

5 Quid niſi ſanctum, & pium Michael Bajus juxta Janſeniſtas docuit? Gabriel Gerberon Queſnello non carcere nuper ſolùm, ſed etiam ſenſibus conjunctiſſimus, in Opuſculo, cui titulus *Phantaſma Bajaniſmi* pag. 15. ait: *Articulos ſingulos*, (à S. Pio V. Gregorio XII. & Urbano VIII. damnatos) *facilè percurrere poſſem ... ac per ſingulos demonſtrare genuinum Michaelis Baji ſenſum non eſſe alium ab Auguſtini, aliorumque Patrum doctrinâ, ideoque illum non fuiſſe in 76. Articulorum cenſurâ damnatum; ſed etiamnum ceu fidei conſentaneum à ſefactatioris doctrinæ Theologis defendi.*

6 Clemens IX. anno 1668. Rituale Alectenſe condemnaverat tanquam *Non ſolùm continens nonnulla à Rituali Romano aliena; ſed etiam doctrinas quaſdam, & propoſitiones falſas, ſingulares, in praxi periculoſas, erroneas, & conſuetudini in Eccleſiâ communiter receptæ, atque Eccleſiaſticis Conſtitutionibus oppoſitas, & repugnantes.* Quid ad hæc Arnaldus? *In difficultatibus propoſitis Doctori Steyaert*, parte 9. pag. 48. *In materia condemnationis librorum*, inquit, *nihil magis peregrinum deprehenditur, quàm confixio inſtructionum Ritualis Alectenſis.... liber hic continebat collectionem omnium, quæ Epiſcopo iſti piiſſimo, & ſanctiſſimo zelus ſuus, & conſcientia dictaverat, maximi momenti ad fidelem ſacrorum myſteriorum adminiſtrationem, quorum ſe à Deo conſtitutum diſpenſatorem noverat. Inſtructiones illæ legi nequeunt, quin ubique ſe prodat lumen, unctio ſpiritûs, ubi & doctrina moralis tam pura, ut percellere valeat omnes, qui vel rudem obligationis Evangelicæ notitiam conſecuti ſint. Quis credidiſſet talem librum unquam condemnari potuiſſe?* Ita Arnaldus, cui tunc ferè octogenario operam indubiè contulit Queſnellus adjutor ſtudiorum domeſticus, cujus vulgatiſſima ſententia eſt in Epiſtola jam relatâ Abbatis ad quemdam Romanæ Curiæ Prælatum. Pag. 20. *Optimi libri in maximo periculo ſunt, nè configantur.* Et in *Epiſtola Eccleſiaſtici de mente S. Auguſtini circa authoritatem Pontificis* pag. 1. *Unum Decretum Indicis, una Feria quinta; imò una Feria quarta, nobis è manibus eripit libros optimos, & ſaluberrimos.* Pag. 29. *Per Decreta Indicis ſæpe concutiuntur veritates, & certiſſima religionis dogmata.* Denique Romana cujuſcunque operis, aut dogmatis condemnatio, niſi Janſeniſtarum Adverſarios feriat, Queſnello, & ejus ſociis videtur ſufficere, ut lucubratio, & doctrina ſancta ſit, ejuſque contra Sedem Apoſtolicam patrocinium ſuſcipiant.

7 Non miremur itaque Queſnello, vel ejus vindici in *Obſervationibus* adversùs Conſtitutionem UNIGENITUS, Articulum 33. *Eſſe bonitatis tam conſpicuæ, ut ſe ipſâ illico, & primo aſpectu, approbationem extorqueat omnibus, quibus aliquis pietatis ſenſus eſt.* Iſtiuſmodi Janſeniſtarum ſycophantiæ pridem aures noſtræ, & oculi aſſueverunt. Profectò ſi Articulus ſit ſanctitatis tam eximiæ, & perſpicuæ, miſera, & planè mirabilis hic Catholicorum omnium, & totius Chriſtiani orbis Antiſtitum cæcitas eſt, paucos forſitan in Gallia ſi exceperis. Cæteri nempe omnes cum fideli populo Epiſcopi, cum Romanis S.Officii Conſultoribus, cum aliis in conſilium adhibitis variorum ordinum graviſſimis Theologis, cum Cardinalibus, atque ipſo Sanctiſſimo Pontifice CLEMENTE XI. in tam eximia Queſnelliani Articuli Sanctitate (velut luce nimia debiles oculos offuſcante) nihil viderint. Et quidem quod Adverſario intolerabilius eſt, Articulus *ſtatim ſe ipſo, & primo aſpectu approbationem extorquere* non ſolùm non potuit; ſed poſt examen maturum, & diligens, apparuit condemnandus. Si indè pergat OBSERVATOR concludere nos, & Summos illos Eccleſiæ Principes cum fidelibus omnibus Supremi vocem Paſtoris ſequentibus, eſſe virtutis omnis penitùs expertes, nec *minimum habere ſenſum pietatis* conſolabitur nos S. Gregorius in cap. 15. Job. de hæreti-

reticis dicens, *Nullum exiſtimant timorem Domini habere, niſi eum, quem potuerint ad ſuæ confeſſionis ſtultitiam trahere.*

Si Juliano credimus, adeò procul ab omni pietatis ſenſu aberat Auguſtinus, ut eum diceret *Manichæum, Sacramentorum Eccleſiæ contaminatorem, ſacrilegum, impudentem Numidam, levitate turpiſſima concitatum, iis compellandum modis, quibus in parricidam publicum eloquens Conſul infremuit.* Videri hæc, & plura ſimilia apud Auguſtinum poſſunt lib. 1. Operis imperfecti à num. 9. uſque ad 23. Reſpondit autem Auguſtinus num. 14. *Hæc quidem dicis, ſed tu dicis; qui autem legit, & intelligit, ſi non Pelagianus eſt, non hæc dicit.*

8 Eadem ratione reſpondebimus OBSERVATORI, hæc quidem dicis, ſed tu dicis; qui autem legit, & intelligit, ſi non Janſenianus eſt, non hæc dicit. Joannes quidam Caſtri-veteris à Wickleffiſtis circumventus, tanquam ſi primum ab ipſis pietatis ſenſum hauſiſſet, dicere conſueverat: *Nunquam ante iſtam doctrinam ceſſavi peccare; quomodo tamen ab iſtis Wickleffiſtis tantum addidici?* Cui aptè repoſuit Waldenſis tom. 1. doct. 7. *Væ mihi, ſi tot ſanctis, & immaculatis viris, quot quotidie videmus prædicare, neglectis, etiam Scripturis Sanctis, & ipſius dictis Chriſti Sacris, aut poſtpoſitis, aut contemptis, nulla mihi gratia eſt emendare commiſſum, niſi priùs audiam diabolum prædicantem,* & retruſæ ad inferos doctrinæ conſentiam.

9 S. Cyprianus Epiſt. 52. ad Anton. „ Non „ poſſunt, inquit, laudare nos, qui uobis diſ- „ plicentes, & contra Eccleſiam rebelles, „ ſolicitandis de Eccleſia fratribus vehe- „ menter inſiſtunt. „ Janſeniſtis itaque, cæteriſque hæreſeos præconibus aptabimus, quod in Novatianum ſcripſerat idem Sanctus, lib. contra Novatianum in principio: „ Nos „ autem, fratres dilectiſſimi, non moveat, aut „ turbet hæreticorum perfidorum abrupta „ dementia, qui cùm in tam ingenti diſſen- „ ſionis, & ſchiſmatis crimine conſtituti, & „ ab Eccleſia ſeparati ſint, ſacrilega temeri- „ tate non dubitant in nos ſua crimina retor- „ quere; cùm ſint enim à ſemetipſis nunc fa- „ cti immundi ſordibus ſacrilegis inquinati, „ hoc nunc nos eſſe contendunt, & cum ſcri- „ ptum ſit, canes foris remanſuros.... ra- „ biem ſuam non ceſſant latratibus excitare, „ luporum more tenebroſam caliginem op- „ tare, qua facilè poſſint ferina ſua crudeli- „ tate oves à Paſtore direptas ſpeluncâ te- „ nebroſâ laniare. „

10 Minùs miror *Obſervatorem*, omnem *pietatis ſenſum* ad ſe, ſuoſque damnati Articuli approbatores tranſtuliſſe, quando apud Hieronymum legitur Pelagius in unam ferè ſui ſectarricem mulierem retuliſſe omnem juſtitiam. Ita S. Doctor lib. 3. cont. Pel. cap. 5. Inducens hæreticum fœminæ adulantem: „ O te felicem nimiùm, ò beatam, ſi juſtitia, „ quæ eſſe jam nonniſi in Cœlo creditur, „ apud te ſolam inveniatur in terris! „ Quanquam & ad alios hæreſi ſuâ initiatos ibidem Pelagius juſtitiam derivarit: „ Ille enim „ (inquiebat) meritò ad Deum extollit ma- „ nus, ille preces bonâ conſcientiâ fundit, „ qui poteſt dicere: Tu enim noſti Domine, „ quàm Sanctæ, quàm innocentes, quàm „ puræ ſint ab omni fraude, & injuriâ, & ra- „ pinâ, quas ad te expando manus, quàm ju- „ ſta, quàm immaculata labia, & ab omni „ mendacio libera, quibus tibi, ut mihi mi- „ ſerearis, preces fundo. „ Ad quod Hieronymus „ Chriſtiani eſt hæc, an Phariſæi „ ſuperbientis oratio, qui etiam in Euange- „ lio loquebatur, gratias ago tibi, Domine, „ quia non ſum ſicut cæteri hominum? „ Verè Janſeniani non ſunt ſicut cæteri hominum, abrogant Chriſtianis omnibns omnem *pietatis ſenſum*, niſi contra Sedem Apoſtolicam caput erigentes, damnato Articulo ſuffragentur. Quemadmodum Philippus Melancthon inſaniens in præf. Tom. 2. Operum Lutheri, ajebat reſpexiſſe Chriſtum ad Lutheri doctrinam, cùm dixit: *Si quis diligis me, ſermonem meum ſervabit*, ita juxta Queſnelli defenſorem, quicunque Chriſtum diligit, cuicunque aliquis pietatis ſenſus eſt, ſermonem Queſnelli in præſenti Articulo approbabit.

11 Rideret S. Cyprianus Epiſtola 69. ut aliàs Puppiani, ita & hic *Obſervatoris* exoticam religionem. Enumeratis Epiſcoporum, Martyrum, Confeſſorum, Virginum, Viduarum Sanctarum, Ordinibus ait: *Puppianus ſolus, inviolatus, ſanctus, pudicus, qui nobis miſcere ſe noluit, in Paradiſo, atque in Regno Cœlorum ſolus habitabit*: Ita ſolus Queſnellus cum ſui Articuli approbatoribus Cœlum incolet; quis enim rationis compos, *omni carens ſenſu pietatis* eò poterit aſpirare? In *Obſervatoris* igitur Tribunali arcentur à beatitudine omnes Chriſti fideles Paſtoris ſupremi judicio acquieſcentes: arcentur præcipuè cum ipſo Pontifice omnes Sedis Apoſtolicæ Adminiſtri, qui cenſuram adversùs Articulum ſuo ſuffragio promoverunt. Verùm miſsâ inaniſſimâ *Obſervatoris* jactantiâ, ſecuri dicimus CLEMENTI XI. quod Hieronymus Damaſo epiſt. 57. „ Ego Beatitudini tuæ, ideſt „ Cathedræ Petri communione conſocior: „ Super illam Petram ædificatam Eccleſiam „ ſcio: quicnnque extra hanc domum agnum „ comederit, profanus eſt: ſi quis in Arca

Noë

„ Noë non fuerit, peribit regnante diluvio:
„ quicunque tecum non colligit, diſpergit;
„ hoc eſt, qui Chriſti non eſt, Antichriſti eſt.

12 Dicimus & cum Hugone Etheriano lib. 3. de proceſſione Spiritûs Sancti cap. 10.
„ Æquum eſt, ratum habere, quod tanta
„ Eccleſia decernit, quod tantus Pontifex
„ annnntiat; qui autem primæ Sedis, imò to-
„ tius Orbis Præſuli reſiſtunt, Chriſti diſpo-
„ ſitioni reſiſtunt; &, niſi reſipiſcant, contu-
„ maciæ judicio plectentur. Quicnnque Chri-
„ ſti naviculam ſpernit, incautè navigat; &,
„ niſi plumbeas moles pervicacitatis abji-
„ ciat, influent maria.

13 Æquum pariter judicium eſt Goffridi Vindonicenſis Epiſt. 30. „ Eodem ſpiritu,
„ quo dictaute; & lex prima per Moyſen da-
„ ta eſt, & per Chriſtum ſecunda, S. Apoſto-
„ lica Sedes Canones dedit, & ipſo inſpi-
„ rante expoſuit. Si quis igitur Apoſtolicæ
„ Sedi in Canonum expoſitione contrarium
„ ſentit, non ſapit, quicnnque ille eſt; ſed
„ deſipit; non cultor, vel expoſitor divinæ
„ legis; ſed inſidiator, & oppreſſor indubi-
„ tanter agnoſcitur.

14 Apud Bedam lib. 3. hiſt. Angl. cap. 25. Oſuvio Regi Saxonum tribuitur non minùs ſapiens, quàm ſalubre, & religioſo Principe dignisſimum monitum de Romano Pontifice, quod ſit „ Oſtiarius, cujus obediendum eſt
„ ſtatutis, nè advenientibus ad fores Regni
„ Cœlorum, non ſit, qui reſeret, averſo illo;
„ qui claves tenere probatur.

CAPUT V.

Expenditur Queſnelli Proteſtatio.

1 Queſnellus in proteſtatione pagina 141. conqueritur, ſibi à quadraginta Galliæ Epiſcopis *Paſtoralis inſtructionis* Authoribus
„ per calumniam adſcribi, quaſi doceat
„ Deum non velle ſalvare, niſi ſolos electos,
„ & quidem voluntate, quam Scholaſtici an-
„ tecedentem appellant; Chriſtum quoque
„ non eſſe mortuum pro omuibus homini-
„ bus, quemadmodum Paulus, & Tridenti-
„ num Concilium tradunt. Tota hæc (inquit)
„ accuſatio alieniſſima à veritate eſt: ſincerè
„ credo Chriſtum pro omnibus mortuum
„ fuiſſe, ſicut defunctus Meldenſium Epiſco-
„ pus oſtendit, atque à me demonſtratum
„ eſt, in *Explicationibus Apologeticis*, *Docu-*
„ *mentis*, & ubicunque apparuerat opportu-
„ num. Quidquid Scriptura, quidquid tra-
„ ditio docent, de voluntate Dei, & morte
„ Chriſti pro ſalute hominum, recipio, eique
„ prorſus candidè ſubſcribo ſenſu Apoſtoli,
„ Auguſtini, & aliorum Patrum: neque aliud
„ rejicio, quàm conſecutiones falſas, quas
„ indè eliciunt Moliniani, pro ſuo dogmate
„ de gratiis, quas tribuunt omnibus, & qui-
„ dem reipſa ſufficientes, excluſâ gratiâ ex
„ ſe efficaci, quam cum Auguſtinianis, &
„ Thomiſtis credo ad omnia Chriſtianæ pie-
„ tatis opera eſſe neceſſariam. „

Ita Queſnelli *Proteſtatio*, dolo plena, & hæreſim fruſtrà vocibus in ſpeciem Catholicis occultans. Quod enim Deum ſtatuat volentem ſalvos facere ſolos electos, ſive ſalvandos, articuli ejus complures terminis clariſſimis propalant, & ex totius ejus doctrinæ ſyſtemate adeò manifeſtum eſt, ut talpis cæciores eſſe oporteat, qui non videant. Quid enim aliud ſibi vult Articulus 12. *Quando Deus vult ſalvare animam, quocunque tempore, quocunque loco, effectus indubitabilis ſequitur voluntatem Dei?* Quid iſtud eſt, niſi Deum velle ſalvare ſolos certiſſimè ſalvandos, ſive quorum ſalus indubitabilis ſequitur voluntatem Dei? Evidens eſt ſolis iſtud competere prædeſtinatis.

2 Confirmat id lucidiſſimè Art. 30. *Omnes, quos Deus vult ſalvare per Chriſtum, ſalvantur infallibiliter.* Sunt nè in hac Dei voluntate aliqui extra numerum Electorum? idem traditur Art. 13., 31., 32., ut prætermitram 33., de quo præſens controverſia eſt. Et quidem integra Queſnelli de gratiæ auxiliis doctrina illuc toto impetu concurrit.

3 Ordiamur ab Art. 2. Jesu *Chriſti gratia, principium efficax boni cujuscunque generis, neceſſaria eſt ad omne opus bonum: abſque illa non ſolùm nihil fit, ſed nec fieri poteſt*: igitur in omni rationis compote, qui ſinè actu bono, ſaltèm fidei, non ſalvabitur, actus ſalutifer, quo ad ſuperos deducendus eſt, ſinè gratia efficaci non ſolùm non elicitur, ſed nec elici poteſt. Adeòque Deus gratiam efficacem ſubtrahens, non vult, ut ad ſalutem homo perveniat, aut pervenire poſſit.

4 Art. 3. *In vanum, Domine, præcipis, ſi tu ipſe non das quod præcipis*: In vanum itaque, Domine, præcipis, ut in mandatis tuis perpetuò ambulemus, ut ad Agni Nuptias accedamus, ut ſalutem noſtram cum timore, & tremore operemur; ſi tu ipſe non das per efficacem gratiam, quod præcipis. Hanc autem pro vitæ termino non concedis, niſi ſalvandis, atque adeò ſolis Electis. Cæteris itaque in vanum præcipis operationem ſalutis, utpote impoſſibilem cuicunque illam reipſa non dederis. Non igitur eam reproborum ulli ſeriò voluiſti.

5 Art.4. *Ita, Domine; omnia poſſibilia ſunt ei, cui omnia poſſibilia facis, eadem operando in illo*. Unde nulli finalis juſtitia, ſeu perſeverantia, & ſalus eſt poſſibilis, niſi cui poſſibilem feceris, eamdem reipſa operando. Certiſſimum autem eſt, te illam operari in ſolis Electis: Aeque hinc, nec minùs perſpicua neceſſitate fluit conſectarium, te ſalutem non velle ullius extra numerum Electorum. Non enim volueris, aut velle ſapienter poteras rem impoſſibilem; qualis, Queſnello Judice, ſalus eſt in omnibus, in quibus eam non efficis, non operaris.

6 Art.5. *Quando Deus non emollit cor per interiorem unctionem gratiæ ſuæ, exhortationes, & gratia exteriores non inſerviunt, niſi ad illud magìs obdurandum*. Solorum Electorum cor emollit Deus unctione gratiæ ſuæ finalis, & actualis ſuæ perſeverantiæ, ſinè quâ ſi *exhortationes, & gratia exteriores non inſerviant, niſi ad illud magìs obdurandum*; cùm gratia interior ſufficiens, præterquam efficax, juxta Queſnellum nulla ſit; quomodo poteſt Deus ullius reprobi ſalutem voluiſſe, cui nullum ſufficiens medium præpararit? Inſtituit quidem Eccleſiam omnibus patentem; inſtituit, & Sacramenta fontes gratiarum: & mittit quaquaverſus Euangelii præcones, tot hortatores ad fidem, & pœnitentiam, tot Sacramentorum promptiſſimos Adminiſtros; ſed gratiæ iſtæ exteriores ſunt, quæ, ſi *Deo non emolliente cor per unctionem gratiæ ſuæ, non inſerviant, niſi ad illud magis obdurandum*, quo modo, quo medio, ſalus redditur ulli reprobo rationis compoti poſſibilis? Non efficaci gratia, quâ certiſſimè deſtitutus eſt: non alia ſufficiente, quæ ab authore non agnoſcitur: non inſtitutione Sacramentorum, aut cujuſcunque alterius gratiæ exterioris, quæ, abſque interiore efficaci, adeò ad ſalutem utilis non eſt, ſi Queſnello credimus, ut pernicioſa potiùs ſit, & ab ea magìs impediat, utpote non *inſerviens, niſi ad cor magìs obdurandum*.

7 Art. 9. *Gratia Chriſti eſt gratia ſuprema, ſinè qua confiteri Chriſtum nunquam poſſumus, & cum qua nunquam illum abnegamus*. Si omnis Chriſti gratia, ſinè qua confiteri Chriſtum nunquam poſſumus, ſit ſuptema, & cum qua illum nunquam negamus, patet illam lethiferè delinquentibus non adeſſe. Si, & ſinè ea Chriſtum confiteri non poſſumus; uti confeſſio Chriſti, ita, & quicunque actus ſalutem adferens, redditur impoſſibilis. Atqui reprobi omnes ſub vitæ terminum, à quo felix, vel infelix pendet æternitas, gratiâ illâ ſupremâ deſtituti ſunt. Finalis itaque juſtitia, & ſalus juxta Queſnellum omnibus illis impoſſibilis eſt. Neque aliud toto vitæ tempore unquam ipſis auxilium obtigit, quo ſalutem ſibi poſſibilem redderent; tale ſiquidem non eſt abſque actuali gratiâ; hac autem nullus unquam abutitur, neque abuti poteſt, juxta Art. 10. *Gratia non eſt aliud, quàm voluntas omnipotentis Dei, quam nihil impedire poteſt, aut retardare*. Ergo reprobi omnes caruêre gratiâ, qua ſalutem conſequi poſſent; quam aliàs obtinuiſſent infallibiliter. Quis enim datam à Deo in hunc finem gratiam abjiciat, ſi ea ſit *operatio manûs omnipotentis Dei, quam nihil impedire poteſt, aut retardare*?

8 Eodem tendunt Propoſitiones Queſnelli cæteræ uſque ad 26., & ex aliis in Conſtitutione ſequentibus non paucæ. Quibus igitur præſtigiis nos deludendos ſperat adverſarius; ut non videamus, quàm procul remotus ſit à ſtatuenda in Deo vera voluntate, erga ſalutem etiam reproborum hominum, & ſimiliter ab aſſerenda pro iis morte Chriſti, ut ab Eccleſia Catholica creditur, & credendum profeſſionibus fidei ſtabilitur? Exigunt illæ, ut non fiduciâ Janſenianâ, & errori obnoxiâ, ut Queſnellus ſuperiùs; ſed inconcuſsâ fidei certitudine credamus, & profiteamur ſinguli: Filius Dei propter me, & propter meam ſalutem deſcendit de Cœlis, & homo factus, paſſus, ac mortuus eſt; adeôque ex Chriſti meritis in poteſtate mea poſitum eſt cum Divina gratia, quæ nemini penitùs denegatur, ſervare præcepta, vitare peccata, & ad æternam me beatitudinem promovere.

9 Ludum, quem adverſarius parat circa voluntatem antecedentem, ſuperiùs deteximus. Non aliam ſcilicet admittit, quàm quæ etiam Janſenio placuit, *antecedentem peccatum Adami*, quam, & eamdem eſſe ait cum *voluntate ſigni* in Traditione Eccleſiæ de gratia Tom.3. parte 2. cap.5. Art.1. Et mox illic Art.2. idem aſſerit de voluntate Chriſti: addens ſolummodo, quod neque Janſenius negavit, voluntatem illam antecedentem in hoc differre ab ea, qua Deus afficitur erga ſalutem dæmonum, quod nihil his mediorum reliquum fecerit quo ullus eorum Deo valeat reconciliari; hominibus verò etiam reprobis, quandiu ad inferos detruſi non ſunt, pateat ſinus Eccleſiæ, & Sacramenta fontes uberes gratiarum, omnibus præſtò ſint; quin, & reproborum plurimis ſubinde gratiæ conferantur, & juſtitia temporalis.

10 Nihil illorum Janſenio adverſatur; ſed neque hæc ſimul omnia ſufficiunt, ut Janſenii, & Queſnelli ſenſus anathemati ſubducatur, quod Propoſitioni Janſenianæ quintæ

à tot

à tot Pontificibus inflictum eſt. Omnes illæ Conſtitutiones exigunt, exigunt & Symbola fidei Nicænum, S. Athanaſii, & Alexandri VII., exigunt denique Scripturæ Sacræ, & vniverſa Patrum Traditio, ut Deo, & ejus filio Jesu Chriſto tribuatur voluntas erga ſalutem omnium hominum, quales ſunt modò, etiam poſt lapſum Adæ, & propagatum in poſteros originis peccatum. Voluntas autem hæc non debet eſſe *ſigni* ſolummodo, quæ non niſi impropriiſſimè voluntatis nomine appellatur, non præparans media ad finem intentum ſufficientia; Sed ea ſtatuenda eſt voluntas vera, & ſeria, quæ beneplaciti dicitur, inefficax quidem intuitu finis, qui eſt ſalus, efficax tamen quantum attinet ad præparationem mediorum, ad finem ſufficientium.

11 Mortem Chriſti pro ſalute ullius reprobi non patitur Articulus 31. *Deſideria Chriſti ſemper habent ſuum effectum: pacem intimo cordium infert quando eis illam optat*. Effectus enim deſiderii volentis ſalvare hominem eſt directiſſimè ipſa ſalus. Unde ſi deſideria Chriſti ſemper habeant ſuum effectum, evidens eſt, Chriſtum non alios velle ab æterna morte redimere, quàm qui reipſa à morte perpetua liberantur; quod nulli obtingit reprobo: atque ita reproborum neminem Chriſtus ab æternis voluit liberare ſuppliciis, nullum tranſcribere Cœlo, & beatitudini.

12 Pudendam Queſnelli fallaciam abutentis vocibus Catholicis in ſenſu minimè Catholico, convincunt Articuli ejus vigeſimus ſextus, 27. 28., & 29. Catholici enim agnoſcentes, Deum velle omnes homines ſalvos fieri voluntate antecedente, non intelligunt de voluntate nudæ complacentiæ, qualis etiam juxta Janſenium eſt erga ſalutem dæmonum, & damnatorum, quatenus eorum ſalus in ſe bonum eſt abſolutè poſſibile, licèt non in hypotheſi damnationis; non, inquam, Doctores Catholici tali in Deo voluntate pro viatoribus contenti ſunt, qualis damnatis nihil medii afferat, quo poſſint à cruciatibus liberari. Neque ſolam ſtatuunt voluntatem *ſigni*, pariter ſterilem, & nihil ex ſe medii conferentem. Sed voluntatem profitentur, quam *beneplaciti* Scholæ nuncupant, & quæ media præparat ad finem ſufficientia.

13 Ducem hìc omnes ſequuntur Angelicum, contra gentes cap. 159. dicentem: *Deus quantùm in ſe eſt, paratus eſt omnibus gratiam dare; vult enim omnes homines ſalvos fieri*. Et in Epiſtola 1. Cor. cap. 1. lect. 1. *Non videretur eſſe fidelis Deus; ſi nos vocaret ad ſocietatem Filii, & nobis denegaret, quantum in ipſo eſt, ea per quæ pervenire ad eum poſſemus*. Queſnellus autem fingens, ſe Deo concedere voluntatem ſalvandi omnes homines, ut in Scholis Catholicis traditur, contra Scholas omnes longè maximæ hominum multitudini gratiam omnem denegat, ſinè qua ad Deum pertingere impoſſibile eſt. Nam Art. 26. *Nullæ dantur gratiæ, niſi per fidem*. 27: *Fides eſt prima gratia, & fons omnium aliarum*. 29: *Extra Eccleſiam nulla conceditur gratia*. 28: *Prima gratia, quam Deus concedit peccatori, eſt peccatorum remiſſio*. Quis enimverò dubitat, quin numerus infidelium extra Eccleſiam, & in peccatis morientium, qui nè temporalem quidem unquam juſtitiam adepti fuerint, plurimùm ſuperet numerum Electorum? Ecce itaque ſalutem pleriſque mortalium impoſſibilem: & tamen Queſnellus ad fallendam Eccleſiam mentitur, ſe admittere voluntatem à Theologis appellari ſolitam antecedentem erga ſalutem omnium hominum, Chriſtum ſufficienter pro omnibus mortuum; ſe profiteri omnia, quæ Eccleſia credit; Sola ſe excludere conſectaria quædam ex communi dogmate à Moliniſtis, ut ait, perperàm deducta: de gratiâ videlicet conceſſâ omnibus adeò ſufficienti, ut alia ex ſe efficax non requiratur.

14 Mendacium illud ad meridiani ſolis radios convictum eſt. Non enim in omnibus Articulis damnatis, quos jam retuli, ulla Molinianæ gratiæ mentio eſt; ſed terminis clariſſimis, generaliſſimis omnis prorſus gratia denegatur infidelibus, denegatur omnibus extra Eccleſiam, & ipſis in Eccleſia peccatoribus, quibuſcunque non obtingit reconciliatio. Negatur præterea omnibus hominibus, etiam juſtis, quoties delinquunt. Articulo enim 20. *Vera gratiæ idea eſt, quod Deus vult ſibi à nobis obediri, & obeditur: imperat, & omnia fiunt: loquitur tanquam Dominus, & omnia illi ſubmiſſa ſunt*. Num ſola excluditur Moliniana gratia Art. 19. cùm dicitur *gratia Dei nihil eſt aliud, quàm ejus omnipotens voluntas*? Num ulla Theologorum claſſis admiſerit, *hanc eſſe ideam, quam Deus nobis tradit in omnibus ſuis Scripturis*? Rurſus Art. 11. *Gratia non eſt aliud, quàm voluntas omnipotentis Dei, jubentis, & facientis quod jubet*. Quis hìc locus eſt gratiæ ſufficienti Thomiſticæ, Scotiſticæ, aut cujuſcunque Scholæ inter Catholicas? Non magis locus eſt in Art. 10. *Gratia eſt operatio manûs omnipotentis Dei, quam nihil impedire poteſt, aut retardare*: Non magis in nona: *Gratia Chriſti eſt gratia ſuprema, ſinè qua confiteri Chriſtum nunquam poſſumus, & cum qua nunquam illum abnegamus*. Neque ullius Scholæ Catholicæ gratiam ſufficientem tolerat Art. 4. *Ita, Domine; omnia poſſibilia*

lia ſunt ei, cui omnia poſſibilia facis, eadem operando in illo. Quis enim uſus eſſe poteſt ſufficienti gratiæ, ſi agendi non tribuat poteſtatem, ſed hæc ab efficiente auxilio expectanda ſit? Et ut plures alios prætercam Articulos, ad quid gratia ſufficiens ſerviet, ſi juxta Articulum 2. *abſque gratia efficaci non ſolùm nihil* (boni) *fiat, ſed nec fieri poſſit*?

15 Argumentum ſuperius S. Thomæ legitimum eſt apud omnes Catholicos: *Deus, quantum in ſe eſt, paratus eſt omnibus gratiam dare; vult enim omnes homines ſalvos fieri*, ſive, ut in forma ſcholaſtica exprimatur, *Deus vult omnes homines ſalvos fieri*. Ergo *Deus quantum in ſe eſt, paratus eſt omnibus gratiam dare*. Ex hoc ipſo Angelici conſequente non minùs ſolidè deducitur antecedens Apoſtoli: *Deus quantum in ſe eſt, paratus eſt omnibus gratiam dare*; ergo *Deus vult omnes homines ſalvos fieri*. Utrumque argumentum nullus non amplectitur Orthodoxus.

16 At nullus Queſnelli Articulus eſt, qui alterutri conſentiat: nullus ex iis, quos citavimus, eſt, qui non apertiſſimè repugnet. Aquinatem appello judicem; ipſius itaque aſſertioni tantiſper ſupponamus Queſnellianas: manente Angelici probatione, ut omnium oculis pateat, quàm idonea emerſura ſit concluſio. Videbis, Lector, utique ineptiſſimam. Art. 26: *Nullæ dantur gratiæ, niſi per fidem*. Art. 29: *Extra Eccleſiam nulla conceditur gratia*; Deus enim vult omnes homines ſalvos fieri. Nonne conveniens utrobique, imò ridicula ratio eſt? Art. 12. *Quando Deus vult ſalvare animam, quocunque tempore, quocumque loco, effectus indubitabilis ſequitur voluntatem*. Si junxeris Angelici rationem, Deus enim vult omnes homines ſalvos fieri, quid aliud intelligas, quàm omnes homines procul dubio ſalvari, perire neminem. Art. 13. *Quando Deus vult animam ſalvam facere, & eam tangit interiore gratiæ ſuæ manu, nulla voluntas humana ei reſiſtit*. Inferendum eſt: Ergo vel Deus non vult omnem animam ſalvam facere, quod eſt contra Apoſtolum, vel non tangit interiore gratiæ ſuæ manu ullum reprobum, quod eſt certiſſimè contra fidem; quia ſic omnibus reprobis, inter quos multi ſunt temporaliter juſti, eſſent præcepta, ſaltèm aliqua, impoſſibilia, deeſſet quoque illis gratia, qua poſſibilia fierent: Vel, ſi aliquos reprobos tangat interiore gratiæ ſuæ manu ſatis, ut ſalvari poſſint; ad ſalutem, juxta Articulum, provehentur, nulla reſiſtente hominis voluntate.

17 Plurimi ex Articulis, ut ſupra vidimus, ſtatuunt omnem gratiam efficacem, quam conſtat non obtingere omnibus; cujus proinde ratio inſaniſſimè redderetur; *Vult enim Deus omnes homines ſalvos fieri*. Singulis ſcilicet iſtiuſmodi Queſnelli Articulis adeò non favet locus Apoſtoli, ut eos funditùs peſſumdet; probat autem ſolidiſſimè ſententiam Aquinatis. Neceſſe igitur eſt, Doctorem ſanctiſſimum Queſnello minimè patrocinari; ſed damnatis ejus eſſe opinionibus infeſtum.

18 Quod de probatione Angelici oſtendi, eam Queſnellianis Articulis refragari, non minus de ejuſdem Sancti aſſertione manifeſtum eſt: *Deus quantum in ſe eſt paratus eſt omnibus gratiam dare*. Quam ſententiam cuilibet mediocriter Theologo ex hactenus à me diſputatis facillimum erit impugnatis hic Queſnelli erroribus opponere. Quod ipſe præſtarem operoſius, niſi inculcatione nimiâ, & ſubinde repetitione tædium vererer Lectoris.

CAPUT VI.

Quàm falsò Queſnellus aſſerat, Articulos ſuos ſolis Moliniſtarum placitis repugnare?

1 Ex deductis evidens eſt, damnatos Queſnelli Articulos de voluntate Dei, & morte Chriſti pro ſalute hominum, nihil commune habere cum doctrinâ Angelici, aut cujuſcunque Scholæ Catholicæ. Unde doctiſſimi ſcholarum omnium Magiſtri, qui ad examen adhibiti ſunt, eos facilè atro calculo notavêre; præcipuè Thomiſtæ, quos conſtat inter S. Officii Conſultores numero cæteris prævalere. Nihil prætermiſerat quidem Queſnellus, quo illis, dum examini incumberent, formidinem incuteret, nè ſuorum dogmatum condemnatio ſententiis illorum afferret præjudicium; ſed contempsêre illi facilè inaniſſimas importuni monitoris ſuggeſtiones, & umbratiles difficultates. Sic prima ac fortè præcipua Janſeniſtarum contra Conſtitutionem machina ab ipſis potiſſimùm Doctoris Angelici ſectatoribus dejecta, atque contrita eſt. Fallaciam, ſimulandi ſe ſoli Moliniſtarum ſufficienti gratiæ infeſtum, Queſnellus à Janſenio mutuatus eſt. Nam & is lib. 3. de Gratia cap. 1. ait: „ Quod ſi verò (inquit) ſic accipiatur, ut ſufficiens dicatur, ſicut à quibuſdam dicitur, „ quod ſatis eſt, ut homo dicatur poſſe operari, quamvis aliud adhuc neceſſarium ſit, „ ut de facto operetur, de ejuſmodi ſufficienti gratia non eſt hic noſtra controverſia;

Digitized by Google

„ ſia; talem enim ſufficientem fortaſſe non „ difficulter S. Auguſtinus admitteret. „ Attamen non admiſit Auguſtinus Batavus, vel Ipreſis. Sed libro 3. de Gratia Chriſti cap. 2. & 3. omne ſufficiens auxilium ab efficaci ſejunctum inter monſtra rejecit, dicens: „ Gratia ſufficiens videtur monſtrum quoddam ſingulare gratiæ, eſtque lapſorum reparationi inutilis, ad ſexcentos ſufficientiæ gradus aucta; ſolummodo peccatis faciendis, majorique damnationi accerſendæ ſervit: lapſis hominibus citra Dei invidiam damnandis à recentioribus ideo excogitata; quia putant culpæ reum neminem fieri, qui careat eam evitandi ſufficienti poteſtate. „

2 An hæc ſolum Molinæ auxilium ſufficiens, & non Catholicorum paſſim omnium impetunt? Hinc prodiit famoſa Joannis Sinnichii, & cæterorum Janſeniſtarum litania, ab Alexandro VIII. damnata, & ab Arnaldo Queſnelli Magiſtro domeſtico contra Sedis Apoſtolicæ ſententiam defenſa: *Gratia ſufficiens ſtatui noſtro non tam utilis, quàm pernicioſa eſt, ſic ut proinde meritò poſſimus petere,* A GRATIA SUFFICIENTI LIBERA NOS DOMINE. Quot ſatyris illi exagitare ſolent ſufficientem gratiam, maximè Thomiſtarum! Ludovicus Montaltius, ſeu Blaſius Paſchalis in 2. Epiſtola ad Provincialem per Galliæ urbes, & compita à Præconibus proclamari voluit: NOTUM OMNIBUS ESTO, CUM OMNIBUS ADESSE GRATIAM SUFFICIENTEM DOMINICANI DICUNT, ID EOS SIGNIFICARE VELLE, NON OMNIBUS ADESSE GRATIAM, QUÆ REVERA SUFFICIAT. *Hoc facto tum vobis* (Dominicani) *ſufficientis gratiæ buccinanda poteſtas fieret; at priùs nullo modo.* Tum concludit: *Hic noſtræ diſputationis finis; ex qua facilè cernes, hanc gratiam politicè tantùm ſufficientem, eſſe proximæ poteſtatis* (Thomiſticæ) *planè gemellam.* Quibus elogiis celebratur paſſim hic Janſenianarum partium heros, quibus plauſibus ubique excipitur theatralis momus, à Queſnello ſæpius tum defenſus, tum in patrocinium vocatus! Sufficiens autem Thomiſtarum gratia ideo *politicè ſufficiens* à Janſenii diſcipulis appellatur; quia, ipſis ad fallendos, ubi opus eſt, fideles, etiam Eccleſiæ Præpoſitos, cenſetur peridonea. Cùm enim eam exiſtiment minimè ſufficere, atque adeò nec ſalvare libertatem indifferentiæ, quam in lapſis hominibus cane pejus, & angue oderunt; ſed negare publicè periculoſum autumant, minùs illis diſplicet profeſſio gratiæ Thomiſticè ſufficientis, veluti larva, ſeu veſtis ſcenica, qua Thomiſtarum partes in pulpitis quaſi theatris agere, & apparere poſſint Catholici.

3 Sic ubi Atrebatenſis Epiſcopus, audiens Duacenos quoſdam Janſeniſmum in ſcholis tradere liberiùs, juſſerat eos deinceps in Tractatibus de gratiâ explicationes adhibere Thomiſticas; paruêre illi quidem utcunque in publico, ſenſibus tamen affixi ſemper Janſenianis, ut ſuis ipſi literis, & profeſſionibus convicti ſunt, pœnaſque Regi Chriſtianiſſimo dedêre exiliis mulctati. Sed quot Apologiis, lamentis, næniis clientes ſuos miſeros Arnaldus proſecutus eſt! Sic illic quidam Collegii, ſeu Seminarii Janſenianus moderator, antequam ſua, ſuorumque conſilia propalanda, imminentemque prævideret à Rege Chriſtianiſſimo vindictam, ad amicum ſcripſerat, ut ex documentis authenticis refertur in libello typis edito anno 1691. Gallicè hoc titulo: *Secrets ... decouverts*, ſive *Arcana detecta* pag. 40. „ Gratia ſufficiens hic facta eſt quodammodo neceſſaria: ſi ad actionem, cujus intuitu ſufficiens appellatur, reverà non ſufficiat, aliquatenus tamen ſufficit, ut nos ab inſidiis adverſariorum liberet; quidquid ſit, utor illo nomine, quàm poſſum rariſſimè, & ſemper ſolicitè addendo particulam alienantem IN SENSU THOMISTICO. „ Ita Comœdi iſti, Queſnellum imitati, ludunt in rebus maximè ſeriis, & illudunt omnibus ſtropharum iſtiuſmodi ignaris.

4 Suſpicatus tamen quod res erat, neſcio quis Catholicus novatibus infenſus, cenſuit ſe præſtiturum Deo, & Eccleſiæ obſequium, ſi ſerpentem clam, & plurimos enecantem novæ hæreſeos colubrum in medium protraheret, ferro, ac facibus proſternendum. Licitum ſibi duxit reddere fraudulentis hominibus vicem, & exitiales dolos elidere ſtratagemate. Finxit itaque ſe Antonium Arnaldum, & ſtudioſè conceptas ſeptem theſes Janſeniſmi nucleum continentes, novatoribus obtulit, ut eas authenticis coram Notario ſubſcriptionibus approbarent. Succeſſu aſtus non caruit: approbationes illi dedêre magnificas; quid enim novæ Eccleſiæ capiti devoti adeò ſubditi, ac diſcipuli denegarent? E Theſibus autem illis duæ potiſſimùm ad præſens pertinent inſtitutum. Secunda: „ Qui gratiam aliquam ſufficientem ab efficaci diſtinctam in hunc amiſſæ innocentiæ ſtatum invehunt, mirum quantùm ab Auguſtini mente deficiunt, qui naturæ integræ gratiam ſufficientem tantùm, lapſæ verò efficacem tantùm attribuit. Hæc ſi indubitata Auguſtini principia vel minimùm concutias, tota cœleſtis illius doctrinæ compages ſolvatur neceſſe eſt. Tertia: „ At, quid de gratia ſufficienti ſenſu Thomiſtico?

„ ſtico? Minùs diſplicet; quia, niſi hallnei-„ nari velis, particulam includit alienan-„ tem, & nebuloſo tempore occulendis gra-„ tiæ Euangelicæ myſteriis eſt peridonea. „ Interim cùm vox illa, & res voce expreſ-„ ſa purioribus Eccleſiæ ſeculis ignota fue-„ rit, illam meritò ex ſana Theologia rele-„ gandam judicamus. „ Quæ omnia, ſive materiem ſpectes, ſive eloquentiam, cum aliis epiſtolæ comitantis circumſtantiis, perſuaſere facilè, ut, licèt Authot non niſi duabus hiſce literis initialibus *A.A.* nomen ſuum exprimeret, non dubitaverint devotuli Janſeniſtæ, quin magni ſui Antonii Arnaldi ſpiritus, & quaſi oraculum in his omnibus loqueretur; unde duce Academiæ Cancellario, plures hoc elogio Theſibus ſubſcripsêre: „ Doctrina in ſuperioribus ſeptem the-„ ſibus contenta, per Apoſtolicam traditio-„ nem ad nos tranſmiſſa eſt, à Gratiæ Do-„ ctore D. Auguſtino tradita, & genuinum „ Romanæ Eccleſiæ ſenſum hac ſuper ma-„ teria dilucidè exponit; adeòque ab omni „ errore, erroriſque periculo eſt longè re-„ motiſſima. „

5 Alteri illic Arualdi, & Queſnelli diſcipulo ſatis non fuit, theſibus cum inſigni encomio ſubſcripſiſſe; niſi proprio marte componeret novam fidei profeſſionem, quam inſtar Symboli Apoſtolici, duodecim complexam Articulos ad ſibi benevolum direxit Antiſtitem, & quidem juramento ab initio confirmatam.

Illic Art. 1. „ Declaro (inquit) coram „ Deo, me inviolabili nexu adhærere omni-„ bus Domini Arnaldi ſententiis, quem „ amore, & veneratione majore ſemper, „ quàm omnes alios Theologos proſecutus „ ſum, ex quo Theologicâ ſcientiâ imbui „ cœpi. Eo duce confido, me in Auguſti-„ nianæ Doctrinæ penetralia ſecuriùs pro-„ greſſurum. „

Tum Paulò infra: „ Tertiò: Declaro „ coram Deo, me credere, quòd libertas „ indifferentiæ in natura corruptâ non ſit „ niſi chimerica, humano conficta ingenio, „ & inter cæteras Pelagianæ Philoſophiæ „ reliquias numeranda.

„ Quartò: Poſt Adami lapſum nullam „ eſſe gratiam ſufficientem; ſed efficacem ſo-„ lummodo: & Moliniſtarum hic ſententiam „ eſſe Semipelagianam, in congregationibus „ de auxiliis damnatam; opinionem verò „ Thomiſtarum eſſe exoticam, & meram „ ſtultitiam.

„ Quintò: Nos abſque gratia efficaci „ non ſolùm nihil boni facere; ſed neque „ poſſe; cogitationem verò contrariam eſſe „ Semipelagianam: denique hanc veritatem „ hauſtam eſſe ex quinque Articulis oblatis „ Alexandro VII., & ab eodem Pontifice „ approbatis.

„ Sextò: Prædeterminationem phyſi-„ cam, ut in Thomiſtarum Scholis exponi-„ tur, eſſe omnimodè contrariam Doctrinæ „ S. Auguſtini: ſolutiones verò ibi tradi ſo-„ litas per ſenſum compoſitum, diviſum, & „ indifferentiam judicii, eſſe meras cavilla-„ tiones, & tricas, quarum nè minimum qui-„ dem in Sanctis Patribus veſtigium eſt. „

6 Hæc profeſſio adeò videtur perſpicua, ut explicatione non egeat. Sex reliquos Articulos aliò ſpectantes prætereo. Aliquibus animadverſione dignum apparuit, quòd, ut Symbolum Apoſtolorum à profeſſione Dei Patris Omnipotentis Creatoris cœli, & terræ, initium ducit, velut à præcipuo Fidei Chriſtianæ Articulo, & fonte omnium cæterorum, ita Janſenianum ſymbolum à profeſſione incipiat *Domini Arnaldi*, ex quo fecundo novitatum latice ſequentes undecim ſcaturire Articulos manifeſtum eſt. Sub profeſſione autem Arnaldi ſubintelligendus eſt ſocius quoque ejus individuus Queſnellus, qui, ut *Petrus*, *& Paulus* à Janſeniſtis hæreticè ſtatuuntur *Duo Eccleſiæ capita quæ tantùm faciant unum*; ita veriſſimè cum Arnaldo, dum viveret, unum novæ Eccleſiæ verticem conſtituiſſe deprehenditur. Quod verò ad præſentem propiùs attinet controverſiam, ex his conſpicitur, quo ſenſu à Janſenianis, potiſſimùm Arnaldi, & Queſnelli clientibus, admittatur ad fucum ſimplicibus faciendum *Gratia Thomiſticè ſufficiens*, velut non re ſufficiens; ſed ſolo fallaci nomine; proinde ut *terminus alienans*, &, ubi confidentiùs loquuntur, *mera ſtultitia*.

7 Quæ tamen iiſdem mundi ſapientibus utilis eſt, ut hæreſim ſuam nebuloſo tempore ſub Catholicæ vocis velamine occultantes in ſcenam prodeant Thomiſtæ ludicri, & Catholicorum Antiſtitum, Principumque eludant vigilantiam. A gratiâ porrò *politicè ſufficienti*, & affectata paſſim hæreſeos diſſimulatione, appellantur *Janſeniſtæ politici*, quæ præcipua hodie Janſeniſtarum ſecta eſt, paucioribus, qui à Principe ſuo *Ægidio Candido* Janſeniſtæ *Candidi* dicti ſunt, nefandam aliorum deteſtantibus hypocriſim. Si autem gratia non alia admittitur *ſufficiens*, quàm impropria, *alienante* nomine ſignificata, & proinde non alia *indifferentiæ libertas*, quàm *chimerica*, ut Janſenianum fidei ſymbolum enuntiat, quod aliud intelligi poterit meritum, aut demeritum, quàm improprium, *alienans*, & *chimericum*? Quod aliud expectari præmium,

miun, & cœlum, quàm ejuſdem rationis fictitium, & impoſſibile, Calvini, Lutherique Sanctis peridoneum? Verùm Deus non irridetur, nec deludi, contemnique impunè patitur Eccleſiam.

8 Proſpiciant itaque adverſarii, ut tempore, & ſerò reſipiſcant; nè ſuæ ipſos pertinaciæ ſerò pœniteat, experturos alioqui non *ludicra*, non chimerica, non alienanris; ſed propriiſſimæ ſignificationis ſupplicia. Præſenti diſceptationi finem hic imponere decreveram, dum animadverto defuncti Meldenſis Epiſcopi Benigni Boſſuet authoritatem iterum nobis à Queſnello objici; quaſi is *Obſervationum Moralium* librum à damnato quintæ Propoſitionis Janſenianæ ſenſu vindicaverit. Quam ſcilicet obdurata eſt Queſnelli in defendendis erroribus contumacia, tam apparet ejus impudentia in detectis fraudibus, ac mendaciis identidem inſtaurandis minimè toleranda. Novit enim, quam hic redintegrat fallaciam, tum ab aliis ſæpius, tum à duobus Epiſcopis Lucionenſi, & Rupellenſi in documento Paſtorali anni 1711. fuiſſe publicè convictam.

Verba eorum ſunt. „ Eodem ipſo anno 1700. dum Clerus Gallicanus comitia ſua haberet, *Abbas Dambes* epiſtolam, tacito Authoris nomine, ad Illuſtriſſimum Epiſcopum Meldenſem ſcripſit, qua ei multa, & quidem acerba exprobrat, ſed præſertim illud, ex quo facilè intelligi poteſt, quàm fallaces ac perverſi ſint illi homines, qui hujus Præſulis authoritatem in gratiam *Obſervationum* obtendere hodie, & prædicare non dubitant: *Multos novimus*, inquit Abbas, *quibus dixiſti, quinque illas Propoſitiones* (Janſenii) *in libro Patris Queſnelli reperiri*. Tum addit: *Nec è memoria tua fortaſſe excidit, Illuſtriſſime Præſul, te nuper faſſum eſſe cuidam Archiepiſcopo, qui in Comitiis erat, puros, & apertos Janſenii errores hoc libro contineri*. Jam verò poſt teſtimonium tam apertum, tam clarum, præſertim profectum ab uno ex hujus factionis principibus, qui anno 1700. Illuſtriſſimum Epiſcopum Meldenſem incuſat, quod dixerit, ſe in libro *Obſervationum illas quinque Propoſitiones reperiſſe, ac puros, & apertos Janſenii errores*; quis non mirabitur, quis non execrabitur eorum malam fidem, atque audaciam, qui in lucem ediderunt librum hujus Præſulis ſcriptum anno 1699. quo *Obſervationes* commendantur, & ſimul aſſerere non dubitarunt in ipſa præfatione, *Illuſtriſſimum Epiſcopum Meldenſem eas Obſervationes in Novum Teſtamentum ſemper magni feciſſe*.

9 Defenſi ab Illuſtriſſimo Boſſuetio Queſnelliani libri hiſtoriam compendio aliàs perſtrinxeram: & quoniam importuna adverſariorum cogit temeritas, iterum repeto: Epiſcopus ille amicitiâ, & neceſſitudine junctus Eminentiſſimo Pariſienſium Archi-Præſuli, vehementer offenſus fuerat irreverenti quodam *Problemate*, contra eumdem edito occaſione prohibitæ *Expoſitionis fidei* Janſenianæ; anonymæ quidem; ſed cujus Author publicè innotuit Gabriel Gerberon. Quærebat Problematis Scriptor, cui credendum eſſet, Eminentiſſimo Noallio Pariſienſium Archiepiſcopo damnanti doctrinam traditam in *Expoſitione fidei*, an eidem Noallio aliàs Epiſcopo Catalaunenſi eamdem in *Obſervationibus Moralibus* approbanti?

10 Qui ſive Queſnello, ſive Cardinali Archiepiſcopo ab hac infamia vindicando præcipuè ſtudebant, excerpſère è 4. tomis *Obſervationum* quidquid Catholicum ſonare videbatur, circa præſentem de voluntate Dei, & morte Chriſti pro ſalute hominum materiam. Quæ ſententiarum collectio plurimis Janſenianarum artium ignaris perſuaſit, opus illud à Propoſitionis 5. Janſenianæ hæreſi immune eſſe: Et de me ipſo fateor, quod ex iſtiuſmodi laciniis, antequam librum legerem, in benigniorem ejus quoad textus aliquos propenderim interpretationem. Inde quoque facilè contingere potuit, ut Epiſcopus Meldenſis pro defenſione Queſnelliani operis calamum ſtrinxerit præproperè; ſed antequam ſcriptum ſuum luci committeret, monitus ab amico Antiſtite, nè famam ſuam, & veritatem exponeret diſcrimini, priuſquam ipſos quatuor *Obſervationum* tomos, attentiùs perlegiſſet; paruit Meldenſis prudenti conſilio, atque ſtudioſa lectione deprehendit, quod dein pluribus teſtatus eſt, *quinque Propoſitiones Janſenii in libro Patris Queſnel reperiri: in eo contineri puros, & apertos Janſenii errores*. Unde pro editione nova, cujus ab ipſo petebatur approbatio, præſcripſit centum, & viginti locorum correctionem: verùm cùm eam ab Authore, ejuſque fautoribus impetrare non poſſet, præcoces ſuas ſuppreſſit vindicias, de quibus reliquo ejus vitæ tempore magnum ſilentium fuit. Sed Meldenſi ad Superos evocato, aliquis Queſnellianarum partium ſtudioſus, deſcriptum nactus exemplar, in Hollandiam miſiſſe fertur, illic Queſnelli operâ edendum. Hinc perſpicit lector, qua fide Queſnellus Meldenſem Epiſcopum in ſui proferat defenſionem, optimè conſcius ejus retractationis, quam infido ſilentio premit. Sæpe exprobrata Queſnello eſt hæc perfidia, etiam ab Epiſco-

Epiſcopis; indè minùs excuſabilis, quòd toties convicta redeat, quæ æternis ab ipſo debuit authore tenebris ſepeliri.

11 Diſputationem de voluntate Dei, & morte Chriſti pro ſalute hominum finiat, ac dirimat S. Leo Serm. 1. de Epiphania qui hodie in horis canonicis legitur *Ad omnium enim hominum ſpectat ſalutem, quod infantia Mediatoris Dei, & hominum jam univerſo declarabatur mundo*. Non igitur pro ſolorum beatitudine prædeſtinatorum, ſed omnium prorſus hominum, venit Dei Filius in mundum, Mediator inter Deum, & homines; non aliquos, ſed omnes, & ſingulos. Hoc fide certâ teneamus cum Romana Eccleſia contra Calvinum, Janſenium, Queſnellum. Hoc ſenſu, *ut quis fiduciam habeat ſibi, ut ita dicam, appropriandi Chriſtum* JESUM, *ejus amorem, mortem, & myſteria, ut facit S. Paulus, dicens: Qui dilexit me, & tradidit ſemetipſum pro me*, non neceſſariò *oportet bonis terrenis, & ſibimet renuntiaſſe quantum renuntiaverat Paulus*. Monemur meritò, ut cum timore, & tremore ſalutem noſtram ſinguli operemur; ſed non monemur, ut cum timore, & tremore dubitemus, an Chriſtus pro ſalute noſtra ſit mortuus. Cuilibet fide immobili credendum eſt, ſuam ſalutem à Chriſto deſideratam fuiſſe, pro ea Filium Patri obtuliſſe ſua merita, præparaſſe auxilia ſufficientia, ut ad eam re ipſa valeat pervenire.

Hæc omnia credunt, & clarè docent non ſoli Moliniſtæ; ſed Thomiſtæ, Scotiſtæ, & Scholarum omnium Catholicarum Theologi, contra Lutherum, Calvinum, Janſenium, & eorum diſcipulos, Queſnellum præſertim novæ caput Eccleſiæ.

Trigeſimaquarta Propoſitio damnata.

Gratia Adami non producebat niſi merita humana. *Obſer. Mor. Joann. 1. v. 16. & 2. Cor. 5. v. 21.*

CAPUT I.

Propoſitionis evidentiſſimus error evertitur.

1 TAm evidentem Propoſitio fronte ſua præfert falſitatem, ut ſuis ipſa terminis ſubruatur. Si enim Adami merita ſint ex gratia, quomodo ſolùm homini, & non gratiæ tribuenda? Si tribuenda etiam gratiæ, non igitur ſolùm hominis merita, ſed etiam gratiæ ſunt: atque adeò gratia Adami non producebat merita ſolùm humana; ſed quæ eſſent ſimul, ac præcipuè Divinæ gratiæ munera: Nam ubi gratia neceſſariò eſt gratuita, ita quod ex eadem ortum ducit ad eam pertinet, ejuſque, ſeu potiùs eam concedentis, donum appellatur. Adami igitur merita, ita ipſius fuère, ut ſimul ac præcipuè dona eſſent Dei per gratiam. Propoſitio pridem à Pio V., Gregorio XIII., & Urbano VIII., inter Bajanas damnata fuit, & quidem primo loco his tradita terminis, *Nec Angeli, nec primi hominis adhuc integri merita rectè vocantur gratia*. Cui errori ſuffragatur ibidem his tertius: *Et bonis Angelis, & primo homini, ſi in ſtatu illo perſeveraſſet uſque ad ultimum vitæ, felicitas eſſet merces, & non gratia*. Utriuſque Articuli doctrina poſt damnationem à Janſenio reſuſcitata eſt Tom. 3. edit. 1. Lovan. columna 935. & 936. ob quam, & plures alias, ab Urbano VIII. liber Janſenii proſcriptus fuit tanquam *multas Propoſitiones à Prædeceſſoribus ejuſdem Pontificis olim damnatas continens, & magno cum Catholicorum ſcandalo, & authoritatis dictæ ſedis contemptu contra præfatas damnationes, & prohibitiones defendens . . . . . malo in ſcandalum totius Reipublicæ Chriſtianæ, & Fidei Catholicæ perniciem vertenti*.

Damnatum errorem nihil præſidii habere in Scriptura; nihil in SS. Patribus, aut Scholaſticis; ſed ab omnibus rejici, facilè oſtendam.

2 Remittimur à Queſnello ad illud Joan. 1. verſ. 16. *Lex per Moyſen data eſt, gratia, & veritas per* JESUM *facta eſt*. Ubi Chriſtus Moyſi, lex nova veteri præfertur: Moyſes nempe legem Dei ſolummodò proponere poterat, non præſtare auxilium ad ejus obſervationem neceſſarium: præſtabat Chriſtus. De lege veteri ſic Auguſtinus Tract. 3. in Joannem, *Lex minabatur, non opitulabatur; jubebat, non ſanabat; languorem oſtendebat, non auferebat, ſed illi præparabat medico venturo cum gratiâ, & veritate; cum Sacramentis &c.* Atqui neque in Auguſtini commentario, neque in Divini codicis textu, ullus de Adamo, ullus de integritatis ſtatu, ejuſve gratia ſermo eſt; ſed omnis de homine lapſo, & infirmo, cui ſanando Divinus Medicus eum medicinali gratiâ neceſſarius fuit. Qua igitur ratione Queſnellus nobis hunc Euangelii locum ingerit, ut diſcamus, quid conceſſa Adamo gratia valuerit, quod meritorum genus producere?

3 Non

3 Non magis errorem damnatum ſtabilit locus à Queſnello indicatus 2.Cor.5.verſ.21. *Eum,qui non noverat peccatum,pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur juſtitia Dei in ipſo.* Quam Apoſtoli ſententiam ſic interpretatur S.Thomas lectione 5. in fine. „ *Cum iniquis* „ *reputatus eſt*: & hoc fecit,*ut nos efficeremur* „ *juſtitia*, id eſt, ut nos, qui peccatores ſu„ mus, efficeremur non ſolùm juſti, imò ipſa „ *juſtitia*; id eſt juſtificaremur à Deo: *vel ju*„ *ſtitia*, quia non ſolùm nos juſtificavit; ſed „ etiam voluit, quod per nos alii juſtifica„ rentur. *Juſtitia*,dico,Dei,non noſtra. Et in „ Chriſto ideſt per Chriſtum: vel aliter, ut „ ipſe Chriſtus dicatur *juſtitia*: & tunc eſt „ ſenſus, nt nos efficeremur *juſtitia*, ideſt, ut „ inhæreremus Chriſto per amorem, & fi„ dem; quia Chriſtus eſt ipſa *juſtitia*. Dicit „ autem *Dei*, ut excludat *juſtitiam* hominis, „ quæ eſt, quâ homo confidit de ptopriis „ meritis. Rom. 10. *Ignorantes Dei juſtitiam*, „ &c.in ipſo ſcilicet Chriſto,id eſt per Chri„ ſtum, quia ipſe factus eſt nobis *juſtitia*. „ Quo loco iterum ſive divinum Oraculum ſpectetur, ſive Angelici interpretatio, de ſtatu naturæ lapſæ, & Chriſti gratiâ reparandæ, agitur, non de homine ſtanre in juſtitia. Pronum eſt igirur ex præſenti Articulo colligere, quod & in pluribus aliis notavi, fallaci titulo vocari *Obſervationem moralem*, in textum Sacrum, qui hic geminus citatur. Quis enim ex ea inſcriptione non exiſtimet connexionem eſſe rextûs Sacri cum *Obſervatione*? Iſtud ſanè fidi, & ſapientis Obſervatoris officium eſt, ut animadverſiones proprias, & Sacris textibus convenientes porrigat. Queſnello autem propoſitum fuit, Janſeniſmum integrum, & Bajaniſmum in iis omnibus, in quibus à Janſenio reſuſcitatus eſt, *Obſervationibus* ſuis inſetere; hinc eum neceſſitas compulit inſidiari Textibus Sacris, & avidè arripere, quidquid in cortice verborum ipſi ſimilitudinis appareret eum præconceptis à ſe novitatibus. Ubi autem nihil apparentis ſimilitudinis oecurreret, fingendum ipſi fuir, & textui alieniſſima aſſuenda *Obſervatio*: quod ab ineptiſſimo rabulâ potiùs, quàm à Theologo morum, & fidei Doctore expectandum eſſet.

4 Juſtitia, in qua Adam ereatus eſt, non ejus; ſed Crearoris erat, à quo eam gratis acceperat. In ea ſupponitur,aliquo, etſi exiguo tempore, non ſinè gratiæ adjutorio permanſiſſe. Unde non ſolis nobis; ſed etiam primo hominl, & Angelo convenit, *quid habes, quod non accepiſti? Si autem accepiſti, quid gloriaris, quaſi non acceperis*? Et, *Qui gloriatur,in Domino glorietur: ipſe eſt, qui operatur omnia in omnibus: omne bonum, & omne datum optimum deſurſum eſt deſcendens à Patre luminum*; Ipſi, tanquam Authori longè præcipuo, initium, proſecutio, & finis omnis boni operis debetur acceptus, non in ſolo infirmitatis ſtatu; ſed etiam ſanitaris. Quis enim Queſnellum docuit tot Scripturarum teſtimonia,quæ Deo omne bonum, adeóque meritum, veluti Authori præcipuo tribuunt, ad ſolam lapſi hominis conditionem reſtringere? S.Auguſtinus lib. 12. de Civitate Dei toto cap. 9. inculcat, *Sanctos Angelos, quem habent Creatorem natura, eumdem habere bona voluntatis Authorem, per Spiritum Sanctum in eis charitate diffuſâ.* Addit eos voluntatem bonam *habuiſſe operante adjutorio Creatoris*, ab eo accepiſſe *amorem caſtum,& gratiam amoris Dei*: ac tandem concludit, *non ad ſolos homines pertinere; verùm etiam de Sanctis Angelis poſſe dici, quòd charitas Dei diffuſa ſit in eis per Spiritum Sanctum, qui datus eſt eis*.

Idem Sanctiſſimus Doctor lib.14. de Civit. Dei cap. 13. *Si voluntas* (Adami) *in amore ſuperioris immutabilis boni, à quo illuſtrabatur ut videret, & accendebatur ut amaret, ſtabilis permaneret, &c.* Non igitur gratia Adami iners, aut enervis fuit, & nihil operans, ut omne meritum ſoli voluntari hominis deberetur,& nullo modo grariæ Dei; ſive,ut Queſnellus air, *Gratia Adami non produxerit, niſi merita humana*.

Idem Sanctus de volunrare Angelorum viatorum,cujus eadem,quæ voluntatis Adami, etiam innocentis,ratio eſt, lib.12.de Civitare cap.19. *Profectò*, inquit,*& bonam voluntatem, quâ meliores eſſent,niſi operante adjutorio Creatoris habere non poſſent.* Non ergo ſubſiſtit Janſeniſtarum ratio, qua in damnatum dogma pertrahanrur, exiſtimantes cum Janſenio, ſtatûs innocentis auxilium ſolam agendi poteſtatem tribuere, non actionem. E contra Auguſtinus *adjutorium* etiam in iſto ſtatu *operans*, ut jam vidimus, agnoſcit.

5 Confirmantur hæc ex eodem Hipponenſium Antiſtite lib.8. de geneſi ad litteram cap. 10. 11. & 12. ubi de Adamo in Paradiſo voluptatis ad eum excolendum conſtituto ait: *Qua locutione dicitur homo operari terram, quæ jam terra erat, ut ornata, atque fœcunda ſit, eâ locutione dicitur Deus operari hominem, qui jam homo erat, ut pius, ſapienſque ſit*. Poſt pauca: *Sumpſit Dominus Deus hominem, quem fecit, & poſuit eum in Paradiſo optrari illum,ut juſtus eſſet*. Quod probat iis Scripturæ locis, quæ de homine lapſo præcipuè agere nnllus inficiabitur. *Ipſius enim*, inquit, *ſumus figmentum, non tantùm ad hoc, ut homines ſimus; ſed ad hoc etiam, ut boni ſimus. Nam,ut Apoſtolus* cum

cum fidelibus ab impietate converſis gratiam, quâ ſalvi facti ſumus, commendaret; gratiâ enim, inquit, ſalvi facti eſtis per fidem: & hoc non ex vobis, ſed Dei donum eſt. Dein addit. *Et alibi tùm dixiſſet* (Apoſtolus) *cum timore, & tremore ſalutem veſtram operamini, nè ſibi putarent tribuendum, tanquam ipſi ſe facerent bonos, & juſtos, continuò ſubjecit: Deus enim eſt, qui operatur in vobis. Sumpſit ergo Dominus Deus hominem, quem fecit, & poſuit eum in Paradiſo operari eum.* Ubi patet, ab Auguſtino, quòd gratiæ infirmitatis præcipuè convenit, gratiæ ſanitatis applicari.

Si ergo *Deus hominem, qui jam homo erat, operabatur*, ſeu excolebat per gratiam, *ut pius, ſapienſque eſſet*: Si *poſuit eum in Paradiſo, operari eum, ut juſtus eſſet*: Si *Dei figmentum*, & *donum* fuerit, non tantùm quòd *homo eſſet*, ſed etiam quòd *bonus*: Si *Deus eſt, qui bonum* in Adamo *operabatur*, non itaque Adami gratia ſolam ei contulit boni operis facultatem; ſed ipſum opus bonum, quodcunque fecit, in eo gratia operata eſt: ipſum bonum opus fuit Dei figmentum, Dei donum. Igitur gratia Adami quæcunque produxit merita, non ita humana fuêre, quin eſſent etiam Divinæ gratiæ munera, & magìs, quàm humani opera arbitrii.

6 Juxta Janſenii, & Queſnelli ſententiam ſtatûs innocentis merita à Dei donis excluduntur, & tunc bene merenti dici non potuit, *Quis te diſcernit? Quid habes, quod non accepiſti?* Ita novi iſti Auguſtini diſcipuli, quibus tantum contra Pelagianos odium in præſenti ſtatu eſt, ad Pelagiana caſtra in priore ſtatu ultro convolant, juncturi dextras contra Deum, ejuſque gratiam, ſimul contra Chriſti Eccleſiam, quæ errores Pelagii, etiam in Bajo, & Janſenio deteſtatur.

Contra hos Auguſtinianos ſpurios ipſum Sanctum Patrem audiamus, an non Deo tribuendum cenſeat, quòd quis in ſtatu innocentiæ à reprobis diſcernatur. Noti ſunt loquendi modi, quibus Auguſtinus bonorum à malis diſcretionem Deo adſcribere ſoleat in natura lapſâ. Lib. 13. Confeſſ. cap. 14. „ Sumus, inquit, filii lucis, & filii Dei, non „ filii noctis, neque tenebrarum; quod tamen „ fuimus: inter quos, & nos adhuc incertos „ humanæ notitiæ, tu ſolus dividis, qui pro- „ bas corda noſtra, & vocas lucem diem, & „ tenebras noctem. Quis enim nos diſcernit „ niſi tu? Quid autem habemus, quod non ac- „ cepimus à te? „ Eodem modo loquitur de diſcretione in ſtatu innocentiæ lib. 11. de Civit. Dei cap. 19. „ Cùm lux illa prima facta „ eſt, Angeli creati intelliguntur, & inter „ Sanctos Angelos, & immundos fuiſſe diſ- „ cretum, ubi dictum eſt: & diviſit Deus in- „ ter lucem, & tenebras, & vocavit Deus „ lucem diem, & tenebras vocavit noctem. „ Solus quippe ille ita diſcernere potuit, qui „ potuit etiam priuſquam caderent, præſci- „ re caſuros; & lumine privaros veritatis in „ tenebroſa ſuperbia remanſuros. „ Poſt pauca: „ Inter illam verò lucem, quæ ſancta „ ſocietas Angelorum eſt, illuſtratione veri- „ tatis intelligibiliter fulgens, & ei contra- „ rias tenebras, ideſt malorum Angelorum „ averſorum à luce juſtitiæ teterrimas men- „ tes, ipſa dividere potuit: cui etiam futu- „ rum non naturæ, ſed voluntatis malum „ occultum, incertum eſſe non potuit.

Et concione 2. in Pſalmum 32. cadentibus malis, *nec ipſi Cœli*, ideſt boni Angeli, *firmitatem ſibi præſtiterunt*; ſed Deus; nam, ut in eumdem Pſalmum Auguſtinus notat, *Spiritu oris ejus non pars, ſed omnis virtus eorum.*

7 Suffragatur in eumdem locum S. Fulgentius: *Omnes*, inquit, *uniformi opprimi poterant ruinæ conſortio, niſi quos vellet à caſu pravitatis, vis illa* (divina) *defenderet*. Ergo & in ſtatu innocentiæ, bonorum à malis diſcretio potiùs divinâ virtute fit, quàm creatæ arbitrio voluntatis. Vis ſcire, qua ratione hæc in Angelis facta ſit diſcretio? Dilucidam accipe ab Auguſtino lib. 12. de Civitate Dei cap. 9. „ Simul, ut facti ſunt, ei, à quo facti „ ſunt, amore cum quo facti ſunt, adhæſe- „ runt: eoque ſunt iſti ab illorum ſocietate „ diſcreti, quòd hi in eadem voluntate bona „ manſerunt, illi ab ea deficiendo mutati „ ſunt, mala ſcilicet voluntate, hoc ipſo, „ quod à bono defecerunt. „ Cauſam quoque diſcretionis efficientem Auguſtinus ſubjungit: „ Iſtis, inquit, mala voluntate ca- „ dentibus, illi ampliùs adjuti, ad eam bea- „ titudinis plenitudinem, unde ſe nunquam „ caſuros certiſſimi fierent, pervenerunt. „ Si boni indè ſteterunt, quod *amplius adjuti* fuerint, manifeſtum eſt ei potiùs, qui ampliùs adjutorium præſtitit, quàm eis qui accepêre, diſcretionis gloriam tribuendam. Unde conſequens fit, eorum bona opera, non tam Angelorum eſſe merita, quàm dona gratiæ: & ab Angelorum ſingulis rectè quæri, *Quid habes, quod non accepiſti?* Docet id S. Anſelmus libro de caſu Diaboli cap. 1. in ipſo titulo; *Quod etiam ad Angelos dicatur, Quid habes, quod non accepiſti?* & ſtatim exordiens interroganti diſcipulo: *Illud Apoſtoli, Quid habes, quod non accepiſti? dicitur hominibus tantùm, an & Angelis?* Reſpondet Sanctus; *Nulla creatura habet aliquid à ſe. Quod enim ſeipſum à ſe non habet, quomodo habet à ſe aliquid?* Et mox: *Ille igitur ſolus à ſe habet, quidquid habet, & omnia nonniſi ab illo habent aliquid: &*

ſicut

ſicut à ſe non niſi nihil habent; ita ab illo nonniſi aliquid habent. Inde cap. 2. deducit, bonum *Angelum ideo perſeverantiam habuiſſe, quia accepit*; ideo autem *accepiſſe, quia Deus dedit*.

Quare Cardinalis Aguirre in Theologia S. Anſelmi diſput. 132. ſect. ait: „ Neque audiendi ſunt, quicunque ex Neotericis contra expreſſam S. Anſelmi mentem, omnemque rationem negant, interrogationem illam Pauli pertinere ad Angelos. Quin & videntur palàm incidere in primam, & tertiam Propoſitionem damnatam à tribus Pontificibus in Bulla contra Bajum, & alios: quarum prior erat: *Nec Angeli, nec primi hominis merita rectè vocantur gratia*. Poſterior verò, *Et bonis Angelis, & primo homini ſi in ſtatu illo perſeveraſſet uſque ad ultimum vitæ, felicitas eſſet merces, & non gratia*. Itaque certum eſt, interrogationem illam, *Quis enim te diſcernit? Quid habes, quod non accepiſti?* quæ potiſſimùm de diſcretione ſalutari, & donis gratiæ intelligitur, ad Angelos non minùs, quàm ad homines pertinere.

8 Auguſtinianæ doctrinæ ſtudioſiſſimus Beda in libro quæſtionum qu. 9. *Angeli*, inquit, *ſemper in Domino gaudent, non in ſe; malus verò indè diabolus; quia non quæ Dei, ſed quæ ſua ſunt, requiſivit. Nulla autem major iniquitas, quàm non in Deo, ſed in ſe velle quempiam gloriari*. Denique locutiones generales Scripturarum, & Patrum, è quibus Janſeniani colligunt, nobis non diſſentientibus, omne bonum in ſtatu miſeriæ à Deo eſſe, argumentum pariter præbent invictum, contra ipſos, quod in ſtatu felicis innocentiæ gloriandi materiam cum Creatoris injuria, creaturis temerè aſſingant.

9 Auguſtinus epiſtola 120. *Neceſſe eſt*, inquit, *ut parum diligat eum, qui non ab illo; ſed à ſeipſo bonum ſe arbitratur effectum. Unde autem fieri poteſt, ut talis non in ſeipſo; ſed in Domino glorietur? Qui enim gloriatur, quòd ſit bonus, in illo debet gloriari, à quo factus eſt bonus: ac per hoc, qui ſe à ſemetipſo factum bonum arbitratur, conſequens eſt, ut in ſeipſo, non in domino glorietur*.

Et enarratione in Pſalm. 69. *Semper magnificetur Dominus. Qui hoc dicunt? Qui diligunt ſalutare tuum. Ecce magnificetur Dominus; nunquam tu, nuſquam tu; in illo aliquid, in me nihil*. Totum id etiam convenit naturæ integræ; nam S. Auguſtinus libro 12. de Civitate cap. 9. de Sanctis Angelis, dicit: *Abſit ut meliores à ſeipſis, quàm ab illo facti ſint*. Et in Pſalm. 32. ſupra citatum *Spiritu oris ejus non pars, ſed omnis virtus eorum*.

10 Si juxta Auguſtinum omnes, *qui diligunt ſalutare tuum*, Domine, *nunquam ſe, nuſquam ſe* magnificent; te autem ſemper, in quo ſunt *aliquid*, in ſe *nihil*; ſi *neceſſe ſit, ut parum te diligat*, qui non à te, *ſed à ſeipſo bonum ſe arbitretur effectum*, deſtrue, precor, impia Novaturientium placita, in Creatoris injuriam excogitata, quibus omnes Sanctos Angelos in ſe volunt, non in te gloriari; quaſi malis cadentibus, ſuo ipſi libero arbitrio, non tuâ ſteterint gratiâ, & virtute. Eàdem te afficiunt contumeliâ in paucis, qui Adamo fuere ſub primum creationis diluculum, bonis actibus. Horum non tibi, non tuæ gloriæ; ſed humanis viribus, omne meritum, omnem gloriam vindicare præſumunt: *Gratia Adami non producebat, niſi merita humana*; quia nempe gratia, quæ electionis liberam relinquebat homini facultatem, ſolam agendi potentiam juxta Novatores præſtitit, non actum; non ex actu profluens meritum.

CAPUT II.

Solvuntur Objectiones.

1 VEtus Janſenianorum; ſed pridem à Catholicis Scriptoribus obtritum, confractumque telum fuit, ex illo Auguſtini temerè fabricatum, *quid ſtultius, quàm orare, ut facias, quod habes in poteſtate?* Illo mirificè exultat Janſenius libro 3. de Gratia Chriſti cap. 1. ut, inquit, perſeveraret Adam, orare Deum non debuit, cùm perſeverantiam haberet in ſua poteſtate; ſi igitur perſeveraſſet, nonniſi humanis meritis perſeverantiæ merces, & gloria deberetur.

Reſpondeo diſtinguendum hìc inter poteſtatem ſimplicem, & eam quæ ſingulari perfectione fortitudinis prædita eſt, ut plurimi ſunt ſufficientis auxilii gradus. Diſparitas graduum in auxiliis quoque efficacibus reperiri poteſt, ut in variis Sanctis, dum benè operantur, non eadem operationis perfectio eſt, uti nec eadem auxilii. Qui igitur Angeli, & primi homines in ſtatu innocentiæ habuere ex ſufficienti auxilio ſimplicem boni operis poteſtatem, pro ejus incremento, & majori robore prudenter orare potuerunt.

2 Altera etiam clara, & communiſſima contra Bajanos, ac Janſenianos reſponſio eſt, diſtinctione conſequentis poteſtatis ab antecedente. Hanc ſinè precibus Adam habuit: alterâ ob orationis defectum, & nimiam in acceptis viribus fiduciam, caruit. Gratiam nempe efficacem, & perſeverantiam, niſi orationi, & humiliationi Adami Deus dare non decreverat, ut eam etiam in illo ſtatu donum

ſuum, & gratiam non ſolùm hominis eſſe meritum pareſieret. Sic Auguſtinus lib. 14. de Civitate Dei cap. 27. *Cur Deus non permitteret, ut ab illo* (Angelo malo) *primus homo, qui rectus, hoc eſt bona voluntatis creatus fuerat, tentaretur? Quandoquidem ſic erat inſtitutus, ut, ſi de adjutorio Dei fideret, bonus homo malum Angelum vinceret. Si autem creaturam, atque adjutorem Deum, ſuperbè ſibi placendo, deſereret, vinceretur; meritum bonum habens in adjuta divinitus voluntate rectâ; malum verò in deſerente Deum voluntate perversâ; quia & ipſum confidere de adjutorio Dei non quidem poſſet ſinè adjutorio Dei.*

3 Clariùs id à Gelaſio Pontifice confirmatum legimus in ejus opuſculo, quod tomo 2. Conciliorum cum hac inſcriptione conſpicitur: *Beatiſſimi Gelaſii Papæ Primi dicta adverſùs Pelagianam hæreſim*. Illic pag. 257. ſic monet Pontifex: *Si in ipſis primis hominibus, dum ſuâ nimiùm felicitate confidunt, & tantam Dei gratiam in vacuum recipientes, non orando, quod utique nuſquam feciſſe referuntur, nec de perceptis gratias referendo, nec, ut eadem intemerata durarent, ſuppliciter exorando, incolumes conſtare nequiverunt; quanto magis poſt prævaricationis ruinam, in quam malâ ſui confidentiâ Creatorem nullatenus inquirendo lethaliter inciderunt, abſque divino munere ſuis viribus, vel ægri ſtare non poſſunt; ſinè quo nec integri perſiſtere valuerunt.*

Idem pag. 259. *Hinc illa primæ conditionis integritas, dum ita de ſe fidit, tanquam ipſo, qui condiderat, non egeret, nec de perceptis agit gratias, quod nuſquam feciſſe memoratur, nec de conſervandis, quæ ſumpſerat, poſcit auxilium. Nec ad eum etiam tentata pulſatoris acceſſu devota concurrit, & conſulit, ſuaque ſe credit inter proſpera voluntati, facilè ſinè præſidio Creatoris patuit deceptoris inſidiis*. Et poſt multa: *Suâ ſaltèm fragilitate commonita poſt ruinam non in ſe fidat noſtra conditio; ſed ad illius inceſſabiliter recurrat miſericordiam reformanda, cujus gratiam non quærendo, nec in Paradiſo potuit intemerata felicitate conſtare, diſcatque ſinè tali præſidio indè lapſam, per quod inſtruitur poſt ærumnas ad gaudia redire perpetua.*

Orare igitur pro fortiori gratiæ auxilio, & perſeverantiæ dono debuit Adam; atque hujus orationis defectu, accidit, ut ſufficiente ſolùm gratiâ inſtructus ciciderit. Atque adeò, quæ ante exercuit opera bona non ita fuêre ejus merita, quin gratiæ quoque, & Dei munera cenſerentur.

4 Objicit Queſnellus Auguſtinum libro de Prædeſtinatione Sanctorum cap. 15. dicentem: *Humana hic merita conticeſcant, quæ perierunt in Adam*. Et libro de Correptione, & Gratia cap. 11: *Merita Adami* vocat *humana, & liberi arbitrii merita*.

Reſpondeo neminem offendi, meriti humani, & libero arbitrio comparati appellatione; ſed *meriti nonniſi humani*, detractâ Creatori præcipuâ omnis boni operis gloria. In eo quidem bona merita noſtra minùs dicuntur humana, & liberi arbitrii, quàm quæ fuêre Adami in ſtatu innocentiæ; quia ſtatus ille amicitiæ cum Deo, & adoptionis in dignitatem filii Dei exigere quodammodo ab eo videbatur favores ſingulares, & auxilia ſpecialia, quibus ſtatus peccati, in quo nos concipimur, prorſus indignus eſt. Deinde natura peccato ſaucia auxiliis eget fortioribus, quàm ſana, adeò ut modò parum admodum ad ſalutis opera liberum arbitrium, ob languorem ſuum maximum, conferat; atque illud parum quodammodo pro nihilo computetur. Aliqui etiam Doctores Catholici exiſtimant, ideo merita hominis ante lapſum vocari humana, & liberi arbitrii; quia iſtud adeò validum erat, ut præter gratiam habitualem, & illuſtrationem Spiritûs Sancti in intellectu, nullo opus haberet gratiæ auxilio excitante in voluntate. Quidquid ſit, ſcholæ omnes catholicæ agnoſcunt alicujus gratiæ, etiam actualis neceſſitatem in ſtatu innocentiæ: unde abhorrent vehementiùs à damnato Queſnelli dogmate, quo fingitur *Gratia Adami non produxiſſe niſi merita humana*, quaſi quæ ex gratia fiunt, divino muneri tribuenda non ſint, nec inter gratias numeranda. Hinc intelligitur, quo ſenſu dici ab Auguſtino potuerit, humana merita periiſſe in Adam; quia quod homo lapſus confert ad meritum, tam eſt exiguum, ut compoſitum cum eo, quod præſtat gratia, velut arena ſit cum monte comparata; unde, ut dixi, ab Hipponenſi Antiſtite ſubinde quaſi pro nihilo haberi potuit.

5 Cùm verò quæſtio de interitu meritorum omnium noſtrorum per peccatum Adami, ad præſentem Articulum non pertineat, neque Janſeniſtæ hactenus negare apertè cum Lutheranis, & Calviniſtis omne bonorum operum noſtrorum meritum audeant, ab illa hic diſceptatione abſtinendum eſt, nè à propoſito divertamur. Breviter tamen obſervo Auguſtinum, eo, qui objicitur loco de prædeſtinatione Sanctorum, non videri agere de bonis operibus noſtris, ut modò ſunt, ſed de meritis, quæ habuiſſemus in Adamo, ſi Dei fuiſſet obſecutus imperio, ſicut ex ejus rebellione peccatum, & demeritum originis contraximus. Quærit enim illic Auguſtinus, quæ obtendere homo poſſit merita, quibus deberetur prædeſtinatio ad gratiam? Num illa, quæ

quæ habuimus in Adamo? Atqui, hoc peccante, illa perierunt. Neque obtendi poſſunt merita noſtrorum operum, utpote prædeſtinatione ad gratiam certiſſimè poſteriora; ſic, inquit, nè ipſa quidem Chriſti humanitas, quantumvis innocens, & omnis expers peccati, quidquam poterit allegare boni operis, aut dignitatis, quo prædeſtinari, ſeu eligi meruerit, ut à Dei Filio aſſumeretur.

6 Videtur Queſnellus, hanc explicationem veritus, voluiſſe ei viam obſtruere non bona fide, illud Auguſtini *Humana hìc merita conticeſcant*, Gallicè reddens, *Que l'on ne parle plus des merites humains*. Quaſi Auguſtinus dixerit nullus impoſterum ſermo ſit de meritis humanis, dum Auguſtinus ad ſingularem de qua agit prædeſtinationis materiam ſe reſtringit, dicens: *Humana hìc merita conticeſcant*. Verùm reſpexerit ibi Auguſtinus etiam ad præſentis ſtatûs, ut modò ſunt, opera, nihil, ut oſtendi, doctrinæ officit Catholicæ, nihil Bajano, & Queſnelliano ſuffragatur errori.

Suppetias Queſnello fert *Obſervator in Conſtitutionem*, niſi, ut paſſim creditur, & ipſe Queſnellus ſit, qui Proteſtationi ſuæ *Obſervationes* præmittere voluerit. Ait, Articuli *Authorem non agere de meritis merè humanis abſque ullo gratiæ auxilio, ut exiſtimaſſe videntur Cenſores Romani, quia S. Auguſtini doctrinam non intelligunt. Verbis illis ſignificare* (Auguſtinus & Queſnellus) *voluit, quòd liberum arbitrium donatam Adamo gratiam determinans, primam, & præcipuam partem in meritis habuerit, quæ propterea eſſent humana... At in præſenti rerum ordine gratia determinans liberum arbitrium præcipuam in Sanctorum meritis partem obtinet, & efficit, ut ſint Dei munera, ac opera Divina, ut Auguſtinus loquitur lib. de Spiritu & littera*.

Quomodo Romani Cenſores perſuadere ſibi poterant, agi in Articulo de meritis humanis, excluſo omni gratiæ auxilio, dum in ipſo, quem damnant, Articulo, exprimunt gratiam humana merita producentem: *Gratia Adami non producebat niſi merita humana*?

7 Quod obſervator aſſerat S. Auguſtinum à Romanis non intelligi, non adeò miramur; utpote conſcii, familiarem eſſe omnibus hæreticis jactationem, quòd ipſi ſoli Auguſtini ſententiam aſſequantur. Ita Melanchton in Apologia Lutheri contra Decretum Sorbonæ exclamat: *O Theologos! O Sorbonam!.... Sinite, quæſo, impetrari à vobis, ut Auguſtinum, non dico relegatis; ſed inſpiciatis tantùm; nam errorem veſtrum nulla pagina eſt, quæ non arguat... Nihil ſit miror, atque in tota iſta Sorbonica Facultate, neminem fuiſſe, cui Auguſtini ſententia de gratia neceſſitatem imponente comperta fuerit*. Tridentini Patres, ſi Calvinum, & Kemnitium audias, Auguſtini ſententias minimè aſſecuti ſunt; aſſequuntur autem ipſi ſuo judicio certiſſimè. Quis nempe dubitet, quin nemo meliùs Auguſtini ſenſum capiat, quàm qui Antonomaſticè ſibi nomen vindicant, *Diſcipulorum S. Auguſtini*? Sed & Wikleffus, Lutherus, Calvinus, Janſenius, toti opinione ſua, & jactantiâ Auguſtiniani erant. Janſenius librum ſuum vocat *Auguſtinum Cornelii Janſenii*. Calvinus initio libri de æterna Dei prædeſtinatione ait: *Auguſtinus ipſe adeò totus meus eſt, ut, ſi mihi confeſſio ſcribenda ſit, ex ejus ſcriptis contextam proferre abunde mihi ſufficiat.... Conſtabit quàm ſolidè omni ex parte mihi ſuffragetur*. De hac frequentiſſimâ, ac ſimul vaniſſimâ hæreticorum, eoſque imitantium Novatorum jactantiâ, plura dedi in Prolegomenis.

8 Nunquam Auguſtinus docuit primam, & præcipuam bonorum operum gloriam in ſtatu innocentiæ deberi libero arbitrio, exiguam Deo. Nemo acriùs in falſitatem illam inſurget, quàm univerſa Schola Thomiſtica. Sed neque ullus eorum, qui gratiam à libero arbitrio determinari ſtatuunt, patiuntur hanc Deo, ejuſque gratiæ inferri contumeliam, ut prima, ac præcipua boni operis gloria Deo tot titulis debita, ſubtrahatur. Illos ſuperiùs recenſui, Scripturarum, Patrumque authoritate irrefragabili ſtabilitos. Quamvis non aliâ Deum, ejuſque gratiam Articulus afficeret injuriâ, fallor, ſi non ſcholarum omnium Catholicarum calculo exulare ab Eccleſia mereretur. Deteriùs tamen ſonat Articulus, Deoque in ſtatûs innocentiæ meritis, aut nihil relinquit penitùs, aut parum adeò, ut nulla ejus quodammodo ratio habenda ſit: *Gratia Adami non producebat, niſi merita humana*. Quod quadraginta Galliæ Epiſcopi in documento Paſtorali ſic intelligunt, ut ſignificet *des merites purement humains, merita ſolummodo humana*: cui interpretationi acceſsêre plurimi alii ejuſdem Regni Antiſtites, qui collegarum ſuorum inſiſtentes veſtigiis, *Documentum* adoptarunt, Pontificiæque ſubſcripſerunt Conſtitutioni. Qui ſenſus cùm planè Articuli obvius appareat, indubiè etiam cæteris nationibus, nullo præventis præjudicio, mox ut Articulum legerint, occurret.

9 Queſnellus Scripturis Sacris contrarius, pridem reprobatus à Damaſo, ab Auguſtino, & cæteris Patribus, nè apud Scholaſticos quidem aſylum reperiet. Obſeratas hìc ſibi Thomiſtarum fores, quorum aliàs tanto ambitu ſocietatem affectat, ignorare non poteſt; nam ratio cauſæ primæ in Deo, & perpetua cauſæ ſecundæ liberæ indifferentia

tia Thomiſtas ab articulo 34. damnato alieniſſimos facit. Si enim Prædeterminatio phyſica tam naturæ integræ, quàm in origine corruptæ neceſſaria fuit, quis modus merita fingendi ſolummodo humana eorum actuum, quos gratia phyſicè prædeterminans operata eſt? Prædeterminationis autem etiam pro natura integra neceſſitas, ut Janſenii de medicinali gratia ſyſtema funditus ſubruit, ita præcipuus ejus adversùs Thomiſtas lapis extitit offenſionis, & origo cenſurarum, quibus multæ Janſeniani voluminis paginæ reſperſæ ſunt, præſertim tom. 3. edit. Lovan. col. 821. *Qui medicinalem*, inquit, *Chriſti Salvatoris gratiam ſic defendere conantur, ut eam in talem prædeterminationem phyſicam transforment, omni hominum ſtatui neceſſariam, magis profectò Ariſtotelici, quàm Auguſtiniani ſunt; nam talis prædeterminatio ſic aſſerta, non ſolùm nullo teſtimonio ejus* (Auguſtini) *probari poteſt; ſed potiùs univerſam Doctrinam ejus, innumeris locis traditam, inexplicabili confuſione conturbat; tollit enim indifferentiam integræ, lapſæque voluntatis; tollit neceſſitatem duplicis adjutorii .... tollit, obſcuratque veram radicem neceſſitatis gratiæ medicinalis: nec ſinit intelligere veram naturam ejus .... denique cogitur inferre non exiguam vim Scripturis Sacris.*

Idem tom. 2. columna 182. *Prædeterminatio illa Phyſica deſtruit prorſus magnam illam libertatem, & bene vivendi poteſtatem, quam Auguſtinus, Pontifices, & Concilia nos in Adamo amiſiſſe teſtantur .... Quod ſi tunc per phyſicam prædeterminationem debebat fieri effectus, quemadmodum authores ejus tradunt, jam funditus illa Doctrina Auguſtini, & Conciliorum latefactata corruet.*

Eodem Tom. 2. col. 582., & 583. *Ex quibus omnibus perſpicuè oſtenditur, nihil capitalius principiis Auguſtini, nihil quod ejus Doctrinæ magis ex diametro repugnet, effingi poſſe, quàm quod Adami adjutorium in phyſica illa prædeterminatione ſitum fuerit, ut ſanè non temere dici poſſe videatur, quod Authores, qui prædeterminationem illam phyſicam, ad ſtatum etiam integrum Adami, & Angelorum extendunt, toto oſtio ab Auguſtini principiis aberraverint.*

10 Quapropter periculum non eſt, nè hic Schola Thomiſtica exuli ab Eccleſia errori perfugium præbeat, docente Patre Maſſouliè quantumcunque à Queſnellianis laudato diſſert. 4. quæſt. 2. art. 1. in ipſo titulo: *Ex variis & innocentiæ, & Sanctitatis privilegiis collatam fuiſſe Adamo efficacem Divinam gratiam probatur .... in omni ſtatu voluntas ex donis Spiritus Sancti magis agitur, quàm agit.* Qua ſententiâ ſuppoſitâ, nec Janſenius, nec Queſnellus aſſerere poteſt: *Gratiam Adami non produxiſſe, niſi merita humana.* Sed ſuppoſitum uterque negat; ideo contra eos citatus Thomiſta ibidem in Articulo ait: *Planè falſam, & adverſam clavem fuiſſe, qua uſus eſt Janſenius, & qua, lacerato velo, exciſo oſtio, & muro Eccleſiæ perfoſſo, veritatem transgreſſus eſt, ac totius Auguſtinianæ Doctrinæ veluti Sacrarium funditus evertit, variis argumentis ex ſanctitatis, & innocentiæ privilegiis demonſtratum eo.* Et diſſertationis ejuſdem quæſt. 1. art. 2. „Apertum eſt, quòd Adam orare Deum „ debuerit; deerat enim ipſi perſeverantia, „ quæ à Deo petenda erat, à qua excidere „ poterat, vt nimiùm eventus comprobavit. „ Deerat ei & vita æterna, quæ ex gratiæ „ meritis obtinenda erat: timenda etiam erat „ tentatio, atque hujus victoriam à Deo humiliter petere debuerat. Et cur à Deo petere non potuit, nè gravi ea tentatione „ pulſaretur; ſed contra firmaretur animus „ in eo obtemperandi propoſito? Negari „ enim non poteſt, quin Deus firmare Adami voluntatem potuiſſet, nè tentationi „ ſuccumberet. Et tantùm abeſt, quòd orare non debuerit, ut è contra SS. Auguſtinus, & Thomas exiſtimaverint, Adami culpæ cauſam fuiſſe, quòd nimiùm ſibi, propriiſque viribus fiderit: &, ut inquit D. „ Thomas 1. parte q. 94. art. 4. ad 5. *In tentatione non fuit ei ſubventum, nè deciperetur; licèt tum maximè indigeret: quia iam præceſſerat peccatum in animo, & quia recurſum ad Divinum auxilium non habuit.* Et „ qu. 18. de veritate art. 6. ad 13. inquit: *quòd in ſtatu quo peccavit, Divinum ei auxilium non defuiſſet, nè ſeduceretur, ſi ad Deum ſe convertiſſet; quod quia non fecit, in peccatum, & ſeductionem cecidit.* „

11 Denique nè recentiorum teſtimoniis non neceſſariis præſens nimiùm excreſcat tractatio, ſive cum Bellarmino tom. 4. de gratia primi hominis lib. unico cap. 4. requiras in Adamo, præter ſanctificantem gratiam, ſolum auxilium adjuvans: ſive cooperans abſque prævio excitante: ſive ſtatuas cum Stephano de Champs lib. 3. diſp. 3. cap. 23., & aliis illuſtrationem intellectûs abſque motione voluntatis: Errori tamen 34. hic condemnato, neminem Catholicorum ſuffragantem invenies. Erroris hujus origo eſt alius non multùm abſimilis, de quo Propoſitio proxima.

Tri-

Trigeſimaquinta Propoſitio damnata.

Gratia Adami eſt ſequela creationis, & erat debita naturæ ſanæ, & integræ. *Obſerv. Moral. in 2. Cor. 5. verſ. 21.*

CAPUT I.

Propoſitio hæretica eſt, & ſeipſam deſtruit.

1 Illimitata uſurpatio vocabuli *gratia*, propoſitionem indicat de omni gratia Adami, ſive habituali, ſive actuali intelligendam eſſe: Qui rurſus error æquè, ac ſuperior ſeipſum ſubruit; quid enim manifeſtius opponitur, quàm *gratia*, & *debitum*? Quomodo gratia Adami fuit, ſi naturæ ejus debita? Sic facilè Pelagianus eluderet, quidquid pro gratia definitum eſt, ſi gratiæ nomine intelligitur, quòd debitum eſt naturæ. Atque hunc ludum ſubinde fecit Pelagius, dum gratiam verbotenus admittens, eam in ſola natura à Deo gratis conditа collocavit. Ita Palæſtinos Epiſcopos Dioſpoli congregatos fefellit, cùm accuſatus de eo, quòd ſcripſerat: *poſſe hominem, ſi velit, eſſe ſinè peccato*, reſpondit non aliud ſe intellexiſſe, quàm *hominem à peccatis converſum, proprio labore, & Dei gratiâ poſſe eſſe ſinè peccato*. Sed Auguſtinum fallere non potuit, qui cum multis aliis, quibus hæreſiarchæ verſutia ſuſpecta erat, ominatus eſt fore, *ut ſe hoc dixiſſe ſinè præjudicio ſui dogmatis exponeret poſtea diſcipulis ſuis, ita differens: dixi quidem proprio labore, & Dei gratiâ poſſe hominem eſſe ſinè peccato: ſed quam dicam gratiam, optimè noſtis, & legendo recolere poteſtis; ſcilicet eam, in qua creati ſumus à Deo cum libero arbitrio*: id eſt ipſam naturam à Deo nobis non debitam, ſed datam gratis. Videri Auguſtinus poteſt de geſtis Pelagii cap. 6.

2 Damnata pridem eſt propoſitio Queſnelli à S. Pio V., Gregorio XIII., & Urbano VIII. in ſequentibus Baji, & Sociorum articulis. Primò, *Nec Angeli, nec primi hominis adhuc integri merita rectè vocantur gratia*. Si enim *gratia Adami eſt ſequela creationis, & erat debita naturæ ſanæ, & integræ* non eſt unde merita, quæ ſolius naturæ ſunt, & auxilii naturæ debiti, vocentur gratia; niſi hoc vocabulum improprio, & Pelagiano ſenſu acceperis. Eadem Queſnelli Propoſitio damnatur in Bajano artic. 3. *Bonis Angelis, & primo homini; ſi in ſtatu illo perſeveraſſent uſque ad ultimum vitæ, felicitas eſſet merces, & non gratia*. Hic enim Articulus, ut patet, ſequitur ex priori; Si nempe nec Angeli, nec primi hominis adhuc integri merita rectè vocantur gratia, evidens eſt, felicitatem meritis illis redditam non eſſe cenſendam gratiam; ſed mercedem. Non minùs dilucidâ, & neceſſariâ connexione profluit ille Bajanus Articulus ex Queſnelliano. Si enim gratia Adami erat debita naturæ ſanæ, felicitas ex principio naturæ debito conſequens, non poterat eſſe propriè gratia; ſed retributio. Idem Queſnelli error proſcriptus eſt in hoc Bajano 7. *Primi hominis integri merita fuerunt primæ creationis munera; ſed juxta modum loquendi Sacra Scriptura non rectè vocantur gratia; quo fit, ut tantùm merita, non etiam gratia debeant nuncupari*. Si enim gratia Adami erat ſequela creationis, & debita naturæ integræ, ut ait Queſnellus; merita Adami non rectè vocantur gratia; ſed ſimpliciter, & ſolummodo nuncupari debent merita: quod in Bajo damnatum eſt.

3 Eadem Queſnelli ſententia continet nonam Baji: *Dona conceſſa homini integro, & Angelo, forſitan non improbanda ratione poſſunt dici gratia; ſed quia, ſecundùm uſum Sacræ Scripturæ, nomine gratiæ ea tantùm munera intelliguntur, quæ per* Jesum *Chriſtum malè merentibus, & indignis conferuntur, ideo neque merita, neque merces, quæ illis redditur, gratia dici debet*. Ubi in priore Articuli parte Bajus dona conceſſa homini integro, & Angelo, ait forſitan poſſe dici gratiam, ratione ſcilicet nec Pelagio improbanda, nec Luthero, qui dum veras gratias Theologicas, naturæ ordinem excedentes, negant integritati tam Adami, quàm Angelorum; tamen, ut natura gratis condita eſt, ita quidquid eam ſequitur, appellari hoc ſenſu gratiam non prohibent. At gratias Theologicas naturâ noſtrâ ſuperiores, eique indebitas Bajus poſt Lutherum, & Calvinum à ſtatu illo rejicit, nec admittit Queſnellus. Huic, uti & Bajo, Calvino, Luthero, nulla propria gratia nota eſt, à Deo data homini, niſi quæ per Chriſtum conceditur indiguo, & malè merenti. Ideo, quod operibus hominis integri reſpondet meritum, & merces, inquiunt, *gratia dici non debet*.

4 Articulus Baji 21. eſt: *Humanæ naturæ ſublimatio, & exaltatio in conſortium Divinæ*

vinæ naturæ, debita fuit integritati primæ conditionis, & proinde naturalis dicenda eſt, & non ſupernaturalis. Suppoſito Queſnelli dogmate, quòd gratia Adami ſit ſequela creationis, & debita naturæ ſanæ, & integræ, perſpicuum eſt, *ſublimationem* illam, & *exaltationem* pariter ei *debitam, & proinde naturalem dicendam eſſe, non ſupernaturalem*. Bajana Propoſitio 23. *Abſurda eſt eorum ſententia, qui dicunt, hominem ab initio dono quodam ſupernaturali, & gratuito, ſupra conditionem naturæ ſuæ fuiſſe exaltatum, ut Fide, Spe, & Charitate Deum ſupernaturaliter coleret*; præcisâ *abſurdi* cenſurâ, quam hæc Propoſitio infligit adverſariæ, cætera convenit cum Queſnelliana. Si enim *gratia Adami eſt ſequela creationis, & debita naturæ ſanæ, & integræ*, etiam dici debet fides, ſpes, charitas, quibus Deum coleret, ſequela creationis, & debita naturæ ſanæ, & integræ; vel ſaltèm non ſupernaturalis, neque gratuita ſupra conditionem naturæ exaltatio; cùm effectus eſſet, & ſeqnela creationis, ex principio naturæ integræ debito, elicita.

5 Eidem Articulo Queſnelliano conſentit Bajanus 24. præter cenſuram. *A Vanis, & otioſis hominibus ſecundùm inſipientiam philoſophorum excogitata eſt ſententia, quæ ad Pelagianiſmum rejicienda eſt, hominem ab initio ſic conſtitutum, ut per dona naturæ ſuperaddita, fuerit largitate conditoris ſublimatus, & in Dei filium adoptatus*. Si enim omnis gratia Adami eſt ſequela creationis, & debira naturæ integræ; igitur, & gratia adoptionis fuerit ſequela creationis, & naturæ ſanæ debita; adeòque natnralis, & non ſublimatio per dona naturæ ſuperaddita, ac ſuperantia naturæ ordinem.

6 Dices uterque Baji poſterior Articulus ſolummodo propter cenſuram, quam privatus Theologus Doctorum gravium ſententiæ infligit, non propter dogma à Pontificibus proſcriptus eſt. Proinde cùm Queſnelli Propoſitio, ab omni cenſura abſtineat, non videtur etiam in Pontificiam utriuſque Bajani Articuli damnationem impegiſſe.

Reſpondeo, quidquid ſit de quæſtione inter recentiores aliquos controverſa: *An Propoſitiones inurentes cenſuram Theologicam Doctrinæ probabili, cadant ſub cenſuram Theologicam, & damnationem Eccleſiæ*, de qua videri poteſt Joannes Martinez de Ripalda Tom.3. diſp. 1. procemi: Sect. 5. effugium iſtud hìc locum non habet; nam quinque priores Articuli, eamdem, erſi diverſimodè expreſſam Doctrinam continenr, quam poſteriores duo; atqui nullam illi inurebant adverſariis cenſuram; & ramen, proſcripti ſunt. Solum iraque dubium ſupereſſe poſſet; an gemini poſteriores Articuli, quos eumdem cum præcedenribus errorem dogmatis complecti conſtat, eamdemque propterea incurriſſe damnationem, non etiam alteram ſubierint ob cenſuræ temeritatem.

7 Confirmatur reſponſio ex Articulo Bajano 26., qui ejuſdem conſors dogmatis, Apoſtolico fulmine proſtratus eſt, quamvis duobns illis Articnlis modeſtior ab omni cenſuræ contumeliâ abſtineat. *Integritas primæ conditionis non fuit indebita naturæ humanæ exaltatio, ſed naturalis ejus conditio*; Hunc Articulum conſiderans Cardinalis Bellarminus Tom. 4. de gratia primi hominis lib. unico cap. 5. in fine, *Denique*, inquit, *neſcio, quomodo poſſit ullus hoc tempore Catholicus dubitare, fueritne primi hominis integritas naturalis, an ſupernaturalis, cùm, ut ſupra notavimus duo Summi Pontifices Pius V., & Gregorius XIII. Articulum damnaverint*; Integritas primæ conditionis &c. Neſcio, & ego quomodo poſt duorum illorum Pontificum ſententias, dein ab Urbano VIII. Bulla *in Eminenti* confirmatas, Queſnellus cenſeri volens Catholicus, poſſit aſſerere, omnem *gratiam Adami eſſe ſequelam creationis, & debitam naturæ ſanæ, & integræ*. Si enim omnis gratia Adami, cùm ſanus eſſet, ſequela creationis fuerit, & naturæ debita, liquida fiet conſecutio, nec integritatem illam eſſe indebitam naturæ humanæ exaltationem, ſed naturalem ejus conditionem.

8 Adde Articulum 79. inter damnatos Baji ultimum, *Falſa eſt Doctorum ſententia, primum hominem potuiſſe à Deo creari, & inſtitui ſinè juſtitia naturali*. Si enim Adami gratia ipſi debira fuerit, clarum eſt, debitam fuiſſe juſtitiam naturalem, ab illa gratia inſeparabilem; adeòque à Deo juſtiſſimo, & ſapientiſſimo negari Adamo non potuiſſe. Plures huc adduci poſſent damnati in Bajo Articuli; ſed cui allati non ſufficiunt, quid tandem ſufficere poterit, ut æquiſſimo Clementis XI. judicio contra Propoſitionem Queſnelli trigeſimam quintam ſe ſubjiciat?

9 S. Pius V., qui primus Baji errores profligavit, præ oculis habuit iſtud Angelici ſui Magiſtri, 1. 2. q. 109. Art. 2. *Virtute gratuitâ ſuperadditâ virtuti naturæ, indiget homo in ſtatu naturæ integræ, quantum ad operandum, & volendum bonum ſupernaturale*. Si gratia illa erat virtus *gratuita, ſuperaddita virtuti naturæ*, non ergo *ſequela creationis* fuit, *& naturæ integræ debita*; Docente nos etiam Auguſtino lib. 2. de peccaro Originali cap. 2. *Non enim Dei gratia, gratia erit ullo modo, niſi gratuita fuerit omni modo*, ſive non debi-

debita. Et libro 2. ad Bonifacium cap. 6. *Dei gratia non ſolùm omnia ſidera, & omnes Cœlos; Verùm etiam omnes Angelos ſupergreditur.* Non potuit igitur Adamo eſſe debita.

10 Eodem ſenſu Cyrillus Alexandrinus in Joan. cap. 9. de Adamo ait, *participatione luminis ſplendet ſuper naturam ſuam glorificantis Dei gratiâ, & variis donorum ornamentis aſcendens.*

Ibid. *Miſericors enim Dominus eſt, qui creaturam parvam, atque abjectam ſecundùm naturam, magnam, atque mirabilem ſua efficit bonitate*, gratiis eam augens minimè debitis. Et cap. 19. *Creatura cùm ſerva ſit, nutu ſolùm, & voluntate patris ad ſupernaturalia vocatur; non debito naturæ*, etiam ſanæ, & integræ.

11 Sanè Doctor ſubtilis in 2. diſt. 28. q. unicâ *Potuit*, inquit, *aliquis eſſe in puris naturalibus, tam ſinè gratia, quam ſinè peccato.* Hic paſſim creditur fuiſſe ſenſus Summorum Pontificum condemnantium Baji Articulum 55. *Deus non potuiſſet ab initio talem creare hominem, qualis nunc naſcitur*, abſque originali juſtitiâ, & ſanctitate. Non enim ab initio potuiſſe creari hominem cum peccato, extra diſceptationem eſt, cùm Deum authorem peccati eſſe non potuiſſe, apud omnes Catholicos incomperto ſit. Vide Cardinalem de Aguirre Theol. Sancti Anſelmi diſp. 105. ſect. 2.

12 Denique quod ad Propoſitionem 34. notavi, etiam hic uſu venit, errorem ipſum ſibi refutando ſufficere. Si enim *Gratia* eſt, ut in ſubjecto ponitur, debita eſſe non poteſt, ut monet Iſidorus lib. 7. Etymolog. cap. 3. *Gratiam à gratis dando dictam eſſe*, ideoque propriè gratuitam donationem & ipſe indicat Ariſtoteles lib. 7. Rhet. cap. 7. conſentiente S. Auguſtino Tract. 3. in Joan. *Quid eſt gratia? gratis data. Quid eſt gratia? donata, non reddita.* Et ſermone de verbis Domini, *Ideo gratia, quia gratis datur.*

13 Compoſitionem gratiæ cum debito, quam Queſnellus ſtatuit, ipſe evertit Apoſtolus ad Rom. 4. *Ei, qui operatur, merces non deputatur ſecundùm gratiam; ſed ſecundùm debitum*, & cap. 11. *Si autem gratia, jam non ex operibus; alioqui gratia jam non eſt gratia.*

14 Dices: S. Auguſtinus Epiſtolâ 9. ad Innocentium Pontificem cum Patribus Concilii Milevitani ſcribit; *Quadam non improbanda ratione, dici gratiam, qua creati ſumus.*

Hieronymus Epiſt. 1. ad Cyprianum *Gratiæ Dei eſſe quòd creatus eſt, & illius miſericordiæ quòd ſubſiſtit, & vivit.*

Anſelmus lib. de concordia prædeſt. cap. 3. *Omnis creatura gratiâ exiſtit, quoniam gratis facta eſt.*

S. Bernardus Tract. de gratiâ, & libero arbitrio, col. 5. *Liberum arbitrium ut eſſet, creans gratia fecit.*

Beda quæſt. 13. *Bona vis naturæ ad ſe cognoſcendum, gratia appellari poteſt.*

Reſpondeo de tali latiore gratiæ acceptione diſceptationem non eſſe. Quod autem ita in termino *gratia* luderent Pelagiani, ab Auguſtino reprehenſi ſunt, ut fraudulenti inani vocis ſono Eccleſiam fallere volentes. De quo vide Auguſtinum ſerm. 11. de verbis Apoſtoli, cap. 7., & Epiſt. 90. 95. 106. 252. lib. de geſtis Pelagii cap. 23. clariſſimè Epiſt. 105. *Abjiciatur à Chriſtianorum cordibus iſta fallacia. Nam omnino non iſtam gratiam commendat Apoſtolus, qua creati ſumus, ut homines eſſemus; ſed qua juſtificati ſumus, ut homines juſti eſſemus.*

15 Locus Apoſtoli 2. Cor. 5. verſ. 21. ex quo *Obſervationum Moralium* Author Propoſitionem 35. elicit, nullam habet cum ea connexionem, ut cuilibet citatum hunc Apoſtoli textum conſideranti patebit: *Eum qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur juſtitia Dei in ipſo.* Unde colligimus, Queſnellum novandi prurigine impulſum, non Sacro textui *Obſervationes* accommodaſſe; ſed, ut hæreticis proprium eſt, Scripturas prorſus aliò ſpectantes, & quantumlibet invitas in præconcepti ſui Dogmatis patrocinium contorquere, ac pervertere voluiſſe. Pleraque Patrum teſtimonia ſuperiore capite citata, huc revocari poſſunt, quæ non eſt opus repetere.

16 Error Queſnelli à Bajo quidem, & & Janſenio; ſed ante hos originem duxit à Luthero in cap. 3. Geneſis, ubi de originali juſtitia primi hominis ſic tandem concludit: „ Quare ſtatuamus, juſtitiam non fuiſſe quoddam donum, quod ab extra accederet ſeparatum à natura hominis; ſed fuiſſe verè naturalem, ut naturæ Adæ eſſet, diligere Deum, credere Deo, agnoſcere Deum. Hæc tam naturalia fuêre in Adamo, quàm naturale eſt, quòd oculi lumen recipiunt. Et infra: „ Porrò hæc probant, originalem juſtitiam eſſe de natura hominis; eâ autem per peccatum amiſsâ, non manſiſſe integra naturalia, ut Scholaſtici delirant.

CAPUT II.

Solvuntur Objectiones.

1 Obſervator in Conſtitutionem, „Iſta, inquit, Propoſitio eſt „conſectarium evidens ex illo „ Sancti Auguſtini lib. de Correptione, & „ graria cap. 11. *Si autem hoc adjutorium vel* „ *Angelo, vel homini, cùm primùm facti ſunt,* „ *defuiſſet, quoniam non talis natura facta* „ *erat, ut ſinè Divino adjutorio poſſet manère,* „ *ſi vellet, non utique ſuâ culpâ cecidiſſent;* „ *adjutorium quippe defuiſſet ſinè quo manere* „ *non poſſent; Nunc autem quibus deeſt tale* „ *adjutorium, pœna peccati eſt*. Quibus ver- „ bis perſpicuè docetur primò, quòd Deus „ debuerit ſuæ juſtitiæ, ut concederet gra- „ tiam homini innocenti. Secundò, quòd „ hæc juſtitia modò locum non habeat in „ homine peccatore.

Verba Auguſtini retuli prout extant in ejus volumine, non prout ab adverſario ingeruntur. Is enim pro *ſi autem hoc adjutorium vel Angelo, vel primo homini, cùm primùm facti ſunt, defuiſſet* ponit: *Si adjutorium neceſſarium ad perſeverandum in bono, vel Angelo, vel homini cùm primùm facti ſunt, defuiſſet*. Vera Auguſtini ſententia eſt quòd, *ſi hoc adjutorium*, quale antea pluribus deſcripſit, & nos ex Sancto Doctore pluribus ſupra retulimus, ſtatui innocentiæ proprium, defuiſſet Angelo, vel Adamo innocenti, ſinè culpa cecidiſſent, quia perſeverare non poterant ſinè omni gratia; *quoniam non talis natura facta erat, ut ſinè Divino adjutorio poſſet manere ſi vellet*. Atqui ſi defuiſſet ipſis *hoc adjutorium* ſtatui innocentiæ præſtitum, caruiſſent omni adjutorio; cùm illi ſtatui non daretur auxilium, peccati, & infirmitatis ſtatui reſervatum: nec aliud eis obtingeret medium inter utrumque memoratum. *Nunc autem quibus deeſt tale adjutorium* (naturæ integræ) *pœna peccati eſt*.

2 Quem, inquies, uſum habere potuit ea Auguſtiniani textûs mutatio? Ut veluti authoritate tanti Doctoris in præſenti ſtatu deſtrueret liberum arbitrium, & peccandi neceſſitatem inveheret, perſuadendo, nunc deeſſe plurimis omne Auxilium neceſſarium, ſinè quo præcepta obſervari nequeant; peccari tamen; quia omnis gratiæ denegatio, atque adeò obediendi impoſſibilitas, & peccandi neceſſitas pœna peccati eſt. Quæ concluſio educi non poterat ex genuina Auguſtini ſententia. Nam etſi in pœnam peccati nunc denegetur *hoc auxilium*, quod fuerat ſtatui innocentiæ deſtinatum; non propterea deſtituimur omni penitùs auxilio lapſis, & infirmis hominibus à Dei miſericordia propter Chriſti merita præparato. Adeò nihil unquam fidere poſſumus citationibus adverſariorum; neque facilè credendum, quòd ubi Latinæ Patrum ſententiæ verſione vernacula immutantur, non maligno conſilio ſtudioſè procurata corruptio ſit; ſed caſu, vel attentionis, vel linguæ vernaculæ defectu innocuè proveniens. Non attentio, non ſagacitas, non idiomatis peritia Novatoribus deeſt; ſed bona fides. Semper illis pendet hamus ad capiendos ſimplices: abundant vigilantiâ ad fallendum: & ut vix ulla Sanctorum Patrum adeò perſpicua ſententia eſt, quàm corrumpere haud noverint, ita rariſſima apud illos corruptio fortuita eſt, & non in novitatis patrocinium ſtudio excogitata.

3 Sed examinanda nunc ex Auguſtini verbis ab adverſario elicita concluſio: *Quòd Deus debuerit ſuæ juſtitiæ, ut concederet gratiam homini innocenti*. Non hic video gratiam, quæ fuerit *ſequela creationis, & debita naturæ ſanæ*. Idemne fortè adverſariis eſt Deum debere aliquid ſibi, & debere homini, vel Angelo? Fidelis eſt Deus, qui non patietur nos tentari ſupra id, quod poſſumus, teſte Apoſtolo; hoc igitur Deus debet fidelitati ſuæ, & quidem in ſtatu, in quo miſeri modò vivimus, naturæ lapſæ; ut vel non ſinat hominibus evenire tentationes, vel auxilium iis præparet ſufficiens ad reſiſtendum. Non tamen ideo adverſarii agnoſcunt, Deum hominibus lapſis debere gratiam. Multa poteſt Deus debere ſapientiæ ſuæ, & juſtitiæ, quæ nulli debeat creaturæ. Sapientiæ ſuæ, & juſtitiæ debet Deus, ut non præcipiat homini, præcipuè juſto, impoſſibilia; neque pœnas exigat ab eo, ſi quid non fecerit, quod in ſua poſitum non habuerit poteſtate, ut contra Lutherum, & Calvinum à Tridentinis Patribus, & contra Janſenium à Pontificibus definitum eſt. Unde quoties Deus imponit homini præcepta, quæ abſque ſupernaturali auxilio impleri nequeunt, exigit à Deo ſua ſapientia, & juſtitia, ut tale auxilium, licèt naturæ hominis indebitum, omnemque naturæ ordinem tranſcendens, nequaquam deneget; præſertim ſi tranſgreſſionem ad culpam, & ſupplicium imputare decreverit. Non ideo tamen adverſarii dicent ſupernaturale auxilium hominibus in Adamo lapſis eſſe debitum; præterea ipſa ſanitas, & integritas Adami, & Angelorum non fuit naturæ debita; ſed ex gratia gratis data, ut contra Bajum Pontifices definivêre, damnantes hunc ejus Articulum 26. *Integritas primæ conditionis*

non

non fuit indebita humanæ naturæ exaltatio; ſed naturalis ejus conditio: Et 55. *Deus non potuiſſet ab initio talem creare hominem, qualis nunc naſcitur*; videlicet abſque originali juſtitia, & ſanctitate; adeóque nè quidem juſtitiæ ſuæ debuit Deus, ut hominem condens, integritatem, ſanitatemque, qualem Adam, & Angeli habuêre, eis conferret; unde nè quidem ſenſus improprius, quem Queſnelli Articulo obſervator affingere nititur, eum eximit à damnatione, quam nec ipſa effugit mitigatio.

4 Altera Obſervatoris objectio eſt, ex his Auguſtini verbis eodem cap. 11. de Correptione & Gratia. *Nunc autem quibus deeſt tale adjutorium, jam pœna peccati eſt: quibus autem datur, ſecundùm gratiam datur, non ſecundùm debitum, & tanto ampliùs datur per* Jesum *Chriſtum Dominum noſtrum, quibus id dare Deo placuit*. Hinc obſervator nos laqueo ineluctabili conſtringi autumat. „ Gratia, „ igitur (inquit) data fuit Adamo innocenti „ velut debita: non quòd gratia ei deberetur propriè, ſed quòd Deus deberet juſtitiæ ſuæ, ut eam homini in ſtatu adeò felici „ minimè denegaret. „ Non textum integrum, ut à me redditur, Adverſarius adducit; ſed tantum ait, quod „ Auguſtinus eodem capite gratiam ſtatûs præſentis opponens gratiæ Adami, aſſerat eam non dari „ *ſecundùm debitum* „ Ubinam autem Auguſtinus aſſerit, oppoſitionem debere eſſe quo ad omnia? Vel eſſe in ratione debiti? Totus S. Doctoris ſcopus eſt contra Pelagium, veram Chriſti gratiam, eamque naturæ hominis indebitam ſtabilire. Quam quidem multiplici diſcrimine ſeparat à gratiâ Adami ante peccatum; ſed nuſquam ait, eam eſſe utriuſque gratiæ oppoſitionem, ut, quidquid uni tribuitur, alteri denegandum ſit; alioqui, ut Adverſarius ait, quòd juxta Auguſtinum illo capite gratia Adamo tantùm fuerit impropriè debita, deberet in ſtatu præſenti intelligi indebita impropriè, vel propriè debita; nam deberi impropriè, & non deberi propriè nequaquam opponuntur.

5 Deinde in ipſa, quam truncavit, Auguſtini ſententiâ, videre Adverſarius potuit, non adſtrui hìc oppoſitionem quoad omnia; cùm dicitur: *Et tanto amplius datur per* Jesum *Chriſtum Dominum noſtrum, quibus id dare Deo placuit*. An non adjutorium in ſtatu naturæ integræ datum à Deo, *& tanto ampliùs datum quibus id dare Deo placuit*? Majorem ſapientiam, majora etiam gratiæ dona obtigiſſe Adamo, utpote capiti totius humani generis, & à quo, non ab Eva, penderet totius humani generis felicitas, Adamo injuſtum, majora gratiæ dona, quàm ejus conjugi obveniſſe, apparet indubitatum. De bonis Angelis ampliùs ad perſeverandum adjutis, quàm fuerint, qui cecidêre, clariſſima Auguſtini ſententia eſt lib. 12. de Civitate Dei cap. 3. *Illis*, inquit, *mala voluntate cadentibus, illi ampliùs adjuti, ad eam beatitudinis plenitudinem, unde ſe nunquam caſuros certiſſimi fierent, pervenerunt*.

6 Redeo ad ipſum caput ab Adverſario objectum. Illic Auguſtinus, ut Pelagianos certiùs convincat de gratiâ indebitâ, urget eos exemplo perſpicuo humanitatis Chriſti, quæ nulli actuali, aut originis peccato obnoxia fuit, maximè ſemper ſana, & innocens: attamen nè in hac quidem, inquit, reperiri quidquam poteſt boni meriti, propter quod à Dei filio aſſumeretur; indè fruſtrà in nobis bona quæruntur, ob quæ in filios Dei adoptivos ſuſcipi mereamur. Longiſſimè igitur Auguſtinus abeſt, ab aſſerenda ſtatui innocentiæ gratiâ *ex debito*, cujus in omnibus Auguſtini lucubrationibus, non modò nullum penitùs veſtigium eſt; ſed nihil ejus contra Pelagium doctrinæ magis adverſum, quàm gratia ex debito, ſive ex merito. Et quidem ſermone de verbis Domini: *Ideo*, inquit, *gratia; quia gratis datur*: & tractatu in Joannem approbat illud Ariſtotelis l. 7. Rhetor. cap. 7. *Quid eſt gratia? Gratìs data; quid eſt gratia? Gratis donata, non reddita*. Denique gratia ex ipſa nominis etymologia, & communi mortalium ſenſu opponitur debito. Oppoſitionem manifeſtè agnoſcit Apoſtolus, & tanquam notiſſimam tradit Rom. cap. 4. verſ. 11. Verba dedi capite præcedenti. Sed rei per ſe evidentiſſimæ, quam neque Adverſarii negare unquam auſi fuerint, probatio prolixior ſupervacanea eſt; ideo quaſi proditæ palàm tam abſonæ novitatis eos pudeat, recurrunt ad debitum *improprium*, neque jam debitum homini ſano, ſed ipſi Deo, ſeu ejus *juſtitiæ*.

7 Quid autem prohibet Sedi Apoſtolicæ Articulum hunc *Obſervationum Moralium* in ſenſu obvio, & proprio intelligere, atque de eo ſic accepto proferre ſententiam? Ita Articulos paſſim accipi volunt Queſnelli vindices, atque ipſe inter cæteros hic *Obſervator*, ac de nullo frequentiùs conqueruntur, quàm de acceptis, ut clamitant, Propoſitionibus in ſenſu alieno, fictitio, peregrino, atque exotico, qui nemini ſani cerebri in cogitationem venerit. Verùm nè is quidem ſenſus improprius à cenſuræ debito immunis eſt, & pridem in Bajo, & tribus Romanis Pontificibus S. Pio V. Gregorio XIII. Urbano VIII. ut ſuperiùs oſtendi, condemnatus.

8 Non ſe continet Adverſarius à gravi con-

Digitized by Google

contra Sedem Apoſtolicam indignatione, quòd ſententiam proſcribat adeò innocuam, & Auguſtinianam in S. Auguſtini diſcipulis, dum abſurdiſſimum aliorum, ut ait, errorem diſſimulat, & impunè patitur graſſari: „ Errorem, inquam, Moliniſtarum & Sfondratianorum, quibus maxima permittitur libertas aſſerendi, gratiam reipſa omnibus dari, Deum debere ſuæ juſtitiæ, ut eam nemini deneget, nè ſceleratiſſimis quidem peccatoribus; prohibetur autem nè, cùm de homine innocente ſermo eſt, eadem tribuantur illi, quæ impunè adeò de flagitioſis peccatoribus aſſeruntur. „

9 Nullius ſcholæ, vel perſonæ, etiam Eminentiſſimæ defenſio ad præſens pertinet inſtitutum: neque exceſſus, ſi qui fuerint aliquorum Bajo, ac Janſenio adverſantium, damnatos in utroque Articulos excuſant, neque purgant Queſnellianos. Quapropter diſſimulari à me facilè poſſet, quidquid contra Moliniſtas, vel Eminentiſſimum Sfondratium adducitur. Verùm cùm Sedes Apoſtolica de acceptione perſonarum, & quaſi de graviorum diſſimulatione errorum temerè ac perfidè arguatur, repellenda eſt calumnia, atque digreſſione, qua Adverſarii hìc finiuntur vindiciæ, noſtra quoque terminanda eſt reſponſio.

CAPUT III.

Digreſſio, qua retunditur calumnia impacta in Sedem Apoſtolicam ab Authore Obſervationum in Conſtitutionem.

1 Gratiam aliquam ſeu proximè, ſeu remotè ſufficientem, & qua proximè ſufficiens, ſaltèm petendo obtineri queat, præſtò eſſe peccatoribus, quoties urget pœnitentiæ præceptum, vel quodcunque aliud abſque gratiâ obſervatu impoſſibile, gravium ex ſcholis omnibus Catholicis Scriptorum ſententia eſt. Sola doctiſſimi Cardinalis Aguirrii ab ipſis ſæpius Adverſariis probata, laudataque authoritas, deberet eorum in exprobrando reprimere levitatem. Audiant itaque quem Patronum ſibi cùm viveret,& mortuum toties invocant. Is in Theologia S. Anſelmi diſp. 125. ſect. 2. ait: „ Alia ratio ſit, & longè ſolidior, quæ „ deſumitur ex generalitate gratiæ excitan„ tis, & auxilii aliquo modo ſufficientis ad „ bene operandum, quod nulli viatori ne„ gatur, etiam flagitioſiſſimo, & cujus ſalus „ omnino deſperata videatur. „ De quo dogmate ſic enuntiat; „ Eſt commune inter „ ſacros interpretes, & Scholaſticos ferè „ omnes in 4. diſt. 15. traditurque à D.Thoma 3.parto q.86.Art.1. & in 1.diſt.46. Artic.1, quæſt.1. & in 2.diſt.28. q.1.art.4. & de veritate q.14.art.11. & 3.contra gentes cap.159. Alexandro Alenſi 4.par.Tract.13. num. 4. art. 2. Bonaventura in 2, diſt. 28. quæſt.ultimâ. Scoto in 2.diſt.46. qu.unica. Altiſiodorenſi l. 3. ſummæ Tract. 2. cap.2. quæſt.5. Medina Tract.1.de pœnit.qu.11. Ferrarienſi 3.contra gentes cap.159.Petro de Soto lect.5.de pœnit. Victoria relectione de eo, ad quod tenetur homo. Alvarez de auxiliis diſp.102.Sylvio t.2.quæſt.111. art. 3. quæſt.4. Vega lib.3. in Tridentinum cap.12. & 13. Driedone lib.de captivitate Tract. 5. à principio. Imò ferè omnibus Theologis, quarumlibet ſcholarum, iis præſertim, qui noviſſimè adversùs Janſenium ſcripſerunt; ſuntque numero quàm plurimi.

„ Et probatur primò: quoniam in Sacra „ Scriptura ſæpe, & indifferenter exprimitur „ voluntas, & miſericordia, qua Deus vult, „ hortatur, & allicit, quoſcunque peccatores,ut convertantur,& pœnitentiam agant; „ quod planè ſupponit in eis, aut infert aliquod auxilium quodammodo ſufficiens ad „ ſalutis opera. Id conſtat; nam Ezechielis 18. habetur tritum illud: *Nolo mortem peccatoris;ſed,ut convertatur*,&c.Et cap.33. *Nunquid voluntatis mea eſt mors impii*. Matth. 9. *Non veni vocare juſtos;ſed peccatores*. Ac nè putaremus excipi ab hac regula peccatores aliquos propter inſolitam ſcelerum gravitatem; Iſaiæ 1. verſ. 18. dicitur: *Si fuerint peccata veſtra, ut coccinum, quaſi nix dealbabuntur: Et ſi fuerint rubra quaſi vermiculus, ſicut lana alba erunt*. Et Paulus ad Rom. cap.2. alloquens obſtinatum peccatorem,*ſecundùm duritiam,& impœnitens cor*, nihilominus ait verſ. 4. *Benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit*.

„ Secundò probatur idem antecedens „ ex Conciliis, Patribuſque docentibus, „ ſemper in hac vita dari locum pœnitentiæ, „ ut habetur in Concilio Lateranenſi cap. *Firmiter* de Summa Trinitate. Conſtatque „ præterea ex Tridentino tota ſeſſ. 14. quæ „ eſt de Sacramento Pœnitentiæ. „ Deinde poſt citatam longam Seriem Patrum ait; „ Tertiò denique probatur ratione; „ nam licèt peccata alicujus, ſive propter „ multitudinem, ſive ob inſolitam gravitatem, mereantur abſentiam, ſive denegationem omnis auxilii,etiam ſufficientis ad „ converſionem, & pœnitentiam; non ideo „ talis, & tanta pœna ad executionem per„ du-

„ ducitur; nam ex promiſſione fundata in „ miſericordia Dei, & meritis Chriſti excedentibus omnem peccatorum nequitiam, „ invitatur peccator ad veniam, & ſalutem, „ quandiu in vita eſt. Idque exigit quaſi ex „ congruentia, ſtatus ipſe viatoris. „

Tandem concludit Cardinalis „ Ratione promiſſionis indifferentis, & generalis „ circa auxilia ad ſalutem, probatum eſt, illa „ nunquam alicui peccatori, licèt nequiſſimo, negari omnino, dum viator eſt. „ Ubi manifeſtum eſt debitum ſufficientis auxilii dandi peccatoribus, juxta illam Eminentiſſimi ſententiam fundari in Divinis promiſſionibus; quales Queſnellus pro debita naturæ integræ gratia nuſquam reperiet.

2 Eodem fundamento cum Cardinale Aguirre nituntur è Schola Thomiſtica ſcriptores complures non infimæ notæ. Didacus Nuñes Cabezudo. Tomo 2. in 3. parte q.86. ad art.3. *Impoſſibile eſt*, inquit, *quòd peccatores ſalventur, niſi agant pœnitentiam; ſed omnibus dat Deus auxilium ſufficiens ad ſalutem; ergo etiam ad pœnitentiam. Minor patet ex illo Joannis: Sic Deus dilexit Mundum, ut Filium ſuum unigenitum daret: & ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris, non pro noſtris autem tantùm; ſed etiam pro totius Mundi.*

3 Plurium Thomiſtarum ſententiam habemus in Theologia nomine Salmanticenſium edita anno 1679. ubi Tractatu 14. q. 111. diſput. 6. de gratia efficaci pag. 515. aſſerunt, „ Omnem hominem adultum habere auxilium ſufficiens ad ſuam converſionem, vel „ immediatè in ſe ipſo, vel mediatè in alio „ auxilio, quo ſi uteretur, aliud perfectius, „ & proximè ſufficiens conſequeretur. „ Et ſup. „ Nullum hominem obligari elicere „ in aliquo inſtanti actum ſupernaturalem, „ qui non habeat auxilium ſufficiens ad ejus „ impletionem, vel immediatè in ſe ipſo, vel „ mediatè in alio auxilio, quo poſſit perfectius auxilium conſequi. Ibidem contemnendum Catholicis ſtatuunt odium Petri „ Molinæi Calviniſtæ dicentis: *Peſſimum, quod in opinionibus iſtis nuperis reperio, eſt gratia iſta ſufficiens, quam dicitur Deus dare omnibus hominibus*. Idem lapis offenſionis eſt Queſnello, & Arnaldo, quibus inter peſſima, quæ reperiunt in Decreto Alexandri VIII. contra 31. Propoſitiones eſt damnatio hujus 5. *Pagani, Judæi, Hæretici, aliique hujus generis nullum omnino accipiunt à* Jesu *Chriſto influxum; adeòque hinc rectè inferes, in illis eſſe voluntatem nudam, & inermem ſinè ulla gratia ſufficienti.*

Mallent ſcilicet novi Theologi, nos ſubſcribere his Obſervationum Moralium Articulis, 26. 27. 28. 29. *Nulla dantur gratia, niſi per fidem: Fides eſt prima gratia, & fons omnium aliarum: Prima gratia, quam Deus concedit peccatori, eſt peccatorum remiſſio: Extra Eccleſiam nulla conceditur gratia.*

4 Inter Molinæ Adverſarios à Queſnello, & ejus ſectatoribus paſſim refertur Eminentiſſimus Bellarminus, cujus contra hæreticos controverſiæ à Sacra Rituum Congregatione approbatæ ſunt, neque quæ illic traditur de auxiliis doctrina, ab ullo hactenus Catholico aliquâ cenſuræ maculâ conſperſa eſt. Hic autem lib. 2. de gratia, & libero arbitrio cap. 6. *Septima*, inquit, Propositio: *Auxilium ſufficiens, ac neceſſarium ad vitanda peccata omnibus hominibus, & omni tempore, vel immediatè, vel mediatè à Divina benignitate præſtatur .... Dicimus mediatè, vel immediatè; quoniam certum eſt aliquos non habere ſufficiens auxilium, quo poſſint immediatè reſiſtere tentationi, & evitare peccatum; tamen habere auxilium, quo poſſint à Deo majorem gratiam, majores vires, majora denique præſidia impetrare, quibus adjuti omnino tentationi reſiſtent, & peccata vitabunt.*

Aſſertionem ſtabilit hac ratione in Scripturis, & Patribus fundata: *Nulli ſunt, quamvis excæcati, & obdurati, qui non verè propriéque peccent, ſi deliberato animo tranſgrediuntur præcepta Dei; nemo autem peccat in eo, quod vitare non poteſt; igitur nulli ſunt, quamvis excæcati, & obdurati, qui non poſſint Dei mandata non tranſgredi. Cùm autem id non poſſint viribus propriis, ut nunc aſſumimus tanquam certum, ſequitur, ut poſſint per auxilium Dei, quod ſemper iſtis ſit paratum, & certum.*

5 Ipſe Doctor Angelicus in caput 12. Hebr. lect. 3. *Gratia nulli deeſt; ſed omnibus, quantum in ſe eſt, ſe communicat.* Et lib. contra gentes cap. 150. *Deus quantum in ſe eſt, paratus eſt omnibus dare gratiam; vult enim omnes homines ſalvos fieri.* Idem Sanctus de veritate q. 24. art. 11. *Obſtinatio in via eſt imperfecta, ita quod non de facili poſſit quis cooperari, ut exeat de peccato; non poteſt autem ita eſſe obſtinatus in malo, quin ad ſuam liberationem cooperari poſſit;* cùm nempe Deus peccatoribus præcipiat pœnitentiam, quæ ſolis eorum viribus peragi nequeat, auxilium offert ſufficiens, & ſuo tempore confert. In 4. diſt. 20. q. 1. art. 1. *Quamdiu manet homini uſus liberi arbitrii in hac vita, poteſt ad gratiam juſtificantem ſe præparare, de peccatis dolendo.* Poteſtne de peccatis dolere abſque ullo gratiæ auxilio?

6 Angelico hic facem prætulit Auguſtinus in Pſalmum 6. num. 8. ad illud Apoſtoli *tradidit illos Deus in reprobum ſenſum. Hæc*, inquit, *eſt cæcitas mentis: in eam quiſquis immit-*

Digitized by Google

mittitur, ab interiore Dei luce ſecluditur; nondum tamen penitùs, dum in hac vita eſt. Et in Pſalm. 102. de Chriſto ait: *Sanat omnino quemlibet languidum; ſed non ſanat invitum; quid autem te beatius, quàm ut tanquam in manu tua ſic habeas in volantate ſanitatem tuam. Ergo hoc tibi dicitur omnis homo, ſi te ægrotantem labor iſte convincit*, &c. Eſtne omni homini, peccatorum languoribus oppreſſo, ſanitas in voluntate, & tanquam in manu ejus poſita abſque gratiæ auxilio? Si ita deliraſſe dixeris Auguſtinum, ſimul feceris Pelagianum. Proinde neceſſe eſt, Sanctiſſimum Doctorem agnoſcas, non denegaſſe peccatoribus, etiam ſe non convertentibus, omnem gratiam, eamque ſive immediatè, ſive mediatè ſaltèm ſufficientem.

Evidens igitur eſt, ſententiam de præparata, & oblata omnibus etiam peccatoribus gratia, non eſſe iſtiuſmodi, quæ provocare in ſe debuerit Sedis Apoſtolicæ cenſuram, ut provocavit in ſe Queſnelli Articulus.

7 Quod attinet ad *debitum juſtitiæ*, quo obſervator offenditur, nulla Schola in Eccleſia eſt, nullus Theologus, qui dixerit, quòd Deus ſimpliciter, & abſolutè debeat gratias dare, vel etiam offerre peccatoribus, quemadmodum homini ſano debitum aſſerit Articulus Queſnelli; ſed omne, quod Catholici affirmant debitum, ex mera ſuppoſitione eſt, eaque Deo liberrima; ut proinde de ſupremo ejus, & perfectiſſimo in Creaturas dominio nihil detrahat, ut manifeſtè detrahit doctrina Adverſarii.

8 Suppoſitiones, quibus omne Dei debitum in Catholicorum ſententiis nititur, ſunt, quòd Deus nos creaverit ad finem, & beatitudinem ſupernaturalem: quòd, poſtquam peccando in Adamo ſalute excidimus, miſerit Deus filium ſuum, ut peccatorum remiſſionem, & ſalutem omnibus mereretur; quòd Chriſtus pro ſalute omnium hominum mortuus ſit; quòd omnes ad Cœnam magnam, ad Agni nuptias, æternam beatitudinem vocaverit, quòd velit, ut adulti ad eam ſe bonis, & ſupra naturæ vires actibus diſponant: quòd Deus multa nobis præcipiat, quæ ſinè gratiæ auxilio implere non poſſumus: quòd Deus ſæpe per Prophetas declaraverit, præcepta ſua eſſe ſervatu poſſibilia: per Chriſtum, quòd jugum ſuum ſit ſuave, & onus leve: per Apoſtolum, quòd non patietur nos tentari ſupra id, quod poſſumus ſuſtinère. Rurſus per Prophetas, quòd præcipiat omnibus peccatoribus, ut laventur, mundi ſint, auferant malum cogitationum ſuarum: quòd voluerit eſſe notum omnibus, non eſſe voluntatem ſuam peccatoris interitum, ſed ejus reditum in viam ſalutis.

9 Neminem excipit, per Ezechielem denuntians: *Vivo ego dicit Dominus Deus, nolo mortem impii; ſed ut convertatur impius à via ſua, & vivat. Convertimini, convertimini.... Impietas impii non nocebit ei*. Et quidem per eumdem diſtinctiùs de reprobis teſtatur: *Nolo mortem morientis: convertimini, & vivite*. Per Petrum ait, quod *nolit aliquos perire; ſed omnes ad pœnitentiam reverti*. Benigniſſima, & generalis eſt Chriſti ad peccatores omnes directa invitatio: *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos*. Denique ex his omnibus, ut alia prætermittam, apparet certiſſimum, non ſolùm omnes peccatores ad pœnitentiam, & converſionem invitari; ſed etiam omnibus eſſe præceptam; adeò ut ſinè nova culpa, ſinè novo demerito, ſupplicioque graviſſimo prætermittenda non ſit.

10 Ecce quot ſuppoſitis, & quidem Deo liberis nitatur quodcunque Theologi communiter ſtatuunt debitum in Deo conferendi gratias, etiam peccatoribus. Providentiæ enim ſuæ, inquiunt, debet Deus, ut, cùm hominem ad finem naturæ ordine ſuperiorem creaverit, præceptaque dederit naturæ vires excedentia, non deſerat eum penitùs, denegando auxilia, aliàs naturæ prorſus indebita; ſinè quibus præcepta ſervare, & ad præſcriptum finem pertingere nequeat. Si lapſis dein hominibus Filium ſuum dederit Redemptorem, & Mediatorem, ejus meritis, cùm infinita ſint, debentur auxilia, quæ Filium ſuum Deus pro nobis mereri voluit. Hoc debitum quoddam juſtitiæ eſt Dei erga Filium. Veracitati quoque ſuæ, & Fidei in ſervandis promiſſis debet, quæ promiſit ſubſidia, & benè operantibus uſque ad finem, mercedem beatitudinis. Debet denique ſuæ ſapientiæ & juſtitiæ, ut præcepta imponens viribus naturæ ſuperiora, ſupernaturale non deneget auxilium, quo valeant adimpleri.

11 Quare Ennodius Ticinenſis Epiſcopus lib. 2. Epiſt. 19. *Inter homines à recti diſcordat effectu, qui à ſubditis exigit, quod in poteſtate non tribuit. Hoc de Deo qua conſcientia ſentiatur, advertite*. S. Odo Cluniacenſis Abbas lib. 1. collat. num. 13. *Naturæ fragilitatem opponimus Deo, quaſi neſciat ille, quales fecit, & oblitus noſtræ humanæ fragilitatis impoſuerit homini mandata, quæ ferre non poſſit. O cæcam veſaniam! O profanam temeritatem! Dupliciter quippe videntur Deum incuſare: neque enim juſtus, qui poſſe dedit, impoſſibile aliquid imperare poteſt: neque qui pius eſt, hominem damnare pro iis, quæ vitare non poteſt. Et quomodo ſtaret, quod ipſe perhibet, jugum meum ſuave eſt? Hanc itaque juſto iniquitatem, nec pio crudelitatem adſcribamus*. Hic iterum in Deo

Deo debitum habemus pietatis, & juſtitiæ pro non negandis homini auxiliis ſufficientibus, ut implere valeat præcepta, pœnamque effugere tranſgredientibus poſitam.

12 Sed nihil apud novos Auguſtini diſcipulos agimus; ſi non evicerimus ex Auguſtino. Audiatur igitur lib. de Fide contra Manichæos cap. 9. 10. „ Adversùs hæc ſolitâ „ cæcitate Manichæi latrant, & cùm convin„ cuntur, naturam non eſſe malam; ſed in „ poteſtate eſſe hominis facere bene, & ma„ lè, dicunt non eſſe animæ liberam volun„ tatem, & non vident cæcitatem ſuam &c. „ Quis enim non clamet, ſtultum eſſe præ„ cepta dare ei, cui liberum non eſt, quod „ præcipitur facere? Et iniquum eſſe, eum „ damnare, cui non fuit poteſtas juſſa com„ plere? Et has injuſtitias, & iniquitates „ miſeri non intelligunt ſe Deo adſcribere: „ nec intelligunt Queſnelliani, in hoc Manichæorum potiùs, quàm Auguſtini diſcipuli. Habemus itaque hic iterùm in Deo quid ſapientiæ ſuæ, & juſtitiæ debeat. Neque Sanctus Doctor ad ſolos juſtos reſtringit ſententiam; ſed abſque diſtinctione loquens de omnibus, etiam peccatoribus, videtur intelligi voluiſſe, nihil à Deo præcipi eis impoſſibile.

13 Et Trident. ſeſſ. 6. cap. 11. ex Auguſtino ait, *Deus impoſſibilia non jubet; ſed jubendo monet, & facere quod poſſis, & petere quod non poſſis, & adjuvat ut poſſis*. Quamvis autem Tridentinus ejuſdem ſeſſionis canon 18. uti & definitio Pontificum contra primam Propoſitionem Janſenii anathema reſtringant ad ſolos aſſerentes mandatorum obſervationem in juſtis impoſſibilem; aliud tamen anathema, contra Propoſitionem tertiam abſque ulla limitatione ferit, affirmantes *Ad merendum, & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ non requiri libertatem à neceſſitate; ſed ſufficere libertatem à coactione*: Scripturis quoque, Traditioni, rationi Theologicæ longè conformior eſt ſententia Scholaſticorum communiſſima, Deum nihil peccatoribus impoſſibile imperare; ſed offerre ſemper gratiam, qua poſſint, quod præcipitur, adimplere.

14 Cùm verò exiſtimant Authores, hanc Dei cum hominibus, etiam peccatoribus quibuſcunque agendi rationem ad ejus quodammodo juſtitiam pertinere, probabilibus ſaltèm ducuntur argumentis, & ſuppoſitis Deo liberis, quæ proinde nihil ei neceſſitatis propriè imponunt: neque perfectiſſimum ejus in homines dominium ullatenùs imminuunt; ſed ejus miſericordiam, ſapientiam, juſtitiam commendant plurimùm. Aliàs abſolutè poterat creare hominem, uti abſque peccato, ita abſque ullis donis naturæ ordinem ſupergreſſis. Poterat quoque, dum juſtitiâ in Adamo excidimus, nos abſque Mediatore deſerere: Poterat & Filium pro ſalute mittere duntaxat aliquorum. Poterat lapſos in primum actuale peccatum, ut malos Angelos, relinquere abſque remedio ad ſalutem: poterat nullam peccantibus præcipere ſalutarem, & ſupernaturalem pœnitentiam, nec aliud illis imponere præceptum, ad quod opus foret gratiâ. At verò adverſariorum Articulus damnatus à Clemente XI. debitum ſimpliciter, & abſolutum ſtatuens, injurius Deo eſt: Omnipotentiam ejus, & perfectiſſimum in res creatas dominium ſubvertit; atque adeò Deum ipſum reddit impoſſibilem. Nonne enim Deum nobis fingeret imperfectum, debilem, chimericum, qui eum vellet à rebus inferioribus dependere, ut exiſtere ſinè illis haud potuiſſet?

15 Non minùs perfectioni infinitæ, atque omnipotentiæ detrahit, quiſquis negaverit, poſſe à Deo hominem, aut Angelum creari cum ſola naturali innocentia, & ſanctitate, ac dein ruſſus deſtrui, vel cum donis ſolis naturalibus conſervari. Nonne Deus Theſaurorum ſuorum Dominus eſt, ut eos tribuat, quibus vult, & quibus voluerit, deneget? Hanc naturæ lumine notiſſimam veritatem agnoſcere aliquando noluerat Michael Bajus, quæ ejus Doctrina in multis Propoſitionibus eſt à Pio V., non ſolùm Sancto; ſed etiam doctiſſimo Pontifice confixa. Errorem Author retractavit, faſſuſque eſt, meritò à Sede Apoſtolica proſcriptum eſſe, eodem, quo ipſe tradiderat ſenſu.

Sed, ut inſidiari hominibus nunquam deſinit perpetuus noſtri generis hoſtis, fefellerat Janſenium frivolis rationibus ad revocandos ab exilio errores. Verùm & Janſenius publicis teſtamenti tabulis ſe, ſuumque opus judicio Pontificis ſubmiſit. Queſnellus autem ſupra Magiſtros ſuos Bajum, & Janſenium ſapiens, contemptâ non S. Pii V. ſolummodo, & Gregorii XIII.; ſed etiam, qui prioribus acceſſit, Urbani VIII. irrefragabili authoritate, prohibitam doctrinam reſtitui vult; & nè Clementis quidem XI. ſe ſubmittere judicio.

16 Unde redit huc Vincentii Lerinenſis ſaluberrimum ad Orthodoxos *Commonitorium* (cap. 11.) „ O verè mira converſio! Authores ejuſdem opinionis Catholi„ ci; conſectatores verò hæretici judican„ tur. Abſolvuntur Magiſtri, condemnan„ tur diſcipuli. Conſcriptores librorum „ filii regni erunt; aſſertores verò gehenna „ ſuſcipiet. Nam quis illud Sanctorum om„ nium,

„ nium, & Epiſcoporum, & Martyrum lu„ men beatiſſimum Cyprianum cum cæteris „ collegis ſuis in æternum dubiret regnaturum eſſe cum Chriſto? Aut quis contra„ tam ſacrilegus, qui Donatiſtas, & cæteras „ peſtes, quæ ejus authoritate Concilii re„ baptizare ſe jactitant, in ſempiternum ne„ get arſuros eſſe cum Diabolo? „ Ut igitur de præſenti Articulo diſputationem finiam, ex omnibus, quæ hoc, & ſuperiore capite deducta ſunt, patet opinionem execrabilem à CLEMENTE XI. juſtiſſimè condemnari, utpote à tribus ante Romanis Pontificibus profligatam, retractatam à Michaele Bajo, à Janſenio Sedis Apoſtolicæ judicio ſubmiſſam, & per ſe prorſus eſſe intolerabilem: utpote injuriam Deo, ejus contrariam omnipotentiæ, & perfectiſſimo in res creatas dominio; unde Deus ipſe ex infinitis, atque omni ex parte optimis deturbatus Attributis, redderetur impoſſibilis.

17 Digreſſio autem, ad quam adverſarius provocavit, ita à me pertractata eſt, non quaſi ejus in utramvis partem veritas, vel falſitas aliquid ponderis addat, vel demat præſenti Articulo, ad quem nullatenus pertinet; ſed, ut adverſarii retunderem in accuſandis ſummis Pontificibus temeritatem; quaſi ii dogma deterius impunè per Eccleſiam graſſari permitterent. Quando Queſnellus non inanibus, ut ſolet invectivis; ſed rationibus, ut oportet, ſolidis venenum exoſi ſibi dogmatis oſtenderit, non minùs prompram ad illud feriendum inveniet Sedis Apoſtolicæ cenſuram. Interea dum à nullo hactenus Pontifice damnatum eſt, ut à quatuor Pontificibus proſtratus eſt Queſnelli Articulus, neque aliqua contra illud authoritas affertur gravior, quàm ſit el patrocinantium, clamoribus iſtiuſmodi non terrebuntur omnium nationum, & ordinum Theologi, ut opinioni ſuæ, tot rationum ponderibus, & tanti temporis poſſeſſione firmatæ renuntient.

Trigeſimaſexta Propoſitio damnata.

Differentia eſſentialis inter gratiam Adami, & ſtatûs innocentiæ, ac gratiam Chriſtianam eſt, quòd primam unuſquiſque in propriâ perſonâ recepiſſet; iſta verò non recipitur, niſi in perſonâ JESU Chriſti reſuſcitati, cui nos uniti ſumus. *Obſerv. Moral. Rom. cap. 7. verſ. 4.*

CAPUT I.

Confutatio Propoſitionis hereticæ.

1 ALiquibus Queſnellum benignè interpretantibus, apparet incredibile, ipſum eò uſque deſipere voluiſſe, ut negaret hominibus in ſtatu naturæ lapſæ gratiam intrinſecè receptam. Ipſi quadraginta Galliæ Antiſtites in documento ſuo Paſtorali Propoſitionem hanc ſolummodo referunt inter eas quibus Queſnellus æquè ac Bajus negat ſtatui innocentiæ gratiam propriè ſupernaturalem, & indebitam. Qui ſenſus indubiè damnabilis eſt, uti ad præcedentem Articulum oſtendi! & pridem à tribus Pontificibus in Bajo fuerat proſcriptus. Cùm tamen Queſnelliani Articuli non ſolùm conjunctim à CLEMENTE XI. perſtringantur; ſed etiam ſinguli *diviſim*; neque Bajana illa perverſitas in præſenti Articulo manifeſtè eluceat; verùm ſenſus ejus obvius magis præ ſe ferat aliquid Calviniſmi, de negata ſcilicet hominibus in præſenti ſtatu juſtitia infuſa, & in ipſis receptâ, Propoſitio hoc explicata ſenſu, potiſſimùm refutanda eſt. Non quæro hoſtem, quem feriam; ſed obvium, & ultro inſilientem repellere, atque proſternere eſt animus.

Sermo Propoſitioni de gratia indefinitus, ſeu illimitatus eſt: nulla actualem inter, & habitualem diſcretio. Sed & de utravis accipiatur Propoſitio, manifeſtè hæretica eſt. Hære-

Hæretica, inquam, ſi dicatur nulla nobis dari gratia actualis interior, ſeu nobis intrinſeca, cùm definitum, tanquam fidei Articulus, ſit contra Janſenium, *Gratiæ interiori* in ſtatu naturæ lapſæ aliquando reſiſti, quod de actuali gratia Catholici omnes intelligunt, uti in damnato ſuo Articulo intellexerat Janſenius. Non minùs evidenter hæretica eſt Queſnelli Propoſitio accepta de gratia habituali, quæ ipſa hominis juſtitia eſt; quid enim clarius Tridentino Anathemate contra illius Sæculi hæreticos juſtitiam nobis intrinſecam, ſive in propria perſona receptam negantes? Quaſi verò juſtitia noſtra non ſit, niſi in perſona Chriſti, atque eam non in nobis, ſed in Chriſto ſolummodo recipiamus; quæ tamen noſtra reputetur ratione unionis moralis, ſeu benevolentiæ, quâ nos Chriſtus ſibi in amicos, & fratres adoptando copulavit.

2 Hic ſenſus, qui Propoſitioni proprius eſt, duplici anathemate notatur à Tridentinis Patribus ſeſſ. 6. can. 10. & 11. „ Si quis dixerit, homines ſinè Chriſti juſtitia, per quam nobis meruit, juſtificari, aut per ipſam formaliter juſtos eſſe, anathema ſit. Si quis dixerit homines juſtificari vel ſola imputatione juſtitiæ Chriſti, vel ſola peccatorum remiſſione, excluſâ gratiâ, & charitate, quæ & in cordibus eorum per Spiritum Sanctum diffundatur, atque illis inhæreat; aut etiam gratiam, qua juſtificamur, eſſe tantùm favorem Dei, anathema ſit. „

3 Si gratiam Chriſtianam juſtificantem non recipimus in propria perſona; ſed ſolummodo in perſona Chriſti, quis aliud per hoc intelligat, quàm nos per Chriſti juſtitiam formaliter juſtificari? Hoc autem priore feritur anathemate.

4 Rurſus ſi gratiam Chriſtianam juſtificantem non recipimus in propria perſona; ſed ſolummodo in perſona Chriſti, quid ſupereſt, niſi ut juſtificemur vel ſolâ imputatione juſtitiæ Chriſti, vel ſolâ peccatorum remiſſione, excluſâ gratiâ & charitate habituali, quæ in cordibus noſtris diffundatur, atque nobis inhæreat?

5 Remittamus novi dogmatis Authorem ad Catechiſmum Romanum Tractatu de Baptiſmo, ubi Tridentinam Synodum ſic explicat. *Eſt autem gratia, quemadmodum Tridentina Synodus ab omnibus credendum, pœnâ anathematis propoſitâ, decrevit; non ſolùm per quam peccatorum ſit remiſſio; ſed Divina qualitas in animâ inhærens, ac veluti ſplendor quidam, & lux, quæ animarum noſtrarum maculas omnes delet, ipſaſque animas pulchriores, & ſplendidiores reddit.* Quomodo gratia ſanctificans eſt Divina qualitas in cujuslibet juſti anima inhærens, ſi non in omnis juſti; ſed in ſolius Chriſti perſona recipiatur? In ſola Chriſti perſona recepta *pulchritudo*, eam *pulchram* reddere poteſt; ſed non perſonam aliam, in qua non recipitur. Externa lux efficere poteſt ut pulchritudo magis appareat; ſed ſubjectum, in quo non recipitur, revera pulchrius non efficit; cùm cujuſcunque pulchritudo ſit forma intrinſecè denominans ſubjectum pulchrum, non aliud, quàm cui ineſt, ſive in quo recipitur.

6 Juſtitiam nobis intrinſecam promiſit olim Deus per Prophetas: Jerem. cap. 31. *Dabo legem meam in cordibus eorum.* Ezech. 36. *Dabo vobis cor carneum, & ſpiritum meum ponam in medio veſtri, & faciam ut in præceptis meis ambuletis.* De accepta per Chriſtum juſtitia intrinſeca docemur ab Apoſtolo ad Tit. 3. *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis, & renovationis Spiritûs Sancti, quem effudit in nos abunde.* Rom. 8. *Quos præſcivit, & prædeſtinavit conformes fieri imaginis Filii ſui:* Ibid. dicimur Nos jam per Chriſtum accepiſſe *ſpiritum adoptionis filiorum* Dei. Ibid. *Vos autem in carne non eſtis; ſed in ſpiritu: ſi tamen Spiritus Sanctus habitat in vobis. Si quis autem ſpiritum Chriſti non habet, hic non eſt ejus; ſi autem Chriſtus in vobis eſt, corpus quidem mortuum eſt propter peccatum, ſpiritus verò vivit propter juſtificationem.*

7 Idem ſacræ traditionis ſenſus eſt: ſic Auguſtinus Epiſt. 85. ad Conſentium: *Quid eſt aliud juſtitia, cùm in nobis eſt, vel quælibet virtus, quâ rectè, ſapienterque vivitur, quàm interioris hominis pulchritudo?*

Lib. 15. de Trinitate cap. 8. *Quia creatura cum à ſuo conditore juſtificatur, à deformi formâ formoſam transfertur in formam.*

Lib. 1. de peccatorum meritis, & remiſſione cap. 10. *Legimus juſtificari in Chriſto, qui credunt in eum, propter occultam communicationem, & inſpirationem gratiæ ſpiritalis.* Lib. de natura & gratiâ cap. 38. 42. 70. docet idem Sanctus charitatem infuſam in cordibus, eſſe veram juſtitiam noſtram.

In Pſalmum 98. ad illud *Juſtitiam, & judicium in Jacob tu feciſti, exaltate Dominum Deum noſtrum,* ſic ait: *Verè exaltate, bene exaltate: laudemus, & exaltemus illum, qui fecit ipſam juſtitiam, quam habemus: ipſe in nobis fecit. Quis enim in nobis fecit juſtitiam, niſi qui nos juſtificavit? Nos ergo impii: ille juſtificator, quando & ipſam juſtitiam ipſe in nobis fecit, qua illi placeamus.*

Serm. 15. De verbis Apoſtoli. *Qui crediderit in eum, non habebit ſuam juſtitiam, quæ ex lege eſt; quamvis ſit bona lex; adimplebit ipſam legem non ſuâ juſtitiâ, ſed datâ à Deo;*

Charitas euim plenitndo eſt legis. Et unde iſta ebaritas diffuſa eſt iu cordibus noſtris? Non utique à nobis; ſed per Spiritum Sanctum, qui datns eſt uobis.

Denique tractatu 26. in Joannem: *Quid eſt jnſtitia Dei, & juſtitia hominis? Juſtitia Dei dicitur, non qna Deus juſtus eſt; ſed quam dat homini Deus, ut juſtns ſit homo per Deum.*

8 Hæc, & plurima iſtiuſmodi, quæ ex Auguſtino referri poſſent pro juſtitia homini inhærente, tam ſunt perſpicua, ut Calvinus ipſe multum ſanctiſſimo illi Doctori deferre ſolitus, de eo hic in ſuam pertrahendo ſententiam deſperet; imò lib. 3. inſtit. cap. 11. §. 15. dicat: *Ac nè Auguſtini quidem ſententia recipienda eſt; qui gratiam ad ſanctificationem refert, qua in vita novitatem per ſpiritum regeneramur.*

9 Veritatem Catholicam non minùs dilucidè tradit S. Hieronymus lib. 3. adversùs Pelagianos: *Nnnc*, inquit, *mnndus factus es in lavacro, & de te dicitur: Qua eſt iſta, quæ aſcendit dealbata, ut lota quidem ſit; ſed cuſtodire non valeat puritatem ſuam, niſi à Domino ſnſteutetur?*

10 S. Proſper in Reſponſione ad caput ſextum Gallorum: *Juſtificatus homo, ideſt, ex impio pius factus, nullo præcedente bono merito, accipit donum, quo medio acquirat & meritum, ut quod in illo inchoatum eſt per gratiam Chriſti, etiam per induſtriam liberi augeatur arbitrii, nunquam remoto adjutorio Dei, ſinè qno nec proficere, nec permanere in bono quiſquam poteſt.*

11 S. Cyrillus Alexandrinus lib. 6. de Trinitate: *Calor Spiritûs eſt, qni ſimul nt charitatem in nobis diffuderit, & ejus igne mentes noſtras inflammaverit, jam ſumus juſtitiam conſecnti.*

12 Quas, & ſimiles Patrum ſententias conſpicatus Kemnitius, eorum authoritatem nobis concedere coactus eſt, in prima parte examinis Concilii Tridentini, dicens: *Non movemus litem, quo modo juſtificationem accipiant Patres .... Non ignoro aliter loqui Patres, ſed de proprietate lingnarum quæſtio eſt.*

13 Ego verò Queſnellum ab hac Patrum, & totius Eccleſiæ doctrina in Tridentino Concilio tam apertè definita velle recedere, vix oculis meis credere potui; etſi in damnato Articnlo verbis legerem minimè ambiguis. In ſenſum benigniorem, quamvis minùs proprium, conabar verba acatholica detorquere, nè errorem facerent manifeſtè hæreticum; ſed concurrentibus variorum dogmatum circumſtantiis, quæ præſenti Articulo velut principia, & fundamenta ſunt, fruſtrà me laboraſſe comperio, excogitando ſenſu benigniori, & minùs à catholica doctrina alieno. Nuſquam enim ſtatuitur à Queſnello gratia ſanctificans, quæ ſit divina, ſive ſupernaturalis quædam *qualitas, in animâ inhærens, ac veluti ſplendor & lux, qua animarnm maculas omnes delet, ipſaſque animas pulchriores, & ſplendidiores reddit*, qualis à Catechiſmo Romano ſupra deſcribitur, *velut ab omnibus credenda ſub pœna anathematis*, à Tridentina Synodo decretâ.

14 Deinde ſi, quod in Propoſitione dicitur, *Gratiam Chriſtianam non recipi, niſi in perſona Chriſti*, aliud non ſignificaret, quàm eam non recipi, niſi ex meritis Chriſti, cur addidit *reſuſcitati*? Chriſtus reſuſcitatus extra ſtatum viæ, ac meriti fuit; nulla proinde gratia ex meritis Chriſti reſuſcitati nobis obvenerit. Illud igitur *Gratiam Chriſtianam non recipi, niſi in perſona* JESU *Chriſti reſuſcitati, cui nniti ſumus*, non apparet quem alium ſenſum indicet, præter hunc Calvinianum, gratia Chriſtiana non recipitur in nobis tanquam in ſubjecto; ſed in Chriſto, in quo eſt omnis plenitudo ſanctitatis, & gratiæ, cujus non aliter participes ſimus, quàm quòd Chriſtus nos diligat, atque hac dilectione ſibi quodammodo unitos *ipsâ ſuâ juſtitiâ nos formaliter juſtos faciat*. Quod eſt anathemate damnatum Trident. ſeſſ. 6. can. 10. ac dein can. 11. quo feriuntur etiam *excludentes gratiam, & charitatem, qua & in cordibus* Juſtorum omnium *per Spiritum Sanctnm diffundatur, atque illis inhæreat.*

15 Accedere Queſnellum ad ſenſum Calvini potiùs, quàm Tridentinorum Patrum, & Catechiſmi Romani, eorum juſſu editi, confirmatur vel ex eo, *quòd Queſnellus damnatam in Michaele Bajo doctrinam renovaverit, atque landaverit novam operum ejuſdem Baji editionem*; ut in proceſſu juridico, ſive *Cauſa Queſnelliana* toto Articulo 3. pag. 163. & quatuor ſequentibus demonſtratur.

16 Inter Propoſitiones autem Baji à tribus Pontificibus *in ſenſu Authoris damnatas* ſunt ſequentes: *Juſtitia, qua juſtificatur per fidem impius, conſiſtit formaliter in obedientia mandatorum, quæ eſt opernm juſtitia; non autem in gratia aliqua animæ infuſa, quâ adoptatur homo in filium Dei, & ſecundùm interiorem hominem renovatur, ac divinæ uaturæ conſors efficitur, ut ſic per Spiritum Sanctum renovatus, deinceps bene vivere, & Dei mandatis obedire poſſit.*

63. Sed & illa diſtinctio duplicis juſtitiæ; alterius, quæ fit per ſpiritum charitatis inhabitantem; alterius, quæ fit ex inſpiratione quidem Spiritûs Sancti, cor ad pœnitentiam excitantis; ſed nondum cor inhabitantis, & in eo charitatem

Digitized by Google

tem diffundentis, qua divinæ legis juſtificatio impleatur, ſimiliter rejicitur.

64. *Item & diſtinctio duplicis vivificationis; alterius, quâ vivificatur peccator, dum ei pœnitentia, & vitæ novæ propoſitum, & inchoatio per Dei gratiam inſpiratur: alterius, quâ vivificatur, qui verè juſtificatur, & palmes vivus in vite Chriſto efficitur, pariter commentitia eſt, & Scripturis minimè congruens.*

69. *Juſtificatio impii fit formaliter per obedientiam legis, non autem per occultam communicationem, & inſpirationem gratiæ, quæ per eam juſtificatos faciat implere legem.*

13 *Opera bona à filiis adoptionis facta non accipiunt rationem meriti ex eo, quòd fiant per ſpiritum adoptionis inhabitantem corda filiorum Dei; ſed tantùm ex eo, quòd ſunt conformia legi, quòdque per ea præſtatur obedientia legi.* Omnes Michaëlis Baji Propoſitiones Queſnelliani Articuli pars poſterior velut compendio complectitur.

17 Si enim *gratia Chriſtiana non recipitur in perſona* (cujuslibet juſti) *propriâ*, ſed ſolummodo *in perſona Chriſti*, juſtitia Chriſtiana, non conſiſtet *in gratia aliquâ animæ infuſa, quâ adoptatur homo in filium Dei, & ſecundùm interiorem hominem renovatur, ac divinæ naturæ conſors efficitur, ut ſic per Spiritum Sanctum renovatus, deinceps benevivere, & Dei mandatis obedire poſſit.* Prærer juſtitiam nempe actualem in bonis actibus conſiſtentem, & fortè habitualem ex frequentibus actibus connaturaliter naſci ſolitam, nulla erit habitualis à Spiritu Sancto animæ infuſa. Quæ autem juſtificationis gratia in perſona Chriſti recipitur, ad alios morali ſolùm participatione derivabitur, in quantùm propter Chriſti merita, & ſingularem benevolentiam, remiſſione ſicca, abſque gratiæ per ſe formaliter juſtificantis infuſione, crimina condonabuntur.

18 Sic illa diſtinctio duplicis juſtitiæ: alterius quæ fit per Spiritum charitatis inhabitantem: alterius quæ fit ex inſpiratione quidem Spiritûs Sancti, cor ad pœnitentiam excitantis; ſed nondum cor inhabitantis, & in eo charitatem diffundentis, quâ divinæ legis juſtitia impleatur, ſimiliter rejicietur; quia prior diſtinctionis pars ſublata fuerit; uti & in diſtinctione Propoſitionis 64. pars poſterior. Non enim juſtificatus vivificatur propriè, nec palmes vivus efficitur, ſi vita non recipiatur ab eo in perſona propria, ſed in perſona Chriſti ſolummodo: nam palmes quidem vitam accipit à vite; ſed participatam in ſe recipit, in ſe continet quamdiu à vite non reſcinditur.

19 Juxta eumdem Queſnelli Articulum juſtificatio impii præter actualem, quæ eſt obedientia legis, nulla erit quæ fiat formaliter per occultam communicationem, & inſpirationem gratiæ, quæ per eam juſtificatos faciat implere legem; quia occulta communicatio, & inſpiratio gratiæ nulla erit in juſtificato; ſi nulla gratia recipitur in propriâ juſtificati perſonâ; ſed in perſona Chriſti ſolummodo, ſive, ut Articulus æquivalenti voce enuntiat, *nonniſi in perſona Chriſti recipitur.* Sic & quod Bajus aſſeruit Propoſitione 13. reducitur in campum ab eadem Queſnelliani Articuli ſecunda parte; quia opera bona à filiis adoptionis facta non accipient rationem meriti ex eo, quòd fiant per ſpiritum adoptionis inhabitantem corda filiorum Dei; ſed tantùm ex eo quòd ſint conformia legi, quòdque per ea præſtetur legi obedientia; quandoquidem ſpiritus adoptionis non inhabiret corda filiorum Dei, ſi gratia in eis non recipitur, ſive non in propria eorum perſona; *ſed nonniſi in perſona Chriſti.*

20 Quapropter, etſi ſuperiora ex Scripturis, traditione, Oecumenica Tridentina Synodo, & ejus Catechiſmo luculentiſſima argumenta defuiſſent, abunde debuerant Clementi XI. ad cenſuram tam peſtilentis Articuli ſufficere, cumque impellere trium prædeceſſorum ſuorum ſanctiſſimæ Conſtitutiones, eodem Articulo violatæ toties, quot reducuntur Propoſitiones ab iiſdem olim Conſtitutionibus proſcriptæ.

21 Ex hactenus deductis utcunque colligitur, cur Queſnellus *in Traditione Eccleſiæ* ſub nomine Doctoris Germain tom. 1. pagina 152. ſcripſerit: *Circa materiam de Gratiâ non eſt amplius diſſidium inter Catholicos, & Calviniſtas.* Inter Catholicos nempe Queſnelli ſimiles. Ibidem pagina 200. *Calviniſtæ jam pridem de gratia non ſuſtinuerunt, niſi dogmata Catholica, exceptis aliquibus modis loquendi, & quæſtionibus, quæ tantùm ſunt de voce.* Conſentit Petrus Jurieux famoſus Miniſter, & Scriptor Calvinianus in libello *l'Eſprit de Monſieur Arnauld*; ſed inversâ ſententiâ, & novis Auguſtini diſcipulis parum honorificâ: *Verum eſt*, inquit, *quod ad nos omnino acceſſerint in materia de gratiâ*; nempe Janſeniſtæ ad Calvinianos; non hi ad Janſeniſtas. Dixi ex hoc Articulo iſtud *utcunque colligi*; nam plurima alia doctrinæ capita Janſeniſtarum ad Calviniſtas acceſſum perſpicuè convincunt, quod toto hoc opere apertum, exploratumque Lector Catholicus inveniet.

Digitized by Google

CAPUT II.

Refelluntur argutiæ duorum Queſnelli vindicum.

1 Quid aliud, inquit Hexaplorum Au-
„ thor, indicat Propoſitio, niſi quòd
„ ſinè Chriſto nihil ſimus, quòd
„ nulla in nobis ſit gratia, nulla
„ ſanctitas, aut juſtitia, niſi in quantùm nobis
„ communicatur per Chriſtum, & quantùm
„ ab ejus plenitudine accipimus? In ſtatu in-
„ nocentiæ grariam quiſque recipiebat ſibi
„ propriam. Quæ Evæ conferebatur à Deo,
„ non erat participatio gratiæ Adami. Nul-
„ lus Angelus alteri Salvator erat, aut ſan-
„ ctificator. Aliter modò ſe res habet; uniti
„ ſumus Chriſto, ſicut viti palmites; ad nos
„ vigor; & vita non pervenit, niſi per Chri-
„ ſtum, neque fructum ferre poſſumus, niſi
„ quantum in ipſo manemus, eidem interiùs
„ uniti.

Si aliud noluiſſet Queſnellus intelligi, debuiſſet aliter ſenſum ſuum exprimere, modo Catholicis uſitato, & nonproprio Calviniſtis, juſtitiam habitualem nobis intrinſecam negantibus. Non enim apparet quomodo ea clariùs negari potuerit, quàm dicendo, quod *in ſtatu innocentiæ gratiam unusquiſque in propriâ perſona receperit; Chriſtiana verò non recipiatur, niſi in perſona Chriſti*. Si non recipimus gratiam, niſi in perſona Chriſti, nec in perſonâ propriâ, non recipimus in nobis ipſis. Ad nos quidem omnis gratia pervenit ex Chriſti meritis, atque hac ratione per Chriſtum; eam tamen verè in nobis juxta Fidem Catholicam recipimus, atque adeò in propria quilibet perſona. Si aſſeruiſſet ſolummodo Queſnellus, gratiam à nobis recipi in perſona Chriſti, dubitari quidem hoc periculoſo tempore potuiſſet, an Author novitatibus, etiam prohibitis tantopere addictus, & Calviniſtis paſſim, quàm Catholicis in materia de gratiâ propinquior, etiam hìc ad eos non accederet, ſententiâ utcunque ambiguâ; verùm cùm addit, nos gratiam non recipere in perſona propriâ, & *non niſi in perſona Chriſti*, perſpicuè excluditur omnis receptio gratiæ, præterquam extrinſeca; nam gratia, quæ *non niſi* in perſona Chriſti eſt, tam nobis extrinſeca eſt, quàm ipſa Sanctiſſima Chriſti Perſona.

2 Author *Animadverſionum in Conſtitutionem* ſuſcipit Articulum defendendum accerſito alterius ſententiæ ex Moralibus Queſnelli obſervationibus ſubſidio, & probaturus Queſnellum eſſe à Calviniana hæreſi remotiſſimum. Citato Scripturæ textu, *Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata*; ſic Queſnellus enunciat. „ Primus
„ felicitatis gradus eſt, liberari à peccato
„ vera remiſſione, & , quæ nos verè juſtos
„ reddit, gratiâ. Verùm quomodo libera-
„ mur, ſi peccatum ſolummodo tegitur? Quo-
„ modò juſti ſumus, ſi peccatum vivit in cor-
„ de, ut docent hæretici? Non eſſe, & non
„ apparere idem apud Deum eſt, cujus ocu-
„ lis nihil tectum eſt, nihil videri definit, niſi
„ quod deſierit eſſe.

Videmus quidem hìc peccata remitti: videmus & hominem juſtificari per gratiam; ſed quod potiſſimùm à Queſnello requiritur, eſt aſſertio ſanctificantis gratiæ nobis intrinſecæ, quam quiſque in propriâ perſona recipit; non autem tantummodo in perſona Chriſti. Quòd enim gratiam recipiamus, aſſerit Articulus: quòd per eam utcunque juſtificemur, non negat; at juſtificatio per formam nobis extrinſecam, quæ non in nobis, non in propria noſtra perſona recipitur; ſed ſolummodo, ſive, *non niſi in perſona Chriſti*, minimè ſatisfacit Fidei Catholicæ; ſed placere maximè debet Calvini aſſeclis, qui ſe ſolâ juſtitiâ, & ſanctitate Chriſti prædicant ſanctificatos.

3 Unicum illud adverſarius in promptu habuit exemplum, quo Queſnelli ſenſum oſtenderet Catholicum; ſed neque illud quidpiam lucis affert: ſuſpicionem autem ſenſûs pravi vehementiùs augent tum Queſnellus ipſe, tum ejus vindices; dum in ipſis Vindiciis, & Proteſtationibus, quibus de impacta ſibi hæreſeos infamia clamoſiſſimè conqueruntur, nè quidem tunc eam oppoſitâ, & dilucidâ profeſſione diluere tentant; ſed totum præſidium ponunt in citationibus Scripturarum, & Patrum, quos ajunt locutionibus Queſnellianæ prorſus ſimillimis juſtificationem lapſorum hominum tradidiſſe. Verùm & hanc Vindiciarum rationem adverſariis tam facilè eripiam, quàm ſolent mecum cæteri Catholici Calvino, atque Luthero.

4 Objicitur Joan. 15. v. 5. illud Chriſti: *Ego ſum vitis, vos palmites: qui manet in me, & ego in eo: hic fert fructum multum; quia ſinè me nihil poteſtis facere.*

Tridentinorum Patrum explicatio audiatur ſeſſ. 16. cap. 16. *Cùm enim ille ipſe Chriſtus* Jesus *tanquam caput in membra, & tanquam vitis in palmites, in ipſos juſtificatos jugiter virtutem influat, quæ virtus bona eorum opera ſemper antecedit, comitatur, & ſubſequitur, & ſinè qua nullo pacto Deo grata, & meritoria eſſe poſſent, nihil ipſis juſtificatis ampliùs deeſſe credendum eſt, quominus plenè illis quidem operibus, quæ in Deo ſunt facta, Divinæ legi pro hujus vitæ ſtatu ſatisfeciſſe, & vitam*

Digitized by Google

tam æternam ſuo etiam tempore, ſi tamen in gratia deceſſerint, conſ quendam verè promeruiſſe cenſeantur. Dum caput in membra, & vitis in palmites jugiter virtutem influit, virtus non recipitur in ſolo capite; ſed etiam in membris; non in ſola vite, ſeu vitis radice, & ſtipite; ſed etiam in omnibus, & ſingulis palmitibus, qui niſi in ſe vigorem, & ſuccum habeant, acceptum quidem à vite, ſeu radice, & ſtipite, in ipſis tamen palmitibus verè, & propriè receptum, non vivent, non fructum afferent, virtute, quæ in ſola radice, & ſtipite eſt. Ita niſi Chriſtus virtutem reipſa influat in homines, quos vult juſtificare, & niſi hæc virtus, ſeu gratia in ipſis, ſive in propriâ eorum perſonâ recipiatur, nunquam per virtutem in ſolo Chriſto, in ſola Chriſti perſonâ receptam homines vitâ ſpiritûs vivent, neque producent fructus cœleſtibus atriis inferendos.

5 S. Thomas in hunc locum *aliqui*, inquit, *manent in Chriſto ſolùm per fidem; non tamen participant humorem vitis; quia non ſunt in Charitate .... Et arescet. Unde ſi quid habebat à radice, amittet, denudatus ejus auxilio, & vita*. Sicut humor à vite in ipſis recipitur, & manet palmitibus, ut fructus afferat, ita vita animæ, & gratia in ipſis recipitur juſtis, ut fructificet. Deinde ſi gratia tantùm reciperetur in perſona Chriſti, quisquis gratiâ privaretur, non diceretur *denudari auxilio, & vita*, ibidem teſte Angelico, *Deus colit nos, ut ejus operâ melioremur inquantùm exſtirpat mala ſemina de cordibus noſtris, aperit cor noſtrum aratro ſermonis: plantat ſemina præceptorum: colligit fructum pietatis, ut dicit Auguſtinus*. Quæ omnia, ut patet, indicant gratiam hominibus intrinſecam, & non receptam in Chriſti ſolummodo perſonâ.

CAPUT III.

Reſpondetur ad reliqua objecta ex Scripturis.

1 Objicitur illud Joannis 1. v. 16. *De plenitudine ejus omnes accepimus*, in quem locum ita Beda: *Non plenitudinem ſpiritûs ejus, ſed de plenitudine ejus, quantum ipſe donat accipiunt*. S. Cyrillus *De plenitudine namque filii quaſi jugi fonte, gratiarum donum ſcaturiens, in ſingulas animas, quæ digna ſunt, defluit*. Sanctus Chryſoſtomus: *ipſe enim fons eſt, & radix bonorum omnium: Ipſe vita, ipſe lux, ipſe veritas: non in ſe ipſo bonorum divitias continens; ſed in univerſos diffundens: Quibus diffuſis plenus permanet: neque ex eo quòd aliis ſuppeditat, minuitur; ſed divitias ſuas elargitur ſemper uberiùs: cùmque omnes his bonis impertiat, in eadem permanet perfectione*.

Plenitudo aquæ, quandiu non niſi in fonte eſt, non in ipſis ſitientibus, ſive non in propria ipſorum perſona recipitur, eos non ſatiat, non juvat. Quamdiu in ſolo fonte aqua recipitur fons plenitudine ſua non implet accedentium vaſa, non humectat agros, non vegetat arbores.

2 Propterea rectè Chryſoſtomus jam citatus explicat: „ Ipſe fons eſt, & radix bo„ norum omnium: ipſe vita, ipſe lux, ipſe „ veritas non in ſeipſo bonorum divitias „ continens; ſed in univerſos diffundens; „ Ita ut ipſe quidem in ſe, in propria perſona priùs bonorum omnium divitias recipiat; non tamen ut in ſe ſolo contineat; ſed ut ex illis recipiant cæteri in ſeipſis, in perſonis propriis, quemadmodum Catholica contra Calviniſtas ſemper credidit, & docuit Eccleſia.

3 In eamdem interpretationem clariſſimè convenit Doctor Angelicus: „ Eſt, (in„ quit,) plenitudo efficientiæ, & effluentiæ, „ quæ ſoli homini Chriſto competit, quaſi „ authori gratiæ. Sic enim Beata Virgo re„ dundavit gratiam in nos, ut tamen auctrix „ gratiæ nequaquam eſſet; ſed ab anima „ ejus gratia redundavit in carnem .... Ut „ Ergo Evangeliſta hanc ſingularem pleni„ tudinem redundantiæ, & Efficientiæ de „ Chriſto oſtenderet, dicit: De plenitudine „ ejus omnes accepimus.

Ibid. „ Nota quod hæc præpoſitio De „ aliquando quidem denotat efficientiam, „ ſeu originalem cauſam; ſicut cùm dicitur „ radius eſt, vel procedit de ſole: & hoc „ modo denotat in Chriſto efficientiam gra„ tiæ, ſeu authoritatem; quia plenitudo gra„ tiæ, quæ eſt in Chriſto, eſt cauſa omnium „ gratiarum, quæ ſunt in omnibus intelle„ ctualibus creaturis. Eccli. 2. Venite ad me „ omnes, qui concupiſcitis me; à genera„ tionibus meis, quæ videlicet de me proce„ dunt, adimplemini, participatione ſuffi„ cientis plenitudinis. Tertio modo hæc „ præpoſitio De denotat partialitatem, „ ſicut cùm dicitur, accipe de hoc pane, vel „ vino, id eſt partem accipe, & non totum: „ & hoc modo accipiendo notat in acci„ pientibus partem de plenitudine derivari. „ Ipſe enim accepit omnia dona Spiritûs „ Sancti ſinè menſura, ſecundùm plenitudi„ nem perfectam; ſed nos de plenitudine „ ejus partem aliquam participamus per „ ipſum: & hoc ſecundùm menſuram, quam „ unicuique Deus diviſit Epheſ. 4. unicuique „ autem

„ autem noſtrûm data eſt gratia .... Oſten„ dit derivationem gratiarum in nos per „ Chriſtum. „ Si itaque adverſarius è Scripturis textum eligere voluiſſet Articulo ſuo contrarium, non potuiſſet aptiorem, juxta interpretationem Angelici, juxta quam de plenitudine Chriſti accepimus in nobis gratiam; de plenitudine, inquam, ejus *efficientis* in nobis, & *effluentis*; eſt enim Chriſtus *author gratiæ* in nos *redundantis*. Præpoſitio De in textu indicat *efficientiam*, & originem, ſicut cùm radius exit de ſole. Plenitudo nempe, quæ eſt in Chriſto, eſt *cauſa omnium gratiarum, quæ ſunt in omnibus intellectualibus creaturis*, & in propria earum perſona recipiuntur.

4 Provocamur quoque ad Epheſ. cap. 1. verſ.3. „ Benedictus Deus, & Pater Domi„ ni noſtri Jesu Chriſti, qui benedixit nos „ in omni benedictione ſpirituali in cœleſti„ bus in Chriſto.

S. Thomas, Alapide, & cæteri interpretes illud *in Chriſto* intelligunt *per Chriſtum*, propter Chriſti merita, omnem à Deo benedictionem ſpiritualem, & cœleſtem deſcendere: quod veriſſimum eſt; ſed indè non ſequitur, benedictionem propter Chriſtum conceſſam non recipi à ſingulis in perſona propria. In Chriſto, inquit, S. Thomas, ideſt *per Chriſtum, vel in Chriſto operante* omnem eam in nobis benedictionem. Eâdem lectione primâ Angelicus interpres plura ſuggerit, quibus doctrina Catholica contra Articulum invictiſſimè confirmetur. Sic itaque proſequitur: *Ad hoc elegit nos* (Deus per Chriſtum) *ut eſſemus Sancti virtutibus, & immaculati à vitiis*. Nonne evidens eſt virtutes in nobis recipi? Nemo enim virtutibus prœditus dicitur ob alterius animi dotes, ſive in alio receptas. Virtutes autem naturâ ſuperiores ſunt gratiæ, & à gratiâ originem ducunt. Præterea idem hic ſubjectum virtutum, & ſubinde vitiorum eſt, vitia in nobis, & in propria perſona recipiuntur; cur non & virtutes, & gratiarum auxilia, quibus virtutes in anima generantur?

Ibidem ait S. Thomas, „ *In conſpectu* „ *ejus*, ideſt, ut eum inſpiciamus; quia viſio „ eſt tota merces ſecundùm Auguſtinum: & „ hoc fecit non noſtris meritis; ſed in cha„ ritate ſua, vel noſtra, qua nos formaliter „ ſanctificat. „ Viſio beatifica neminem reddit beatum, præterquam eum, in quo, ſive in cujus perſona propria recipitur. Sic neque aliquid nos viſione illa dignos reddit, niſi Sanctitas, & gratia nobis intrinſeca. *Charitate noſtra*, inquit S. Thomas, *Deus nos formaliter Sanctificat*, Charitas illa indubiè in nobis, & in propriâ noſtra perſona eſt æquè, ac ſpes, & fides, quas recipi in nobis, nemo, niſi inſaniens negaverit.

Ibidem à S.Thoma citatur illud Rom.8. „ Non enim accepiſtis ſpiritum ſervitutis „ iterum in timore; ſed accepiſtis ſpiritum „ adoptionis filiorum. „ Spiritus ſervitutis, & timoris recipiebatur à Judæis, in perſona ſingulorum propria; igitur, & ſpiritus adoptionis filiorum, qui eſt ſpiritus amoris, recipitur in perſona propriâ Chriſtianorum. Denique ait ibi S. Thomas „ Deus facit „ omnia propter bonitatem ſuam in alios „ diffundendam, communicatur autem Di„ vina bonitas creaturæ rationali propriè, „ ut ipſa rationalis Creatura eam cognoſcat: „ & ſic omnia, quæ Deus in creaturis ratio„ nabilibus facit, creat ad laudem, & glo„ riam ſuam. „ Igitur Deus gratiam in hominibus facit, & creat; atque adeò hæc propriè in ipſis recipitur, Dei bonitate in ipſos diffusâ.

5 Quas autem adverſarii magno, ut quidem apparet, ſtudio ex novo Teſtamento colligunt ſententias, reperire facilè collectas potuêre in Calvini, eique adhærentium voluminibus; etenim pleraque teſtimonia, quæ à Calviniſtis pro juſtitia ſolummodo imputatitia proferuntur, non magna operâ Queſnelliani ad gratiam velut in ſolo Domino Jesu Chriſto receptam transferunt; ut ſcilicet Queſnellianorum, & Calviniſtarum de gratiâ opiniones inter ſe affinitatis gradu proximo conjunctæ ſunt, eadem utriſque facilè coaptantur Sacrorum Voluminum Oracula ſenſu explicata hæretico. Proinde ſimilis quoque utrobique convenit reſponſio.

Sic nempe ad locos iſtiuſmodi à Calvinianis objectos reſpondit Eminentiſſimus Bellarminus lib. 2. de juſtificatione cap. 11. „ Illud in *Dilecto filio*, ſive in *Chriſto*, ſive „ in *ipſo*, quod tam ſæpe Apoſtolus addit, „ nihil aliud ſignificat, niſi nos omnia noſtra „ bona debêre Chriſto. Quoniam Deus Pa„ ter intuitu Chriſti nos juſtificat, quia vide„ licet diligit Filium; quia ipſe hoc meruit; „ quia par eſt, ut membra dilecti filii ſint „ conformia capiti; quia decet, ut ſponſa „ filii ſpecioſi præ filiis hominum ſit etiam „ pulchra, atque formoſa: quia Fratres „ Chriſti non debent eſſe diſſimiles Primo„ genito: *prædeſtinavit enim nos conformes* „ *fieri imaginis Filii ſui, ut ſit ipſe Primogeni*„ *tus in multis fratribus*. Itaque valde ab„ ſurdè ſentiunt hæretici, cùm nos in Chri„ ſto juſtificari ita exponunt, ac ſi per Chri„ ſti juſtitiam imputatam juſti haberemur; „ quanvis reipſa ſordidi ſemper, & immun„ di eſſemus; ſic enim Chriſtus horribile „ mon-

„ monſtrum videri poſſet; cùm caput quidem „ formoſiſſimum, membra verò turpiſſima „ haberet, & ſponſus ipſe pulcherrimus „ ſponſæ teterrimæ conjunctus eſſet.

6 In hoc tamen à Calviniſtis recentes noſtri adverſarii ſeparantur, quòd hi verè remitti peccata fateantur, etſi Calviniſtis in eo conſentiant, quòd gratia ſanctificans à nobis non *recipiatur in perſona propria; ſed non niſi in perſona Chriſti*. Sed tam Queſnelliani vindices, quàm Calviniſtæ refutantur à S. Chryſoſtomo in Epiſt. ad Epheſios cap. 1. ubi explicat illud *in laudem gloriæ gratiæ ſuæ, in qua gratificavit nos in dilecto Filio ſuo*: Quod Calvinus interpretatur *gratioſos, ſive acceptos habuit*, quaſi in perſona propria remanentes turpes, atque deſormes; tamen propter Chriſti juſtitiam reputaret Deus veluti juſtos, atque amabiles: quam interpretationem ſubruit S. Chryſoſtomus dicens: *Gratioſos nos reddidit, hoc eſt non ſolùm peccatis liberavit; ſed & dilectos amicos effecit*. Quomodo autem? An gratiâ, quæ non recipitur, niſi in perſona Chriſti? Neqnaquam, inquit; ſed quæ in nobis quoque ipſis, in propriis perſonis admittitur, atque inhæret: „ Quemadmodum enim ſi quis ſcabioſum „ quemdam, peſte, morbo, ſenio, pau„ pertate pariter, ac fame corruptum na„ ctus, formoſum mox adoleſcentem red„ dat, qui quoſvis venuſtate ſuperet, vehe„ mentem ſplendorem ex genis emittat, „ ipſaque fulgura oculorum repercuſſioni„ bus obſcuret. Quem deinde, & in ipſo „ ætatis flore conſtituat, atque inſuper, & „ purpura, & omnigeno mundo veſtiat, at„ que exornet, non aliter animam noſtram „ Deus, & elaboratam, & pulchram, & de„ ſiderabilem, ac dilectam reddidit. „ Iſtud eſt quod petiit David Pſalmo 50. *Cor mundum crea in me Deus, & ſpiritum rectum innova in viſceribus meis*.

CAPUT IV.

Reſpondetur ad objecta ex Sancto Auguſtino.

1 AD Auguſtinum recurrunt Adverſarii lib. de dono perſeverantiæ cap. 7. dicentem: „ Poſt „ caſum autem hominis non niſi ad gratiam „ ſuam Deus voluit pertinere, ut homo ac„ cedat ad eum; neque niſi ad gratiam vo„ luit pertinere, ut homo non recedat ab „ eo. Hanc gratiam poſuit in illo, quo ſor„ tem conſecuti ſumus, prædeſtinati ſecun„ dùm propoſitum ejus, qui univerſa opera„ tur: ac per hoc ſicut operatur ut accedamus, ſic operatur, nè diſcedamus.

Jam reſpondit Bellarminus Calvino *illud, In dilecto Filio in Chriſto, in ipſo, quod tam ſæpe repetit Apoſtolus* (& poſt Apoſtolum Auguſtinus) *nihil aliud ſignificare, quam nos omnia bona noſtra debere Chriſto*; quod non impedit quin gratiæ in nobis recipiantur, & in perſona propria. Quæ Auguſtini mens aliunde eſt notiſſima, ut liquet tum ex capite præcedenti, tum etiam hic, ubi mox additur: „ ipſa eſt prædeſtinatio Sanctorum, quos „ elegit in Chriſto ante conſtitutionem „ mundi, ut eſſent Sancti, & immaculati in „ conſpectu ejus in charitate, prædeſtinans „ eos in adoptionem filiorum per Jesum in „ ipſum ſecundùm placitum voluntatis ſuæ „ in laudem gloriæ gratiæ ſuæ, in qua grati„ ficavit eos in dilecto Filio ſuo, in quo ha„ bent redemptionem per Sanguinem ipſius, „ remiſſionem peccatorum ſecundùm divi„ tias gratiæ ejus, quæ abundavit in eos in „ omni ſapientia, & prudentia. „ Quod iterum verbum *ſuperabundavit* in nobis paſſim interpretes Catholici explicant; *abunde in nos à Deo effuſa eſt*, ita exigente contextu. Textus quoque Græcus clariſſimè ſic exprimit *quam* (gratiam) *abundè effudit in nos cum omni ſapientia, & prudentia*. Sic accipiunt textum illum Chryſoſtomus, Theophylactus &c. Vatablus vertit *de qua uberſim nobis effudit omnem ſapientiam, & prudentiam, patefaciens nobis*.

2. Auguſtinum agnoſcere gratiam in nobis receptam perſpicuum fit ex locis pluribus, ut concione 26. in Pſalmum 118. ubi apertè enuntiat *Nos juſtificari per infuſionem juſtitiæ, quæ eſt virtus magna, præcipuè prælaudanda*. Et lib. 1. de Peccatorum meritis, & remiſſione cap. 9. ait, *Nos juſtificari per communicationem gratiæ ſpiritualis, quam Deus latenter infundit & parvulis*. Plures textus dilucidos dedi cap. primo quibus autem communicatio gratiæ infunditur, procul dubio in iis propriè, & in propria perſona recipitur.

3 Inſtant nihilominus Hexapla ex Auguſtini Epiſtola ad Conſentium, ubi ait: „ Cum „ Deus qui in ſe ipſo eſt juſtitia, etiam no„ bis ſit juſtitia, cùm ei cohærendo juſtè vi„ vimus, & tanto magis, minuſve juſti ſumus, „ quantò magis illi, minuſve cohæremus. „ Unde ſcriptum eſt de Unigenito Filio „ Dei, cùm ſit utique Patris Sapientia, at„ que Juſtitia, & ſemper in ſe ipſo ſit, quod „ factus ſit nobis à Deo ſapientia, & juſti„ tia, & ſanctificatio, & redemptio, ut quem„ admo-

,, admodum ſcriptum eſt, qui gloriatur, in
,, Domino glorietur. ,,

Nè hinc quiſquam inferat, juſtitiam in nobis non eſſe; ſed à juſtitia quæ in Deo, imò Deus ipſe eſt, nos juſtos denominari, mox Auguſtinus addit: ,, Quid eſt autem
,, aliud juſtitia cùm in nobis eſt, vel quæli-
,, bet virtns, quâ rectè, ſapienrerque vivi-
,, rur, quàm interioris hominis pulchritudo?
,, Eriam ſecundùm hanc pulchritudinem ma-
,, gìs, quàm ſecundùm corpus facti ſumus
,, ad imaginem Dei. Unde nobis dicitur:
,, Nolire conformari huic ſeculo; ſed reno-
,, vamini in novitate mentis veſtræ ad pro-
,, bandum vos, quæ ſit voluntas Dei. ,, Quid foret ineptius, quàm homines cenſere ſapientes ob ſapienriam non receptam in ipſis, ſive non in perſona propriâ, ſed alrerius? Eadem ratio eſt de pulchritudine, tam animæ, quàm corporis. Nemo ſapiens nos appellaverit pulchros ob pulchritudinem à nobis non receptam in perſona propria; ſed ſolius Chriſti.

4 Senſus itaque verus Auguſtini eſt, uti & Apoſtoli 1. Cor. cap. 1. à quo Auguſtinus verba mutuatur, quod Chriſtus factus ſit nobis à Deo ſapientia, & juſtitia, & ſanctificatio, & redemptio; non ut cauſa formalis; ſed efficiens, & meritoria noſtræ ſapienriæ, juſtitiæ, ſanctificationis, & redemptionis: ita hic Apoſtolum explicant S. Chryſoſtomus, Theophylactus, Ambroſius, Anſelmus, S. Thomas,& poſt eum cæteri interpretes Catholici conrra Calvinum. Sic dicitur Deus fortitudo noſtra, Pſalmo 17. Patientia noſtra Pſalm.70. Salus noſtra, Pſalmo 26. Quod explicar, Pſalmus 36. dicendo: *Salus autem juſtorum à Domino*. Alibi dicitur pax noſtra; ur ſenſus ſit; pax noſtra, fortitudo noſtra, juſtitia, ſapientia, ſalus à Domino eſt. Ex quibus locis, etiam Apoſtoli, ſic intellectis,ut à Carholicis explicantur, meritò concludere cum Apoſtolo poruit Auguſtinus, non eſſe in nobis; ſed in Domino gloriandum, à quo omne bonum in homines derivatur. Sic, poſtquam Apoſtolus Rom. 5. dixerat: *Gloriamur in Deo per Dominum noſtrum* Jesum *Chriſtum, per quem nunc reconciliationem accepimus*, mox explicar, quid ſit reconciliarionem accipere, nempe *Abundantiam gratiæ, & donationis, & juſtitiæ accipientes, regnabunt in vita per ipſum*. Ubi nullus interpres Catholicus dubitat, quin Paulus intelligat, accipere juſtos in ſe ipſis abundantiam gratiæ, & donationis juſtitiæ. Sic, etſi omnes in Adamo peccavimus, non propterea tamen ſolius Adami peccato inficimur; ab Adamo enim peccatum in poſteros propagarur, ita ut ſinguli in ſeipſis, in propriâ perſonâ peccatum contrahant, atque in ſe recipiant. Denique ita poteſt Chriſtus nobis eſſe juſtitia, & ſapientia, ut ſit nobis juſtitiæ, & ſapientiæ norma, atque exemplar.

5 Plures adhuc ſententias adverſarii conglomerant; ſed quibus aliud non aſſeritur, quàm nos membra Chriſti eſſe, & quodammodo Chriſtum ipſum, cum eo nos unum corpus componere: Chriſtum caput eſſe corporis, cujus nos membra ſimus. Ita Auguſtinus Tract. 21. in Joannem num. 8. *Gratulemur, & agamus gratias, non ſolùm nos Chriſtianos factos eſſe; ſed Chriſtum. Intelligitis Fratres gratiam Dei ſuper nos: capitis, admiramini, gaudete: Chriſtus facti ſumus; ſi enim caput ille, nos membra, totus homo ille & nos.*

Verùm ut in corpore phyſico ſingula membra non denominantur formaliter viventia, & pulchra à ſolo capite; ſed à vita, & pulchritudine,quam in ſeipſis quoque recipiunt; manum enim rurpem,& putridam quis pulchram vocet ob pulchritudinem capitis? Ita gratia, & juſtitia, quæ in Chriſto eſt, non reddit nos juſtos, & ſanctos; niſi quando gratia, & juſtitia ab ipſo in nos diffunditur, atque recipirur.

6 Idem reſpondeo ad illud Tract. 108. in Joan. num 5. ,, Cùm (Chriſtus) dixiſſet:
,, pro eis ego ſanctifico meipſum, ut intel-
,, ligeremus hoc eum dixiſſe, quòd eos ſan-
,, ctificaret in ſe, mox addidit: ut ſint & ipſi
,, ſanctificati in veritate,quod quid eſt aliud,
,, quàm in me ſecundùm id,quod veritas eſt,
,, Verbum illud in principio Deus? In quo
,, & ipſe filius hominis ſanctificatus eſt ab
,, initio crearionis ſuæ, quando Verbum
,, factum eſt caro; quia una perſona facta eſt
,, Verbum, & homo, tunc ergo ſanctificavit
,, ſe in ſe, hoc eſt hominem ſe in Verbo ſe;
,, quia unus eſt Chriſtus Verbum & homo,
,, ſanctificans hominem in Verbo. Propter
,, ſua verò membra, & pro eis, inquit, ego,
,, id eſt, quod proſir etiam ipſis; quia & ipſi
,, ſunt ego: ſicut mihi profuit in me, quia
,, homo ſum ſinè ipſis, & ego ſanctifico me-
,, ipſum, hoc eſt ipſos in me, tanquam me
,, ipſum ſanctifico ego, ut ſint & ipſi ſancti-
,, ficati in veritate, quid eſt & ipſi,niſi quem-
,, admodum ego in veritate, quod ipſe ſum
,, ego? Deinde jam non ſolùm de Apoſto-
,, lis, ſed etiam de ſuis cæteris membris in-
,, cipit dicere, quod donante ipſo, alio ſer-
,, mone rractandum eſt. ,,

7 Redir huc explicatio Bellarmini data ſuperiùs contra Calvinum; quòd iſtiuſmodi expreſſionibus aliud non indicerur, quàm Chriſtum eſſe cauſam juſtificationis noſtræ, non

non quaſi ipſius ſanctitate formaliter juſti ſimus. Sanctitas Chriſti in nos derivanda eſt ſanctificante gratiâ ſingulis applicatâ, & in ſingulis receptâ. In adultis etiam requiruntur ſpecialia gratiæ auxilia ſingulis conceſſa, & ab iis admiſſa, ut ad juſtificantis gratiæ ſuſceptionem diſponantur. Hinc Judas, etſi membrum Eccleſiæ, imò & Collegii Apoſtolici, atque ipſius quodammodo Chriſti aliàs fuerit; non diutius tamen ad eum Chriſti ſanctitas pertinuit, quàm is ſtolam in ſe juſtitiæ conſervavit, atque ad eam conſervandam efficacia gratiæ auxilia recepit in ſe, iiſque ſubmiſſione debita eſt obſecutus.

8 Eadem congruit reſponſio objectioni ſimili propoſitæ ex S. Gregorii lib. 4. Mor. num. 18. S. Leonis Serm. 63. & Concilii 2. Arauſicani can. 24. Verùm quid tanta farrago textuum ad inſtitutum nihil attinentium juvat? Quando inter nos diſceptatio nulla eſt, poſſitne Chriſtus dici ſanctificatio noſtra, juſtitia noſtra & pietas; neque an uſitata locutio ſit homines eſſe *Sanctos in Chriſto*; ſed an *gratiâ* in ſe receptâ ſancti dici nequeant, neque actualis, qua ad juſtitiam diſponuntur, neque habitualis, qua formaliter juſti ſunt, in ipſis ſit, in ipſis *recipiatur*; *ſed ſolummodo in Chriſto*, *vel non niſi in Chriſti perſona*. Tales enuntiationes adverſariis accerſendæ ſive è Scripturis, ſive è Patribus, vel ſaltèm è Scholaſticis fuere; ſi feriam meditarentur damnati Articuli Apologiam. Sed cùm nihil ſimile hactenus attulerint, ut tanta pro Queſnello certantium Novatorum turba eſt, non eſt veriſimile enuntiationis quidpiam magis faventis eorum diligentiam effugiſſe. Manet itaque Articulus omni nudus Catholicorum patrocinio, à Scholis, & Eccleſiâ exul, inviſus Superis; charus autem maximè Calvini ſectatoribus, & eorum, ſi nondum fratribus, ſaltèm proximè affinibus Janſenianis.

Trigeſimaſeptima Propoſitio damnata.

Gratia Adami ſanctificando illum in ſemetipſo, erat illi proportionata: Gratia Chriſtiana nos ſanctificando in Jesu Chriſto eſt omnipotens, & digna Filio Dei. *Obſerv. Mor. Epheſ. 1. verſ. 6.*

CAPUT I.

Damnatæ Propoſitionis error demonſtratur.

1 Gratia ſanctificans communiter accipitur non pro auxilio ad juſtitiam diſponente; ſed pro formâ, quæ eam immediatè, & ſe ipsâ conſtituat. Quòd ea Adamum ſanctificaverit in ſemetipſo, bene habet; ſed *Proportionem* propriè dictam inter naturam, & gratiam, quæ ſupra naturam eſt, non reperio. Eo autem tempore, quo Bajaniſmus à Sede Apoſtolica ſæpius damnatus, Janſeniſtarum artibus, & pervicaciâ identidem repullulat, vireſque in Galliis potiſſimùm, & Belgio ſumere deprehenditur quotidie majores, aſſertio illa *proportionis* inter Adamum, & ejus *ſanctificantem gratiam* ſuſpecta eſt; niſi ubi fortè circumſtantiæ indicarent, proportionem non eſſe in ſenſu rigido intelligendam; ſed tantùm pro quadam convenientiâ. Verùm nulla talis hic circumſtantia occurrit, ſed oppoſita, quæ benigniori ſenſui omnem obſtruere aditum videatur. Talis circumſtantia eſt Articulus 34. *Gratia Adami non producebat niſi merita humana*: & Articulus 35. *Gratia Adami eſt ſequela creationis, & erat debita naturæ ſanæ, & integræ.* Hinc ſcilicet colligitur *Proportionis* nomine connaturalitatem intelligi, ſive ſequelam creationis, & debitum naturæ integræ. Talis proportio Adamum inter, & gratiam ſanctificantem reſtituit hunc damnatum Baji Articulum 21. *Humana natura ſublimatio, & exaltatio in conſortium Divinæ naturæ debita fuit integritati primæ conditionis, & proinde naturalis dicenda eſt, & non* ſuper-

ſupernaturalis. Articulus favet etiam huic 26. *Integritas primæ creationis non fuit indebita humanæ naturæ exaltatio; ſed naturalis ejus conditio*. Plures Baji Articulos huc facientes prætereo, quales ſunt 23. & 24. ſublatâ cenſurarum, quas ingerunt, audaciâ: accedunt 1. 3. 4. 5. 6. 7. 9. 78. & 79. qui inter Bajanos eſt ultimus.

2 Damnationem quoque meretur Queſnelli Propoſitio, qua parte ſanctificantem naturæ lapſæ gratiam tangit. Quis enim Catholicus ei *omnipotentiam* tribuat? Profectò ſi habitus gratiæ omnipotens ſit, non requiritur ullum gratiæ actualis auxilium, ſive ut ſuperentur tentationes, ſive ut præcepta Fidei, Spei, Charitatis, religionis, pœnitentiæ impleantur; quod aures Catholicæ non ſuſtinent, avidè recipient Pelagianæ.

3 Qui quidem ſenſus Propoſitionis abſurdiſſimus, etſi obvius ſit; non tamen quoad partem ultimam à Queſnello, & ejus defenſoribus, in apologiis ſaltèm, videtur agnoſci, in quibus nomen *gratiæ* in Articulo expreſſum, explicant de *omnipotenti auxilio*.

Verùm neque ſic à Pelagio ſe expediunt, ſive in ſtatu naturæ integræ, ſive ſauciæ. Nam ea interpretatio adimit naturæ integræ omne actuale, & ſupernaturale ſubſidium, dum non aliud ei concedit, quàm *proportionatum naturæ*, quod eſt *ſequela creationis, & debitam naturæ ſanæ*, adeòque ei connaturale. Quod autem ampliùs mireris, Theologi, qui nihil frequentius adverſariis ſuis, quàm Pelagianiſmum objiciunt, ubi de Divinæ gratiæ auxiliis lapſo homini tribuendis agitur, ipſi ultro ad Pelagium, etiam pro hoc ſtatu miſero convolant. Si enim nulla actualis gratia ab homine lapſo recipitur *in ſemetipſo*; ſed omnis ſolummodo in Jesu Chriſto, quomodo *ſanctificat*, quomodo adjuvat ſubjectum in quo non *recipitur*? Itaque gratia hominem lapſum neque ſanctificat, neque in operando adjuvat: nullus hominum habet in ſe gratiæ auxilium; nullus ſanctitatem obtinet naturæ ordine ſuperiorem. Quid hic non apertè hæreticum?

4 Quod omnis gratia in hoc ſtatu vocetur à Queſnello *omnipotens*, fundamentum non habet in Doctore Angelico, dum parte 3. q. 70. a. 4. in C. *Minima gratia poteſt reſiſtere cuilibet concupiſcentiæ, & vitare omne peccatum mortale*. Idem docet quæſt. 62. Art. 6. ad 3. Iſtud enim non proprium eſt gratiæ Chriſtianæ; ſed commune cuilibet gratiæ, etiam Adami, & naturæ integræ ex mente Sanctiſſimi Doctoris, ut omnibus compertum eſt. Non minùs exploratum Catholicis eſt diſcrimen inter ſufficientem gratiam, quæ *poſſe* tribuit, & gratiam *omnipotentem* quæ effectum ſemper conſequitur. Queſnellus quoque opponens gratiam Adami gratiæ Chriſtianæ, atque hanc vocans *omnipotentem*, ſatis indicat, priori gratiæ prædicatum iſtud non competere; & tamen Adami gratiam fuiſſe *ſufficientiſſimam* aſſerit Janſenius, neque Queſnellus diffitebitur. Certiſſimum igitur eſt, gratiæ *omnipotentis* nomine à Queſnello minimè intelligi merè ſufficientem, etſi *ſufficientiſſimam*.

5 Hactenus errores Articuli paucis perſtrinximus, & quantum ad naturæ integræ gratiam attinet, ſatis ut exiſtimo, & abundè; eum quod ea ſuperioribus tribus Articulis, quantum oportuit pertractata ſit, tum quòd adverſarii moneant eam diſputationis materiam, etſi Theologis minimè contemnendam; minùs tamen neceſſariam: & quiſquis, inquiunt, in ea error committitur, ſi fidem ſecluſeris, nullam in mores hominum derivat perniciem. At ſi in præſenti ſtatu Pelagianiſmum amplectimur, efferr ille, & inflat ſuperbiâ. Addo, ſi ad Calviniſmum nos, aut Janſeniſmum convertimus, iter præceps inſtituitur ad deſperationis, diſſolutionis, & flagitiorum omnium abyſſum. Qua propter excutiendo Articulo circa præſentis ſtatûs gratiam paulò diutius immoremur.

6 Hæreticum eſt aſſerere, nullum gratiæ auxilium in nobis recipi; ſed ſolummodo in Jesu *Chriſto*, ſive nullam in hoc ſtatu dari nobis gratiam interiorem actualem; id enim damnatur in Propoſitione prima Janſenii, quâ *Juſtis volentibus, & conantibus, ſecundùm præſentes, quas habent, vires*, dicitur *deeſſe gratia, qua præcepta fiant poſſibilia*: ubi evidens eſt, negari à Janſenio juſtis aliquibus (nempe omnibus juſtitia excidentibus) non habitualem gratiam; ſed actualem, & ſufficientem, atque hanc proinde contra eum à Sede Apoſtolica definiri. Præterea, dum in ſecundo Janſenii Articulo damnatur hæreſeos quiſquis aſſeruerit, *Interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ nunquam reſiſti*, definitur, in hoc ſtatu dari hominibus *gratiam* aliquam *interiorem* actualem, cui reſiſtatur: De actuali enim ſermonem Janſenio fuiſſe conſtat, atque Articulum in ejus ſenſu condemnatum. Gratia, quæ in Chriſto eſt, non eſt nobis *interior*, qualem admittendam poſt tot Conſtitutiones Pontificias nemo Catholicus inficiabitur.

7 Non minùs hæreticus Propoſitionis ſenſus eſt, quo omnis actualis, quæ modò conceditur, gratia affirmatur *omnipotens*, ſive inſuperabiliter efficiens omne, ad quod conceditur. Hic iterum incurrit Queſnelli Propoſitio cenſuram hæreſeos inflictam ſecundo

Jan-

Janſenii Articulo, *interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ nunquam reſiſtitur*; ſcilicet ab homine, ſeu libera ejus voluntate. Nec evadit anathema primæ Propoſitionis Janſenii; ſi enim omnis gratia in hoc ſtatu ſit *omnipotens*, ſeu efficax, præcepta omnia ſupernaturalia, quotieſcunque non ſervantur, fuerint ſervatu impoſſibilia; defuerit nempe gratia neceſſaria, *qua poſſibilia fiant*. Nec vitatur tertia Janſenii hæreſis, ſi demeremur, quando præcepti obſervatio ſupponitur impoſſibilis, ſive tranſgreſſio ejus neceſſaria: *Ad merendum, & demerendum, in ſtatu naturæ lapſæ non requiritur libertas à neceſſitate, ſed ſufficit libertas à coactione*, inquit damnata in Janſenio Propoſitio. Si verò libertatem actibus noſtris accerſas à libertate Adami, quaſi illa ad demerendum hodie ſufficiat, impingis in Decretum Alexandri VIII. damnantis hanc Propoſitionem primam inter 31. *In ſtatu naturæ lapſæ ad peccatum formale, & demeritum ſufficit illa libertas, qua voluntarium, ac liberum fuit in cauſa ſua, peccato originali, & voluntate Adami peccantis*.

8 Quomodo in hac hypotheſi declinabitur hæreſis Propoſitionis quintæ Janſenii, quando Chriſtus ſolis prædeſtinatis meritus fuerit gratiam, qua ſalvari potuerint? Reprobis enim *omnipotentem*, juxta Queſnellum, minimè præparavit; alia verò nunc juxta damnatum ejus principium non datur.

9 Denique quomodo receditur à ſenſu hæretico Articuli Janſeniani quarti, ſi omnis ſit in hoc ſtatu gratia, ut à Queſnello exponitur, *omnipotens*? *quam*, juxta Articulum 10. *nihil impedire poteſt, aut retardare*? Janſenii Propoſitio quarta hæretica eſt: *Semipelagiani admittebant prævenientis gratiæ interioris neceſſitatem ad ſingulos actus, etiam ad initium fidei: & in hoc erant hæretici, quòd vellent eam gratiam talem eſſe, cui poſſet humana voluntas reſiſtere, vel obtemperare*. Similis Janſenii textus eſt lib. 2. de gratia Chriſti cap. 24. *Gratiam Dei Auguſtinus ita victricem ſtatuit ſupra voluntatis arbitrium, ut non rarò dicat, hominem operanti Deo per gratiam non poſſe reſiſtere*. Conſtat, Janſenium Auguſtini nomine ſuam ſemper inculcare ſententiam. Capiti primo hæc præmittitur inſcriptio: *Tangitur natura adjutorii ſufficientis, & oſtenditur, nullum dari poſt lapſum, quin ſimul efficax ſit*, & quidem ita, ut reſiſtere illi humanum nequeat arbitrium. Libro 8. de hæreſi Pelagianâ cap. 6. *In hoc ergo*, inquit, *Maſſilienſium error ſitus eſt, quod aliquid primævæ libertatis reliquum putant, quo, ſicut Adam, ſi voluiſſet, poterat perſeveranter operari bonum, ita lapſus homo credere poſſet, ſi vellet; neuter tamen abſque interioris gratiæ adjutorio, cujus uſus, vel abuſus relictus eſſet in uniuſcujuſque arbitrio, & poteſtate*. Plura talia habet Janſenius lib. 2. de gratia Chriſti cap. 4. 5. 12. 15. 21. 25. quam hæreſim Queſnellus ſæpe mutatis enuntiandi formulis inſtaurat; aliàs clarius, aliàs obſcuriùs, ut in Articulo præſenti.

10 Hæretica pariter eſt Queſnelli Propoſitio intellecta de gratia habituali, ut ex Tridentini ſeſſione 6. can. 10. & 11. à me contra præcedentem Articulum dilucidè oſtenſum eſt. Canonibus jungitur caput 7. ejuſdem ſeſſionis. Ubi ſic docemur: *Verè juſti nominamur, & ſumus, juſtitiam in nobis recipientes, unuſquiſque ſuam, ſecundùm menſuram, quam Spiritus Sanctus partitur ſingulis prout vult, & ſecundùm propriam cujuſque diſpoſitionem, & cooperationem . . . Per Spiritum Sanctum charitas Dei diffunditur in cordibus eorum, qui juſtificantur*, ATQUE IPSIS INHÆRET, *unde in ipſa juſtificatione cum remiſſione peccatorum, hæc omnia ſimul* INFUSA ACCIPIT HOMO *per* JESUM *Chriſtum, cui inſeritur, Fidem, Spem, & Charitatem*. Audit Queſnellus *juſtitiam in nobis recipientes unuſquiſque ſuam, diffundi in cordibus, infundi, inhærere*? Quæ clariſſimè ſignificant, juſtitiam nobis intrinſecam, & non ſoli Chriſto; licèt omnis virtus noſtra, & Sanctitas meritis ejus obtenta ſit.

Eodem capite: *Itaque veram, & Chriſtianam juſtitiam accipientes, eam ceu primam ſtolam, pro illa, quam Adam ſuâ inobedientiâ ſibi, & nobis perdidit, per Chriſtum* JESUM *illis donatam, candidam, & immaculatam, jubentur ſtatim renati conſervare; ut eam perferant ante tribunal Domini noſtri* JESU *Chriſti*.

11 Videntur Tridentini Patres ex Doctore Angelico potiſſimùm doctrinam ſuam, & utrumque citatum Canonem excerpſiſſe, videlicet ex 1. 2. qu. 100. quæ eſt *de gratia Dei quantum ad ejus eſſentiam in quatuor Articulos diviſa* Titulus Articuli 1. eſt *utrum gratia ponat aliquid in anima*, ubi argumento SED CONTRA, reſolvit: *Lux ponit aliquid in illuminato; ſed gratia eſt quædam lux animæ; unde Auguſtinus dicit lib. de natura & gratia* (cap. 22.) *Prævaricatorem legis dignè lux deſerit veritatis, qui deſertus utique fit cæcus. Ergo gratia ponit aliquid in anima*. Et in corpore Articuli. *Sic igitur per hoc, quod dicitur homo gratiam Dei habere, ſignificatur quiddam ſupernaturale in homine à Deo proveniens*. Articulo 2. quæritur in titulo: *Utrum gratia ſit qualitas animæ*. Reſpondetur in argumento SED CONTRA, ex quadam gloſſa: *Quòd gratia eſt nitor animæ, ſanctum concilians amorem: ſed nitor animæ eſt quædam qualitas, ſicut & pulchritudo corporis: ergo gratia eſt quædam qualitas*. In corpore:

Illis, quos Deus *movet ad conſequendum bonum ſupernaturale æternum, infundit aliquas formas, ſeu qualitates ſupernaturales; ſecundùm quas ſuaviter, & promptè ab ipſo moveantur ad bonum æternum conſequendum: & ſic donum gratiæ qualitas quædam eſt.*

Ibid. *Ad primum ergo dicendum, quòd gratia ſecundùm quod eſt qualitas*, ſeu habitus ſanctificans, *dicitur agere in animam; non per modum cauſæ efficientis; ſed per modum cauſæ formalis, ſicut albedo facit album, & juſtitia juſtum*. Ad ſecundum: *Quia gratia eſt ſupra naturam humanam, non poteſt eſſe, quod ſit ſubſtantia, aut forma ſubſtantialis; ſed eſt forma accidentalis ipſius animæ*. Ad tertium *dicendum, quòd ſicut Boëtius dicit: Accidentis eſſe eſt ineſſe*.

12 Hactenus Magiſter Angelicus; ſupra quem ſapere voluit Queſnellus, habitualem gratiam non ſtatuens in juſtis qualitatem ipſis intrinſecam: Neque actualem gratiam, auxilium interius, quod omnium ſententiâ recipitur in ſubjecto, ad quod juvandum ex Chriſti meritis donatur; ſed aſſerit eſſe voluntatem Dei *omnipotentem*, quæ eſt in Chriſto; nam juxta Propoſitionem 19. *Dei gratia nihil eſt aliud, quàm ejus omnipotens voluntas*, & Prop. 11. *Gratia non eſt aliud, quàm voluntas omnipotentis Dei, jubentis, & facientis quod jubet*.

13 In diſcrimine erroneo gratiæ utriuſque ſtatus convenit Queſnellus cum Janſenio quoad hoc, quod, licèt Adami gratia talis eſſet, cui poſſet humana voluntas reſiſtere, vel obtemperare; omnis tamen gratia præſentis ſtatûs ſit *omnipotens*, ſive inſuperabiliter efficax. Quod diſcrimen hactenus ſemper ignotavit Eccleſia; ſed Janſenius lib. de gratia primi hominis cap. 17. aſſerit, eſſe *veram clavim, quâ aditus in ſcripta ejus* (Auguſtini) *aperiendus eſt; ſinè qua qui ea molitur ingredi, velut cæcus palpabit in meridie, ac tot, tantiſque difficultatibus implicabitur, ut quaſi monſtris occurrentibus territus, Auguſtinum tanquam perplexitatibus; imò, ut quidam auſi ſunt dicere, mille erroribus refertum averſetur. Qui verò jacto iſto fundamento diſtinctionem illam velut filum in labyrintho ſcriptorum ejus ſecutus fuerit*, &c.

14 Clavim iſtam Janſenius non invenit primus, ſed legere potuit in Calvino locis pluribus, & in ejus ſequacibus paſſim obviam. Calvinus in Antidoto Trident. ſeſſ. 6. ſub initium: *In eo*, inquit, *hallucinantur, quòd nullum obſervant inter regenerationis gratiam, quæ nunc miſeriæ noſtræ ſubvenit, & primam, quæ Adæ data fuerat, diſcrimen: quòd hanc deſereret, cùm vellet*, &c. Lib. 2. inſtit. cap. 3. §. 10. *Talem fuiſſe hominis adhuc ſtantis conditionem concedimus, ut potuerit in alteram partem inclinare; ſed cùm ſuo exemplo docuerit, quàm miſerum ſit liberum arbitrium, niſi Deus in nobis & velit, & poſſit, quid fiet nobis, ſi ad eum modulum ſuam gratiam nobis impertitur.*

15 Ante Calvinum Lutherus in Geneſim cap. 2. idem diſcrimen tradidit, atque hic dicitur primus iſtud iniquitatis myſterium ex Auguſtino perperàm intellecto confinxiſſe. At quemadmodum ex Luthero facem ſtygiam præferente, ita profecit Calvinus, ut diſcrimen non niſi ſemel, iterumve à Luthero indicatum Calvinus vigeſies repetierit; ita Janſenius utrumque in hoc longè ſupergreſſus centies & ſeptuageſies inculcavit.

16 Æquum de iſto diſcrimine judicium tulit Cardinalis de Aguirre Theol. S. Anſelmi diſp. 132. ſect. 2. „ Dicendum, inquit, eſt,
„ diſcrimen à Janſenio, & ſectariis aſſigna-
„ tum, inter adjutorium datum naturæ ſanæ,
„ & infirmæ, ſive integræ, & lapſæ, prout ab
„ iis explanatur, eſſe commentitium. Ita om-
„ nes Theologi quarumlibet Scholarum, qui-
„ cunque à tempore editi operis Janſeniani
„ illud impugnarunt. „ Quorum plures ubi
Eminentiſſimus recenſuit; „ Addendi iis,
„ *inquit*, generatim antiqui omnes Theolo-
„ gi, à tempore Magiſtri ſententiarum, qua-
„ tenus nullus eorum talis diſcriminis me-
„ miniſſe invenitur; quamvis innumeri illo-
„ rum, & præſertim S. Thomas, Auguſtini
„ ſcripta lectitaverint, & contra Pelagianos
„ diſſeruerint juxta ipſius doctrinam. Acce-
„ dunt proximiùs Doctores Sorbonici in
„ Decreto celebri adversùs Articulos Luthe-
„ ri, & Calvini.

Idem Cardinalis ſect. 7. „ Nihil alie-
„ nius à mente S. Doctoris (Auguſtini) quàm
„ diſcrimen illud, Calviniano, ſeu Janſenia-
„ no ſenſu uſurpatum; niſi Auguſtinus ipſe
„ immemor doctrinæ à ſe paſſim traditæ aliis,
„ & aliis locis, pugnantia tradidiſſet. Nihil
„ remotius à ſenſu diſcipulorum veterum
„ ipſius, Proſperi, Fulgentii, Gregorii, & An-
„ ſelmi, ut omittam Magiſtrum, D. Thomam,
„ D. Bonaventuram, & reliquos de ſchola
„ Theologos. Nihil magis extraneum ab
„ omnibus iis Patribus, qui in Conciliis
„ Africanis, nimirum Carthaginenſibus, &
„ Milevitanis, ac deinde in Synodo Arauſi-
„ cana 2. & Valentina 3. cœleſtem S. Augu-
„ ſtini doctrinam adversùs Pelagianos in
„ Canones redegerunt, nullâ ejus diſcrimi-
„ nis mentione facta. Nihil denique magis
„ repugnans Concilio Tridentino ſeſſ. 6. aſ-
„ ſerenti in hoc ſtatu naturæ lapſæ LIBERUM
„ ARBITRIUM A DEO MOTUM, ET EXCITATUM POSSE

„ DIS-

„ DISSENTIRE, SI VELIT. Ut omittam definitio-
„ nes Sedis Apoſtolicæ adversùs dogmata
„ Michaelis Baji,& ejuſdem Janſenii,ex qui-
„ bus id Calvino-Janſenianum diſcrimen
„ apertè rejicitur.

17 Non poſſe diſcrimen illud eſſe *Clavim, & fundamentum* doctrinæ S. Auguſtini, manifeſtum eſt ex eo, quod Doctorum Aquilam ſapienter, ordinateque ſcripſiſſe ſupponi debeat. Quiſquis autem ſapienter, ordinateque ſcribit, doctrinæ ſuæ fundamentum ſub initium, & verbis minimè ambiguis proponere ſolet, nè tota, quæ exſtruitur, ædificii moles ubique vacillans, & ruinæ proxima appareat. At Auguſtinus viginti annis ſcripſit contra Pelagianos, eoſque debellavit libris doctiſſimis abſque eo diſcrimine, quod ſolùm, ſi vel Adverſariis credimus, tradere cœperit in libro de Correptione,& Gratia, quem non non niſi ſub vitæ terminum exaravit. Ante libri iſtius editionem Catholici omnes in Auguſtini ſententiam ivêre contra Ruffinum, Pelagium, Cœleſtium, Julianum, & horum ſequaces. Auguſtini ſententiam probavere Innocentius, & Zoſimus Pontifices: uterque tamen obiit annis pluribus ante ortum ejuſdem operis. S. Proſper in Chronico ad annum 418. ait: *Concilio apud Carthaginem habito ducentorum decem & ſeptem Epiſcoporum ad Pontificem Zoſimum ſynodalia decreta perlata ſunt,* (ipſis ferè Auguſtini verbis expreſſa) *quibus probatis per totum Mundum hæreſis Pelagiana damnata eſt.* Nondum tamen prodierat liber de Correptione. Ante hunc etiam Auguſtini contra Pelagianos ſcripta laudarant Bonifacius Primus, & Cœleſtinus Primus, Innocentii & Zoſimi ſucceſſores. An ergo tot Pontifices, Concilia, totus Orbis Chriſtianus tot annis *velut cæci palparunt in meridie*, Auguſtini ſententiam abſque famoſi diſcriminis notitia amplectendo? Sanctum quoque Hieronymum, ſi Janſenio credimus, cæcutiiſſe oportuit, qui Auguſtini contra Pelagium ſcripta celebravit, fundamento non cognito, utpote diu ante mortuus, quàm opus hoc lucem videret, aut, juxta Janſenianos, Orbem potiùs illuminaret prætenſa illa Auguſtini de utriuſque ſtatûs auxilio doctrina; cujus vera nativitas Lutheri ſeculo, Lutheri ingenio reſervata eſt.

CAPUT II.

Oſtenditur Queſnellianum diſcrimen inter gratiam utriuſque ſtatus adverſari principiis indubitatis Sancti Auguſtini. Verum diſcrimen profertur ex SS. Auguſtino, & Thoma.

1 Nihil magìs adverſum notiſſimæ veritati, nec ſolùm fidei principiis, ſed etiam S. Auguſtini, quàm diſcrimen illud Queſnelli, & Janſenii gratiam inter Adami, & noſtram: quaſi omnis noſtra ſit *omnipotens*, ſive, ut interpretari illi ſolent, indeclinabiliter & inſuperabiliter effectum obtineat: priori liberum arbitrium conſentire potuerit, vel diſſentire. Quænam enim, hoc ſuppoſito, prætermiſſio mandati ſupernaturalis Fidei, Spei, Charitatis, Pœnitentiæ, Religionis, imputari homini lapſo poſſet ad culpam, & ſupplicium? Nullum iſtiuſmodi mandatum impleri poſſe ſinè gratia manifeſtum eſt; cùm potentiam naturalem ad actus naturæ ordinem excedentes nullam eſſe, ex ipſa terminorum notione quilibet perſpiciat. Talem gratiam *omnipotentem* non adeſſe tranſgredientibus mandata, per ſe patet; alia verò in Queſnelli ſententia nec datur modò gratia, nec offertur. Naturæ autem lumine, & Doctorum omnium, atque in primis Auguſtini axiomate conſtat „ Neminem vituperatione, ſuppliciove dignum, qui .... id
„ non faciat, quod facere non poteſt. Nonne
„ iſta cantant, & in montibus Paſtores ....
„ Magiſtri in ſcholis, & Antiſtites in ſacris
„ locis, & in orbe terrarum genus humanum?
Lib. de duabus animabus cap. 11.

2 Alterum ejuſdem S. Doctoris principium eſt lib. de Spiritu, & litt. cap. 35. „ Profectò & ipſum bonum velle Deus operatur in homine: & in omnibus miſericordia
„ ejus prævenit nos: conſentire autem vocationi Dei, vel ab ea diſſentire, ſicut dixi,
„ propriæ voluntatis eſt. „ Quomodo propriæ voluntatis eſt conſentire, vel diſſentire, ſi omnis gratia *omnipotens* eſt, & indeclinabiliter, inſuperabiliter ſecum rapiat voluntatem? Quomodo propriæ voluntatis eſt diſſentire, ſi diſſentiat nunquam, nec diſſentire valeat? Tertium Auguſtini principium lib. de correptione, & gratia cap. 7. eſt, cùm ait non fore juſtam reproborum cauſationem, dicentium: „ Non accepimus perſeverantiam;
„ quoniam poteſt dici: in eo quod audieras,
„ & tenueras, in eo perſeverares, ſi velles.
Quomodo in eo, quod acceperant perſeverare reprobi potuere, ſi omnis gratia eſt *omnipotens*,

potens, ſive indeclinabiliter, inſuperabiliter operans effectum? Perſeverare enim ſinè auxilio gratiæ non poterant; hoc autem in Queſnelli ſententia defuiſſe patet; alioqui indeclinabiliter, inſuperabiliter perſeveraſſent. Evidens igitur eſt, Auguſtinum longiſſimè abfuiſſe ab eo Novatorum diſcrimine, quo omnis gratia hujus ſtatûs ſtatuitur *omnipotens*, & virtutis inſuperabilis, dum naturæ integræ auxilium amplecti homo conſentiendo poſſet vel diſſentiendo repudiare.

3 Diſparitatem utriuſque meliorem diſcamus ex eodem Sanctiſſimo Doctore lib. de correptione & gratia cap. 11. „ Quid ergo? „ Adam non habuit gratiam? Imò verò magnam; ſed diſparem. Ille in bonis erat, quæ „ bonitate ſui Conditoris acceperat. Neque „ enim illa bona, & ille ſuis meritis comparaverat, in quibus nullum prorſus patiebatur malum. Sancti verò in hac vitâ, ad „ quos pertinet liberationis gratia, in malis „ ſunt, ex quibus clamant, Libera nos Domine. Ille in bonis Chriſti morte non eguit; „ iſtos à reatu, & hereditario, & proprio, „ Agnus Chriſti abſolvit: ille non opus habebat eo adjutorio, quod implorant iſti, „ cùm dicunt: video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, „ & captivantem me in lege peccati, quæ eſt „ in membris meis. Infelix ego homo quis „ me liberabit de corpore mortis hujus? „ Gratia Dei per Jesum Chriſtum Dominum „ noſtrum. Quoniam in eis caro concupiſcit „ adversùs ſpiritum, & ſpiritus adversùs carnem: atque in tali certamine laborantes, „ ac periclitantes dati ſibi pugnandi, vincendique virtutem per Chriſti gratiam poſcunt. Ille verò nulla tali re ipſa, à ſeipſo, „ adversùs ſeipſum tentatus, atque turbatus, in illo beatitudinis loco ſua ſecum pace fruebatur. Proinde, etſi non lætiore, verumtamen potentiore gratia indigent nunc.

4 Quam Auguſtini ſententiam conſiderans Cardinalis de Aguirre Theologiæ S. Anſelmi diſput. 132. ſect. 2. ait: „ Ecce multiplex, & verum diſcrimen utriuſque adjutorii palàm ab Auguſtino traditum. Primò „ enim, & generatim differunt ambo in eo, „ quod Adamus *in bonis erat*, id eſt in ſtatu „ innocentiæ, & integritatis, in quo non habebat opus adjutorio ſanante ab ægritudine aliqua, quæ tunc non erat; ſed tantùm „ adjutorio elevante, & perficiente. Poſteri „ autem Adæ *in malis* ſunt, nimirum concupiſcentiæ rebellis, difficultatis, & ignorantiæ: ratione quarum egent gratiâ ſanante. Secundò differunt, quoniam Adamus ad recipiendum illud adjutorium non „ eguit Chriſti morte: utpote cùm non eſſet „ ab initio gratia medicinalis, aut propria „ Redemptoris, ſed Creatoris, & Juſtificatoris: in nobis verò adjutorium, cùm deſerviat eluendo reatui ſceleris originarii, & „ proprii, habetur per Sanguinem Agni, ſeu „ Redemptoris Chriſti. Tertiò differunt, „ quoniam adjutorium datum Adamo non „ deſerviebat ad frænandam aliquam pugnam inteſtinam concupiſcentiæ impellentis ad bona inconceſſa, ſiquidem nullum tunc adhuc erat diſſidium inter appetitum ſentientem, & rationalem. Adjutorium autem nobis datum frænat belluinos „ concupiſcentiæ motus, & pugnat adversùs „ illecebras carnis, quibus exagitamur. „ Quartò denique differunt, quoniam adjutorium naturæ innocentis fuit lætius, id eſt „ liberum ab omni dolore, anxietate, & pugnâ inter portionem ſuperiorem, & inferiorem: adjutorium verò naturæ lapſæ, „ quamvis lætius non ſit; potentius tamen „ eſt. Non enim ſolùm tribuit vires ad bonum agendum; ſed etiam repellit, aut vincit oppoſitam inclinationem ad malum. „ Hactenus Cardinalis ex Auguſtino, ubi in multiplici diſcrimine gratiæ ſtatûs utriuſque nullum verbum eſt, ex quo Calvini, Janſenii, Queſnelli ſyſtema eliciatur.

5 Non plus adverſarios juvat in ſententia S. Thomæ, quam etiam integram deſcribere juvat, ex eo loco ubi diſcrimen utriuſque auxilii luculentè, & ex profeſſo determinat. 1. 2. q. 109. art. 2. „ Natura hominis poteſt dupliciter conſiderari: uno modo in ſua integritate, ſicut fuit in primo parente ante peccatum. Alio modo ſecundùm, quod eſt corrupta in nobis poſt peccatū primi parentis. „ Secundùm autem utrumq; ſtatum natura humana indiget auxilio divino ad faciendum, „ vel volendum quodcunque bonum, ſicut „ Primo movente; ut dictum eſt Articulo primo; ſed in ſtatu naturæ integræ, quantum „ ad ſufficientiam operativæ virtutis poterat „ homo per ſua naturalia velle, & operari „ bonum ſuæ naturæ proportionatum, quale „ eſt bonum virtutis acquiſitæ; non autem „ bonum ſuperexcedens, quale eſt bonum „ virtutis infuſæ. Sed in ſtatu naturæ corruptæ, etiam deficit homo ab hoc, quod „ ſecundùm ſuam naturam poteſt, ut non „ poſſit totum hujuſmodi bonum implere „ per ſua naturalia. Quia tamen natura humana non eſt totaliter per peccatum corrupta, ut ſcilicet toto bono naturæ privetur, poteſt quidem etiam in ſtatu naturæ „ corruptæ, per virtutem ſuæ naturæ aliquod bonum particulare agere (ſicut ædificare

„, ficare domos, plantare vineas, & alia „ hujuſmodi) non tamen totum bonum ſibi „ connaturale, ita quod in nullo deficiat; „ ſicut homo infirmus poteſt per ſeipſum „ aliquem motum habere; non tamen po- „ teſt perfectè moveri motu hominis ſani, „ niſi ſanetur auxilio medicinæ. Sic igitur „ virtute gratiæ ſuperadditâ virtuti naturæ „ Indiget homo in ſtatu naturæ integræ, „ quantum ad unum,ſcilicet ad operandum, „ & volendum bonum ſupernaturale. Sed „ in ſtatu naturæ corruptæ quantum ad duo; „ ſcilicet ut ſanetur, & ulterius ut bonum „ ſupernaturalis virtutis operetur, quod eſt „ meritorium. Ulteriùs autem in utroque „ ſtatu indiget homo auxilio divino, ut ab „ ipſo moveatur ad bene agendum. „ Ita S.Thomas,ſimilia habet Articulo 9. ejuſdem quæſtionis.

6 Hæc ſunt verè tutiſſima, & inconcuſſa Sanctorum Hipponenſis, & Aquinatis dogmata, quæ ſufficienrem utriuſque gratiæ diverſitatem continent; ultra quam,ſi quis novi aliquid diſcriminis excogitare voluerit,quod & in Auguſtini doctrina fundatum exiſtimet, non repugnabo, modò ejuſmodi ſit, quod certis, & à Sede Apoſtolica definitis articulis non adverſetur, uti adverſari manifeſtè oſtendimus diſcrimen Calvini, Janſenii, & Queſnelli.

CAPUT III.

Diſſlantur objectiones petitæ ex S. Auguſtino.

1 SOla ferè vis argumentorum adverſantium petitur ab obſcuritate quorumdam verborum Sancti Auguſtini. Quam fraudem Calvino familiarem fuiſſe reſtatur Claudius Sancteſius Ebroicenſis Epiſcopus in Atheiſmis Calvini tract. 5. cap. 2. *Fuit hæc*, inquit, *Calvini improba calliditas, & malitia, quod cuilibet rem attentè conſideranti facilè patebit, ut ad articulum Fidei, & veritatis conſtituendum, ſeligeret obſcurum aliquod antiqui Doctoris, ac præcipuè S. Auguſtini teſtimonium; quod unum totius Eccleſiæ,Patrumque conſenſui, atque aliis Doctoris ejuſdem locis omnibus opponeret.* Quæ hic præcipuè objiciuntur, quatuor teſtimonia ſunt ex libro de correptione, & gratiâ, quæ priùs integra refero, dein explicanda.

2 Primum eſt ex cap.11. „ Dederat Deus „ homini bonam voluntatem; in illa quippe „ eum fecerat rectum: dederat & adjuto- „ rium, ſinè quo non poſſet in ea perſevera- „ re, ſi vellet; ut autem vellet, in ejus libero „ reliquit arbitrio. „ Et paulò ante: „ Nec „ ipſum ergo Deus eſſe voluit ſinè gratiâ, „ quam reliquit in ejus libero arbitrio: quo- „ niam liberum arbitrium ad malum ſibi ſuf- „ ficit; ad bonum autem nihil eſt, niſi juvetur „ ab omnipotente bono: quod adjutorium ſi „ homo ille per liberum non deſeruiſſet ar- „ bitrium, ſemper eſſet bonus; ſed deſeruit, „ & deſertus eſt. Tale quippe erat adjuto- „ rium, quod deſereret cùm vellet, & in quo „ permaneret, ſi vellet; non quo fieret, „ ut vellet. Hæc prima gratia eſt, quæ data „ eſt primo Adam, ſed hæc potentior eſt in „ ſecundo Adam. Prima enim eſt, qua fit ut „ homo habeat juſtitiam, ſi velit: ſecunda „ ergo plus poteſt, qua etiam fit ut velit, & „ tantum velit, tantoque ardore diligat, ut „ carnis voluntatem contraria concupiſcen- „ tem, voluntate ſpiritûs vincat.

3 Secundum teſtimonium eſt ex eodem libro cap. 12. „ Ipſa adjutoria diſtinguenda „ ſunt. Aliud eſt adjutorium, ſinè quo ali- „ quid non fit; aliud eſt adjutorium,quo ali- „ quid fit. Primo itaque homini, qui in eo „ bono, quo factus fuerat rectus, acceperat „ poſſe non peccare, poſſe non mori, poſſe „ non deſerere ipſum bonum, datum eſt ad- „ jutorium perſeverantiæ; non quo fieret, ut „ perſeveraret; ſed ſinè quo per liberum ar- „ bitrium perſeverare non poſſet. Nunc „ verò Sanctis in Regnum Dei per gratiam „ Dei prædeſtinatis, non tantùm tale adju- „ torium perſeverantiæ datur; ſed tale ut & „ perſeverantia ipſa donetur; non ſolùm ut „ ſinè iſto dono perſeverantes eſſe non poſ- „ ſint; verùm etiam ut per hoc donum non „ niſi perſeverantes ſint.

4 Tertium eſt ibidem: „ Ut ergo non „ acciperet hoc donum Dei, id eſt in bono „ perſeverantiam primus homo; ſed perſe- „ verare, vel non perſeverare in ejus relin- „ queretur arbitrio:tales vires habebat ejus „ voluntas, quæ ſinè ullo fuerat inſtituta „ peccato, & nihil illi ex ſe ipſa concupi- „ ſcentialiter reſiſtebat, ut dignè tantæ bo- „ nitati, & bene vivendi facultati perſeve- „ randi committeretur arbitrium; Deo qui- „ dem præſciente, quid eſſet facturus inju- „ ſtè; præſciente tamen, non ad hoc cogen- „ te, ſed ſimul ſciente, quid de illo ipſe fa- „ ceret juſtè. Nunc verò poſtquam illa ma- „ gna peccati merito amiſſa libertas, etiam „ majoribus donis adjuvanda remanſit infir- „ mitas .... ac per hoc nec de ipſa perſe- „ verantia boni voluit Deus Sanctos ſuos in „ viribus ſuis; ſed in ipſo gloriari, qui eis „ non ſolùm dat adjutorium,quale primo ho- „ min

„ mini dedit, ſinè quo non poſſunt perſeve-
„ rare ſi velint; ſed in eis etiam operatur &
„ velle: ut quoniam non perſeverabunt,
„ niſi & poſſint, & velint, perſeverandi eis
„ poſſibilitas, & voluntas divinæ gratiæ lar-
„ gitate donetur. Tantum quippe Spiritu
„ Sancto accenditur voluntas eorum, ut ideo
„ poſſint, quia ſic volunt; ideo ſic velint,
„ quia Deus operatur ut velint. Nam ſi in
„ tanta infirmitate vitæ hujus, in qua tamen
„ infirmitate propter elationem reprimen-
„ dam perfici virtutem oportebat, ipſis re-
„ linqueretur voluntas ſua, ut in adjutorio
„ Dei, ſinè quo perſeverare non poſſent,
„ manerent ſi vellent, nec Deus in eis ope-
„ raretur ut vellent, inter tot, & tantas ten-
„ tationes infirmitate ſua voluntas ipſa ſuc-
„ cumberet: & ideo perſeverare non poſ-
„ ſent; quia deficientes infirmitate nec vel-
„ lent, aut non ita vellent infirmitate volun-
„ tatis, ut poſſent. Subventum eſt igitur in-
„ firmitati voluntatis humanæ, ut divinâ gra-
„ tiâ indeclinabiliter, & inſuperabiliter age-
„ retur: & ideo quamvis infirma; non tamen
„ deficeret, neque adverſitate aliqua vin-
„ ceretur. „

5 Quartum teſtimonium eodem loco ſe-
„ quitur: „ Ita factum eſt, ut voluntas ho-
„ minis invalida, & imbecilla in bono adhuc
„ parvo perſeveraret per virtutem Dei, cùm
„ & voluntas primi hominis fortis, & ſana
„ in ampliori bono non perſeveraverit, ha-
„ bens virtutem liberi arbitrii; quamvis non
„ de futuro adjutorio Dei, ſinè quo non poſ-
„ ſet perſeverare ſi vellet; non tamen tali,
„ quo in illo Deus operaretur, ut vellet.
„ Fortiſſimo quippe dimiſit, atque permiſit
„ facere, quod vellet. Infirmis ſervavit, ut,
„ ipſo donante, invictiſſimè quod bonum
„ eſt, vellent, & hoc deſerere invictiſſimè
„ nollent. „

6 Ex his Auguſtini textibus Janſeniani colligunt, gratiam quidem ſufficientem obtigiſſe Adamo ante peccatum; ſed nonniſi ſufficientem, qua bonum operari poſſet, non qua operaretur. At in ſtatu naturæ lapſæ omnem gratiam eſſe indeclinabiliter, & inſuperabiliter efficacem. Sequelam negant tam Thomiſtæ, quàm alii cujuſcunque Scholæ Theologi Catholici, quamvis in explicanda Auguſtini ſententia inter ſe diſcrepantes. Et quidem Janſeniſtarum interpretationem negari ab omnibus neceſſe eſt, quibus aliqua erga Sanctum Doctorem reverentia, nè ſcilicet doctrina ejus inter hæreticas abjicienda ſit, non uno damnata anathemate in Propoſitionibus Janſenii. Si enim omnis gratia, quæ in præſenti ſtatu conceditur, ſit inſuperabiliter efficax, ſive *omnipotens*, ut Queſnelli habet Articulus, perſpicuum erit, *interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ nunquam reſiſti*, quæ eſt hæreſis Janſenii ſecunda. Non minùs erit evidens, *aliqua Dei præcepta hominibus juſtis volentibus, & conantibus ſecundùm præſentes, quas habent vires, eſſe impoſſibilia, deeſſe quoque gratiam, qua poſſibilia fiant*. Nam & volitio illa, & conatus inefficax fuerit quidem ex gratia, inſuperabiliter efficiente talem volitionem, & conatum debilem, ad quem ſolum à Deo, juxta Janſenium, data fuerat; attamen gratia, quâ ſola præceptum obſervari potuit juxta eumdem, denegata eſt, ut patet ex tranſgreſſione; cùm in hoc ſtatu nulla gratia ad aliquem effectum, vel propriè dictam efficiendi operis poteſtatem, Janſenio, & Queſnello ſit ſufficiens; quin ipſum exercitium, ſeu actum, utpotè *omnipotens*, invictiſſimè tribuat.

7 Itaque juxta illam Auguſtinianæ ſententiæ acceptionem quotieſcunque juſti peccando juſtitiâ excidunt, defuerit illis gratia ſufficiens, quâ præceptum ſervare potuiſſent. Quæ aſſertio eſt prima Janſenii, *temeraria, impia, blaſphema, anathemate damnata, & hæretica*. En quibus meritiſſimis cenſuris contra Janſenii hæreſim latis, Queſnellus cum ſuis defenſoribus ſenſum Sanctiſſimi Antiſtitis involvat. Accedit tertia Janſenii hæreſis: *Ad merendum, & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ non requiritur libertas à neceſſitate; ſed ſufficit libertas à coactione*. Si enim præceptorum obſervatu impoſſibilium tranſgreſſione demereor, quis neget me peccatis demereri neceſſariis? Sequuntur & duæ reliquæ damnatæ in Janſenio hæreſes, ut vel ipſi pridem Janſeniani faſſi ſunt, Propoſitionem primam fundamentum, & originem eſſe cæterarum. Si enim omnis in hoc ſtatu gratia eſt *omnipotens*, ſeu talis, ut *nihil impedire eam poſſit, aut retardare*, quemadmodum Queſnellus explicat Articulo 10. nulla apud ipſum gratia eſt, *cui poſſit humana voluntas reſiſtere*, ut contra quartam Janſenii hæreſim definivêre Pontifices, & ante illos Tridentina Synodus contra Calvinum. Denique ſi præter *omnipotentem* gratiam, nulla conceditur; talem, qua ſe ullus reprobus ſalvare poſſit, ipſi Chriſtum promereri non voluiſſe perſpicuum eſt. Qua igitur ratione explicare nobis Queſnellus poterit, quòd pro ullius reprobi ſalute Chriſtus mortuus ſit? Dicet nempe, Chriſti Sanguinem ſufficiens pretium fuiſſe ſalvandis omnibus; ſi pro ſalute omnium oblatus fuiſſet. Sed hoc neque negavit Calvinus, neque ullus quantumvis inſaniens hæreticus; niſi qui Chriſto abrogaverit Divinitatem.

8 Me-

8 Meliùs itaque Doctores Catholici omnium ordinum conſulunt non ſolùm Fidei, & Veritati Orthodoxæ; ſed honori quoque Doctoris maximi, quando verba eius quædam minùs dilucida, cum doctrinâ Eccleſiæ ab eodem alibi traditâ, interpretando componunt. Longum verò foret omnes Catholicorum explicationes referre: neque inſtituti mei eſt inter has decidere, aut dirimere controverſias inter Scholaſticos agitatas. Aliquas tamen Auguſtinianæ ſententiæ celebriores interpretationes, ſalvâ cuilibet ſuâ probabilitate, exhibebo; cùm priùs ſequenti, & ultimæ Adverſariorum objectioni ſatiſfecero.

9 Poſtrema igitur Hexaplorum objectio petitur ex illis Auguſtini verbis lib. de dono perſeverantiæ cap. 7. *Poſt caſum autem hominis nonniſi ad gratiam ſuam Deus voluit pertinere, ut homo accedat ad eum: neque niſi ad gratiam ſuam voluit pertinere, ut homo non recedat ab eo. Hanc gratiam poſuit in illo, quo ſortem conſecuti ſumus, prædeſtinati ſecundùm propoſitum ejus, qui univerſa operatur: ac per hoc, ſicut operatur ut accedamus, ſic operatur nè diſcedamus. Propter quod ei per Prophetam dictum eſt, Fiat manus tua ſuper virum dexteræ tuæ, & ſuper filium hominis, quem confirmaſti tibi, & non diſcedimus à te. Iſte certè non eſt Adam primus, in quo diſceſſimus ab eo, ſed Adam noviſſimus, ſuper quem fit manus ejus, ut non diſcedamus ab eo; Chriſtus enim totus cum membris ſuis eſt propter Eccleſiam, quæ eſt corpus ejus, plenitudo ejus. Cùm ergo fit ſuper eum manus Dei, ut non diſcedamus à Deo, ad nos utique pervenit opus Dei: Hoc eſt enim manus Dei, quoniam opere Dei ſit, ut ſimus in Chriſto, permanentes cum Deo. Non ſicut in Adam diſcedentes à Deo. In Chriſto enim ſortem conſecuti ſumus prædeſtinati ſecundùm propoſitum ejus, qui univerſa operatur.*

Sic eſt, cùm ſit ſuper Redemptorem noſtrum manus Dei, *ad nos utique pervenit opus ejus*, non penès ipſum ſolum remanet; ſed de plenitudine ejus, & nos accipimus, atque recipimus in nobis, quo ſanctificemur; adulti videlicet auxilium, quo ad ſanctitatis formam in nobis pariter recipiendam diſponamur: Parvuli verò rationis impotes ſaltèm ad baptiſmum prædeſtinati interiùs juſtificante gratiâ donantur, atque exornantur *in ſemetipſis*. In quocunque autem gratiæ genere donum perſeverantiæ conſtitueris, ut non omnis gratia, quæ in præſenti ſtatu ex Chriſti meritis conceditur, donum eſt perſeverantiæ; ita quantumcunque ſuppoſueris donum hoc *in omnipotenti* gratia conſiſtere, nunquam indè conficies, omnem, quæ nobis ex Chriſti meritis obvenit in hoc ſtatu, gratiam eſſe omnipotentem; quod damnato aſſeritur Articulo.

CAPUT IV.

In explicandis, quæ Capite præcedenti ſub initium objecta ſunt, S. Auguſtini locis de gratiæ utriusque ſtatus diſcrimine, repugnat Adverſariis Cardinalis De Aguirre.

1 Prima Auguſtinianæ ſententiæ expoſitio eſt viri, vel ab adverſariis laudatiſſimi, & paſſim in patrocinium vocati, Emi Cardin. De Aguirre, quæ ſimul plurimorum in Galliis Doctorum eſt, atque Antiſtitum. Hic Cardinalis Theologiæ S. Anſelmi diſp. 132. ſect. 7. exiſtimat, quod Auguſtinus locis citatis non agat de omnibus gratiis Adamo innocenti præſtitis, neque de omnibus, quæ lapſis in Adamo hominibus, conceduntur; ſed de ſolo perſeverantiæ dono, quo Adamus in juſtitia permanere poterat, etſi vitio ſuo exciderit: & de efficaci perſeverantiæ dono lapſis quibuſdam hominibus conceſſo, quo ut Auguſtinus cap. 12. citato loquitur: *Sancti in Regnum Dei prædeſtinati*, actu perſeverant. Hic, inquit, Auguſtini ſenſus elucet, textum integrum conſideranti:

„ Primo itaque homini, qui in eo bono, in „ quo factus fuerat rectus, acceperat poſſe „ non peccare, poſſe non mori, poſſe non „ deſerere ipſum bonum, datum eſt adjuto„ rium perſeverantiæ, non quo fieret ut per„ ſeveraret; ſed ſinè quo per liberum arbi„ trium perſeverare non poſſet. Nunc verò „ Sanctis in Regnum Dei per gratiam Dei „ prædeſtinatis, non tantùm tale adjutorium „ perſeverantiæ datur; ſed tale, ut eis per„ ſeverantia ipſa donetur: non ſolùm ut ſinè „ iſto dono perſeverantes eſſe non poſſint; „ verùm etiam ut per hoc donum nonniſi „ perſeverantes ſint.

2 Hoc ſolo teſtimonio liquidum apparere cenſet eruditiſſimus Cardinalis, non de qualibet naturæ lapſæ gratia, neque de omni efficaci ejuſdem ſtatûs Auguſtino ſermonem eſſe; ſed de ſolo dono perſeverantiæ, ſive de *dono*, ut Sanctus loquitur: *Quo nonniſi perſeverantes ſint*. De fide ſcilicet eſt contra Calviniſtas, non omnem juſtum eſſe prædeſtinatum; adeôque non omnem juſtitiam, non omnem efficacem gratiam eſſe perſverantiam. Adverſarii verò *Adjutorium quo* cum omni lapſi hominis gratiâ confundendo, omnes ſemel donatos gratiâ, prædeſtinatione beatent, & perſeverantiâ.

3 Donum autem perſeverantiæ non neceſſe eſt intelligas adjutorium aliquod perſeverantiam præcedens, veluti cauſa, efficiens, ut ſublatâ homini deficiendi libertate *perſeverantia contumaciter amitti non poſſet*, quemadmodum Maſſilienſes Auguſtinum interpretati, ejus ſententiâ turbabantur; ſed eſt ipſa perſeverantia, teſte Auguſtino Maſſilienſium explicationem caſtigante, lib. de bono perſeverantiæ cap. 6. *Quod dicunt*, inquit, *parum intelligunt: de illa enim perſeverantia loquimur, qua perſeveratur uſque in finem. Quæ ſi data eſt, perſeveratum eſt uſque in finem: ſi autem non eſt perſeveratum uſque in finem, non eſt data... Non itaque dicant homines, perſeverantiam cuiquam datam uſque in finem, niſi cùm venerit ipſe finis*, ſeu mors in gratia ſanctificante. Sic dono perſeverantiæ infallibiliter perſeveramus, quia cauſa formalis juxta omnes inſeparabilis eſt ab effectu formali, ut explicat ſe Auguſtinus ipſo cap. 12. libri de corrept. & gratia: *Sinè alimentis non poſſumus vivere; non tamen, cùm fuerint alimenta, eis fit ut vivat, qui mori voluerit*; alimentum enim tantù m eſt cauſa efficiens, non formalis viventis. *At verò*, proſequitur S. Doctor, *beatitudo, quam non habet homo, cùm data fuerit, continuò fit beatus*. Sic perſeverantia, cùm data fuerit, continuò fit perſeverans; patet autem, perſeverandi neceſſitatem, quam donum perſeverantiæ infert, non antecedentem eſſe, ſed conſequentem, quod explicat ibidem magìs Auguſtinus. *Perſeverantiam*, inquit, *uſque in finem, quoniam non habet quiſquam, niſi qui perſeveraverit uſque in finem* (non ante) *multi eam poſſunt habere, nullus amittere. Neque enim metuendum eſt, nè fortè cùm perſeveraverit homo uſque in finem, aliqua in eo mala voluntas oriatur, nè perſeveret in finem.*

4 Qua propter, ait Auguſtinus lib. de Correptione, & gratiâ cap. 7. nullam in judicio fore reproborum excuſationem dicentium: *Non accepimus perſeverantiam; quoniam*, inquit, *poteſt dici, in eo quod audieras, & tenuer is, in eo perſeverares, ſi velles*. Acceperunt igitur reprobi adjutorium, quo poſſent perſeverare, ſi vellent, hoc eſt adjutorium ſinè quo non, ſive merè ſufficiens, quod Janſeniani hominibus lapſis negant, perperàm intellecto libro de Correptione, & gratiâ, in quo auxilium iſtud, ut patet, clariſſimè affirmatur.

5 Non eſt etiam veriſimile, Adamum ante prævaricationem nullum habuiſſe *Adjutorium*, quo Deum, à quo ſe cum tantis donis conditum videbat, religioſè coleret, & amaret; non enim ſtatim in tentationem inductus eſt, Evâ nondum formatâ.

6 Non itaque mens Auguſtini fuit, omnem efficacem gratiam negare ſtatui innocenti, neque lapſo omnem ſufficientem; ſed, inquit Cardinalis, opponere donum perſeverantiæ, quod nunc ad ſalutem datur *Sanctis in regnum Dei prædeſtinatis*, dono perſeverantiæ, quo Adam potuit in juſtitia conſtans perſiſtere; non tamen perſtitit: quod Sanctus Auguſtinus vocat *adjutorium perſeverantiæ, quo poterat non peccare, non deſerere bonum; non quo fieret ut perſeveraret; ſed ſinè quo per liberum arbitrium perſeverare non poſſet*.

7 Hac explicatione ſuppoſitâ, nullum Janſeniſtæ in objectis Auguſtini textibus præſidium habent, quo ſe contra tot Sedis Apoſtolicæ definitiones, contra Concilium Tridentinum, & totius Eccleſiæ ſententiam tueantur, fingentes omnem in hoc ſtatu gratiam *omnipotentem* eſſe, adeò ut effectum omnem, cujus in his circumſtantiis capax eſt, *indeclinabiliter*, *& inſuperabiliter* obtineat, ut nulla voluntatis infirmitas, vel pervicacia conſenſum ei denegare valeat, vel ſuſpendere.

CAPUT V.

In explicando gratiæ utriuſque ſtatus diſcrimine R. P. Antoninus Maſſoulie, & cum eo Schola Thomiſtica etiam non favet Adverſariis; quibus iterum intorquetur authoritas Eminentiſſimi de Aguirre.

1 Præter illa, quæ cap. 2. ex SS. Auguſtino, & Thoma cum omnium Scholarum Theologis deſignavi diſcrimina inter gratiam naturæ integræ, & corruptæ, nulla apparet neceſſitas, diſcrimen aliud intrinſecum, & eſſentiale ſtatuere, docente nos S. Fulgentio lib. 2. ad Thraſymondum Regem cap. 3. *Quia non alia gratia ſtantem Angelum à ruina potuit cuſtodire, niſi ipſa quæ lapſum hominem poſt ruinam potuit reparare. Una eſt in utroque gratia operata: in hoc ut ſurgeret, in illo nè caderet: in illo nè vulneraretur, in iſto ut ſanaretur: ab hoc infirmitatem repulit, illum infirmari non ſivit: illius eſca, hujus medicina.* Quem S. Fulgentii locum expendens Eminentiſſimus Aguirre Theologiæ S. Anſelmi diſputatione 132. ſect. 9. *Quid*, inquit, *illuſtrius pro identitate gratiæ efficacis in Angelo ut perſeveraret, atque in homine, ut ſurgat?*

Concluſioni huic ſubſcribit Schola Thomiſtica, quâ nulla eſt Janſeniano diſcrimini magis

magis infeſta. Ideo.& Janſenium ſenſit hoſtem implacabilem. Sic ille Tomo 2.col.581. *Ex quibus omnibus perſpicuè oſtenditur, nihil capitalius principiis Auguſtini, nihil quod ejus doctrinæ magis ex diametro repugnet, effingi poſſe; quàm quod Adami adjutorium in phyſica illa prædeterminatione ſitum fuerit: ut ſanè non temerè dici poſſe videatur, quod Authores, qui prædeterminationem illam phyſicam ad ſtatum etiam integrum Adami, & Angelorum extendunt, toto oſtio ab Auguſtini doctrinâ aberraverint.* Col. 581. *Prædeterminatio Phyſica prorſus deſtruit totam illam differentiam gratiæ Adami, & Chriſti, ſeu adjutorii, ſinè quo non, & adjutorii, quo fit opus: quam tamen Auguſtinus firmiſſimè ſtabilivit, & velut immobilem baſim totius doctrinæ ſuæ poſuit.* Tom. 3. col. 821. Ejuſdem prædeterminationis aſſertores vocat *magis profectò Ariſtotelicos, quàm Auguſtinianos; nam talis prædeterminatio ſic aſſerta, univerſam doctrinam ejus* (Auguſtini) *innumeris locis traditam, inexplicabili confuſione perturbat; tollit enim differentiam integræ, lapſæque voluntatis: tollit neceſſitatem duplicis adjutorii* (quo, & ſinè quo non) *obſcuratque veram radicem neceſſitatis gratiæ medicinalis: nec ſinit intelligere veram naturam ejus .... denique cogitur inferre non exiguam vim Scripturis Sacris.* Quas Janſenii cenſuras facilè Thomiſtæ deſpiciunt, & Auguſtini ſententias priùs à Janſenio, dein hìc à Queſnelli vindice objectas aſſumunt cum ſuis principiis conciliandas.

2 Et quidem Pater Antoninus Maſſouliè cujus gratiam, & patrocinium toties ambit Queſnellus, neque nomen ſinè encomio memorat, in *Sancto Thoma ſui interprete* Tom. 2. diſſ. 4. de gratia Adami q. 2. art. 10. hunc præmittit titulum: *Explicatur vera mens Sancti Auguſtini, quantum ad diſcrimen naturæ innocentis, & peccato infectæ.* Dein ſtatim initio ridet eos qui *difficilem hanc Quæſtionem arbitrantur. Ut*, inquit, *qui febribus corripiuntur, etiam media æſtate rigent, & hyeme uruntur, ita plane interdum, cùm res admodum apertæ ſint, magnas ſibi quidam difficultates fingunt. Ipſe, ut fatear, principiis S. Thomæ inſtitutus, ac in ejus operum lectione aliquandiu verſatus, nullas in explicanda Divi Auguſtini ſententia anguſtias paſſus ſum; cùm apertam multis in locis apud D. Thomam interpretationem repererim.* Dein ut nos ſuperiùs Janſenium, & ejus aſſeclas convicimus de ineptiis, quando diſcrimen illud *Auxilii quo*, & *ſinè quo non* nobis veluti *clavem, baſim, & fundamentum* Auguſtinianæ de gratiâ doctrinæ venditant, ita & celebris hic Thomiſta, eamdem imperitiam exagitat. *An*, inquit, *tunc in meridie palpabat Auguſtinus, cum nondum præfatam diſtinctionem duplicis auxilii quo, & ſinè quo, propalaſſet? Igitur & profligari hæreſis Pelagiana potuit, & re ipſa proſtrata jam erat; cùm tamen nondum propalata fuiſſet illa diſtinctio, quæ à S. Auguſtino in vitæ ſuæ fine ſolùm tradita eſt. Sinè ea igitur diſtinctione vinci potuit, victaque eſt hæreſis Pelagiana, & vera de Divina gratia fides ſtabilita. His adde, quod nemo unquam inter Theologos, neque etiam ipſe S. Thomas in tradenda de Divina gratia Doctrina, eam diſtinctionem eo ſenſu intellectam uſurpaverit, aut in eumdem uſum cum Janſenio adhibuerit.*

Dein ad Quæſtionis ſolutionem ſe accingens, *Dubium non eſt*, inquit, *quin & aliquod diſcrimen ſit, & quidem ingens inter innocentem Adamum, & poſteros in ſtatu naturæ corruptæ*: Dein diſcrimina ex S. Thoma tradit, quæ nos ex eodem Angelico, utì & ex Auguſtino, capite ſecundo memoravimus, atque ab omnibus admittuntur. His addit aliud Scholæ ſuæ proprium; quod neque favet Queſnelli Articulo, neque definitæ hìc officit Catholicæ veritati; videlicet *Dei motionem*, ſive auxilium efficax, licèt in omni ſtatu ad actum ſalutiferum, utpote humanæ, & Angelicæ naturæ viribus ſuperiorem, requiratur; tamen in natura peccato originis vitiatâ accedat ratio nova, & ſingularis; naturæ videlicet infirmitas, ob quam ſolam, etſi omnis alia ratio deeſſet, requiritur adjutorium efficax, ut imminutarum defectui virium occurratur. Fatetur etiam cum S. Thoma quæſt. 27. de veritate art. 5. in præſenti ſtatu præter infirmitatem naturæ eſſe *multitudinem impedimentorum, quæ quidem non erant in ſtatu naturæ conditæ; unde magis tunc poterat homo ſtare per ſeipſum, quàm nunc poſſint habentes gratiam; non quidem propter defectum gratiæ, ſed propter infirmitatem naturæ; quamvis etiam tunc indigerent divinâ providentiâ eos dirigente, & adjuvante.*

Poſt ſententiæ ſuæ, & argumentorum deductionem ampliſſimam „ His demum (in„ quit) pro coronide, celeberrimi Eſtii ju„ dicium ſubjungam, viri in D. Auguſtino, „ & SS. Patribus verſatiſſimi; ſed à Theolo„ gis Scholaſticis minùs alieni. In primo enim „ ſententiarum diſt. 41. §. 14. authoritatem „ Divi Auguſtini explicare aggreſſus, prin„ cipia D. Thomæ advocat; quibus dun„ taxat dum ſuperficietenus in Auguſtino in„ vicem opponi videntur, conciliare poſſe „ arbitratur. *Quocirca*, inquit, *ut quoad Di„ vinum adjutorium bene diſtinguamus inter „ ſtatum Angeli, hominiſque integri, & ſta„ tum hominis lapſi, retinenda eſt omnino do-*

Digitized by Google

,, *Ɛtrina S. Thomæ, quam tradit* 1. 2. *q*.109.
,, Ac deinde traditâ eâ doctrinâ, quam
,, nos jam ſupra explicuimus, indiguiſſe ſci-
,, licet hominem in ſtatû naturæ integræ vir-
,, tute gratuitâ, quantum ad unum, ſcilicet
,, ad operandum, & volendum bonum ſu-
,, pernaturale; ſed in ſtatu naturæ corruptæ
,, requiri quantum ad duo; ſcilicet ut ſane-
,, tur, & ulteriùs ut bonum ſupernaturalis
,, virtutis operetur. Quod diſcrimen multis
,, ex D. Thoma confirmat: deinde addit:
,, *Et ſanè niſi hic à Sancto Thoma inſinuatam*
,, *intelligentiam verborum Auguſtini recipia-*
,, *mus, difficillimum erit, ac nè poſſibile quidem*
,, *Auguſtinum ſibi ipſi conciliare; id eſt oſtende-*
,, *re quemadmodum ea quæ objecta ſunt*, ſcili-
,, cet ex libro de Correptione, & gratia,
,, *non contrarientur iis, quæ priùs in diverſum*
,, *ab Auguſtino fuerunt allata, præſertim ex*
,, *lib.* 12. *de civit. cap.* 9. Ac tandem eum
,, conciliandi modum ex D. Thoma adhibi-
,, tum, omnino uſurpandum eſſe, inquit,
,, vel ea ipſa ratione, quia apud *D. Thomam,*
,, *in hujuſmodi rebus exactiſſimum Doctorem*
,, *expreſſior reperitur; maximè propter ratio-*
,, *nes in eam partem graviſſimas, & ut nobis*
,, *videtur, inſolubiles, & clarè in Scripturâ*
,, *fundatas*. Hactenus Eſtius, quem Janſe-
,, nius ipſe lib. 3. de Gratia Chriſti Salvato-
,, tis cap. 20. doctiſſimum inter recentiores
,, Pauli interpretem nuncupavit, & cùm
,, etiam eam D. Thomæ ingentem ſanè com-
,, mendationem conceſſerit Janſenius, ut
,, ipſius Summa Theologica non aliud ſit,
,, quàm *Auguſtinus contractus*, non immeri-
,, to de D. Thoma, aut poſt D. Thomam de
,, Eſtio dici poterit, quod de D. Ambroſio
,, olim Auguſtinus ipſe contra Julianum in-
,, quit, *Poſſumnè tecum largiùs, beneficentiùs,*
,, *liberaliùs agere, quàm ut ipſum inter nos*
,, *conſtituamus judicem, de quo tuum jam te-*
,, *nemus judicium*? lib. 1. operis ultimi ca-
,, pit. 48. ,,

3 Huc uſque P. Maſſouliè; cui ſi tantum hìc deferat Queſnellus, quantum paſſim alibi ſimulat, rejicere ſententiam ejus non poterit, ſaltèm ut intolerabilem, & quæ potiùs eligenda non ſit, quàm ea quæ tot fulminibus in quinque Janſenii Propoſitionibus, & Bajanis longè pluribus confixa eſt.

4 Tanto minùs à Queſnello, & ejus ſociis ſententia Patris Maſſouliè recuſanda eſt, quod conſona ſit totius quodammodo Scholæ Thomiſticæ ſenſibus, à quibus ſe adeò non alienos declarant in Profeſſione fidei, ſeu famoſorum *quinque Articulorum*; ut quoniam hi non diſplicerent Goneto, & aliis Scholæ Thomiſticæ proceribus, Queſnellus hanc attexuerit Articulis monitionem: *De ſupradictis Articulis hæc declaramus primo* .... *his noſtram omnem circa materiam quinque Propoſitionum* (Janſenianarum) *doctrinam contineri*.

5 Verùm ſive in illis Articulis ſenſu Thomiſtico intellectis, ſive in toto diſcrimine gratiæ Adami, & noſtræ deſignato ab Eſtio, & à P. Maſſouliè, quibus Thomiſtæ recentiores cæteri in hoc conſentiunt, nihil penitùs eſt, quod damnatæ hìc Queſnelli ſententiæ ſuffragetur. Quid enim in illis omnibus eſt, quod *gratiam Adami illi* ſtatuat *proportionatam*, ſive ut Queſnellus Prop. 35. explicat, *Sequelam creationis, & debitam naturæ ſanæ*, quæ proinde *gratia* juxta Propoſitionem 34. *Non producebat niſi merita humana*? Quid rurſus in illis Thomiſticis Auguſtinianæ Doctrinæ explicationibus, vel adoptatis *quinque Articulis* eſt, quo excuſetur alter damnatæ ſententiæ error, quaſi in eo diſcreparet gratia noſtra ab Adamitica, quòd hæc quidem *Sanctificaverit* illum in ſemetipſo; gratia autem noſtra, ſeu *Chriſtiana nos ſanctificet in* Jesu *Chriſto*: Ubi oppoſitio ſatìs indicat, quod Chriſtiana gratia nos non ſanctificet in nobiſmetipſis, ſed ſolummodo in Chriſto; quod Calvinianum eſt, & Tridentinæ ſeſſionis 6. Canonibus 9. & 10. clariſſimè damnatum: *Si quis dixerit homines ſinè Chriſti juſtitia, per quam nobis meruit, juſtificari, aut per eam ipſam formaliter juſtos eſſe, anathema ſit. Si quis dixerit, homines juſtificari vel ſola imputatione juſtitiæ Chriſti, vel ſola peccatorum remiſſione, excluſâ gratiâ, & charitate, quæ in cordibus eorum per Spiritum Sanctum diffundatur, atque illis inhæreat, aut etiam gratiam, qua juſtificamur, eſſe tantùm favorem Dei, anathema ſit*.

6 Senſus Queſnelli, qui, ut jam monui, ex oppoſitione utriuſque gratiæ manifeſtus eſt, adhuc apertiùs declaratur Propoſitione 36. ubi non ſolùm eadem oppoſitio protruditur; ſed præterea, nè aliqua de mente Authoris dubitatio ſuboriri poſſit, particula additur excluſiva, quod *Gratia Chriſtiana non recipitur, niſi in perſona* Jesu *Chriſti*. Denique nihil in Thomiſticis Auguſtinianæ ſententiæ expoſitionibus eſt, quod tertium inferat damnati dogmatis errorem, quaſi omnis Chriſtiana gratia ſit *omnipotens*, nec alia, videlicet ſufficiens, *digna ſit Filio Dei*. Non exprimit quidem Propoſitio vocem *omnis*, ſed ea in Propoſitionibus dogmaticis, & ſubjecto indefinitè, ſeu illimitatè poſito ſemper, juxta Theologos æquè, ac Philoſophos, ſubintelligitur, ut hæc Propoſitio *Gratia Chriſtiana eſt omnipotens, & digna Filio Dei* æquivaleat iſti

Omnis

Digitized by Google

Omnis gratia Chriſtiana eſt omnipotens, & Digna Filio Dei. Thomiſtas autem ab eliminanda omni gratia ſufficiente alieniſſimos eſſe, atque hujus imputationem erroris ab eis Inter calumnias rejici, notius eſt, quàm ut probationibus indigeat.

7 Non plus præſidii Queſnellus habet in relata Cap. ſuperiore ſententia Cardinalis Aguirre; ſi nempe, ut Eminentiſſimus contendit, Auguſtinus in objectis quatuor textibus, & quibuſcumque ſimilibus de gratia Adami, & noſtrâ, non agat de omni gratia Adami, neque de omni noſtra, ſed de ſola gratiâ perſeverantiæ conceſsâ Adamo ante peccatum, ut in juſtitia perſeverare poſſet, poſteris verò in ipſo lapſis; ſed electis, ut ad beatitudinem certiſſimè perveniant. Non enim ex eo, quod perſeverantiæ donum in Adamo inefficax, in nobis efficaciſſimum ſupponatur, ulla ratione ſequitur, omnem Adami gratiam fuiſſe inefficacem, nullam nobis niſi efficaciſſimam præſtari: ſive, ut Queſnellus in præſenti Articulo vocat, *omnipotentem*, atque ita ab hujus ſtatûs finibus arceri omnem gratiam ſufficientem, quæ ab illa *omnipotente* diſtinguitur. Ex dictis hoc, & præcedente capite conſit, Queſnellum, & S. Auguſtini, & Sancti Thomæ ſcholis directiſſimè adverſari.

CAPUT VI.

Refertur duplex alia hypotheſis pro explicando gratiæ utriuſque ſtatus diſcrimine, erroneo Queſnelli ſyſtemati è diametro oppoſita.

1 PRæter duas illas Auguſtinianæ ſententiæ explicationes aliæ ſunt; ſed non magis adverſariis placituræ, quæ efficacitatem gratiæ in congruitate cum libero hominis arbitrio, & certis cujuſque diſpoſitionibus conſtituunt. Authores hi putant, ſe ſatis commodè omnem Auguſtinianorum textuum difficultatem ſolvere, dicendo, quòd Deus Adamum in naturali rectitudine creatum, & tot donis ſupernaturalibus ornatum, ſapientem, Sanctum, nullis concupiſcentiæ illecebris, aut tentationibus internis pulſatum dimiſerit libero ſuo arbitrio cum ſolo auxilio ſufficienti, quo poſſet Divinis inſiſtere mandatis atque ad finem uſque in juſtitia permanere. Verùm perſpecto ejus infeliciſſimo lapſu, quo in tantas incidit ſuoſque pertraxit poſteros calamitates, eorum miſerta Divina clementia, meliorem ſalutis ducem eis dederit ſuum Filium, qui potentioribus gratiæ præſidiis corruptæ jam naturæ infirmitatibus ſuccurreret: & quidem ita ut copioſa foret redemptio, & poſſent omnes fieri ſalutis compotes, ſi per eos non ſteterit, qui rationis, & gratiarum actualium capaces ſunt, non tamen omnes ſalutis participes fierent; quia non omnes Divinis præceptionibus, & gratiis obſequerentur; ſed ii ſoli qui præ cæteris ſingulari Divinæ clementiæ beneficio electi, iis prævenirentur ſubſidiis, quæ eorum diſpoſitioni, ac guſtui attemperata effectum liberum certiſſimè obtinerent.

2 Quod illuſtrari poteſt ſimilitudine Patris, qui plures habens filios, quorum primogenitum omnibus corporis, & animi dotibus, prudentiâ in primis, & pietate inſtructum dimittit conſilio ſuo, & ſapientiæ; quem dein naturæ, & gratiæ dotibus abuſum conſpiciens, eumdem, & quoſdam alios è liberis tradit iſtiuſmodi Præceptori, qui ita ſe noverit accommodare genio ſingulorum, ut eos quocunque voluerit, certis verborum, munerumque illecebris perducat conſentientes liberè, ac lubenter. Cæteris filiis de mediis quidem proſpicitur ſufficientibus, ſed non, ita eorum indoli attemperatis, atque adeò non conſequentibus effectum. Applicationem facilè lector intelligit: Primogenitus, permiſſus arbitrio ſuo fuit Adam, cui dein lapſo, & aliis electis adhibita ſunt media congrua, ſeu gratiæ in iis præſtitæ circumſtantiis, ut effectum prædeſtinationis liberè quidem; certiſſimè tamen conſequerentur.

3 Inter hujus ſententiæ Authores aliqui exiſtimant abſque recurſu ad Divinam conditionalium præſcientiam ſatis ſubſiſtere poſſe prædeſtinationis certitudinem falli neſciam; alii ab ea præſcientia certitudinem deſumunt. In hac iterum hypotheſi ſatis commodè explicatur quidquid in objectis Auguſtini textibus occurrit; nec tamen damnationi ſubducitur Queſnelli Articulus, aut ullus ex tribus in eo detectis erroribus excuſatur. Inter hypoteſeos autem illius defenſores viri ſunt omni exceptione majores, & vel adverſariis minimè ſuſpecti, Cardinales Bellarminus, & Aguirre, quos Queſnellus, & Socii ejus citare ſolent, velut à ſe minimè alienos; Molinæ autem, & ejus ſectatoribus maximè contrarios. Quidquid de hypotheſeos veritate ſit, defendi, impugnarique innoxiè poteſt, cùm fautores, adverſarioſque non contemnendos habeat, neque in utramvis partem hactenus quidquam ſit ab Eccleſia definitum.

4 Quarta hypotheſis eſt aliquot recentiorum, quòd Adam quidem gratiam, eamque,

que, ut Auguſtinus ait, magnam habuerit; verùm quod ea non fuerit prævié excitans voluntatem; ſed ſolummodo illuſtrans intellectum, quæ ei bonum eligendum proponeret cum motivis eò inducentibus; quòd autem voluntas ſana, integra, & per habitualem gratiam ſancta, nullis impedita, aut alio diſtracta concupiſcentiæ blanditiis, ſatis potens, ac fortis eſſet, ut concurrente Deo ſupernaturaliter, aſſenſum eliceret ſalutiferum.

5 Hujus ſententiæ Authores facillimam ſibi ducunt quorumcunque ex Auguſtino allegatorum textuum explicationem. Sic, inquiunt, commodè exponitur, quod Auguſtinus ait, lib. de correptione, & gratia cap. 11. *Dederat homini Deus bonam voluntatem; in illa quippe eum fecerat rectum: dederat, & adjutorium, ſinè quo non poſſet in ea perſeverare, ſi vellet; ut autem vellet, in ejus libero reliquit arbitrio.* Adjutorium, inquiunt, ſinè quo non poſſet in bona perſeverare voluntate, recipiebatur in intellectu; ut autem liberum conſentiret arbitrium, alio præveniente auxilio opus non habuit. Sic, & reliqua in ea hypotheſi exiguâ operâ exponuntur.

6 Huic hypotheſi lucem, & authoritatem addit Eminentiſſimus Bellarminus lib. de gratia primi hominis toto capite 4. „ Primus „ homo (inquit) juſtitia originali, & habitu „ gratiæ gratum facientis ornatus, non „ eguit auxilio ſpeciali, quo excitaretur ad „ bene operandum, vel ad vitanda peccata. „ Hæc Propoſitio ſic explicatur.

„ Quatuor dona Dei poſſunt in homine „ conſiderari. Primum eſt habitus gratiæ „ naturam perficiens, ut pars inferior ſuperiori, & ſuperior Deo ſubjecta maneat.

„ Secundum conſervatio ejus habitûs; „ eſt enim commune omnibus rebus creatis, „ ut permanere non poſſint, niſi Deo eas „ perpetuò conſervante.

„ Tertium cooperatio Dei cum homine „ per auxilium generale in naturalibus, & „ ſpeciale in ſupernaturalibus. Neque enim „ poſſunt ſecundæ cauſæ operari, niſi cooperante cum eis primâ cauſâ.

„ Quartum eſt motio quædam Dei per „ auxilium excitans, quæ facit hominem „ uti prioribus donis. Priora enim tria dona non præſtant homini ut operetur; ſed „ tantùm ut poſſit bene operari, ſi velit: „ quartum autem donum facit hominem „ velle, & operari. Id quod explicat Auguſtinus lib. de Correp., & gratia cap. 11. „ & lib. 14. de civit. Dei cap. 2. per ſimilitudinem alimentorum. Sicut enim qui præbet homini cibos, & relinquit in ejus arbitrio ut comedat, ſi velit, non præſtat ei „ ut vivat; ſed ut poſſit vivere, ſi velit: Qui verò non ſolùm alicui cibos præbet; ſed etiam „ ipſos in os ejus infundit, is non tantùm præſtat poſſe vivere; ſed etiam vivere; ſic, & „ Deus per habitum gratiæ infuſum, & ejus „ habitûs conſervationem, & per hoc quod „ in promptu eſt ad ad cooperandum, dat homini poſſe bene operari, ſi velit: non tamen „ dat velle; at ſpeciali illa motione, & excitatione uti faciens habitu gratiæ, dat „ velle, & operari. Jam igitur Primus homo habuit tria priora dona: Quarto non „ eguit, neque illud habuit (ante peccatum). Nos poſt lapſum ejus indigemus „ omnibus, & omnia de Dei benignitate „ per Chriſti merita obtinemus.

„ Ratio hujus diſcriminis eſt; quia primum donum in Adamo non ſolùm mentem ſubjiciebat Deo; ſed etiam carnem „ ſpiritui, ut ſupradiximus; proinde non „ impediebatur, nec retardabatur Adam à „ bono opere, neque ad peccandum incitabatur per carnalem concupiſcentiam: in „ nobis autem primum illud donum mentem „ ſubjicit Deo; ſed non carnem ſpiritui: „ ideo propter carnales illecebras, quæ aſſiduè vel incitant ad peccandum, vel à bono retardant, deſideſque, ac dormitantes „ efficiunt, egemus auxilio excitante, dirigente, & protegente „

7 Hæc omnia ex doctrina Auguſtini confirmari poſſunt, inquit Bellarminus, & confirmat plurimis S. Doctoris textibus: ex lib. 4. contra Julianum cap. ultimo: lib. 8. de Geneſi ad litteram cap. 12. lib. de Natura, & Gratia, cap. 26. Epiſt. 106. Enchiridio cap. 106. lib. 14. de Civit. cap. 27. potiſſimùm autem ex libro de Corrept. & gratia cap. 11. & 12. ipſis textibus, qui ſuperiùs à Queſnelli defenſoribus objiciuntur.

8 Hos ita percommodè explicat Cardinalis dicens „ In his locis S. Auguſtinus „ non ſignificat fuiſſe in viribus liberi arbitrii ante lapſum Adæ perſeverare in bono, „ ſinè ulla Dei gratiâ; id enim repugnat plurimis teſtimoniis paulò ante adductis: neque ſignificat, poſt lapſum Adæ non eſſe in „ viribus liberi arbitrii adjunctâ gratiâ Dei „ perſeverare in bono; ſed ſignificat, fuiſſe „ in ſtatu innocentiæ, in viribus liberi arbitrii perſeverare in bono; quia ipſa etiam „ gratia, ſinè qua perſeverare non potuiſſet, „ erat in poteſtate liberi arbitrii. Nam gratia habitualis jam illi aderat, eâque uti „ poterat cùm volebat: conſervatio quoque „ gratiæ non deerat: nec defutura erat, niſi „ ipſe ſponte à Deo recedere voluiſſet,

„ coope-

Digitized by Google

„ cooperatio Divina promptiſſima erat; ſed
„ in actu primo, ut ſic loquar, illi aſſiſtens;
„ non in actu ſecundo; niſi cum ipſi Adamo
„ operari aliquid libuiſſet.

„ Dicitur autem poſt lapſum Adæ in viri-
„ bus liberi arbitrii non eſſe perſeverare in
„ bono; quia præter gratiam habitualem,
„ conſervationem, & cooperationem in actu
„ primo, egemus ob naturæ corruptionem
„ vocatione, & ſuaſione interna, quæ non
„ eſt in noſtra poteſtate; quamvis enim con-
„ ſentire vocationi ſit in noſtra poteſtate; ta-
„ men ipſum vocari, & præſertim ſic vocari,
„ ut Deus videt nobis aptum, congruumque
„ eſſe, ut vocationi non reſiſtamus, ſinè du-
„ bio non eſt in noſtra poteſtate. Sed de
„ his plura ſuo loco dicemus. Illud hic ſa-
„ tìs eſt didiciſſe ex doctrina S. Auguſtini,
„ non eguiſſe Adam ullâ gratiâ præter eam
„ quæ illi ſemper aderat, quæque quodam-
„ modo erat in ejus poteſtate. Quocirca in
„ libro de Correptione, & Gratiâ cap. 12.,
„ & lib. 14. de Civit. Dei cap 27. comparat
„ gratiam, & omnia auxilia conceſſa primo
„ homini cum alimentis, quibus utimur, ſi
„ volumus; non utimur, ſi non volumus: & in
„ iiſdem locis ſæpius repetit, habuiſſe pri-
„ mum hominem gratiam, qua poſſet perſeve-
„ rare; ſi vellet; ut autem vellet, relictum fuiſſe
„ in ejus libero arbitrio. Neque ab hac ſen-
„ tentia diſſentiunt Theologi Scholaſtici, ut
„ videre eſt apud Magiſtrum lib. 2. Sententia-
„ rum diſt. 24. §. 4. S. Bonaventuram in eadem
„ diſtinctione q. 2. Gregorium Ariminenſem
„ diſtinct. 29. quæſt. 1. art. 1. concluſ. 3., &
„ S. Thomam 1. 2. q. 109. art. 9.

Ita Bellarminus eo controverſiarum Tomo, qui Romæ à Sacra Rituum Congregatione examinatus, & approbatus eſt, quem proinde abſque peccati, aut anathematis periculo ſequi licet. Bellarmino conſentiunt Joannes Major, Curiel, Iſambertus, Becanus, & alii plures.

9 Præter quatuor relatas hypotheſes ſunt, & aliæ, quæ ſcholaſticè ſuſtineri poſſunt, nullâ hactenus impediente Eccleſiaſticâ cenſurâ. Nonne autem tutiùs, atque adeò prudentiùs, & religioſiùs adverſarii, ex illis aliquam ſeligerent in Eccleſiâ permiſſam, quàm Janſenianam non uno proſcriptam anathemate? Sed nempe præter hanc nulla hypotheſis eſt, quæ tribus erroribus in Articulo contentis, vel uni ex eis præbeat patrocinium; ideo obſtinatis damnati Articuli defenſoribus nulla, præter Janſenianam hypotheſim, unquam perſuadebitur.

C A P U T VII.

Origo totius Queſnelliani diſcriminis inter gratiam naturæ integræ, & ſauciæ.

INitium ducamus à gratia naturæ integræ, indè veſtigia promoturi ad gratiam naturæ peccato vulneratæ.

1 Lutherus in Geneſeos caput 3. *Quin hoc*, inquit, *inſtituamus, juſtitiam* (Adami) *non fuiſſe quoddam donum; .... ſed fuiſſe verè naturalem; Credere Deo, agnoſcere Deum: Hæc tam naturalia fuere in Adamo, quàm naturale eſt, quòd oculi lumen recipiant*. Videtur Calvinus Lutherum ſecutus lib. 1. Inſtitutionum cap. 15. §. 4. Hanc ſe, ut cæteras de gratia novitates, uterque ab Auguſtino didiciſſe exiſtimat. Sic Lutherus lib. de ſervo arbitrio ad Eraſmum: *Auguſtinus*, inquit, *quem præteris, totus meus eſt*. Et Philippus Melanchton in Apologia Lutheri adversùs Pariſienſes Sophiſtas: *An non Lutheri de libero arbitrio, de gratia, ſi rectè rem æſtimes, ſententia tota Auguſtini eſt?* Calvinus in principio libri de æterna prædeſtinatione ait: *Auguſtinus ipſe adeò totus noſter eſt, ut ſi mihi confeſſio ſcribenda ſit, ex ejus ſcriptis contextam proferre abunde mihi ſufficiat .... conſtabit quàm ſolidè mihi ex omni parte ſuffragetur*.

2 Indecorum duceret Queſnellus hæreticos, & ab Eccleſiâ exules ſibi Magiſtros attribui. At non pudebit agnoſcere Bajum, & Janſenium, magna apud novos Auguſtini diſcipulos nomina. Inter Articulos autem Bajanos à S. Pio V., Gregorio XIII., & Urbano VIII. condemnatos vigeſimus primus eſt: *Humanæ naturæ ſublimatio, & exaltatio in conſortium Divinæ naturæ debita fuit integritati primæ conditionis, & proinde naturalis dicenda eſt, non ſupernaturalis*. Art. 26. *Integritas primæ creationis non fuit indebita naturæ humanæ exaltatio; ſed naturalis ejus conditio*. 54. *Deus non potuiſſet ab initio talem creare hominem, qualis nunc naſcitur*, abſque juſtitia originali.

3 Hæc indubitata adeò Scriptori huic viſa fuerant, ut à cenſuris adversùs oppoſitos ſibi Scholaſticos non abſtineret. Art. 23. *Abſurda eſt eorum ſententia, qui dicunt, hominem ab initio dono quodam ſupernaturali, & gratuito ſupra conditionem naturæ fuiſſe exaltatum, ut fide, ſpe, charitate Deum ſupernaturaliter coleret*. 24. *A vanis, & otioſis hominibus ſecundùm inſipientiam Philoſophorum excogitata eſt ſententia, hominem ab initio ſic conſtitutum, ut per dona naturæ ſuperaddita fuerit largitate Conditoris ſublimatus, & in Dei fi-*

lium

lium adoptatus. Quaſi verò ad Philoſophos pertineret, eorumque inſipientiæ fœtus eſſet tractatus de gratia ſanctificante. 79. *Falſa eſt Doctorum ſententia, primum hominem potuiſſe à Deo creari, & inſtitui ſinè juſtitia naturali*. Art. 1. *Nec Angeli, nec primi hominis adhuc integri merita rectè vocantur gratia*. 3. *Et bonis Angelis, & primo homini; ſi in ſtatu illo permanſiſſent uſque ad ultimum vitæ, felicitas eſſet merces, & non gratia*.

4 Bajus quidem, damnatis ſuis à Sede Apoſtolica ſententiis, palinodiam cecinit Doctore Catholico dignam: Verùm Janſenius eâ minimè commotus, inſtaurandos aſſumpſit ex retractatis erroribus plurimos; ſic inchoans manuſcriptum codicem, ex quo novum compoſuit *Auguſtinum*: *Ad excuſandas propoſitiones Magiſtri Michaelis* (Baji) quarum damnationem ibidem ait: *Non ſinè arte Satanæ procuratam*. Verùm, inquit, *hic habere locum potuit*, Articulos tantùm *prohibitos fuiſſe pro illo tempore, ut ſatisfieret doctrinæ tunc communi à Philoſophis hauſtæ, à Scholis defenſæ, quibus, antequam veritas cum ejus fundamentis pateſieret, adhærendum cenſebatur*. Nonne præclarè? Veritas in Bajo proſcripta eſt, in gratiam Philoſophiæ, & errantium ex ea Scholaſticorum; ſed patefactis à Janſenio ejus fundamentis, quæ pluribus ſeculis Eccleſiam latuerant, poſtliminiò reſtituta. Ita quoque unus ex Janſenii recenter editi Approbatoribus ait: *Cum muliere Evangelica poſt tot, tantaque avitæ veritatis ſuſpiria, de inventâ* (à Janſenio) *veritatis dragmâ, per puras putas Philoſophorum tricas deperditâ, collætemur*: Et paulò ſupra: *Toti Reipublicæ Chriſtianæ gratulamur de nuper nobis erutì, velut ex inſcrutabili propemodum Democriti puteo S. Auguſtini doctrinâ per Reverendiſſimum Cornelium Janſenium*.

5 Videamus igitur quas tanti pretii veritates circa gratiam naturæ integræ tot ſeculis deperditas Eccleſiæ tandem reddere Janſenius voluerit; ſimiles nempe iis, quas inter Bajanos Articulos olim à tribus Pontificibus, & ipſo Bajo damnatos jam memoravimus. Janſenius Tomo 2. editionis Lovanienſis col. 762. hunc titulum cap. 18. eſſe voluit: *Gratia dilectionis Dei non poteſt ſinè culpa ſubtrahi creaturæ rationali innocenti: & aliquo modo debita eſt*. Col. 687. & 713. ait: *Sinè Dei amore, & juſtitia, creatura rationalis nec recta eſſe, nec condi poteſt*. Col. 975. *Deus non potuiſſet talem ab initio creare hominem, qualis nunc naſcitur* (ſinè charitate) col. 775. *Status animi ſinè bona voluntate, ſinè charitate, ſinè ſapientia conditi, non poteſt Authorem habere Deum; Deo enim eſſet voluntarius, non creaturæ: unde Deo, non creaturæ imputari deberet perverſitas, & quidquid ſcelerum ex illa creatæ voluntatis inſtitutione naſceretur, quæ quidem eſſent materialia ſcelera creaturæ; vera tamen ſcelera, ac peccata Dei*. Tom. 3. col. 935. *In Angelis* (idem fuiſſet in Adamo, ſi perſeveraſſet) *neque merita, neque perſeverantia ſunt ſpecialia Dei dona*. Col. 936. *Angelis vita æterna non eſt gratia ſpecialis; ſed merces meriti*. Tom. 2. col. 797. *Beatitudo ſupernaturalis, & Regnum Cœlorum non poteſt à creatura rationali innocente ſeparari ſinè injuſtitiâ*. Ibid. *Clara Dei viſio nequit negari creaturæ innocenti*. Ibid. *Regnum Cœlorum, quod ſupernaturalis ordinis eſt, non poteſt à pura natura ſeparari ſinè injuſtitia*. Ibid. *Ipſa claræ viſionis beatitudo in Regno Dei non poteſt negari creaturæ innocenti; innocens autem eſt pura creatura*.

6 Sunt iſtæ procul dubio ex iis *multis Propoſitionibus*, quas Urbanus VIII. Conſtitutione IN EMINENTI declaravit *à prædeceſſoribus olim* ſuis *damnatas, contineri* (in Janſenii libro cui titulus Auguſtinus) *& magno cum Catholicorum ſcandalo, & authoritatis dictæ Sedis contemptu contra præfatas damnationes, & prohibitiones defendi .... malo in ſcandalum totius Reipublicæ Chriſtianæ, & Fidei Catholicæ perniciem vertenti*. Ideo librum Urbanus prohibuit, ac condemnavit. Mortuus tamen eſt Janſenius in ſinu Eccleſiæ, & ejus manibus bene vovemus; quia ita Bajum ſecutus eſt errantem, ut etiam imitatus fuerit Romani ſe Pontificis judicio ſubmittentem. Submiſſionem hanc non ſolùm Teſtamenti tabulis declaravit 6. Maji 1638. ſed in ipſo etiam ſuo Auguſtino lib. 10. de gratia Chriſti in fine ante parallelum: *Quidquid de rebus tam multiplicibus, & arduis non juxta meam; ſed juxta S. Doctoris mentem pronuntiavi, ex Apoſtolicæ Sedis, Eccleſiæque Romanæ matris meæ judicio ſuſpendo, ut illud jam nunc teneam, ſi tenendum; revocem, ſi revocandum; damnem, & anathematizem, ſi damnandum, & anathematizandum eſſe judicaverit*. Nè verò ſuſpiceris Janſenium ſubmittere ſe ſolùm Apoſtolicæ Sedis judicio, quando Eccleſiæ univerſæ conſenſus acceſſerit, in Teſtamento ſolius Sedis Apoſtolicæ ſententiâ ſe contentum clariſſimè profitetur dicens: *Sentio aliquid difficulter mutari poſſe; ſi tamen Romana Sedes aliquid mutari velit, ſum obediens filius illius Eccleſiæ in qua ſemper vixi uſque ad hunc lectum mortis: obediens ſum. Hæc eſt mea poſtrema voluntas*.

7 Queſnelliana verò factio Queſnello applaudente, & approbante, ſpretâ tot Romanorum Pontificum contra Baji errores ſententiâ, ſpretâ quoque Baji, & Janſenii ſubmiſſione, omnia non ita pridem Baji opera

cum

Digitized by Google

cum vindiciis contra Sedem Apoſtolicam contumelioſiſſimis edidit, ut oſtenditur in proceſſu juridico, ſeu *Cauſa Queſnelliana* Articulo 3.

8 Janſenii errores pluribus Queſnellus defendit Apologiis; præcipuè tribus tomis *Traditionis Eccleſiæ*, quibus dein quartus acceſſit non minùs mendaci titulo *Defenſionis Eccleſiæ Romanæ*, & *Summorum Pontificum*. Nè longiùs abeam, in ipſis *Moralibus Obſervationibus* pleraque Bajana, & omnia Janſenii dogmata damnata inſtaurat: Et quidem ſolis quatuor Propoſitionibus trigeſimâ ſeptimâ, & tribus præcedentibus, veluti compendio complectitur quidquid de gratia primi hominis ex Luthero, Bajo, Janſenio, copioſiùs retuli. Si enim *Gratia Adami fuerit ipſi proportionata*, *ſi fuerit ſequela creationis*, & *debita naturæ integræ*, cur dicere Lutherus non potuit, juſtitiam Adami non fuiſſe donum naturæ indebitum; ſed fuiſſe verè naturalem, ut naturale dici ſolet quidquid ex natura ſequitur, eique debitum eſt? Si autem gratia credendi, & diligendi, ſit debita naturæ, non eſt unde fides, & dilectio in illo ſtatu dici debeat naturæ ordine ſuperior. Eadem doctrina ſtabilit cæteros Baji in hac materia Articulos, exceptâ cenſurarum audaciâ, à quibus abſtinet Queſnellus, ſatis ſibi ducens, damnata à Pontificibus dogmata reſtituiſſe.

9 Ex debito gratiæ ſequitur, nec Angeli, nec primi hominis adhuc integri merita rectè vocari gratiam, utpote ex debito, & naturali orta auxilio. Unde & bonis Angelis, & primo homini; ſi in ſtatu illo permanſiſſent uſque ad ultimum vitæ, felicitas eſſet merces, & non gratia. Alias Baji Propoſitiones, uti & Janſenianas ſingulas, hoc capite relatas, quivis Lector quamvis Theologicâ ſcientiâ leviſſimè tinctus, ad quatuor Queſnelli Articulos attentione facili reducet.

10 Tantum itaque ſupereſt quærenda origo dogmatum, quæ eiſdem contenta Queſnelli Articulis pertinent ad gratiam naturæ lapſæ. Hæc autem ad duo rediguntur capita. Primum, quod *Gratia non recipiatur in nobismetipſis, ſed non niſi in perſona Chriſti*; ſive quòd gratia non ſanctificet nos in nobiſmetipſis; hoc enim erat proprium gratiæ Adami: inter quam, & noſtram, hæc *differentia eſſentialis eſt*. Alterum eſt, quòd omnis in hoc ſtatu gratia ſit *omnipotens*.

11 Primo dogmati erroneo, imò hæretico potuit præſtitiſſe originem Lutherus; etſi ſubinde locutus variè, & obſcuriùs. Sic in Epiſtolam ad Galatas ait: *Fide apprehenſus, & inhabitans Chriſtus, eſt juſtitia Chriſtiana, propter quam nos Deus reputat juſtos.*

12 Oſiander Lutheri diſcipulus ſe defendens contra Melanchtonem, etiam Lutheranum, teſtatur, viginti inter ſe diſcrepantes in hac controverſia ſententias eſſe apud *Confeſſioniſtas*, Lutheri ſectarios. Oſiander autem non agnoſcit imputativam juſtitiam; contra quam hæc exſtat ejus confeſſio: *Hypocritæ docent, juſtitiam noſtram nihil eſſe aliud, quàm quod Deus nos pro juſtis habet, etiamſi ſimus peccatores, & noſtram juſtitiam eſſe extra nos*. Sic nempe ſe, & Lutherum intelligi vult, ut Deus ipſe eſſentialiter juſtus nos inhabitans, juſtitiâ ſuâ nos formaliter juſtos reddat: ita explicat dictum Lutheri, *quod inhabitans Chriſtus ſit juſtitia Chriſtiana*.

13 Matthias Illyricus in Centuriis cent. 1. hanc ſe à Luthero didiciſſe ſententiam ait: „ Juſtitia, quam Deus impio imputat, non „ ſunt qualitates, aut virtutes noſtræ: neque „ ipſa Dei eſſentia, ſeu Divina, & ſubſtantialis juſtitia; ſed totum opus, quod Chriſtus „ homo, & Deus in una perſona Mediator „ noſter, pro toto genere humano præſtitit.

14 Illyrico hìc videntur conſentire Lutherani cum Saxonici, qui *Lutherani rigidi* appellantur, tum Electorales, quibus *mollium* nomen eſt. In colloquio Altemburgenſi poſteriores ajunt: „ Inter nos nulla eſt dubi- „ tatio; quin Sacra Scriptura juſtitiam Chri- „ ſti, per quam nos coram Deo juſtificamur, „ & qua juſti ſumus, paſſionem, & obedien- „ tiam Chriſti claris, & perſpicuis verbis „ appellet.

Ibid. Saxonici, ſeu rigidi: „ Obedien- „ tia, & meritum Chriſti eſt res ipſa, quæ „ nobis imputatur; eſt juſtitia ipſa, quæ no- „ bis donatur, atque adſcribitur.

15 Magis ſubdola eſt ſententia Martini Buceri, etiam Lutherani; qui in libello Ratiſbonæ exhibito Imperatori ſic habet Art. 5. „ Etſi autem is, qui juſtificatur, juſtitiam ac- „ cipit, & habet per Chriſtum etiam inhæ- „ rentem; tamen anima fidelis huic non inni- „ titur; ſed ſoli juſtitiæ Chriſti nobis dona- „ tæ, ſinè qua nulla omnino eſt, nec eſſe po- „ teſt juſtitia: „ Ubi duplicem diſtinguit juſtitiam, unam imperfectam, quæ in virtutibus animæ inhærentibus, aliam perfectam, quæ in ipſa Chriſti juſtitia nobis imputata conſiſtit.

In hunc errorem imprudens lapſus eſt Albertus Pyghius, niſi quod Chriſti juſtitiam Lutherani à fidelibus apprehendi vellent per fidem, Pyghius per dilectionem.

16 Diſpiciat modò Lector, an ad illas Lutheranorum inſanias non proximè accedat damnata in Articulo 36. & 37. ſtatuens „ Gra- „ tiam Chriſtianam non recipi à nobis in „ pro-

„ propria perſona, non recipi niſi in perſo-„ na Chriſti: illam non ſanctificare nos in „ nobiſmetipſis, ſed in Jesu Chriſto. „ Ego quidem nihil hic video, quod Lutheranis non apprimè conſentiat, quod ſubſtantiam, ſeu negationem juſtitiæ nobis à S. Spiritu infuſæ, in nobiſmetipſis propriè receptæ, & inhærentis; licèt hæretici, ut fieri ſoler, de rationibus, & explicandi modis inter ſe minimè conſentiant.

17 Tertium diſcrimen, quòd omnis gratia in hoc ſtatu ſit *omnipotens*, Authore gloriari poteritLuthero in cap.2.Geneſeos,quem ſecutus eſt Calvinus in antidoto ſeſſ. 6. Tridentinæ dicens: „ In eo falluntur (Tridentini Patres) quòd nullum obſervant, inter „ regenerationis gratiam, quæ nunc miſeriæ „ noſtræ ſubvenit, & primam, quæ Adæ data fuerat, diſcrimen.... quod (auxilium) „ deſereret cùm veller, &c. „ Lib. 2. inſtit. „ cap.3. „ Talem fuiſſe hominis adhuc ſtantis conditionem concedimus, ut potuerit „ in alteram partem inclinare; ſed cùm ſuo „ exemplo docuerit, quàm miſerum ſit liberum arbitrium, niſi Deus in nobis & velit, „ & poſſit, quid fiet nobis, ſi ad eum modu-„ lum ſuam gratiam nobis impertitur?

Calviniſtæ in Hollandia dicti Contraremonstrantes in ſpecimine Art.72.ajunt „ Gratia, cujus virtute, qui vocatur exteriùs, „ homo venit, adeò eſt efficax, & omnipotens tractio, ut ita tracti homines, ejuſmodi tractioni reſiſtere nec velint, nec poſſint, „ nec velle reſiſtere queant. „ Similia habent in Synodo Dordracena art.8.12.& aliis.

Hanc gratiam multis ſeculis ignotam fuiſſe, & à ſe velut è collapſæ doctrinæ Auguſtinianæ ruderibus erutam jactat Calvinus lib.2. inſtit. cap.2. „ Gratia, inquit, voluntatem movet, non qualiter multis ſeculis „ traditum eſt, & creditum, ut noſtræ poſtea „ ſit electionis motioni aut obtemperare, „ aut reſiſtere; ſed illam efficaciter afficiendo. „ Eodem libro cap. 3. „ Medium, „ quem ſophiſtæ imaginantur motum, cui „ obſequi, vel repellere liberum ſit, apertè „ excludi videmus, ubi aſſeritur ad perſeverandum conſtantia.

18 Iſtud in Auguſtino, quod multis ſeculis latuerat diſcrimen à Calvino, & Luthero inventum, tam mirificè placuit Janſenio, ut famoſi operis ſui fundamentum eſſe voluerit Tom. 3. lib. 2. cap.4. „ Adjutorium gratiæ, inquit, ante lapſum Adæ tale erat, ut „ ab ipſo liberæ voluntatis nutu penderet, „ ſalvaque maneret illa libertatis in utramque partem flexibilis indifferentia; nunc „ verò tale eſt, quod ſuâpte efficaciâ faciat „ influere facultatem, nec ipſius libero arbitrio ſubjaceat.

Eodem libro cap. 25. „ Nulla omnino „ gratia Chriſti effectu caret; ſed omnis efficit, ut voluntas velit, & aliquid operetur: „ unde gratia, & bonum opus ita reciprocantur, ut ſicut ex gratia data mox effectus „ operis conſecutus infertur, ita viceverſa „ ex defectu operis gratiam non eſſe datam.

Lib. 3. cap. 1. „ Poſt lapſum Adæ nullum datur adjutorium verè ſufficiens, quin „ ſimul efficax ſit. Cap. 2. Gratia ſufficiens „ videtur monſtrum quoddam ſingulare „ gratiæ. „ Lib.2.cap.27. „ Quiſquis talia Divinæ gratiæ adjutoria infirmis hominibus adferre nititur, quæ deſerant, ſi velint, in quibus permaneant, ſi velint; cum „ quibus operentur, ſi velint, originalis peccati vires evacuat, illæſas liberi arbitrii „ vires eſſe, & Chriſtum fruſtrà veniſſe, gratis mortuum eſſe perſuadet.

19 Habemus hìc avum, proavoſque Queſnelliani fœtûs, totius inquam ſpurii diſcriminis inter gratiam Adami, & noſtram, quod Articulis quatuor comprehenſum, multiplici, ut vidimus, digniſſimum anathemate, Clemens XI. jure meritò profligavit.

CAPUT VIII.

Querela & proteſtatio Queſnelli pertinens ad Propoſitionem 37. Expenduntur duo priores ejus Articuli.

1 QUadraginta Galliarum Antiſtites anno 1714. Pariſiis congregati cum Eminentiſſimo Cardinale de Rohan, in documento Paſtorali, quod à plurimis dein Epiſcopis adoptatum eſt, ita cenſuêre de quatuor diſcuſſis ultimò Propoſitionibus „ Tradit nobis S. Auguſtinus de gratia Adami innocentis doctrinam „ maximè diſcrepantem ab ea, quæ damnatis hìc Propoſitionibus continetur. Doctor „ ille ſanctiſſimus procul remotus à tribuendo Adami meritis principio gratiâ ſolummodò naturali, agnoſcit in ſtatu innocentiæ auxilium ſupernaturale, quo homo opus „ habuit. Lib. de Correptione, & Gratia, „ cap. 11. *Primus homo egebat adjutorio gratiæ*, &c. appellat adjutorium illud magnam „ gratiam, dicens: *Imò verò habuit magnam.* „ Nonne proſcripti Articuli apertè hanc veritatem impetunt, aſſerendo: *Gratia Adami* „ *eſt ſequela creationis, & erat debita naturæ* „ *ſanæ, & integræ, & erat illi proportionata?* „ Quod in primo homine non indicat niſi „ gra-

„ gratiam naturalem, & à conditione ejus „ inſeparabilem, quæque non produxiſſet „ merita in ipſo, niſi merè humana. Quæ Pro- „ poſitiones manifeſtè ſunt oppoſitæ dogma- „ tibus S. Auguſtini, & à S. Pio V. & Grego- „ rio XIII. Pontificibus in Bajo juſtiſſimè „ condemnatæ; inſtauratæ autem à Scriptore „ *Obſervationum Moralium*, nonne itera- „ tam merebantur à Sede Apoſtolica pro- „ ſcriptionem?

Adversùs tantorum Antiſtitum ſententiam, ſic invehitur Queſnellus proteſtationis pag. 166. „ Mala fide ex editione veteri re- „ feruntur hæc verba: *Et erat debita natura* „ *ſana, & integra*, quæ Cardinalis de Noail- „ les in ſuis editionibus auferri juſſit. Hone- „ ſtas, & æquitas erga Eminentiſſimum po- „ ſtulabat, ut iſtud notaretur.

2 Ego verò in Prolegomenis capite quinto oſtendi hanc, & quamcunque aliam in poſterioribus editionibus à Cardinale factam mutationem, impedire minimè debuiſſe, quin Propoſitiones, prout in anterioribus exſtant, à Sede Apoſtolica configerentur. Quid enim, an errores, & hæreſes infinitis exemplaribus, & linguis variis per orbem diſperſæ, tolerari à Chriſti Vicario debebunt cum plurimarum, quas inficient, animarum exitio, neque cenſura Apoſtolica afferre poterit remedium; quia editio quædam poſterior correctionis aliquid in paucis textibus, idque imperfectum, & tollendo ſcandalo minimè ſufficiens adhibetur? Gloriantur Queſnellianæ vindiciæ librum ante correctionem annis ferè triginta tantâ aviditate diſtractum, lectumque fuiſſe, ut editionibus ſtatim exhauſtis novæ continuò ſuccedere debuerint, non exiguo, ut ajunt, animorum fructu; latiſſimâ ſcilicet Bajaniſmi, atque Janſeniſmi propagatione, ut eventus docuit, & univerſa, plaudentibus hæreticis, luget Eccleſia. Num & inſtitutio Calvini, & pernicioſiſſima quælibet Lutheri ſcripta, permitti impunè debuiſſent per Eccleſiam graſſari, neque excerptas ex eis hæreſes ferire Tridentinis Patribus licuiſſet, ſi cui placuiſſet Epiſcopo poſt editiones multas corruptiſſimas unam dare in pauciſſimis, & leviſſimè emendatam? Iſtiuſmodi mala ad tot millium animarum, & religionis interitum vergentia fortiore indigent remedio, quod ad omnium, quibus illa nocuerint, pervenire notitiam valeat, erroremque, quem inſtillaverant lethiferum mentibus eximere.

3 Si Author ipſe hæreſes ſuas publicè, ut oportuit, retractaſſet, non prætermiſiſſet Pontifex in Conſtitutione ad excuſationem Scriptoris, retractationem ejus, & fortè cum ſubmiſſionis encomio indicare: quin & contentus proſcriptione libri, atque ultronea ab Authore facta errorum omnium abdicatione, ab infligendo iis anathemate forſitan abſtinuiſſet. Verùm quando Queſnellus, ut ex ejus literis *in Cauſa Queſnelliana* Articulo 19. prolatis conſtitit, correctionem adeò parcam, & minimè ſufficientem à Cardinale Noaillio imperatam, nonniſi invitus patitur, adeò ut vel ipſum Eminentiſſimum ſtylo maledico proſciudat, velut Theologiæ tenuiter peritum, velut nimiùm indulgentem reſpectibus humanis, eiſque ſubinde ſacratiſſima Fidei dogmata turpiſſimè litantem, ac ferientem anathemate, denique velut hominem ineptiſſimum, *omnia corrumpentem*, CET HOMME-LA' GATE TOUT, cur tali unius Antiſtitis correctioni deferre tantum debuit Apoſtolica Sedes, ut errores diſſimularet & hæreſes, quas ea Epiſcopi providentia minimè deſtruit, ſed aliqua tantùm luce privat, qua venenum faciliùs perſpicitur, horroremque incutit legenti.

4 In ipſo, quod objicitur, exemplo res manifeſta eſt. Quem Catholicum utcunque fidei dogmatibus imbutum non offendat aſſertio *de Gratia Adami*, quod fuerit *Sequela creationis*, & *debita naturæ ſanæ, & integræ*? atqui tam eſt hæreticum, quod gratia fuerit *Sequela creationis*, quàm quod *fuerit debita naturæ ſanæ, & integræ*; ſed magìs hominum vulgo notum eſt, quòd gratia non poſſit eſſe debita naturæ, quàm quòd non ſequatur ex creatione, quia inter gratiam, & debitum oppoſitio patet ex terminis; non ita inter gratiam, & creationis ſequelam. Expunctâ ergo ultimâ Propoſitionis parte, prioris error non tam facilè detegitur ab omnibus; unde hæreſeos virus ab incautis hauritur ſecuriùs, quàm dum enuntiatio, ut in editionibus primigeniis eſt, profertur integra; ubi pars poſterior abſurditate ſuâ patentiſſimâ prioris ſenſum velut digito oſtendit ejuſdem eſſe furfuris, & malitiæ.

5 Quid autem cauſæ ſuſpicer; quare is, qui ad correctionem ab Eminentiſſimo adhibitus eſt, tam parum accuratè officio ſuo functus ſit, ut etiam incorrectum reliquerit, quod Adami gratia illi fuerit *proportionata*? Aliud quod reſpondeam non invenio, niſi hominem fuiſſe, vel ſcientiâ Theologicâ leviter tinctum, vel à novitatibus non penitùs alienum; certè noluiſſe rigidiore lima offendere Queſnellum, ejuſque Patronos, maledicendi temeritate, & audaciâ nimiùm metuendos. Intererat igitur honoris Archiepiſcopi Pariſienſis, ut nulla potiùs correctionis ab ipſo imperatæ fieret mentio, ſive in Conſtitutione UNIGENITUS, ſive Documento Paſtorali Gal-

Gallicanorum Antiſtitum, quàm ut correctione tam negligenti, vel etiam ſubdolâ, injiceretur pluribus forſitan ſuſpicio de ipſius Archiepiſcopi cum Novatoribus colluſione, etſi ab ejus animo alienâ.

6 Alterum Proteſtationis caput eſt, contra id, quod quadraginta Epiſcopi occaſione Propoſitionis 34. *Gratia Adami non producebat niſi merita humana*, aſſerant, Queſnellum ſtatuere merita Adami *merè humana*: „ Poſtquam, inquit, me perperàm accuſaverant, quaſi non admitterem in ſtatu innocentiæ gratiam, præterquam naturalem, cenſuere hoc deducendum indè conſectarium, quòd merita Adami fuerint *merè humana*: quæ falſificatio ſequitur alteram; utraque autem mera calumnia eſt. Verùm tam Præſulibus iis, qui nihil examinant, quàm credulæ plebi perſuaderi oportuit, quod gratiam in ſtatu innocentiæ non agnoverim ſupernaturalem. Oppoſitum evincit 36. Propoſitio, etſi contra me proferatur. Illic aſſero: *Differentia eſſentialis inter gratiam Adami, & ſtatûs innocentiæ, ac gratiam Chriſtianam eſt, quòd primam unuſquiſque in propria perſona recepiſſet: iſta verò non recipitur, niſi in perſona* Jesu *Chriſti reſuſcitati, cui nos uniti ſumus*. Gratiam oppono gratiæ abſque æquivoco. Loquor non de ſola Adami, ſed & de ea, quæ data fuiſſet ejus poſteris, ſi in juſtitia perſeveraſſet. Ago de gratia ab ipſo recepta in perſona propria, quamque pariter ſinguli ejus liberi, & qui procederent ab eis poſteri, in perſona propria recepiſſent. Omnia hæc gratiam indicant veram, naturæ ſuperadditam, ſupernaturalem, atque à naturâ adeò ſeparabilem, ut revera ab ea ſeparari contigerit. „

7 Quot offuciæ! An gratia de naturali, & ſupernaturali prædicetur univocè, an tantùm æquivocè, vel analogè ad præſens inſtitutum nihil attinet diſputare. Quomodo autem naturale non eſt, quod naturæ *proportionatum*, quod ex natura, ſeu *creatione* naturæ ſequitur, quod *natura integra, & ſana debitum eſt*? Proferat nobis meliorem aliam adverſarius, ſi poſſit notionem *naturalis*, quam quod *ex natura ſequitur*, ei *proportionatum eſt, ac debitum*. Appello quotquot in Eccleſia Catholica Theologicam Scientiam profitentur, & in Scripturis, Patribus, vel etiam Scholaſticis Doctoribus verſati ſunt, unquamnè *ſupernaturalis* nomine inſigniri legerint, vel audiverint, quod ex natura ſequitur, ei proportionatum eſt, ac debitum? Certus ſum inter Orthodoxos reperiendum neminem, locutioni adeò exoticæ, & à veritate alieniſſimæ ſuffragantem. Quâ igitur impudentiâ, nè dicam ſacrilega temeritate audet Queſnellus proteſtatione publica invocato *Sanctiſſimæ* Trinitatis *nomine*, quadraginta Epiſcopos accuſare de *calumnia*, propterea quod gratiam ſequentem ex creatione, proportionatam naturæ, eique integræ debitam, non agnoverint *ſupernaturalem*, meritaque ex tali provenientia principio vocaverint *merè humana*? Negare ſupernaturalitatis prærogativam tali gratiæ nullus ſibi duxerit crimen; imò nullus ei tribuit Catholicus.

8 Quod à me dictum ſi ægrè Queſnellus tulerit, provocari ſe ſinat, cum toto ſuo Janſeniſtarum agmine tam erudito, tam novis quotidie voluminibus fœcundo, ut ſaltèm unum Scriptorem Catholicum deſignet, qui *ſupernaturalis* nomen tali gratiæ unquam applicuerit. Si autem gratia illa merè naturalis eſt; quæ alia producere in homine poteſt merita, niſi merè naturalia, *merè humana*? Ex tali ſcilicet antecedente manifeſto concluſio evidens eſt, & neceſſaria. Aſſertio igitur utraque Epiſcoporum ab impacta temere calumniæ labe nihil patitur; at quomodo eam effugiat Queſnelli contra Epiſcopos proteſtatio? *Calumnia* enim in jure *præſumitur ſtatim, quod accuſatio non probatur*. Bart. poſt gloſ. in l. Athletas, §. calumniator in 1. col. in 11. q. ff. de infam. Et per Bartol. in l. 1. in princ. ad turp.

9 Nullus Queſnello in comminiſcendis *evictionibus* eſt facilior, nemo magis temerarius; etſi fraus ea Janſenianis propria ſit. *Quòd gratiam*, inquit, *affirmaverim ſupernaturalem, evincit Propoſitio* 36. ſic ſonans: *Differentia eſſentialis inter gratiam Adami, & ſtatûs innocentiæ, ac gratiam Chriſtianam eſt, quod primam unuſquiſque in propria perſona recepiſſet; iſta verò non recipitur, niſi in perſona* Jesu *Chriſti reſuſcitati, cui nos uniti ſumus*. Quid in hac tota Oratione eſt, quod contra tam dilucidam naturalis gratiæ ideam, quæ ex Propoſitionibus 34. 35. 37. colligitur, *evincat*, gratiam Adamo à Queſnello tribui *ſupernaturalem*? Gratiam, inquit, Adami, oppono gratiæ Chriſti ſinè æquivoco. Æquivocum jam oſtendi in eo ſitum, quòd poſteriore loco agatur de gratia propriè dictâ; priore verò de impropria, qualis eſt debita naturæ integræ; nam ex ipſo Apoſtolo ad Rom. 4. *debitum*, & *gratia* invicem opponuntur: *Ei, qui operatur merces non deputatur ſecundùm gratiam; ſed ſecundùm debitum*. Neque aliud magis urget Auguſtinus contra Pelagium, quàm quòd gratia non poſſit eſſe debita. Et ſermone de verbis Domini: *Ideo*, inquit, *dicitur gratia, quia gratis data*. Tract. 3. in Joannem: *Quid*

Quia eſt gratia? gratis data. Quid eſt gratia? donata, non reddita, non debita.

10 Gratiam Adami eſſe in Queſnelli ſententia reverà naturalem, etſi *ſupernaturalis* nomine eam inaniſſimè impertiat, jam oſtendi. Gratiam autem ſic impropriè dictam, & merè naturalem, cum ſupernaturali præſentis temporis, ſub eodem gratiæ prædicato univocè contineri, nè adverſarius quidem apertè auſus fuerit affirmare. Quid porrò juvat Adami gratiam dicere ſupernaturalem, eique propriæ, & univocæ nomen tribuere, ubi tota gratiæ ſupernaturalis notio, alieniſſimâ, & prorſus contrariâ explicatione ſubvertitur? Quomodo denique propriè ſupernaturalem gratiam à ſe admiſſam fuiſſe adverſarius perſuader ex eo, quod qualis in Adamo ſtatuitur gratia, fuiſſet etiam in poſteris?

Cùm ait: *Superadditam naturæ*, *& ab ea ſeparabilem*, intelligo quo ſenſu ridiculo prædicet ſupernaturalem. Sanitas, ſeu recta corporis, humorumque diſpoſitio etiam in homine lapſo eſt aliquid naturæ hominis *ſuperadditum*, ab eaque *ſeparabile*, & frequentiſſimè *ſeparatur*. Nemo tamen eam propterea dixerit ſupernaturalem. Acquiſiti naturæ viribus habitus *ſuperadduntur naturæ*, ab eaque *ſeparabiles* ſunt, & *ſeparantur* quotidie: Quis illos ideo vocaverit *ſupernaturales*? Ignorantis pueri in vocibus ludus cenſeretur ineptiſſimus; ſi omne quod *ſuperadditur naturæ* ſupernaturale propriè appellari contenderet. Non plus ſupernaturalitatis probat ſeparabilitas à natura. Omnes liberi arbitrii actiones à natura ſeparabiles ſunt, & ab ea ſeparantur quocunque lubuerit tempore, quæ fuerant ei aliàs ſuperadditæ naturæ; ideone *ſupernaturales*? Denique nullum eſt in *Moralibus* Queſnelli *Obſervationibus* verbum, nulla circumſtantia, quæ indicat propriè dictam, & ſupernaturalem primi hominis gratiam. At verò verba clariſſima oppoſitum produnt, quibus accedens circumſtantia Scriptoris, Bajum paſſim, & Janſenium ſequentis, dubitare neminem ſinit, quin ſola gratia naturalis in damnatis Articulis aſſerta ſit, etſi Janſenius verbotenus eam *ſupernaturalem* appellaverit.

11 Quilibet autem attentiùs conſiderans rationes ſingulas, ex quibus conficere Queſnellus nititur, admiſſam à ſe fuiſſe gratiam naturâ ſublimiorem, mirabitur indubiè argumenta adeò inania novæ ſectæ Principi, ſupra omnes Theologos, ipſamque Sedem Apoſtolicam ſe efferenti, excidere potuiſſe, quæ paucorum menſium tironem in lucem publicam protrudere puduiſſet. Ad ineptias quidem hæreticos confugere neceſſe eſt; cùm ratio ſolida eſſe fidei contraria non poſſit; ſed præcipua hìc Queſnelli in quærendis latebris deſudat induſtria, nè ſentire videatur quod ſentit; errorem non corrigens, ſed occultans, donec, ut de vindicando palàm Janſenio aliàs ſcripſit, plus luminis judicibus ſit, ut intelligant; & minus virium adverſariis, ut reſiſtant. Fruſtrà Queſnellus identidem inculcat, ſe gratiam agnoſcere in Adamo ſeparabilem à naturâ, &, ut eventus docuit, aliquando ſeparatam; ſi tamen aliquid fruſtrà, & non ſaltèm ad fallendos ſimplices, Janſeniani Principis vafrities moliatur. Sic nempe eludere ſperat, quod quadraginta Epiſcopi objiciunt à Queſnello in damnatis hic Propoſitionibus indicari gratiam *à conditione primi hominis* innocentis *inſeparabilem*. Ad quam non minùs gravem, quàm legitimam ſuſpicionem, reſponſum declinans homo callidus, gratiam, inquit, in primo homine agnoſco *à naturâ ejus ſeparabilem*. Nonne tanti apud ſuos nominis Theologo digna eſt ſolutio difficultatis maximæ? Quaſi verò accuſatus fuerit de gratia inſeparabili à primo homine, & non de inſeparabili ſolùm ab ejus *conditione* innocente.

CAPUT IX.

Expenditur tertius Proteſtationis Queſnellianæ Articulus contra Propoſitionem trigeſimamſeptimam.

1 Tertium (inquit Queſnellus in quadraginta Epiſcopis) malæ fidei ſignum eſt, quod ex Propoſit. 37. „ ſolùm decerpſerint, quòd *gratia Adami ei* „ *fuerit proportionata*, caverint deſcribere „ cætera, quæ manifeſtè nimiùm demonſtraſ- „ ſent gratiam à me admiſſam ſupernatura- „ lem, & verè ſupernaturalis ordinis in Ada- „ mo ſanctificationem. „

Quæ quidem qualiſcumque truncatio in Conſtitutionem torqueri non poteſt, utpote in qua Propoſitio refertur prorſus integra, *Gratia Adami ſanctificando illum in ſemetipſo, erat illi proportionata: Gratia verò Chriſtiana nos ſanctificando in* Jesu *Chriſto, eſt omnipotens, & digna Filio Dei*. Sed & frivola adversùs Epiſcopos accuſatio eſt; non enim promittunt ſe relaturos Propoſitiones integras, neque id neceſſe fuit; cùm ſcirent eas volitare per manus omnium, Conſtitutione Unigenitus innumeris per Gallias exemplaribus divulgatâ. Conſilium itaque Epiſcoporum fuit, fidelem populum adversùs novam hæreſim, & noxia, ſuſpectaque dogmata præmu-

munire, referendo, atque confutando ea ſolùm, quæ in Propoſitionibus apparerent interitum animis allatura.

2 Quam autem Adverſarius jactat, perſpicuam à ſe in ipſa Propoſitione agnitam Adami ſupernaturalem gratiam, & ejuſdem ordinis ſanctificationem, non viderunt quadraginta Epiſcopi, & qui eos majore numero ſecuti ſunt: non videt Sedes Apoſtolica, nec vident hactenus quicunque oculis Queſnelliano faſcino non deluſis Propoſitionem legunt, intelliguntque qualis apud Queſnellum ſanctificatio homini *proportionata* ſit, videlicet *ſequela creationis*, & *naturæ integræ debita*. E quibus nemo aliud judicare poteſt, quàm Queſnellum ſtudio laboraſſe, ut naturalis ordinis ſanctificationem, & gratiam, tacito ſolo *naturalis* nomine, inculcaret. Sed vidimus eumdem antea in Propoſitionibus non paucis, ſuppreſſo ſolo *neceſſitantis* nomine, neceſſitantem gratiam apertiſſimè introducentem.

3 Nunc, Lector, omnes ingenii nervos intendere te oportet, ut Queſnellianæ rationis acumen percipias. „ Quod, inquit, gratiam ſupernaturalis ordinis, & à natura ſeparabilem in Adamo innocente agnoverim, oſtendunt ipſa, quæ contra me citantur verba, cùm dico gratiam Adami *ſequelam eſſe creationis*; hoc ipſo enim Adami gratia diſtinguitur ab eo, quod per creationem primus homo acceperat. Neque aliud ſignificatum volo, quàm quod creatio, natura, & gratiæ infuſio, nè momento quidem temporis disjunctæ ab invicem fuerint, docente Auguſtino lib. 12. de Civit. cap. 9. *Simul in eis, & condens naturam, & largiens gratiam*. Circa quæ verba, ſi cui libitum fuerit argutari, facilè deprehendet adverbium *ſimul* in Auguſtini ſententia magis ſuſpectum debere eſſe accuſatoribus, quàm enuntiatam à me *creationis ſequelam*.

4 Ex eo, quòd gratia ſit *creationis ſequela*, rectè deducitur diſtinctio gratiæ à creatione; quia idem non ſequitur ex ſeipſo; ſed nequit illatio eſſe magis fatua, quàm ex eo quòd aliquid ſequela ſit creationis, colligere, quòd debeat eſſe ſuperioris ordinis, quàm creatio, ut ſi hæc naturalis fuerit, ſequela creationis debeat eſſe ſupernaturalis. Secundùm omnes ſeu Philoſophos, ſeu Theologos, quod ex natura ſequitur, diſtinctum quidem à natura eſt, ſed non definit eſſe, & vocari ab omnibus naturale. Primus mortalium Queſnellus ex eo, quod aliquid ex natura, vel ex naturali ſequitur, ad nobiliorem ordinem, eumque ſupernaturalem cenſuit evehendum, ut vel ideo gratia Adami dicenda ſit ſupernaturalis, quia ex naturali hominis ſequitur creatione.

5 Quod ait Queſnellus, ſe aliud ſignificare non voluiſſe, quàm creationem naturæ, & infuſionem gratiæ nullo fuiſſe puncto temporis ſeparatam, quomodo ſapientibus perſuadebit? Unum ſequi ex altero plus indubiè ſignificat, quàm eſſe ſimul tempore. Gratiam ſequi ex natura hominis, nemo Catholicus dixerit, nemo audiet abſque horrore, ac deteſtatione; fuiſſe verò in Adamo naturam, & gratiam ſimul tempore, nullus Catholicus refugit aſſerere cum Auguſtino loco cit. *Simul in eis & condens naturam, & largiens gratiam.* Hæreticæ aſſertionis in Queſnello ratio non aliundè accerſenda eſt, quàm ex eo, quod fixum animo habuerit, omnes Michaelis Baji, quas ſuſcitavit Janſenius, Propoſitiones, libro ſuo inſerere; quod minimè ſegniter ab eo ubique præſtitum obſervamus.

6 Nihil ſani judicii præ ſe fert, quod jactat de voce *ſimul*, quaſi illa ſententiam Auguſtini magis debeat criticis ſuſpectam reddere, quàm *ſequela creationis* ſententiam Queſnelli. Cui unquam Philoſopho, aut Theologo incidit, quod ſimul creari nequeat natura, & infundi gratia? Conſtat illud primo homini, & omnibus Angelis obtigiſſe. Neque dignitati gratiæ, etſi naturâ ſuperioris, quidpiam derogat, quòd cum naturâ ſimul tempore producatur; derogat autem, quod ex naturâ ſequatur gratia. Nemo enim illud ſuperioris ordinis eſſe cenſeat, quàm naturam, quod ſuam naturæ debuerit originem. Quemadmodum ſcilicet nemo dare poteſt, quod non habet, ſaltèm virtute, ita nobilius ex ignobiliore non deducitur. Denique infuſionem gratiæ ſimul tempore fuiſſe cum creatione, omnes cujuſcunque Scholæ Theologi cum Doctorum Aquila profitentur: Gratiam verò profluere, vel exigi à naturâ, vel, quod idem ſignificat, eſſe ſequelam naturæ, *ſequelam creationis*, non poteſt niſi Pelagium habuiſſe Authorem; quem ſecuti recentiùs Lutherus, Calvinus, Janſenius, in erroris, imò hæreſeos ſocietatem traxere Queſnellum cum reliquis Auguſtini Batavi diſcipulis.

7 Deſinat itaque novus hic, & *Querulus Proteſtans* Sedi Apoſtolicæ, Epiſcopis, & Theologis Catholicis minitari criticæ ſuæ argutias: aut, ſi obſtinatus voluerit, experiatur quid ſophiſticæ exquiſitiſſimæ vires valeant, ut oſtendat *adverbium* SIMUL *in Auguſtini ſententiâ magis eam debere* nobis *ſuſpectam reddere*, quàm aſſerta à ſe *gratia ſequela creationis* in ſuſpicionem vocare debuerit doctrinam Articuli. Interea *Querimoniæ*, & *Proteſtationis* examinanda eſt proſecutio.

tio. „ Quando, inquit, in primis editio„ nibus, quæ dein fuere ab Eminentiſſimo „ Pariſienſium Archiepiſcopo mutatæ, dixi „ quòd *Gratia illa fuerit debita naturæ ſanæ*, „ *& integræ*, quomodo in mentem ſibi indú„ cere aliquis poteſt, à me intellectum fuiſſe „ verum debitum, & in ſenſu obvio, cùm „ neque adeſſet Dei promiſſio, neque meri„ tum hominis? Eſt igitur locutio per figu„ ram, frequenter hominibus uſitatam, & „ quæ, cùm de Deo loquimur, ſignificat „ rem Divinæ ſapientiæ convenientem, di„ gnam ſumma bonitate, & ab ejus provi„ denria, ratione prorſus congruâ expe„ ctandam. „

8 Studioſè Queſnellus cavet nè erraſſe uſpiam videatur, aut errorem credatur agnoſcere; ideo quoties correctionum ab Eminentiſſimo juſſarum meminit, à vocibus *Correctio*, *Emendatio*, & ſimilibus ſolicitè abſtinet, vocans ſolummodo *mutationem*, *reformationem*, *omiſſionem*, *reſciſſionem*, quæ mutationi præpoſteræ, & temerariæ, non minùs, quàm prudenti, & neceſſariæ conveniunt, ut in epiſtola anni 1699. 23. Aprilis ad Willartium data iſtud Archiepiſcopi ſui conſilium Queſnellus acriùs reprehendit, dicens debuiſſe illum, ut honori, & famæ ſuæ conſulerer, librum *Approbare iterum ſicut in Catalaunenſi pridem Sede approbaverat nullo apice immutato*. *Verùm*, inquit, *ſatis video hominem eſſe inconſtantem* Mais je vois bien q'il saigne du nez. Et in literis uno menſe antea datis *Vehementer*, inquit, *miror*, *D. Antonium à S. Bernardo conſilia inire honori ſuo*, *& famæ tantopere adverſantia*. *Homo iſte omnia corrumpit*, cet homme-la gate tout. Nomine Antonii à S. Bernardo in Queſnelli, & aliorum ipſi adhærentium occulta clavi ſignificari Antonium de Noailles Archiepiſcopum Pariſienſem, conſtat ex Proceſſu juridico, ſeu *cauſa Queſnelliana* Pag. 323. Reſciat autem hic novus Theologus, & damnatorum ſæpius dogmatum inſtaurator, ſe neque adeò bene meritum haberi de Eccleſia, neque fidei tam perſpectæ, & famæ integræ Scriptorem, ut dicta ſua in ſenſu obvio, & proprio à fide abhorrentia, in ſenſum improprium, ac legentium nemini occurrentem ab omnibus debeant detorqueri, quo appareant orthodoxa, quæ veneno in ſe turgent hæretico.

9 Mirari quoque deſinat, quemquam potuiſſe in animum inducere, quòd verum debitum aſſerere voluerit, *ubi nulla Dei promiſſio eſt*, *nullum hominis meritum*; cujus enim erroris capax non eſt tam abſonorum Author, vel propugnator dogmatum, non plus rationis præ ſe ferentium, quàm *gratia naturæ integræ debita*? Qui aſſerta ſua non vult intelligi in ſenſu proprio, & obvio, neceſſe eſt in iis proferat circumſtantiis, quæ certum ſignificationis impropriæ indicium faciant, nè cenſeatur velle decipere, & occaſionem ſubinde hauriendæ hæreſeos præbere legentibus. At nihil circumſtantiæ hìc eſt ab errore noxio avertentis. Quin ad errorem potiùs viam ſternit prior pars Articuli, quod gratia Adami fuerit *ſequela creationis*, & Propoſitione 37. quod gratia Adami fuerit ipſi *proportionata*.

10 Neſcitne etiam Queſnellus hunc inter Bajanos Articulos damnatum eſſe vigeſimum primùm, *Humanæ naturæ ſublimatio*, *& exaltatio in conſortium Divinæ naturæ*, *debita fuit integritati primæ conditionis*, *& proinde naturalis dicenda eſt*, *& non ſupernaturalis*? Putatne Bajum deſipuiſſe adeò, ut crederet fundari debitum illud in promiſſione Numinis, vel in meritis Adami, quæ conſtat ante exaltationem nulla eſſe potuiſſe; cùm hæc ab initio præſens actionem omnem, ſi non tempore, ſaltèm naturâ anteceſſerit? Agamus non minùs liberaliter cum Queſnello, neque credamus eum tam abſurdi debiti aſſertorem; ſed alterius minùs rigidi fundati ſolummodo in Dei juſtitiâ, ſapientiâ, aliiſque ejus perfectiſſimis attributis. Quod præcipuus Queſnelli defenſor, ſive communi opinione Queſnellus ipſe in Obſervationibus adversùs Conſtitutionem Unigenitus Prop. 36. ſic explicat *Non quòd gratia propriè fuerit Adamo debita*, *ſed quòd Deus deberet ſuæ juſtitiæ*, *ut eam ipſi in ſtatu adeò felici minime denegaret*.

11 Animadvertit poſtea Queſnellus, fortè à ſuis monitus, illud ipſum Divinæ *juſtitiæ debitum* ſonare in adverſariorum auribus duriùs, locumque relinquere cenſuræ; etſi addiderit ſimul, debitum intelligi non propriè dictum, ex promiſſione Dei, vel hominis merito. Quapropter etiam hanc duritiem mitigare in proteſtatione voluit, pro *juſtitia* exprimendo ſolùm *ſapientiam*, *& bonitatem*, pro debito *convenientiam*. Verùm cautus lector attendat, uri hìc Queſnellum ſolitâ ſuâ, & hæreticis propriâ verſuriâ, antequam libellum repudii Romanæ Eccleſiæ palàm dederint: ſenſus videlicet ſuos, & traditorum à ſe dogmatum, non niſi mutilos exprimunt, occultantque hæreſim, quam ante imprudentius prodiderant. Ita ſibi facilè credulos circumveniunt, & nè appareant damnati, ſe non intellectos ab Eccleſiæ Præpoſitis mentiuntur. Sic nautæ tempeſtatis tempore vela contrahunt, expanſuri iterum liberiùs mox ubi illa deſierit.

12 Sed neque nunc dicit Queſnellus, ſe nomi-

nomine *debiti* ſolam *convenientiam* intellexiſſe; neque id abſque notiſſimo mendacio aſſerere potuiſſet. Imò quod in novæ Eccleſiæ capite delictum gravius videretur, deberet hîc nuntium remittere Bajo, & Janſenio, quos conſtat plus aliquid, quàm *convenientiam* affirmaſſe. Explorata eſt enim Baji Propoſitio 55. *Deus non potuiſſet ab initio talem creare hominem, qualis nunc naſcitur*, abſque juſtitia originali. Quam doctrinam eodem ſenſu, iiſdem vocibus inſtauravit Janſenius Tom. 2. col. 975. & col. 687. *Sinè Dei amore, & juſtitia creatura rationalis, nec rectè eſſe, nec condi poteſt*: col. 762. *Gratia dilectionis Dei non poteſt ſinè culpâ ſubtrahi creaturæ rationali innocenti: & aliquo modo debita eſt*. col. 797. *Beatitudo ſupernaturalis, & regnum cœlorum, non poteſt à creaturâ innocente ſeparari ſinè injuſtitia*. Si hæc omnia, uti & *debita Adamo gratia*, ſeu Queſnelli clariſſima *debiti* aſſertio, de ſola convenientia intelligenda ſit: ſi & quæ apparent dicta in ſenſu proprio, in alienum, improprium, ac figuram convertere cuivis liceat, quæ Eccleſiæ cenſura reddi inutilis non poterit? Quæ Scriptura Sacra non corrumpi, quæ non eludi authoritas? Quibus declamationibus in Apoſtolicam Sedem non inveheretur nova ſecta; ſi ſanos in ſenſu proprio, & obvio Articulos, in ſenſu acciperet improprio, ut feriret?

13 Verùm nos veritati tenebras affundi non patiamur; nimis quippe evidens eſt, uti juxta Bajum, & Janſenium, ita & juxta Queſnellum, non potuiſſe Adamo innocenti ſanctitatem denegari *ſinè injuſtitia*; ſive intelligas gratiam debitam Adamo, ut damnata enuntiat Propoſitio, ſive debitum illud juxta citatas Queſnelli vindicias mitigare volueris, detorquendo in debitum, quo Deus obſtringatur non homini ſed *ſuæ juſtitiæ*. Neque illa damnati Articuli in ſenſum improprium detortio ſufficit, ut cenſura Apoſtolica declinetur; nam & ſenſus ſaltèm proprius, ac obvius, qui in proſcriptionibus attenditur, anathemati manet obnoxius, & ipſa hæc qualiſcunque mitigatio, non impedit quin Queſnellianus Articulus ſupremum Dei dominium, & omnipotentiam ſubvertat; quia ſive gratia debeatur naturæ, ſive debeatur Dei juſtitiæ, manet quòd Deus naturam rationis capacem ſolis donis naturalibus inſtructam abſque ſuperioris ordinis gratia producere nequaquam potuerit; atque ita incurrit adhuc adverſarius cenſuras S. Pii V. Gregorii XIII. & Urbani VIII. contra hunc Baji Articulum 55. *Deus non potuiſſet ab initio talem creare hominem, qualis nunc naſcitur*, abſque originali ſcilicet juſtitia, de qua Bajum inter & Scholaſticos controverſia fuerat, nulla verò de peccato, cum quo condi à Deo hominem non potuiſſe evidentius eſt, quàm ut in diſceptationem vocari, niſi à Manichæis inſipientibus potuerit.

14 Quod Deus non potuiſſet primum hominem ſinè gratiâ producere, ſi hæc debita fuerit *Divinæ juſtitiæ*, etiam manifeſtum eſt; quis enim dubitet quin Deus agere contra ſuam juſtitiam nequeat, nam ut rectè monet Richardus à Sancto victore lib. de ſtatu inter hominis part. 1. cap. 23. *Deus nihil, niſi quod decet, facere poteſt*. Et Sanctus Anſelmus libro 1. *Cur Deus homo*, cap. 10. *In Deo per quantumlibet parum inconveniens ſequitur impoſſibilitas*. Sed & certiſſimum apud omnes axioma eſt, *Non poſſe ſapientem, niſi quod poteſt ſapienter*, non poſſe juſtum, niſi quod poteſt juſtè; non poſſe ſcilicet ſapientem, & juſtum, quatenus talem. Homines quidem ut ſapientiâ, & juſtitiâ excidere poſſunt, ita & ab utriuſque regula aberrare; ſed nullum vitium, nullum ſapientiæ, aut juſtitiæ defectum in Deum cadere poſſe omnibus compertum eſt; aliàs enim Deus eſſe deſineret, quo nihil eſſe queat melius, vel excogitari.

15 Si Queſnellus *debitum* à ſe aſſertum dimittens, nunc ſaltèm, cenſuræ tot Romanorum Pontificum iſtud concederet, ut aliud non vellet, quàm gratiæ conceſſionem, in ſtatu innocentiæ fuiſſe *convenientem ſapientiæ Dei, & dignam ejus bonitate, & quæ ab ejus providentia expectari poterat*, gratularemur hunc Conſtitutionibus Apoſtolicis fructum, & ipſi Queſnello bonum converſionis initium, rogaturi Deum ſupplices, ut illam quoad cæteros quoque Articulos benignitate non diſſimili proſequatur. Verùm nè qua fraus, aut ambiguitas vocibus ejus ſubſit, quantum humana detegere poteſt induſtria, invitandus eſt Queſnellus, & quocunque ſive rationum, ſive authoritatis ſtimulo urgendus, ut candidè declaret ſe *ſolâ convenientiâ* contentum eſſe, ita ut nihilominus Deus Adamum abſque gratia condere potuerit. Hic lapis Lydius, & terminus querelarum eſto. Aliàs qualiſcunque à Queſnello allegabitur velut intellecta à ſe *debiti* nomine *convenientia*, ſemper manebit fundatiſſima ſuſpicio, confeſſionem ejus non eſſe integram, non ſinceram; cùm non repugnet ſimul intelligi neceſſitatem Deo inſuperabilem, quæ fraudulento *convenientiæ* pallio obtegatur.

16 Sic nempe famoſi in Belgio *Tirocinii* Author, cujus eſt illa ab Alexandro octavo damnata Propoſitio, *Ubi quis invenerit doctrinam in Auguſtino clarè fundatam, illam abſolutè*

Digitized by Google

ſolutè poteſt tenere, ac docere, non reſpiciendo ad ullam Pontificis Bullam; Modum ſuggerit Queſnello, ut abdicata phraſi duriùs ſonante, quà dicitur *Gratia Adamo in ſtatu naturæ integræ debita*, retineatur Baji, & Janſenii dogma præcipuum, quod Deus ſinè ſanctitate hominem condere non potuerit: ſic inquam, ille capite 7. *Videntur iſta duo benè poſſe conſiſtere, hominem non potuiſſe ſinè iſta gratia produci; & tamen illam gratiam eſſe indebitam naturæ humanæ exaltationem, & ſupernaturalem ejus conditionem; quia gratia non fuiſſet debita naturæ, ſed providentiæ Divinæ: ſeu debitum illud, quo debuit natura planè innocens in illa ſententia habere illam gratiam, non ſe tenuit ex parte creaturæ; cùm illi nudè ſecundùm ſe conſideratæ non debeatur illa gratia ſupernaturalis; ſed ex parte providentiæ, bonitatis, & ſapientiæ Dei*. Quæ quidem ſententia expungi ex Queſnelli Articulo jubet hanc partem *erat debita naturæ ſanæ, & integræ*; reticeri quoque eam Queſnellus patitur, modò in ea aſſerenda non videatur fuiſſe contrarius ſibi, & commentitiæ veritati: nam etſi Queſnello familiare ſit, errores adſcribere Romanorum Pontificum Decretis, & Conſtitutionibus; ſibi tamen novæ, & Anti-Romanæ Eccleſiæ Principi erroris aliquid attribui hactenus non permiſit: & vereor ut eò demiſſionis adducatur unquam, ut erratum à ſe quidpiam agnoſcat, ac retractet publicè. Adeò ſectatorum ſibi ubivis adulantium, atque applaudentium importunis laudibus inflatus apparet, obſirmatusque; quod ipſe de Eminentiſſimo ſuo Archiepiſcopo impudenter aliàs effutiit in epiſtola ad Willartium data 7. Februarii 1698. quam refert *Cauſa Queſnelliana* art. 16. pag. 427.

17 Non tamen ſic Author *Tirocinii*, & Queſnellus effugiunt cenſuram à tribus olim Pontificibus inflictam Bajanæ Propoſitioni 55. nam licèt negetur gratia naturæ integræ debita; remanet tamen inſeparabilitas gratiæ ab illo ſtatu, quamvis alio titulo, videlicet *providentiæ*, *bonitatis*, *ac ſapientiæ*, quem Queſnellus in *proteſtatione* viſus eſt adoptare voluiſſe. Non ſic, inquam, effugitur S. Pii V., Gregorii XIII., Urbani VIII. cenſura; cùm adhuc penès Novatores iſtos, etſi mutato aliquantulum titulo, negata maneat Deo poteſtas *creandi talem ab initio hominem, qualis nunc naſcitur*, etiam juxta ſolam gratiæ negationem. Sic enim immeritò, & non niſi fictitia ratione reſtringitur Dei omnipotentia, ac Deus ipſe ſubvertitur. Eumdem errorem in patriam ſuam invehere voluerat Roſende Hiſpanus tract. 2. diſp. 6. diviſione 3. num. 32. & 33. addens, in natura humana exigentiam, & appetitum innatum ad finem, & Beatitudinem ſupernaturalem; verùm ita, ut ejuſmodi finis non debeatur naturæ, ſed Creatori, & ejus actioni, cui indecorum eſſet producere hominem abſque ea perfectione, quam exigit. Verùm exitialem adeò non tulit Hiſpania novitatem: Vix lucem liber aſpexerat, quin generalis Inquiſitionis Decreto ad tenebras perpetuas fuerit condemnatus.

18 Naturalis illa à Roſende tradita exigentia placuit etiam Queſnello aſſerenti gratiam naturæ integræ *proportionatam*, *ſequelam creationis*, & *debitam*, quam tamen ejus *proteſtatio* credere nos jubet à ſe ſtatui *ſupernaturalem*. Ita & Janſeniani Author *Tirocinii*, & Janſenius ipſe ſuperiùs relatus: in hoc Magiſtrum Bajum deſerentes diſcipuli, quòd is gratiam Adami naturalem faceret; diſcipuli ejus, duce Janſenio, illam ad ſuperiorem naturâ ordinem provexerint. Verùm hæc opinio non uno ex capite abſurdiſſima eſt, & Bajanâ quodammodo deterior; conjungit enim inter ſe apertè pugnantia, ſcilicet Adami innocentis gratiam eſſe ſupernaturalem, & tamen *ſequi ex natura*, ſeu naturali *creatione*: *eſſe naturæ integræ debitam*, ac *proportionatam*: quæ ſupernaturalitas, atque adeò gratia prorſus impoſſibilis eſt. Bajus verò in ſuppoſito ſuo, etſi falſo, & à Fide Catholica alieno, quòd Deus non potuerit ab initio creare hominem ſinè gratia, quòd hanc velut debitam exigat naturæ integræ, rectius iſtiuſmodi gratiam vocavit naturalem Prop. 21. *Humanæ naturæ ſublimatio, & exaltatio in conſortium Divinæ naturæ debita fuit integritati primæ conditionis, & proinde naturalis dicenda eſt, & non ſupernaturalis*, quæ, ut dixi, conſecutio rationi prorſus conſona foret, ſi veritati congrueret hypotheſis. Janſenio tamen nimis exotica, & à Catholicorum ſenſu nimiùm abhorrens viſa illa ſententia eſt, ſtatuens gratiam, ſanctitatem, claram Dei viſionem homini integro naturalem. Ideo, retento gratiæ debito, retentâ naturæ integræ ſinè gratiâ impoſſibilitate, maluit ſupernaturalitatis prærogativam vocetenus gratiæ, ac proinde æternæ gloriæ applicare. Quàm autem indigna Theologis ſit, & non ſolummodo authoritati, ſed naturæ quoque lumini contraria iſta naturalis in homine exigentia gratiæ ſupernaturalis, ſatìs dilucidè monſtratum eſt.

19 Non minùs indignum Chriſtianis Scriptoribus eſt, eam affingere naturæ integræ *exigentiam*, quæ Deo imponeret neceſſitatem infundendi gratiam homini innocenti. Exigunt naturaliter gravia tendere deorſum,

ignis calefacere, & præparatam comburere materiam: Homo naturaliter exigit habere duos oculos, duo brachia: quis tamen hactenus adeò inſaniiſſe deprehenſus eſt, qui neceſſitatem Deo imponeret ſequendi in ſuis operationibus hanc rerum à ſe dependentium propenſionem? Talis neceſſitas indubiè tolleret perfectiſſimum Dei in res creatas dominium, & omnipotentiſſimam poteſtatem.

20 Si tam perſpicuæ rationi, & naturæ lumini, ſi Romanorum Pontificum & communiſſimæ Doctorum authoritati ſubmittere ſe Queſnellus, ejuſque ſocii noluerint, rurſus audiant colendiſſimum ſibi, & invocatum toties patronum Cardinalem de Aguirre Theologiæ S. Anſelmi diſput. 105. ſect. 2.
„ Recentiores (inquit) adverſarii majorem
„ neceſſitatem Deo injiciunt circa dona ejuſ-
„ modi, quàm Bajus, ac proinde magis con-
„ trariam definitionibus Pontificiis; Bajus
„ enim ſummùm docuit, ea dona eſſe natura-
„ lia, ſeu connaturaliter debita naturæ hu-
„ manæ, prout in prima fuit creatione. Quod
„ certè ſummam inducere poſſet neceſſita-
„ tem in Deum, ſi velit connaturaliter ſolùm
„ operari, ſeu attentis rerum exigentiis con-
„ naturalibus, quæ neceſſitas eſt impropria
„ admodum, & in nullo derogans pleniſſimo
„ dominio Dei, adhuc ex hypotheſi creatio-
„ nis naturæ humanæ; cùm adhuc integrum
„ ſit Deo pro ratione abſoluta ſui dominii,
„ condere naturam abſque ullo dono ſolùm
„ connaturaliter ab ipſo exacto. Sic certè
„ adhuc ex hypotheſi condendi hominem,
„ manet liber abſolutè Deus, & cum domi-
„ nio pleno, ut deneget ipſi oculos, vel au-
„ res, aut manus, licèt connaturaliter exa-
„ ctas, & nullatenus auferibiles, aut impe-
„ dibiles juxta exigentiam ſolùm connatu-
„ ralem hominis. Itaque Bajus, vel in iis
„ Propoſitionibus, quas Pontifices damnant,
„ non eripit Deo abſolutum dominium, nec
„ injicit neceſſitatem inevitabilem largiendi
„ homini recens creato dona ad ſtatum juſti-
„ tiæ originalis ſpectantia. Recentiores au-
„ tem Lovanienſes omnem Deo libertatem
„ eripiunt, ſeu potiùs ipſi inevitabilem ne-
„ ceſſitatem injiciunt largiendi ea dona ho-
„ mini recèns condito, cùm aſſerant impoſ-
„ ſibilem eſſe, commentitiam eſſe, chime-
„ ricam eſſe, Deo indignam (& quid non?)
„ creationem hominis, ſinè ejuſmodi donis.
„ Patet verò, Deum neceſſitatem ſubire, ad
„ non faciendum aliquid impoſſibile. Igitur
„ recentiores allegati videntur majorem in
„ ea parte neceſſitatem Deo injicere, quàm
„ Bajus, ad conferendum naturæ humanæ
„ dona illius feliciſſimi ſtatûs, majoremque
„ nexum naturæ cum iis ſtatuere: Quod Pon-
„ tifices omnino damnant, atque rejiciunt.„

Hactenus Cardinalis, quanquam Deus juxta Bajum videatur neceſſitate compulſus ſanctitatem homini integro in creatione contuliſſe cùm dicatur Propoſitione 55. *Deus non potuiſſet ab initio talem creare hominem, qualis nunc naſcitur*, abſque originis juſtitia, & ſanctitate.

CAPUT X.

Expenditur quartus Proteſtationis Queſnellianæ Articulus contra Propoſitionem trigeſimamſeptimam.

1 Redeamus ad *proteſtationem* Queſnelli, cujus hìc Articulus quartus excutiendus eſt. „ Si prima
„ (inquit) gratia, ſinè qua Adamo in bono
„ perſeverare non poterat, ut ipſi fuerat
„ præceptum, data eidem non fuiſſet à Deo
„ in ipſo creationis initio, lapſus ei imputa-
„ ri ad culpam minimè potuiſſet; ſed ne-
„ que puniri. Quiſquis igitur non penitùs
„ rationis expers eſt, & ſimul aliquam Di-
„ vinæ ſapientiæ, & bonitatis notitiam ha-
„ bet, concipiat ſi poſſit, num utraque hæc
„ perfectio permittere Deo potuerit, ut in-
„ nocenti Adamo gratiam denegaret, ſinè
„ qua neque ei obedire poterat, neque in
„ ejus amicitia permanere. Debuit itaque
„ Deus ſibi ipſi, ut creaturam ſanctam non
„ privaret illo, quod ad perſeverandum in
„ ſanctimonia erat neceſſarium; aliàs enim
„ (ait Auguſtinus) *Non utique ſuâ culpâ ceci-*
„ *diſſet: adjutorium quippe defuiſſet, ſinè quo*
„ *manere non poſſet. Nunc autem quibus deeſt*
„ *tale adjutorium, pœna peccati eſt; quibus au-*
„ *tem datur, ſecundùm gratiam datur, non ſe-*
„ *cundùm debitum*. De qua Auguſtini ſen-
„ tentia diſceptent alii, quantum cuique li-
„ bitum fuerit; ea nobis indicat diſcrimen
„ inter gratias utriuſque ſtatûs; &, ſi fortè
„ mihi non licuerit, *debitum*, nomine *debiti*
„ appellare, ſemper veriſſimum erit, Dei ſa-
„ pientiam voluiſſe, non produci hominem
„ ita, ut impoſſibilis ipſi foret adimpletio
„ mandatorum.„

2 Hæc Queſnellus more ſuo fallaciter, declinans ſubdolè difficultatem, & quæſtionem divertens aliò, ut errorem obſtinatus retineat, neque tot Pontificum damnatus ſententiâ videatur. Non enim controverſia nobis cum hæreticis, Luthero, Calvino, & eorum ſequacibus, Bajo, Janſenio, Queſnello

eſt,

Digitized by Google

eſt, utrum ſuppoſitâ Adami ad ſtatum filii Dei per gratiam elevatione, & impoſitione præceptorum ſupernaturalium, potuerit illum Deus relinquere abſque ullo ſupernaturali auxilio neceſſario, quo mandatis obſequi, & in accepta poſſet juſtitia perſeverare; hoc enim ſenſu pertinuiſſe ad Divinam ſapientiam, bonitatem, providentiam, non deſtituere prorſus tali gratiâ Adamum, ultro omnes concedimus. Si enim nè homini quidem lapſo Deus impoſſibilia præcipiat, quin ſaltèm gratiam offerat, qua poſſibilia reddantur; non minùs lubenter agnoſcimus idem in Adamo innocente locum tenuiſſe; non potuiſſe ſcilicet talem ei gratiam denegari. Neque eam ſola à Deo bonitas exegerit; ſed etiam juſtitia ex hypotheſi quod tranſgreſſioni mandatorum tanta annecti voluerit ſupplicia. Verùm iſta damnatis Queſnelli erroribus minimè ſuffragantur. Potuit enim Deus Adamum condere innocentem, non deſtinatum ad ſupernaturalem beatitudinem, ac proinde neque ſanctificante gratia, neque ullo ſupernaturali dono præditum; ſed neque adſtrictum ulli præcepto, quod viribus naturæ, & Divino ejuſdem ordinis auxilio implere non poſſet. Talem hominis ſtatum Divinæ omnipotentiæ, & perfectiſſimo in omnia dominio ſubtrahi non poſſe abſque gravi Dei injuriâ, contumeliâ, blaſphemiâ, manifeſtum eſt; cùm ſtatus ille nihil impoſſibile in ſe contineat, nihil dedecens Conditorem.

3 Iſtud, & quodammodo amplius tradit, S.Thomas in 2.diſt.31.q.1.art.2. dicens: *Poterat Deus à principio, quando hominem creavit, etiam alium hominem ex limo terræ formare, quem in conditione ſua naturæ relinqueret, ut ſcilicet mortalis, & paſſibilis eſſet, & pugnam concupiſcentiæ ad rationem haberet: in quo nihil naturæ humanæ derogaretur; quia hoc ex principiis naturæ conſequitur. Non tamen iſte defectus in eo rationem culpæ, aut pœnæ habuiſſet; quia non per voluntatem iſte defectus cauſatus eſſet.* Quæſt.4. de malo art.1. *Carentia Divinæ viſionis dupliciter convenit alicui; uno modo ſic, quod non habeat ex ſe, unde poſſit ad Divinam viſionem pervenire, & ſic carentia viſionis Divinæ competeret ei, qui in ſolis naturalibus eſſet abſque peccato. Sic enim carentia Divinæ viſionis non eſſet pœna; ſed defectus conſequens omnem naturam creatam.* Quodlibeto 1. art. 8. *Poſſibile fuit Deo, ut hominem faceret in puris naturalibus.*

4 Doctori Angelico, & ejus diſcipulis conſentit Schola Seraphica, duce Doctore Subtili in 2. diſt.28. q.unicâ *Potuit aliquis eſſe in puris naturalibus tam ſinè gratia, quam ſinè culpa.* Quæ ſententia apud Scriptores Catholicos contra Lutherum, Calvinum, Bajum, Janſenium communis eſt, & ex definitionibus contra Bajum certiſſima, ut neceſſe non ſit longam ſeriem Patrum texere, qui apud Scholaſticos paſſim obvii ſunt, inter quos etiam ſunt *Auguſtinus, & Anſelmus, quorum authoritate abutuntur Adverſarii*, ut oſtendit Cardinalis de Aguirre Theologiæ S. Anſelmi Tomo 3. diſput.105. ſect.3.

5 Apud eundem Eminentiſſimum lucem controverſiæ addit, & difficultatibus præcludit aditum diſtinctio duplicis ſtatûs naturæ abſque peccato ſimul, & gratiâ. Primus ſtatus naturæ integræ donis naturalibus ornatiſſimæ, abſque motibus concupiſcentiæ rationem prævenientibus, vel tam levibus, ut rationis imperio, & naturalis ordinis auxilio facilè reprimi poſſent: mandatis quoque non adſtringeretur niſi naturalibus, quæ naturæ vires, & ejuſdem ordinis auxilium non excederent. Alius ſtatus eſt naturæ puræ, concupiſcentiæ motibus pulſatæ, qualis nunc (excepto peccato) naſcitur. Cùm verò memorati Cardinalis maxima ſit apud Queſnellum, & ejus ſocios authoritas, utrumque ſtatum verbis ejuſdem deſcriptum libentiùs audient, & invocati toties patroni judicio aliquid deferant neceſſe eſt.

6 Sic habet diſput.cit. ſect.1. „ Quartus „ ſtatus dicitur *naturæ integræ*, in quo potuit „ abſque dubio homo condi à Deo ſinè ullo „ ſupernaturali dono, cum integritate tamen „ illa, & abſoluta perfectione, cujus capax „ eſt intrà naturæ ordinem. Itaque haberet „ tunc ſubjectionem animæ ad Deum finem, „ & Authorem naturalem: Intellectum illuminatum circa veritates ordinis naturæ ad „ theoriam, & ad praxim ſpectantes: voluntatem propenſam in bonum honeſtum cum „ rectitudine, & ſubjectione partis inferioris, ſeu appetitûs ſentientis ad illam, ut rebellare non poſſet, nec excitare motus rationi adverſantes, niſi ſummum leves, quippe nullo negotio, aut levi manu ſedari poſſent: adeſſet quoque congrua corporis „ habitudo, & temperies, quæ licèt non ſufficeret ad vitandam mortem abſolutè, ſatis „ eſſet ad præcavendum facilè ægritudines, „ & alia incommoda hujus vitæ. Ut propterea non niſi ſera, & pacifica mors tandem „ adveniret, v.g. ex defectu humidi radicalis „ abſque ullo quatuor humorum diſſidio.

„ Porrò hunc ſtatum abſolutè poſſibilem eſſe, ac fuiſſe, nemo poteſt rationabiliter negare: cùm in eo nulla appareat contradictionis umbra. Quidquid autem ineſſet de genere perfectionis, de facto fuit in „ ſtatu juſtitiæ originalis: quæ ulterius ad-

„ debat dona ſupernaturalia, ac pleniorem „ ſubjectionem appetitûs ſentientis ad rationalem, & abſolutam corporis immortalitatem, durante ipſa originali juſtitiâ. Itaque „ perfectiones hujus quarti ſtatûs purè poſſibilis continentur in illo primo, ac præcipuo protoparentis, veluti pars in toto, & „ minùs perfectum in perfecto ſimpliciter, „ atque omnibus numeris abſoluto.

„ Quintus denique ſtatus dicitur *naturæ* „ *puræ*, ſive exutæ omnibus donis ſupernaturalibus, ac præterea integritate illa donorum ordinis naturalis, quæ in quarto „ ſtatu explanata eſt, fuitque veluti appendix primi. Itaque in hac poſtremâ conſideratione attenditur homo cum omnibus, & „ ſolis iis perfectionibus, & affectionibus, „ quas ipſius natura exigit, & conſervat in „ ſtatu peccati, excepto peccato ipſo. Supponitur enim natura innocens à Deo condita immediatè ſinè ulla culpæ labe; cum „ inclinatione quidem naturali animæ ad bonum honeſtum, & ſufficientibus viribus debitis intrà ordinem naturæ, ad proſequendum illud ſaltèm quoties, & ubi fuiſſet „ præceptum: cum rebellione tamen appetitûs ſentientis, & motibus indeliberatis „ contra rationem inſurgentibus. Quapropter ſatis frequenter dici ſolet, hominem „ penès naturam putam, aut lapſam, perinde ſolùm differre ac nudum, & ſpoliatum. „ Homo enim in natura pura conditus naſceretur nudus ab omni dono ſupernaturali, & quolibet alio ſimpliciter indebito „ intrà naturæ ordinem; non in pœnam alicujus ſceleris; ſed ſecundùm meram qualitatem, conditionemque ſuæ naturæ, quæ „ nihil ejuſmodi donorum exigit. Homo „ autem lapſus naſcitur ſpoliatus iis omnibus donis in pœnam peccati, quo deliquit „ in protoparente.

7 Hactenus Cardinalis, qui pro poſſibilitate etiam ultimi ſtatûs pugnat totis viribus; pro ea citans Auguſtinum, Anſelmum, Dionyſium, Baſilium, Fulgentium, Bernardum, Cyrillum Alexandrinum, S. Thomam, Scotum, Cajetanum, Gonetum, Carmelitas Salmanticenſes, & alios paſſim Scholaſticos contra Lutherum, Calvinum, & hujus diſcipulos Chamierum, atque Marezium: præterea contra Bajum, Janſenium, & utriuſque aſſeclas. Communi ſententiæ favet S. Pii constitutio, præcipuè ubi ferit Articulum 55. *Deus non potuiſſet ab initio talem creare hominem, qualis nunc naſcitur*, dempto videlicet, ut ab omnibus intelligitur, peccato. Lubet tamen ab hac ſententia præſcindere; quia eâ nobis opus non eſt ad convellendos Queſnelli Articulos, Conſtitutionemque Unigenitus ab Adverſariorum calumniis vindicandam.

8 Sufficit poſſibilitas *naturæ integræ*, de qua agitur Queſnelli Art. 35. & quæ, ut rectè monet Cardinalis, *à nemine poteſt rationabiliter negari*. Hac poſitâ, perſpicit Queſnellus, corruere totum *Querimoniæ, ac proteſtationis* fundamentum, atque hujus ruinâ pariter involvi damnatos de Adami gratiâ Articulos. Patet enim præcepta, ſive quoad ſe, & ut in ſcholis loquimur, quoad ſubſtantiam ſupernaturalia, ſive ſolùm talia quoad modum, non eſſe *ſequelam creationis*; ſed liberrimæ diſpoſitionis Dei, neque Adamum cum ſua natura integra talibus mandatis fuiſſe proportionatum, neque mandata *proportionata* Adamo, neque ullatenus debita. Unde ſimiliter evidens fit, gratiam ad implenda talia præcepta neceſſariam nullo modo eſſe *ſequelam creationis, neque naturæ integræ debitam*, ac *proportionatam*; ideoque merita per eam gratiam acquiſita, eſſe propriè Dei munera, & non ſolùm *merita humana*.

9 Reſumat itaque modò Queſnellus objectam à ſe Hipponenſis Antiſtitis ſententiam, & diſpiciat, num aliquod ex illa elicere poſſit erroribus ſuis præſidium. Juxta illam Adamus ſi caruiſſet gratiâ, *non utique ſua culpa cecidiſſet, adjutorium quippe defuiſſet, ſinè quo manere non poſſet* in gratia ſanctificante. Non tamen propria hæc ipſi obtigit tanquam *ſequela creationis, ipſi debita, & proportionata*, ſed ex gratuito Dei beneplacito: &, quemadmodum ex mero beneplacito profectum eſt iſtiuſmodi mandatum, quod ſinè gratia impleri non poterat, hinc *ſecuta* eſt omnis gratiæ neceſſitas, & ratio conceſſionis; non ex *creatione Adami*, non ex ulla, vel minima *debiti* ſpecie, non ex ulla hominis integri cum gratia *proportione*, quæ etiam nulla fuit.

10 Videt hinc ſimul Queſnellus, quàm inane ſit, quod colligit argumentum ex communi Catholicorum ſententia, aſſerentium, non poſſe Deum, etiam in ſtatu naturæ lapſæ ſubtrahere hominibus ſupernaturale auxilium, ſinè quo mandatorum obſervatio humanam excederet poteſtatem. Iſtud enim qualecunque eſt debitum conferendi, vel offerendi gratiam, non abſolutum eſt, quale à Queſnello fingitur pro ſtatu naturæ integræ: non ex natura, aut creatione ſequens, non naturæ debitum, aut proportionatum. Poterat enim Deus ſtatim poſt Adami peccatum, eum morte punire, atque ita in origine totum deſtruere humanum genus. Poterat & vitâ Adamo, ac generatione permiſſa, nullum ei deinceps imponere mandatum ſupernaturale,

rale,& cujus obſervatio gratiâ opus haberet, atque ita ipſum, & poſteros relinquere cum ſolis naturæ viribus; quo caſu ſalus omnibus fuiſſet impoſſibilis, & inevitabilis damnatio primæ debita inobedientiæ. Verùm ſuppoſito Dei beneplacito, quod gratuitus ejus miſericordiæ effectus eſt, quo voluit lapſis hominibus ſuccurrere, atque eis Filium ſuum mittere Salvatorem, cujus meritis debet, nè homines abſque omni ſalutis conſequendæ medio, quantumvis aliàs indebito, deſtituat. At in nullius meritis fundari poteſt debitum gratiæ Adamo conferendæ antequam deliquiſſet.

Poteſt tamen fundari in ſapientia, & quodammodo juſtitiâ Dei, poſtquam ſtatuit Adamum præceptis adſtringere iſtiuſmodi, quæ abſque ſupernaturali auxilio nequeunt adimpleri. Rectè ſiquidem Auguſtinus monet libro de fide contra Manichæos cap. 10. *Quis enim non clamet, ſtultum eſſe præcepta dare ei, cui liberum non eſt, quod præcipitur, facere: & iniquum eſſe eum damnare, cui non fuit poteſtas, juſſa complere? Et has injuſtitias, & iniquitates miſeri non intelligunt ſe Deo adſcribere*. Non potuiſſe autem Adamum abſque omni gratia præceptum, quod ei impoſitum fuit, exequi, docet idem Sanctus verbis à Queſnello ſuperiùs relatis, quod ſcilicet abſente gratiâ, *non utique ſuâ culpâ cecidiſſet: adjutorium quippe defuiſſet, ſinè quo manere non poſſet*.

11 Iſtud tamen qualecunque in Deo debitum conferendæ gratiæ, non fuit propter creationem, neque propter naturæ integritatem, aut ejus cum gratiâ proportionem, ſed propter Dei ſapientiam, ad quam pertinet non poſtulare ab homine impoſſibilia: neque juſtitia ejus patitur, ut infligat ſupplicia graviſſima ob tranſgreſſionem neceſſariam. Patet itaque, debitum iſtud conferendi gratiam non eſſe debitum ſimpliciter, & abſolutum, quale error ſtatuit Queſnellianus; verùm eſt ex hypotheſi ſolummodo Deo liberrima, qua tale voluerit Adamo præceptum imponere, quod abſque ſuperioris ordinis auxilio ſervari non poteſt. Unde & neceſſitas conferendi gratiam fuit ſolùm conſequens, ſive poſterior decreto creandi Adamum ad beatitudinem ſupernaturalem, nonniſi meritis pariter ſupernaturalibus obtinendam. Ad talem finem, mandata ejuſdem ordinis impoſuit, quæ gratiam exigerent naturæ viribus ſuperiorem. Ex hac benigna, & libera Dei diſpoſitione oritur omne in Deo debitum conferendi Adamo gratiam. Quemadmodum autem quivis facilè intelligit neceſſitatem conſequentem non officere libertati, ita neque ſupremo Dei dominio obeſt debitum conſequens, idque ſolummodo latè dictum, quod ex ſolis Dei præceptis, cæteriſque volitionibus liberis concipitur, & ſapientiæ potiùs, ac ubi promiſſio acceſſerit, fidelitatis debitum appellatur, quàm juſtitiæ. Habemus hic veram gratiæ, ejuſque in Adamo neceſſitatis, & qualiſcunque debiti originem non ex creatione Adami, non ex naturæ ejus integritate, & fictitia proportione cum gratiâ.

12 Sequela igitur gratiæ ex creatione Pelagio, quàm Auguſtini diſcipulo dignior eſt, & hæreticum prorſus ex naturæ integritate deductum debiti commentum. Cujus inſania, ut vel tironum oculis exponatur, revocemus huc ſtabilitam ſuperiùs Doctoris Angelici ſententiam: *Poterat Deus à principio, quando hominem creavit, etiam alium hominem ex limo terræ formare, quem in conditione ſuæ naturæ relinqueret*; & quidem naturæ ſanæ, & integræ, cuius poſſibilitas, ut rectè monet Cardinalis Aguirre, à nullo rationis compote negari poteſt, vel in dubium vocari. Factum itaque ſupponamus, & præter Adamum cum gratia conditum, exiſtere alium cum ſola natura ſana, & integra abſque ullo ſuperioris ordinis dono. Poſſetne Adam ſocio ſe tumidè præferre, ſuamque, qua careret alius, jactare gratiam, & ſanctitatem? In promptu alteri eſſet reſponſio: Quid habes quod non accepiſti? Si autem accepiſti, quid gloriaris, quaſi non acceperis? Cui Adamus Queſnelli imbutus ſententiâ reſponderet, gratiam ſe quidem à Deo accepiſſe, ſed veluti naturalem, ex creatione profluentem, ſequelam creationis, naturæ ſuæ proportionatam, ac debitam integritati. Quem hìc non ſtatim offenderet tam ſtolida, quàm ſuperba Adami reſponſio, ſibi magìs, quàm ſocio, gratiam quaſi debitam arrogantis ob dona naturalia, quibus non minus ſocium, quàm ſe præditum Adamus intelligeret?

13 Si hypotheſim Queſnello quaſi impoſſibilem rejicere placuerit, rationem afferat adeò limitatæ à ſe divinæ potentiæ, refragantibus Angelico, Subtili, & cæteris paſſim Doctoribus Catholicis. Nam licèt difficultatis quidpiam paucis occurrerit Scriptoribus circa *naturam puram*, qualis ſuperiùs ab Aguirrio deſcribitur, neque nobis ad confutationem Queſnelli neceſſaria eſt; at contra *naturam integram* gratiâ deſtitutam, & ejus poſſibilitatem, in qua controverſiæ cardo vertitur, ſolutis ſuperioribus Queſnelli inaniſſimis tricis, certus ſum nihil adferendum, quod vel infimum attingat veriſimilitudinis gradum.

CA-

CAPUT XI.

Expenditur ultimus Proteſtationis Queſnellianæ Articulus, ubi in Moliniſtas invehitur.

1 TAndem Querimonia, & Proteſtatio invehitur in Moliniſtas, tanquam nimiùm profuſos in exigendis à Deo gratiis ſufficientibus: „ Quas velint, nè „ ſceleratiſſimis quidem denegari poſſe, ſive „ ut pœnitentiam agere valeant de peccatis „ præteritis, ſive ut futura crimina evitare, „ nè alias Deus *injuſtus* cenſeatur, & *crude-* „ *lis*, qui, ut ajunt, præciperet impoſſibilia: „ & tamen ſtatuunt Deum non defuturum „ ſuæ ſapientiæ, & bonitati, ſi creaturam „ ſanctam, & innocentem privaret auxilio „ neceſſario ad implendum, quod acceperat, „ præceptum perſeverandi in charitate. „ Quo uſque fugit illos ratio, & mens ſana! „

2 Sintne Moliniſtæ omnes, vel aliqui in concedenda peccatoribus ſufficiente gratia liberaliores, vel non, ad definitionem Apoſtolicam circa Adami gratiam nihil pertinet. Unde ipſis ætatem habentibus ſui defenſio relinquenda eſt. Quod autem ad catholicam veritatem attinet, cum *Ad demerendum in ſtatu naturæ lapſæ requiratur libertas à neceſſitate*, ut contra tertiam Janſenii hæreſim definière Pontifices, & univerſa credit Eccleſia, rectè ſtatuunt cujuſcunque Scholæ Catholicæ Profeſſores, à Deo tribui, vel paratas offerri peccatoribus gratias ſufficientes, quibus ſive pœnitentiæ, ſive alterius cujuslibet virtutis urgens præceptum valeat obſervari. *Nam*, ut Tridentini ſeſſ. 6. cap. 11. legimus: *Deus impoſſibilia non jubet, ſed jubendo monet, & facere quod poſſis, & petere quod non poſſis, & adjuvat ut poſſis.*

Meminerit etiam Queſnellus ſuperioris dicti Auguſtiniani contra Manichæos, quod & contra recentiores hæreticos valet: *Quis enim non clamet ſtultum eſſe præcepta dare ei, cui liberum non eſt, quod præcipitur facere: & iniquum eſſe eum damnare, cui non fuit poteſtas juſſa complere? Et has injuſtitias, & iniquitates miſeri non intelligunt ſe Deo adſcribere.* Hoc igitur conferendæ, vel offerendæ hominibus lapſis gratiæ ſufficientis debitum, hæc neceſſitas, quoties præceptum gratiam exigens inſtiterit, eſt merè conſequens: ac proinde neque libertati Dei, neque ejus omnipotentiæ, & ſummo in creata omnia dominio officere poteſt. Debitum autem, quod à Queſnello fingitur, pro ſtatu naturæ integræ, abſolutum eſt, & antecedens, non ex præceptis à Deo liberè impoſitis ortum; ſed ex ipſa Adami natura integra, & aſſerta ejus cum gratia proportione.

3 Inſidias verò ſtruit Queſnellus, & aliò divertere quæſtionem ſubdolè nititur, dum ſe accuſari ſimulat, quòd cenſuerit: *Deum non potuiſſe denegare creaturæ ſanctæ auxilium neceſſarium ad implendum, quod acceperat, præceptum perſeverandi in charitate.* Nulla hîc diſceptatio eſt, aut eſſe poteſt, an Deus ſuppoſito *præcepto perſeverandi in charitate*, debuerit Adamo juxta bonitatis, & ſapientiæ ſuæ leges, auxilium neceſſarium, quo poſſet *in charitate perſeverare*. Sed quæſtio eſt de ſanctificante, & primâ gratiâ, non *de perſeverantia in amore*: cujus nulla in Articulis mentio fuit, ſed de gratia ſimpliciter, & indefinitè; niſi quod Articulus 37. ſanctificationem ei tribuerit, & omnipotentiam. Quamvis igitur Queſnello conceſſero Deum bonitati, & ſapientiæ ſuæ non facturum ſatis; ſi *Adamo ſancto*, & innocenti, cui *præceptum dederat perſeverandi* in ſanctitate, omne ſubtraheret gratiæ auxilium, ſinè quo perſeverare non poſſet; nego tamen contra Queſnellum, & negare mecum debet omnis Catholicus, primam gratiam, & ſanctitatem, eſſe *ſequelam creationis, & naturæ integræ*, ſeu naturali integritati, & innocentiæ *debitam*. Nego pariter ſanctitatem, & gratiam fuiſſe naturæ Adami *proportionatam*.

4 Eſt itaque in Queſnello, & quibuſcunque ejus defenſoribus, vel craſſa admodum, & indigna Theologis ignorantia, ſi in Adamo diſtinguere haud noverint, vel turpior malitia, ſi noluerint duplicem conditionem: primam in Adamo conſiderato ſecundùm naturam nullo maculatam crimine, ſed neque adhuc ornatam donis pluſquam naturalibus: alteram poſt infuſionem gratiæ ſanctificantis, addito præcepto in ea perſeverandi. Qui duo ſtatus, etſi re ipſa nullo ab invicem tempore disjuncti fuerint; neceſſe tamen eſt illos ratione ſeparare, ut Theologica inſtituatur de Articulis diſceptatio. Nemo enim dubitat, quin ipſo creationis exordio in Adamo & natura fuerit, & gratia, juxta illud Auguſtini: *Simul in eis & condens naturam* (Deus) *& largiens gratiam.* Sed tamen, ut Queſnellus naturam ſtatuit ratione priorem, quam gratiam, aſſerens hanc eſſe *ſequelam creationis*, etiam à nobis diſtinguenda eſt Adami cum ſui creatione, & ſolis donis naturalibus conditio, à conditione ejuſdem inſtructi gratia. Qui ſtatus ex priore in Queſnelli ſententia provenit Art. 35. *Gratia Adami eſt ſequela creationis.* Hæc ſequela eſt, quam negamus, & ut hæreticam deteſtamur: Non minus hæreticum execrantes *gra-*

tiæ

tia debitum, ſive ex creatione, ſive ex naturæ innocentia, integritate, & quibuſcunque donis ejus naturalibus deducatur.

5 Neque evadere poſſet Queſnellus, dicendo, ſe nomine naturæ ſanæ, & integræ comprehendiſſe gratiam, quam Adam in ipſa acceperat creatione; evadere, inquam, hac ineptiſſima cavillatione non poſſet; cùm ex ipſo articulo evidens ſit, quod in ſubjecto agatur de prima gratia, de qua prædicatur, quòd ſit *ſequela creationis*, *& debita naturæ ſanæ*, *& integræ*. Ex eo autem, quòd prima gratia aſſeratur debita naturæ ſanæ, & integræ, non poteſt naturæ ſanæ, & integræ nomine intelligi ſimul gratia, ſive natura gratiam complectens; ridicula quippe foret, & à nemine ſanæ mentis proferenda, vel intelligenda enuntiatio, quòd prima gratia ſit debita gratiæ, ſive naturæ, quatenus gratiam continenti. Manet itaque tum Propoſ. 36., tum integrum Queſnelli de Adami gratia ſyſtema juſtiſſimæ obnoxium cenſuræ, etiam hæreſeos, impietatis, & blaſphemiæ; dum omnipotenti, & ſupremo Domino præſcribit limites, quibus ratio Numinis perfectiſſimi manifeſtè ſubvertitur; negatâ ſcilicet ei poteſtate efficiendi naturam ratione, & innocentiâ præditam, ſive, ut Queſnellus loquitur, *integram*, *& ſanam*, abſque gratia ſupernaturali.

6 Ut autem Queſnellus finem tandem faciat anilibus næniis, & vaniſſimis declamationibus adversùs Theologos Orthodoxos, quaſi ſufficientes gratias ſceleratiſſimis in hoc ſtatu peccatoribus, velut debitas concedant, nè Deo *injuſtitia* impingatur, & *crudelitas*: & tamen eas Adamo innocentiſſimo, & ſancto debitas agnoſcere detrectent; ut, inquam, tandem deſinat iſtiusmodi inſultationibus inſaniſſimis Catholicos laceſſere, ſciat, illos eſſe ab ea perſonarum acceptione prorſus alienos; nec quidquam, aut aliter debitum ſtatuere peccatoribus, quàm Adamo innocenti; niſi quod magis quodammodo debitum Adamo ſancto auxilium, quàm lapſis in crimina poſteris affirment. Verùm circa utros debitum ſimpliciter, abſolutum, & antecedens eſt; ſed conſequens ſolummodo juſſionem Dei auxilium exigentem ſupernaturale, & quam ſinè eo implere ſit impoſſibile: proinde gratiam non deberi propriè naturæ; ſed præcepto vires hominis ſuperanti.

7 Hinc nullo modo infertur Bajana Propoſitio 55. *Deus non potuiſſet ab initio talem creare hominem, qualis nunc naſcitur*. Neque ſequitur 79. ſive ultima ibid. damnata, aſſerens: *Falſam eſſe Doctorum ſententiam*, quæ ſtatuit, *primum hominem potuiſſe à Deo creari, abſque juſtitia originali*: Nec denique ſequuntur plures alii Articuli in Bajo proſcripti, & à me ſuperiùs allegati. Queſnelliana verò enunciatio gratiam primam ſanctificantem, præcepto anteriorem, utì & actualem, cùm qua conditus eſt, debitam ſtatuit, non præcepto, ſed naturæ, ſecundùm naturalia integræ, ac ſanæ. Mancipio etiam innocenti non debet ſimpliciter, & abſolutè Dominus equum; debet tamen eidem, vel alteri etiam ſceleratiſſimo, poſtquam juſſerit equitare. Neque tunc mancipii integritati, & innocentiæ debetur equus; ſed Domini præcepto. Iſtud vel ipſi pueri, & ruſtici intelligunt. Non igitur, ut Queſnellus maleſanè exprobrat, *mens*, *& ratio Theologos* Orthodoxos *deſtituit*, dum negant primo homini innocenti *ſanctificantem*, & quamcunque ſupernaturalis ordinis *gratiam deberi* ratione *naturæ ejus integræ*, *& ſanæ*; agnoſcunt tamen, deberi peccatoribus urgente præcepto, quod abſque gratiæ auxilio nequeat adimpleri. Liquet hic non hominis naturæ, vel ulli ejus naturali, præcellentiæ; ſed ſupremi Numinis mandato, auxilium ſuperioris ordinis exigenti, deberi neceſſariò ſufficiens. Unde quoque *mens*, *& ratio* minimè fugit Sedem Apoſtolicam, dum hæc accuſatam temere à Queſnello Catholicorum ſententiam prorſus innoxiam permittit; Queſnellianam verò Catholicis omnibus deteſtabilem, ad inferos, unde emerſerat, juſto retrudit anathemate.

8 Nimis clarè à ſe convictos eſſe de perfidia quadraginta Galliæ Epiſcopos Queſnellus autumat, ut ſuperior exprobratio poſſit ſufficere. Hic nova exaggeratione reducenda eſt. Dignum, inquit, animadverſione „ eſt, cur *Documenti Paſtoralis* Authores pro „ *humanis meritis* poſuerint *merita merè hu-* „ *mana*, ut ſcilicet humana ſolummodo cen- „ ſeantur. Convicerat illos conſcientia „ enunciationem eſſe Catholicam, & ab Au- „ guſtino iiſdem vocibus aſſertam: nihilo- „ minus fixum, decretumque eis fuit illum „ cenſurâ configere. Quapropter mutanda „ neceſſariò propoſitio fuit, eique adden- „ dum adverbium *merè*. Verùm non ſic im- „ pedient, quin cenſura Articuli ſimul fe- „ riat ſententiam Auguſtini, & Gregorii; „ quorum prior Adami *merita vocat huma-* „ *na*, poſterior Angelorum *meritum libero* „ tribuit *arbitrio*. Omnes illæ fictiones, & „ pudendæ fallaciæ à Documenti Paſtoralis „ Authoribus adhibitæ indicant in illis fi- „ dem peſſimam, miſeramque animi penitùs „ corrupti diſpoſitionem.„

9 Ita Queſnelli modeſtia veneratur Eminentiſ-

nentiſſimum Cardinalem de Rohan Principem, & Epiſcopum Argentinenſem, ſeptem Archiepiſcopos, Epiſcopos triginta tres, cum non paucioribus aliis ejuſdem ordinis, qui documentum adoptando, ſuum eſſe voluêre. Olim Sancyrano, vel Barcoſio ejus nepoti, ſub Petri Aurelii nomine crimen maximum erat, quælibet Antiſtitis impugnatio, vel appellatio minùs honorifica. Tunc quilibet Antiſtes *ſucceſſor Apoſtolorum* vix minorem, quàm Apoſtoli, merabatur reverentiam: Nunc Epiſcopalem dignitatem in quadraginta, & amplius Reverendiſs. Præſulibus ſcurriliter conculcare ludus Queſnello eſt, quin potiùs religio. Ajo autem adeò nullum crimen ab Epiſcopis hìc commiſſum, ut nè in culpæ quidem leviſſimæ ſuſpicionem meritò vocentur. Non enim adverbium *merè* addiderunt velut expreſſum à Queſnello vocabulum; ſed diſtinctò ab ejus vocibus charactere, tanquam articuli ejus ſenſum ſolummodo continens, & interpretationem, quo nihil apud fideliſſimos in omni genere Scriptores eſt uſitatius. Porrò interpretatio æquiſſima fuit, & textui apprimè conveniens. Quis enim aliter, quàm de meritis accipiat *merè humanis*, cùm dicitur *gratia Adami non producit niſi merita humana*; præſertim ſi non aliud in Adamo meritorum principium agnoſcitur, præter liberum hominis arbitrium, & gratiam *ſequentem* ex naturâ, vel naturali *creatione*, *naturæ integræ debitam*, *ac proportionatam*? Non inficiabitur Queſnellus merita fore *merè humana*; ſi voluntas hominis cnm auxilio tantùm naturali illa efficeret; atqui *gratiam* qualis à Queſnello deſcribitur, non eſſe propriè dictam, & *ſupernaturalem*, judicabit quisquis vulgarem, & obvium verborum ſenſum in unius Novatoris gratiam pervertere noluerit.

10 Si Queſnellus Apoſtolicæ Sedis, & tot Gallicanorum Antiſtitum judicio cedere pertinax noluerit, agat igitur cum univerſa ſua Janſenianorum multitudine, & opera Patrum, Scholaſticorumque, profanorum etiam, ſi voluerit, ſedulus ſcrutetur, diſpiciatque num ſaltèm unum authoritati tantæ opponere valeat: unum, inquam, qui aliter *naturale* intellexerit, quàm quod *ex natura*, vel naturali *ſequitur*, *ei debitum eſt*, *ac proportionatum*.

11 Nè verò Queſnellus clamitet, ſe *gratiam Adami*, non *naturæ* nudæ, non naturæ ſimpliciter; ſed *integræ*, *& ſanæ debitam* affirmaſſe; integritatem autem, & ſanitatem naturæ gratiam involvere neceſſariò ſupernaturalem: à me ſuperius præoccupatum eſt, & de inepta convictum. Quid enim abſonum magìs, & naturæ contrarium, quàm quòd naturæ integritas, ac ſanitas ſupernaturalem gratiam neceſſariò ſupponat? Quid Deo, ejus ſapientiæ, omnipotentiæ dominio magis injurium, quàm quòd naturam verè ſanam, & integram ſolis naturalibus ornatam dotibus producere nequeat? Sed & Queſnellum ſcriptorem eſſe ineptiſſimum oportet, qui *gratiam* indefinitè, adeòque omnem Adami in creatione acceptam, proinde & primam, vocaverit *creationis ſequelam*, *& debitam naturæ integræ, ac ſanæ*; nunc autem gratiam illam aſſerat ſe *naturæ integræ*, *& ſanæ* nomine comprehendiſſe. An prima gratia poteſt eſſe debita gratiæ, ſive naturæ gratiâ inſtructæ? An *gratia ſanctificans*, quæ Adamo ſive naturæ ejus ſanæ, & integræ dicitur *proportionata*, neceſſariò præſuppoſuit aliam gratiam velut contentam in *natura integrâ*, cui dicitur *proportionata*? Quo hæreſim defendendi amor pertinax, & obſtinationis parens ſuperbia non compellit miſeros, quos ubi de Fide dejecerit Catholica, privat etiam ratione!

12 De ſola *omnipotente gratia* à Queſnello agnitâ in ſtatu naturæ lapſæ, quæ Articuli 37. pars poſterior eſt, nonniſi obſcura in proteſtatione fit mentio. Sed à me ſuperiùs hæreſis illa clariori luci expoſita fuit, & quantum opus multiplici armornm genere debellata. Anacephalæoſin omnium ad quatuor ultimos Articulos pertinentium dabit proxima Concluſio.

Concluſio eorum, quæ contra ſuperiores quatuor Articulos diſputata ſunt, cum quibuſdam Conſectariis.

CAPUT I.

Gratia, quæ à Queſnello collata dicitur Adamo innocenti, non fuit gratia: neque ſalvat libertatem, juxta ſyſtema Queſnello-Janſenianum.

1 TOta, ut vidimus, Adverſariorum hypotheſis eò reducitur, ut nullam tribuat Adamo innocenti gratiam, niſi ſequentem ex natura, ſive *ſequelam creationis*, Adamo *proportionatam*, *ac debitam*; nobis autem nonniſi *omnipotentem*, ſeu inſuperabiliter efficacem, quæ à nemine impediri valeat, aut retardari: eam-

eamque non in nobiſmetipſis receptam; ſed ſolummodo, ſive *nonniſi in perſona Chriſti reſuſcitati*. In qua hypotheſi tam peſtilens errorum, atque hæreſum colluvies detecta eſt: èam tot Tridentini Concilii, & Romanorum Pontificum anathemata reddidere deteſtabilem, ut omnem oporteat ſenſum amiſiſſe Chriſtianum, eos, qui illam contra talia ſupremæ authoritatis judicia, contra Catholicæ Eccleſiæ Fidem ſuſcitare præſumpſerint.

2 Adamo omnem gratiam ſupernaturalem, & propriè dictam Articulo 35. denegari manifeſtum eſt, dum omnis ejus gratia aſſeritur *ſequela creationis, & debita naturæ integræ.* Quod enim ex natura ſequitur, indubiè naturale eſt: quod naturæ integræ *debitum* eſt, non eſt ipſi *gratia*; cum debitum, & gratia invicem opponantur. Si verò aliquod gratiæ auxilium Adamo conceſſeris, iſtud, juxta Queſnellianas gratiæ definitiones varias, nullam primo homini libertatem relinqueret, quam tamen ſupponit Articulus 37. & univerſæ ejus contendunt vindiciæ.

3 Cùm ſcilicet definitur *Dei gratia* in genere, non alia ei prædicata tribuenda ſunt, quàm quæ ſingulis Dei gratiis valeant applicari. Quomodo autem gratiæ Adami, & liberrimæ ejus ad agendum, vel non agendum poteſtati conveniunt definitiones illæ tot protruſæ Articulis, quæ omni Divinæ gratiæ ſummam tribuunt efficacitatem, cui nullum poſſit voluntas reſiſtere arbitrium? Artic. 10. *Gratia eſt operatio manûs omnipotentis Dei, quam nihil impedire poteſt, aut retardare.* Artic. 11. *Gratia non eſt aliud, quàm voluntas omnipotentis Dei, jubentis, & facientis, quod jubet.* Artic. 19. *Dei gratia nihil eſt aliud, quàm ejus omnipotens voluntas. Hæc eſt idea, quàm Deus ipſe nobis tradit in omnibus Scripturis.* Artic. 20. *Vera gratiæ idea eſt, quod Deus vult ſibi à nobis obediri, & obeditur: imperat, & omnia fiunt: loquitur tanquam Dominus, & omnia ſibi ſubmiſſa ſunt.* 15. *Quando Deus, mandatum ſuum, & ſuam externam locutionem comitatur unctione ſui ſpiritûs, & interiori vi gratiæ ſuæ, operatur illa in corde obedientiam, quam petit.* 16. *Nullæ ſunt illecebræ, quæ non cedant illecebris gratiæ; quia nihil reſiſtit omnipotenti.* Juxta illimitatas iſtiuſmodi Divinæ gratiæ ideas Adam gratiâ præventus non peccavit, neque peccare potuit; quia ſi *vera gratiæ idea eſt*, quod *Deus vult ſibi à nobis obediri, & obeditur*, ſicut impoſſibile eſt gratiam eſſe ſinè ſua idea; quia definitum, & definitio inter ſe convertuntur, ita fieri minimè poteſt, ut ſit gratia, & non ſit obedientia; ſive ut habens gratiam non faciat, quod jubetur. Deinde ſi juxta Art. 10. gratia ſit operatio manûs omnipotentis Dei, quam nihil impedire poteſt, aut retardare, quomodo potuit Adam impedire gratiam, nè in ipſo obedientiam operaretur?

4 E contrario obedientia Adamo fuit impoſſibilis, juxta Artic. 3. *In vanum Domine præcipis, ſi tu ipſe non das, quod præcipis.* Art. 4. *Ita, Domine; omnia poſſibilia ſunt ei, cui omnia poſſibilia facis, eadem operando in illo.* Si præcepti obſervatio tunc ſolùm poſſibilis eſt, quando Deus illam in homine operatur, perſpicuum eſt, eam Adamo, utpote præceptum minimè implenti, poſſibilem non fuiſſe. Sic igitur, juxta Queſnellum præcepti obſervatio fuerit ipſi impoſſibilis, & ſimul juxta priùs memoratos Articulos, neceſſaria. Quod horrificum Conſectarium ineluctabile eſt, juxta Queſnellianas Divinæ gratiæ definitiones varias, ut ſupra monui.

5 At, inquies, Queſnellus definitiones ſuas intelligi voluit de ſolo auxilio, quod lapſis hominibus conceditur; non autem iis comprehendi gratiam Angelorum, aut primorum hominum ante peccatum: atque id ſignificat circumſtantia Authoris, utpote quem aliunde conſtet, à concedendâ ſtatui innocenti gratiâ ſufficiente non fuiſſe alienum. Ego verò iſtas Queſnelli definitiones terminis adeò crudis, & duris exprimi cenſeo, ut in ſenſu proprio, & obvio reſtrictionem minimè indicent, & quodammodo non patiantur: veluti cùm Propoſ. 10. dicitur: *Gratia eſt operatio manûs Dei omnipotentis, quam nihil impedire poteſt, aut retardare.* Eſtne gratia in ſolo præſenti ſtatu, & non in præterito innocente operatio manûs omnipotentis Dei? Quod dein additur, *quàm nihil impedire poteſt, aut retardare*, non reſtrictio prioris eſt; ſed *manûs omnipotentis*, & *operationis* ejus attributum. Propoſ. 11. *Gratia non eſt aliud, quàm voluntas omnipotentis Dei jubentis, & facientis quod jubet.* Eſtne veriſimile, quod idem Author cenſeat *gratiam* in ſtatu innocentiæ fuiſſe *aliud, quàm voluntatem omnipotentis Dei*? Quod iterum additur *jubentis, & facientis quod jubet*, non velut reſtrictio; ſed velut omnipotentis Dei voluntatis proprietas prædicatur.

6 Confirmat id Propoſ. 16. *Nullæ ſunt illecebræ, quæ non cedant illecebris gratiæ; quia nihil reſiſtit omnipotenti*: ubi omnipotentia, & negatio reſiſtentiæ non velut memoratæ gratiæ ad præſentem ſtatum limitatio, ſed tanquam virtutis, ſeu roboris ejus ratio allegatur; *quia nihil reſiſtit omnipotenti.* Propoſ. 18. *Semen verbi, quod manus Dei irrigat, ſemper* *affert*

afferti fructum ſuum. Propoſ. 19. *Dei gratia nihil aliud eſt, quàm ejus omnipotens voluntas: Hæc eſt idea, quam Deus ipſe nobis tradit in omnibus ſuis Scripturis*. Non apparet quomodo diſertiùs nobis Queſnellus Divinæ gratiæ omnis tam ſtantibus, quàm lapſis hominibus conceſſæ ideam deſcribere potuerit, & fortiùs inculcare. Prop. 20. *Vera gratiæ idea eſt, quòd Deus vult ſibi à nobis obediri, & obeditur: imperat, & omnia fiunt: loquitur tanquam Dominus, & omnia ſibi ſubmiſſa ſunt*. An ſolùm lapſis hominibus *imperat Deus, & loquitur tanquam Dominus*? Unde quòd primi homines non obedierint, ſignum eſt, non fuiſſe eis Deum interiùs per gratiam, juxta Novatoris hujus ſententiam, locutum. Propoſ. 23. *Deus ipſe nobis ideam tradidit omnipotentis operationis ſuæ gratiæ, eam ſignificans per illam, quâ creaturas è nihilo producit, & mortuis reddit vitam*. Hic ad ſtatum non ſolùm naturæ lapſæ, in quo reſurgimus, ſed etiam ad ſtatum naturæ integræ, in quo primùm conditi ſumus, remittimur, ut ſtatûs utriuſque, quantum apparet, gratiam, ideâ aptiſſimâ concipiamus.

7 Prætereundum non eſt, quod Queſnellus, ſeu quiſquis ejus in famoſis *Hexaplis* defenſor præcipuus eſt, ad Propoſitiones ferè ſingulas deſcribentes gratiæ ideam, ut eas contra Bullam Unigenitus tueatur, proferat ea Scripturarum loca, quæ voluntatem Dei pro omni hominum ſtatu omnipotentem ſignificant, & cui à nemine reſiſtitur. Ad Propoſ. 10. illud Pſalmi 113. *Deus autem noſter in Cœlo, omnia quæcunque voluit fecit*. Pſal. 134. *Omnia quæcunque voluit Dominus, fecit in cœlo, in terra, in mari, & in omnibus abyſſis*. Ad Propoſ. 19. ſtabiliendam adducitur illud Epheſ. 1. verſ. 11. *Qui operatur omnia ſecundùm conſilium voluntatis ſuæ*: Atque ita paſſim de cæteris.

8 Denique cùm Propoſ. 35. impugnans oſtenderim, Queſnellum nullam veram gratiam, & ſupernaturalem agnoſcere in ſtatu naturæ integræ, quale tamen auxilium etiam ſtantibus hominibus neceſſarium fuit, ut perſeverare in juſtitia poſſent, & Divina exequi mandata, patet hæc eis in Queſnelli ſyſtemate fuiſſe impoſſibilia: aut ſi aliqua veri nominis gratia, & ſupernaturalis in ſtatu innocentiæ obtigiſſet, qualis tot ab ipſo definitionibus depingitur, & præter quam nulla propriè dicta, & ſupernaturalis in ullo, juxta Queſnellum, ſtatu conceditur, nexu ſequitur inſolubili, quòd primi homines non peccaſſent, immò quod præſente illâ gratiâ ad perſeverandum ſufficienti, cadere non potuiſſent; ſed neque cum tali gratia neceſſitatem inferente, ut aliàs demonſtratum eſt, meriti quidpiam componeretur. Nulla igitur gratia propriè dicta, & ſupernaturalis primis hominibus in ſtatu innocentiæ, juxta novum Theologum, relinquitur: aut, ſi quæ talis adfuiſſet; cùm alia non detur, præter eam, quæ tot ejus definitionibus exponitur, patet omnem ad opera ſalutifera libertatem tam in natura integra, quàm vitiatâ corruere. Si Adverſarius dixerit, odioſa hæc nimiùm conſectaria ſe non admittere; ſed deteſtari. Reſpondeo cum Auguſtino de Adulterinis conjugiis cap. 4. *Quod quidem non ipſe ſentis; ſed hoc ſequitur illa, quæ ſentis: muta ergo antecedentia; ſi vis cavere ſequentia.*

9 Quod *Deus illuminet animam, & eam ſanet æquè ac corpus, ſolâ ſui voluntate: jubeat, & ipſi obtemperetur*, ut habet Artic. 25. confirmat Artic. 36. quatenus aſſerit *gratiam Chriſtianam, non recipi, niſi in perſona Chriſti*; voluntas enim Dei recipitur in Deo, non in nobis: at, quomodo verum eſt, quòd gratiam Adami, & ſtatûs innocentiæ unuſquiſque in ſua perſonâ recepiſſet, ut idem Articulus affirmat; ſi *Dei gratia nihil eſt aliud, quàm ejus omnipotens voluntas*? Si hæc eſt *idea, quam Deus ipſe nobis tradit in omnibus ſuis Scripturis*? Si, ut enuntiat Articulus 11. *Gratia non eſt aliud, quàm voluntas omnipotentis Dei, jubentis, & facientis quod jubet*? Voluntas Dei recipitur in Deo, ut dixi, & in Perſona qualibet Sanctiſſimæ Trinitatis; non verò in ullo homine, qui ſimul Deus non ſit.

10 Quæ hæreſis pernicioſioribus fœcunda Conſectariis eſt, quam deſtruens libertatem, & neceſſitatem in omnes actus invehens indeclinabilem? Hinc enim ſequitur ſubverſio meriti omnis, ac demeriti, præmii, & ſupplicii, cum ſtrage bonorum operum, & omnis quoad mores introductione corruptelæ, atque licentiæ. Ideo Queſnellus cum Janſeniſtis cæteris invidioſum neceſſitatis nomen ſubinde manibus, ut dicitur, pedibuſque amoliri à ſuis placitis conatur, vel potiùs fraudulentiùs ſimulat, conquerens identidem veluti de calumnia, dum ſibi, ſuiſque adſcribitur gratia neceſſitans. Nuſquam, inquit, *neceſſitantem gratiam* vocamus; ſed tantùm *inſuperabiliter, & indeclinabiliter efficacem, quæ impediri nequeat, aut retardari*. Indè exiſtimat, aut exiſtimare iterum ſe ſimulat, ad ſe minimè pertinere Propoſ. 3. & 4. Janſenianæ ſenſum hæreticum: *Ad merendum, & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ non requiritur libertas à neceſſitate; ſed ſufficit libertas à coactione.* Et *Gratia requiſita ad ſingulos actus bonos, etiam ad initium Fidei, non eſt talis, cui poſſit humana*
volun-

voluntas reſiſtere, vel obtemperare.

Verùm Fides, & hæreſis non in arido verborum cortice; ſed in ſenſu, & ſignificatione potiſſimùm conſiſtit. Quid autem eſt auxilium *neceſſitatem* libertati inimicam inferens, niſi auxilium, quod nec in ſe tale eſt, nec aliud involvit, aut ſupponit, cui homo poſſit diſſentire, quodque recipiens poſſit abjicere? Talem gratiam veluti libertati oppoſitam intellexit ſemper, & anathemate damnavit Eccleſia cum Tridentino Concilio ſeſſ. 6. cap. 5. & can. 4. Damnarunt quoque Romani Pontifices in hæreſi 4. Janſenii. Nec dubium eſt, quin ita intelligat, ubique gentium humanum genus frivolis Janſeniſtarum cavillationibus non infatuatum. Quis mortalium non cenſeat neceſſitatem inferens auxilium exprimi, quando dicitur, *Gratia eſt operatio manûs omnipotentis Dei, quam nihil impedire poteſt, aut retardare,* ut aſſerit Queſnelli Propoſitio decima? Quando Artic. 23. idea gratiæ, & omnipotentis operationis ejus dicitur *ſignificari per illam, quâ Deus creaturas è nihilo producit, & mortuis reddit vitam*? In qua utraque operatione evidens eſt, nullam partem habere liberum hominis arbitrium. Nonne helleboro ſanandus potiùs, quàm convincendus rationibus cenſeretur, qui ſe aſſeruiſſe mulierem pernegaret, agnoſcens ſe prædicaſſe *fœminam*: aut qui inficiaretur hominem, cui tribuiſſet totam hominis eum proprietatibus naturam?

11 Sed neque ipſum *neceſſitantis gratiæ*, *neceſſitantis concupiſcentiæ* nomen effugiunt Adverſarii, quoties univerſam Janſenii doctrinam mordicus ſuſtinent, ut Queſnellus totâ ſuâ traditione Eccleſiæ de gratia Tomis 4. & ſæpe aliàs audaciſſimè defendit. Notum ſcilicet omnibus eſt axioma Janſenii tam de concupiſcentia, quàm de gratiæ auxilio pronuntiatum: *Quod ampliùs nos delectat, ſecundùm id operemur neceſſe eſt.* Quod nempe Auguſtinus in Epiſt. ad Galatas de delectatione deliberata, de libero voluntatis conſenſu, enuntiat: *Neceſſe eſt, ut operationes, & potentiæ cæteræ imperio voluntatis ſubditæ, ſequantur ejus imperium.* Janſenius ad delectationes indeliberatas tum gratiæ, tum concupiſcentiæ transfert, & cuicunque obtigerit ardentiorem eſſe, victoriam tribuit neceſſariam, *quod ampliùs nos delectat, ſecundùm id operemur neceſſe eſt*: neceſſitate utique antecedente, quæ non ſolas afficiat operationes à voluntatis nutibus dependentes; ſed & ipſum voluntatis imperium.

12 Queſnellus quidem, uti & Janſenius, ad fallendos ſimplices, neceſſitatem quandoque vocat conſequentem, & voluntariam, ſed *conſequentem* originis peccatum, & *voluntariam* in Adamo. Quod profectò, ſi ad peccata præſentis ſtatûs perſonalia ſufficeret, omnes motus concupiſcentiæ eſſent peccata formalia, pœnamque mererentur; quia voluntarii fuerint in Adamo, ex cujus peccato, & ſingulorum hominum in illo, omnis pravorum motuum procella defluxit. Unde deſumptio libertatis ab Adam ad peccandum hodie formaliter, indubiè hæretica eſt, & inter 31. Articulos ab Alexand. VIII. primum meritò locum obtinens. Quid enim horribilius, & Dei bonitate, ſapientiâ, juſtitiâ indignius, quàm poſtquam homini in Baptiſmo culpam originis condonavit, eumque adoptavit in filium, nihilominus eumdem poſtea damnare, non alia de cauſa, quàm quia præcepto non paruit, cujus obſervatio nonniſi in Adamo fuerit poſſibilis? Cui hinc non appareret occaſio accuſandi clementiſſimam Dei cùm juſtificatis reconciliationem, veluti fictitiam, & ſanctiſſima ejus promiſſa veluti fraudulenta de non deſerendis juſtis, niſi priùs ab ipſis deſeratur, de non patiendo, ut tententur, ſupra quàm poſſint ſuſtinere? Quis in poſterum credet Chriſto aſſerenti, jugum ſuum ſuave eſſe, & onus leve, ſi ab amicis, & fratribus exigat præcepta hic, & nunc impoſſibilia: ſi eos cœleſti ſpoliet hereditate, & graviſſimis æternùm addicat cruciatibus; quia non fecerint quod non magis in eorum fuerit poteſtate, quàm impedire, nè ullus exurgeret unquam concupiſcentiæ motus, quem nempe impedire potuerant in Adamo? Denique volitio, ex qua neceſſitatem Queſnellus appellat voluntariam, ab homine in hoc ſtatu impediri non poteſt, neque ſuſpendi. Tale voluntarium confundere cum libero, ut conatur hodie Queſnellus, voluit etiam olim Bajus à tribus Pontificibus, in hoc quoque, jure meritò condemnatus.

CAPUT II.

Proſecutio ejuſdem Argumenti. Si gratia Janſenianorum ſenſu dicenda ſit omnipotens, *etiam* omnipotens *dicenda eſt concupiſcentia. Exagitatur Janſenii axioma*, Quod ampliùs nos delectat, ſecundùm id operemur neceſſe eſt.

1 Non adeò hebeti ingenio Queſnellus, & cæteri Janſeniani ſunt, ut iſta tam obvia, tam aperta conſectaria non videant. Sed quorum

omne ſtudium eſt in comminiſcendis pro hæreſeos defenſione argutiis, quorum omnis labor in oppugnandis Fidei Conſtitutionibus, & ſcribendis contra Sedem Apoſtolicam invectivis, omnis zelus in concitando contra Chriſti Vicarium populo; quorum omnis pietas in hypocriſi, ſchiſmate, & rebellione; omnis religio in adornandis circa Fidei profeſſionem perjuriis, quidni in tantorum criminum ſocietatem vocent etiam Deum, jungentes hæreſi, & impietati blaſphemiam multiplicem? At ſpecioſa Religio eſt eliminare è præſenti ſtatu omne auxilium ſufficiens, nec aliam admittere *gratiam*, quam *omnipotentem, & dignam Filio Dei*. Num fortè gratia Adami ſufficiens non erat digna Deo Patre, Filio, & Spiritu Sancto?

2 Si Janſenianum efficax auxilium ſit *omnipotens*, quidni etiam ardentior concupiſcentia: eodem ſenſu juxta Janſenium *omnipotens* dicatur? Nam inter ſeptem diſcrimina, quæ hic lib. 8. de Gratia Chriſti cap. 2. ſtatuit, ſuam inter & phyſicè prædeterminantem Thomiſtarum gratiam, eſt iſtud tertium: *Prædeterminatio phyſica talis eſſe dicitur, ut in quibuſcunque circumſtantiis voluntas collocetur, ſemper faciat facere, & operetur effectum ſuum, omnemque ſuperet reſiſtentiam; Chriſti adjutorium nullo modo; nam delectatio victrix, quæ Auguſtino eſt efficax adjutorium, relativum eſt. Tunc enim eſt victrix, quando alteram ſuperat. Quod ſi contingat alteram ardentiorem eſſe, in ſolis inefficacibus deſideriis hærebit animus, nec efficaciter unquam volet, quod volendum eſt*. Huc ergo recidit tam magnificè prædicata à Queſnello, poſt Janſenium Chriſtianæ gratiæ *omnipotentia*, ut ejus efficacitas elidatur neceſſariò à quolibet ardentiore motu concupiſcentiæ, ſi hæc vel uno intentionis gradu delectationem gratiæ ſuperaverit. Profectò ſi omnis Chriſti gratia indè vocetur *omnipotens*, quia quoties ardentior ejus delectatio eſt, voluntatis conſenſum, judice Janſenio, ſecum trahit neceſſariò, *quod amplius nos delectat, ſecundùm id operemur neceſſe eſt*, nonne & omnis concupiſcentia dicetur *omnipotens*; quia & ipſa quoties delectationem gratiæ ſuperat, voluntatem juxta Janſenium neceſſitate abripit ad peccatum? Concupiſcentia itaque victrix hac ratione merebitur *omnipotentiæ* prædicatum, quod dictu abſurdiſſimum, & vel auditu horridum eſt. Huc tamen ducit Queſnelli, & cæterorum pro Janſenio tanquam pro aris, & focis decertantium novitas.

3 Janſenius nempe lib. 8. de gratia Chriſti cap. 3. *Ex quibus*, inquit, *quæ fuſiùs ante declarata ſunt, cùm de delectationis neceſſitate tractaremus, perſpicuè apparet, impoſſibile eſſe, ut adjutorium illud cæleſtis delectationis non determinet, imò non prædeterminet voluntatem; quia facit ut velit, facit etiam ut ardentiùs velit, facit denique ut ſit neceſſe animum ſequi, & ſecundùm illud operari, quod ampliùs delectaverit*. Et lib. 4. de Gratia Chriſti cap. 10. poſtquam dixerat: *Nunc autem ipſum adjutorium beneficæ ſuavitatis facit, ut bonum velit*; De victrice concupiſcentia pariter addit: *Ipſum adjutorium, ut ita dicam, noxiæ ſuavitatis facit, ut malum velit. Illam quippe ſuavitatem quæ ſuperaverit, voluntas conſentiendo ſequitur*; utique neceſſario; *quod enim ampliùs nos delectat, ſecundùm id operemur neceſſe eſt*. Eodem cap. 10. & 4. Concupiſcentiam quando ſuperior eſt, vocat quoddam *quaſi Diaboli adjutorium quo*. Nonne Auguſtini diſcipulo, & novorum diſcipulorum principe digna eſt iſta Auguſtinianæ phraſis applicatio? Abſque brevi animadverſione hic dimittere non poſſum, quod Janſenius ait, victricem delectationem facere ur *homo velit, ut etiam ardentiùs velit, denique ut ſit neceſſe animum ſequi*. An adhuc veluti de calumnia Janſenio ſuo impacta vociferabitur Queſnellus, dum de invecta *neceſſitante gratiâ* accuſatur? Nuſquam Auguſtinus aſſerit nos juxta delectationem majorem indeliberatam neceſſariò velle, ſive *neceſſe eſſe ut animus ſequatur*, ſed neceſſe eſſe *ut operemur*; ut ſcilicet potentiæ inferiores, & voluntatis imperio ſubditæ, ſequantur deliberatam animi delectationem, arbitriique liberrimum conſenſum.

4 Nè verò Lector exiſtimet, etiam fortè Janſenium *delectationis* nomine intelligere deliberatam, excludit ipſe benignam adeò ſuæ ſententiæ explicationem lib. 4. de Gratia Chriſti cap. 11. dicens. *Delectationem iſtam cæleſtem ſecundùm Auguſtini mentem eſſe actum vitalem, & indeliberatum animæ, & quidem amoris, ac deſiderii præcedentis conſenſum*. Ibid. *Dicimus igitur delectationem iſtam, ſeu ſuavitatem in Auguſtino celebrem, eſſe partim primum illum, & indeliberatum affectum animæ, qui actualis complacentia eſt, partim etiam ſecundum, qui deſiderium indeliberatum dicitur*. Idem locum habet apud Janſenium in delectatione concupiſcentiæ, ſive, ut ipſe vocat, *in Diaboli adjutorio quo*.

5 At, inquies, ſaltèm Queſnellus à vocabulo *neceſſitantis gratiæ* ſtudioſè abſtinet; ita eſt; abſtinet ſtudioſè; ſed etiam ſubdolè. Inanis tamen, niſi quod fallendis ſimplicibus idonea, iſta vafrities eſt; quid enim juvat ad retinendam fidem, quid ad vitanda Eccleſiæ anathe-

Digitized by Google

anathemata, & ſupremi Numinis indignationem, ab uno abſtinere hæretico vocabulo; ſi rem omnem eo nomine ſignificatam mordicus tuearis, & cum ea librum hæreſibus refertum, ut eſt *Janſenii Auguſtinus* quintum Queſnelli Euangelium? Non minùs ſunt peſtiferæ ejus *Obſervationes Morales*, tot ab ipſo *Explicationibus Apologeticis*, *querelis*, *proteſtationibus* defenſæ.

6 Denique proponitur Queſnello Janſeniani diſcriminis inter gratias utriuſque ſtatûs præcipuo inſtauratori ſequens problema: Vel omnes homines rationis compotes proritantur omni momento temporis motu concupiſcentiæ, & quidem vehementi, vel non. Perpetua illa vehemens tentatio adverſatur communi mortalium ſenſui, & experimento. Si autem tentatio non ſit continua, vel saltèm non vehemens, undenam conficies ſufficientis auxilii pro præſenti ſtatu inutilitatem? Non enim Adami auxilium tam remiſſum, tam tenue, ac debile erat, ut nulli motui concupiſcentiæ, quantumlibet levi reſiſtere potuiſſet. Auguſtinus lib. 14. de Civitate cap. 12. gratiam Adami adeò potentem ac validam deſcribere viſus eſt ipſi Janſenio, ut de ea pronuntiet lib. 2. de gratia Chriſti cap. 29. *Pro vera gratia lapſi hominis evidentius, & efficacius teſtimonium ex Auguſtino, vel Conciliis proferri* non poſſe. Audiatur Auguſtini locus à Janſenio prædicatus. Sic ibi Sanctus Doctor de Adamo loquitur: *Si voluntas in amore ſuperioris immutabilis boni, à quo illuſtrabatur ut videret, & accendebatur ut amaret, ſtabilis permaneret*: Quem Auguſtini locum interpretans Janſenius, ait: *Accendebatur ut amaret, hoc eſt eo fine ut amaret*, & libro de Gratia primi hominis cap 12. gratiam Adami vocat *voluntatis ſuccenſionem, ſeu ardorem*. Atqui *accenſio, ſuccenſio, ardor*, indicat gratiam non prorſus debilem, ſed utcunque intenſam, quæ proinde ſi hæc homini lapſo obtingeret, tunc quando tentatio non adeò vehemens eſt, non apparet, cur per eam tentationi reſiſtere non poſſet, Deique obedire præcepto?

7 Corruit igitur præcipua Queſnelli, & Janſenii ratio de inutilitate ſufficientis gratiæ in natura lapſa. Quapropter auxilium illud præſenti ſtatui non penitùs denegandum eſt. Quod ex aliis Janſenii verbis maximè confirmatur lib. 3. de Gratia Chriſti cap. 17. *Iſtud*, inquit, *primum* integri hominis *adjutorium, jam poſt inflictum peccati vulnus, inſufficiens factum eſt, non propter auxiliantis gratiæ mutationem, aut ſubtractionem; ſed propter naturæ læſionem, qua non poteſt ampliùs, illâ gratiâ etiam præſente, adjuvanteque, bonum facere, quod ante fecit; nec bonum velle, quod voluit*. Et paulò poſt: *Non enim, ut dixi, ullo modo ſufficit prior gratia, quam ante peccatum Deus homini conferebat, & etiamnum omnibus conferre paratus eſt, ſi voluntatem ejus uſui ſufficientem reperiret*.

8 Cur autem hominis uſui nunc talis gratia non ſufficiat, rationem reddit Janſenius lib. 4. de Gratia Chriſti cap. 4. 5. 9. 10. quia ſcilicet homo *languorem contraxit, qui concupiſcentia, ſeu creatarum rerum dilectio nuncupatur*. Verùm languor iſte non neceſſariò ſemper tantus eſt, ut impedire debeat, nè *ardens*, & *ſuccenſa* delectatio, qualem Adamo Janſenius ex Auguſtino tribuit, boni aliquid efficere in nobis poſſit, ſi talis nobis gratia concedatur. Non enim *creatarum rerum dilectio* indeliberata, ſeu concupiſcentia, in qua languor iſte à Janſenio conſtituitur, omni momento adeò vehemens eſt, ut immiſſæ cœlitus delectationis, qualis à Janſenio in primo homine agnoſcitur, *ardorem* neceſſariò debeat ſuperare. Si igitur, Janſenio judice, naturæ auxilium creditur inſufficiens, *non propter auxiliatricis gratiæ mutationem, aut ſubtractionem; ſed propter naturæ læſionem*, ſeu concupiſcentiam; ſi illud *Deus etiamnum omnibus conferre paratus eſt, quando voluntatem ejus uſui ſufficientem reperiret*, non eſt quare auxilium illud à Deo penitùs denegetur, cùm voluntas uſui ejus ſaltèm ſubinde *ſufficiens* reperta ſit. Non ergo neceſſe eſt omnem gratiam præſenti ſtatui affingere, *omnipotentem*, & ſolam hanc *dignam Filio Dei*.

9 Si verò contra omnem mortalium ſenſum, & experientiam ſtatuas concupiſcentiæ motus omni momento temporis adeò vehementes, ut nullus *ardor*, nulla *ſuccenſio* gratiæ, qualis minimè tenuis Adamo à Janſenio tribuitur, ſufficere poſſet, ac vincere tentationem, videtur juſtus in omni opere peccaturus ſaltèm venialiter, propter complacentiam aliquam deliberatam, etſi levem, atque inefficacem, quam concupiſcentia impetraverit, quando Janſenii pro omnis gratiæ efficacitate valuerit ratio. Ideo enim Chriſti *adjutorium* ſemper efficax eſt, quia eſt *adjutorium quo*: unde licèt impeditum à majore concupiſcentia non obtineat ſemper ab homine operationem perfectam, ſive conſenſum liberi arbitrii abſolutum; tamen ſemper emungit aliquam ſaltèm velleitatem deliberatam, & complacentiam ſanctam.

Ita Janſenius lib. 1. de Gratia Chriſti cap. 27. *Quemadmodum*, inquit, *inundatio Divinæ gratiæ totam hominis voluntatem ſecum inſtar impetuoſi cujuſdam torrentis rapit, ita levis ille velut aura tenuis afflatus complacentiam*

tiam quamdam voluntatis tenuiſſimam rei tam pulchræ, quæ ſimul objicitur contemplanda, contemperatam ſuaviter impetrat, & celerrimè, quaſi ſurtim poſt ſe rapit. Lib. 3. cap. 25. *Hæc itaque eſt vera ratio, & radix cur nulla omnino medicinalis Chriſti Gratia effectu ſuo careat, ſed omnis efficiat ut voluntas velit, & aliquid operetur*. Lib. 8. cap. 2. *Delectatio victrix, quæ Auguſtino eſt efficax adjutorium, relativa eſt. Tunc enim eſt victrix, quando altera ſuperat. Quod ſi contingat alteram ardentiorem eſſe, in ſolis inefficacibus deſideriis hærebit animus, nec efficaciter unquam volet, quod volendum eſt*. Lib. 2. cap. 27. *Neque verò moveat quemquam, quod conſtet multos Divinitus mente colluſtrari, imò verò, & in ipſa voluntate motibus Divinæ gratiæ percelli, qui tamen ab ejus interna ſuaſione, & inclinatione diſſentiunt, ut propterea falſum putet, gratiam in eo, cui datur, ſemper operari*. Operatur enim, inquit, ſemper, ſaltèm complacentiam deliberatam, & velleitatem, ad quam ſolam juxta Janſenium, à Deo data eſt, & cujus ſolius in hac concurrentis concupiſcentiæ fortioris circumſtantiâ eſt capax.

10 Cùm igitur Janſenius tantam inter terrenæ, & cœleſtis illecebræ vires conſtituat paritatem, ut utravis, vel unico gradu alterâ intentior fuerit, adverſariam vincat neceſſariò, *quod enim amplius nos delectat, ſecundum id operemur neceſſe eſt*; ſi conſequenter loqui voluerit, debebit de terrena concupiſcentia, quæ juxta ipſum *eſt quaſi Diaboli adjutorium quo*, & *relativa* eſt, æquè ac *adjutorium Chriſti*, debebit, inquam, de illa concupiſcentia admittere, quod ſemper aliquid efficiat, velleitatem ſaltèm ſeu complacentiam deliberatam ut aſſeruit de adjutorio Chriſti, quod *rei ſibi tam contemperatæ complacentiam quamdam voluntatis tenuiſſimam ſuaviter impetret, & celerrimè quaſi furtim poſt ſe rapiat*.

Pariter eidem terrenæ concupiſcentiæ applicare debebir illud de gratia dictum. *Tunc eſt victrix, quando alteram ſuperat: quod ſi contingat, alteram ardentiorem eſſe, in ſolis inefficacibus deſideriis hærebit animus, nec efficaciter unquam volet*, ad quod volendum concupiſcentia incitat.

Aliud rurſus dictum de gratia, juxta Janſenium concupiſcentiæ conveniet: *Hæc itaque vera radix eſt cur nulla effectu ſuo careat; ſed omnis efficiat, ut voluntas velit, & aliquid operetur*. Denique ad concupiſcentiam transferetur illud Janſenii de gratia aſſertum: *Neque verò moveat quemquam, quod conſtet multos* concupiſcentiæ motibus allici, *qui tamen ab ejus inclinatione diſſentiunt, ut propterea falſum putet*, motus illos, in quibus exſurgunt, *ſemper operari*: operantur tunc ſcilicet juxta novæ Theologiæ principia tenuem voluntatis complacentiam, & *in ſolis inefficacibus deſideriis hærebit animus, nec efficaciter unquam volet* ad quod volendum blandiens voluptatis invitabat illecebra. In hac quidem hypotheſi intelligo, cur Janſenius non ſolùm lib. 4. de Gratia Chriſti cap. 10. dixerit *ipſius adjutorium beneficæ ſuavitatis facit, ut voluntas bonum velit*; ſed etiam cap. 9. *ipſum adjutorium, ut ita loquar, noxiæ ſuavitatis facit, ut malum velit*; verùm Catholicæ aures averſantur, quod ſive gratia in hoc ſtatu, ſive concupiſcentia ſemper operetur ſaltèm complacentiam deliberatam, & quidem ita ut hæc à libero arbitrio impediri nequeat; ut Janſenius locis pluribus aſſerit, & in multis de gratia Propoſitionibus Queſnellus; nominatim decimâ: *Gratia eſt operatio manûs omnipotentis Dei, quam nihil impedire poteſt, aut retardare*.

11 Quod ultimò à me dictum eſt de concupiſcentiæ motibus ſemper in hoc ſtatu impetrantibus ſaltèm velleitatem, vel ſimplicem complacentiam deliberaram, non reperio explicitè affirmatum in Janſenio, vel Queſnello; ſed ex eorum hypotheſi deducitur, utpote juxta quam tum concupiſcentia, tum graria eſt *adjutorium quo*: hoc autem juxta eoſdem ſemper obtinet in hoc ſtatu effectum aliquem deliberatum. Sic enim *Adjutorium quo*, penès illos diſcernitur ab *adjutorio ſinè quo non*, ad præſentem ſtatum minimè pertiuente. Hac ratione juſti quilibet, præterquam cùm dormiunt, peccarent continuò, ſaltèm venialiter, quod opponitur Tridentino Concilio ſeſſ. 5. cap. 5. dicenti: *Concupiſcentia nocere non conſentientibus; ſed viriliter per* Jesu *Chriſti gratiam repugnantibus non valet*: Et ſeſſ. 6. cap. 11. *Conſtat eos orthodoxæ religionis Doctrinæ adverſari, qui dicunt juſtum in omni bono opere, ſaltèm venialiter peccare*.

12 Conſectarium iſtud admiſſum fuiſſe *à Janſenianarum partium Primipilo*, ſcribit Stephanus de Champs in celebri opere de hæreſi Janſeniana lib. 2. diſp. 8. cap. 2. eum tamen ſe diſcreviſſe ab hæreſi Calvini, quia hæc ſtatuit *motus indeliberatos eſſe peccata; at, quòd ex Janſenii opinione id dumtaxat ſequatur, omnes concupiſcentiæ motus* (utpote adjutorium quo) *peccatum aliquod inferre, quia nullus eſt, qui ſaltèm imperfectum conſenſum à voluntate non eblandiatur, quique proinde cum veniali ſaltèm culpa non ſit conjunctus*. Ad priorem autem Tridentini ſententiam reſpondit eâ non ſtatui, an aliqui concupiſcentiæ

nullo

nullo modo conſentiant; ſed nocere eam non poſſe non conſentientibus, id eſt, *Si aliqui non conſentirent, iis non nocituram; quæ conditionalis vera eſt, etſi omnes concupiſcentiæ motus neceſſariò aliquem à voluntate conſenſum exprimant*. Quæ quidem cavillatio digna eſt *Janſenianarum partium Primipilo*. Sed minimè veriſimile eſt, Synodum œcumenicam definiiſſe caſum merè fictitium. Neque ſic eluditur ſecunda Tridentini ſententia, quæ ſenſum exhibet maximè realem: *Conſtat, eos orthodoxæ doctrinæ adverſari, qui dicunt juſtum in omni bono opere, ſaltèm venialiter, peccare*. Quæ definitio non hypothetica, ſed abſoluta eſt, declarans non ſolùm juſtos non peccare, ſi non conſentiant; ſed etiam aliquando eos revera minimè conſentire, ideoque nec peccare venialiter.

13 Scio equidem novatoribus in malitia obfirmatis, ac propterea novas ſemper comminiſcentibus argutiarum præſtigias non defuturum, quo & poſteriorem Tridentini ſententiam eludere conentur; verùm Deus & Eccleſia non irridetur. Denique ſive factum quod refert Stephanus de Champs, ſibi cum *Janſenianarum partium Primipilo* contigiſſe, vera hiſtoria ſit, ſive per figuram Rhetorices adornata inductio, conſectarium eſt abſurdiſſimum, è novo inter gratiam utriuſque ſtatûs diſcrimine non incongruè collectum. Nemo itaque ſanæ mentis exoticum adeò diſcrimen tam horridis obnoxium conſectariis, tot hæterodoxis opinionibus affine, imò tot damnatis aliàs erroribus prorſus impiis, blaſphemis, hæreticis plenum, adeò contrarium Scripturis, Traditioni, Concilio Tridentino, & totius Eccleſiæ ſenſui, ullatenus recipiat; ſed devoveat barathro, unde diaboli fraudibus, & innumerabilium exitio animarum à duobus in orbem ſeculis irrepſit.

CAPUT III.

Auctarium, quo ſatisfit duabus recenter motis difficultatibus.

1 Hic viri eruditiſſimi, & multis mihi nominibus venerandi ſatisfaciendum eſt deſiderio, qui, ut præſens opus nationibus etiam exteris, ad quas Janſeniana hæreſis non niſi obſcurâ famâ pervenerat, præmuniendis editur, optat duabus Quæſtionibus pluſculum lucis afferri. Prima eſt, quomodo ſenſus Queſnelli de gratia poſſit intelligi Janſenianus; dum Queſnellus ſtatuere videtur omnes gratias efficaciſſimas; Janſenius verò agnoſcere multas debiles, & à concupiſcentia ſuperatas, quas aliqui vix diſcernunt à ſufficiente Catholicorum auxilio. Unde oritur Quæſtio ſecunda, quomodo Queſnelliani de gratia Articuli damnari potuerint in ſenſu Janſenii; ſi Queſnelli, & Janſenii ſenſus tanto ſeparentur diſcrimine? Diſcrimen autem ſe pandere videtur utriuſque Authoris verbis, ut apparet, maximè oppoſitis. Sic nempe Queſnellus loquitur Prop. 10. *Gratia eſt operatio manûs omnipotentis Dei, quam nihil impedire poteſt, aut retardare*. Prop. 11. *Gratia non eſt aliud, quam voluntas omnipotentis Dei jubentis, & facientis quod jubet*. Prop. 16. *Nullæ ſunt illecebræ, quæ non cedant illecebris gratiæ*; Cùm tamen Janſenius lib. 2. de Gratia Chriſti capite 27. edit. Lovan. col. 210. dicat *Neque verò moveat quemquam, quod conſtet, multos Divinitus mente colluſtrari; imò verò, & in ipſa voluntate motibus Divinæ gratiæ percelli; qui tamen ab ejus internâ ſuaſione, & inclinatione diſſentiunt, ut propterea falſum putet, gratiam in eo, cui datur, ſemper operari*.

2 Et inter diſcrimina medicinalis gratiæ, ac prædeterminantis aſſignat iſtud lib. 8. de Gratia Chriſti cap. 2. *Prædeterminatio phyſica talis eſſe dicitur, ut in quibuſcunque circumſtantiis voluntas collocetur, ſemper faciat facere, & operetur effectum ſuum, omnemque ſuperet reſiſtentiam: Chriſti adjutorium nullo modo; nam delectatio victrix, quæ Auguſtino eſt efficax adjutorium, relativa eſt. Eſt victrix, quando alteram ſuperat; quod ſi contingat, alteram ardentiorem eſſe, in ſolis inefficacibus deſideriis hærebit animus, nec efficaciter unquam volet, quod volendum eſt*. Ubi videtur Janſenii efficacia, quæ relativa ſolummodo prædicatur, opponi efficaciæ Queſnellianæ, quæ in editis ab eo definitionibus apparet abſolutiſſima. Verùm & Queſnellus Janſenio, & Janſenius Queſnello maximè conſonus eſt. Nam & Janſenius tum in damnatis ſuis Propoſitionibus, tum lib. 2. de Gratia Chriſti, cap. 4. 5. 9. 25. eodem modo de perpetua gratiæ in actu 2. efficacitate loquitur ſicut Queſnellus in damnatis definitionibus, atque hic viciſſim gratias ſenſu Janſenii ſubdolo inefficaces amplectitur in *Explicatione* ſua *Apologetica* Anno 1712. ſimulans ſe à gratia ſufficiente Thomiſtica non alienum. Itaque tam Queſnellus, quàm Janſenius ad fallendam, ſi fieri poſſet, Eccleſiam Protheus eſt in omnem ſolitus formam ſe vertere; quod omnibus hæreticis ſemper fuit familiare; & manifeſtiùs patuit in Euſebianis, Arianis, Pelagianis, Wikleffiſtis. Unde Queſnello, & Janſenio, veriſſimè applices quod ait S. Baſilius epiſt. 73. *Habent illi aſtutum quoddam dogma*,

Digitized by Google

dogma, ad ejuſmodi mutationes paratum; nam verbis fidei, more Medicorum utuntur pro commoditate; aliter, atque aliter ſeſe ad affectionum rationem, ac veritatem attemperantes. Et de Euſebianis S. Athanaſius in epiſt. de Synodi Nicenæ decreto contra Arianam hæreſim in principio: *Tam vario ſunt, & verſipelli-animo, quàm chamæleontes ſunt in mutandis coloribus.* Hieronymus quoque in epiſt. ad Pammachinm, & Oceanum de erroribus Origenis, hæreticam fraudem deteſtans ait, *Sic verba temperant, ſic ordinem vertunt, & ambigua quæque concinnant, ut & noſtram, & adverſariorum confeſſionem teneant, ut aliter hæreticus, aliter Catholicus audiat.* Hanc fallaciam in Janſeniſtis, & aliis recentioribus hæreticis Thomiſticas ſubinde locutiones affectantibus notarunt Salmanticenſes tract. 14. de gratia pag. 108.

3 Et quidem Janſenius ipſo, qui prior adducitur, loco Lectorem ſolicitè commonet, nè propter locutiones aliqnas ad aſſertionem ſufficientis gratiæ verbotenus accedentes, *falſum putet gratiam in eo, cui datur, ſemper operari.* Non enim ſolummodo ſemper obtinet effectum ſuum formalem, quem nullus inficiatur ſeu Catholicus, ſeu Hæreticus, cùm notiſſimum Philoſophiæ axioma ſit, cauſam formalem non poſſe deſtitui effectn formali, non poſſe ſcilicet eſſe motum in homine, & hominem non moveri; illuſtrarionem in intellectu eſſe, & hunc non illuſtrari; excitationem eſſe in voluntate, & hanc non excitari. De hoc nulla, ut dixi, ſive inter Philoſophos, ſive inter Theologos, etiam Janſeniſtas inter & Catholicos fuit unquam diſceptatio. Sed de effectu interiore, quem, ut ait Janſenius, *gratia ſemper operatur*, & non ſolùm qui per gratiam formaliter conſtituitur; ſed aliquid ipſi ſuperaddit, quod juxta Catholicos ab eo non ſolum ſeparabile eſt; ſed ſeparatur ſæpiſſimè: qnoties nempe homo gratiæ reſiſtit, impediens nè iſtum conſequatur effectum, ad quem à Deo voluntate ſeria antecedente conceditur. Vult enim Deus omnes homines ſalvos fieri, non tantùm ante peccatum Adami, ut purat Janſenins; ſed etiam poſt illud; propterea Chriſtum mittens omnibus Redemptorem, ut in hymnis canit Eccleſia, Jesu *Redemptor omnium*, quem titulum Janſeniſtæ in Gallicis Divini officii verſionibus penitùs ſuſtulerunr. Neque hæc voluntas, in multitudine hominum etiam adultorum longè maximâ, ut cum ſuis ſtaruit Janſenius, eſt nuda, & ſterilis complacentia, nihil ſufficientis gratiæ rribuens, juxta hunc Artic. 5. inter 31. ab Alexandro VIII. damnatos: *Pagani, Judæi, Hæretici, aliique hujus generis, nullum omnino accipiunt à* Jesu *Chriſto influxum; adeôque hinc rectè inferes in illis eſſe voluntatem nudam, & inermem, ſinè omni gratia ſufficienti:* ſive, ut Queſnellns loquitur Propoſit. 26. *Nulla dantur gratiæ, niſi per fidem.* Propoſ. 29. *Extra Eccleſiam nulla conceditur gratia.* Propoſ. 28. *Prima gratia, quam Deus concedit Peccatori, eſt peccatorum remiſſio.* Verùm juxta Catholicos Deus adultis omnibus præparat, & quantum ex ſe eſt, offert, ſaltèm aliquando auxilia, ſive proximè, ſive remotè ſufficientia, quibns poſſunt à Salvatore omnium hominum ulteriora, & proximè ſufficientia obtinêre.

4 Craſſiſſimus autem Janſenii error fuit, quod tam certò, & neceſſariò effectum omnem, cujus homo in illis circumſtantiis capax eſt, ex dara graria profluere exiſtimaverit, quàm effectum formalem ex ſua cauſa formali: ſic nempe ait lib. 2. de Gratia Chriſti cap. 4. *Adjutorium gratiæ ante lapſum Adæ tale erat, ut ab ipſo liberæ voluntatis nutu dependeret, ſalvaque maneret illa libertatis in utramque partem flexibilis indifferentia; nunc verò tale eſt, quod ſuapte efficaciâ faciat influere facultatem, nec ipſius libero arbitrio ſubjaceat; ſed hocipſ o, quo datur, ſimul uſus ejus, & influxus detur; ſicut hoc ipſo, quo adeſt juſtitia, ſit juſtus animus.* Eodem lib. cap. 25. *Nulla omnino Chriſti gratia effectu ſuo caret, ſed omnino efficit ut voluntas velit, & aliquid operetur; unde gratia, & bonum opus ita reciprocantur, ut, ſicut ex gratia data mox effectus operis conſecutus infertur, ita vice verſâ, ex defectu operis, gratiam non eſſe datam.* Cap. 24. *Gratiam Dei Auguſtinus ita victricem ſtatuit ſupra voluntatis arbitrium, ut non rarò dicat hominem operanti Deo per gratiam, non poſſe reſiſtere.* Ejuſdem libri cap. 1. hunc Janſenius præfigit titulum: *Tangitur natura adjutorii ſufficientis, & oſtenditur, nullum dari poſt lapſum, quin ſimul efficax ſit.* Non ſolummodo propter effectum formalem, quem conſtar neque in ſtatu innocentiæ potuiſſe à Divino auxilio ſeparari; ſed maximè propter effectum, quem gratia progignit, ſive, ut Janſenins ait, in animis *operatur*.

5 Habemus igitur conſenſionem Queſnellum inter & Janſenium; Queſnellus enim in tam multis Propoſitionibus aſſerit, gratiam ſemper producere ſuum effectum, ut Propoſitione 18. *Semen verbi, quod manus Dei irrigat, ſemper affert fructum ſuum.* Propoſ. 20. *Vera gratiæ idea eſt, quod Deus vult ſibi à nobis obediri, & obeditur: imperat, & omnia fiunt: loquitur tanquam Dominus, & omnia ſibi ſubmiſſa ſunt.* Simili modo juxta Janſenium

Digitized by Google

nium loco citato: *Gratia, & bonum opus ita reciprocantur, ut ſicut ex gratia data, mox effectus operis conſecutus infertur, ita vice verſâ ex defectu operis gratiam non eſſe datam*. Præterea, ſicut Queſnellus Propoſ. 10. ait: *Gratia eſt operatio manûs omnipotentis Dei, quam nihil impedire poteſt, aut retardare*: ita Janſenius ſupra docet, *hominem operanti Deo per gratiam non poſſe reſiſtere*. Imò oppoſitum cenſet hæreticum, & pridem in Maſſilienſibus damnatum lib. 8. de hæreſi Pelagiana cap. 6. *In hoc ergo propriè Maſſilienſium error ſitus eſt, quod aliquid primævæ libertatis reliquum putant, quo, ſicut Adam, ſi voluiſſet, poterat perſeveranter operari bonum: Ita lapſus homo credere poſſet, ſi vellet; neuter tamen abſque interioris gratiæ adjutorio, cujus uſus, vel abuſus derelictus eſſet in uniuſcujuſque arbitrio, & poteſtate*.

6 Unde fideliſſimè formata eſt, & juſtiſſimè à Pontificibus condemnata velut falſa, & hæretica Propoſitio inter quinque Janſenianas quarta: *Semipelagiani admittebant prævenientis interioris gratiæ neceſſitatem ad ſingulos actus, etiam ad initium fidei, & in hoc erant hæretici, quod vellent, eam gratiam eſſe talem, cui poſſet humana voluntas reſiſtere, vel obtemperare*. Ex hactenus deductis efficitur impoſſibilitas, ſententiam Janſenii cum Fide Catholica componendi; ſed ſibi ipſa conciliatur facillimè; nam etſi indubitatum Janſenio ſit decantatiſſimum ſuum axioma, *Quòd amplius nos delectat* (*delectatione*, ut ipſe explicat, *indeliberata*) *ſecundùm id operemur neceſſe eſt*; nunquam tamen ita placuit Janſenio inſanire, ut quamlibet gratiam ad quemlibet effectum ſufficere, vel efficacem eſſe exiſtimaverit. Sed, inquit, quoties contingit indeliberatum concupiſcentiæ motum delectatione cæleſtis gratiæ *ardentiorem eſſe, in ſolis inefficacibus* (boni) *deſideriis, hærebit animus*, deſideriis tamen deliberatis, quamvis ad præcepti obſervationem, & fugam peccati minimè ſufficientibus. Sic quoque Queſnellus in *Proteſtatione*, & *Querela* pag. 43. *Accuſor* (inquit) *quaſi non admittam gratias inefficaces, quibus re ipſa reſiſtatur, quæque ob reſiſtentiam voluntatis non omnem obtineant effectum ſibi debitum: nunquam ab iſtiuſmodi gratiarum aſſertione alienus fui, & revera eas admiſi in Obſervationibus moralibus, & alibi pluſquam vigeſies, aut etiam trigeſies*.

7 Ludum audiat Lector Janſenianum, & fallaciam deteſtetur. Juxta Queſnellum Propoſit. 10. *Gratia eſt operatio manûs omnipotentis Dei, quam nihil impedire poteſt, aut retardare*. Multæ iſtiuſmodi Propoſitiones ſunt, quas ſuis locis de errore, & manifeſtâ hæreſi non unâ convicimus, de ſublata omni gratia ſufficienti, de invecta præceptorum obſervatione impoſſibili omnibus, qui ea tranſgrediuntur, de eliminata ex humanis actibus libertate, & quidem in Prop. 10. quam ex pluribus ſpeciminis tantum cauſâ ſeligo, evidentiſſimum eſt, nullam gratiam effectu ſuo deſtitui, neque ejus efficaciam ullis poſſe humanis viribus, nullâ pravitate voluntatis infringi. Si enim omnis *Gratia*, ut definitio, & quævis illimitata aſſertio dogmatica univerſali æquivalet, *eſt operatio manûs omnipotentis Dei, quam nihil impedire poteſt, aut retardare*. Si *Deus ipſe* Prop. 23. *Nobis ideam tradidit omnipotentis operationis ſuæ gratiæ, eam ſignificans, per illam, qua creaturas è nihilo producit, & mortuis reddit vitam*, quomodo Queſnellus admittit gratias inefficaces, quibus re ipſa reſiſtatur, quæque ob reſiſtentiam voluntatis non omnem obtineant effectum ſibi debitum? Creatio, & reſuſcitatio hominum nullo modo ipſis libera eſt, eam neque impedire poſſunt, neque ullatenus retardare; ſi talis ſit omnis gratiæ operatio, quid libertatis ea nobis circa opera ſalutifera reliquum faciat, nemo Catholicus capiet. Neque capit, quidquid ad fallendum ſimulet, hæreticus. Quoniam tamen Queſnellus, exemplo Janſenii, cujus ſe vindicem profitetur, gratias modo nobis occinit inefficaces, quibus ob reſiſtentiam voluntatis non omnis obveniat effectus, quantumvis debitus, myſterium iniquitatis breviter, ſed apertiſſimè revelandum eſt, & omnis ejus concilianda profeſſio.

8 Omnis apud novos Theologos gratia eſt efficax, & inſuperabilis, quoad effectum ob quem Divina bonitate tribuitur: efficacitas autem non abſoluta, ut prædeterminationis phyſicæ, eſt; ſed relativa, prout majori, vel minori opponitur concupiſcentiæ. Ita Janſen. lib. 8. c. 2. cujus ſuperiùs verba dedimus. Et tamen etiam vidimus Janſenium locis pluribus aſſerentem omne in hoc ſtatu auxilium certiſſimè efficax: Sic ait lib. 2. cap. 24. *Simul ac pulſat fores, rumpit oſtia, repugnantemque domat voluntatem, tollit omnem ejus reſiſtentiam*. Ibidem perſuadere nititur, *hominem operanti Deo, per gratiam non poſſe reſiſtere*: Nè verò putes novæ ſectæ Principem ſibi contraria docuiſſe, Arnaldus Queſnelli Magiſter duabus prægrandibus Janſenium defendit Apologiis, quibus fraudulentiore titulo *Traditionis Eccleſiæ*, ejuſque *defenſionis* quatuor ſuperaddidit Queſnellus: ſic autem in novæ Theologiæ ſyſtemate omnis contradictionis ſpecies diſſolvitur: *Singuli gratiæ gradus ſemper in nobis obtinent, id quod per illos vult Deus,*

juxta Compendium Theologiæ à Queſnelli cliente Lovanii editum, & poſt Romanam condemnationem à Queſnello in mendaci *Eccleſiæ defenſione* propugnatum. *Compendii* autem iſtius videri poteſt pertinens 5.ad.1.2. ante pag.29. Quomodo igitur, inquies, *Queſnelli proteſtatio* vocat *gratiæ debitos* illos operationum gradus, quos Deus non *vult*? Debebantur gratiæ ſecundùm ſe ſpectatæ, & ab ea obtinendæ, ſi nullus obſuiſſet concupiſcentiæ motus, vel ſi is debilior fuiſſet, quàm cœleſtis auxilii ſuavitas. Sed Deus gratiam in iis tribuit circumſtantiis, in quibus vidit carnis concupiſcentiam ardentiorem, & ulteriores gratiæ effectus invictiſſimè impedituram. Unde gratia tunc ſoli eſt idonea excitandæ velleitati: hanc ſolam vult Deus in hac circumſtantia elici. Ita facilè componuntur quæcunque in Queſnelli & Janſenii doctrina videntur invicem adverſari. *Gratiam*, juxta Propoſit. 10. *nihil impedire poteſt, aut retardare*; ſubintellige à producendo omni effectu, cujus hic, & nunc capax eſt, attento concurſu majoris, minoriſve concupiſcentiæ terrenæ, & Divinæ voluntatis beneplacito. Attamen, ut ait Janſenius lib.2. de gratia Christi, cap. 27. *Sæpe homines à Divinæ gratiæ interna ſuaſione, & inclinatione diſſentiunt*, ſive ut Queſnelli habet proteſtatio, pag. 43. dantur *Gratiæ inefficaces, quibus reipſa reſiſtitur, quæque ob reſiſtentiam voluntatis non omnem obtinent effectum ſibi debitum*. Verùm neque Deus juxta novos iſtos Theologos voluit, ut ullus eorum, qui ſuaſioni, & inclinationi gratiæ diſſentiunt, conſenſum præberet: neque ullus illorum potuit diſſenſionem ſuſpendere, vel denegare; ſed neque alliciente fortiore concupiſcentiâ, non reſiſtere gratiæ, neque ullum, etiam minimum operationis gradum cum gratia efficere, ultra eum, quem re ipſa præſtitit.

9 Ita Queſnellus cum omni ſua proteſtatione, & querelarum doloſiſſima machina nulli unquam ſenſato homini perſuadere poterit, quod ullus mortalium in hoc ſtatu vel reſiſtere valuerit gratiæ Queſnellianæ, cui præbuit aſſenſum, vel quod potuerit eum præbere, cui negavit. Caverit porrò Queſnellus gratias admittere ita inefficaces, ut non obtineant conſenſum aliquem deliberatum, qui ſaltèm velleitas ſit, & gratiæ adeò conformis, ut voluntas humana, omni conatu maximo, hìc & nunc poſſibili, non potuerit conſenſum ei concedere perfectiorem. Hæc eſt novæ Scholæ, novæ Eccleſiæ doctrina ſingularis, Scripturis, Patribus, Scholaſticis hactenus ignota, Summorum Pontificum definitionibus minimè conſentanea. Quod ſi ignorat Queſnellus, oret Deum, ut cæcitatem, qua in præceps ducitur, auferat; ſed magis precibus ſolicitandus eſt Deus, ut voluntatis duritiem emolliat, cùm longè veriſimilius ſit, converſionis obicem non adeò eſſe veritatis ignorantiam, quàm pertinaciam voluntatis: non adeò defectum luminis, quàm Chriſtianæ demiſſionis, & obedientiæ, quæ ad captivandum intellectum in obſequium fidei ſemper neceſſaria eſt.

FINIS TOMI PRIMI.

MO-

MONITUM.

C*Onſutavimus hactenus, Benigne Lector, triginta ſeptem priores Queſnelli Propoſitiones, quæ ſunt de efficacitate gratiæ; ſequi hic debebat confutatio cæterarum uſque ad quadrageſimam tertiam, quæ ſunt de defectu Liberi arbitrii ſinè gratia; ut ita huic primo Tomo tota Operis prior Pars, juxta partitionem ſub initium aſſignatam, includeretur. Verùm in gratiam Typographi, quæ hìc deſiderantur Propoſitiones ſex, rejectæ ſunt ad Tomum ſecundum, quem quantociùs, favente* DEO, *& Typothetarum diligentiâ, prodituram confidimus.*

INDEX

I N D E X
CAPITUM, ET DOCTRINÆ
In his contentæ Synopſis.
P A R S P R I M A
Quæ verſatur circa Conſtitutionis Exordium, & priores quadraginta tres
PROPOSITIONES DE GRATIA.
De Conſtitutionis Exordio
CAPUT UNICUM.
Sua dignitas, & æquitas ei aſſeritur. col. 1.

IN Decretis Pontificiis elucet ſapientia, gravitas, ſententiarum delectus &c. Exordia materiæ attemperata ſunt col. 1. Dolet Queſnellus, tam congruis ſe perſtringi ſententiis: mallet ſe, ſuoſque inſulſis phraſibus excipi, vulgi ludibrio propinandis. In Conſtitutione *Unigenitus*, præter acrimoniam accuſat orationem nimis ornatam, quaſi, quæ à privato Rhetore compoſita, ultra privatam authoritatem non habeat. Id ſi verum eſt, jam pleraque Principum edicta, leges, literæ robur amittent: hæc enim à privatis compoſita, ſiunt Principum, mox ut iis manum, & ſigillum apponunt. col. 2 & 3.

Quanquam ea ſit in hodierno Pontifice cultura ingenii, ut quæ ejus nomine decreta prodeunt, etiam ſtylo promi potuerint. col. 3.

Non ferunt Queſnellus, & Queſnelliani deſignari ſe appellatione falſorum Prophetarum, Magiſtrorum mendacium, luporum ſub ovina pelle &c. Contendunt hæc abhorrere à CLEMENTIS XI. manſuetudine. An ergo reprehendendus Leo X., qui Lutherum; Alexander VII., qui in pluribus occaſionibus Janſeniſtas; Polycarpus, qui Marcionem; Chriſtus ipſe, qui Scribas, & Phariſæos acrioribus verbis caſtigarunt? Nonne Paulus commendat Tito, ut Novatores increpet durè? col. 3. & 4.

Et qua tandem fronte, aut æquitatis ſpecie duriùs ſecum agi queritur Queſnellus; reprehenſiones omnes, & ſingulas tot pernicioſis dogmatibus, tot ſeditioſis, ſchiſmaticis, & impiis ſcriptis promeritus? col. 4. 5. & 6.

At, inquit, Pontifex ſcrutari præſumit intimos animi ſinus ſoli Deo pervios; Cùm tamen Eccleſia de internis non judicet. Verùm an aliam legem ignorat, qua decernitur, malum, & damnum illatum ſemper præſumi malo animo, niſi probetur contrarium, vel prævaleat alia præſumptio, qualis hic nulla opponi poteſt? col. 7.

An Alexander VII. timabatur corda, cùm Janſeniſtas *filios iniquitatis*; An Leo X. cùm Lutherum *Aprum de ſylua, Magiſtrum introducentem ſectas perditionis &c.* appellavit? col. 7.

De internis citra temeritatem judicat Eccleſia, cùm per indicia manifeſta ſe produnt. Fuitne temeraria Synodus Conſtantienſis, edicens Vvicleffum fuiſſe Pſeudo-Chriſtianum, Hæreticum pertinacem, in hæreſi deceſſiſſe, & diſtringens ſententiam in Joannem Huſs &c.? col. 8.

Comparatio Hæreticorum cum lupis longo uſu in Eccleſia recepta eſt. Adhibetur à SS. Hieronymo, Bernardo, Ambroſio, Auguſtino. col. 9.

Nullus Queſnello pronior in divinandis, hoc eſt, confingendis alienis cogitationibus. Eam Pontificibus, Baji, & Janſenii errores damnantibus, mentem tribuit, qua omnes eorum definitiones reddantur inutiles; talem affingit Alexandro VIII., ut damnando propoſitiones 31. aerem verberet. col. 9. & 10.

Nullus item facilior in conjectando Jeſuitarum animo; ſed in hos licent omnia: ab his gradus ſit ad ſcrutandas Romanæ Curiæ, & ipſorum Pontificum intentiones, mores, acta &c. ut patet ex ejus Apologia contra priorem *Obſervationum Moralium*, & Novi Teſtamenti ſui Gallici condemnationem, refertâ probris, calumniis &c. contra Sedem Apoſtolicam, ejuſque Miniſtros. col. 10. 11. 12. 13. & 14. Quæ non illic ſatyræ contra virum pietate, & eruditione conſpicuum, cui Pontifex examen libri commiſerat, & contra univerſam Miſſionum extranearum Congregationem, cujus laudatus vir membrum eſt? col. 14.

A petulantiſſima ſatyra ad planctum deſcendit, deplorans authoritatem Sedis Apoſtolicæ temerè expoſitam, cauſæ implicatam peſſimæ &c. Hinc ad preces convertitur, nè Deus puniat cenſuræ Authores; quanquam timeat, nè tanti criminis ultio ſit indeprecabilis. col. 14. & 15.

Juxta illum tale Decretum citra piaculum recipi non poteſt. col. 15.

Patheticè declamat contra libri ſui combuſtionem eodem Decreto imperatam, quia Sacer Textus Latinus verſioni ſuæ Gallicæ junctus eſt; quaſi ille ab hac ſeparari debuerit, nè utrumque flamma conſumeret. Stulta criminatio: Quis Hæreticorum liber non aliquos habet ſinceros Scripturæ Textus: An libro parcendum erit, nè intermixti Textus ſimul uſtulentur? Nemo neſcit tali combuſtione aliud non intendi, quàm ne à peſtifero libro lectoris fides afficiatur. col 16.

Perinde ineptè quaſi atrocis calumniæ idem Decretum accuſatur, quòd in eo damnetur liber *Obſervationum Moralium*, veluti Sacrum ipſum novi Teſtamenti Textum exhibens damnabiliter, nec ſinè auſu temerario vitiatum; quaſi id de Latino Textu, non de Gallica verſione intelligendum ſit: Gallicam enim Scripturæ verſionem, præſertim dum gloſſæ, vel animadverſionibus componitur, venire nomine Textûs Sacri nullus eſt, qui ignoret. Aliàs Biblia noſtra Latina, non niſi quoad partem exiguam Textus Sacer forent col. 16. Quam verè autem hæc Queſnelliana verſio dicatur vitiata, videri poteſt cap. 16. Proleg.

Diſplicet etiam Queſnello, ejuſque ſequacibus in Exordio Bullæ *Unigenitus* impiam ſuam detegi molitionem, errores ſuos obvolvendi Scripturarum ſententiis Quæ ſaluberrima Summi Paſtoris cautela traducitur à Queſnellianis, ut cenſura in ovium fraudem, quaſi hoc pacto carituræ ſint præcipuo pietatis ſubſidio &c. Unde Queſnellus mox inferet, ut aliàs intulit, Decretum hoc eſſe irritum, & nullum omni genere nullitatis &c. col. 17.

Quæ enim ab eo ſperanda ſit obedientia reſpectu Bullæ *Unigenitus*, liquet ex ſchiſmatica ejus in eam *Querela*, *& Proteſtatione*, cujus innumeris exemplaribus quaquaverſum diſſeminatis, ne parùm certum ſit eſſe Queſnelli, propria manu ſubſcripſit. Quam illius temeritatem nemo mirabitur, qui noverit, cum ab annis plus quàm 30. de omni Decreto tàm civili, quam Eccleſiaſtico ſo-

a litum

Digitized by Google

litum dicere : *eſſe ſinè ulla ratione, & forma debita, contrarium veritoti, & æquitati; irritum, & nullum &c.* col 17. & 18.

De libri eaamine: de Theologiæ Magiſtris, quibus commiſſum eſt : de peritiſſimis controverſiarum Cardinalibus, eoram quibus inſtitutum : de Congregatiooibus, in quibus pluriès reſumptum eſt : de tempore, quod ad quadriennum tenuit : de impeoſa diligentia : de ipſiusmet Pontifieis doctiſſimis in ſingulas Propoſitiones animadverſiooibus mann propria exaratis : de tenenda firmiter, quam in Exordio proponit, contra Novatorum fraudes monitione, vide col. 18. 19. & 20.

PRIMA PROPOSITIO DAMNATA.

Quid aliud remanet animæ, quæ Deum, atque ipſius gratiam amiſit, niſi peccatum, & peccati conſecutiones, ſuperba paupertas, & ſegnis indigentia; hoc eſt generalis impotentia ad laborem, ad orationem, & ad omne opus bonum? *Obſ. Moral. Luc. 16. v. 3.*

CAPUT I.

Æquitas damnationis oſtenditur. col. 21.

SEnſus damnati Articuli hic eſt: Animâ mortaliter peccante, nihil in ea remanet donorum cœleſtium; ſed solùm *peccotum, & peccoti conſecutiones, ſuperba paupertas &c.* Unde

Sequitur primò, Per peccatum mortale amitti fidem, & ſpem, contra ac definit Trid. ſeſſ. 6. de juſtific. can. 28.
„ Si quis diaerit amiſsâ per peccatum gratiâ, ſimul & fi-
„ dem ſemper amitti . . . anathema ſit. „

Sequitur ſecundò, peccatorem ad amiſſam juſtitiam redire non poſſe, cùm peccati ſtatum ſemper comitetur *impotentiu ad omoe opus bonum*, adeòque ad pœnitentiam, ſiè qua non reſtituitur amiſſa juſtitia. col. 21.

Sequitur tertiò, inutiliter à Scripturis præcipi pœnitentiam, operationem ſalutis, orationem &c. exiſtente in peccatore generali impotentia *ud laborem, ad orotionem, & ad omne opus bonum.* col. 21. & 22.

Sequitur quartò, peccatorem in omnibus actibus peccare: nam juata Queſnellum oon dantur actus indifferentes in individuo. Vide Prop. 44 & 45., & juxta præſentem Articulum in peccatore nihil *remanet, niſi peccotum, & peccati conſecutiones, ſuperbo paupertas &c., & generalis impotentiu o d omee opus bonum.* Quæ doctrina conſentit damnato Articulo 16. Joanois Huſs: *ſi homo eſt vitioſus, & quidquam ugat, tuoc vitioſè ugit*: Item 35. & 40. ioter 79. damnatas à S. Pio V., Gregor. XIII., & Urbano VIII. *Omne, quod agit peccator, vel ſervus peccoti, peccatum eſt. Iu omnibus ſuis octibus peccator ſervit dominanti cupiditati*; & quidem oeceſſariò ſervit: nam juata Queſnellum impotens eſt ad omne opus bonum, adeòque ad amorem Dei. Atqui per Propoſ. ejus 45. *Amore Dei iu corde peccotorum non ampliùs regoante, neceſſe eſt, ut iu eo carnalis regnet cupiditus, omneſque actiones ejus corrumpot.* Tamen fide certum eſt ex Tridentio. ſeſſ 6. can. 29. eum, qui poſt Baptiſmum lapſus eſt, poſſe per Dei gratiam reſurgere &c. col. 22.

Præſentis Propoſitionis error ex ipſo Auguſtino revincitur. Hoc enim teſte, Gentiles Romani & civiles habuere virtutes, & propter has à Deo (qui certè non remuneratur peccata) promeruere Imperium : nec ſolis civibus, ſed & hoſtibus (eaccepto Dei cultu) imitandi meritò proponontur. Juxta eundem ſunt in
„ impio aliqua opera bona, ſinè quibus difficillimè vita
„ cujuslibet peſſimi homiois invenitur „ Quanquam, ut præmiſerat, „ ſi diſcutiantur, quo fioe fiant, vix inveniun-
„ tur, quæ juſtitiæ debitam laudem, defeoſionemque me-
„ reantur, „ inoueos utique, licèt vix inveniantur, inveoiri tamen. col. 22. & 23.

Ea eadem Propoſ. ſi hæc verba *quid alind remanet animæ &c.* in rigore ſumantur,

Sequitur quintò, in peccatore perire dona omoia ſupernaturalia, adeòque ipſum, quo inſignitus erat, characterem ſive Baptiſmi, ſive Confirmatioois, ſive Ordinis: Ita deſioet eſſe Chriſtianus, Sacerdos &c. Sic confirmabitur Articulus 30. Joaonis Huſs : *Nullus eſt Prælatus, nullus eſt Epiſcopus, dum eſt iu peccato mortoli &c.* cui faveot plures Queſnellianæ Propoſitiones à 72. ad 78. ubi ſoli juſti dicuntur membra Eccleſiæ. col. 23.

Fundamentum erroris ſui arripuit Queſnellus ea illo Lucæ 16. „ Quid faciam? quia Dominus meus aufert à me
„ villicationem: fodere non valeo, mendicare erubeſco „
Cùm tamen finis, & ſenſus parabolæ ſit, juxta communem Interpretum, divitiis ſobriè, ac juſtè utendum; erogandas ea iis eleemoſynas, ut pauperum patrocinio, ademptâ nobis in morte villicatione, recipiamur in æterna tabernacula. col. 23. & 24.

Non igitur ſermo eſt de iis rebus, quibus juſtus privatur, dum peccat, neque de ejus tum virium defectu; ſed de privatione, & impotentia, quæ eſt in vitæ termioo, quando univerſæ villicationis reddenda eſt ratio, non poſſeſſio: Villicus enim, dum vivit & valet, victum lucrari poteſt, quæque hic ab eo allegatur fodiendi impoteotia, eſt impropriè dicta, & conſequens; quia piger fodere non volt. Unde Chryſ. *Quomodo ergo multi non poſſunt?* Reſpondet : *Quomodo ergo multi non volunt? ſi enim voluerint, omnes poterunt.* col. 24.

Si Queſnelliana temeritate Scripturæ parabolas interpretari libeat, nulla eſt, unde non plurimi errores ſcaturire poſſiot; v.g. ea hac; eadem facilitate, nec minùs ſpecioſo argumento concludes, licitum eſſe ſurripere aliena ad dandas eleemoſynas; Reprobos à Chriſto rejectos, ab aliis Sanctis in cœlum recipiendos &c. col. 24.

Hæc eſt ſcilicet profana licentia, quæ tot errorum monſtris Orbem implevit; hic ardor obtrudendi mulieribus Codices ſacros, brevi enthymemate hioc ad hæreſes transferendis. col. 25.

CAPUT II.

Adverſarii objecta diluuntur : præcluditur effugium : Catholica veritas uberiùs declaratur. col. 25.

VErba ſubnexa can. 25. Concilii Arauſicani, quæ hic objicit Queſnellus, aliud non dicunt, quàm quòd poſt peccatum primi hominis *Nullus oot diligere Deum,* SICUT OPORTET, *aut credere iu Deum, aut operari propter Deum, quod bonum eſt poſſit, niſi gratia eum & miſericordia Divina prævenerit.* Quis hoc Catholicus neget? At juata damnatum Articulum quævis anima, quæ Deum, atque ejos gratiam, ſeu amicitiam amiſit, relinquitur iu generali impoteotia ad laborem, ad orationem, & ad omne opus bonum, adeòque ſioè omni auxilio ſufficienti ad opus ſalutiferum præſtandum; quod cùm Syoodus Arauſicana minimè dicat, perperam in damnati erroris ſubſidium allegatur, col. 25.

Quem ut Queſnellus mitiget, videtur damnati Articuli nativum ſenſum alioſum velle detorquere : quaſi *omittere Deum, otque ipſius grotiam*, hic non dicatur quiſquis diviná amicitiâ, & gratiâ ſanctificante peccando excidit; ſed is ſolùm, qui omoi actuali auailio in peccati pœnam privatur. Verùm quomodo actualis gratia peccato dicetur amiſſa, quæ nondum poſſidebatur? At Dei amicitia, quæ in gratia ſanctificaote fundatur, ut propriè poſſidetur, ita propriè peccando amittitur, & veritati rei congruit ſermonis proprietas. col. 26.

Præterea verum non eſt, peccatores ullos ita à Deo deſeri, ut, dum rationis compotes ſupervivunt, nulla eis ad reſipiſcendum gratia ſufficiens offeratur : ut infra innumeris teſtimoniis comprobabitur. Breviter juxta, ac dilucidè S. Th. p. 3. q. 52. a. 6. ad 3. „ Homioes, quamdiu
„ vivont, poſſunt ad fidem, & charitatem converti : quia
„ in hac vita noo ſunt homines confirmati in bono, vel
„ malo, ſicut poſt exitum „ & Chriſtus Matth. 11. v. 29.
„ Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, &
„ ego reficiam vos: „ Quibus fruſtra Queſnellus opponit hæc alia ejuſdem Servatoris verba: *Sinè me nihil poteſtis facere*: Qui enim dicit, ſinè ipſo nihil nos poſſe, idem etiam promiſit daturum ſe nobis, vel oblaturum, unde poſſimus. col. 26.

Citat deoique pro ſe Queſnellus Ludovicum Granatenſem

Digitized by Google

ſem p. a. Memorialis, ubi ait, primum hominem poſt peccatum *nullum prorſus ad juſtitiam gradum facere potuiſſe* ſinè Divina gratia: Quod ſanè veriſſimum eſt: At quomodo hinc ſequitur, animæ mortali crimine ſauciæ nihil ſupereſſe, *niſi peccatum . . . & generalem impotentiam ad laborem, ad orationem, & ad omne opus bonum?* col.26. & 27.

Nonne oppoſitum evincit converſio Ninivitarum Jonæ 3. quorum malitia ad Deum aſcenderat Jonæ 1.? Item pœnitentia Achabi, qui venumdatus eſt, ut faceret malum in conſpectu Domini. Reg.3. c. 21.? Hinc S. Auguſtinus homil. 43. c. 6. ,, Incumbite ergo orationibus ,, peccatores: confitemini peccata veſtra: orate, ut depellantur: orate, ut minuantur: orate, ut vobis proficientibus, ipſa deficiant . . . . nolite deſperare &c ? ,,

Oppoſitum etiam evincunt Obſtetrices Ægyptiæ, quibus, ut ut Idololatris ,, benè . . fecit Deus . . . & quia timuerunt . . . . Deum, ædificavit eis domus ,, Exodi 1. Unde neceſſe eſt, ut bonum operatæ fuerint; Deus enim mala præmio remunerari non poteſt. Hinc S Th. 3.par. q. 89. a.2. ad 3. ,, Dicendum, quòd Deus recordatur ,, bonorum, quæ quis facit in ſtatu peccati, non ut remu ,, neret in vita æterna, quæ debetur vivis operibus, ideſt ,, ex charitate factis; ſed remunerat ea temporali remu ,, neratione,, v col.27. 28. 29. ubi in eamdem rem plura invenies teſtimonia.

SECUNDA PROPOSITIO DAMNATA.

JESU Chriſti gratia, principium efficax boni cujuſcunque generis, neceſſaria eſt ad omne opus bonum: abſque illa non ſolùm nihil fit; ſed nec fieri poteſt. *Obſerv. Moral. Joan.15. v.5.*

CAPUT I.

Propoſitio adverſatur Scripturis Sacris. col. 30.

Monitum: *Ut faciliùs inveniantur ea, quæ in ſequentium Capitum Synopſi indicantur, ſignabuntur numeri, in quos ipſius Operis capita deinceps diſtinguuntur.*

I. PRopoſitionis ſenſus, ut per ſe patet eſt, non ſolùm nihil fieri reipſa, ſed nec fieri poſſe ſinè gratia efficaci, ideſt obtinente effectum. Nullus itaque virtutis actum, etiam præceptum, elicere potuit, quem omiſit, aut vitare peccatum, quod commiſit. Abfuit enim gratia efficax, cum qua certò impetrata feciſſet, ut ex terminis notum eſt, & ſinè qua facere non potuit, ut aſſerit hæc Propoſitio. Igitur

II. Contra Apoſtolum ad Rom.1.v.19 Excuſabiles erunt Gentiles, quod Deum, ex creaturis agnitum, non ſicut Deum glorificaverint: defuit quippe gratia efficax, ſinè qua, ſi Queſnello credimus, nihil boni facere poſſumus.

III. Injuſtè execratur Apoſtolus 1. ad Cor. 16. *Qui non amat Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum*, utpote quem deſtitutus gratia efficaci amare non potuit.

IV. Quo jure Chriſtus exprobrabit impiis Matth.25.quòd opera miſericordiæ prætermiſerint, cùm unde ea præſtarent, non habuerint: nam, ut rectè Ennodius Ticinenſis l.2. ep.19. ,, Inter homines à recti diſcordat affectu, ,, qui à ſubjectis exigit, quod in poteſtate non tribuit. Hoc ,, de Deo qua conſcientia ſentiatur, attende. ,,

V. Si vera ſit damnata Propoſ. pleræque Scripturarum invitationes, præſertim ad ſalutem, & pœnitentiam, erunt fallaces, utpote reſtringendæ ad paucos, quæ diriguntur ad univerſos. Quotquot enim converſi non ſunt, nec ſalvati (quorum præ ſalvandis longè major eſt numerus) nec converti potuere, nec ſalvari, ſi damnatum dogma ſubſiſtat. Unde S.Thom. in ep.1.adCor.c.1.lect.1. ,, Non videretur eſſe fidelis Deus, ſi nos vocaret ad ſocie- ,, tatem filii, & nobis denegaret, quantùm in ipſo eſt, ea, ,, per quæ pervenire ad vitam poſſemus,, Itaque

VI. Juxta Queſnellum, nec Chriſtus dicere debuiſſet: *Venite ad me omnes, qui laboratis &c.* ſed Venite ad me pauci, quibus gratia efficax obtigit: Nec Deus tam multos vocare potuiſſet ad filii nuptias, nec iraſci ſe excuſantibus, ſi horum nullus venire potuerit; Et tamen, teſte Aug. lib. 83. qq.q.68. *ut venirent, vocati erant in libera voluntate.*

VII. . . IX. Nec verè diceretur Deus 2.Petri 3.v.9. *nolens aliquos perire, ſed omnes ad pœnitentiam reverti*, ſi ſoli, & pauci reverti poſſint, qui efficaci gratia donantur. Vide hic plura in hanc rem.

X. Injuſtè exprobraret Deus Iſaiæ 5. v.4. *Quid eſt, quod ultra debui facere vineæ meæ, & non feci ei?* Opimam enim indicaret culturam, cùm tamen defuiſſet neceſſaria, ſinè qua nihil uvarum gigni poteſt. Quadrat hic allegatus locus Cyrilli Alexandrini.

XI. Quomodo quinque Virgines dicuntur fatuæ, ſi vaſis oleum defuerit non negligentiâ, ſed impotentiâ?

XII. Apoc.3 v.20. *Ecce*, inquit Deus, *ſto ad oſtium, & pulſo: ſi quis audierit &c.* Quis prudens ad ejus ſtet, & pulſet ædes, quem ſcit aperire non poſſe?

XIII. Quid probri Judæis Act.7.quòd ſemper Spiritui Sancto reſiſtant, ſi abſque efficaci auxilio, ei cedere non potuerint?

XIV. Qua ratione Chriſtus 1.Joan. 2. v 2. dicitur *propitiatio non pro noſtris* peccatis *tantùm, ſed etiam pro totius mundi*; Item 1. Tim.4. v. 10. *Salvator omnium hominum, maximè fidelium*? Reclamabunt infideles, obdurati, reprobi omnes, quibus nihil gratiæ vel conceſſum, vel oblatum eſt, quo ad fidem, pœnitentiam, & ſalutem pertingerent.

XV. Nihil Queſnello præſidii eſt in hoc Lucæ 16. v. 3. *Sinè me nihil poteſtis facere:* Ut enim verum eſt, nullum ſinè gratia poſſe ſalutariter operari, ita falſum eſt, ad hoc requiri efficacem. Adde boni aliquid naturalis, & honeſti fieri poſſe citra gratiam.

CAPUT II.

Eadem Propoſitio contraria eſt traditioni Patrum. col.34.

Ex numeroſa authoritatum ſerie pauca delibamus.

II. JUſtinus Apol. ad Antoninum Imp.,, Niſi libero ar- ,, bitrio genus humanum, & res turpes fugere po- ,, teſt, ac bonas ſequi, extra cauſam, culpamque eſt eo- ,, rum, quæ modo aguntur.,, Juxta Queſnellum genus humanum quoties caret gratia efficaci, ſivè quoties res pulchras, & bonas non ſequitur, eas ſequi non potuit; nec tamen extra culpam eſt.

IV. Irenæus l.4.adverſus hæreſes ſic concludit caput 71. ,, Hi autem, qui illud (bonum), non operantur, judicium ,, juſtum recipient Dei; quoniam non operati ſunt bonum, ,, cùm poſſent operari illud ,, Queſnellus docet hos, qui bonum non operantur, judicium juſtum recepturos Dei; etſi bonum operari non potuerint defectu gratiæ efficacis.

VIII. Methodius ſerm. de Reſurrectione ,, In nobis ſi- ,, tum eſt credere, & non credere; in nobis rectè facere, ,, & malè facere.,, Queſnellus in ſolis fidelibus, & quidem tunc tantùm, cum actu credunt, agnoſcit credendi poteſtatem, uti & benè faciendi in iis ſolis, qui benè faciunt, nec aliàs, quàm dum benè faciunt.

X. S.Athan. hom. de Semente ,, In te ſitum eſt, velisne ,, teipſum lolium fieri, & pabulum brutorum animalium; ,, an potiùs in frumentum mutari.',, Quod ad omnes extendit Athanaſius, reſtringit Queſnellus ad ſolos efficaci gratia donatos, ut poſſint in frumentum mutari; cùm cæteri impedire non poſſint nè lolium fiant, & pabulum brutorum.

XVI. S. Hieron. lib.2. contra Jovinianum c.2.,, Liberi ar- ,, bitrii nos condidit Deus, nec ad virtutes, nec ad vitia ,, neceſſitate trahimur: alioquin ubi neceſſitas eſt, nec ,, damnatio, nec corona eſt.,, Juxta Queſnellum damnatio eſt, ubi vitandi peccati poteſtas non eſt, adeòque ubi eſt vera peccandi neceſſitas; in omnibus ſcilicet præceptum virtutis opus prætermittentibus; utpote efficaci gratia carentibus, ſinè qua non ſolùm nihil fit, ſed nec fieri poteſt.

XVII. In eamdem ſententiam loquitur Chryſ. hom.22. in Gen.,, Nonne manifeſtum eſt ſua quemvis voluntate, ,, vel

Digitized by Google

,, vel virtutem, vel malitiam eligere? Nam niſi ita eſſet, &c, ,, ſi naturæ noſtræ pravitas inſita eſſet, neque illos puniri, ,, neque illos virtutum retributiones accipere oporteret,,

XXIV. S. Auguſtinus, præter alia, quæ vide ſis num. 20. 21. 22. 23. & 25. lib. de Fide contra Manichæos c. 9. ,, Quis enim, inquit, non clamet, ſtultum eſſe præcepta ,, dare ei, cui liberum non eſt, quod præcipitur, facere; ,, & iniquum eſſe, eum damnare, cui non fuit poteſtas juſ- ,, ſa complere?,, Damnat verò Queſnellus omnes præcepta opera non implentes, licèt implere non potuerint defectu gratiæ efficacis.

XXIX. Author opuſc. de vocat. gentium l. 2. c. 22.,, Certiſſimè noverimus, nullum fidelium a Deo diſcedentem ,, relinqui, neque cujuſquam ruinam ea Divina eſſe con- ,, ſtitutione diſpoſitam.,, At ex Queſnelliano errore ſequitur, omnes, etiam fideles, dum præcepta non implent, magis propriè a Deo relinqui, quam à Deo diſcedere; cùm in bono perſeverare non poſſint ſinè gratia efficaci, qua carent, & ſinè qua *nihil boni fieri poteſt*.

XXXVI. Claudat agmen illuſtris locus S. Odonis Abbatis Cluniacenſis l. 2. Coll. num. 23.,, Neque enim juſtus ,, (Deus) qui poſſe dedit, impoſſibile aliquid imperare ,, poteſt; neque qui pius eſt, hominem condemnare pro ,, iis, quæ vitare non poteſt. Et quomodo ſtaret, quod ip- ,, ſe perhibet, jugum meum ſuave eſt? Hanc itaque nec ,, juſto iniquitatem, nec pio crudelitatem adſcribamus,,. Adſcribit tamen Queſnellus docens, ſinè gratia efficaci, qua indubie carent, qui peccant, non poſſe præcepta impleri; ob quorum tamen inevitabilem omiſſionem damnandi ſunt.

His Patribus ſuffragantur ſequentes, quos tantùm indicabo, citatis numeris conſulendos. I Author lib. recogn. II., V. Irenæus. VI., VII. Cyprianus. IX. Lactantius. XI. Athanaſius. XII. Ephrem Syrus XIII. S. Baſilius. XIV. S. Epiphanius. XV. Gregor. Nyſs. XVIII., XIX. Chryſ. XXVI. S. Paulinus XXVII., XXVIII. Cyrillus Alexandrinus XXX, XXXI. Ennodius Ticinenſis. XXXII. Greg. Magn. XXXIII., XXXIV. Damaſcenus. XXXV. Anſelmus, & plures ibidem citati.

CAPUT III.

Eadem Propoſitio damnata adverſatur definitionibus Conciliorum. col. 40.

I. EX Arauſic. can. 7. & 9. Catholicis certum eſt, ſine Chriſti gratia nullum opus ſalutare fieri poſſe.

II. Queſnelli doctrina his non contenta limitibus, exigit non modò ad actionem; ſed & ad agendi poteſtatem auxilium gratiæ, non qualecunque; ſed efficax. Quod adverſatur imprimis citato Arauſ. can. 25.,, Hoc etiam ſecun- ,, dùm Fidem Catholicam credimus, quòd acceptâ per ,, Baptiſmum gratiâ, omnes baptizati, Chriſto auxiliante, ,, & cooperante, quæ ad ſalutem pertinent, poſſint, & ,, debeant, ſi fideliter laborare voluerint, adimplere.,, Non omnes baptizati, & juſti implent præcepta; carent ergo gratia efficaci: & tamen dicuntur hic omnes poſſe implere; ergo poſſunt ſinè gratia efficaci; modò habeant ſufficientem, quod Queſnello adverſatur.

III. Conc. Valentinum III. ait,, Nec ipſos malos ideo ,, perire, quia boni eſſe non potuerunt; ſed quia boni eſſe ,, noluerunt.,, Juxta Queſnellum nullus adultus potuit eſſe bonus, qui malus eſt; nullus ſalvari, qui perit, defectu ſcilicet gratiæ efficacis, qua caruit, & ſine qua nihil boni fieri poteſt.

IV. Conc. Lateranenſe ſub Innoc. III. cap. Firmiter,, Si ,, poſt ſuſceptionem Baptiſmi quiſpiam relapſus fuerit in ,, peccatum, per veram pœnitentiam ſemper poteſt repa- ,, rari.,, Non igitur ſoli habentes gratiam efficacem; ſed omnes, etiam qui non convertuntur, poſſunt veram pœnitentiam agere, ſufficiente præſtita, vel oblato ſubſidio.

V. Trident. ſeſs. 6. de juſtif. c. 11.,, Nemo temeraria il- ,, la ... voce uti debet, Dei præcepta homini juſtificato ,, ad obſervandum eſſe impoſſibilia:,, eſſent autem impoſſibilia omnibus juſtificatis, qui gratia efficaci carent, ſi ſine hac nihil boni fieri poſſet.

VI. Ibidem,, Qui autem diligunt, ut ipſemet teſtatur; ,, ſervant ſermones ejus, quod utique cum Divino auxilio ,, præſtare poſſunt .... Deus namque ſuâ gratiâ ſemel ju- ,, ſtificatos non deſerit, niſi ab eis priùs deſeratur.,,

VII. In quem locum Andreas Vega, qui Tridentino interfuit, l. 11. c. 11. ait,,: Patres non ſimpliciter, & abſo- ,, lutè dixerunt, juſtos poſſe ſervare mandata; ſed adjece- ,, runt hoc temperamentum, *cum auxilio Divino*. Et ut ,, ſciremus hoc auxilium tam potens, quàm neceſſarium ,, *nulli deeſſe juſtorum*, mox ſubjecta ſunt illa verba totius ,, ſuavitatis plena: *Deus namque ſua gratia &c.*

VIII. Eodem modo Tridentinum intelligunt Bellarminus, IX. Vviggers, Franciſcus Zumelius &c. Et verò quis pater, niſi barbarus, filium chariſſimum deſerat, & promiſsâ, ſub conditione obſequii, hereditate ſpoliet, quod Patri, volatum imperanti, non pareat?

CAPUT IV.

Eadem Propoſitio damnata repugnat definitionibus Summorum Pontificum. col. 42.

I. BOnifacius VIII. de regul. jur. in 6. reg. 6. ſic pronuntiat: *Nemo poteſt ad impoſſibile obligari*: obligarentur autem ad actus virtutum impoſſibiles, qui illos, urgente præcepto, non elicerent, utpote deſtituti gratia efficaci, ſine qua nihil boni fieri poteſt, juxta præſentem Propoſitionem.

II. Conſonat eadem Propoſitio primæ Janſenianæ: nam juxta Queſnellum quoties juſtus caret gratia efficaci, licet velit, & conetur [ineſficaciter ſcilicet] ſecundùm præſentes, quas habet, vires; præcepta Dei ſervare non poteſt, atque adeò ſunt ei ſervatu impoſſibilia; deeſt quoque gratia [ſcilicet efficax] qua ſola, juxta Queſnellum, poſſibilia fiant.

III. Conſonat etiam ſecundæ Janſenianæ: nam, ut vult Queſnellus, ſine gratia efficaci in hoc ſtatu nihil boni poſſumus, adeòque nulla gratia eſt ſufficiens, quæ non ſit efficax. Imò, juxta Janſenium, nulla gratia inefficax datur, quandoquidem, ut aſſerit l. 2. de gratia Salv. c. 25. omnis efficiat, ut voluntas aliquid velit & operetur: & revera quorſum non ſufficiens, inutile, & inanis nominis auxilium? Accedit, quod propriè reſiſtere gratiæ ſit eam fruſtrare effectu, *quem habere poteſt*: atqui inefficax, juxta Queſnellum, effectum habere non poteſt, cùm id ſoli efficaci conveniat: Ergo illi in ſententia Queſnelli nunquam reſiſtitur. Reſtat ergo, ut hæc ſecunda Propoſitio involvat hanc ſecundam Janſenianam: *Interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ nunquam reſiſtitur*.

IV. Si carens gratia efficaci nihil boni facere poſſit, ergo nec præcepto parere, cùm urget: ſed hoc eſt peccatum: ergo in caſu carens gratia efficaci peccat, & quidem neceſſariò, ut patet: ac proinde reus etiam eſt Queſnellus tertiæ Janſenianæ, *ad merendum, & demerendum &c.* quæ enim demeriti, eadem & meriti eſt ratio.

V. VI. Gratiam finaliter efficacem ſoli habent Prædeſtinati: cum ſola gratia efficaci, juxta Propoſitionem, quam impugnamus, bonum fieri poteſt, adeòque obtineri ſalus: ergo ſoli Prædeſtinati ſalvari poſſunt: ergo *Chriſtus pro ſalute dumtaxat Prædeſtinatorum mortuus eſt*. En quintam Janſenii hæreſim redivivam.

VII. Si ſine gratia efficaci nequeant ſervari præcepta, aut vitari peccata: ergo eâ deſtituti peccant neceſſariò; & tamen juxta Queſnellum demerentur: ergo *ad merendum, & demerendum ſufficit libertas in Adamo*, cùm perſonalis nulla ſit. Et hæc eſt prima ab Alex. VIII. damnata.

VIII. *Non excuſabit ignorantia invincibilis à peccato formali*, quæ eſt ſecunda ab eodem Pontifice fulgurita: Si enim excuſaret, eſſet, quia peccatum ex tali ignorantia non eſt liberum: atqui nec liberum eſt ſine gratia efficaci; & nihilominus in Queſnelli ſententia, per hoc formaliter demeremur: igitur &c

IX. *Non licebit ſequi opinionem, vel inter probabiles probabiliſſimam*, quæ eſt tertia ab Alex. VIII. confixa. Si enim liceret, eſſet; quia aliàs Chriſti jugum adeò non eſſet ſuave, ut potiùs humanæ infirmitatis vires prorſus excederet: ſed hæc ratio Queſnellum non premit, qui Deum fingit impoſſibilia præcipientem.

X. In-

X. Infideles, qui nunquam convertuntur, nunquam habent gratiam efficacem converſionis: ſed ſine hac gratia converſio impoſſibilis eſt in Queſnelli principiis; ergo infideles, qui nunquam convertuntur, nunquam poſſunt converti: ergo *Chriſtus dedit ſemetipſum oblationem pro ſolis fidelibus*, quæ eſt quarta ex damnatis ab Alexandro Octavo.

XI. Pagani, Judæi, Hæretici juxta Queſnellianam quadrageſimam quintam, & tres ſequentes, peccant in omnibus actibus, adeòque nullam habent gratiam efficacem; ergo juxta hanc ſecundam nihil ab iis boni fieri poteſt: ergo *nullum accipiunt à Jeſu Chriſto influxum, eſtque in illis voluntas nuda, & inermis ſine omni gratia ſufficienti*, quæ eſt quinta damnata ibid.

XII. Si abſque gratia efficaci nihil boni fieri poteſt, ergo ſufficiens non proderit, niſi ut ſiamus magis rei & debitores: ergo poterimus meritò petere: *A gratia ſufficienti libera nos Domine*, quæ eſt ſexta proſcripta ab eodem Pontifice.

CAPUT V.

Eadem Propoſitio damnata eſt contraria Scholaſticis, proſcripta ab Epiſcopis, & ſæpius à Sorbona. col.46.

I. IV. SAnctus Thomas 1. par. q.83. art.3. *Ex hoc liberi arbitrii eſſe dicimur, quòd poſſumus unum recipere, alio recuſato, quod eſt eligere.* Damnata Propoſitio omnibus gratia efficaci carentibus ſolam relinquit poteſtatem peccandi, & præceptum omittendi; atque ita peccatur neceſſariò, nec datur electio, nec proinde vera ratio demeriti, nec exhortatio, punitio, aut vituperium; ſequelæ proſeminando errori Novatoribus gratæ ſimul & opportunæ. Alia loca S. Thomæ habes num.1. 2. 3. Aquinati conſentit Scotus in 2. diſt 37. q. 2. §. *Reſpondeo ſi Deus*, ubi ſic inſit „ Non eſt juſtitia debita à voluntate
„ creata, niſi in quantùm in voluntate ejus eſt rectè agere;
„ ita quòd nulla intelligitur ſubtractio cauſæ prioris, ob
„ cujus defectum non poſſit voluntas rectè agere. „ Vult autem Queſnelius, juſtitiam deberi à voluntate creata, etiam dum intelligitur ſubtractio gratiæ efficacis, ſinè quâ non ſolùm nihil fit, ſed nec fieri poteſt; ergo adverſatur Scoto.

V. Duobus Scholæ Principibus conſentiunt omnes paſſim Catholici Doctores, quorum hic Catalogum inſpice.

VI. Propoſitionem hanc: *Carens gratia efficaci mandata Dei non ſolùm non adimplet, ſed nec implere poteſt*, planè æquivalentem ſecundæ Queſnellianæ cenſurâ notavit, ut primæ Janſenianæ conformem Epiſcopus Tornacenſis litteris datis ad Academiæ Duacenæ Cancellarium Propoſitionis Authorem, anno 1687. 27. Junii. Hunc Præſulem, & Arbitrum elegère ſæpius & ut Patronum ſuſpiciunt Janſeniani.

VII. Iis ſuſpectus etiam non erit Epiſcopus Atrebatenſis, qui eodem anno 13. Auguſti Tractatum de Gratia à prædicto Cancellario dictatum, & recognitum, propter dictam Propoſitionem, aliaſque ſimiles, pariter proſcripſit ut hæreticum.

VIII. Saltem omni exceptione major Adverſariis erit Eminentiſſimus Noailliuſ; Is verò anno 1696. 20. Auguſti teſtatur ſe examinaſſe „ *Expoſitionem Fidei* Gerberonianam, & *facilè in ea agnoviſſe Propoſitionem primam Janſenianam, originem, & fundamentum cæterarum, qua* JUSTIS CADENTIBUS ADIMITUR GRATIA, SINE QVA NIHIL POSSUMUS. Atqui relata Propoſitio non damnatur, quia Juſtis cadentibus adimitur gratia efficax; hoc enim nimis quàm verum eſt: ergo quia in ea dicitur, ſinè ea gratia nihil nos poſſe; quæ ipſiſſima Queſnelli ſententia eſt.

IX. Plures è Sorbona Doctores à Rege, & Archiapiſcopo delecti eadem Cancellarii ſcripta damnarunt: Item tres Epiſcopi cum 127. Doctoribus anno 1656. hanc Antonii Arnaldi Propoſitionem DEFUIT PETRO TENTATO GRATIA, SINE QUA NIHIL POTERAT *temerariam, impiam, blaſphemam, anathemate damnatam, & hæreticam* iteratò pronuntiarunt.

X. Et Propoſitionis artificem à ſinu ſuo repellendum decrevêre, niſi intrà decem dies reſipiſceret, nullumque deinceps gaviſurum actibus, juribus, & gradibus Academicis, niſi cenſuræ ſubſcriberet; quam proinde intrà annos 60. quibus hoc ſtatutum viget, innumeros prope ſcripto ſuffragio firmaſſe neceſſe eſt, nec pauciores Epiſcopos, quàm ſubinde in œcumenica Synodo recenſiti ſunt.

CAPUT VI.

Corollarium ex ſuperioribus. Secundæ Propoſitionis error ratione Theologica, & naturali convincitur. col.50.

I. II. SI abſque gratia efficaci nihil boni facere poſſumus, nulla datur merè ſufficiens, ut liquet; nulla inefficax, utpote inutilis. Fruſtrà item ſunt præcepta, minæ, promiſſa &c. iis, qui efficacem gratiam non habent: Quis enim ſapiens jubeat impoſſibile &c. & quis, niſi barbarus, id omittentem puniat? Hoc Numinis monſtrum ſibi Janſeniani fabricant. Fallit Chriſtus *omnes* ad ſe vocans: Mentitur Spiritus Sanctus ſibi à Judæis reſiſti: quis enim reſiſtit vel non, vel efficaciter trahenti? Alterutrum in Queſnelli principiis dicendum eſt, ut ſupra vidimus.

III. Sublatâ libertate ad bonum, peccatur neceſſariò: culpæ ergo datur, quod vitari non poteſt. Habent hic peccatores, quo Deum juſtè arguant: Interit peccandi timor, virtutum ſtudium, ſalutis cura. Sic mores laxant eorum rigidi reformatores, quibus apprimè quadrat Auguſtini dictum: *Vos eſtis morum ruina, qui ipſius fidei, ſupra quam mores ædificandi ſunt, nitimini fundamenta ſubvertere.*

IV. V. At, inquiet Queſnellus, tam horrenda conſectaria deteſtamur: Tollat ergo antecedentia, unde hæc fluunt.

CAPUT VII.

Solvuntur objectiones Explicationis Apologeticæ. col.51.

I. PRovocat Queſnellus ad P. Antoninum Maſſoulié Ordinis Prædicatorum in opere *Sanctus Thomas ſui interpres*, ubi differt.3. q. 1. a.3. ait, his verbis Joannis 6. v. 44. *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater meus traxerit eum*, aliiſque ejuſmodi pluribus ſignificari gratiam efficacem, & quidem tantam, ut tractio dici potuerit: ergo, infert Queſnellus, nemo poteſt venire ad Chriſtum, niſi ejuſmodi gratia efficaci inſtructus.

II. III. Reſpondet P. Maſſoulié diſtinctione duplicis ſufficientis auxilii; alterius, quod tribuat poſſibilitatem cum effectu: alterius, quod dat poſſibilitatem ſolam ſinè effectu. Unde ſic concludit: „ Nemo igitur poteſt venire
„ ad Chriſtum, niſi tractus à Patre, illa ſcilicet poſſibili-
„ tate, quæ cum actu conjuncta eſt.... ſed tamen poteſt
„ venire ad Chriſtum, etiam non tractus, ea poſſibilitate
„ ſola, quæ eſt ſinè effectu. „ Cùm autem per *auxilium ſufficiens* intelligat non ſolo nomine, ſed re ipſa tale; patet. hinc non juvari damnatam Propoſitionem, quæ ſinè gratia efficaci negat potentiam tam ab actu ſeparatam, quàm cum actu conjunctam, ut ex ipſis Propoſitionis terminis manifeſtum eſt.

IV. Dicendum igitur eſt, quod, qui nondum ad Chriſtum trahuntur, atque ita ad Chriſtum immediatè venire non poſſunt, poſſint tractionem illam, & immediatam veniendi poteſtatem oratione obtinere, juxta illud Auguſtini celarum, & approbatum à S. Thoma in c. 6. Joan. lect.2. *Nondum traheris? Ora ut traharis.* Præmiſerat ibidem Angelicus: *Deus omnibus ad trahendum, manum porrigit, quantum in ſe eſt.* Et paulò ſupra: *Si verò non elevatur, non eſt defectus ex parte trahentis, qui quantum in ſe eſt, nulli deficit; ſed eſt propter impedimentum ejus, qui non trahitur.*

V. Hæc cum Queſnelli ſententia componi nequeunt, cùm non admittat gratiam verè ſufficientem, quæ non ſit efficax: Unde nec qui non orat, orare poteſt, nec qui

Digitized by Google

manum Dei non arripit, imputare ſibi debet, quod non arripiat.

VI. VII. Objicit præterea locum perfidè mutilatum ex Dionyſio Carthuſiano in Joan. 6. v. 44., qui integrè relatus nullam habet difficultatem, eſtque hic, ubi, quæ ſuppreſſa erant, Italico charactere diſtinximus. „ *Nemo poteſt venire ad me*, *ideſt* non ſolùm non venit, ſed nec poteſt venire ad me *interiori acceſſu per fidem*, *& charitatem*, niſi *Pater*, *qui miſit me*, *traxerit eum*; *ideſt per ſuam charitatem*, *& piætatem inclinaverit*, *atque* perduxerit mentem ejus ad me, infundendo ei fidem, & gratiam, *quibus mihi ſpecialiter uniatur*, *& incorporetur*. „ In propria ſignificatione, *infuſa fides*, *& gratia infuſa*, *quibus Chriſto ſpecialiter unimur*, *& incorporamur* ſunt fides habitualis, & gratia ſanctificans, quæ eſt juſtificationis noſtræ cauſa formalis, de qua hic nulla quæſtio; ſed de gratia actuali, quæ actuum bonorum cauſa efficiens eſt, qui ad juſtificationem proximè, vel remotè diſponunt. Effectum enim formalem, qualis hic eſt interior acceſſus per virtutes fidei, & charitatis, certum eſt nec exiſtere, nec poſſe exiſtere ſinè cauſa formali, hoc eſt in caſu, ſinè infuſione fidei, & charitatis. At quid indè pro cauſa in genere efficientis, quaſi gratia actualis exiſtere nequeat ſinè ſuo effectu, nec ſit in homine benè operandi poteſtas, niſi cùm bene operatur?

VIII. Quantùm a Queſnello diſſentiat Carthuſianus videre eſt l. c. ubi ad v. 66. *Nemo poteſt venire ad me*, *niſi fuerit ei datum à Patre meo* ſibi ſic objicit: „ Sed dicet aliquis, ſi nemo poteſt venire, niſi Deus dederit: ergo, qui non venit, per impotentiam excuſatur.... ſed reſpondendum, quod à nobis ipſis nil poſſumus, & tamen poſſumus quidquid Deus præcipit nobis .... quoniam Deus, quantùm in ſe, paratus eſt opem impendere, imò & gratiam influit, dummodo fecerit homo, quod in ſe eſt „ Hic iterum Dionyſius per *gratiam*, ſanctificantem intelligit, niſi velit adverſarius dicere, quod dicturum non exiſtimo, hominem ſolis naturæ viribus facientem, quod poteſt, certò conſequi gratiam actualem. Vide etiam num. 10.

IX. Eodem modo *gratiam* accipit Religioſus Author ad v. 37 „ Eum .... qui facit, quod in ſe eſt, quamvis nondum *gratiam* habeat, non ejiciam foràs .... ſed incorporabitur mihi. „ Neque enim ſibi Chriſtus incorporabit, qui ſolis naturæ viribus fecerit quod in ſe eſt: Senſus ergo eſt: Eum, qui facit quod in ſe eſt Divino auxilio, licèt nondum gratiâ ſanctificante donatus, ad meam tandem amicitiam, ſalutemque perducam.

XI. XII. Author *Animadverſionum* in ſecundum Queſnelli articulum objicit illud ex Sap 8. v. 21. *Et ut ſcivi*, *quoniam aliter non poſſem eſſe continens*, *niſi Deus det &c.* Verùm neque hic ulla eſt difficultas: vel enim agitur de potentia præciſivè ab actu, vel cum actu conjuncta. Si primum; ſenſus, & quidem magis literalis, erit: *Non poſſem eſſe continens*, *niſi Deus det poſſe*: Si ſecundum; ſenſus eſt: *Non haberem vires ad ſervandam continentiam*, *quibus eam re ipſa ſervarem*, *niſi Deus & vires illas & ipſam continentiam largiretur*. An hinc ſequitur, ſine gratia efficaci non ſolùm nihil boni fieri, ſed nec fieri poſſe, adeòque quoties non ſervantùr mandata, non eſſe ſervandi poteſtatem, quod in prima Janſeniana damnatum eſt?

XIII. Reponit Queſnellus in Explic. Apol. infinito diſcrimine ſe diſtare ab errore primæ Janſenianæ, *Qui in eo ſitus eſt*, inquit, *quòd præcepta Dei ſint impoſſibilia juſto volenti*, *& conanti conatu debili*, *& quòd nulla gratia ullam ipſi*, *dum labitur*, *tribuat facultatem* [addendum erat] talem ſcilicet, qua præcepta verè ipſi ſint poſſibilia. Expendamus modò quantùm à Propoſitione ſic intellecta diſſideat.

XIV. XXI. ... XXVII. Noo diſſidet primò admittendo in juſtis gratiam habitualem, & charitatem. Hoc ipſo enim quo dicuntur juſti, intelliguntur utràque præditi: utqui ii, quibus præcepta dicuntur impoſſibilia, appellantur juſti in prima Janſeniana: ergo. Quid, quod Janſenius lib. 3. de gratia Chriſti, cùm c. 13. tradidiſſet Propoſitionem ipſis, quibus in damnatione concepta eſt, verbis, oibilominus c. 15. diſtinguit quatuor poſſibilitatis in præceptorum obſervatione gradus, quorum tres in juſtis omnibus agnoſcit. Primus, & remotiſſimus, eſt flexibilis arbitrii facultas ad bonum, & malum. Secundus paulò propinquior eſt fides. Tertius multò plenior, propinquiorque, juxta illum, charitas juſtificans. Quartus denique, iſque completiſſimus, gratia efficax, ſeu *medicinalis gratiæ*, *& adjutorium*, *quo*, inquit l. 2. de gratia Chriſti c. 1., *niſi vires priſtinæ reſtaurentur*, *tam eſt impoſſibile voluntati*, *ut bene velit*, *& operetur*, *quàm homini cæco*, *ut videat &c. quamvis lux &c. ſuppetant*; Unde colliges, tres priores poſſibilitatis gradus non eſſe niſi incompletos, improprios, & ad ſalvandam libertatem minimè ſufficientes.

XV. XXVIII. Non diſſidet ſecundò admittendo in juſtis cadentibus aliquam actualem gratiam, cùm ipſa Janſenii Propoſitio agat de juſtis volentibus, & conantibus ſecundùm præſentes quas habent vires, utique à gratia, ſed debili, & inſufficienti, majore concupiſcentiæ ardore eam neceſſariò ſuperante. Quid autem ad præcepti impletionem confert gratia inſufficiens? Ut ſe ergo à Janſenio ſecernat, non qualiſcunque, ſed talis in juſtis omnibus defendenda eſt gratia, quâ præcepta verè poſſibilia fiant.

XVI. XXIX. Non diſſidet tertiò admittendo in juſtis labentibus gratiam aliquam ad vitandam peccati occaſionem, & ad orandum; talem ſcilicet, quæ ad neutrum effectum verè ſufficiat, & quâ ſtante, verum maneat, deeſſe juſtis gratiam, quâ præcepta immediatè, vel mediatè poſſibilia fiant, quæ certè deeſt, quoties nec occaſio vitatur, nec oratur: cùm juxta Queſnellum ſinè gratia efficaci non ſolùm nihil boni fiat, ſed nec fieri poſſit.

XVII. XXX. Non diſſidet quartò, admittendo præcepti tranſgreſſionem vitari poſſe alterius admiſſione peccati; puta fornicationem, avaritiâ; ut ſicut clavus clavo, ita vitium vitio pellatur:

XXXI. Idipſum enim non obſcurè Janſenius innuit tum alibi, tum l. 3. de ſtatu naturæ lapſæ c. 15. his verbis: *Sine gratia ſuperari non poteſt ulla tentatio*, *vel*, *ſi ſuperetur*, *alio etiam peccato ſuperetur*; quanquam nec ſic liberè ſuperetur, ſi Janſenius conſequenter loqui voluerit; Cùm enim juxta palmare ejus axioma, *quod amplius nos delectet* [delectatione indeliberata] *ſecundùm hoc operemur neceſſe ſit*, quomodo carnis ſollicitatio vincitur amore pecuniæ, ſi hujus minor ſit, quàm illius illecebra?

XXXII. Quod addit Queſnellus, juſtos juſtitia excidere *non ex difficultate præceptorum*, *ſed ex corruptione animorum*, *defectum poteſtatis inferente ſolummodo voluntarium*, quàm falſum ſit, patet ex eo, qui, cùm hactenus ſemper juſtus fuerit, nunc primum defectu ſufficientis auxilii labitur: niſi forte per defectum *voluntarium*, intelligat non eum, qui liber eſt, ſed qui à voluntate etiam neceſſitata procedit, ſicque conſentiat Bajano art. 39. *Quod voluntariè fit*, *etiamſi neceſſariò fiat*, *liberè tamen fit*.

XVIII. XIX. XXXIII. Non diſſidet quintò dicendo: *Id in poteſtate noſtra eſſe*, *quod fit*, *quando volumus*, *aut non fit*, *quando nolumus*: atqui juſtus quando vult ſervare mandata voluntate forti, atque perfecta, hoc ipſo ea ſervat; quando non vult tali voluntate ea ſervare, non ſervat: ergo in cujuſvis juſti poteſtate eſt ſervare mandata. Non diſſidet, inquam, per hoc à Janſenio, nihilque hic dicit, quòd & ille, & quivis libertatis hoſtis dicturus non ſit. Igitur ad majorem argumenti propoſiti reſpondeo, quòd fit quando volumus, aut non fit quando nolumus, id in poteſtate noſtra eſſe, ſi tum velle, tum nolle poſſimus: at ſi volitioni neceſſitate adſtringimur; neque volitio, neque nolitio in noſtra dicetur eſſe poteſtate.

XXXIV. XXXV. Quare cùm Queſoellus ait: *Hominem omni gratia privatum benè agere potuiſſe*, *ſi voluiſſet*, perinde eſt ac ſi diceret benè agere potuiſſe ſub conditione impoſſibili, cùm velle, ſive agere bonum, ſinè gratia efficaci non poſſit; adeòque renovat obſoletam Wicklefiſtarum ſtropham *poteſt*, *ſi vult* à Waldenſi tomo 1. l. 1. c. 25. exagitatam, ac recentiùs in ſubſidium vocatam à Luthero, Riveto &c. quamque, nè parum tuta ſit, ſub Bellarmini etiam patrocinio collocare ſtudet; XXXVI. quo jure, videre licet ex l. 6. de gratia, & lib. arb. ubi Eminentiſſimus Cardinalis c. 7. ſic concludit: „ Reſtat igitur, ut omnes homines ſemper habeant auxilium neceſſarium „ (quale eos ad obſervationem præcepti immediatè vel habere, vel petere poſſe tradiderat c. 8.) „

c.8., ,,ad non peccandum, aut certè non poſſint non pec-
,, care, ac per hoc peccando non peccent, nec juſtè puniri
,, queant. ,, In Queſnelli ſententia & juſti puniuntur, nec tamen peccare non poſſunt, deſtituti gratia efficaci, ſinè quâ non ſolùm nihil boni fit, ſed nec fieri poteſt.

XX. XXXVII. Non diffidet denique quinimò allegando, ſe nunquam uſum eſſe voce *impoſſibilia*, aut *impoſſibilitas*, dum de præceptorum obſervatione agitur; vetante ſcilicet id Tridentino ſeſſ. 6. c. 11.; ſed ideone licet idem ſignificatum voce ſynonyma exprimere, præſertim ubi non verborum ſonus, ſed Janſenianarum Propoſitionum ſenſus obvius, & ab Authore intentus à Pontificibus proſcribi dicitur?

XXXVIII. Porrò *præcepta hominibus eſſe ſervatu impoſſibilia, & ea hominem ſervare non poſſe* idem ſi non ſonant, certè ſignificant: Unde Auguſtinus vocibus illis promiſcuè, ut ſynonymis utitur. Qui enim lib. de Fide contra Manichæos c. 9. dixerat: *Iniquum eſſe, eum damnare, cui non fuit poteſtas juſſa complere*, idem l. 2. de peccatorum meritis, & rem. c. 3. ait: *nec præciperet Deus homini, quod eſſet humanæ impoſſibile voluntati*; cum æquè dicere potuiſſet, *cui non eſſet poteſtas juſſa complere*:

XXXIX. Exploſum enim dudum eſt futile diſcrimen à nonnullis inventum inter *impotentiam*, & *impoſſibilitatem ſervandi præcepta*, quòd hæc ſe teneat ex parte objecti, illa ex parte ſubjecti; quaſi ad culpam, pœnamque ſufficiat, præcepta ſecundum ſe non eſſe ſervatu impoſſibilia, licet hic & nunc ſubjectum ea ſervare nequeat. Id enim ſi ſubſiſteret, jam poſſet Deus volatum præcipere, & non volantem punire, cauſando, defectum virium in ſubjecto non excuſare, modò non ſit impoſſibilitas objecti, qualis hic non eſt, cum volatus ſecundùm ſe poſſibilis ſit.

XL. Ex dictis igitur patet, nihil Queſnello abſtergendæ hæreſi profuturum, ſi nunquam in caſu voce *impoſſibilia*, aut *impoſſibilitas* uſus fuiſſet, cùm demonſtratum ſit, eſum eſſe æquivalentibus.

XLI. XLII. Quanquam nec hoc ipſum affirmanti credam: In opere enim, cui titulus *Tradition de l'Egliſe Romaine &c.* edito ſub ficto nomine Domini Germain (ſub quo prodiit alterum ejus indubitatum opus *Defenſe de l'Egliſe Romaine*) tomo 3. p. 2. c. 4. toto artic. 2. pluſquam 20. paginas implet, ut oſtendat, *non poſſe*, & *eſſe impoſſibile*, unum, idemque ſignificare. Inter alia hoc legitur: ,, Suppoſito igitur, quòd gratia efficax neceſſaria
,, ſit ad exercendam, ſicut oportet, quamcunque pietatis
,, actionem Divinâ lege imperatam, dici poteſt abſque
,, ullo errore, aut erroris periculo, quòd is, cui auxilium
,, ad præcepti impletionem neceſſarium non eſt datum,
,, implere præceptum nequeat, impletio ipſi hoc ſenſu
,, non ſit poſſibilis, deinque, quod illo ſenſu impletio ei-
,, dem ſit impoſſibilis. Non aſſero eſſe abſolutè impoſſi-
,, bilem, quia alio ſenſu poſſibilis eſt; ,, nempe remotiſſimè per naturam liberi arbitrii, propinquiùs per fidem, & habitum charitatis, ſi fidelis, & juſtus ſit. Item quia Deus poteſt auxilia efficacia, quando voluerit, impertiri, quorum nihil negavit Janſenius.

XLIII. Neque enim dixit, aliqua Dei præcepta eſſe hominibus impoſſibilia abſolutè, ſed tantùm *ſecundùm præſentes vires*, *deeſſe quoque illis gratiam, qua hic, & nunc poſſibilia fiant*. Unde tantùm affirmat impoſſibilitatem reſpectivam: quia creſcente poſtmodum gratiâ, vel decreſcente tentatione, præceptum ſit ſervatu poſſibile, imò inſuperabiliter adimpletum.

XLIV. Si cùm Thomiſtis, ut ſæpe jactat, ſentiret Queſnellus, Catholicis eorum docendi, & loquendi formulis uteretur, diceretque cum Didaco Alvarez, cum Didaco Nugnez Cabezudo, XLVI. XLVII cum Goneto, & Soto, XLVIII. XLIX. cum P. Maſſoulié &c., omnibus à Deo dari, vel offerri auxilia ſufficientia ad præceptorum obſervationem, converſionem, & ſalutem.

L. Amat ſcilicet Queſnellus Thomiſtas, non ut cum iis ſentiat, ſed ut eos, ſi poſſit, ſecum perdat.

LI. Poſtremò denique objiciuntur à Queſnello Canones Africani: LII. in quibus tantummodo dicitur, nos ſinè gratia nihil boni ſalutiferi agere; non verò opus eſſe gratia efficaci, ut bonum agere, & mandata ſervare poſſimus, ut aſſerit Propoſitio hactenus oppugnata.

LIII. Hæc ſunt præcipua, quæ defendendo errori protulit Explicatio Apologetica ante Conſtitutionem *Unigenitus*. De Auguſtino cap. ſequenti diſſeretur.

CAPUT VIII.

Solvuntur objectiones reliquæ, præſertim Hexaplorum. col. 68.

I. II. OBjicitur Aug. l. 1. de gratia Chriſti c. 26. ubi contra Pelagium ſic ait: ,, Gratiam Dei, quâ
,, charitas Dei diffunditur in cordibus noſtris per Spiritum
,, Sanctum, qui datus eſt nobis, ſic confiteatur .... ut om-
,, nino nihil boni ſinè iſta, quòd ad pietatem pertinet
,, veramque juſtitiam fieri poſſe non dubitet: ,, ergo ſinè gratia efficaci non ſolùm nihil boni fit, ſed nec fieri poteſt.

III. IV. Reſpondeo primò, has particulas *qua charitas Dei &c.* non determinare ſpeciem gratiæ, ſed explicare ordinem; ne ſcilicet per gratiam, ut volebat Pelagius, intelligatur tantummodo natura, lex, atque doctrina; ſed alia major, & naturæ ordine ſuperior, cujus excellentiſſima ſpecies eſt charitas in cordibus noſtris diffuſa.

V. VII. Reſpondeo ſecundò, dici gratiam Dei, quâ charitas Dei diffunditur in cordibus noſtris, niſi perverſâ noſtra voluntate impediatur. Idem ſenſus eſt ejus, quòd profertur ex Auguſtino l. 2. ad Bonif. c. 8.

VIII... X. Reſpondeo tertiò, ſi gratia Dei hic accipiatur efficax, nihil boni ſinè ea fieri poſſe, potentia conjuncta cum actu.

XI... Reſpondeo quartò, quando Auguſtinus dicit *ſinè iſta*, eum loqui de utraque gratia tam efficace, quam ſufficiente, XIII. quâ utrâque à voluntate ſejunctâ, certum eſt nihil ſalutare fieri poſſe.

XIV... XVIII Innoc. I. his verbis, *neceſſe eſt .... ut quo* (Deo) *auxiliante vincimus, eo iterum non auxiliante vincamur*, non inſtituit comparationem inter duplicem neceſſitatem, quaſi perinde neceſſarium ſit, Deo auxiliante vincere, ſicut eo non auxiliante vinci: ſed unicus totius ejus epiſtolæ ſenſus, & finis, ut cuilibet integram legenti conſtat, eſt, ita gratiam ad vincendos humanos errores requiri, ut ſine illa neceſſariò ſuperandi ſimus.

XIX... XXI. Non favet item adverſario S. Fulgentius, cujus hæc, quantùm ad præſentem controverſiam, ſunt verba: *Operatur ergo gratia, & illuminationem in hominibus & ſalutem, ut mandata legis .... homo .... adjutorio gratiæ præveniat non ſolùm ſancta .... eſſe noverit* (hoc ad illuminationem pertinet) *verùm etiam charitatem accipiat* (hoc ad ſalutem refertur) *qua poſſit & diligere* (deliberatè) *& implere quod didicit*: ubi Fulgentius exemplo Magiſtri ſui S. Auguſtini per charitatem, bonam voluntatem, ſeu piam voluntatis affectionem intelligit, quæ ad ſalutem ducit, ſi ei homo obtemperet.

XXII... XXVII. S. Bernardus, & Arauſicanum ſolùm tradunt, nos nihil boni ſalutaris poſſe facere ſinè gratia, non autem ſinè gratia efficaci.

Tridentinum ſeſs. 6. c. 16. declarat: virtutem Chriſti bona juſtorum opera ſemper antecedere, & comitari, & ſubſequi, & ſinè illa hæc Deo grata, aut meritoria eſſe non poſſe; ubi evidens eſt, Tridentinum ſupponere bonorum operum exiſtentiam; quæ certè non ſupponitur, quando quæritur, an opera bona fieri poſſint ſine gratia efficaci? Imò ſicut admittendum eſt, quòd, ut ea exiſtant, opus ſit gratia efficaci, ita ut poſſint exiſtere, non requiritur niſi ſufficiens.

XXVIII... XXXIX. Fruſtrà, & dolo malo Hexaplorum author cum Queſnello conatur efficacis ſuæ gratiæ ideam revocare ad doctrinam Thomiſticam; cum Thomiſtæ admittant *voluntatem creatam ſolùm ſufficienter adjutam à Deo, habere ultimum complementum potentiæ activæ &c.*, quòd adverſarii certò pernegabunt. Licèt verum ſit, quòd gratia efficax neceſſaria ſit, ut agas, non tamen, ut poſſis agere, ad quod tantummodo eſt opus verè ſufficiente; nec hoc eſt ſolorum *Moliniſtarum*, ſed omnium catholicè ſentientium placitum. Vide num. 38.

XL. Ex ipſis damnatæ Propoſitionis terminis, ſequitur hæc ejus verba, *ſed nec fieri poteſt*, intelligi non poſſe de po-

Digitized by Google

potentia conjuncta cum actu, nè alioqui Propoſitio evadat inepta, & ridicula: ſenſus enim eſſet: *abſque illa non ſolùm nihil fit, ſed nec fit*.

CAPUT IX.

Examinantur Obſervationes *propoſitæ nomine Theologorum Galliæ*. *col.83.*

I. II. IN cauſæ deſperatæ ſuppetias venit anonymus auctor libelli, cui titulus: *Variæ Theologorum Galliæ obſervationes*, ubi pag.34. contendit, Propoſitionem 2., quæ Gallicè ſic ſonat: *la grace de J. C. principe efficace de toute ſorte de bien &c.* reddendam eſſe Latinè *gratia Chriſti, qui principium eſt efficax &c.* ita ut *principium efficax* non ad *gratiam*, ſed ad *Chriſtum* referendum ſit; quæ expoſitio tum recepto loquendi uſu, tum innumeris, tam ipſius Queſnelli, quàm defenſorum ejus teſtimoniis explnditur.

III. Cùm enim juxta novos maximè Auguſtini diſcipulos *efficax* ſit, quod omnem ſemper obtinet effectum, cujus hic & nunc capax eſt; Chriſtus autem procul dubio non ſemper, quod poteſt, efficiat; conſequens eſt, ut naturaliſſimè *principium efficax* non ad hunc, ſed ad gratiam referatur.

IV. Lucionenſis, & Rupellenſis Epiſcopi in Theologiæ palæſtra exercitatiſſimi eamdem Propoſitionem Latinè conceptam his verbis: *Gratia Chriſti omnis boni PRINCIPIUM EFFICAX neceſſaria eſt ad omne bonum opus . . ſinè illa non ſolùm nihil fit, ſed nihil fieri poteſt* accuſarunt, ut primæ Janſenianæ conformem.

V. Accuſationi Queſnellus in Explicatione ſua Apologeticâ pag. 93. Reſpondit primò; vocem *efficax* in poſterioribus *Obſervationum moralium* editionibus eſſe ſublatam. Secundò, eâdem voce retentâ, Propoſitionem ab Epiſcopis inſimulatam ineluctabili, ut ipſi quidem videbatur, ſyllogiſmo ſequi. Nullibi vel hic, vel in toto Apologiæ decurſu monet, *principium efficax* non de gratia, ſed de Chriſto intelligendum; ſed Propoſitionem, ut jacet, mordicus tuetur.

VI. . . XXII. Quòd ipſum & is, & ejus defenſores in aliis magno numero libellis præſtitêre, quos hic conſule.

Accedit, quod ipſe Epiſcopus Meldenſis, quem Queſnellus ſibi patronum facit, *principium efficax* etiam manifeſtè ad gratiam retulerit; dicens apud minora Hexapla pag. 221. *On ne peut rien . . . . ſans le ſecours de la grace: ELLE eſt appellée principe efficace. Nihil poſſumus . . . . ſinè auxilio gratiæ. IPSA vocatur principium efficax.*

XXIII. Neque Queſnellum nomine efficacis principii, ſeu gratiæ intelligere ſolummodò auxilium, quod de ſe idoneum ſit producendo effectui, licèt eum non producat, conſtat ex Propoſitione ejus 4. *Ita, Domine, omnia poſſibilia ſunt ei, cui omnia poſſibilia facis, EADEM OPERANDO in illo*; Item ex Prop. 9. 10. 11. 20. 21. aliiſque pluribus.

XXIV. At, inquit citatus Anonymus, quidquid ſignificet vox *efficax*; certè ea ex poſterioribus editionibus, & cum eâ offenſionis cauſa ſublata eſt.

XXV. XXVI. Reſpondetur, id quidem providè ab Eminentiſſimo Noaillio curatum eſſe; ſed non ſic deſiiſſe nocendi periculum, ſparſis quaquaverſum innumeris priorum editionum exemplaribus; &, quod caput eſt, retentâ in pluribus etiam poſteriorum locis eâdem ſub æquivalentibus terminis hæreſi; unde credibile eſt, etiam expungendam fuiſſe, ſi cura, vel bona fides Cenſorum, aut Reviſorum reſpondiſſet Cardinalis correctionem imperantis ſollicitudini.

XXVII. Accedit, Queſnellum, toleratâ potiùs, quàm probatâ prædictæ vocis ſuppreſſione, ſugillatâ etiam hac in parte Eminentiſſimi quaſi ſuperfluâ religione, adeò ſententiam non mutaſſe, ut novis ſcriptis tam ante, quàm poſt Conſtitutionem *Unigenitus* firmare conatus ſit.

CAPUT X.

Refellitur Proteſtatio Queſnelli: atque hic ex prætenſis Galliæ Theologis de Janſeniſmo convincitur. col.91.

I. II. III. QUeſnelli *Querela, & Proteſtatio* adverſùs Conſtitutionem *Unigenitus* eamdem Propoſitionem ſecundam duplici præſertim viâ tutari aggreditur: Primò, convertendo in rem ſuam frigido commento ſuccenturiatoris Anonymi capite præcedenti examinati; quaſi *principium efficax* non ad *gratiam*, ſed ad *Chriſtum* referendum ſit. Secundò allegando, ſe ſinè efficaci gratia negaſſe tantummodo poteſtatem cum actu conjunctam, ut talis negatio poteſtatis non plus inferat, quàm negationem actus.

IV. Ad primum ſupra abunde reſponſum eſt; V. nec ſuſtineri ullâ probabilitate poteſt, attentis tot aliis Queſnelli Propoſitionibus ad eamdem ſententiam ſtabiliendam concurrentibus, inter quas 40. Gallicani Epiſcopi meritò collocant hanc nonam: *Gratia Chriſti eſt gratia ſuprema, ſinè qua confiteri Chriſtum nunquam poſſumus, & cum qua nunquam illum negamus*: VI. quæ, ut indefinita, & dogmatica, ita univerſali æquivalens, omnem Chriſti gratiam ſupremam aſſerit, & ab effectu inſeparabilem; ſinè ea verò non actum tantummodo, ſed ipſam agendi deeſſe poteſtatem, conſtat ex ipſis terminis *confiteri nunquam poſſumus*.

VII. Huc ſcilicet redit ſomnium Calvini, Janſenii, Queſnelli diſcrimen gratiæ Chriſtianæ, & ejus quæ Adamo obvenerat; quòd hæc ſufficiens eſſet, relicta ejus arbitrio conſentiendi, ac diſſentiendi poteſtate; illa verò inſuperabili virtute voluntatem rapiat in aſſenſum:

VIII. cui Dogmati ſi 39. Queſnellianam addideris „ Voluntas, quam gratia non prævenit, nihil habet luminis,
„ niſi ad aberrandum; ardoris, niſi ad ſe præcipitandum; vi-
„ rium, niſi ad ſe vulnerandum: eſt capax omnis mali, &
„ incapax ad omne bonum „ ſequi penitùs neceſſe eſt, ne abſque gratia efficaci non ſolùm nihil boni fiat, ſed nec fieri poſſit.

IX. Adeò ut totam hanc doctrinam hoc brevi juxta, ac perſpicuo ſyllogiſmo complecti poſſimus: omnis gratia juxta Queſnellum in hoc ſtatu eſt efficax: atqui juxta eumdem in hoc ſtatu nihil boni fit, aut fieri poteſt ſinè gratia: ergo in Queſnelli ſententiâ abſque gratia efficaci nihil boni fit, aut fieri poteſt.

X. XI. Unde præter alia conſectaria, quæ hinc deducta ſunt, hoc certò manat; Queſnellum ex *Theologorum Gallorum* judicio Janſenianum eſſe: Etenim juxta eos Theologos ſi *principium efficax* referretur ad gratiam, *ſequeretur gratiæ ſufficientis negatæ error, qui Janſenianus eſt*: ſed error ille ex multis Queſnelli Articulis ſequitur, ut demonſtratum eſt: ergo.

XII. Altera Queſnelli evaſio, quaſi ſinè gratia efficaci tantummodò neget potentiam conjunctam cum actu, ſive, quod perinde eſt, quaſi ſolùm affirmet, efficax auxilium ad ipſam præceptorum obſervationem eſſe neceſſarium, ab ipſomet præcluſa eſt, XIII. dum priùs negat actum, ac dein potentiam; quâ ſtudioſâ diſtinctione caviſſe crederes, nè catholicè, & minùs propriè locutus videretur, & per *nihil fieri poteſt* aſſerere voluiſſe defectum actus, non poteſtatis. Vide etiam c.9. num.40.

XIV. Thomiſtæ, quorum hic pallium ambit, abſente efficaci gratiâ, tantùm negant poteſtatem conſequentem, non antecedentem; quam Queſnellus ſuam eſſe ſententiam citra patentiſſimum mendacium affirmare non poteſt: conſequentem enim poteſtatem ab antecedente in ipſo articulo diſertè ſejungens, utramque perſpicuè tollit, dicens: *abſque ea* [gratia efficaci] *non ſolùm nihil fit* [ſublatam vides potentiam conſequentem] *ſed nec fieri poteſt* [en ſublatam antecedentem] adeòque abſque gratia efficaci non ſolùm non habetur potentia conjuncta cum actu, ſed nec ab actu ſejuncta. Vide c. 8. num. 28.

XV. XVII. Quæ addit Queſnellus de quadruplici poteſtatis gradu ratione naturalis facultatis liberi arbitrii, ratione fidei, charitatis, velleitatum, & debilium cona-

natum, nihil abolendo errori, ſed tantùm fuco facien-
do ſubſerviunt, cùm hæc omnia potentiam agendi non
compleant, & ab ipſo Janſenio admiſſa eum meritiſſimo
fulmini non ſubduxerint. Vide hæc latiùs refutata c.7.
n.14. & 15.

XVIII. Unicum denique, quod Queſnello ſupereſt, Boſ-
ſuetii Meldenſis Epiſcopi patrocinium, ex irrefragabili
ejuſdem Præſulis retractatione deſtructum eſt, ut c.14.
Proleg. oſtendimus, & citra peſſimam fidem, dignamque
novæ ſimul hæreſeos, & Eccleſiæ architecto impu-
dentiam allegari ultra non poteſt.

TERTIA PROPOSITIO DAMNATA.

In vanum, Domine, præcipis; ſi tu ipſe non das, quod præcipis. *Act.16. v.10.*

CAPUT I.

Propoſitio damnata convellitur. col.98.

I. IDem fere præſentis, qui præcedentis Propoſitionis
ſenſus, & error eſt; videlicet abſque gratia efficaci
præcepta [idem dic de cæteris operibus bonis] impleri
non poſſe: Accedit tantummodò apertior, quam in ſu-
periore Propoſitione, blaſphemia, dum Deo mandato-
rum vanitatem exprobrat, quoties indebitum, & pluri-
mis negatum auxilium efficax non impertit.

II. Verùm Queſnello tam impiè Deum interpellanti re-
ſpondet Deus ipſe Deut.30. v.11. & ſeqq. ,, Mandatum
,, hoc, quod ego præcipio tibi hodie, non ſupra te eſt, ne-
,, que procul poſitum; ſed juxta te eſt ſermo valde in ore
,, tuo, & in corde tuo, ut facias illum. Conſidera, quòd
,, hodie propoſuerim in conſpectu tuo vitam, & bonum,
,, & è contrario mortem, & malum, ut diligas Dominum
,, Deum tuum: elige ergo vitam, ut & tu vivas,, . Manda-
tum hoc ſinè dubio multi ex Judæis, ad quos hic dirigi-
tur, non ſervarunt, & tamen ad omnes indiſcriminatim,
ſive juſtos, ſive peccatores extenditur, nullo excepto.
Ergo Deus iis etiam præcipit, quibus non dat, quod
præcipit; hoc eſt, quibus non dat gratiam efficacem;
adeoque ſinè gratia efficaci præcepta ſervari poſſunt, nè
Deus per ſummam calumniam dicatur impoſſibilia ju-
bere.

III. Alii adhuc Textus proferuntur ex Proverb., & IV.
Eccleſiaſtico ad confutandum errorem efficaciſſimi.

XI. Divinorum præceptorum neglectus efficit quidem, ut
in vanum accipiantur; non tamen, ut in vanum den-
tur: Cùm eorum finis ſit Divinæ miſericordiæ, aut ju-
ſtitiæ manifeſtatio, qui obtinetur, ſive ſerventur, ſive
contemnantur. Et nemo ſanè vel terrenorum Princi-
pum mandata vana dixerit, quorum violatoribus decre-
tæ ſunt pœnæ; ſive ea obedientes ſpectent, ſive contu-
maces.

V. Stulta Propoſitionis damnatæ impietas convincitur
exemplis innumeris: Quis enim ex. c. diſcipulum fe-
rat, ita ſe excuſantem apud Magiſtrum, dum is impara-
tum ſcriptionis penſum repetit: Mihi nec ſcribendi ad-
jumenta, nec vires, & peritia defuere; ſed in vanum mihi
ſcriptionem imperas, niſi manum ipſe arripias, & ſcri-
ptioni applices. Æquè inſana eſt Queſnelli ad Deum
oratio: *In vanum, Domine, præcipis, ſi tu ipſe non das,
quod præcipis*, cùm qui ita orat obtemperandi adjumen-
tis abunde inſtructus ſit. Hinc Auguſtinus in pſal. 91.
non procul ab initio ita loquitur de peccatore pecca-
tum imputante aſtutiæ Satanæ: ,, Si Satanas loqueretur,
,, & taceret Deus, haberes unde te excuſares: modò au-
,, res tuæ poſitæ ſunt inter monentem Deum, & ſugge-
,, rentem ſerpentem: quare hùc flectuntur, hinc avertun-
,, tur? Non ceſſat Satanas ſuadere malum, nec Deus ceſ-
,, ſat admonere bonum: Satanas autem non cogit invi-
,, tum: in tua poteſtate eſt conſentire, aut non conſentire.,,
Disertè S. Auguſt. aſſerit, juſtam fore peccatoris excu-
ſationem, ſi Satanas loqueretur, & taceret Deus: Itaque
quam certum eſt, nunquam juſtam eſſe peccatoris excu-
ſationem, tam certum Auguſtino apparet, nunquam dæ-
monem interiori tentatione aliquem ad flagitium impel-
lere, quin Deus interiori gratia à peccato revocet, ita ut
de peccatore cœleſti illa gratia roborato verè affirme-
tur: *In tua poteſtate eſt conſentire, aut non conſentire*, adeò-
que Deo obedire, vel refragari. Item pſal.40. ,, Nè dicas,
,, non poſſum tenere, & portare, & frænare carnem meam:
,, adjuvaris, ut poſſis ,, quicunque de carnis infirmitate
queritur, ſeque reſiſtendi impotentiâ excuſatum putat,
hâc ratione peccati convincitur *adjuvaris, ut poſſis*; quaſi
illi diceretur, injuſta eſt excuſatio tua, quia etſi per te
ipſum non poſſis, adjuvaris tamen, ut poſſis: Igitur, dum
peccator auſcultat carni, vel Dæmoni, ſufficienter adju-
tus eſt, ut Deo monenti, & à peccato revocanti obtem-
peret: falſum proinde eſt, in vanum Deum præcipere,
quando ipſe non dat, quod præcipit.

VI. .... X. Doctrina Catholica confirmatur primò exemplo
trium Peccatorum in Scripturis maximè celebrium Cai-
ni, Pharaonis, & Judæ, quorum ſinguli, ut Deo præci-
pienti obedirent, ſufficienter adjuti ſunt, ut liquet ex
ſequentibus authoritatibus. De Caino hæc habet au-
thor de voc. gentium l. 2. c. 13. ,, Cùm ergo talia ad
,, Cain loqueretur Deus, nunquid ambiguum eſt, voluiſ-
,, ſe eum, & [quantum ad illum medendi modum ſufficie-
,, bat] egiſſe, ut Cain ab illo impietatis furore reſipiſce-
,, ret? Sed malitia pertinax inde facta eſt inexcuſabilior,
,, unde debuit eſſe correctior. ,, De Pharaone ſic loqui-
tur Chryſ. hom. 16. in c. 9. ep. ad Rom: Deus ,, quan-
,, tum in ſe fuit, Pharaonis miſertus eſt; quòd autem ſal-
,, vatus non eſt, totum per ſuam ipſius voluntatem ſtetit,
,, ita ut quantum ad eum attinebat, ab illis, qui ſalvati
,, ſunt, nihil minus habuerit. ,, De Juda ſic ait Cyrillus
Alex. l. 11. in Joan. c. 21. ,, Chriſtus, quantum ad fe-
,, rendam opem illi attinuerit, ſervaſſet hominem (Judam)
,, niſi ultro ipſe in perditionem inſiliiſſet ,, Ergo Cain
pœnitere potuit, Pharao, & Judas ſalutem operari, ut
jubebantur; licèt quod jubebatur, nulli eorum da-
tum ſit.

XII. .... XV. Confirmatur ſecundò ex Scholaſticis. S. Tho-
mas in c.1. ep.1. ad Cor. lect.1. ,, Non videretur eſſe
,, fidelis Deus, ſi nos vocaret ad ſocietatem filii, & de-
,, negaret, quantum in ipſo eſt, ea, per quæ pervenire ad
,, eum poſſemus. ,, S. Bonav. in 1. diſt.40.a.4. q.2. refert,
& approbat hoc Anſelmi dictum: ,, Non ideo non ha-
,, bet homo gratiam, quia Deus non dat; ſed quia homo
,, non accipit ,, oblatam. Item in 1. diſt. 47. a. 1. q. 1.
,, Deus paratus eſt juvare, ita quòd ſalus non defuit pro-
,, pter defectum ex parte Dei. ,,

CAPUT II.

Solvuntur objectiones.

I. II. PIè, & ſapienter à Deo petitur gratia efficax,
orando cum S.Auguſtino *Da, quod jubes, & jube,
quod vis.* XIV.....XVIII. Sed hinc cave inferas, Deum in
vanum jubere, niſi det, quod jubet. Ratio prioris eſt,
quod, quamvis gratiam omnibus, ut oportet, petentibus
Deus promiſerit, aliis tamen nulla ratione debeat. Ne-
que hi culpâ vacant, ſi non acceperint defectu oratio-
nis, quam toties Scriptura commendat, & ad quam ten-
tationum ardor, & noſtræ infirmitatis cognitio nos ob-
ſtringit.

III. Ex eo, quod S.Paulus Act.16.v.9. & 10. juſſus à Deo
prædicare Macedonibus Evangelium, acceperit gratiam
efficacem, quâ, quod jubebatur, impleret; quomodo ſe-
quitur, cætera Dei præcepta inania eſſe, niſi ea comite-
tur auxilium efficax; aut quomodo ex uno facto particu-
lari infertur neceſſitas univerſalis, & quaſi lex Deo po-
nitur, ut nihil homini imperare ſapienter poſſit, niſi effi-
caciter juverit?

IV. VI. S.Auguſtinus in pſalm. 126. ad illa verba *niſi Do-
minus ædificaverit domum, in vanum &c.* tantùm aſſerit,
irritum eſſe Miniſtrorum, Dei verbum prædicantium,
conatum, ſinè Dei gratia [præſcindendo à ſufficiente, &
efficaci] audientium animis inſertâ: Cui veritati non
contradicit CLEMENTIS XI. Conſtitutio.

VII. IX. S.Auguſtinus lib. de gratia, & lib. arb. c. 8. to-
tus eſt in oppugnando Pelagio, qui *humanam* [poten-
tiam] *ſibi ſufficere ad bene operandum putat, nec adjuto-
rium ſperat à Domino*: quem errorem confutat Scriptu-
rarum teſtimoniis, ſignificantibus, *ſinè gratia nihil boni*

agi poſſe; Objectum locum ſic rectiſſimè concludens: *homo ergo gratia* [non dicit *efficaci*] *juvatur*, *nè ſinè cauſa voluntati ejus jubeatur*. Unde contra Adverſarium arguitur, tunc tantùm Deum ſinè cauſa juſſurum, non quando non daret, quod præcipit; ſed quando ſimpliciter gratiâ non juvaret: Deus autem ſinè cauſa non jubet; ergo homo, cui jubetur, ſemper habet gratiam proximè, vel remotè ſufficientem implendi, quod jubetur.

X. XI. Sicubi dicat Auguſtinus [neque enim invenitur loco ab Hexaplis citato] *lex fruſtrà minatur*, *ubi dominatur iniquitas*, ſenſus eſt, quòd, dominante iniquitate, lex finem proximum non obtineat, ſcilicet ſui obſervationem; licèt remotiorem obtineat, qui eſt vindicativæ juſtitiæ manifeſtatio, dum ſontibus merita ſupplicia irrogat. Vide caput 1. num. 11.

XII. XIII. Ex eo, quod Auguſtinus lib. de Prædeſtinatione Sanctorum c. 19. in fine dicat, Deum *operari in cordibus hominum* [Prædeſtinatorum, de quibus toto libro ſermo eſt] *vocatione illa ſecundùm propoſitum ſuum .... ut non inaniter audiant Evangelium, ſed eo audito convertantur, & credant*, non ſequitur ſanè, omnem vocationem eſſe ſecundùm propoſitum, aut Deum *inaniter*, & ſinè interiori gratia vocare eos, qui *inaniter* Evangelium audiunt. Vide caput 1. n. 11. & 5.

XIX. Cætera, quæ ex epiſtola Africanorum Antiſtitum, ex can. 9. Concilii Arauſ. 2., ex Abbate Ruperto, ex lib. 3. de imit. Chriſti c. 14. congeruntur ab Hexaplis, aliud non probant, quàm Deum bona omnia in nobis, & nobiſcum operari, de quo nullus Catholicus dubitat, & unde nullum errori præſidium eſt.

XX. ... XXIV. Cum P. Lalleman tomo 1. *Obſervationum* ſuarum *Moralium* pag. 76. ait: *In vanum, ò Servator, veram mihi demonſtras juſtitiæ ſemitam, ſi, ut eam ingrediar, gratia tua non efficiat*, indicare tantummodò voluit, incundæ juſtitiæ ſemitæ, præter gratiam intellectùs, requiri etiam gratiam voluntatis. Ut cum Queſnello ſentiret, dicere debuiſſet: *In vanum, ò Servator, oſtendis mihi juſtitiæ ſemitam, ſi tua mihi gratia juſtitiam non dederis*, vel, *ſi tua me gratia per eam incedere non facias*. Accedit, cum in operis decurſu centies, & clariſſimè admittere gratias ſufficientes, quæ plenam, & expeditam tribuunt ſervandæ legis poteſtatem; quibus tamen eam non ſervamus: Id autem in opere ſuo adeò Queſnellus non inſinuat, ut ſenſus præſentis Propoſitionis obvius apud eum, & ſequaces ſuos non ſit, *niſi prætenſus Janſeniſmus*, à quo repudiando remotiſſimus eſt: Unde P. Lalleman caperare meritò potuiſſet, ut, proſcriptâ Queſnelli Propoſitione, ſua, Queſnellianæ ſono tenus affinis, saniore, & aliunde teſtatiſſimo ſenſu acciperetur. Verùm, cùm liber ſub ejus etiamnum eſſet poteſtate, verbis, quæ malevolæ interpretationi patêre poterant, hæc ſubſtituit: *Si tua gratia ad eam ingrediendam non me adjuves*.

XXV. XXVI. Quod autem ajunt prioris editionis Hexapla col. 5. Queſnellum diſertè docere *rejici gratiam*, *repelli*, *ei reſiſti*, verum non eſt, niſi prætenſo ſenſu Thomiſtarum, quem in *Explicatione* ſua *Apologetica* à pag. 68. penè uſque ad finem inculcare nititur: ſcilicet reſiſtitur gratiæ quoad effectum, cui producendo non ſufficit. Quod quam verum ſit, patet ex eo, quòd citata Hexapla, ut perſuadeant in Queſnelli, eique adhærentium ſententia admitti gratias Thomiſtarum ſenſu ſufficientes, remittant nos ad epiſtolam Provincialem ſecundam, & tertiam. In ſecundâ autem Montaltii nomine Blaſius Paſchalis ita Dominicanum alloquitur: *Certè, mi Pater, ſi quid in Gallia poſſem, curarem publicè à Præconibus edici*: NOTUM OMNIBUS ESTO, CUM OMNIBUS ADESSE GRATIAM SUFFICIENTEM DOMINICANI DICUNT, ID EOS SIGNIFICARE VELLE, NON OMNIBUS ADESSE GRATIAM, QUÆ REVERA SUFFICIAT: *Hoc facto, tum vobis ſufficientis gratiæ buccinandæ poteſtas fieret, at prius nullo modo*. Igitur, dum Queſnellus cum ſuis gratiam Thomiſticè ſufficientem buccinat, intelligit eam, quæ revera non ſufficit.

QUARTA PROPOSITIO DAMNATA.

Ita, Domine; omnia poſſibilia ſunt ei, cui omnia poſſibilia facis, eadem operando in illo. *Obſerv. Moral. Marc. 9. verſ. 22.*

CAPUT I.

Propoſitionis damnatæ virus detegitur. col. 113.

I. SEnſus ſpecioſâ ſuppoſitione tectus, ideoque nocentior, eſt, mandata ſervari tunc tantùm poſſe, cùm ea reipsâ implemus, ita ut, qui violat, implere nequiverit.

II. Unde ſequitur primò, Deum nobis illudere, dum omnibus præcepta imponit, omnes ad virtutem, peccatores ad pœnitentiam hortatur ſpe præmiorum, metu pœnarum &c. cùm ii, ſoli juxta ac pauciſſimi, hortantem ſequi poſſint, qui re ipſa ſequuntur; hoc eſt efficaciter præventi.

III. IV. Sequitur ſecundò, jugum Chriſti Matth. 11. v. 28. adeò omnibus non eſſe ſuave, & onus leve, ut pleriſque efficaci gratiâ carentibus ſit portatu impoſſibile. Sequitur tertiò, fallacem eſſe Chriſti invitationem Matth. 11. v. 25. *Venite ad me omnes, qui laboratis &c.* cùm omnes, adeòque eos etiam invitet, qui venire non poſſunt defectu gratiæ efficacis: *Non* enim *dicit*, ut notat S. Chryſ. hom. 39., & cum eo S. Thomas in catena ad cap. 11. Matth. *venite ille, & ille; ſed omnes, qui in ſollicitudinibus, qui in triſtitiis, qui in peccatis eſtis, non ut expetam pœnas, ſed ut ſolvam peccata &c.* V. Vide in hanc rem loca alia ex S. Petro Apoſtolo, Ezechiele, VI. Proverbiis, & quæ ad duas præcedentes Propoſitiones diſſeruimus.

VII. Sequitur quartò impoſſibilitas præceptorum, etiam in juſtis, quoties labuntur &c. Denique hinc reviviſcunt Janſenii hæreſes, & errores plures ab Alex. VIII. damnati, ut ſupra oſtendimus ad Prop. 2. cap. 4.

VIII. Locus Marci 9. verſ. 22. *Omnia poſſibilia ſunt credenti*, unde hæreſim ſuam exſculpere conatur Queſnellius, ſignificat, credentem omnia facere, vel impetrare poſſe; unde perperam colliges, omnia tunc ſolùm eſſe poſſibilia, cùm adeſt gratia efficax. Quid, quòd omnium poſſibilitatem Chriſtus adſtruit omni verè credenti; Queſnellus verò citra gratiam efficacem negat; quam deeſſe, nimis ſæpe experimur.

CAPUT II.

Solvuntur objectiones. col. 116.

I. HÆc Apoſtoli verba ad Phil. 4. v. 13. *Omnia poſſum in eo, qui me confortat*, ſive Græcè Πάντα ἰσχύω ἐν τῷ ἐνδυναμοῦντί με Χριστῷ ſignificant, ad omnia potens, fortis, validus ſum in roborante me Chriſto, hoc eſt in virtute, & robore gratiæ Chriſti: unde quidem ſequitur, robur illud à Chriſto deſcendere, non item, tunc ſolummodò in Apoſtolo fuiſſe, cùm illud re ipſa, Chriſto operante, exerceret.

II. III. Apoſtolus ad Heb. 13. v. 20. & 21. *Deus autem pacis aptet vos in omni bono. .... ut faciatis ejus voluntatem*; precatur Hebræis, ut conformiter etiam Græco interpretatur A lapide, abſolutam in omni bono perfectionem: quod votum, ut ſanè optimum eſt, ita non niſi hæreticè dici poteſt, ab ejus executione pendêre boni operis poteſtatem.

IV. V. Diognes in epiſtola ſua ait, quòd omnes Catholici ajunt, in regnum Dei propriis viribus, & ope ſolius *naturæ* perveniri non potuiſſe; ſed ad hoc opus fuiſſe, ut Deus *nobis* largiretur Servatorem, *de* cujus *miſericordia mandavit NOBIS fidem, atque, ut eum æſtimemus, tanquam noſtram nutritium, Patrem .... noſtram gloriam, fortitudinem, & vitam*: quibus verbis neminem excipien-

Digitized by Google

pientibus, adeòque ex ſententia Apoſtoli 1. ad Tim. 4. ſignificantibus, Chriſtum eſſe omnium noſtrûm Servatorem, gloriam, fortitudinem, & vitam; oſtendit Diogues in plurimis noſtrûm ſolam eſſe ſinè actu poteſtatem, cùm non omnes ſalvemur, glorificemur, virtuti ſtudeamus, aut vivificemur; quia ſcilicet liberè ſalutis, gloriæ, virtutis, & vitæ media ſufficientia, vel data reſpuimus, vel oblata non arripimus.

VI... XI. Loco, qui nobis objicitur ex S. Auguſtino in Pſal. 106. interſeremus aliqua, quæ eum nobis minimè adverſari, imò nihil ad rem facere demonſtrabunt. Sic igitur loquitur S. Doctor de peccatore, qui convertitur: *Perducitur ad viam fidei.... Cùm ergo ibi fuerit, jam ſciens quid obſervare debeat.... quaſi de ſuis viribus præſumendo incipit confligere velle bello contra vitia, & propter ſuperbiam ſuperari. Invenit ergo ſe ligatum difficultatibus cupiditatum.... & tanquam muro impoſſibilitatis erectæ, portiſque clauſis, quâ evadat, ut rectè vivat, non invenit....* Hæc impoſſibilitas eſt tantùm impropriè dicta, conſequens liberam peccatoris præſumptionem, & ſuperbiam. *Exclamat... ad Dominum, liberat Dominus de neceſſitatibus*, hoc eſt, de paupertate, & egeſtate, quam ſi priùs, ut poterat, agnoviſſet, humiliando ſe, & clamando ad Dominum pro gratia, priùs liberatus fuiſſet, & accepiſſet auxilia proximè ſufficientia ſervandæ legi. *Rumpit vincula difficultatis*, hæc eſt impoſſibilitas impropriè dicta. *Conſtituit in operationem æquitatis. Incipit ei jam facile eſſe, quod difficile fuerat, abſtinere à malo, non adulterare &c.* Ex his patet apud S. Auguſtinum difficultatem, præſertim gravem, & impoſſibilitatem non nunquam confundi, quod recepto loquendi uſui etiam conforme eſt. Vide num. 8. Hinc liquet ulteriùs, hunc locum nec nobis contrarium eſſe, nec ad rem facere.

Imò licèt ſupponeretur, peccatori illi bonum antea penitùs impoſſibile fuiſſe, & reddi poſſibile, cùm Deus eum à neceſſitatibus ejus liberat, quomodo hinc inferret adverſarius, tunc tantùm eſſe poſſibile, cùm ea poteſtas in actum exit. Dicit quidem Sanctus Auguſtinus liberatum à Domino *conſtitui in operationem æquitatis*; ſed non dicit, ideò poſſibilem ei eſſe æquitatem, quia eam reipſa operatur, quæ duo toto cœlo diſcrepant: Unde Lector facilè intelliget, malâ fide hæc ab Hexaplis Gallicè ſic reddi *le Seigneur le delivre, en luy rendant le bien poſſible*, Dominus eum liberat, reddendo ei bonum, ſeu æquitatem poſſibilem; quaſi ideò poſſibilis jam ſit æquitas, quia eam re ipſa operatur.

XII. Nihilo plus proderit adverſario illud Auguſtini lib. 1. retractationum c. 22. „Cùm fortis, & potens voluntas „præparatur à Domino, facile fit opus pietatis, quod „priùs difficile, atque impoſſibile fuit. „Etenim procul dubio ſinè gratia, quâ præparatur fortis, & potens voluntas, opus pietatis non ſolùm difficile, ſed & impoſſibile eſt. Vel explica juxta ea, quæ numero præcedenti diximus, de morali quâdam, & latâ operis boni impoſſibilitate, ſeu magnâ difficultate ſub debiliori auxilio, quæ, accedente fortiori, & potentiori, tollitur.

XIII. Reliqua, quæ hic temerè coacervantur ex S. Auguſtino, Proſpero &c. aliquâ ex his reſponſionibus facillimè reſolvuntur.

Ad illud Innoc. I. *neceſſe eſt.... ut quo* (Deo) *auxiliante vincimus, eo iterum non auxiliante vincamur*, Reſpondimus in confutatione Propoſitionis ſecundæ c. 8. num. 14.

Tantùm hic noto, verſionem hujus loci Gallicam cautè legendam: ſic enim ſonat: *Comme nous remportons la victoire, quand Dieu nous aſſiſte*, hoc eſt, *ſicut vincimus, quando Deus nos juvat*, quod duplici ſenſu accipi poteſt; vel hæretico, juxta ſecundam hæreſim Janſenianam, ut ſignificet, omne Dei adjutorium ſemper conferre victoriam; vel Catholico, quali accipit Innoc., ut indicet, nos non vincere ſinè Dei adjutorio; & proinde, eo penitùs deficiente (præſcindendo ab efficaci, & inefficaci) neceſſariò eſſe vincendos, quæ eſt altera Innocentianæ ſententiæ pars.

XIV. Si S. Gregorius alicubi dicat (neque enim, in vetuſta ſaltèm editione, invenitur locus ex eo citatus epiſtolarum l. 7. ep. 4.) ſemper nobis petendam eſſe gratiam ab eo, ſinè quo nunquam abſque peccato ſumus, & cum quo nunquam abſque juſtitiâ; veriſſimè dicit: nam nos cum Deo eſſe, & Deum nobiſcum, ſignificat nos Dei amicos eſſe per Spiritum Sanctum nobis inhabitantem; quo quamdiu caremus, nunquam ſumus abſque peccato, nempe habituali, & quamdiu potimur, nunquam abſque juſtitiâ. An fortè ſperavit adverſarius, objectum locum ita accipiendum, quaſi ſignificaret, gratia actuali deſtitutum nunquam eſſe abſque peccato? Si ita eſt; ergo juxta eumdem Gregor. præſente gratiâ actuali nunquam erimus abſque juſtitia, quod Calvinianum eſt, & nè ab ipſo quidem Janſenio admittendum.

XV. Quæ in col. 3. Hexaplorum afferuntur obſervationes ex Epiſcopo Meldenſi pro aſſerendâ Divinæ voluntatis efficacia, cui nunquam reſiſtitur, nihil ad præſentem quæſtionem. Non enim omnis Dei voluntas neceſſariò eſt abſoluta; præter hanc eſt & conditionata & permiſſiva, ſub qua optimè conſiſtit bonorum actuum in homine poteſtas, etiam cum eorum liberrima ſuſpenſione, vel omiſſione conjuncta; ſive ita, ut Deus bonos actus in homine non operetur. Sed de Dei voluntate ſuo loco.

QUINTA PROPOSITIO DAMNATA.

Quando Deus non emollit cor per interiorem unctionem gratiæ ſuæ, exhortationes, & gratiæ exteriores non inſerviunt, niſi ad illud magis obdurandum. *Obſerv. Moral. Rom. 9. v. 18.*

CAPUT I.

Propoſitionis damnatæ error pernicioſiſſimus convincitur. col. 123.

I. INterior unctio gratiæ cor emolliens non alia Queſnello eſt, nec Janſenio fuit, quàm gratia efficax: neque enim obdurati, de quibus hic ſermo eſt, cor habere dicuntur Divinâ gratiâ emollitum, licèt non omni ſufficiente priventur auxilio.

Unde damnati Articuli ſenſus obvius eſt: Quandocunque Deus non dat interiorem gratiam efficacem; exhortationes, & quæcunque exteriores gratiæ, ut Incarnatio verbi, ejus Prædicatio, Exempla, Sacramenta, Sacrificia &c. non valent, niſi ad cor magis obdurandum.

Conſonant his, quæ habet Queſnellus in obſervatione ad Rom. 12. v. 7. *Lex, ipſamet Incarnatio, & Myſteria omnia ſunt gratiæ, ſed exteriores, quibus tantùm abuti poſſumus, niſi Spiritus Dei, ut benè utamur, efficiat.*

II. Hinc ſequitur primò, fallere, aut falli Apoſtolum, dum ad Rom. 3. Judæorum prærogativas in gratiis exterioribus ſitas tantoperè extollit, nullâ factâ interioris gratiæ mentione. Quæ ſunt illæ prærogativæ, quæ juxta Queſnellum non inſerviunt, niſi ad cor magis obdurandum, abſente ſaltèm gratia efficaci, quam à Judæis procul abeſſe jubent Propoſitiones ſequentes 6. 7. 8.

Sequitur ſecundò, peccatores, qui ſibi cor internâ unctione gratiæ nondum emolliri ſentiunt, non ſecus ac proximas peccandi occaſiones ſollicitè vitare debere tanquam obdurationis augmenta, conciones, ſacrificia, pias lectiones, & colloquia &c.

III. Sequitur tertiò, parum conſequenter Queſnellum docere Prop. 79. & 80. *utile, & neceſſarium eſſe omni tempore, omni loco, & perſonarum generi ſtudium Scripturæ Sacræ*; Item *lectionem ejus eſſe pro omnibus*: limitanda enim erant tam ſtudium, quam lectio ad eos, quorum cor Deus emollit, & ad tempus quando emollit.

IV. Sequitur quartò, non tam univerſaliter ab Apoſtolo 2. Tim. 3. v. 16. dicendum fuiſſe, Scripturam utilem eſſe *ad docendum, & arguendum, & corripiendum; ad erudiendum in juſtitia*: Si enim Queſnellum audiamus; utilis eſt ſolis efficace gratia præventis, cæteris perniccioſa: Idem momentum habebant verba Chriſti, quæ his adeò non erunt *ſpiritus, & vita*, & *verba vitæ æternæ*, ut potiùs exitialia, & ſolummodò ad magis obdurandum idonea.

V. Si

Digitized by Google

V. Si Queſnellus deteſtabilem illum fructum tribuiſſet lectioni Obſerv. ſuarum Moralium, aliarumque ſine numero ſcriptionum, peſtem , & ſeditionem ſpirantium , conſentientes habuiſſet omnes Catholicos .

VI. . . . IX. Sequitur quintò, Pharaonem tot flagellis, Judam Chriſti benignitate admonitum citra culpam admonitionibus illis non ceſſiſſe ; utpote quæ ſinè interiore unctione gratiæ cor emollientre [quâ certò uterque caruit , cùm uterque reſtiterit] non ſervierint , niſi ad utrumque magis obdurandum : Unde reſultat inſignis blaſphemia ; totius pervicaciæ , & rebellionis culpam redundare in Deum .

XI. XVI. Denique , ſi ipſæ exteriores gratiæ ſinè interno efficaci auxilio non niſi cor magis indurant ,

Sequitur ſextò à fortiori , liberum arbitrium , vitio originis ſauciatum , modò efficaci gratia deſtituatur , non niſi ad peccandum valere : quæ Propoſitio Bajanâ vigeſimâ ſeptimâ deterior eſt ; cum Bajus hanc libero arbitrio impotentiam videatur tribuere ſub carentia omnis gratiæ interioris , Queſnellus autem ſub carentia efficacis , licèt adſit ſufficiens ; Hanc enim non minùs , quàm exteriores gratias pari cenſurâ involvet, præeunte Duce ſuo Janſenio , qui l. 3. de gratia Chriſti c.3. gratiam ſufficientem vocat *monſtrum ſingulare gratiæ, ſolummodò peccati faciendi, majorique damnationi ſerviens.* Hinc Sinnichii , & ſequacium Janſeniſtarum litania ab Alex. VIII. damnata : *A gratia ſufficienti libera nos Domine .*

X. XV. Nos igitur , repudiato errorum Magiſtro , dicamus cum Catholicis, exhortationes, & cæteras exteriores gratias , licèt abſque interiore , & efficaci , ſeu cor emolliente nullam ſaluriferam actionem operentur , ad aliud tamen , quàm ad cor magis obdurandum valere : valent nimirum ad tentationes dæmonis , cogitationes , noxias, & peccati occaſiones arcendas, ad frænandam libidinem , ad honeſtam eruditionem &c. & cum ſufficiente interiore auxilio ad majora beneficia , ipſamque cordis emollitionem diſponunt , ut taceam fortè earum beneficio actus effici moraliter, & intrà naturæ ordinem bonos . Quæ omnia exemplis illuſtrari poſſunt .

XII. Sic ab *exteriori* captivitatis *gratia* ſperari poterat Queſnelli converſio , niſi ſpem eam præcidiſſet , juſto Dei judicio permiſſa evaſio . Certè Gerberonus , & Brigodæus factioſæ hæreſis ſocii eodem die juſſu Illuſtriſſimi Mechlinienſis comprehenſi ea dederant pœnitentis animi indicia , XIII. ut probabile ſit , amborum cor tam ſalubri detentione penitùs emolliendum fuiſſe , niſi Regis Chriſtianiſſimi , & optimi Præſulis, ferè dixerim, intempeſtiva clementia, eorum carcerem ex perpetuo in temporaneum commutaſſet . Nulli. bi ſcilicet meliùs id hominum genus, quàm in carcerum tenebris conquieſcit, ubi prodeſſe poſſunt ſibi , obeſſe nemini .

XIV. At quis Textus ſacer anſa fuit Queſnello tam ſiniſtri erroris ? Ille nempe ad Rom. 9. v. 18. *Cujus vult* [Deus] *miſeretur , & quem vult indurat* : ubi de mediis , quibus Deus ad indurandum utitur , nullus ſermo eſt , niſi quòd ex oppoſitione miſerationis paſſim Interpretes cum Auguſtino colligant , id fieri , *non largiendo malitiam ; ſed non impertiendo miſericordiam* : Queſnellus autem de ſuo addit, id Deum exequi gratiarum exteriorum (negata interiore efficace , quæ cor emolliat) conceſſione; imò gratias omnes exteriores abſque ea interiori non inſervire , niſi ad illud magìs obdurandum .

CAPUT II.

Solvuntur objectiones . col.130.

I. JUdæi, qui Jerem. 5. v. 3. dicuntur ad Dei flagella induraſſe *facies ſuas ſupra petram*, non trahendi ſunt in exemplum cæterorum peccatorum : Non enim omnium tanta malitia eſt , ut omnibus exterioribus gratiis abutantur : ſed , dum Judæi illis abutebantur , ad hoc ex magis invitæ ex eorum malitia detorquebantur, quàm ſponte, aut ex Divina intentione deſtinabantur .

II. V. Non acquieſcit Author Hexaplorum , ſed hunc Apoſtoli locum ad Gal. 3. v. 19. *Quid igitur Lex? Propter tranſgreſſiones poſita eſt &c.* ita Gallicè reddit ac ſi haberetur *lex ad faciendos prævaricatores poſita eſt* , quaſi finis Divini Legiſlatoris fuerint ipſæ prævaricationes , quæ eſt Vvicleſſi, Lutheri , & Calvini hæreſis , contraria huic effato Pſal.5. *Quoniam non Deus volens iniquitatem tu es .* Vide Prop. 6. & 7. c. 1. num. 3. in fine . Ab hoc errore remotiſſimus eſt S. Thomas , qui hunc Apoſtoli locum lect.7. in c. 3. ad Gal. ita commentatur : *Propter tranſgreſſiones poſita eſt lex , id eſt, ad tranſgreſſiones cohibendas .* Et paulò ante , *eſt ergo lex primò data ad reprimendam malitiam .*

III. Et hæc eſt etiam interpretatio S. Hieronymi , & Chryſoſtomi , cui S. Thomas etiam ſequentem cum S. Auguſtino ſuperaddit : *Secundò , lex data eſt ad infirmitatem manifeſtandam , & ſanandam præſumptionem . . . Tertiò , data eſt lex ad domandam concupiſcentiam inſipientis populi* multiplicium rituum obſervatione . Igitur lex data eſt, non ad faciendos; ſed in officio continendos prævaricatores .

IV. Eodem cap. 3. ſic concludit Apoſtolus : *Itaque lex, Pædagogus noſter fuit in Chriſto* ; in quem locum rurſus S.Thomas lect. 8. *Quaſi dicat* (Apoſtolus) *ex quo ſub lege cuſtodiebamur, lex fuit noſter Pædagogus, id eſt, dirigens, & conſervans in Chriſto .* Et verò quis Pater filio , aut Herus ſervo Pædagogum det , ad faciendum eum Prævaricatorem ?

VI. VII. Ad Auguſtinum epiſt. ad Vitalem, ubi dicit, quòd *qui audiunt , & legunt* (doctrinam Scripturarum) *ſinè gratia Dei , pejores ejus efficiuntur inimici .* Item , quod *lex Dei . . . . quamvis ſancta, & juſta, & bona tamdiu occidit, ſi non vivificet ſpiritus &c.* VIII. X. Reſpondeo cum Sancto Thoma Sancti Auguſtini fideliſſimo Interprete ; imò, qui, fatente ipſo Janſenio , quaſi alter Auguſtinus eſt , lect. 2. in cap. 7. ad Rom. *Sciendum eſt , quòd ſi lex per ſe & directè cauſaret paſſiones peccatorum , vel mortem ; ſequeretur , quòd lex eſſet peccatum . . . . non autem , ſi lex eſt occaſio paſſionum peccati , vel mortis . . . Et eſt notandum , quòd non dicit* (Apoſtolus) *quòd lex dederit occaſionem peccandi ; ſed quia ipſum peccatum occaſionem acceperit ex lege . Sic igitur lex rectum aliquid fecit , quia peccatum prohibuit : unde occaſionem non dedit peccandi , ſed homo occaſionem ex lege accipit . Sic igitur intelligendum eſt , quòd paſſiones peccatorum , quæ pertinent ad concupiſcentiam peccati , non ſunt per legem , quaſi illas operetur ; ſed peccatum* (id eſt concupiſcentia , ſeu *fomes peccati* , ut interpretatur S. Thomas in fine hujus lectionis) *illas operatur , accepta occaſione ex lege .*

IX. Ex his facilis eſt reſponſio ad illud S.Auguſtini l.83. qq. q.66. *Ubi ergo non eſt gratia liberatoris, auget peccandi deſiderium prohibitio peccatorum* , ut occaſio ſcilicet , non data ; ſed accepta ; juxta illud *nitimur in vetitum ſemper*; quod enim graviter vetatur, multùm delectabile apprehenditur, ideòque & ardentiùs à concupiſcentia capeſſitur, & vivaciùs à dæmone ſuggeritur, cui nullum operæ pretium eſt, incitare homines ad ea, quæ nullâ lege prohibita nullam Deo injuriam , nullum hominibus detrimentum accerſunt .

XII. Nota , Auguſtinum loc. cit. removere , non præcisè gratiam *liberantem* , ſeu efficacem , ſed *liberatoris* , hoc eſt tam efficacem, quàm ſufficientem. Quid ſi ergo ſufficiens adſit ? Certè *prohibitio* eâ gratiâ ſuffulta adeò peccandi deſiderium non augebit , ut potiùs enervatura ſit , vireſque ad legem ſervandam datura ; multò minùs ad nihil aliud ſerviet, quàm ad cor magis obdurandum .

XI. Præterea quo jure , quod de lege , ſeu prohibitione ſolitariè ſumptâ ab Auguſtino dicitur , extenditur ad cæteras gratias exteriores, etiam dum juvantur internâ ſufficiente ? Etenim ſuffragia Eccleſiæ , Chriſti Paſſio , Incarnatio , Sanctorum exempla quid habent , unde peccandi deſiderium augeant , etiam abſente gratiâ efficaci ?

XIII. Inſtat Adverſarius ex S. Auguſtini libro de gratia Chriſti, ubi contra Pelagium c 8. ſic loquitur : *Uſque adeò aliud eſt lex , aliud eſt gratia , ut lex non ſolùm nihil proſit* (ſc ſolâ ad ſalutem) *verùm etiam plurimùm obſit* (non per ſe, & nè quidem occaſione data, ſed accepta , ut num.8. & 10. S. Thomas explicat) *niſi adjuvet gratia .*

XIV. Redarguit hìc Auguſtinus Pelagium, quòd ſolam legem admittat docentem, non gratiam , quæ voluntatem juvet, ut impleat , quod jubetur : Abſit autem , ut Au-

Digitized by Google

Auguſtinus dicat, legem gratiâ, etiam tantùm ſufficienti adjutam nihil prodeſſe, obeſſe plurimùm : Id verò cùm Queſnellus dicat, quomodo ſe expediet artic. 6. inter 31. ab Alex. VIII. juſtiſſimè damnatos : *Gratia ſufficiens ſtatui noſtro non tam utilis, quàm perniciosa eſt; ſic, ut proinde meritò poſſimus petere : A gratia ſufficiente libera nos Domine?*

XV. Qui legem, & gratiam ſervandæ legi ſufficientem contemnit, reus quidem conſtituitur, qualis ſinè lege, & gratiâ ſufficienti non fuiſſet ; non tamen ex lege, aut tali gratia [datis videlicet, ut quæ agenda ſint, videat, & ad ea, quæ viderit, convaleſcat] peccatum, & damnatio oritur; ſed ex prava eis abutentis voluntate.

SEXTA PROPOSITIO DAMNATA.

Diſcrimen inter fœdus Judaicum, & Chriſtianum eſt, quòd in illo Deus exigit fugam peccati, & implementum legis à peccatore, relinquendo illum in ſua impotentia ; in iſto verò Deus peccatori dat, quod jubet, illum ſuâ gratia purificando. *Obſerv. Moral. Rom.* 11. *v.* 27.

SEPTIMA PROPOSITIO DAMNATA.

Quæ utilitas pro homine in veteri fœdere, in quo Deus illum reliquit ejus propriæ infirmitati, imponendo ipſi ſuam legem? Quæ verò felicitas non eſt admitti ad fœdus, in quo Deus nobis donat, quod petit à nobis? *Obſerv. Moral. Heb.* 8. *v.* 7.

CAPUT I.

Confutatur utraque Propoſitio. col. 136.

I. JUdæi heretici, licèt non omni ſemper caruerint adjutorio gratiæ ; non tamen veniunt ſub cenſum *fœderis Judaici* ; ſed tantummodo veri, ac fideles ; de quibus proinde nobis hic ſermo eſt. His Deum Queſnellus ſtatuit II. exigentem fugam peccati, & implementum legis à peccatore, *relinquendo eum in ſua impotentia*, juxta Propoſ. 6. ſive *propriæ infirmitati*: juxta Prop. 7.

Hinc ſequitur primò, Deum ſtultè Judæis præcepiſſe, eoſque iniquè damnaſſe: juxta Auguſtinum enim lib. de fide contra Manichæos c. 9. *Quis non clamet ſtultum eſſe, præcepta dare ei, cui liberum non eſt, quod præcipitur, facere ; & iniquum eſſe, eum damnare, cui non fuit poteſtas, juſſa complere?*

Sequitur ſecundò, à Queſnello, cæteroqui rigido morum Magiſtro, ſceleſtiſſimos Judæos à culpa abſolvi, niſi iterum renuntiet Auguſtino de lib. arb. c. 8. *Quis peccet in ea, quod nullo modo caveri poteſt? peccatur autem; caveri igitur poteſt.*

III Sequitur tertiò, Deum cauſâ cadere cum vinea ſua, id eſt, populo Judaico ita expoſtulantem Iſaiæ 5. v. 4. *Quid eſt, quod ultra debui facere vineæ meæ, & non feci ei? An quòd expectavi, ut faceret uvas, & fecit labruſcas?* Sic enim facilè querela retunditur: ſi vindemiam expectabas uberem, coluiſſes quantum ſatis eſt, nec reliquiſſes vineam in producendi uvas *impotentia*. Colere quidem vineam non tenetur Agricola; at, niſi colat, eſt cur ſibi, & non vineæ, ſterilitatem imputet.

IV. Nè igitur aut Deus ſtolidè accuſet, aut vinea ſe juſtè excuſet, dicamus cum celebri Scholæ Thomiſticæ, cujus patrocinium tam avidè Queſnellus ambit, Doctore Didaco Alvarez diſp. 17. de Aux. num. 3. *Habuerunt* [Judæi ; de his enim agit] *gratiam verò ſufficientem, per quam converti potuerunt & fructus dignos pœnitentiæ facere ; alias non reprehendiſſet Deus, quòd uvas non produxerint.* Alvarezio concinunt Thomiſtæ cæteri.

V. VI. Conſule etiam Textus ex Exechiele.

VII. Iſaiæ c. 1. peccatoribus quibuſcunque, præſertim Teſtamenti veteris, Deus imperat: „ *Lavamini*, mundi
„ eſtote, auferte malum cogitationum veſtrarum . . . . ſi
„ fuerint peccata veſtra, ut coccinum, quaſi nix dealba-
„ buntur: „ Non igitur, quidquid ſecus Queſnellus ſomniet, *reliquit Deus Judæos propriæ infirmitati*, in bonorum operum, converſionis, & ſalutis impotentia.

VIII. IX. Quid, quòd ne ipſi quidem Cain, Pharao, & Eſau, qui ad *fœdus Judaicum* tot privilegiis celebratum non attinebant, & in reproborum exemplum citari ſolent, ita à Deo relicti fuerint, ut nec converti, nec ſalvari poſſent. De Caino, & Pharaone probatum eſt ad Prop. 3. c. 1. num. 6. De Eſau probatur ex Auguſtino l. 1. ad Simplic. q. 2. „ Noluit Eſau, & non cucurrit; ſed etſi
„ voluiſſet, & cucurriſſet Dei adjutorio perveniſſet : qui
„ etiam velle, & currere vocando præſtaret, niſi, voca-
„ tione contemptâ, reprobus fieret. „

X. Sequitur quartò, ad demerendum, requiſitam non fuiſſe in Judæis libertatem à neceſſitate ; ſed ſuffeciſſe libertatem à coactione, quæ eſt tertia Janſeniana : neque enim liberè libertate à neceſſitate demeretur, qui non poteſt non demereri : Tales erant Judæi relicti *in ſua impotentia*, & *propriæ infirmitati* per Prop. 6. & 7. quas impugnamus.

XI. XII. Sequitur quintò, ſuppoſitâ illâ impotentiâ, & infirmitate, Judæos in tranſgreſſione legis non aliam habuiſſe libertatem, quàm quæ fuit in Adamo. Hanc autem ſufficere ad formale peccatum, & demeritum, damnatum eſt ab Alex. VIII. Prop. 1. inter 31.

XIII. Sequitur ſextò, veram etiam eſſe hanc Prop. 5. inter 31. „ Judæi . . . . nullum omnino accipiunt à Jeſu
„ Chriſto influxum, adeòque hinc rectè inferes, in illis
„ eſſe voluntatem nudam, & inermem ſinè omni gratia
„ ſufficienti „ ; quod ſimul accedit ad quintam Janſenianam.

CAPUT II.

Solvuntur objectiones. col. 140.

I. ERrorem ſuum videtur Queſnellus velle exſculpere ex duplici Apoſtoli loco ; utroque tamen ad intentum periode inutili.

Alter notatur ad Prop. ſextam, atque ad Roman. 11. v. 27. *Et hoc illis à me teſtamentum, cùm abſtulero peccata eorum* : præcedit ; *Cæcitas ex parte contigit in Iſrael, donec plenitudo gentium intraret.* Fallitur Queſnellus, ſi cæcitatem illam involuntariam credas, in eaque fundari impotentiam ſervandæ legis. Alioqui quomodo Paulus v. 14. diceret : *Si quo modo ad æmulandum provocem carnem meam, & ſalvos faciam aliquos ex illis?* poterat enim Judæi imitari Gentilium converſionem, & aliqui ex illis ſalvari ſinè gratia, & relicti in impotentia? Quâ etiam ſinceritate moneret Apoſtolus Chriſtianos ſingulos v. 20. & 22. *Noli altum ſapere ; ſed time . . . . alioquin & tu excidèris* ; ſi in Chriſtiano fœdere Deus *peccatori det, quod jubet*, illum ſuâ gratiâ purificando ; vel nihil det gratiæ, quo purificari poſſit, niſi purificetur re ipsâ ?

Alter locus notatur ad Prop. ſeptimam, utique in epiſtola ad Heb. c. 8. v. 7. *Nam ſi illud prius* (teſtamentum) *culpa vacaſſet, non utique ſecundi locus inquireretur.* Ad quod

II. Reſpondeo cum S. Thoma in hunc locum: legem veterem fuiſſe quidem in ſe bonam; ſed quoad nos malam, quia *non dabat virtutem ad purgandum commiſſa*, & *quia non dabat gratiam adjutricem ad vitanda peccata*: ſed hinc nè inferas, Deum reliquiſſe Judæos propriæ infirmitati ; nam quod non dabatur per opera legis, dabatur *per fidem Chriſti*, ut diſertè docet S. Thomas in c. 9. lect. 2, & rurſus lect. 4. in fine : *In veteri lege non virtute Sacramenti ; ſed virtute fidei Chriſtianæ fiebat remiſſio peccatorum* :

III. Atqui nec fides, nec cæteri virtutum actus elici poſſunt ſinè gratia : ergo &c.

Diſcrimen hoc utriuſque fœderis mutuatus eſt Queſnellus à Janſenio, hic à Calviniſtis Contra remonſtrantibus, & Luthero. Producuntur loca, quæ conſule.

IV. ... VI. Objicit Queſnellus in Explicatione ſua Apologetica S. Auguſtinum in expoſitione epiſtolæ ad Galat.

Digitized by Google

num.24., ubi S. Doctor ſolummodò docet, quòd Judæi *timore . . . quo timebant præſenti vitæ ſuæ quædam opera legis implebant, quæ in Sacramentis ſunt: illa verò, quæ ad bonos mores pertinent, implere omnino non poterant;* impotentiâ ſcilicet non abſoluta, & ſimpliciter; ſed ſolùm ex ſuppoſitione ipſis liberâ, quòd non vellent præcepta ſervare, niſi ex ſolo humano, & ſervili timore mortis ab hominibus infligendæ; ita animo comparati, ut, ſi potuiſſent clam hominibus ea violare citra mortis periculum, voluiſſent omnino: quæ diſpoſitio licèt ſufficeret, ut ſatisfieret humanis judicibus, animum non intuentibus; non tamen, ut ſatisfieret Deo, qui in impletione præceptorum ſuorum, præter externum opus, requirit intentionem aliquam virtutis, vel honeſtatis; ex quibus procul dubio poterant operari Judæi, ſi volebant; quandoquidem juxta Auguſtinum, & omnes Catholicos *firmiſſimè creditur, Deum juſtum, & bonum impoſſibilia non potuiſſe præcipere.*

VII. Magiſter Sententiarum, qui nobis etiam objicitur, dicit, quòd in veteri Teſtamento *deerat gratia*, VIII. non Judæis; ſed Legi: habuiſſe enim Judæos gratiam, licèt non tam abundantem, quàm detur in lege nova, videre licet ex his, quæ præmittuntur, & à Queſnello dolo malo ſuppreſſa ſunt. *Lex prohibens peccatum auget concupiſcentiam, & addit prævaricationem, niſi liberet gratia, quæ gratia non ſic abundat in lege, ut in Evangelio.*

IX. Eodem ſenſu S. Thomas 1.2. q.98. a. 1. ad 2. tradit, quòd *lex . . . . gratiam non conferebat*; X. nam *a.* 2. ſubjungit hæc, quæ Queſnellum latere non potuerunt ,,Ad quartum dicendum, quòd, quamvis lex vetus non ſufficeret ad ſalvandos homines; tamen aderat aliud auxilium à Deo hominibus ſimul cum lege, per quod ſalvari poterant, ſcilicet fides Mediatoris; per quam juſtificati ſunt antiqui Patres, ſicut etiam nos juſtificamur, & ſic Deus non deficiebat hominibus, quin daret eis ſalutis auxilium: ,, XI. Poſt hoc Doctoris Angelici teſtimonium errori ſuo tam fatale, ſcribit nihilominus confidenter Queſnellus in eadem ſua Explic. Apol. pag.141. *Expreſſi idiomate Gallico, quod hic S. Doctor Latio; ei ergo imputetur error, qui mihi adſcribitur.*

XII. In ſubſidium Explicationis Apologeticæ veniunt Hexapla, producto pariter loco S. Thomæ ex 1.2.q.106. a.3.cap.3. ubi inſinuare videtur hominem in ſtatu veteris legis ſibi relictum, gratiam non habuiſſe;

XIII. ſed ſenſus Aquinatis eſt, non omnino tunc defuiſſe gratiam; verùm non fuiſſe adeò copioſam, ut ibidem ſe explicat: Aliòqui hominem in veteri lege non caruiſſe gratia ſufficienti, ex ipſo abundè demonſtratum eſt. XIV. Ibidem art. 2. ad 2. videre Adverſarius poterat, Sanctum Thomam per hoc non diſcernere veterem legem à nova, quòd in hac omnis gratia efficiat, quod Deus jubet; cùm & in hac merè ſufficientem agnoſcat, ut liquebit ex ejus verbis Prop.8. cap. 1. referendis. XV. Nunquam meliùs elucet mala Queſnelli fides, quàm in opponenda nobis ex Pereiro Cajetani laciniâ, ubi dicit, quòd ſecunda conditio veteris legis *erat negatio Divinæ gratiæ adjutricis . . . . tertia . . . . quòd homo . . . . erat ſibi ipſi derelictus*: Tacet autem, quæ ſequuntur, & errorem jugulant. XVI. Referamus illa propriis ipſius Cardinalis verbis, quæ ſic ſonant: *Nec per hæc intelligas, Novitie, quòd Judæi ante Chriſti adventum ſub lege exiſtentes caruerint gratia . . . . ſed intellige, quòd ex illo ſtatu non habebant gratiam; ſed habebant gratiam, qui illam habebant, ex participatione ſtatus novi revelandi per Chriſtum &c.* XVII. Poterat quoque Queſnellus apud Pereirum loco à ſe citato errorem ſuum dedoceri his, quæ illic leguntur, Auguſtini verbis: *Lex ergo jubet: Dator verò legis miſeretur, & adjuvat in eo, quòd lex jubet.*

OCTAVA PROPOSITIO DAMNATA.

Nos non pertinemus ad novum fœdus, niſi in quantum participes ſumus ipſius novæ gratiæ, quæ operatur in nobis id, quòd Deus nobis præcipit. *Obſer. Moral. Act.*8. *verſ.* 10.

CAPUT I.

Propoſitionis confutatio.

I. QUeſnellus hìc peccatores, & quoſcunque efficaci gratia carentes à novo fœdere, ac proinde ab Eccleſia, quæ ex hoc coaleſcit, deturbat. Remittuntur ad fœdus Judaicum, in quo peccator relinquitur in ſua obſervandæ legis, & fugiendi peccati *impotentia* per Propoſ. ſextam. Hinc horrenda conſectaria, ut, peccatorem non eſſe Chriſtianum; Qui caret gratia efficaci, ſalvari non poſſe; interiori gratiæ in hoc ſtatu non reſiſti; ſufficientem enim jubet Queſnellus abeſſe à novo fœdere, ad quod ſola pertinet *nova gratia, quæ operatur in nobis id, quod Deus nobis præcipit*, & per quam ſolam *ad novum fœdus pertinemus*, aut Chriſti Eccleſiam. Sequitur ulteriùs, qui peccat, peccare neceſſariò. II. & tamen demereri; Juſtum, cùm cadit, excidere novo fœdere; ei præcepta eſſe impoſſibilia; deſeri priuſquam deſeratus; Chriſtum pro ſalute omnium mortuum non eſſe &c. III. S. Thomas è contrario 1. 2. q.106. a.1. ad 3. docet, quòd *per fidem . . . Chriſti pertinet homo ad novum teſtamentum*: Unde quamdiu fides Chriſti ab homine non perditur, pergit ad novum fœdus pertinere, quamvis non ſemper particeps ſit novæ illius gratiæ, quæ operatur id, quod à Deo præcipitur: IV. nam hominem cum *gratia novi teſtamenti* peccare poſſe; majori pœna dignum eſſe, qui ea gratia non utitur; legem novam, quantùm eſt de ſe, ſufficiens auxilium dare ad non peccandum, tradit S. Doctor eadem quæſt. a.2. ad 2. Aſſignantur etiam ex ipſo genuina utriuſque teſtamenti diſcrimina tam primaria V. quàm ſecundaria, ex quibus manifeſtum fit, non ſolâ gratiâ efficaci ad novum fœdus nos pertinere.

CAPUT II.

*Solutio objectionum. col.*149.

I. EX his verbis Apoſtoli ad Rom.7. *Soluti ſumus à lege mortis . . . ita ut ſerviamus in novitate ſpiritus*, videtur Queſnellus inferre velle, nos non eſſe lege illa ſolutos, niſi *quatenus* ſervimus *in novitate ſpiritus*, atque adeò non niſi in quantùm participes ſumus ipſius novæ gratiæ, quæ operatur in nobis id, quòd Deus nobis præcipit. Sed futilis eſt conſequentia. Nam aliud eſt, Apoſtolum de ſe, & ſui ſimilibus, à ſervitute legis veteris ad libertatem Chriſtianam translatis teſtari, ſe in novitate ſpiritùs ſervire; aliud, quòd ſola ſpiritûs operante gratiâ à lege veteri ſoluti ſimus, & pertineamus ad novam: Contrarium enim patet in infantibus per baptiſmum novo fœderi adſcriptis, & tamen gratiæ efficacis incapacibus: Neque Chriſtiani cùm dormiunt, omni ceſſante gratiæ operatione, deſinunt eſſe novi fœderis.

II. Non magis urget nos, quòd ad Gal.5. v. 18. legitur: *Si ſpiritu ducimini, non eſtis ſub lege*, ſcilicet, ut interpretantur S. Thomas cum Anſelmo &c. III. *ſub lege* terrente, comminante, & ſuppliciis invitos cogente; ſed eſtis tali lege quodammodo ſuperiores, juxta illud *juſto non eſt lex poſita*, SCILICET COGENS, inquit iterum Angelicus. Ex hoc autem antecedente minimè ſequitur, quòd quicunque, & quandocunque non ducuntur tali ſpiritu efficiente, quod præcipitur, nullo penitùs modo pertineant ad fœdus novum, & Chriſti Eccleſiam; neque enim ex oppoſito antecedentis ſequitur oppoſitum conſequentis, ut notum eſt.

Locutiones aliquæ S. Auguſtini dicentis, peccatores tantùm carnalia ſapientes Judæis eſſe ſimiles; non ad novum; ſed ad vetus teſtamentum pertinere IV. per modum exaggerationis ſumendæ ſunt: alioquin juxta Sanctum Doctorem ſerm.3. de Agare, & Iſmaele *Teſtamentum vetus ad Judæos* PROPRIE' *pertinet*. V. Res exemplis illuſtratur. VI. Deinde teſte S. Thoma *unaquæque res illud videtur eſſe, quod eſt in ea re præcipuum . . . id autem, quod eſt potiſſimum in lege novi Teſtamenti, in quo tota ejus virtus conſiſtit, eſt gratia Spiritus Sancti, quæ datur per fidem Chriſti*: qui ergo peccando amittit hanc gra-

Digitized by Google

gratiam, ſpoliat ſe eo, quod eſt in nova lege præcipuum. VII. & propterea a S. Auguſtino à lege nova excluditur: Juſti verò, ſive ex Judæis, ſive ex Gentibus adventu Chriſti anteriores ad novam legem referuntur; quia *unaquæque res illud videtur eſſe, quod eſt in ea re præcipuum*. VIII. In quo *præcipuo* determinando etiam fallit Queſnelli Propoſitio, utpote, quæ pro præcipuo aſſignat actualem gratiam efficacem; Atqui lex nova non conſiſtit in re tranſeunte, & ſe ipſa deſinente, qualis eſt gratia actualis; ſed in re ſtabili, & permanente, qualis eſt gratia ſanctificans; *hæc enim eſt, quæ*, ut jam ex Sancto Thoma retulimus, *datur per fidem Chriſti*: actualis enim non tam datur per fidem, ut fides potiùs per eam generetur. In habituali autem gratia dicitur tota novi teſtamenti virtus conſiſtere, quia, cùm per ſe Dei amicum, filium, & hæredem conſtituat; exigit, ut à Deo non prius deſeratur, quàm cum homo deſerat; ſed in omnibus ad ſalutem pertinentibus Deus homini præſto ſit, eum in difficilibus adjuvando &c.

NONA PROPOSITIO DAMNATA.

Gratia Chriſti eſt gratia ſuprema, ſinè qua confiteri Chriſtum nunquam poſſumus, & cum qua nunquam illum abnegamus. *Obſerv. Mor. 1. Cor. 12. v. 3.*

CAPUT I.

Propoſitio multiplicis hæreſeos rea convincitur. col. 153.

I. PRopoſitio hæc dogmatica, & indefinita æquivalet huic univerſali: *Omnis gratia Chriſti eſt gratia ſuprema, ſinè qua &c.* Ex omnibus igitur Chriſtum negantibus, nullus gratiam Chriſti habuit, quâ eum confiteri poſſet & ſalvari. Et nihilominus propter hoc ipſum ſeveriſſimè puniuntur. At quâ ratione, quâ juſtitia? II. Altera ejuſdem Propoſitionis hæreſis eſt, quòd cum Chriſti gratia nunquam eum abnegemus; quaſi gratiæ Chriſti nunquam reſtiterint, quibus exprobrâvit Stephanus Act. 7. *Vos ſemper Spiritui Sancto reſiſtitis*.

III. Conſentit hæc hæreſis ſecundæ Janſenianæ: Interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ nunquam reſiſtitur. Diſſentit Apoſtolo: IV. Deo in Proverbiis: V. Matthæo VI. Pſalmiſtæ: VII. Joanni in Apocalypſi, VIII. In Evangelio, & in Epiſtola 1.: IX. Non vellet Deus omnes homines ſalvos fieri; ſi omnis gratia eſſet illa *ſuprema*, quæ à Queſnello deſcribitur; nec enim hæc omnibus obvenit, & cùm præter hanc, nulla, juxta eumdem, detur inferior; certe qui illâ carent, ſalvari nequeunt &c. X. Hinc ſequitur ulteriùs, eum qui virtutis actum, ad quem gratia requiritur, non exercet, exercere non potuiſſe, cùm caruerit gratiâ illâ ſupremâ. Hinc renovantur Janſenii, & aliorum damnatæ Propoſitiones.

CAPUT II.

Solutio objectionum. col. 156.

I. ILlud Apoſtoli: *Nemo in ſpiritu Dei loquens dicit anathema Jeſu*, optimè probat, quòd nemo per ſpiritum Dei, vel ejus gratiam Chriſtum neget: *Dicendum enim eſt*, inquit S. Thom. in hunc locum, *quòd quantum eſt ex ſpiritu Dei, homo non facit peccatum; ſed magis à peccato retrahitur. Poteſt tamen* (quod hic negat Queſnellus) *peccatum facere ex parte voluntatis humanæ, quæ Spiritui Sancto reſiſtit ... Et ideo ſignanter Apoſtolus non dixit: nemo ſpiritum Dei habens; ſed, nemo in ſpiritu Dei loquens.* Ergo ex hoc loco non ſequitur, quòd præſente ſpiritu Dei, ſeu gratiâ, nunquam Chriſtum abnegemus.

II. Ex ſecunda Apoſtoli periodo: *Nemo poteſt dicere Dominum Jeſum, niſi in Spiritu Sancto*, rectè colligit Queſnellus, *Nos ſinè gratia Chriſti confiteri Chriſtum nunquam poſſe*; non item, omnem gratiam eſſe ſupremam, ſeu efficacem.

III. Paulus dicit Philippenſibus, iis donatum eſſe pro Chriſto, non ſolùm ut in eo credant; ſed etiam ut pro illo patiantur: qua verò argumenti ſpecie hinc concludes, omnem gratiam eſſe talem, eſſe ſupremam, & non cum illa nunquam Chriſtum abnegare?

IV. Aſſentimur S. Gregorio, ſi uſpiam dicat nos ſinè Deo (ſcilicet inhabitante) nunquam eſſe ſinè peccato, & cum Deo (inhabitante, ut priùs) nunquam abſque juſtitia. Ne enim hoc intelligatur de Deo per gratiam actualem in nobis operante, V. obeſt ſecundæ Janſenianæ damnatio, obſunt Scripturæ, obeſt denique fides Catholica.

VI. Auguſtinus de corrept. & grat. c. 2. à Pelagio exigit, ut præter voluntatem gratis, non nullis noſtris præcedentibus meritis acceptam, præter legem, atque doctrinam, VII. agnoſcat aliam propriè dictam gratiam in voluntate, ad omne opus pium neceſſariam: *Qua ſola*, non autem lege, atque doctrinâ, *homines liberantur à malo, & ſinè qua nullum prorſus .... faciunt bonum ... præſtante ipſo, faciunt cum dilectione, quod ſciunt* magiſterio legis, & doctrinæ. Sed non ideo omnis, juxta Auguſtinum, *gratia eſt ſuprema*, non omnis talis eſt, *ut cum ea nunquam Chriſtum abnegemus*. VIII. Aliud ſcilicet eſt, nullum opus bonum & ſalutare fieri ſinè gratia efficaci; aliud, omnem gratiam eſſe efficacem, nullam carere effectu. Primum Catholici omnes cum Auguſtino profitentur; poſterius Janſenius, & Queſnellus cum Luthero, & Calvino contendunt, reſtagantibus Catholicis, & Auguſtino, locis plurimis.

DECIMA PROPOSITIO DAMNATA.

Gratia eſt operatio manûs Omnipotentis Dei, quam nihil impedire poteſt, aut retardare. *Obſerv. Moral. Matth. 20. verſ. 34.*

CAPUT I.

Propoſitio contraria eſt Scripturis Sacris. col. 159.

I. HActenus Queſnellus ferè ſolis actibus malis ſuſtulerat libertatem, meritum, & ſupplicium; virtutum actus iis reddiderat impoſſibiles, qui non exercent. Nunc actibus quoque bonis efficaci gratia elicitis libertatem, laudem, & meritum tollit. Dogmaticæ Propoſitionis ſenſus iterum univerſalis eſt, ſcilicet: *Omnis gratia eſt operatio &c.* ſenſus præterea eſt non ſolùm, quòd *manum Omnipotentis Dei nihil impedire poſſit, aut retardare*, ſed neque *gratiam*, quatenus *manus Omnipotentis Dei operatio eſt*. Repugnat hæc ſententia Scripturis Veteris, & Novi Teſtamenti: II. Proverbiis: III. & IV. Iſaiæ: V. Pſalmis: VI. VII. Matthæo: VIII. Actibus Apoſtolorum: IX. ... XI. Apoſtolo.

CAPUT II.

Decima Propoſitio contraria Sanctis Patribus. col. 162.

I. COntraria eſt Clementi Romano: II Irenæo: III Arnobio: IV S. Chryſoſtomo: V, VI S. Auguſtino: VII Cyrillo Alexandrino: VIII, IX Auctori librorum de vocat. gent.: X Damaſceno: XI Anſelmo.

CAPUT III.

Decima Propoſitio contraria definitionibus Conciliorum. col. 165.

I. ... IV. COntraria eſt Concilio Tridentino: V, VI Arauſicano: VII Senonenſi.

CAPUT IV.

Decima Propoſitio contraria definitionibus Summorum Pontificum. col. 167.

I. COnvenit damnata Propoſitio cum quarta Janſeniana: II cum ſecunda: III cum tertia: IV cum prima:

ma: V. cum quinta : VI cum trigeſimanona inter Bajanas.

CAPUT V.

Propoſitio Decima contraria communiſſimæ doctrinæ Scholaſticorum. col.169.

III. Contraria eſt Sancto Thomæ : IV. Sancto Bonaventuræ : V. Scoto, & Alberto Magno : VI. Thomiſtis omnibus, inter alios Dominico Soto, Cajetano, Ferrarienſi, Balthazari Navarette : VII. Joanni à Sancto Thoma. VIII. Doctoribus Lovanienſibus; inter alios Adriano poſtea Pontifici ejus nomine Sexto: Driedoni : X. XI. Ruardo Tappero : XII. Cornelio Janſenio Epiſcopo Gandavenſi : Joanni Maldero Epiſcopo Antverpienſi: XIV. Denique Joanni VVigghers.

CAPUT VI.

A quibus Authoribus Queſnellus doctrinam Propoſitionis Decimæ, & aliquot ſimilium diſcere potuerit. col.171.

I. Authorem Propoſitionis ſuæ facit Queſnellus Spiritum Sanctum Matth.20. verſ.34. *Miſertus autem eorum Jeſus, tetigit oculos eorum, & confeſtim viderunt, & ſecuti ſunt eum*, quaſi Deus per gratiam ſic operetur ſalutares actus, ut per manum Chriſti viſum cæcis reſtituit. Sed enormiter fallit paritas, cùm redditio viſûs ſit operatio ſolius Dei, cæcis in ſe nec libera, nec meritoria. Si talem dicat Queſnellus operationem gratiæ, jam nihil differet à Calvino, & Luthero.

II. Hauſit Propoſitionem ſuam ex æſtimatiſſimo ſibi Janſenio, pluribus locis aſſerenti, talem jam eſſe efficaciam gratiæ, ut libero arbitrio non ſubjaceat.

III. ... VI. Hujus ſententiæ origo altiùs repetitur ex Calvino, & Luthero VII.VIII. ex Contra-remonſtrantibus : IX. ex pluribus Articulis Calvinianæ Synodi Dordracenæ Janſenio lectæ, & probatæ; ut juſte ſuſpicio ſit, eum hinc non pauca doctrinæ ſuæ capita deſumpſiſſe. Auget ſuſpicionem Joannis Franciſci Ottii Miniſtri Calviniani *Oratio de cauſa Janſeniſtica* : X. Imò videtur hæc doctrina eſſe ea ipſa, quàm in Janſenio ita laudabat Paulus Calonus, item Miniſter Calvinianus in epiſtola ad Janſenii fratrem. XI. Denique ea ipſa doctrina eſt, quam Joannes De l'Abadie, factus ex Janſeniſtâ Calviniſta, hinc novæ ſectæ hæreſiarcha, mirificè prædicat in epiſtola ad Janſeniſtas, ſuos olim confratres.

CAPUT VII.

Solutio objectionum. col. 174.

I. Congeruntur loca ex Scripturis : II. item ex epiſtola Africanorum Antiſtitum, ubi videtur aſſeri, voluntas Dei ſemper obtinere effectum; imò & alter ex Auguſtino producitur, quo creaturis tolli videtur poteſtas quidpiam à Deo volitum impediendi.

III. Hæc ipſa loca contra communem Eccleſiæ doctrinam de voluntate Dei ſalvandi omnes homines, pridem corraſa ſunt à Calvinianis, Janſenio, & Janſeniano ſimul, ac Bajano Catechiſmo Gallico à Sede Apoſtolica proſcripto anno 1650., qui adeò Calvinianis placuit, ut eorum unus, Samuel Mareſius, eum & impensè laudatum, & notis illuſtratum typis donarit *in uſum*, ut ajebat, *Eccleſiæ reformatæ*. Inter Calvinianos prædictis locis uſos ſunt Hieronymus Zanchius, & Andreas Vvilletus, vulgò dictus Calvini Abbreviator, IV. & utroque celebrior, Theodorus Beza. Adverſario jam directiùs reſpondetur. In objecto Auguſtini textu callidè ſupprimuntur hæc : *De his* (peccatoribus) *qui faciunt, quæ non vult* (Deus) *facit ipſe, quæ vult*, eos puniendo : quæ verba fundamentum præbent explicandi ſenſum aliquorum Authorum ſenſum, in quo omnis Dei voluntas intelligatur efficax, dum eam ſtatuunt conditionatam ſimul & disjunctivam: V. ad cujus efficaciam ſufficiet, unam objecti disjunctivè voliti partem effectum ſortiri; ſicut ad propoſitionis disjunctivæ veritatem ſatis eſt unam partem verificari. Meliùs tamen Angelicus, & Seraphicus cum Damaſceno voluntatem Dei diſtinguunt in antecedentem, conditionatam, inefficacem; & conſequentem, abſolutam, eamque efficaciſſimam. VIII. Hâc diſtinctione omnis objectorum textuum difficultas ſolvitur, & pridem ſoluta eſt à terribili Janſenii triumphatore Stephano Dechamps l.3. de hæreſi Janſeniana diſp. 7. c. 16. Adde nihil hic nobis objici, quòd Janſenio ſolvendum non ſit reſpectu voluntatis Dei antecedentis ſalvandi omnes Angelos, etiam reprobos; quibus fatetur, Deum media ſalutis ſufficientiſſima largitum eſſe, ſed citra effectum. VIII. Inſulsè explicat Janſenius Damaſceni ſententiam, quaſi aliud non velit, quàm Deum voluiſſe omnes homines ſalvos fieri ante præviſum Adæ peccatum, non verò, eo etiam peccato ſuppoſito. IX.... XI. quod quàm falſum ſit, novis iterum probatur Scripturæ teſtimoniis. XII. & probat Stephanus Dechamps etiam ex Auguſtino l.3. diſp.7. c.13. cujus hic titulus : *Clariſſimis Sancti Auguſtini teſtimoniis oſtenditur, Deum velle omnes, & ſingulos homines ſalvos fieri*. XIII. Authoritates hactenus productæ ab Hexaplis tantùm probant omnis Divinæ voluntatis efficacitatem; quâ, ut ſupra expoſitum eſt, admiſsâ, non propterea omnis gratia ſufficiens, & inefficax, à Scholis Catholicis aſſerta ſubvertitur. XIV. Contrarium non evincitur, ex eo, quod Auguſtinus dicat, *Deum ſinè dubio habere humanorum cordium, quocumque placuerit, inclinandorum omnipotentiſſimam poteſtatem*. XV. quæ optimè intelligitur citra neceſſitantem Janſenii gratiam; infinitas ſcilicet in theſauris ſuis gratias Deus poſſidet, ita ſingulorum hominum voluntatibus attemperatas; ut, quamvis rejicere eas poſſint, tamen rejecturi non ſint, quod Deus tam certò prævidere poteſt, quàm ſi neceſſitante Janſenii gratiâ homines ad conſentiendum adigeret. XVI. ſic veriſſimum ſimul erit, & maximè Catholicum, neminem, ut ait Proſper, potenti, ſeu efficaci Dei auxilio reſiſtere. XVII. Nihil hic eos moramur, qui, ut Pontificias Bullas, & formularium eludant, ajunt, reſiſti gratiæ etiam efficaciſſimæ, reſiſtentiâ nempe conſiſtente in luctâ, non deliberatâ voluntatis, ſed indeliberatâ concupiſcentiæ, quæ, Apoſtolo teſte, in Adami poſteris, etiam Sanctiſſimis, penè continua eſt; Reſiſtitur, inquiunt, ſicut *lapis reſiſtit impetui*, è quo tamen neceſſariò vincitur. Reſiſtentia, quàm Catholici admittunt, libera eſt ab omni neceſſitate, & proinde ad culpam imputabilis.

UNDECIMA PROPOSITIO DAMNATA.

Gratia non eſt aliud, quàm voluntas Omnipotentis Dei jubentis, & facientis, quod jubet. *Obſerv. Moral. in Marc.*11.*verſ.*11.

CAPUT I.

Propoſitionis error triplex. col.181.

I. Primus error eſt, gratiam nihil aliud eſſe, quàm voluntatem Dei. Secundus, qui ſuperiore Propoſitione ſatis refutatus eſt, gratiam omnem eſſe efficacem, ſive *facere, quod Deus jubet*. Tertius denique, nullam dari gratiam, niſi ad opera præcepta.

II. Contra primum facit, quòd gratia ſit donum Dei in anima receptum, adeòque aliquid à Divina voluntate diſtinctum, juxta communem Scripturarum, Conciliorum, SS. PP., & Orthodoxorum Theologorum authoritatem. III. Quis enim Philoſophus affectiones animæ, ſive ad intellectum, ſive ad voluntatem pertinentes, aliud nihil eſſe ſuſtineat, quàm Deum ipſum, aut ejus voluntatem? Gratiæ ad intellectum ſpectantes memorantur ab Auguſtino ſuaſiones, viſiones &c. IV. quæ ad voluntatem attinent, nuncupantur ab eodem inſpiratio amoris, ſuavitas, dulcedo, voluptas ſancta &c. V. Quis autem Catholicus adeò inſaniit, ut hæc omnia è Deo, ſanctiſſimaque ejus voluntate non diſtingueret? VI. robur hominis naturale procul dubio eſt aliquid in robuſto homine intrinſecè receptum; cur igitur robur ſupernaturale nihil

Digitized by Google

nihil ſit in anima à Deo productum, & à Divina ejus voluntate ſejunctum? Argumentum autem hic valere à naturalibus ad ſupernaturalia ex S. Thoma demonſtratur. VII. At, inquies, quomodo hanc gratiæ ideam conciliat Queſnellus cum Propoſitione ſua decima, ubi *gratiam* appellat *operationem manus Dei*? Ipſius eſt ſua contradictione ſe evolvere; quanquam apparens tantùm, & non realis ſit oppoſitio: nam *operationem manus omnipotentis Dei* à manu, ſeu voluntate Dei non diſtinguet, ſicut plures Theologi volitiones Dei liberas à voluntate non ſecernunt. Eum eſſe Queſnelli ſenſum, multa perſuadent; VIII. & inter alia, quòd in amica Queſnello *Theologia Morali ad mentem*, ut præfertur, *Magni Auguſtini* idem error ſatis perſpicuè tradatur. IX. Abſurdior erit error, ſi, ut Propoſitio illimitata eſt, nomine gratiæ accipiatur etiam *habitualis*, quaſi & hæc aliud non ſit, quàm Deus ipſe, aut ejus voluntas, quod repugnat Tridentino, & S. Thomæ, X. apud quem gratia ſanctificans eſt qualitas ſupernaturalis animæ infuſa, XI. quam à Queſnello non admitti, etiam aliunde juſta ſuſpicio eſt, utpote Baji ſequaci, & Bajanarum lucubrationum laudatore, quas Gerberonus recentioribus typis donaverat, unà cum ſchiſmaticis Notis, & Vindiciis: XII. Bajus autem juſtitiam, quâ juſtificamur, negavit olim conſiſtere *in gratia aliqua animæ infuſa*, quem errorem poſtmodum ſapienter retractavit. XIII. Errat tertiò damnata Propoſitio, nullam admittendo gratiam, niſi *quæ faciat, quod jubetur*: Unde ſequitur, vel conſilia Evangelica cum præceptis confundi, vel talia non eſſe, ut ad hæc opus ſit gratiâ. XIV. . . . . XXII. Odium, & contemptus, quò Religioſos Ordines inſectantur Janſeniani, non omnino inanem ſuſpicionem movent, conſilia Evangelica inter bona ſalutifera ab iis non numerari. Certè famoſus quoque Janſenii, & Sancyrani aſſecla Claudius Seguenotius, ejuſdem cum Queſnello inſtituti, librum fallaci, pro Janſeniſtarum more titulo edidit *de Virginitate*, ubi & virginitatis privilegia, & votorum Monaſticorum perfectionem peſſumdat in pluribus Propoſitionibus à Sorbona juſtiſſimè confixis; & inter quas hæc eſt tertia *Opera conſilii ubi inſpirata ſunt, & applicata huic, vel illi perſonæ . . . tranſeunt in præceptum.* XXIII. Ex qua intelligi utcunque poteſt, cur Queſnellus nullam niſi ad opera præcepta gratiam requirat in præſenti, quem impugnamus, Articulo, & quem fruſtrà ex his Chriſti verbis *tibi dico, ſurge: tolle grabatum tuum &c.* molitur extundere.

CAPUT II.

Hexaplorum argutiæ refelluntur. col. 188.

I. HExaplorum author quaſi perditam cauſam reparaturus, temerè textus accumulat ex Scripturis, SS. Patribus, Thoma à Kempis, nihil interpretationis, aut deductionis addens, unde pareat, qua ratione ex his damnatus error eruatur: aſturè id quidem: ſic enim & teſtimoniorum multitudine imperitis imponit, & ſimul occultat argumentorum infirmitatem, quæ ſtatim in oculos inſiliret, ſi ex productis authoritatibus legitimâ arguendi methodo errorem colligere attentaret. II. . . . . XIV. Recitantur loca omnia ab eo producta; XV. niſi, quòd in columna quarta Hexaplorum dicatur: *Hæc oratio S. Auguſtini* DA, QUOD JUBES, ET JUBE QUOD VIS *Articuli undecimi* (quem refellimus) *condemnatione proſcribi.* XVI. Itanè verò ad Deum attinet tribuere gratias omnibus efficaces, quoties præceptum urget? Ergo ſæpius officio deeſt, quàm ſatisfacit; XVII & reprobi habebunt, quo juſtiſſimè peccata excuſent. XVIII Enimverò non ita Sancti docuère: non Laurentius Juſtinianus XIX non Doctor Angelicus XX non Bonaventura XXI. non Concilium Senonenſe XXII. Ad Deum quidem pertinet præſtare ſemper; vel offerre auxilium præcepto implendo ſufficiens; non item ſemper, vel invitis obtrudere efficax, re ipſa *largiens, quod jubetur*. XXIII Objecta teſtimonia, quorum paulò ante meminimus, reſponſione non egent; XXIV cum iis tantummodo doceatur, Deum eſſe, qui ſuâ gratiâ operatur in nobis omne bonum, tam velle, quàm perficere; & pium, ſanctumque eſſe, petere à Deo, ut in nobis ſemper, quod jubet, efficiat, adeòque nobis ſemper auxilium efficax largiatur. Nemo autem inde, vel unum ex tribus erroribus cap. præc. oſtenſis, & confutatis deducat; XXV ut conſtare poteſt ſingulorum enumeratione, & ad doctrinam, quæ ex objectis textibus reſultat, applicatione.

DUODECIMA PROPOSITIO DAMNATA.

Quando Deus vult ſalvare animam, quocunque tempore, quocunque loco effectus indubitabilis ſequitur voluntatem Dei. *Obſer. Moral. in Marc. 2. verſ. 11.*

CAPUT I.

Repugnat Propoſitio Scripturis Sacris. col. 193.

I. SEnſus illimitatæ Propoſitionis minimè obſcurus eſt, omnes, & ſolos ſinè dubitatione ſalvari, quos ſalvari vult Deus: Omnes autem & ſolos ſalvari prædeſtinatos quis Catholicus ignorat? Suppoſito utroque antecedente, invictè concluditur, Deum omnes, & ſolos prædeſtinatos ſalvari velle. At, quod perperam aſſumit, & non probat Queſnellus, ſcilicet Deum ſolos eos velle ſalvare, qui re ipſa ſalvantur, evertitur primò ſcripturarum teſtimoniis depromptis II. III. IV. V. ex Ezechiele: VI. VII. ex Iſaia: VIII. ex Matthæo: IX. ex Apoſtolis Paulo, X. & Petro: XI. denique ex Joanne XII. quorum verba abſque reſtrictione Deo indignâ, reſtrictionum, ſaltèm verbo tenus, oſor Queſnellus cùm Propoſitione ſuâ nunquam componet. XIII. Etenim hæ, & ſimiles Divinæ locutiones: *Nolo mortem impii, ſed ut convertatur impius à via ſua, & vivat. Nunquid voluntatis meæ eſt mors impii?* hæc ingeminatio *Convertimini, convertimini* ejuſmodi ſunt, ut, qui eas audit, non dubitet, velle Deum omnes peccatores ab impietate ad juſtitiam, ab interitu ad ſalutem converti: XIV. gratiam autem eis ad hoc non deeſſe, XV. Deus ipſe rurſum affirmat; modò exprobrando, *Quid eſt, quod ultra debui facere vineæ meæ, & non feci ei? &c.* XVI. modò conquerendo: *Expandi manus meas tota die ad populum non credentem, & contradicentem*: XVII. modò vocando, & promittendo: *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos.* XVIII. Cur Deus non prædeſtinatis ita ſuccenſet, quòd *Charitatem veritatis non receperint*, ſi eos, juxta Queſnellum, *Charitatem veritatis* recipere, ut ſalvi fierent, noluerit? XIX. Juxta eumdem Petrus dicere non debuit: *Deum nolle aliquos perire*; ſed nolle aliquos electorum perire. XX. Nec Joannes verè dicere potuit, *Ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris; non pro noſtris autem tantùm; ſed etiam pro totius mundi*, niſi nomine totius mundi ſolos prædeſtinatos ineptiſſimè intelligas &c.

CAPUT II.

Duodecima Propoſitio contraria eſt doctrinæ Conciliorum. col. 196.

I. COntraria eſt Concilio Lateranenſi II. Arauſicano III., IV. Valentino tertio ſub Lothario: V. VI. VII. VIII. Senonenſi: IX. . . . . XVIII. Tridentino: XIX. Ex quorum Conciliorum authoritate invictiſſimè concluditur, proſcripti Articuli doctrinâ hominibus eripi omnem Divina exequendi imperia facultatem, quoties non exequuntur ea, quæ gratiæ requirunt auxilium; imo verò & ipſi Deo auferri omnem in talibus circumſtantiis imperandi poteſtatem.

CAPUT III.

Eadem Propoſitio oppoſita eſt Conſtitutionibus Pontificum. col. 202.

I. II. III. QUoties ſive peccator, ſive juſtus mandatis non obtemperat, indicium juxta Propoſitionem manifeſtum eſt, Deum obedientiam illam non voluiſſe; nam *quocunque tempore, quocunque loco effectus indubitabilis ſequitur voluntatem Dei.* Nec minùs juxta eamdem hypotheſim clarum eſt, nullum à Deo conceſſum, oblatumve fuiſſe auxilium ſufficiens ad effectum, quem nullatenus voluit. Itaque tunc ſemper obedientia impoſſibilis eſt: & proinde vera eſt hæc prima Janſeniana *Aliqua Dei præcepta &c.* IV. Sequitur hinc quoque ſecunda Janſeniana: *interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ nunquam reſiſtitur*: Si nempe ſemper *effectus indubitabilis ſequitur voluntatem Dei*, etiam effectus indubitabilis ſequitur ſemper interiorem gratiam ad determinatum effectum obtinendum, à Deo datam. Unde Gummarus Huyghens, dùm viveret, Queſnello devotus, in confixo Romæ *Compendio Theologico, ſinguli*, aiebat, *gradus gratiæ ſemper in nobis obtinent id, quod per illos vult Deus.* V. Damnato Queſnelli Articulo connexa pariter eſt hæreſis Janſenii tertia VI. VII. quarta VIII. X., & quinta. X. Item quarta Propoſitio inter 31. ab Alex. Octavo damnatas XI., & ſexageſima ſeptima inter Bajanas à tribus Pontificibus confixas: *Homo peccat, etiam damnabiliter, in eo, quod neceſſariò facit.* XII. Qua verò ratione damnationem mereri poſſint tranſgreſſiones illæ, quæ Deo non volente, nec auxilium ſufficiens offerente, vitari nequeunt, nullus facilè, Janſenianis, & Bajanis myſteriis non initiatus, aſſequatur: hic Queſnello confugiendum eſt ad Bajanam trigeſimam nonam, *quod voluntariè fit, etiamſi neceſſariò fiat, liberè tamen fit &c.*

CAPUT IV.

Propoſitio duodecima repugnat traditioni Patrum. col. 207.

I. II. REpugnat S. Ignatio Martyri: III. IV. Dionyſio: V. Irenæo: VI. Ephrem Syro: VII. Ambroſio: VIII. IX. X. Chryſoſtomo: XI. Hieronymo: XII. XIII. XIV. XV. Auguſtino: XVI. XVII. XVIII. Authori librorum de vocatione gentium: XIX. XX. Proſpero: XXI. XXII. Paulino: XXIII. XXIV. Damaſceno: XXV. Anſelmo: XXVI. Oecumenio: XXVII. Laurentio Juſtiniano.

CAPUT V.

Duodecima Propoſitio pridem rejecta à Scholaſticis. col. 210.

I. II. III. IV. V. REjecta eſt à S. Thoma: VI. VII. VIII. à S. Bonaventura: IX. à Scoto: X. ab Altiſiodorenſi: XI. à cæteris paſſim Theologis, etiam Lovanienſibus: XII. ut Driedone: XIII. Ruardo Tappero: XIV. Cunero Petri Epiſcopo Leovardienſi: XV. & Joanne Maldero Epiſcopo Antverpienſi. XVI. Legi meretur præclariſſima Eminentiſſimi Aguirre ſententia impugnatæ hactenus Propoſitioni infeſtiſſima.

CAPUT VI.

E quibus fontibus haurire Queſnellus potuerit doctrinam Propoſitionis duodecimæ? col. 213.

I. NOn aliunde hauſiſſe ſe teſtatur præſentem Propoſitionem, quàm unde hauſerat ſuperiorem; ſcilicet ex his Chriſti ad Paralyticum verbis: *Tibi dico, ſurge: tolle grabatum tuum, & vade in domum tuam.* Verùm jam ſupra dictum eſt, aliâ Deum ratione curare infirmitates corporum, aliâ animorum. Sanatio corporum à Deo ſolo pendet, non ſalus animarum, ſaltem in adultis. Horum ſalus liberam hominis cooperationem exigit; ſanatio corporum ſoli tribuenda miraculo, nec à libero hominis conſenſu pendet, nec à cooperatione &c. Reſtat igitur, alios fontes inveſtigemus, unde multò probabilius Queſnellus hæreſim ſuam mutuari potuerit. II. . . . . VIII. Talis fons eſt Janſenius locis quamplurimis. IX. X. Talis Calvinus: XI. Talis denique Chamierus Calvini diſcipulus.

CAPUT VII.

Solutio eorum, quæ ad Propoſitionis duodecimæ defenſionem allegantur. col. 215.

I. OBjecta ex Scripturis loca: II. probant Dei omnipotentiam, de quâ, qui primum Symboli Articulum tenet, nullatenus dubitat: III. Quod ex Auguſtino opponitur, ſolvitur facillimè diſtinctione Divinæ voluntatis in *antecedentem*, & *conſequentem*. IV. quam explicatiùs docuerunt Damaſcenus, Thomas, Bonaventura cum Scoto, cæteriſque eos ſecutis Scholaſticis; & cujus ope ſimul diluitur quidquid in Hexaplis, vel alibi à Conſtitutionis Pontificiæ, & fidei hoſtibus corraſum obtruditur. Adverſarium non pudet nobis objicere Sanctum Thomam dicentem: *quidquid Deus ſimpliciter vult, fit*, in cujus loci allegatione triplex perfidia committitur. Prima eſt, quòd *ſimpliciter* vertat Gallicè *veritablement*, id eſt, verè; Cùm velle *ſimpliciter* ſit velle abſolutè, & ſine conditione, ſive, ut Angelicus eodem loco explicat, *conſequenter*. V. Convenitur Adverſarius argumento ad hominem: Nonne Adamum Deus *verè voluit* mandato ſuo obtemperare, cumque ideo tot donis cœleſtibus, & auxiliis maximè ſufficientibus inſtruxit? Sanè tam Janſenius, & Janſenii aſſeclæ, quàm eorum adverſarii hâc in parte conſentiunt. Non voluit tamen id Deus *ſimpliciter*, & abſolutè: Non igitur idem eſt *verè velle*, & velle ſimpliciter. VI. Secunda perfidia eſt verborum in textu proximè ſequentium prætermiſſio: ſic enim Angelicus loquitur: *Quidquid Deus ſimpliciter vult, fit*, LICET ILLUD, QUOD ANTECEDENTER VULT, NON FIAT. Porrò ema hæc damnato Articulo infeſta ſunt, nec dubitare ſinunt, quin *velle ſimpliciter*, idem ſit ac *velle conſequenter*, & abſolutè. VII. Tertia perfidia eſt omiſſio præcedentium; ex quibus agnoſcere debuit, admittere Angelicum in Deo veram voluntatem antecedentem erga ſalutem omnium prorſus hominum. Ubi enim S. Doctor dixit: *Judicem juſtum antecedenter velle omnem hominem vivere; ſed conſequenter velle homicidam ſuſpendi: ſimiliter*, inquit, *Deus vult antecedenter omnem hominem ſalvari, ſed conſequenter vult quoſdam damnari ſecundùm exigentiam ſuæ juſtitiæ*; poſt prævîſam ſcilicet mortem in peccato mortifero: VIII. nec voluntas prior eſt ſola ſigni voluntas, ſed beneplaciti, ut rectè advertit gloſſa marginalis IX. & docet etiam S. Bonaventura his verbis: *Deus voluntate beneplaciti vult omnes homines ſalvos fieri.* X. Ex his redarguitur Hexaplorum animadverſio, fingens Queſnellum nihil aliud, quàm quod Sancti Patres docuerant, tradidiſſe. XI. Ultimum, quod opponitur, eſt dictum Thomæ à Kempis, ut maximè Catholicum, ita ſtabiliendo errori ineptiſſimum.

DECIMATERTIA PROPOSITIO DAMNATA.

Quando Deus vult animam ſalvam facere, & eam tangit interiori gratiæ ſuæ manu, nulla voluntas humana ei reſiſtit.

Obſerv. Moral. Luca 5. v. 13.

CAPUT I.

Propoſitio erroris convincitur. col. 221.

I. PRæcedens Articulus ad omnes, hic ad ſolos rationis compotes extenditur, ſolos capaces, ut interiori manu Divinæ gratiæ tangantur, eique conſentiant, vel re-

Digitized by Google

reſiſtant. Mentio autem tactûs interioris gratiæ non temerè, ſed certo conſilio fit; II. nè agi videatur de *nudo quodam velleitate nihil omnino gratiæ cauſante*, ut loquitur Janſenius, ſeu de ſterili complacentia, qualem Deus habet etiam erga ſalutem Diaboli, ut poſſibilem: quâ freti Janſenius, & Queſnellus explicare, vel eludere ſe confidunt quæcunque Scripturarum teſtimonia pro voluntate ſalvandi omnes à Catholicis proferuntur; III. ſed in vanum id ſperant, cùm Deus omnes, etiam reprobos, ad ſalutem, juſtitiam, & pœnitentiam vocet: Quis autem ſapiens vocet ad impoſſibile? Quis verò ſalvari poteſt ſinè gratiâ? Quis ſinè ea ad juſtitiam diſponi, & converti? Plurimos itaque Deus ſalvare vult, & tangit interiore gratia, qui ex ſua pervicacia ad ſalutem non perveniunt; IV. ad quam non ſufficit etiam Chamieri Calviniſtæ, & affinium ei Janſeniſtarum poteſtas remota ſimilis ei, qua mutus capax eſt muſicæ, ſurdus auditionis, inſanus ratiocinii &c. etſi ad poteſtatem canendi, audiendi &c. proximam emergere nequeant. V. Non omnes habere juſtitiæ, aut pœnitentiæ potentiam proximam facilè aſſentimur, dummodo iſtiuſmodi remota concedatur, quâ proximam obtinère poſſint. VI. Nudam Janſenii velleitatem non ſufficere verificandis teſtimoniis Scripturarum, eorum allegatione probatur VII. & authoritate S. Thomæ. VIII. Non ſufficere item Calvinianam poteſtatem remotam oſtenditur ratione, IX. Scripturis veteris, X. & novi teſtamenti XI. iteratâ authoritate S. Thomæ, XII. & exemplis. XIII. Errorem, quem hæc Propoſitio ſuperaddit duodecimæ, abundè caſtigavimus ad Propoſitionem nonam. XIV. Nititur rurſum proſcriptus Articulus miraculosâ unius corporis curatione apud S. Lucam: *Extendens manum tetigit eum, dicens, volo: mundare; & confeſtim lepra diſceſſit ab eo;* unde generalis concluſio ineptiſſima deducitur de curatione, & ſalute æterna animarum: *Quando Deus vult animam ſalvam facere, & eam tangit interiore gratiæ ſuæ manu, nulla voluntas humana ei reſiſtit.* Nè quidem, ſi apud Lucam ſermo eſſet de ſalute animæ, ex caſu ſingulari ad univerſos probabilis eſſet conſecutio; quantò minùs ergo concludere id licebit ex unica, & eam diſpare ſanatione corporis, quæ miraculo patrata ſolius Dei operatio eſt, nihil cooperante, aut concurrente humani arbitrii libertate?

CAPUT II.

Solutio eorum, quæ objiciuntur ex Scriptura. col. 225.

I. OBjicitur ex Geneſi: *Num Dei poſſumus reſiſtere voluntati?* Ita reſpondet Ioſeph fratribus veniam precantibus de venditionis delicto, à Deo quidem permiſſo; ſed minimè volito, juxta illud Pſalmiſtæ: *Quoniam non Deus volens iniquitatem tu es.* Optimos fines, ob quos Deus hanc fratrum perfidiam permiſit, indicat Joſeph: *Vos cogitaſtis de me malum; ſed Deus vertit illud in bonum, ut exaltaret me... & ſalvos faceret multos populos:* Noluit Deus, ut Joſephum fratres venderent, neque dubium eſt, quin eum remordente conſcientiâ, & Spiritui Sancto reſiſtentes, vendiderint. Huic itaque Divinæ voluntati reſtiterunt; ſed non voluntati permittendi peccatum, quæ ſolùm conſequens eſt. II. Poteſt quoque complexum utriuſque voluntatis hâc ratione efficax prædicari, & tale cui reſiſti nequeat, ſi cum disjunctione enuntietur: *Volo, ut non vendatur Joſeph, vel ſi venditus fuerit, exaltetur.* Et reſpectu cujuſvis alterius peccati; *Volo peccatum non fieri; vel ſi fiat, eliti ex eo bonum, quale eſt meæ patentiæ, & juſtitiæ vindicativæ manifeſtatio.* Talis disjunctivæ in Deo voluntatis ſpecimen recenſetur ex Sancto Auguſtino. III. Opportunior tamen erudiendis populis eſt diſtinctio Divinæ voluntatis in antecedentem, quæ conditionalis eſt, & conſequentem, quæ abſoluta eſt. Hac diſtinctione, quàm poſt Damaſcenum amplexi ſunt Scholarum Principes, commodiſſimè explicatur IV. V. VI. quidquid opponitur ſive ex libro Eſther. VII., ſive ex libro Job. VIII., ſive ex Apoſtolo; quanquam hæc ejus verba; *Voluntati enim ejus quis reſiſtit?* non ſignificent Apoſtoli ſententiam, ut videatur velle inſinuare Hexapla; ſed aliorum objectionem, quam ſibi format occaſione iſtius, quòd præcedit: *ergo cujus vult miſeretur, & quem vult indurat*, quod poſtremum de voluntate permittente potiùs ad fines juſtiſſimos, quàm decernente Orthodoxi intelligunt contra Calvinum, de obduratione, & reprobatione dicentem *admonentur homines nihil cauſæ quærere extra ejus voluntatem.* IX. X. XI. Catholicis potiùs placeat ſapientiſſima Cornelii A Lapide obſervatio in proxime citatum Apoſtoli textum.

CAPUT III.

Solutio eorum, quæ objiciuntur ex S. Auguſtino. col. 230.

I. SOlvendis, quæ ex Auguſtino opponuntur, II. adhibenda pariter eſt memorata diſtinctio Divinæ voluntatis in antecedentem, & conſequentem; quæ nè cuipiam recenter ab Angelico, & Seraphico Doctore in Eccleſiam introducta videatur; oſtenditur rem antiquiſſimam voce novâ fuiſſe expreſſam: eamdem enim diſtinctionem verbis æquivalentibus tradidit Auguſtinus III... VII. & quidem locis plurimis VIII.... XII. eamdem tradiderunt ante Auguſtinum præcipui Patres Ambroſius, Hieronymus, Chryſoſtomus. Non minùs facilè fuerit, voluntatem Dei antecedentem, inefficacem, affixam conditioni hominibus liberæ, & ſæpiſſimè ab eis contemptæ ex ipſis eruere Scripturarum oraculis; XIII. quorum aliqua proferuntur ex libro Sapientiæ, XIV. ex Ezechiele, XV. ex Matthæo.

DECIMAQUARTA PROPOSITIO DAMNATA.

Quantumcunque remotus à ſalute ſit peccator obſtinatus, quando JESUS ſe ei videndum exhibet lumine ſalutari ſuæ gratiæ, oportet ut ſe dedat, accurrat, ſeſe humiliet, & adoret Salvatorem ſuum. *Obſerv. Moral. in Marc. 5. v. 6.*

CAPUT I.

Propoſitio de hæreſi redarguitur. col. 234.

I. QUeſnellus hìc tam præpoſterè benignus, quàm aliàs exoticè rigidus, Peccatorum converſiones tam frequentes, tam ſubitas eſſe ſtatuit, ut qualicunque oborto gratiæ lumine, quo vel per citoam *JESUS videndum ſe exhibet, peccator* quilibet, *quantumcunque remotus à ſalute ſit, & obſtinatus*, certiſſimè *ſe dedat, accurrat, ſe humiliet, & adoret Salvatorem ſuum.* Et quidem, inquit, *oportet ſe dedat;* quaſi diceret: reſiſtere ampliùs non poteſt, *dedat ſe* neceſſe eſt.

II. Hanc enim hìc eſſe vim vocis oportet, patet ex adverſativa Propoſitionis parte *quantumcunque remotus à ſalute ſit Peccator.* Locutio itaque nimiùm illimitata non falſa modò eſt, & circa mores abuſibus obnoxia; ſed hæretica prorſus & ſecundâ Janſeniana hæreſi deterior. III. Erravit ſcilicet Janſenius, omnem interiorem gratiam in hoc ſtatu efficacem ſtatuens, cui nunquam reſiſtitur; Queſnellus autem tam efficacem fingit, ut nulla ei pertinacia Peccatoris reſiſtere valeat: *Quantumcunque obſtinatus, oportet ſe dedat, accurrat.* Quis credat Chriſtum nunquam *ſe* Judæ *videndum exhibuiſſe lumine ſalutari ſuæ gratiæ*, ut eum ab impietate revocaret? Contrarium ſanè teſtatur Cyrillus Alexandrinus. IV. Quis ad omnium elementorum luctum in morte Chriſti, nulli ex reprobis Judæis radium Divinæ gratiæ affulſiſſe exiſtimet, *quo ſe ei JESUS videndum exhiberet.* V. Credamus potiùs Chryſoſtomo: VI. Credamus Authori operis de vocat. gentium: Credamus ipſis Peccatoribus, utcunque peccandi conſuetudini irretitis, qui indubiè fatebuntur, non raro ſe gratiæ ſtimulis ad reſipiſcentiam excitari. VIII. Propoſitionem ſuam univerſalem confecit ite-

Digitized by Google

iterum Queſnellus ex uno caſu ſingulari: *Videns autem* (energumenus) *JESUM à longè, accurrit, & adoravit eum.* Deinde unde novus interpres eruit, energumenum ſalutis æternæ potiùs, quàm temporalis amore accurriſſe? Denique ea ejus accurſu, & adoratione non ſequitur, quòd motui ad currendum impellenti reſiſtere non poterit, ut verbo *oportet* Queſnellus indicat.

CAPUT II.

Adverſariis nullæ favent Scripturæ. col.237.

I. PRolians textus Ezechielis II. probat optimè, de quo nulla eſt controverſia, Deum poſſe ope gratiarum infinitarum, quas in theſauris ſuis poſſidet, quoſcumque Peccatores induratos convertere, & Idololatras ad ſanctum unius veri Dei cultum perducere: ſed non dicit Ezechiel, omnem Dei gratiam id efficere; III. iſtud eſt tamen, quod de ſingulis Divinæ gratiæ auxiliis aſſeritur Propoſ.14. *Quantumcunque remotus à ſalute ſit peccator &c.* IV. Non plus ſequitur ea alio ejuſdem Prophetæ textu. V Non item plus præſidii eſt ex novo Teſtamento, & exemplo converſionis S. Pauli: VI. ubi habemus quidem Paulum cœleſti gratia illuſtratum, dedentem ſe &c. ſed quo revelante, didicit Adverſarius, eum totâ vitâ præteritâ nihil unquam cœleſtis luminis accepiſſe, quo ad Chriſtum citiùs venire potuerit, & tamen non venerit. Nonne clarè oppoſitum teſtantur hæc: *Durum eſt tibi contra ſtimulum calcitrare?* VII Adde S. Gregorium luculentiſſimè id confirmantem.

CAPUT III.

Nihil præſidii Adverſariis eſt in Sanctis Patribus. col. 240.

I... V. NIhil præſidii eſt in S. Ambroſio apud S. Auguſtinum ita loquente: ,, Quos JESUS reſpicit, ,, plorant delictum. Negaverat primò Petrus, & non flevit; quia non reſpexerat Dominus; negavit ſecundò, & ,, non flevit; quia adhuc non reſpexerat Dominus. Negavit & tertiò, reſpexit JESUS, & amariſſimè flevit,, Nihil hic, inquam, Adverſario præſidii eſt: Perſpicuum enim eſt, totum Auguſtini contextum legenti, utriuſque Sancti Doctoris ſententiam eſſe, non quòd fleat Peccator, quandocunque, & quomodocunque eum benignus Salvator reſpiciat; ſed quòd non fleat, antequam ab eo reſpiciatur. VI. Nihilo plus Adverſario pendeſt epiſtola S. Auguſtini ad Vitalem, ubi agit de converſione S. Pauli, quem Deus fecit *volentem credere ex nolente:* VII. nam quid ex eo, quòd Deus Paulum converterit, & eum, qui priùs credere noluerat, volentem fecerit; ſequitur pro eliminanda ea omnium animis gratia ſufficiente, & aſſerendâ ſingularum Dei motionum certiſſimâ victoriâ? VIII. Non minùs ineptum Adverſarius argumentum format ex libro Confeſſionum, ubi Auguſtinus Dei erga ſe miſericordiam agnoſcens, ſic eum alloquitur: *Vocaſti, & clamaſti, & rupiſti ſurditatem meam. Coruſcaſti, ſplendiſti, & fugaſti cæcitatem meam:* ſcilicet huc redit argumentum: Deus ita vocavit Auguſtinum, ita clamavit, ut ruperit ejus ſurditatem: Ergo quotieſcunque Deus Peccatorem quantumcunque obſtinatum vocat, rumpit ejus ſurditatem. Quòd ſi ita eſt, perperam Deus conqueritur in Proverbiis: *Vocavi, & renuiſtis &c.* De ſe autem ita queritur Auguſtinus ,, Cogitabam hæc, & aderas mihi: ſuſpirabam, & audiebas me: fluctuabam, & gubernabas me: ibam per viam ,, ſæculi latam, nec deſerebas me.,, Quis credat hic, & in centenis ejuſmodi locis, nihil indicari Divinæ gratiæ Auguſtino collatum ante converſionem? IX. Quomodo tantopere accuſaret præteritam in amando Deo negligentiam, ſi amaſſet quàm citò potuit. Non potuit autem citiùs, ſi omni gratiâ caruerit: Verba ejus iterum ſunt ipſo, quod objicitur, capite: ,, Serò te amavi, Pulchritudo tam antiqua, & tam nova! ſerò te amavi! Et ecce intus eras, & ego foris &c.,, X. Nihil penitùs ad rem facit, quod intorquetur ea eodem Auguſtino lib. de

Prædeſtinatione. ,, Hæc itaque gratia, quæ occultè humanis cordibus Divinâ largitate tribuitur, à nullo duro ,, corde reſpuitur. Ideo quippe tribuitur, ut cordis duritia primitus auferatur. ,, Nam non agitur hìc de quocunque auxilio; ſed de gratia *Prædeſtinatorum*, & quæ effectus *prædeſtinationis* eſt: illam autem à nullo duro corde reſpui, omnium Scholarum Theologi agnoſcunt; ſed omnem gratiam eſſe talem, eſſe efficacem, nullam obtingere præterea ſufficientem, negant omnes Catholici, tanquam fidei, & Divinæ miſericordiæ contrarium. Æquè futilis eſt objectio petita ea oratione *ſecreta*, qua petimus, ut Deus *etiam rebelles compellat propitius voluntates*. Aliud eſt enim gratiam à Deo petere efficaciſſimam, aliud eſt nullam agnoſcere, niſi talem. Prius omnium piorum eſt, poſterius hæreticorum. Optima ſemper rectè capeſſuntur; ſed non propterea, quæ ſunt inferioris ordinis, deſinunt eſſe bona. XI. Meminerint novi illi Eccleſiæ reformatores, ſe iſtiuſmodi dogmatibus maximam inducere morum diſſolutionem, ſuppeditando excuſationem peccatis omnibus, quæ ſinè gratia vitari non poterant, præſertim iis, ad quæ turpis libido vehementer allectat. XII. Placuit Adverſario integram paginam, & ultra implere prolixâ citatione ex lib. 2. de vocatione gentium; ubi nihil aliud aſſeritur, quàm agnoſcendam eſſe aliquam gratiam efficacem, quam nemo Catholicus non profitetur. Quanto meliùs attendiſſet ad ea, quæ eodem libro traduntur: *Gratia Dei in omnibus juſtificationibus principaliter præeminet .... Quæ opitulatio .... quod à multis refutatur, ipſorum eſt nequitiæ &c.* XIII. Si à multis *opitulatio gratiæ refutatur*, non igitur omnis gratia talis eſt, *ut oporteat quemlibet peccatorem, quantumcunque obſtinatum, ſe ei dedere, accurrere, humiliare ſe, adorare Salvatorem ſuum.* In eamdem cum proximè citato Auguſtini diſcipulo ſententiam eunt Magnus Oroſius, XIV. XV. & Anſelmus.

DECIMAQUINTA PROPOSITIO DAMNATA.

Quando Deus mandatum ſuum, & ſuam externam locutionem comitatur unctione ſui Spiritûs, & interiore vi gratiæ ſuæ, operatur illa in corde obedientiam, quam petit. *Obſerv. Moral. in Luc.9. v.60.*

CAPUT I.

Propoſitio hæretica refellitur. col. 247.

I. QUeſnellus ſecundæ Janſenianæ Propoſitionis hæreſim ubique captatâ occaſione ingerit; ſed, ut faſtidium levet, novis ſemper condimentis, novo, inquam, verborum ornatu diſſimulatam. II. Indefinitæ Propoſitionis dogmaticæ ſenſus apud omnes hic eſt: *Quotieſcunque Deus mandatum ſuum &c.* Quod ſimplicius ſic proponi poteſt: Quotieſcunque Deus mandato ſuo jungit auxilium gratiæ, mandatum ſemper impletur: Nam juxta novos Theologos *interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ nunquam reſiſtitur*, quæ eſt ſecunda Janſeniana. III. Non una ſolùm hæreſis huic Queſnelli Articulo implexa eſt; ſed etiam prima Janſenii, tertia, & quinta. IV. Item inter 31. Propoſitiones ab Alex. Octavo damnatas prima, V. & ſecunda. VI. Nos cum Catholicis dicamus, quòd, quando Dei mandato exequendo requiritur unctio Spiritûs Sancti, ſeu gratia interior, ea ita detur, vel offeratur, ut ſæpe, vitio noſtro repulſa, non *operetur in corde obedientiam, quam petit*. VII. Novitatem ſuam vidit Queſnellus, ubi nullus Catholicus eam deprehenderet, ſcilicet in his Lucæ 9. v.60. *Dixitque ei* (Juveni ad ejus ſequelam invitato, & tergiverſanti) *JESUS: ſine, ut mortui ſepeliant mortuos ſuos: Tu autem vade, & annuntia regnum Dei.* Promittenti ſe ſecuturum, ubi renuntiaſſet his, quæ domi ſunt, *ait... JESUS: Nemo mittens manum ſuam &c.* Unde paſſim colligunt Interpretes, juvenem illum Chriſto poſtea non acceſſiſſe: hinc verò concludit Queſnellus, nullam eum ad hoc interiorem gratiam habuiſſe: nam *quando Deus mandatum ſuum, & ſuam*

ſuam externam locutionem comitatur unctione ſui Spiritus, & interiori vi gratiæ ſuæ, operatur illa in cordibus obedientiam, quam petit. Perſuaſum è contrario eſt omnibus probè Catholicis, Chriſtum non jubere, non petere, non ſuadere impoſſibilia, quale eſſet, relictis omnibus, ſequi Chriſtum, abſque interiori gratiâ.

CAPUT II.

Solvuntur objectiones. col. 250.

I. EX objecto textu Ezechielis optimè probatur, quod nemo negat, non deeſſe Deo talem unctionem gratiæ, quâ operetur in cordibus obedientiam, quam petit: ſed non probatur, quod probandum erat, Deum omni interiore gratiâ effectum illum obtinere. II Imo ex eodem Propheta probatur oppoſitum: Cùm illic Deus peccatoribus omnibus pœnitentiam imperet, qui eam tamen non agunt, non defectu gratiæ, quam iis deeſſe non patitur, qui impoſſibilia jubere non poteſt; ſed pervicaciâ malæ voluntatis. III. A Scripturis IV. confugit Queſnellus ad Auguſtinum de prædeſtin. Sanctorum, ſolitam hæreticorum in naufragio tabulam; ſed quæ unius voculæ *auditur* uſitatiſſimâ explicatione eripitur: *Audire* enim non rarò ſumi pro exaudire, obaudire, ſeu obedire, nemo ignorat. *Quando ergo Pater* (hoc ſenſu) *intus auditur, & ſic docet, ut veniatur ad Filium*, ſinè dubio *aufert cor lapideum, & dat cor carneum .... facit filios promiſſionis &c.* Si verò *audire* ſumatur in ordinaria ſignificatione, certiſſimum eſt ſæpè Deum audiri, & tamen cor lapideum non auferri: alioqui Pſalmiſta fruſtrà tam ſolicitè moneret: *Hodie ſi vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda veſtra*. V. Meminerit Lector, Auguſtinum in objecta ſententia agere de ſingulari vocatione, & inſtitutione Prædeſtinatorum, ut patet vel ex ipſo libri titulo. Aliàs Sanctus Doctor vocationem internam, obſtinatione hominis ſubinde irritam eſſe docet in adductis locis, VI. VII., & ante cum Chryſoſt. VIII. IX. Secundus X. & tertius locus ex Auguſtino objectus oſtendit objicientis malam fidem, & impudentiam. Cùm illic agatur de gratia, non qualicunque, ſed quæ datur *ſecundum propoſitum, & filiis promiſſionis*, ſeu prædeſtinato: unde non mirum eſt, ab eâ obtineri obedientiam, quam petit. Ex efficacitate autem gratiæ, quæ datur prædeſtinatis, nullâ ratione deduxeris, omnem gratiam, etiam quæ reprobis conceditur, ſemper conſequi effectum, ut in proſcripto articulo affirmatur. XI. Vocatur etiam in Queſnelli ſubſidium S. Fulgentius referens mirabilem quamdam unctionem Spiritus Sancti, quæ animum inebriet, & nonſolummodo victoriam, ſed etiam oblivionem inducat omnium carnis affectuum: ſed quid iterum ex ſpeciali aliquâ hominum perfectorum gratiâ concludi poteſt pro defenſione Articuli aſſerentis, omnem ſemper gratiam operari in corde obedientiam, quæ petitur? XII Quid, quòd ipſe Thomas à Kempis in partes ab Adverſario trahitur; ita Deum alloquens: *Tu potiùs loquere, Domine Deus ... tu ſolus ſinè eis* (Prophetis) *potes me perfectè imbuere ... loquere mihi .... ad totius vitæ emendationem &c.* Tales ſi deſiderentur ſuppetiæ, deſcribi poterunt integra Aſceticorum volumina.

DECIMASEXTA PROPOSITIO DAMNATA.

Nullæ ſunt illecebræ, quæ non cedant illecebris gratiæ; quia nihil reſiſtit Omnipotenti. *Obſerv. Moral. in Act. 8. verſ. 12.*

CAPUT I.

Error Propoſitionis evertitur. col. 256.

I. SI omnia cedant illecebris gratiæ, & quidem ideo, quia *nihil reſiſtit Omnipotenti*, oportet quamlibet gratiam ab Omnipotente dari voluntate efficaci, ut omnes *ei cedant illecebræ, reſiſtat nihil*; nè ipſum quidem arbitrium voluntatis; quod ſinè ambagibus clarè exprimit ſecunda Janſeniana: *Interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ nunquam reſiſtitur*. Ex qua iterum Queſnelli hæreſi profluunt tres aliæ; prima, tertia, & quinta Janſenii. II. Magna quidem vis gratiarum eſt, ſed non æqualis omnium, & in omnibus. Accedit, nobis continuò luctandum eſſe cum hoſte tum domeſtico, tum externo, eoque duplice, mundo, & dæmone; quorum hic ſemper infeſtus, ſemper inſidians, nullam tentandi opportunitatem prætetit. III. Verùm ejus malitiâ longè ſuperior Dei bonitas infinita, tentationum multitudine non ſinit rariorem eſſe copiam gratiarum. IV. At quodnam hoc mirabilium Sanctorum genus eſt, quod in tanta diverſorum motuum, hinc ad bonum, inde ad malum impellentium frequentiâ, nunquam Deo ſeu imperanti, ſeu meliora ſuadenti ſe ait reſiſtere; & quod tamen omni legitimæ in terris poteſtati contumaciſſimè reſiſtit?

CAPUT II.

Solutio objectionum ex Scripturis SS. col. 258.

I. CIramur à Queſnelio ad Act. 8. v. 12. ubi iterum, ut aliàs ferè ſemper, turpiſſimè impingit in conſequentiarum leges. Verum ſiquidem eſt, illecebras gratiæ fuiſſe victrices in iis, qui Philippo *evangelizanti de regno Dei* crediderunt: ſed ridiculum eſt, ex hoc antecedente concludere: ergo omnes illecebræ gratiæ in omnibus ſemper victrices ſunt. II. Eodem modo peccant Hexapla amorem ſponſæ in Canticis, veluti cæterarum gratiarum regulam producentia. Quid enim ſtolidius, quàm ex amore alicujus, vel aliquorum perfectiſſimo, & inflexibili, ſicut mors, & infernus inflexibiles ſunt, metiri omnem, etiam incipientium amorem, omnem gratiam eò invitantem, quam fides docet frequentiſſimè repelli, aut negligi? III. Dilectio illa flagrantiſſima, quam pulcherrimè depingit S. Bernardus, rectè ad exemplum, & ædificationem fidelibus proponitur; verùm talem reperiri ſemper Divinæ gratiæ effectum, quis, niſi inſanus, aſſeveret? IV. Teſtimonia ex Pſalmis coacervata probant, de quo nulla eſt quæſtio, animas ſanctas in amore Dei, & mandatorum ejus experiri delicias mirabiles; ſed Eccleſia Catholica novit gratias à gratiis ſecernere: Ipſi Regi Pſalmographo non adeò ſemper dulcia fuere Dei eloquia, & præcepta, neque tam fortes gratiarum illecebræ, ut eas aliquando illecebris carnis non poſtpoſuerit. V. A veteri teſtamento ad novum transferimur, ſcilicet ad illud Apoſtoli „Si Deus pro nobis, quis „ contra nos. ... Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti? „ Tribulatio? an anguſtia? .... certus ſum enim, quia „ neque mors &c. „ Ad quod reſpondeo primò, ex verſu præcedenti manifeſtum eſſe, non ſignificari, quamcunque nobis Deus gratiam dederit, illam fore certò tentationibus omnibus ſuperiorem; ſed ſenſum eſſe: ſi Deus pro nobis per gratiam prædeſtinationis, & per donum perſeverantiæ, quis nos à ſalute avertet? Reſpondeo ſecundò cum S. Hieronymo, hic non intelligi certitudinem ſtrictè dictam; ſed ſpem magnam, & fiduciam. Reſpondeo tertiò, quod ferè cum præcedenti coincidit, locum Apoſtoli continere ferventem ejus affectum, quo inflammatus confidit certò, ſe à charitate Dei nullis tentationibus avellendum. VI. Plurimi alii in orationis æſtu non inferiora proponunt; ſed ridiculus ſit, qui propterea nullam, niſi tam robuſtam, & ardentem gratiam agnoſcat: VII. Aliquando enim *in ſtatu naturæ lapſæ interiori gratiæ reſiſti*, quis, niſi Janſeniſta, inficietur? Certè reſtitit David vir ille ſecundùm cor Dei: reſtitit ipſe Apoſtolorum Princeps, ut ut Chriſti amantiſſimus: VIII. hos enim, cùm peccarent, ſufficienti fuiſſe deſtitutos auxilio, horrent fidelium antes, & jam ab annis 60. in charisſimo ſibi Arnaldo Sorbona damnavit. IX. Objicitur & hoc S. Joannis: *Vos ex Deo eſtis, filioli; & viciſtis eum* (ſpiritum Antichriſti) *quoniam major eſt, qui in vobis eſt, quàm qui in mundo*. Deus ſinè dubio major, atque potentior eſt mundo, Diabolo, & tyrannis

omnibus ; & propterea horum nulla tanta vis, tantæ illecebræ, quas Divina fulti præſidio vincere non poſſimus, imò quas & victuri non ſimus, niſi turpiter ignavi, non ultro dedere maluerimus. X. Hinc illud S. Bernardi: *Nulla creatura à Dei charitate ſeparare nos poteſt, ſed ſola propria voluntas id ipſum poteſt.*

CAPUT III.

Diluuntur objecta ex Patribus. col. 264.

I. VEriſſimè ſcribit Nazianzenus Nemeſio, ſi Chriſtus *ſpicula inflammato penetraret cor ejus,* eum agniturum quantò Chriſti *amor ſuavior ſit* amore mundi, & carnis. Sed qua temeritate hinc infert Adverſarius, nullum eſſe gratiæ ſpiculum, niſi ardens, & cor penetrans, nullum quod repellatur libero arbitrio, carnis potiùs, quàm gratiæ illecebris conſentiente? II. Id, ſi ita eſt, quomodo ſtabit Tridentini decretum: *Tangente Deo cor hominis . . . inſpirationem illam recipiens abjicere poteſt?* III. Objectus Auguſtini locus lib. de ſp. & lit. Adverſarium jugulat: ex illo ipſo enim probatur, non tantam ſemper eſſe gratiæ dulcedinem, ut omnem oppoſitæ concupiſcentiæ ſuperet ſuavitatem: quandoquidem jubetur homo *per fidem confugere ad miſericordiam Dei*; quod evidens eſt, ſinè gratia fieri non poſſe. Oratur autem pro impetranda eâ gratiæ ulterioris, quæ nondum aderat, *ſuavitate,* quæ *faciat plus delectare, quod* (Deus) *præcipit, quàm delectat, quod impedit.* Patet itaque, non ſingulis gratiis tantam ineſſe dulcedinem, ut quævis ei contrariæ ſemper cedant illecebræ, teſtſtat nihil. IV. Nihilo plus errori favet Auguſtinus lib. de fide, & operibus, cùm dicit: *Ab hac renin . . . liberat gratia . . . quæ . . . . donat juſtitiæ delectationem, qua immoderatio concupiſcentiæ ſuperetur*; hoc eſt, ſuperari poſſit. Propoſitum ſiquidem ibi Auguſtino eſt, non tribuere cuilibet gratiæ vim inſuperabilem; ſed negare legi, atque doctrinæ virtutem juſtificandi, & ſuperandi vitia; ſive, ut loquitur, immoderationem concupiſcentiæ. Omnia igitur hic Auguſtino victoria eſt per gratiam; ſed non propterea victoriam omnis gratia impetrat. V. Nil etiam juvat Auguſtinos, cùm dicit, exauditum in hac oratione Dominica, *Et nè nos inducas in tentationem,* nec ignorantiâ fallendum, nec cupiditate vincendum: Orationem enim ſic ipſe S. Doctor explicat: *Ne deſerti tuo adjutorio, alicui tentationi vel conſentiamus decepti, vel cedamus afflicti.* Sed quid inde ad conficiendam omnis gratiæ efficaciam? VI. Sancto Proſpero. VII. aſſentimur, cor caſtum, quod vivo amore, & flammis caſtiſſimis æſtuat; pugnans contra ſenſuum illecebras, ab his non irretiri, eſſe liberum, & libertatem illam eſſe à gratia: ſed riſu dignus ſit, qui hinc inferat, omnem gratiam, etiam maximè debilem, tentationibus omnibus ſuperiorem eſſe, ſive, ut Queſnellus ſomniat, *nullas eſſe illecebras, quæ non cedant illecebris gratiæ, quia nihil cedit Omnipotenti.* VIII. Fulgentius lib. de prædeſtinatione Sanctorum, agit de gratiâ *ſecundùm propoſitum*: hinc profluens gratia indubiè victrix eſt. IX. Thomas à Kempis agit de amore deliberato, cui tam certum eſt, neminem reſiſtere, quàm duo contradictoria non poſſe ſimul componi; cùm talis amor ſit ipſum libertatis exercitium.

DECIMASEPTIMA PROPOSITIO DAMNATA.

Gratia eſt vox illa Patris, quæ homines interiùs docet, ac eos venire facit ad JESUM Chriſtum; quicunque ad eum non venit, poſtquam audivit vocem exteriorem Filii, nullatenus eſt doctus à Patre. *Obſerv. Moral. in Joan. 6. v. 45.*

CAPUT I.

Error oſtenditur, & confutatur. col. 269.

I. GRatia, loquit Queſnellus, *eſt vox illa Patris, quæ homines interiùs docet*; haſtenus rectè; ſed cùm additur, *ac eos venire facit ad JESUM Chriſtum,* indicatur certè, *omnem* gratiam venire facere ad Chriſtum; cùm Propoſitio iterum ſit doctrinalis, & æquivalens univerſali: ergo *interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ nunquam reſiſtitur*; ergo, qui ad Chriſtum non venit, venire non potuit &c. ſic inſtaurantur prima, ſecunda, tertia, & quinta Janſeniana; Item prima, & ſecunda inter 31. ab Alex. Octavo damnatas. II: Priori Propoſitionis parti reſpondet altera pariter hæretica: *Quicunque ad eum non venit, poſtquam audivit vocem exteriorem Filii, nullatenus eſt doctus à Patre,* id eſt, nullam habuit interiorem gratiam: ergo aliqua præcepta ſunt ei impoſſibilia, deeſt quoque gratia, quâ poſſibilia fiant &c. III. Attende jam, Lector, Novatoris fraudem: Chriſtus apud Joannem dixerat; *Omnis, qui audivit à Patre, & didicit, venit ad me.* Hoc oraculo nihil verius; *omnis* enim, *qui* non tantùm *audivit à Patre,* ſed etiam *didicit,* hoc eſt, ex audito profecit, doctrinam Patris hauſit, & amplexus eſt, procul dubio venit ad Chriſtum. Vox itaque *didicit* meritò videbatur Queſnello incepta ſtabilienda Janſenii hæreſi, quare Gallicè mutavit illam in *doctus eſt,* cujus ſignificatio quantùm differat à ſignificatione hujus *didicit,* liquet ex eo, quod, qui à Magiſtro laborioſè *docentur* diſcipuli, non ſemper *diſcant,* animum præ torpore, vel ex ſcientiæ contemptu ad nugas, & fabulas convertentes. IV. De hoc inertiæ vitio non rarò conqueritur æterna Sapientia. V. Quod ſi talem dixeris non doceri à Deo efficaciter, ſeu ſic, ut docentis verba animo imprimat, documentis aſſentiat, non repugnabo; VI. ſed non propterea aſſerendum fuit, *eum nullatenus eſſe doctum à Patre*: docuit enim illum Pater, quantum ſufficere ei poterat, ut *diſceret,* ſi voluiſſet. VII. VIII. Documenta ejuſmodi non pauca à Deo ad Queſnellum directa ſunt; Utinam & *didiciſſet*!

CAPUT II.

Solutio eorum, quæ objiciuntur ex Scripturis SS. col. 273.

I. OBjicitur illud Joannis c. 6. v. 44. *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater, qui miſit me, traxerit eum* n. 45. *omnis, qui audivit à Patre, & didicit, venit ad me.* II. Poſterior pars à corruptione Queſnelli vindicata eidem nihil omnino favet: Etſi enim, juxta ſincerum Joannis textum, is, qui à Patre *audivit, & didicit* veniat ad Chriſtum; non tamen in rigido, & obvio verborum ſenſu verum eſt, omnes eos ad Chriſtum venire, quos Pater docuit, III. niſi efficaciter doceat; hoc eſt, ita doceat, ut doctrinam amplectendam perſuadeat, ad quod, licèt Deo modi innumerabiles ſuppetant, eos tamen non ſemper adhibet, ſæpe contentus ſufficientia documenta præſtare. IV. Hinc quoque facilè explicatur v. 44. Nemo, ſcilicet, poteſt venire ad Chriſtum, niſi Pater traxerit eum; hoc eſt, niſi ea poteſtas à Patre per gratiam data ſit. Ejuſmodi tractio ſemper in promptu eſt, ſaltem oblata, & quantùm ſufficit, ut venire valeamus, nè Deus impoſſibilia jubeat: V. verba enim Hebræorum ſubinde actum inchoatum ſignificant, ut in hoc *benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit,* id eſt, adducere conatur. Sic & tractio quædam inchoata eſt, cujus effectus ſæpe à circumſtantiis ſuſpenditur, & quidem ab hominis arbitrio, ubi de actibus liberis ſermo eſt. VI. Verumtamen fatendum eſt, Interpretes paſſim objecta verba intelligere de tractione efficaci; ſed tumiidem per *poteſt* intelligunt potentiam cum effectu conjunctam: Addunt, in poteſtate noſtrâ, auxilio ſufficienti adjuta, eſſe, ut efficaciter trahamur, juxta illud Auguſtini *non traberis? ora ut traharis,* certus te trahendum, ſi oraveris, ut oportet; ut autem ſic ores, in tua poteſtate eſt, cùm juxta Tridentinum Deus *adjuvet, ut poſſis,* VII. quam Concilii doctrinam, ut hæreſi ſuæ de impoſſibilitate præceptorum, inſtſtam omni modo corrumpere, alterare, temerè interpretari conatus eſt Janſenius. VIII. Objicitur & illud Chriſti apud Matth.
„ Sunt quidam ex vobis, qui non credunt: propterea dixi
„ vobis, quia nemo poteſt venire ad me, niſi fuerit ei da-
„ tum à Patre meo „ ubi agitur de Eucbariſtiæ myſterio, cujus ſermo audientibus videbatur *durus,* defectu debitæ humi-

Digitized by Google

humilitatis : IX. Chriſtos tamen , caveudæ offenſionis causâ , mavult iocredulos eacuſare , & oon eorum pervicaciæ tergiverſationem trlbuere, cui tamun reverà, juxta Auguitinum , & Bedam, tribuenda erat . Iodicando igitur fidei ſublimitatem naturæ viribus ſuperiorem, ait ipſos non credere , quia fides donum Dei eſt , quod cùm non aeceperint , non eredunt , licèt media proximè , vel remotè ad illud obtinendum ſufficientia accepiſſeot : Unde nullo modo verum eſt,quod ex verbis ſaeris inſerte cooatur Queſnellus , eos nullatenus doctos fuiſſe à Patre .

CAPUT III.

Fruſtrà recurrit Adverſarius ad Sanctum Auguſtinum . col.277.

I. LOcus ex lib. de Prædeſtioatione SS. c.8. nihil dicit, quòd c.1. & 2. præoccupatum non ſit . Id ſolùm Scripturæ ſuperaddere videtur Auguſtinus , quòd , qoi non venit ad Chriſtum, *non audivit à Patre, nec didicit* : verùm *audire* hic ſumitur pro *dicto audientem eſſe* , pro *obaudire, exaudire* , II. juxta illud: *Non audivit populus meus vocem meam, & Iſrael non intendit mihi*, ubi,ut patet, *audire* oon pro *ſolis auribus percipere*,ſed *pro percipere cum aſſenſu* accipitur . III. Ea eodem capite objicitur , *abſit ergo, ut quiſquam non veniat, qui à Patre audivit , & didicit* : abſit enimvero ; ſed ſimul abſit , ut Pater nullum docuerit , niſi qui audivit , & didicit . IV. Idem S. Doctor lib. de gratia Chriſti c. 14. agit de eo doceodi , & diſceodi modo , qoo *ea ſuavitate Domini docemur* , & diſcimos juſtitiam , quo *libera charitate delectamur eſſe cum lege;quo præceptum libenter facimus;quo agimus omnino quidquid agendum didicerimus* , V. *de iſto docendi modo*, teſte Hipponenſi, *Dominus ait ; omnis, qui audivit à Patre meo, & didicit, venit ad me* : Deum verò ſubinde etiam alio, & iuferiore modo docere aliquos, puta ooo electos , teſtes ſunt Dionyſios Areopagita , Irenæus, VI. Clemens Alexandrinus, VII. Cyprianus, VIII. Ephrem Syrus, VIII, IX. Auguſtinos , tota denique Patrum traditio : Unde erroris convincitor damuata Propoſitio, aſſerens,omnem,qui ad Filium non venit, uullatenus eſſe doctum à Patre .

DECIMAOCTAVA PROPOSITIO DAMNATA.

Semen verbi,quòd manus Dei irrigat,ſemper affert fructum ſuum . *Obſerv. Moral. Act.11. v.21.*

CAPUT I.

Hæreticum dogma refellitur . col.280.

I. QUod campis irrigatio , auimis Divina gratia eſt , quam Queſnellus adeò parcam facit,ut oulli peccantium contingat. II. Ad fructus enim ſalotiferos nihil ſinè hàc valet humana induſtria : at fructus illi,ſi Queſnello credimus, gratiam ſemper comitantur, quandoquidem *ſemen verbi, quod manus Dei irrigat, ſemper affert fructum ſuum* . Igitur, qui fructum non feront, nec gratiam, quâ ferrent, habueruot: ſi enim habuiſſeot, fructum, Queſnello teſte, peperiſſent indubitatum : Ergo ulteriùs eorum ſterilitas ſoli Deo , ejuſque auxiliorum defectui imputanda eſt . III. Hioc parum ſapienter conqueritur Deus apud Iſaiam: *Quid eſt, quod debui ultra facere vineæ meæ , & non feci ei ?* Sic Queſoellus hæretico ſuo principio blaſphemiis adversùs Deom , & excuſationibus impiorom materiam præbet . IV. Hæreticum principium voco ; quia , ut pleræqoe priorum Propoſitionum , ſino ſuo continet primam , ſecundam, tertiam, & quintam Janſenianam ; item primam , & ſecundam inter 31. Propoſitiones ab Alexandro Octavo damnatas . V. Queſnellus Propoſitiooem ſoam inveniſſe ſe autumat Act. 11. v. 21. *Et erat manus Domini cum eis : multuſque numerus credentium converſus eſt ad Dominum* . Sine dubio ibi Diſcipulorum prædicationem, ſive *ſemen verbi manus Dei irrigavit* , cùm abſque irrigatione fructum non attuliſſet : ſed quomodo ex hoc particulari antecedento *ſemen verbi manu Dei irrigatum attulit aliquando fructum ſuum* univerſaliter colligit: *ergo ſemen verbi, quod manus Dei irrigat, ſemper affert fructum ſuum*? Vel ſola parabola, quæ eſt Lucæ 8. de Divini verbi ſemine , Queſnellum docere debuerat , plura impedire poſſe , nè ſemen verbi , etiam irrigatum [ut contingit illi,quod à ſpinis ſuffocatur]fructus pariat.

CAPUT II.

Reſpondetur ad ea , quæ objiciuntur ex Scripturis . col.283.

I. DEos apod Iſaiam initio cap. 55. II. iuvitat omnes impios ad juſtitiam,& ſalutem,III. cui conſequendæ auxilium ſufficiens non denegat, nè frivola ſit, & ſapientiſſimo Domino iodigoa invitatio : tum , ſi oblato auxilio utaotor ad pœnitentiam , promittit fore , ut ipſos peramanter recipiat , & delictis ignoſcat ; De cauto hujus promiſſionis effectu intelligenda ſunt objecta verba v.11. *Verbum meum , quod egredietur de ore meo , non revertetur ad me vacuum ; ſed faciet quodcunque volui*, voluntate ſcilicet conſequente . At monitum illud Divinum à plurimis oeglectum fuit , atque ita in illis ſemen verbi , quod manus Dei ſufficiente gratiâ irrigaverat , non attulit fructum ſuum : quibus autem conditio à Deo poſita placuit, etiam Deus promiſſionem ſuam oon paſſus eſt haberi *vacuam* , ſeu irritam . IV. Huic commentario verborum Iſaiæ conſentit Clemens Alexandrinus, Gregorius Nazianzenus , V. Dionyſius Carthuſianus , S. Bernardus ; Denique Cornelius à Lapide ex Hieronymo, Cyrillo , Haymone . VI. Objicitor dein illud 1. Cor.3. v.6. *Ego plantavi, Apollo rigavit ; ſed Deus incrementum dedit* ; Et v. 7. *Itaque neque qui plantat eſt aliquid &c.* Cui Catholico ignotum , aut dubium eſt , fruſtrà eſſe admonitiones extrinſecas,niſi qui,ut ait Auguſtious , *cathedram habet in cœlo* , corda doceat ? VII. Cavenda hic tantummodo inſania Lutheri,quaſi in operibus bonis homo nihil agat; ſed merè paſſivè ſe habeat, contra illud Auguſtini : *ſi non eſſes operator, ille non eſſet cooperator* . VIII. Etiam prædeterminantes quantum à ſecunda Janſenii hæreſi , tantum ab hoc damnato Articolo alieni ſunt : *Semen verbi , quod manus Dei irrigat , ſemper affert fructum ſuum* .

CAPUT III.

Reſpondetur ad ea , quæ objiciuntur ex Patribus : col.287.

I. UT juxta Cyrillom veriſſimom eſt , *dono prædicationis Evangelii* , accedente cœleſtis gratiæ pluviâ , *redditam eſſe fertilem* UNIVERSAM TERRAM ob maximam ubiqoe gentium turbam Chriſto, ejuſqoe legi aggregatam,ita & juxta eumdem II. pluribus locis,non minùs verum eſt , oon tantam fuiſſe ſingulorum Divinæ gratiæ motuum vim , & efficaciam , ut nullus unquam ſive in iufidelibus, ſive io ipſis Chriſtianis ei ea pervicacia voluntatis reſtiterit . III. Ex loco S. Auguſtioi lib. 13. Confeſſionum cap.17. IV. ab Adverſarii corruptela V. viodicato , aliud ooo conficitur , quàm quod in *animabus Deo ſitientibus* auxilia gratiæ conſequantur effectum . Quid autem hinc ſequitur pro generali gratiarom omnium , etiam impiis , & *propter temporalem , & terrenam felicitatem omnia facientibus* datarum efficaciâ ? Nihil plus fundamenti Propoſitio damnata habet in opere imperfecto l.2. c.157. aut in Sancti Proſperi carmine c.24. ubi tantum aſſeritur, prædicatione hominum nuuquam fieri converſionem, niſi auxilium gratiæ acceſſerit , cujus illic mirifici effectus deſcribuntur ; ſed nuſquam dicitur , quòd unicum Adverſario incumbebat oſtendendum , gratiam ſemper effectum ſuum producere; ut ut verſificator Gallus id perfidè infarcire conatus ſit . VII. Objicitur etiam Laurentius Juſtinianus lib. de vita

Digitized by Google

vita ſolitaria c. 17. dicens : *Verbum Patris . . . . in ſe ſuſcipiente fructificat affatim*. Ergo, inferet Adverſarius, fructificat in omnibus. VIII. Falſum eſſe conſequens, liquet ex parabola Seminantis apud Matthæum, & Lucam IX. Item ex verbis Ezechielis c.33. *Et es eis quaſi carmen muſicum, quod ſuavi, dulcique ſono canitur, & audiunt verba tua, & non faciunt ea*. Certè non de talibus Laurentio Juſtiniano ſermo eſt, ſed de hominibus piis *vitam ſolitariam* agentibus, & in via virtutis *incipientibus, proficientibus, perfectis*, qui verbum Dei *ſuſcipiunt*, id eſt, amplectuntur, ut opere compleant. Hi ſunt, de quibus Chriſtus apud Matthæum teſtatur, quòd *in corde bono, & optimo audiunt, & fructum afferunt in patientia*; qui nempe corde bono *fructum trigeſimum*, qui meliore *ſexageſimum*, qui optimo *centeſimum*, ut uberiùs ibi explicat Juſtinianus. X. Quis modò ex eo, quod *verbum Dei . . . . in ſe ſuſcipiente fructificet affatim*, ſtatim inferat, quòd verbum Dei ſemper *affatim fructificet*, etiam in iis, qui illud audiunt vel contumaciter, vel perfunctoriè, vel animo voluptatibus ebrio? Fruſtra ergo hortaretur Apoſtolus, nè in vacuum gratiam Dei reciperemus, hoc eſt, interprete Doctore Angelico, *ne receptio gratiæ ſit . . . . inutilis, & vacua; quod tunc contingit, quando ex perceptione gratiæ quis non ſentit fructum*. XI. Quæ enim hujus hortationis neceſſitas, vel utilitas, ſi omnis gratia invicta ſit? XII. In allegando Juſtiniano fraudulenter iterum tacuit Adverſarius, eum agere de ea gratia, quæ obvenit triplici hominum ad perfectionem aſpirantium claſſi, ſcilicet *incipientium, proficientium, & perfectorum*. Quanquam neque iſti omni gratiæ obtemperent, cùm & ſepties in die cadat juſtus, nec gratia ſolùm ad præcepta, ſed etiam ad conſilia invitet. Imò ſola inſcriptio libri, & titulos capitis fraudem demonſtrant. XIII. Ineptiùs etiam allegatur libellus de Imitatione Chriſti lib.3. c. 2. *Viam oſtendunt* [Miniſtri tui] *ſed tu confortas ad ambulandum &c*. Ergo, inferes, ſemper ambulatur in via juſtitiæ, quoties vires ad ambulandum in ea Deus præbuerit. Apage nugas! Quid eſt verba perdere, & Textibus, & Lectoris patientia abuti, ſi hoc non eſt?

DECIMANONA PROPOSITIO DAMNATA.

Dei gratia nihil aliud eſt, quàm ejus Omnipotens voluntas : hæc eſt idea, quam Deus nobis tradidit in omnibus ſuis Scripturis. *Obſerv. Moral. in Rom. 14. v. 4.*

CAPUT I.

Hæc Propoſitio fatua, & erronea demonſtratur. col. 294.

I. MIrabilem hanc Propoſitionem fabricare conatur Queſnellus ex citato ad eam Apoſtoli loco : *Tu quis es, qui judicas alienum ſervum? Domino ſuo ſtat aut cadit : ſtabit autem; potens eſt enim Deus ſtatuere illum*: quæ poſtrema verba, ſi quidem ſola ſunt, quæ Divinæ potentiæ meminerunt, ſic interpretatur Angelicus : *Propter ejus bonitatem præſumere debemus, quòd iterum ſtatuet eum*, ubi, uti & in præcedentium verborum commentario, nihil dicitur, quo vel eminus inſinuetur, *gratiam Dei nihil aliud eſſe, quàm ejus omnipotentem voluntatem*. Neque de hoc quidpiam reperies in ullo vetere, aut recente orthodoxo Interprete. Multo minus id ullus Sacer Textus indicat, ut confidenter, pro Novatorum more, vociferetur Queſnellus, *hanc eſſe ideam, quam Deus nobis tradidit in omnibus ſuis Scripturis*, nullas interim aſſignando. Conſtat enim, voluntatem Dei omnipotentem, eſſe ipſum Deum: At gratiam actualem, quæ animæ infunditur, ut eam illuminet, & roboret, nihil aliud eſſe præter Deum ipſum, quis ante Queſnellum ſomniavit? II. Facile eſt, eum falſitatis arguere ex propriis ſuis locutionibus. Propoſ. 18. ait : *Semen verbi, quod manus Dei irrigat, ſemper affert fructum ſuum*. An aqua, quæ irrigatione affunditur, & ſemini fœcunditatem præſtat, ut gratia prædicationi, nihil aliud eſt, quàm voluntas irrigatoria? III. . . . V. Eodem modo cum proportione argumentari licebit ex Propoſ. tionibus 17. 16. & 15. VI. . . . IX. Pari facilitate errorem refellea ex figuris, quibus gratia adumbratur in Proverbiis, Iſaia, & Apocalypſi.

X. Alter Propoſitionis Queſnellianæ error eſt, quòd omnem gratiam ſtatuat omnipotentem, ſeu efficaciſſimam; cui proinde non tantùm non reſiſtitur, ut aſſerit ſecunda Janſeniana; ſed nec reſiſti poteſt, ut quarta æquivalenter pronuntiat. XI. Omnipotentiæ iſti ſingulorum Dei auxiliorum refragantur pleraque contra ſuperiores Propoſitiones producta Scripturarum teſtimonia; ut Deuteronomii, XII. . . . XIV. Eccleſiaſtici, XV. XVI, Iſaiæ, XVII. Ezechielis, XVIII. XIX. Matthæi, XX. Actuum Apoſtolorum, XXI. Epiſtolæ ad Rom. XXII. Non igitur circumveniri te ſinas, Lector Catholice, quoties à Queſnello, ejuſque ſequacibus ingeminari audies illud, quo nihil habent familiarius : *Tradit nobis Deus in omnibus ſuis Scripturis*. Hanc fraudem hæretici à Patre ſuo Diabolo didicerunt, qui ipſum Dominum tentans, teſtimonio Scripturarum aggreſſus eſt : quod obſervans Vincentius Lirinenſis acute ait : *Sicut tunc Caput Capiti, ita nunc quoque membra membris loquuntur; membra ſcilicet Diaboli membris Chriſti . . . . hæretici . . . Catholicis*. XXIII. Eamdem in hæreticis fraudem detexit Athanaſius. XXIV. Rationem, cur tam avidè Scripturarum teſtimonia congerant, dat iterum Lirinenſis; *Sciunt enim, fætores ſuos nulli citò placituros, ſi nudi, & ſimplices exhalentur : atque idcirco eos cœleſtis eloquii, velut quodam aromate aſpergunt*. XX. Novatoribus Scripturam in errorum ſuorum patrocinium trahentibus expediant ſe Catholici hoc aureo Tertulliani reſponſo : *Ego ſum heres Apoſtolorum : ſicut caverunt teſtamenta ſua Apoſtoli, Apoſtolicæ Eccleſiæ, & Petri Apoſtolorum Principis ſucceſſores, ita teneo. Vos certè exheredaverunt ſemper, & abdicaverunt, ut extraneos, ut inimicos*.

CAPUT II.

Diluuntur objectiones ex Scripturis. col. 300.

I. ITerum intorquet Adverſarius Apoſtoli locum relatum cap. præcedenti num. 1. Caverit certè hinc argumentum in forma legitima pro errore ſuo deducere. II. Agnoſcimus, quòd poſſit Deus illum, qui peccando cecidit, priſtino ſtatui reſtituere. Sed ideone gratia nihil aliud eſt, quàm voluntas Dei omnipotens? Ideone omnipotentes ſunt gratiæ ſingulæ? III. Præſumamus autem cum Angelico, quòd eum, qui cecidit, Deus iterum, quantum in ſe eſt, *pro ſua bonitate ſtatuet*; imò præſumamus piè, eum, ut reſurgat, efficaci auxilio præveniendum : at quàm multi ſunt, præſertim inter novæ hæreſis ſectatores, ad quos, ut eſt apud Iſaiam, IV. Deus expandit manus ſuas, ut in hæreſim lapſos reſtituat fidei, & Eccleſiæ, quique hanc benigniſſimam Dei voluntatem, & quod eam comitatur ſufficientis gratiæ beneficium repellunt quotidie *non credentes, & contradicentes*! V. Deus [quæ eſt altera ex Scripturis objectio, nihil præcedente ſolidior] *operatur omnia ſecundùm conſilium voluntatis ſuæ*, etiam gratiam inefficacem, quam homini dat eo conſilio, ut cum ea operetur, ſi velit: Unde ex Apoſtoli loco non conficitur, omnem gratiam effectum ſortiri : aliud enim eſt conſilium efficax dandi gratiam, aliud efficax obtinendi gratiæ effectum : hoc poſtremum in Deo non ſemper eſſe, abunde ſupra ad Propoſ. 12. oſtenſum eſt. Addi poteſt voluntatem, de quâ Apoſtolo ſermo eſt, abſolutam eſſe, ut conſtat ex circumſtantia prædeſtinationis, quæ ibi confirmanda ſuſcipitur: *Prædeſtinati*, inquit, *ſecundùm propoſitum ejus, qui operatur omnia ſecundùm conſilium voluntatis ſuæ*. VI. Denique etſi Deus operetur omnia ſecundùm conſilium voluntatis ſuæ; rebellio tamen noſtra, non conſilii voluntatis ejus; ſed noſtræ ſolius pervicaciæ opus eſt.

CAPUT

CAPUT III.

Reſpondetur ad id, quod allegatur ex Chryſoſtomo. col.302.

I. SI Adverſarius uoo mutilaſſet locum, quem allegat ex Chryſ. hom.3. in 1.Epheſ. pateret omnibus, non tantùm nihil inde poſſe elici pro damnato Articulo; ſed concloſionem conſequi prorſus oppoſitam. Conſule locum integrum. II. Ex eo, quod illic dicatur *Supereminens Dei virtus in nos, qui credidimus*, infert Adverſarius omnem gratiam eſſe invictam: Quomodo ergo, ut illic additur, voluit Deus congregari filios Jeruſalem, & illi noluerunt? Hoc enim procul dubio ſignificat, gratiam in illis fuiſſe aliquam; non tamen fuiſſe *ſupereminentem* illam *magnitudinem virtutis* in illos, ſicut *in nos, qui credidimus* & converſi ſumus. III. Dicit ergo Sanctus Doctor, quod Deus, ut Author naturæ, operetur miracula ſolâ ſuâ voluntate, *in momento, & in ictu oculi; in credendo autem non ita fit*; quia præter Dei voluntatem requiritur ſpecialis gratia, & prædita *ſupereminenti magnitudine virtutis in nos*. Præterea ad reſuſcitationem mortuorum uou requiritur conſenſus hominis liber, imò nullus: At, ut ait idem Sanctus, *Deus . . . vult, nos noſtra ſponte*, ſeu libera cooperatione *fieri bonos*; ad hoc autem, ut omnes Catholici oorunt, præter voluntatem Dei neceſſaria eſt gratia ſupernaturalis, ſeu *ſupereminens magnitudo virtutis* Cœleſtis *in nos*: quanquam nec iſta ejuſdem in omnibus rationis ſit; Major ſiquidem requiritur ad inveterati peccatoris converſiooem, quàm ad opus minùs arduum juſti. IV. Mirari hic ſubit Janſeniſtarum impudentiam, Chryſoſtomum nobis objicientium, quo inter Eccleſiæ Doctores neminem ſuæ hæreſi magis eſſe contrarium ſciunt; V. adeò, ut eum, cæteroſque Græcos *inter Origenis, & Auguſtini ætatem interjectos* in Pelagianiſmum propendiſſe Janſenius, & ejus diſcipuli poſt Calvinum exiſtiment. VI. Quæ autem in Chryſoſtomo, ut cæteros Græcos Patres prætercam, Calvino Janſenio, Queſnello diſplicent, ſunt procul dubio, quæ præſenti, quem impugnamus, errori adverſantur. VII . . . X. qualia occurrunt in Sancto Doctore plurima, quæ nos Divinæ voluntati, & gratiæ non raró reſiſtere apertiſſimè profitentur. XI. Si hæc Adverſarium uou convincunt, orandus eſt Deus, non tam, ut tenebras veritatis ſuæ luce diſpellat, quàm ut *ſupereminenti magnitudine virtutis ſuæ* rebellem compellat propitius voluntatem.

CAPUT IV.

Reſpondetur ad objecta ex SS. Auguſtino, & Proſpero. col. 306.

I. II. ULtro cum Auguſtino lib. de bono perſev. c.23. fatemur: *Dominum ſic in poteſtate habere cor noſtrum, ut bonum . . . non . . . teneamus, niſi ipſe in nobis operetur, & velle*: III. item epiſtola ad Vitalem, ipſos Perſecutores *ad ſeipſum omnipotentiſſima facilitate convertere, ac volentes ex nolentibus facere*: IV. denique lib. de corr. & gratia c.14. *ſinè dubio habere humanorum cordium, quò placuerit, inclinandorum omnipotentiſſimam poteſtatem*. Quis Catholicus, qui primum Symboli Apoſtolorum Articulum tenet, hæc ignorat, aut inficiatus eſt unquam? Sed quis, præter Calvinum, Janſenium, & eorum Diſcipulos, inde colligat, omnes, & ſingulas gratias eſſe tales, ut omnipotentiſſima facilitate, & poteſtate operentur conſenſum, & inclinent reipſa hominum corda, quocunque Deo placuerit; ſive, illas nihil aliud eſſe, quam omnipotentem voluntatem? Si ita eſt, ergo nullus peccator ad pœnitentiam vocatur, niſi qui certiſſimé ſequitur, V . . . VII. contra evidentiſſima ipſius Auguſtini teſtimonia in oppoſitum. VIII. Aſſentimur etiam Proſpero, IX. mirabiles gentium converſiones Deum gratiâ ſuâ operatum eſſe, quas neque lex præcipiendo, neque Prophetæ ſuadendo, docendoque efficere potuiſſent; ſed nuſquam reperias in S. Proſpero verbum, quo inſinuet nullam eſſe gratiam, niſi omnipotentem, & inſuperabilem.

CAPUT V.

Reſpondetur ad id, quod profertur ex Doctore Angelico. col. 310.

I. JUxta S. Thomam, quem hic iterum perfidè corrupit adverſarius, *Majus opus*, ſeu majoris pretii, *eſt juſtificatio impii . . . quam creatio cœli, & terræ*; quia illa *terminatur ad bonum æternum Divinæ participationis*; hæc tantùm *terminatur ad bonum naturæ mutabilis*: II. onde infert novus Theologus: ergo nulla datur gratia ſufficiens, quæ non ſit ſimul efficax, ſive gratia Dei nihil eſt aliud, quam omnipotens ejus voluntas. Quis riſum, vel potiùs indignationem teneat ad tam inſulſam illationem? Quid enim major dignitas juſtificationis præ dignitate creationis facit ad confundendam omnem divinam gratiam cum divina voluntate? Quid ad eliminandum omne ſufficiens, & inefficax auxilium tanta, & tam multiplici authoritate ſtabilitum? Ut tandem infringatur Adverſarii in adſciſcendo ſibi Aquinatis patrocinio contumacia, innumeris ejus pro catholica ſententia teſtimoniis toties in hoc opere allegatis III. . . VII. nova iterum, & æquè invicta ſuperadduntur.

VIGESIMA PROPOSITIO DAMNATA.

Vera gratiæ idea eſt, quòd Deus vult ſibi à nobis obediri, & obeditur: imperat, & omnia fiunt: loquitur tanquam Dominus, & omnia ſibi ſubmiſſa ſunt. *Obſervat. Moral. Marc.4. verſ.39.*

CAPUT I.

Exoticus error refutatur. col. 313.

I. SI quam hic tradit Queſnellus, *vera ſit gratiæ idea*, ſeu definitio, ergo omnis gratia in hoc poſita eſt, *quòd Deus vult ſibi à nobis obediri, & obeditur, &c.* Ubicunque aliquid ex his defuerit, etiam gratiam deeſſe neceſſe eſt, utpote quæ eſſe non poteſt, deficiente vel minimo eorum, quibus intrinſecè conſtituitur. Nulla itaque gratia eſt, ubi Deo volenti ſibi obediri non obeditur, ubi non omnia fiunt, quæ imperantur, ubi Deo loquenti tanquam Domino non omnia ſubmiſſa ſunt: Non eſt igitur gratia, cui reſiſtitur; quæ eſt ſecunda Janſenii hæreſis. Imo nec *poteſt ei humana voluntas reſiſtere*, quæ quarta eſt hæreſis: neque enim res eſſe poteſt ſinè ſua eſſentia: parebit igitur gratiæ neceſſario, & tamen juxta Queſnellum merebitur, quæ eſt tertia Janſenii hæreſis. *Ad merendum . . . non requiritur libertas à neceſſitate*. Qui præceptum violat, caret gratia, ut ſubſtat datæ definitioni: præter hanc gratiam nulla datur, cùm tam latè patere debeat definitum, quàm definitio: ergo *aliqua Dei præcepta, &c.* quæ eſt prima Janſenii Propoſitio, declarata impia, blaſphema, hæretica, &c. II. Ex hoc Queſnelli dogmate profluit etiam prima inter 31. ab Alex. Octavo damnatas, & quinta Janſeniana, *quòd Chriſtus pro ſalute dumtaxat Prædeſtinatorum mortuus ſit*. Non enim Chriſtus mortuus eſt pro ſalute eorum, quibus nullum ad ſalutem ſufficiens auxilium mereri voluit. Tale mereri noluit ulli reprobo; ſi vera ſit tradita gratiæ idea, juxta quam illa ſemper obtinet effectum omnem, ad quem conceditur III. Iſtam gratiæ ideam ignoravit Stephanus exprobrans pertinacibus Judæis: *Vos ſemper Spiritui Sancto reſiſtitis*: IV. V. ignoravit etiam Apoſtolus: VI. ignoravit Chriſtus apud Matthæum dicens *multos vocatos*, & conquerens voluiſſe ſe fruſtra congregare filios Jeruſalem: VII. ignoravit denique Deus, cum apud Iſaiam diceret: *Expandi manus meas tota die ad populum incredulum, qui graditur via non bona*. Diceine Queſnellus, omnes hos à Deo vocatos & invitatos ſinè gratia? Ergo inepta eſt vocatio, doloſa invitatio, neque reprehenſione dignus obedientiæ defectus, neque juſta Dei de hominibus querela. VIII. Locus, ad quem obſervationem ſuam conflavit Queſnellus, eſt, ubi Chriſtus apud Marcum imperat vento,

Digitized by Google

to, ut taceat: & ad imperium ejus ventus ceſſat, fitque tranquillitas magna. Quid hic pro definitione gratiæ? Eſtu: mare creatura rationalis, aut gratiarum actualium capax, ut ex neceſſaria ejus ad Chriſti vocem obedientia concludatur & noſtra. IX. Alterum datæ definitionis vitium eſt, quod ſerie gratiarum eas excludat, quæ dantur ad opera bona non præcepta: unde fluit, vel conſilia Euangelica mutari in præcepta, vel certè iis ſequendis gratiam non requiri: Dignum hæretico paradoxum, &c.

CAPUT II.

Solvuntur Objectiones. col. 317.

I. SI quæ objicitur comparatio Jeremiæ, *ſicut lutum in manu figuli, ſic & vos in manu mea, domus Iſraël*, eſſet omnimoda, damuari certè non poſſet Queſnelliana gratiæ Idea: Verùm, ſicut lutum nihil cooperatur; ſed merè neceſſitatem patitur, etiam coactionis; itane in juſtificatione ſua nihil agit homo, ſed, ut inanimis, merè patitur? Id hodie nè Lutheri quidem, Calvinique ſectatores dicent: Id Janſeniſtarum quoque legati coram Innoc. X. in libello ſupplice trium columnarum declararunt *hæreticum, Calviniſmum*, &c. II. Id evidentiſſimè damnavit Tridentinum ſeſſ. 6. de juſtif. can. 4. *Si quis dixerit liberum hominis arbitrium &c.* Patet itaque comparationem apud Jeremiam non poſſe ſtatui omnimodam, nè meritum cum libertate intereat. III. Quapropter relicta hominibus cooperatione, mavult Janſenius cum ſuis etiam libertatem concedere, non veri nominis, & a neceſſitate; ſed à coactione tantummodo: ita, ut juxta Novatores, ſed hoc ſiat Dei cum figulo comparatio, ut intelligamus, quòd, ſicut figulus digitis ſuis lutum; ita Deus victrice gratia hominum animos moveat, & inflectat, citra ullam utrobique reſiſtendi poteſtatem, ut diſertè pronuntiat quarta Janſenii hæreſis. IV. Supponamus etiam, Queſnellum non pejore ſenſu Jeremiæ ſimilitudinem interpretari. At quis interpres Catholicus talem Divino textui ſenſum adſcripſit? Quis ſanæ mentis Theologus talem finxit gratiæ Ideam, Scripturis, ac toti retro traditioni contrariam.

V. Igitur, rejecta interpretatione hæretica, agnoſcamus, in eo poſitam eſſe figuli cum Deo per gratiam operante ſimilitudinem, quod Divinus figulus *habeat* teſte Auguſtino, *humanorum cordium, quo placuerit inclinandorum omnipotentiſſimam poteſtatem* citra læſionem liberi arbitrii, dum, ut rurſum docet S. Aug. *cujus miſeretur, ſic eum vocat, quomodo ſcit ei congruere, ut vocantem non reſpuat*. Nihil autem hoc pacto violari liberum arbitrium, rurſus diſertè teſtatur S. Doctor *Profectò & ipſum velle credere Deus operatur in homine, & in omnibus miſericordia ejus prævenit nos; conſentire autem vocationi Dei, vel ab ea diſſentire, ſicut dixi, propriæ voluntatis eſt*. Sic Divini figuli in luto rationali operatio uti cum libertate hominis, ita & cum Fide Catholica optimè convenit. VI. Eodem modo reſolves illud in Proverbiis objectum, ſicut *Diviſiones aquarum, ita cor Regis in manu Domini: quocunque voluerit, inclinabit illud.* Cor Regis indubiè in manu Domini eſt, ut, quocunque efficaciter voluerit, illud inflectat; ſed non inflectit ſemper quocunque vult inefficaciter. Patet hoc ex diſpari exitu Pharaonis, & Nabuchodonoſoris, ut refertur in jure Canonico; VII. & ex famoſa duorum comparatione apud Sanctum Auguſtinum, qui æqualiter animo & corpore affecti, viſa ejuſdem corporis pulchritudine, eadem tentatione pulſantur, cui unus cedit, alter reſiſtit; *unde, niſi propria voluntate, ubi eadem fuerat in utroque corporis, & animi affectio?* VIII. An non etiam in manu Domini fuere Adami, in ſtatu naturæ integræ, & Angelorum omnium voluntates? Et tamen, fatentibus omnibus, etiam Janſenio, auxilia gratiæ *ſufficientiſſima* quidem, non tamen, ut eventus docuit, habuere efficacia Divino imperio rebelles. Ex ſupremo igitur Dei in cor Regis, & omnium mortalium Dominio, nullo modo ſequitur ſpuria, quam nobis obtrudit Queſnellus, idea gratiæ. IX. Nihilo plus Queſnello ſavet illud Pſalmi, *inclina cor meum in teſtimonia tua, & non in avaritiam*, ubi quidem optimè petitur gratia efficax; ſed inde quis colligat, nullam unquam dari, niſi talem? X. Dicunt quidem Janſeniani, hanc ſolam eſſe veram gratiam; aliam verò, quæ *ſefficient* vocatur, eſſe monſtrum gratiæ: imò, juxta Siunichium, orandum eſt, ut ab ea liberemur; ſed, præterquam, quòd tam impia poſitio ab Alexandro Octavo damnata ſit, XI. quomodo id conciliabunt, cum gratia ſufficienti, quam Adamo & Angelis cadentibus non defuiſſe, ultro affirmant? XII. Adducitur denique pro damnato Articulo illud Apoſtoli dicentis, Abrahamum *pleniſſime* ſciviſſe, *quia quæcunque promiſit* (Deus) *potens eſt, & facere*; XIII. addi poſſet, & quòd maximè fidelis ſit in promiſſionibus exequendis: verùm hinc adeò non ſequitur Queſnelliana gratiæ idea, ut potiùs ſubvertatur: non enim promiſit Deus fore, ut ejus ſemper obediamus imperio, ac proinde ſemper efficaci gratia præveniamur, ſed talia nobis pollicitus eſt gratiæ ſubſidia, quibus mandata implere, & tentationibus reſiſtere valeamus, juxta illud *Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari ſupra id, quod poteſtis*; XIV. *ſed faciet etiam cum tentatione proventum*: Ex quibus poſtremis verbis nè inferas, promitti gratiam efficacem, utpote quæ ſola facit cum tentatione proventum: nam huic promiſſioni ſubintelligitur neceſſariò hæc, aut ſimilis conditio; *ſi volueritis, ut poteſtis, tentationi reſiſtere*: plurimos enim, etiam Chriſtianorum, non facere cum tentatione proventum; ſed ei ſocordia ſua ſuccumbere, certiſſimum eſt, & liquet ex Patrum locis in hanc rem adductis.

CAPUT III.

Auguſtinus damnatæ Propoſitioni minimè patrocinatur. col. 324.

I. ADmittimus cum Auguſtino, quòd qui ſtat, voluntate Dei ſtet: Item, quòd lapſus *non ſeipſum* ſtatuat, ſeu erigat, *ſed Deus*, quia ſcilicet ille in ſupernaturalibus nihil poteſt ſine gratia; & quia converſionis cauſa, & prima, & longè præcipua eſt Deus, ideoque laus ei potiùs tribuitur, quàm homini: ubinam autem hic mirabilis illa gratiæ idea? Quod autem etiam nos ſtatuamus aliquo modo nos ipſos per liberam cum gratia cooperationem, ſemper Eccleſiæ doctrina fuit, II. cui quàm apertè conſentiat Auguſtinus, oſtenditur. III. Quomodo efficaciſſima Dei poteſtas, qua Aſſueri animum *tranſtulit ab indignatione ad lenitatem*, nihil officiat libero arbitrio, ex ipſo Sancto Auguſtino capite præcedenti abunde declaravimus. IV. Cur autem Deus alios ſic, alios aliter vocet, recurrit Auguſtinus, & nos cum illo ad illud Apoſtoli *O Altitudo!* V. In epiſtola ad Vitalem VI. docet unum idem Sanctus Doctor, præter legem & doctrinam, agnoſcendam eſſe gratiam interiorem, quam Eccleſia precibus à Deo petit, & ſinè qua nullum ſit opus ſalutiferum; *Ipſa*, inquit, *non ſecundùm merita noſtra datur: ſed dat merita ipſa, cùm datur*, non quaſi toties ſine merita, quoties datur gratia, ſed hoc ſenſu, quod non ſint merita, niſi ex gratia. Nè quidem juxta Janſenium omnis gratia ſemper infert meritum, cùm hoc ſæpe impediatur occurrente ardentiore concupiſcentiæ, quam cœleſtis gratiæ delectatione, VII. ut videre eſt in textibus ex ipſo allegatis. Ex Auguſtini quoque VIII . . . XI. locis plurimis certiſſimum eſt, non omnem, eo judice, gratiam meritum operari.

XII. Ultimum Adverſarii telum depromitur ex lib. 1. de gratia Chriſti cap. 10. ubi Auguſtinus Pelagium urget, *Si vult non ſolum vocari, verùm etiam eſſe Chriſtianus*, ut eam gratiam confiteatur non qua *ſuadetur ſolum omne, quod bonum eſt; verùm & perſuadetur*. Ergo, inferet, admittenda eſt gratia efficax. XIII. Conceditur totum, ſed an propterea excludenda eſt inefficax? Quod ergo hic contendit contra Pelagium Auguſtinus, eſt, non ſolam poſſibilitatem operis boni eſſe ex gratia, ſed præterea ipſum opus bonum. Janſeniſtæ ex operantis gratiæ neceſſitate conficiunt, ſolam gratiam operantem eſſe ab omnibus orthodoxis admittendam; arte ſcilicet hæreticis familiari ex aſſertione unius inferentibus excluſionem alterius. XIV. Ita Calvinus ex eo, quod Apoſtolus de prædeſtinatis agens dicat, *quos autem juſtificavit, illos & glorificavit*, ſtatim colligit, ſolos glorificandos juſtificari.

VIGESIMAPRIMA PROPOSITIO DAMNATA.

Gratia Jesu Chriſti eſt gratia fortis, potens, ſuprema, invincibilis; utpote quæ eſt operatio voluntatis Omnipotentis, ſequela & imitatio operationis Dei incarnantis & reſuſcitantis Filium ſuum. *Obſerv. Moral. 2. Corinth. 5. v. 21.*

CAPUT I.

Eadem recurrit hæreſis, iterumque confoditur. col. 330.

I. II. PRopoſitio iterum dogmatica, & illimitata æquivalet huic univerſali; omnis Gratia JESU *Chriſti*, &c. Quòd autem Deus non cenſeat, omnem ſuam gratiam eſſe *invincibilem*, pluribus iterum argumentis oſtenditur: huic compendio ſufficiet illud deſumptum ex verbis Apoſtoli: *Benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit: ſecundùm autem duritiam tuam, & impœnitens cor, theſaurizas tibi iram in die iræ.* Benignitas enim Dei ad pœnitentiam non adducit ſinè gratia: Si igitur omnis gratia eſſet *ſuprema, invincibilis*, &c. omnis, qui per eam ad pœnitentiam adducitur, pœnitentiam certò ageret, & ſic nullus à Deo gratia donatus cordis duritiam retineret, aut impœnitentiam: nullus præſente gratia, theſauriraret ſibi *iram in die iræ*. III... V. Ex hac damnata Propoſitione rurſum conſequuntur Janſenii hæreſes. VI, VII. Hujus invincibilis gratiæ ideam reſpuit Tridentinum, VIII. Senonenſe, IX, X. Author operis de vocatione gentium, & Joannes Damaſcenus. Eadem eſt cæterorum Patrum, & qui eos ſecuti ſunt, Scholaſticorum ſententia. XI. Queſnellus robur *ſupremum & invincibile* omnis gratiæ probare nititur ex eo, quòd ſit *operatio voluntatis omnipotentis*; imò ab hac indiſtincta per Prop. 19. quæ illic abunde confutatæ ſunt. XII. Diceret melius, eſſe operationem Divinæ benignitatis, cui quotidie à peccatoribus reſiſtitur; ut patet ex Apoſtolo, XIII & ex Eccleſiaſtico. XIV. Alterum Queſnello ſtatuendi omnem gratiam *ſupremam* & *invincibilem* fundamentum eſt: primò, quòd gratia ſit ſequela Incarnationis & Reſurrectionis: ſecundò, quod ſit utriuſque imitatio.

Ad primum concedo, gratiam quidem ex Incarnatione conſequi; ſed nego omnem, quæ hinc conſequitur, eſſe ſupremam & invincibilem.

Ad ſecundùm concedo, gratiam eſſe imitationem, ſecundùm quid, operationis Dei incarnantis, & reſuſcitantis Filium ſuum, in quantum utraque eſt propter juſtificationem noſtram & ſalutem: Dici tamen non poteſt imitatio omnimoda, nè, ſicut Chriſti humanitas ad illam operationem merè paſſivè ſe habuit, ita & nos dicamur non cooperari liberè Dei gratiæ; ſed merè paſſivè nos habere, quod & a Tridentino, & ab ipſis Janſeniſtarum Legatis damnatum eſt. XV. Locus Apoſtoli, ex quo Queſnellus errorem ſuum cudere attentavit, eſt: *Eum, qui non noverat peccatum, peccatum fecit; ut nos efficeremur juſtitia Dei in ipſo*, hoc eſt, interprete Angelico, ut *inhæreremus Chriſto per Charitatem, & Fidem*, qui finis ſicut à Deo non intenditur, niſi ſub conditione cooperationis noſtræ, ita, hac deficiente, in plurimis non obtinetur: unde textus ſacer ad fulcimen erroris trahi non poteſt.

CAPUT II.

Diluuntur objecta ex ſacris literis. col. 334.

I. OBjicitur illud ex epiſtola ad Epheſ. „ ut ſciatis.... „ quæ ſit ſupereminens magnitudo virtutis ejus „ in nos, qui credidimus ſecundùm operationem potentiæ „ virtutis ejus, quam operatus eſt in Chriſto, ſuſcitans illum „ à mortuis, & conſtituens ad dexteram ſuam in cœleſtibus. „

II. Supereminens magnitudo virtutis Dei, qua incredulos ab idololatria, à peccatis, à myſtica morte animæ, & ab inferno quodammodo ſuſcitat ad vitam, & hereditatem filiorum Dei, ſimilis eſt illi potentiæ & efficaciæ, qua ſuſcitavit à mortuis Chriſtum; ſed non per omnia æqualis, ut capite præcedenti n. 14. demonſtratum eſt. III. Quantacunque ſit inter utramque virtutem ſimilitudo, ſalva ſemper manere debet hæc Tridentini definitio; *tangente Deo cor hominis per Spiritus Sancti illuminationem, inſpirationem illam recipiens abjicere poteſt.* Quod cum gratia, Queſnelli ſenſu, ſuprema & invincibili nunquam compoſueris. IV. Præterea, etſi gratia, qua peccator à ſpirituali morte ſuſcitatur ad vitam juſtitiæ, aſſimiletur virtuti & operationi, qua Chriſtus à mortuis ſuſcitatus eſt; non tamen, qui ſpiritualiter vivit, & operibus bonis aſſuevit, tanta gratiæ virtute eget ad facile quodpiam pietatis opus, quanta peccator ad arduam converſionem & pœnitentiam: ut proinde ſtatui univerſim non poſſit, gratiam eſſe *ſupremam, invincibilem ... ſequelam & imitationem operationis Dei incarnantis & reſuſcitantis Filium ſuum*. V. Evidens quoque eſt, hæc prædicata convenire non poſſe gratiis ſufficientibus, quibus in hoc ſtatu aliquando reſiſti, fides contra Janſenium docet.

VI. Ex dictis liquet, perperam nobis objici hæc alia ejuſdem epiſt. verba: *Fratres confortamini in Domino, & in potentia virtutis ejus.* VII. Quid, quòd ex verſu immediatè ſequente, *Induite vos armaturam Dei*, &c. magis ſtabilitur erroris damnatio. VIII. Si enim omnis gratia ſit *ſuprema, invincibilis*, &c. quam neceſſitatem, quem uſum, aut fructum habet tam ſolicita adhortatio? Vel enim gratiam habuere Epheſii, vel non: ſi habuere, nullum ab inſidiis Diaboli patiebantur periculum, utpote muniti deſcripta a Queſnello gratia; ſi non habuere, induere ſe non poterant armatura Dei; nemo enim poteſt ſolis naturæ viribus ſe ad gratiam diſponere. Igitur quod Paulus minimè exiſtimaverit omnem gratiam eſſe invincibilem, evincit ejus tam pia, & ſapiens monitio; præſertim ſi illuſtretur VIII... X. commentario Sancti Thomæ; qui, XI., præeunte Sancto Antonio Abbate, non omnem nos victoriæ fiduciam vult in ſola gratiæ potentia collocare; ſed prætereà armorum a nobis uſum exigit, hoc eſt, bonorum operum cum Divina gratia ſtudium, ut de Dæmonibus triumphemus. XII. Queſnelli verò de Divina gratia ſententia eripit hominibus virtutis, præceptorum, & ſalutis curam: hæc enim, ut, præſente gratia invincibili, eſt ſupervacanea, ita, abſente, eſt fruſtranea.

XIII. At, inquit Adverſarius, nonne verum eſt, *Deum eſſe, qui operatur omnia in omnibus?* Scimus enimvero, & cum Fulgentio profitemur a Deo *emanare totius bonæ voluntatis non tantum principium; ſed & perfectionem*, juxta illud: *Omne datum optimum*, &c. Neque tam ſtolidi ſumus, ut hanc Dei laudem reſtringamus cū Janſenio & Queſnello ad ſtatum naturæ lapſæ. Verùm hinc nequaquam conſequitur omnis gratiæ robur ſupremum, & invincibile Tridentinæ Synodo ſeſſ. 6. c. 5. è diametro oppoſitum, ubi & Deus *per excitantem, & adjuvantem gratiam* converſionis Author eſt, & ſimul actualis gratia non *ſuprema*, non *invincibilis*; ſed talis demum pronuntiatur, ut eam *recipiens abjicere poſſit*. XIV. At, qualiſcunque ſit gratia efficax, fides docet, præter hanc, etiam aliam inferioris ordinis, & cui reſiſtitur, admittendam eſſe: per eam Deus non operatur bonum, quod optaverat. Denique vera eſt hæc Propoſitio: quodcunque ſit opus ſalutare, Deus illud per gratiam ſuam operatur: Falſa verò eſt hæc: Deus per quamcunque gratiam operatur opus ſalutare. Primum dicit Apoſtolus, non ſecundum & ſic minimè ſuffragatur damnato Articulo.

CAPUT III.

Diſſolvuntur quæ Adverſarii objiciunt ex S. Auguſtino. col. 339.

I. FAmoſus Auguſtini locus libro de correptione, & gratia ſub finem cap. 12, quo contendunt Calvini, & Janſenii aſſeclæ, omnis gratiæ inſuperabilem efficacitatem aſſeri, quàm nihil ad propoſitum faciat, conſtat ex eo, quod idem Sanctus Doctor ſtatim initio capitis 13. ſubjungit: *Hæc de his loquor, qui Prædeſtinati ſunt in Regnum Dei*. II. Nunc quemlibet Orthodoxum

Digitized by Google

xum Theologum interrogo, an hæc ſana ratiocinatio ſit: voluntas prædeſtinatorum *Divina gratia indeclinabiliter, & inſuperabiliter agitur: Deo donante, invictiſſimè vult bonum, & invictiſſimè volt non deſerere*. Ergo quicunque, etiam reprobus, habet divinam gratiam qualemcumque, illâ indeclinabiliter, & inſuperabiliter agitur. Reclamant quicunque catholicè ſentiunt, quantumvis in explicanda gratiæ efficacitate inter ſe diſſideant; ut damnato Articulo reclamant Scripturæ, Patres, Conciliorum, & Pontificum definitiones, atque ipſe apertiſſimè Auguſtinus. III. Inter alia lib. de peccatorum meritis cap. 17. *Cum voluntate humana, gratia adjuvante divina, ſine peccato homines in hac vita poſſint eſſe; cur non ſint, poſſem facillimè, & veraciſſime reſpondere, quia homines nolunt*. Quid clariùs? Accedit, Illuſtriſſimos Antiſtites Lucionenſem, & Rupellenſem cum multis aliis contendere, Auguſtinum loco objecto non agere de quocunque efficaci auxilio; ſed de dono perſeverantiæ, quod perſeverantiam ipſam complectitur, & mortem in ſtatu gratiæ. At eſtne ſaltem omnis gratia efficax, juxta Auguſtinum loco objecto, indeclinabilis, & inſuperabilis? Reſpondeo, ſuppoſito quòd Sanctus Doctor hic agat de quacunque efficaci gratia, quod cum multis negant memorati Antiſtites Lucionenſis, & Rupellenſis, IV. nullam efficacem gratiam hoc ſenſu ſtatui poſſe inſuperabilem, ut ei voluntas poteſtate antecedente non poſſit diſſentire: alioqui enim neceſſariò neceſſitate antecedente conſentiret, & ſic periret conſenſus ipſius meritum, ad quod requiritur *libertas a neceſſitate*, utique antecedente: quemadmodum ex damnatione tertiæ Janſenianæ exploratiſſimum eſt. V. Neceſſitatem tamen conſequentem voluntatis conſenſum non refugimus, utpote quæ libertatis exercitium ſupponit, vel involvit, VI. VII. Ex duplici, quod Auguſtinus aſſignat diſcrimine inter gratiam, quæ data fuit Adamo ante lapſum, & eam, quæ prædeſtinatis datur poſt lapſum, VIII. neutrum conſiſtit in robore præſentis gratiæ invincibili, poteſtate etiam antecedente, IX. quæ ſecum rapiat voluntatis aſſenſum neceſſitate ineluctabili, & propriiſſimè dicta, qualis eſt, juxta Janſenium, in cæco, ut non videat, in ſurdo, ut non audiat, &c. X. Quod ut perſuadeat, centies recantat illud perperàm intellectum Auguſtini effatum; *Quod amplius nos delectat* (ſive ſit indeliberata delectatio terrena, ſive cœleſtis) *ſecundùm hoc operemur neceſſe eſt*. XI. Neque Janſenium, cjuſque diſcipulos a damnatione abſolvit, quod neceſſitatem illam non abſolutam, ſed relativam vocent.

XII. Objicitur præterea Auguſtinus in libro de geſtis Pelagii, ubi cap. 3. et intorquet illud Apoſtoli: *Quicunque enim Spiritu Dei aguntur, hi ſunt filii Dei*, quod Pelagius ad legem, atque doctrinam transferre non poterat, nam ut obſervat Sanctus Doctor, *agi* quid amplius eſt, quam doceri. Imo qui agitur, vix quidpiam agere intelligitur. Agit tamen; &, niſi ageret homo, non ageret Deus, qui per gratiam *adjuvat infirmitatem noſtram*. XIII. inſpirando *delectationem*, & *ſuavitatem*, ut ſibi ipſi reſpondet Auguſtinus: quæ verba manifeſte innuunt, taliter adjutum, non ita ad agendum impelli, ut nullo pacto reſiſtere valeat, aut diſſentire, quod exemplo declaratur. XIV. Neque enim, teſte Concilio Senonenſi, *tale eſt … trahentis Dei auxilium, cui reſiſti non poſſit*. XV. Nemo dubitat, quin ad actum virtutis eadem requiratur libertas, quæ ad peccatum: de poſteriore autem docet S. Auguſtinus; *Iſta eſt cauſa voluntatis; ſi non ei poteſt reſiſti, ſine peccato ei ceditur*. Ergo ſi non poteſt reſiſti gratiæ, ſinè virtutis laude, ſinè merito ei ceditur. XVI. Perſpicuum igitur eſt, Auguſt. neque omnem gratiam ſtatuere ſupremam, neque voluntati noſtræ invincibilem; atque adeò non exigere à Pelagio, ut credat, quod, *Quicunque Spiritu Dei aguntur*, ita agantur, ut nequeant Spiritui Dei reſiſtere, & diſſentire: quod ulteriùs novis ejus teſtimoniis XVII. oſtenditur. XVIII. XIX. Notatur Adverſarii aut fides peſſima, aut craſſa ignorantia in objiciendo nobis prædicto Auguſtini loco. Probandum enim erat, quòd omnis, qui phraſi Scripturæ, & Auguſtini habet auxilium gratiæ, quo vocetur, moneatur, juvetur; quòd, inquam, hoc ipſo agat, ſive à gratia agatur. Hoc autem à Script., & Auguſt. mente remotiſſimum eſt. Qui enim Spiritui Sancto cum pertinacibus Judæis Act. 7. ſemper reſiſtunt, non aguntur Spiritu Dei, unde nec *filii* ejus ſunt.

XX. At nullibi magis elucet Queſnelli, vel defenſoris ejus temeritas, quàm in opponendo nobis hoc Auguſtini textu de Prædeſtinatione Sanctorum cap. 15. *Ea gratia fit ab initio fidei ſuæ homo quicunque Chriſtianus, qua gratia homo ille ab initio ſuo factus eſt Chriſtus: de ipſo Spiritu eſt hic renatus, de quo eſt ille natus*. In toto capite nulla mentio de efficacitate gratiæ; ſed ab initio ad finem XXI. tantùm docere intendit, quod, ſicut nè Chriſti quidem humanitas, Prædeſtinatorum omnium exemplar, habuit aliquid, quo mereretur ad divinam filiationem elevari, ita neque, & multò minus in prædeſtinatione hominis peccato originis contaminati, quidquam ſit meritorum, quo in filium Dei adoptivum aſſumi mereretur. Conſtat hujus explicationis veritas ex textus integri relatione, XXII. Nec nobis obeſt quidquam, quod Auguſtinus dicat *EA GRATIA* fieri aliquem Chriſtianum, *qua gratia homo ille factus eſt Chriſtus*, quaſi tam invincibilis ſit illa, quàm hæc. XXIII. Exprimitur enim ſapientiſſimè *ea gratia …. qua, &c.* ut oſtendatur non agi de Pelagiana falſi nominis gratia (per quam ſcilicet intelligebat naturam à Deo gratis conditam) ſed de ea, quæ omnem naturæ ordinem tranſcendit, quali humanitas Chriſti ad Filii Dei Unigeniti dignitatem prædeſtinata fuit, & aſſumpta, nullo prævio merito, nulla prævia naturæ exigentia. XXIV. Fatuus ſit oportet, qui omnimodam ſimilitudinem comminiſcitur inter modum, quo quis per gratiam Chriſtianus fit, & quo humanitas ad Verbum aſſumpta eſt. unde ſcilicet neceſſe ſit conſequi, hominem ſub gratia merè paſſivè ſe habere; ſicuti Chriſti humanitas ad unionem hypoſtaticam merè paſſivè ſe habuit. XXV. Ad hanc tamen hæreſim docit verborum Auguſtini in Articuli Queſnelliani patrocinium violenta contortio. XXVI. Si enim in vera ſua ſignificatione ſumantur, nunquam ex iis extundes, quod *gratia JESU Chriſti*, ideſt, gratia omnis, quam per Chriſtum habemus, ſit *gratia fortis, ſuprema, invincibilis, &c.* ut in Queſnelli Articulo, XXVII. ad quem nihil plus relationis habet locus productus ex Chryſoſtomo.

VIGESIMASECUNDA PROPOSITIO DAMNATA.

Concordia omnipotentis operationis Dei in corde hominis cum libero ipſius voluntatis conſenſu, demonſtratur illico nobis in Incarnatione, veluti in fonte, atque archetypo omnium aliarum operationum miſericordiæ, & gratiæ, quæ omnes ita gratuitæ, atque ita dependentes à Deo ſunt, ſicut ipſa originalis operatio. *Obſerv. Moral. Luc. 1. verſ. 38.*

CAPUT I.

Inſulſus error caſtigatur. col. 351.

I. Singulæ ferè, quæ præceſſere Queſnelli Propoſitiones II. libertatem adimunt benè operandi omnibus efficaci gratia deſtitutis; Item iis, qui tali gratia donati ſunt, ut illarum enumeratione oſtenditur. Quæ eſt igitur illa libertas, quis *liberæ voluntatis conſenſus*, cujus cum omnipotente Dei operatione concordiam hic Queſnellus ait demonſtrari *in Incarnatione, velut in archetypo &c.* Fuitnè in poteſtate humanitatis Chriſti impedire Verbi Incarnationem? Fuitnè ſaltèm humanitatis conſenſus requiſitus, aut Incarnationi cooperatus? Nonnè humanitas in Verbi ad illam unione merè paſſivè ſe habuit? Quomodo igitur in Incarnatione demonſtratur nobis *concordia omnipotentis operationis Dei in corde hominis cum libera ipſius voluntatis conſenſu*? Rurſus Incarnatio ita *gratuita* fuit, & *dependens à Deo*, ut in ea efficienda Chriſti humanitas nihil cooperata, ſed merè paſſa ſit, & quidem neceſſitate maximâ: Tota enim actio ſolius Dei fuit, nullo modo humanitatis. Nunc diſpiciat Catholicus Lector, an talis norma, & archetypus noſtrorum actuum liberorum à Sede Apoſtolica

Digitized by Google

ſtolica tolerari debuerit? IV. Obſervationem ſuam colligit Queſnellus ex his Lucæ verbis: *Dixit autem MARIA: Ecce Ancilla Domini, fiat mihi ſecundùm verbum tuum*: Unde quidam enm benignè interpretari conantor, quaſi dicere voluerit, quòd liber conſenſus Beatæ Virginis in Incarnationem, libertatem indicet noſtrorum actuum à libertate noſtra pendentium, ſicut Incatnatio dependit à libero Dei Martis conſenſu: Verùm nec libertas, nec conſenſus Virginis in Obſervationum Moralium textu deſignatur; ſed ipſa Incarnatio velut fons, & archetypus omnium noſtrorum actuum ad juſtitiam, & ſalutem conducentium; qui omnes aſſeruntur ita dependere à Deo, *ſicut ipſa originalis operatio*, ſeu Incatnatio V. Archetypus ille dici debuit ſtrictiſſimæ neceſſitatis, non libertatis humanæ.

CAPUT II.

Refellitur objectio petita ex Apoſtolo. col. 354.

I. OBjectus locus ex Eph. 2. v. 10., interprete Doctore Angelico, II. adeò non confirmat damnatam in Queſnelli Propoſitione *concordiam*, ut eam penitùs deſtruat. III. Eamdem pridem ex eodem illo Apoſtoli textu commentus eſt famoſus Calvini diſcipulus Theodorus Beza, ſtrenuè à Catholicis, IV. V. & inter alios à Cornelio Lapide confutatus. VI. Hæc igitur concordia Calviniſtis, quàm Catholicis dignior eſt, & manifeſtè Tridentino contraria.

CAPUT III.

Refutantur objecta ex Patribus. col. 356.

I. PRo damnato Articulo adducitur primò Sanctus Leo, dicens, nos eodem Spiritu Sancto ſanctificari in baptiſmate, quo Chriſtus ſanctificatus eſt in utero Virginis. Quid gratia habitualis, quæ libertatem non ſupponit in ſubjecto, cui infunditur, ad demonſtrandam concordiam actuum noſtrorum liberorum cum omnipotentis gratiæ actualis auxilio? II. Non plus momenti habet illud Auguſtini: *Nullum eſt illuſtrius prædeſtinationis exemplum, quàm ipſe JESUS*, quæ comparatio, ut Sanctus Doctor ſeipſum explicat, in eo ſitu eſt, quòd, ſicut Chriſti humanitas, nullis ſuis præcedentibus meritis, prædeſtinata eſt ad unionem cum Verbo, ita nos nullis noſtris prædeſtinemur ad Dei filiationem adoptivam. Sed ex illa prædeſtinatione utrobique gratuitâ, non demonſtratur iterum proſcripta *concordia*. III. Ad alium Auguſtini locum reſpondimus in confutatione Propoſitionis præcedentis c. 3. num. 22. & ſequentibus. Superadduntur hic aliqua ad uberiorem ſolutionem, quæ legi poſſunt. IV. Quod profert Adverſarius ex opere imperfecto, & enchiridio, ſimile eſt illi, ad quod hic reſpondimus num. 2. V. Fulgentius VI. ſolùm contendit, quòd, ſicut Virgo neque concipere, neque parere potuiſſet ſinè Spiritu Sancto; ita neque nos ſinè eodem Spiritu renaſci valeamus, neque credere; Neceſſitas igitur gratiæ etiam ad juſtitiæ, & meritorum initium rectè ab hoc Sancto Patre oſtenditur; ſed de demonſtranda ex Incarnationis myſterio concordia omnipotentis operationis Dei in corde hominis cum libero voluntatis conſenſu, ut prætendit Adverſarius, nullus Fulgentio ſermo. VII. Quamvis enim idem Spiritus Sanctus effecerit Incarnationem, & infantes ſanctificet in baptiſmo, & adultos per pœnitentiam, cæteroſque actus ſalutiferos; non tamen hæc omnia eodem modo: Incarnationem enim operatus eſt abſque ulla humanitatis aſſumendæ liberâ diſpoſitione, cooperatione, aut prævio conſenſu, & eodem modo juſtificationem efficit parvulorum; ſed longè aliter juſtificat adultos, quorum conſenſus liber, & cooperatio requiritur. VIII. Cùm Adverſarium ulteriora arma deficiunt tuendæ Queſnelli Propoſitioni in ſenſu obvio; eam benignè interpretari conatur, quaſi in ejus libro operatio gratiæ non comparetur cum eo, quod in Chriſto actum eſt; ſed ſolummodo cum conſenſu, quem B. Virgo præſtitit verbis Angeli. IX. Si ita eſt, debuiſſet ergo aſſerere concordiam omnipotentis operationis Dei cum libero voluntaris conſenſu demonſtratam eſſe non in Incarnatione, ſed in conſenſu libero B. Virginis; neque enim hic eſt *Incarnatio*, non eſt *fons, & archetypus omnium aliarum operationum miſericordiæ, & gratiæ*, non eſt *ipſa originalis operatio*. Deinde tot ſimiles figuræ ad ſubverſionem humanæ libertatis à Queſnello expreſſæ in Propoſitionibus præcedentibus, & ſequentibus nimis, quàm clarè indicant, eum à toties dicta *concordia* minimè alienum eſſe; ideoque verba ejus à proprio, & obvio ad benigniorem ſenſum detorquenda non ſunt; X. ſed hæc eſt hæreticorum fraus, *dogmata ſua negare ſua eſſe*, ut loquitur Franciſcus Simonis, & declarat exemplo Pauli Samoſateni, XI. cui addi poſſunt Pelagius, & Lotherus.

VIGESIMATERTIA PROPOSITIO DAMNATA.

Deus ipſe nobis ideam tradidit omnipotentis operationis ſuæ gratiæ, eam ſignificans per illam, quâ creaturas è nihilo producit, & mortuis reddit vitam.
Obſerv. Moral. Rom. 4. v. 17.

CAPUT I.

Hic hæreſis, abjectâ larvâ, ſe prodit. col. 364.

I. EX hac gemina comparatione Sole clariùs elucet Queſnelli ſententia de humana libertate, quam hic ſine ulla circuitione peſſumdat. Utraque Dei operatio omnipotentiam ejus manifeſtat; ſed nullo modo creaturarum libertatem. Nemo productioni ſui ex nihilo cooperatus eſt, aut cooperari potuit, juxta illud *priùs eſt eſſe, quàm operari*. Non plus ad ſui reſuſcitationem confert mortuus: utrumque opus ſolius eſt Dei; unde nobis nec laudi cedit, nec merito. Et ſic eadem comparatio etiam laudem, & meritum eripit bonis actibus. Imo Calvinum, & Janſenium Queſnellus ſuperat: Illi enim ſaltem voluntarium, & exemptionem à coactione agnovêre. At nec voluntarium, nec libertas à coactione eſt in utroque exemplo: tam enim creatio, quàm reſuſcitatio eſt motus ab extrinſeco proveniens, nihil conferente homine, qui creatur, vel reſuſcitatur. II. Quid autem Tridentino magis oppoſitum? Quid Scripturis in Deuteronomio, IV. VIII. in Proverbiis, V. IX. in Iſaia, VI. in Actibus, VII, XII. in Apoſtolo Paulo, X. in Eccleſiaſtico, XI. & Matthæo magis adverſatur?
XIII. Poteſtne res è nihilo producenda ſui productioni reſiſtere, vel homo mortuus reſuſcitationi? Reus ergo eſt Queſnellus ſecundæ, & quartæ Janſenianæ: Reus etiam cæterarum facillimè demonſtratur. XIV. Talem ideam omnipotentis operationis Divinæ gratiæ non agnovêre Patres etiam antiquiſſimi, ut Clemens Alexandrinus, XV. Irenæus, XVI. Arnobius, XVII. Chryſoſtomus, XVIII. Auguſtinus, XIX. Cyrillus Alexandrinus, XX. XXI. Patribus conſentiunt Scholarum Principes, Doctor Angelicus, XXII. Bonaventura, XXIII. Scotus, XXIV. Albertus Magnus.

CAPUT II.

Solvuntur objectiones deſumptæ ex Scripturis. col. 371.

I. ... V. TOt Scripturæ locis, quot hic producuntur, VI. opus non erat, ut nobis perſuaderetur, eſſe aliquid ſimilitudinis creationem inter & juſtificationem, atque hanc ſubinde in Scripturis venire nomine *creationis*. Peccator ſcilicet in oculis Dei quaſi nihil eſt, nihil habet meriti, nihil vitæ ſpiritualis, nihil ex ſe motûs, quo ſe ad juſtitiam, & virtutum actus convertat. In his peccatoris juſtificatio comparatur creationi à

Scriptura, & Patribus. In multis comparatio deficit. Ante creationem enim res nullo modo eſt; unde ſui productioni cooperari penitùs non poteſt. E contrario peccator habet naturam, & liberum arbitrium, quod adjutum à gratiâ diſponere ſe ad juſtitiam poteſt, eamque cooperatione ſuâ obtinere. Hæreticus proinde, aut fatuus ſit oportet, qui genuinam operantis gratiæ ideam accerſit à rerum ex nihilo productione, aut ſuſcitatione à mortuis. VII. Præterea etſi idea illa ſubſiſteret reſpectu eorum, qui primò juſtificantur, locum tamen non haberet reſpectu juſtorum, qui jam vitâ, & ſpiritu donati ſunt, ut mereri valeant augmentum gratiæ, & gloriæ. Et tamen Queſnellus non diſtinguens inter eos, qui primùm juſtificantur, & qui jam juſti ſunt, generaliter aſſerit, quòd *Deus ipſe nobis ideam tradidit omnipotentis operationis ſuæ gratiæ, per illam, qua creaturas è nihilo producit, & mortuis reddit vitam*. VIII. Qui error Calvino, & Luthero proprius, egregiè confutatur verbis Sancti Thomæ, ubi commentatur locum ex Eph. 2. v. 10. nobis objectum: Ut appareat nihil inſulſius eſſe *illa idea*, quâ omnia ita operationi Dei adſcribuntur, ſicut creatio, & reſuſcitatio ſoli omnipotentiæ Dei, creandis, aut ſuſcitandis nihil penitùs concurrentibus, tribuitur. IX. Et verò nonne juſtitiam, & ſalutem nobis ipſis Divinæ gratiæ auxilio comparare jubemur X. innumeris prope Scripturæ locis? Poteſtne autem rebus poſſibilibus, priuſquam exiſtunt, imperari, ut ſe creent, vel ad ſui creationem concurrant? poteſtne cadaveri, ut ſe reſuſcitet, vel ad reſuſcitationem diſponat, vel quacunque ei actione cooperetur? XI. Ipſe, qui nobis opponitur textus, *Renovamini ſpiritu mentis veſtræ, & induite novum hominem* ideæ vanitatem oſtendit. Non enim id nobis imperari poſſet, ſi gratia in nobis operaretur creationis inſtar, & reſurrectionis, in quâ homo nihil operatur. Rei non exiſtenti non imperabit ſapiens, ut ſe renovet. Qua ergo ſapientia adhiberet nobis Deus tot invitationes, monitiones, conſilia, & præcepta, ſi fictitia illa operantis gratiæ idea ſubſiſteret?

CAPUT III.

Non favet damnatæ Propoſitioni S. Chryſoſtomus. col. 375.

I. DUm ait Chryſoſtomus, eſſe *multò difficilius humanis rationibus perſuadere libero arbitrio, quàm operari naturam*, ſi attendatur adjuncta Sancti Doctoris explicatio, deprehendetur, nihil afferri potuiſſe efficacius erroneo de gratiæ efficacitate ſyſtemati evertendo. Cur enim difficilius dicitur perſuadere libero arbitrio, quàm operari naturam; II. niſi quia, ut ſe S. Pater explicat, eductio rerum è nihilo, & reſuſcitatio mortuorum eſt operatio ſolius Dei, quam ſolâ ſuâ exequitur voluntate; fides autem, & juſtificatio impii, cæterique actus ſalutares ſunt opera, non ſolius Dei; ſed etiam liberi arbitrii, eaque ab hoc ita pendere Deus voluit, ut in poteſtate hominis ſit, cœleſtis gratiæ auxilio reſiſtere, ut nimis ſæpe contingit, & probat S. Chryſoſtomus exemplo invitaræ Jeruſalem ad congregationem fidelium, & congregari nolentis. Igitur, ut concludamus verbis Chryſoſtomi, cur multò difficilius ſit *perſuadere libero arbitrio, quàm operari naturam ... cauſa eſt ... quoniam ipſe ſic vult, nos noſtra ſponte fieri bonos*.

III. Quàm alienus ſit idem S. Doctor ab admittenda Queſnelli ideâ, aliis adhuc ex illo locis declaratur, iiſque tam fortibus, IV. ut eorum unus V. ferè nimium voluntati hominis tribuere videatur; certè egeat benigna interpretatione: VI. quot illic voces, tot ſunt Queſnellianæ ideæ antitheſes.

CAPUT IV.

Damnatæ Propoſitioni patrocinium fruſtrà petitur à S. Auguſtino. col. 377.

I. NOn plus patrocinii habetur ex Sancto Auguſtino: duplici enim, quæ ex eo profertur, ſententiâ II. aliud nihil intendit S. Doctor, quàm non eſſe juſtos ex ſolo libero arbitrio, ſed adjuto per gratiam; neque hanc dari propter merita præcedentia liberi arbitrii: alias gratiam non fore gratiam, ſed mercedem: verùm merita liberi arbitrii eſſe per gratiam, ut cauſam omnis meriti; non tamen ſolam, ſed ſimul cum libero arbitrio. III. ... V. Dicti veritas ad oculum oſtenditur ex ipſo, qui nobis objicitur, libro de gratia, & libero arbitrio VI. & ex Auguſtini, in eo conſcribendo, conſilio. VII. Si enim vera operationis gratiæ idea ſignificatur per operationem, quâ creaturæ producuntur è nihilo, vel mortui ſuſcitantur ad vitam, conciliet cum tali operatione, ſi poſſit, Queſnellus, ejuſve defenſor, illud, quod inter tot alia Scripturarum teſtimonia producitur lib. de grat. & lib. arb. c. 2. ad demonſtrandam humani arbitrii libertatem, *ſi volueris, conſervabis mandata*, quæ juxta Auguſtinum, & cæteros contra Pelagium Catholicos, conſervari nequeunt ſine gratiâ. Si hujus operatio eſt, qualis creatio, & reſuſcitatio à mortuis, quemadmodum rei non exiſtenti, aut cadaveri ſtultè quis diceret: ſi volueris, creaberis; vel, ſi volueris, reſurges: ita juxta Queſnellum non ſapientiùs dixiſſet Chriſtus: *ſi volueris, ſervabis mandata &c.* VIII. Rurſum *quomodo jubet Deus*, inquit Auguſtinus ibidem, *ſi non eſt liberum arbitrium?* Quomodo præcipit Deus mandatorum ſuorum obſervationem è gratia pendentem? Enimvero ſi ſic à gratia pendeat, vel à Deo per gratiam, ſicut creatio, vel reſuſcitatio, cùm utraque hæc à ſolo Deo dependeat, non poteſt imperari creaturæ, niſi Deum imperantem inſipientem feceris &c. IX. Quod de præceptis dictum eſt, etiam ad Dei monita, conſiliaque extenditur. Monita enim ſalutaria non implentur ſine gratiâ, quâ ſuppoſitâ, cùm omnis juxta Queſnellum ſit efficax; & quidem, ut eſt creatio, & reſuſcitatio, fieri non magis poteſt, ut ea prætereantur, quàm ut, poſita creatione, & reſuſcitatione, res maneat in nihilo, vel mortuus non reſurgat. Quomodo *bonum* ſalutiferum, quodcunque facimus, *non eſt ex neceſſitate* (ibidem) ſi non aliter à ſolo Deo pendeat, quàm creatio, aut reſuſcitatio. Sed & qua ratione operibus noſtris *merces æterna debetur*? (ibidem c. 4.) Num merces nobis debetur, quia creamur, aut reſurgimus? Igitur toties jam recantata Adverſarii ſpuria de operatione gratiæ idea, deſtruit humanam ad bonos actus libertatem, Dei ſapientiam, mandata, monita, & conſilia, hominum merita, & præmia, Scripturarum veritatem, totam denique Auguſtini cum fide catholica doctrinam.

X. Quæ dicta ſunt, applicari facilè poterunt cæteris tam Auguſtini, quàm reliquorum, qui hic congeruntur, Patrum teſtimoniis. Omnia ſcilicet reducuntur ad illud Epheſ. 2. v. 10. *Ipſius enim ſumus factura, creati in Chriſto JESU in operibus bonis, quæ præparavit Deus, ut in illis ambulemus*: qui locus, duce Angelico Doctore, abunde expoſitus eſt col. 354. Ad reprimendam ſcilicet humanam ſuperbiam, ſollicitè nobis Scriptura, & Patres inculcant, quòd, ſicut ex nihilo creati ſumus homines, ita & ex nihilo juſtitiæ ſanctificati: &, ſicut eſſe hominis procurare nobis minimè potuimus, ita nec quæcunque naturam ad ullum opus ſalutare diſponunt; ſed præveniri, excitari, moveri Divinâ gratiâ intellectus, & voluntas debuerit; adeò ut nec cogitare quidem aliquid boni iſtiuſmodi abſque ſpeciali gratiâ valuiſſet. XI. Ob hanc itaque cùm creatione ſimilitudinem creati dicimur in operibus bonis, & cor in nobis creari mundum. Ita quoque, cùm à Patribus peccatorum converſio vocatur mortuorum reſuſcitatio, in hoc ambo ſimilia ſunt, quòd, ſicut vita corporum extincta, redditur reſuſcitatione; ita vita animæ myſtica, peccato deſtructa, reſtituatur operatione gratiæ. Cæterùm utraque ſimilitudo in hoc fallit, quòd, ut ſupra dictum eſt, tam reſuſcitatio, quàm creatio à Dei ſolius operatione pendeat citra creaturæ concurſum, citra libertatis exercitium; quod totum ab operatione gratiæ ſecundùm fidem catholicam remotiſſimum eſt.

Digitized by Google

VIGESIMAQUARTA PROPOSITIO DAMNATA.

Juſta idea, quam Centurio habet de omnipotentia Dei, & Jesu Chriſti in ſanandis corporibus ſolo motu ſuæ voluntatis, eſt imago ideæ, quæ haberi debet de omnipotentia ſuæ gratiæ in ſanandis animabus à cupiditate. *Obſerv. Moral. ad Luc. 7. v. 7.*

CAPUT I.

Propoſitio repugnat Scripturis Sacris. col. 382.

I. Verba Centurionis ſunt: *Dic verbo, & ſanabitur puer meus*, quibus agnoſcit omnipotentiam Chriſti in ſanandis corporibus ſolo motu voluntatis ejus. II. At hic nulla interioris gratiæ, nulla ſanandæ animæ à cupiditate fit mentio. Deus quidem nonnulla gratiæ auxilia indignis, non petentibus, imò nec cooperaturis ſubinde impertit: verùm hæc ſanationis tantùm ſunt initium, non ſanatio abſoluta, & integra, qualem comminiſcitur Propoſitio, exemplo ſanitatis corporalis redditæ puero Centurionis. Ad abſolutam, & integram animarum à cupiditate ſanationem præter motum gratiæ, requiritur in hoc decretorum ordine libera ſanandi cooperatio. Igitur, licèt omnipotentia Dei, & IESU Chriſti ſanet corpora *ſolo motu ſuæ voluntatis* abſque hominum cooperatione; non tamen omnipotentia ſolo gratiæ ſuæ motu ſanat animas à cupiditate abſque cooperatione creatæ libertatis. Conſequenter falſiſſimum eſt, quod *juſta idea &c.* III. Porrò hic per cupiditatem intelligitur omne genus vitiorum, quorum omnium origo eſt cupiditas. Conſideret nunc Queſnellus, an peccata omnia ſolo gratiæ motu, nobis nihil agentibus, ſuperentur. IV. Contrarium docemur in Proverbiis, V. in Eccleſiaſtico, VI. in Iſaia, VII. VIII. in Ezechiele, IX. in Apocalypſi. X. Sapientiæ 9. v. 10. Salomon petens Divinam ſapientiam, ſeu gratiam: *Mitte eam*, inquit, *de ſede magnitudinis tuæ, ut mecum ſit, & mecum laboret*; non ut ſola ſit, & ſola laboret. XI. Apoſtolus Paulus ait, *abundantiùs omnibus laboravi, non ego, ſed gratia Dei mecum*. Item *Unuſquiſque propriam mercedem accipiet ſecundùm ſuum laborem; Dei enim ſumus adjutores*; Græcè *cooperatores*. Non igitur ſolus gratiæ Dei motus ſanitatem à cupiditate, & ſalutem in animabus operatur; ſed gratia Dei nobiſcum.

CAPUT II.

Vigeſimaquarta damnata Propoſitio adverſatur Conciliis, & Romanorum Pontificum definitionibus. col. 386.

I. Adverſatur Arauſicano, II. Senonenſi, III. Tridentino tribus locis; inter alia can. 32. ubi definit, quod *opera bona ſunt ita dona Dei, ut etiam bona ſint juſtificati merita*. Quo titulo autem mereantur, ſi ſolo gratiæ motu fiant? Sanitas corporis prodigio reſtituta, donum Dei fuit; ſed non opus pueri, nec ulla ratione ei vertitur in meritum. IV. Reclamabit hic Queſnellus, ſeque meritum in humanis actibus agnoſcere verbo teſtabitur; ſed tunc incidet in tertiam Janſenianam *ad merendum &c.* V. Subjacet quoque quartæ, & ſecundæ Janſenianæ. Non enim juxta propoſitam ab eo omnipotentis gratiæ, ejuſque operationis ideam, *gratia talis eſt, cui poſſit voluntas humana reſiſtere*, multo minus illi *in ſtatu naturæ lapſæ nunquam reſiſtitur*. VI. At Queſnellus dicet, nolle ſe actibus bonis eripere cooperationem hominis, & libertatem. Reſpondeo primò, Proteſtationem non valere actui contrariam: VII. Item, Proteſtatione non excuſari delictum, ut multiplici lege ſancitum eſt. VIII. Reſpondeo ſecundò libertatem, quam ſubinde Queſnellus verbotenus ad fallendum prædicat, non aliam poſſe intelligi, quàm quæ duplici Baji Articulo damnata eſt: *Quod voluntariè fit, etiamſi neceſſariò fiat, liberè tamen fit. Et ſola violentia repugnat libertati hominis naturali*. Talem nè Calvinus quidem ipſe admittere detrectabit.

CAPUT III.

Vigeſimaquarta Propoſitio damnata repugnat traditioni Patrum. col. 388.

I. Propoſitionem ſemper accipimus in ſenſu proprio, obvio, & quem præ ſe verba ferunt, nihil morati frigidam Queſnelli excuſationem de ſenſu à ſe intento, vel alibi tradito. A toties recantata ejus idea alieniſſimus eſt, II. Juſtinus, III. Irenæus, IV. Clemens Alexandrinus, V. Andreas Cæſarienſis, VI. Hilarius, VII. Gregorius Nazianzenus, VIII. Auguſtinus, IX. Fulgentius, X. Author operis de vocatione gentium, XI. Venerabilis Beda, XII. Gregorius Magnus, XIII. . . . XVI. Bernardus &c.

XVII. Scholaſtici, & ratio Theologica ſequenti Propoſitioni reſervantur.

CAPUT IV.

Solvuntur objectiones. col. 391.

I. Ezechielis textus bene longus ex c. 36. II. nihil confert ſtabiliendæ inauditæ novitati. III. Et quomodo Propheta, vel potiùs æterna veritas tam manifeſto patrocinaretur errori? Aliàs in denſiſſimis tenebris ab initio mundi ad hæc uſque tempora jacuiſſet electus Dei populus, & cœtus Sanctorum, qui tam mirabilem Divinæ voluntatis in convertendis animis operationem hactenus ignoraſſet. IV. Tota igitur Ezechielis ſententia huc redit, ut, exprobratis Iſraëli criminibus, prænunciet tamen futurum, ut Deus aliquando populi, quantumvis nunc impii, miſereatur, eumque convertat. Sed de converſionis modo, an ſolâ omnipotenti gratiâ, & abſque libera hominis cooperatione, an ſecus, ut Catholici profitentur, fiat, nihil illic aſſeritur: Alibi verò V. tum Ezechiel, VI. . . . VIII. cum cæteri Hagiographi, requiri liberi arbitrii conſenſum minimè obſcurè ſignificant.

IX. Altera objectio depromitur ex Auguſtino ita ſcribente ad Vitalem: *Non ei credentibus, & ejus doctrinam voluntate impia perſequentibus miſericordiam prærogavit, eoſque ad ſeipſum omnipotentiſſima facilitate convertit, ac volentes ex nolentibus fecit*, ſic eos ſcilicet vocando, ut alibi Auguſtinus explicat, quomodo ſciebat eis congruere, ut vocantem non reſpuerent; non verò ſic vocando, ut vocantem reſpuere non poſſent, imò nec vocanti ullâ ratione cooperari, ut mirabilis idea nos docet, cui ex ipſo rurſus Auguſtino confutandæ, X. . . . XII. præter alia teſtimonia, XIII. unum præſenti inſtituto aptiſſimum hic producimus ex enarr. in pſal 102. ubi de animi ægritudine ita fatur: *Deus ſanat quemlibet languidum; ſed non ſanat invitum: quid autem te beatius, quàm, ut tanquam in manu tua, ſic habeas in voluntate ſanitatem tuam? Ergo hoc tibi dicitur omnis homo, ſi te ægrotantem languor ipſe tenuiſſet*. Habentne homines corporum ſanitatem in manu ſua, ſicut habent animorum? Num à corporum, ſicut ab animorum electione, pendet liberatio ab omni ægritudine? Plurimùm ergo ex Auguſtini ſententia differt operatio gratiæ in mentibus, ab operatione omnipotentis Dei voluntatis in corporibus, ut ab infirmitate liberentur.

VIGESIMAQUINTA PROPOSITIO DAMNATA.

Deus illuminat animam, & eam ſanat æquè, ac corpus ſolâ ſuâ voluntate; jubet, & ipſi obtemperatur. *Obſerv. Moral. Luc. 18. v. 42.*

CAPUT

INDEX CAPITUM

CAPUT I.

Idem, qui ſuperioris Propoſitionis error, Scholaſticorum conſenſu, & ratione enervatur. col. 396.

I. EAdem Propoſitionis hujus, quæ ſuperioris, ut patet, ſignificatio eſt, idem error. Locus, unde nata eſt mirabilis hæc Queſnelli obſervatio, habetur Lucæ 18. v.40. ubi JESUS cæco imperat, *Reſpice*, & ipſi obtemperatur: illuminat cæcum, & ſanat corpus ſolâ ſuâ voluntate; nam etſi expetita à cæco illuminatio fuerit, conceſſio tamen ad ſolam pertinuit Dei poteſtatem, cæco minimè cooperante. Et hactenus quidem rectè: Verùm licet viva cæci fiducia, & humilis ad Medicum recurſus ſua commendatione non careant; oculorum tamen illuminatio, & ſanatio actibus humanis laude, & merito dignis accenſenda non eſt; Ad hos enim cooperationem hominis omnis Scripturarum, Conciliorum, Pontificum, SS. Patrum authoritas requirit, ut ad præcedentem Propoſitionem oſtenſum eſt.

II. His Scholaſtici conſentiunt; Magiſter Sententiarum, III. S. Thomas, IV. Albertus Magnus, S. Bonaventura &c., V. & inter Lovanienſes, Driedo, VI. & Malderus.

VII. Idem evincit ratio Theologica. Si enim omnis ſanitas, & ſalus, ut corporis, ita animæ tribuenda eſt ſoli Divinæ voluntati, &, ſicut hujus ſolius eſt juſſio, ita ſit & obtemperatio, ubinam, aut in quo hominis meritum fundari poterit? certè non in noſtra cooperatione, non in libertate, utpote quæ hìc nulla eſt: *Quis autem dubitet, non deferre præmium, niſi ei, qui bona voluntate aliquid fecerit?* Ait S. Auguſtinus. Et juxta S. Thomam: *Per actum proprium quis mereri non poteſt, niſi ſit dominus ſui actus: ſic enim ſuum actum, quaſi pretium pro præmio dare poteſt.*

VIII. Alius præſentis Propoſitionis error de gratia, ejuſque operatione à Divina voluntate indiſtinctâ caſtigatus eſt ad Prop. 15. c. 5. à num. 1. ad 14.

CAPUT II.

Solvuntur objectiones. col. 398.

I. OBjicitur illud Joannis 5. v. 21. *Sicut enim Pater*, inquit Chriſtus, *ſuſcitat mortuos, & vivificat; ſic & Filius quos vult, vivificat.* De omnipotentia Patris, & Filii in ſuſcitandis tam corporaliter, quàm myſticè mortuis non dubitamus. Quæſtio eſt primò de modo, quo utrumque fit; nunquamne ſcilicet velit Deus homines à peccatis, quæ morbi, & mors animæ ſunt, ſanari, aut reſurgere; & tamen illi in voluntate ſua, in ægritudine, & morte remaneant? Quæſtio eſt ſecundò, an ſicut ſanatio, & reſuſcitatio corporum ſolâ Dei voluntate fit, ita & juſtificatio: & an quodvis opus ſalutiferum in nobis à Dei voluntate fit abſque prævio nobis immiſſo cœlitus ſubſidio, quo interiùs diſponamur, & excitemur? Quæſtio eſt tertiò, an ſicut ad ſanationem corporum opus non eſt cooperatione *libera* voluntatis humanæ, ſic neque ad juſtificationem hominis adulti, ſaltèm in hoc decretorum ordine?

Ad hæc tria quæſita reſpondet Queſnellus affirmativè, nos negativè; V. dicimuſque, quod, *ſicut Pater ſuſcitat* corporaliter *mortuos, & vivificat* ſolâ ſuâ voluntate; ſpiritaliter verò *mortuos* voluntate ſua non ſolâ, ſed prætereà excitante, & adjuvante gratiâ, & libera hominis cooperatione; *ſic & Filius, quos vult, vivificat*, hoc eſt, eodem, quo Pater modo. IV. Nobis apertiſſimè ſuffragatur Tridentinum ſeſs. 6. cap. 5.

III. Erronea verò Queſnelli ſententia latam ad omnem nequitiam feneſtram aperit. Hâc enim freti libertini ſalutis, pœnitentiæ, cæterorumque bonorum actuum curam facilè abjicient; Cùm *Deus animam æquè ac corpus ſanet SOLA ſua voluntate*, & citra noſtram cooperationem. III. Quid, quòd exigua, vel nulla erit Sacramenti Pœnitentiæ, & Confeſſionis, multis aliunde tam arduæ, neceſſitas, cùm multò facilior ad juſtificationem ſit via, ope ſcilicet *ſolius voluntatis Divinæ*.

Reſtabit igitur, ut non tantùm pœnitentia Sacramentalis, ſed & omnis canonica, & publica aboleatur; Unde opus non erit illam ad hanc ſolam reducere, ut olim nova factio molita eſt.

VI. Multò minùs ad rem facit alter Joannis locus ex eodem cap. v. 24. *Qui verbum meum audit, & credit ei, qui miſit me . . . tranſit de morte ad vitam.* Sanè hinc potiùs ſequitur, ad ſanitatem animæ non ſufficere ſolam Dei voluntatem; quandoquidem in homine requiritus *auditus* verbi Divini, & *fides*, nec fides ſterilis; VII. ſed quæ operetur juxta id, quod credit, VIII. idque per dilectionem; *ſicut enim corpus ſinè ſpiritu mortuum eſt, ita & fides ſine operibus mortua eſt*, inquit S. Jacobus c. 2. v. 26; quod adeò diſplicuit Luthero, ut vel propterea epiſtolam Jacobi vocarit *ſtramineam*, nec dignam, quæ accenſeretur Scripturis canonicis.

IX. Æquè impertinens eſt illud Jeremiæ 17. v. 14. *Sana me Domine, & ſanabor, ſalvum me fac, & ſalvus ero; quoniam laus mea tu es*, & iſtiuſmodi alia. Quid enim? An anima non erit ſanata, ſi Deus uſus fuerit non ſolâ ſuâ voluntate, ut in ſanatione corporum; ſed prætereà gratiæ auxilio animæ indito, quo illuminata, excitata, adjuta Divinæ voluntati conſenſum liberum præſtet, ſuæque ſanitati, ſeu converſioni, ut Catholica ſemper docuit Eccleſia, cooperetur? Adhæreamus igitur fideliter Tridentino ſeſs. 6. c. 5. declaranti *juſtificationis exordium in adultis à Dei per Chriſtum JESUM præveniente gratia ſumendum eſſe . . . ut, qui per peccata à Deo averſi erant, per ejus excitantem, atque adjuvantem gratiam ad convertendum ſe ad ſuam ipſorum juſtificationem, eidem gratiæ liberè aſſentiendo, & cooperando, diſponantur &c.*

CAPUT III.

Reſpondetur ad objectam Sancti Auguſtini authoritatem. col. 402.

I. OBjicitur locus ex lib. 6. Operis imperfecti c. 18. ubi Auguſtinus negat, quædam amiſſa ab hominibus per peccatum bona poſſe naturæ viribus volendo recuperari, ſubjiciens, poſſe *tamen bona animi reſtitui à Deo, qui & lumina poteſt reddere*, quæ quis ſibi ſua *voluntate* excævit, *& membra*, quæ ſua *voluntate* truncavit. Verùm quid hoc ad proſcripti defenſionem Articuli? Ubinam hic Auguſtinus dicit, quòd, ſicut Deus truncata membra reſtituit ſolo voluntatis ſuæ nutu citra noſtram cooperationem, ita & reddat amiſſam juſtitiam? ſive, quòd *illuminet animam* in ſaluriferis cæcam, *& eam ſanet æquè ac corpus ſola ſua voluntate*? A quo quàm alienus ſit Sanctus Auguſtinus videri poteſt col. 389. num. 7. II. Alter ejus locus ex epiſtola ad Vitalem Queſnelli ideam non confirmat, ſed apertiſſimè damnat: III. nec enim illic dicitur, quòd *Deus jubet, & ipſi obtemperatur*; ſed *præparatur voluntas à Domino*, ut obtemperare poſſit. Quid enim præparatione opus eſt, ſi voluntas humana ad ſolum Dei nutum, citra aliam gratiam, ſtatim obtemperet? Rurſus *vera Dei gratia . . . dat merita ipſa cùm datur; quia prævenit hominis voluntatem bonam*: En prævenientem gratiam dono datam, & dantem ipſa merita. Nonne donum à dantis voluntate diſtinguitur? Et, ſi det merita, nonne in merente liberum ſupponit conſenſum, ut patet ex damnatione tertiæ Janſenianæ *ad merendum, & demerendum &c.*? Non igitur ſanitatem animæ efficit ſola Dei voluntas, quamvis ſola ad medendum corpori ſufficiat.

IV. Opponitur denique idem Sanctus Doctor libro de bono perſeverantiæ, ubi monet, ut *& velle, & operari pro bona voluntate . . . detur totum Deo*. V. Damus & nos totum Deo, nempe prædeſtinationem, vocationem, imò etiam juſtificationem, & ſalutem. Et quidem prædeſtinationem, & vocationem ſoli Deo: conſenſum verò, & quemlibet actum meritorium Deo ſimul, & libero arbitrio, qui tamen totus Deo tribuitur, quia verè Deo debetur acceptus, juxta illud: *Quid habes, quod non accepiſti?* Sed dum omnia, & tota opera bona, Dei agnoſcuntur eſſe munera; non tamen ita ſunt, ut non ſint etiam bona noſtra, & vera merita; de quo dubitare vetat Tridentin. ſeſs. 6.

ſeſſ. 6. can. 32. cui conſonat oniverſa Patrom traditio, etiam Augoſtini ſic prooontiaotis: *Ut velimus & ſuum eſſe voluit, & noſtrum; ſuum vocando, noſtrum ſequendo*. Huic adjungimus VI. Ennodium Ticinenſem, VII. Venerabilem Bedam, VIII. Gregorium Nazianzenum, IX. & S. Iſidorum.

X. Proſperi dictum, quod *Deus in nobis operetur & velle, & perficere*, aſt etiam Angoſtini, imò & Apoſtoli ad Philipp. 2. verſ. 13. ſed negamus, Deum id præſtara *ſola ſua voluntate* abſque interiori gratia in nobis recepta, & liberi coopatatione arbitrii.

CAPUT IV.

Reſpondetur ad illum Apoſtoli locum, Quis enim te diſcernit? *Eximitur adverſariis inanis metus, nè, damnato Queſnello, triumphet Molinæ doctrina.*

I. LUtheraui, & Calviniſtæ cum fœderatis ſibi oovis Auguſtini diſcipulis ex hoc Apoſtoli 1. Corioth. 4. verſ. 7. *Quis euim te diſcernit? Quid autem babes, quod non accepiſti? Si autem accepiſti, quid gloriaris, quaſi uon acceperis?* ita argumentari aſſoleot. Si quid booi operis io juſtificatiooís negotio humaoa ſibi viodicet volontas, illo, tanquam ſuo, gloriari poterit, hoc ſe diſceroere à cætaris, qui hanc adhibitæ operæ, & conſeuſus præſtiti laudem non maruerint. Huic varò humanæ ſuperbiæ medentor plura Queſnelli dogmata totom paoitùs Deo, ajuſque potantiſſimæ voluntari aſſereotia, è quorum oumcro eſt hoc: *Deus illuminat animam, & eam ſanat æquè ac corpus ſola ſua voluntate; jubet & ipſi obtemperatur*. II. Quæ anim laus obvanir homini à ſanitata corporis, ſolo Dai nutu, nulla ſua indoſtria, recuperata? III. Ita illi. Quantom autem novæ factio ax hac doctrina, in Jaoſeniana bomilitata profecerit, declaratur lectiſſimis exemplis, quæ bic referri oon patiuntor Syoopſis anguſtiæ. IV. Jam raſpondemus ad argumentum, explicando illud Apoſtoli: *Quis te diſcernit?* Diſcretio triplex cooſiderari potaſt. Prima, quæ ſoli Dao tribueoda eſt, fit in mente Divioa, ubi aliqui præ cæteris eliguotur. Haoc ſequitur electorum, noo aliorum, vocatio efficax, dum Daus, *cujus miſeretur, ſic eum vocat, quomodo ſcit ei congruere, ut vocantem non reſpuat*: quæ vocatio eſt quaſi ſecuoda diſcretio, ſolumque Deum pariter agonſcit Aotborem. Tartia diſcretio, quæ duarum priorum velut executio eſt, cooſiſtit io operibus bonis, quibus in hac ipſa vita juſti diſcernuntur ab impiis. Hæc etiam diſcretio, licèt non ſolius, tota tamen aſt Dei, tum propter prædeſtinationis, & vocatioois gratuitæ miſericordiam, tum propter cooperans auxilium.

V. VII. VIII. Inſeres, ſi ſolius Dei non ſit, ergo oos ipſi partim diſcarnimus, & da hac parta gloriari poterimus.

VI. Reſpondetur: ea qualiſcunque pars oostra admodum eſt exigua, & à Deo per gratiam accepta, & ſic Dei magis eſt, quàm noſtra: unda ſecundum conſeqoens diſtinguo: da hac parte gloriari poterimus, gloriatione, quam vatat Apoſtolus, quaſi ſcilicet eam partem à Dao oon accaperimos; negatur. Gloriari poterimus in Domino, agnoſcendo ſcilicet, oos eam ipſam partem à Deo par gratiam accepiſſe: conceditor. Et ſic nos Apoſtolo conformabimos monenti, ut *qui gloriatur, in Domino glorietur*. Hioc & labores ſuos referens 1. Corinth. 15. varſ. 10. ſe *abundantiùs illis omnibus* laboraſſe commamorat, ſad addit ſolicitè *non ego autem, ſed gratia Dei mecum*. VIII. IX. Ubi vides ipſum Saoctum Paulum ſe à cæteris Apoſtolis quodammodo diſcernere, ut omnes Scripturarum Interpretes, & ipſe io primis Angelicus, agnoſcuot.

X. Imò ipſe Auguſtinus à diſcretione partim homini triboenda, ſuppoſito gratiæ aoxilio, mioimè abhorret, ut conſtat ex loco non uno. E. G. ſermone 87. de divarſis. *Diſcernebamus nos à Paganis credendo .... ardete igne charitatis, ut à Dæmonibus vos diſcernatis*. Cum tamen prædeſtinationis, & vocatioois ſecondùm propoſitum Deus ſit cauſa unica; diſcretionis quoque operum cauſa longè præcipua, diſcretio magis propriè Dao tribuitor, dicaota Auguſtino lib. 2. ad Bonifacium cap. 7. *Ille diſcernit, qui unde diſcernaris, impertit*; cum quo optimè conſiſtit, quod lib. 1. ad Simplicisuom qu. 2. air: *Ut velimus, & ſuum eſſe voluit, & noſtrum, ſuum vocando, noſtrum ſequendo*. XI. ubi diſcretio operum, ſi non nomine; re tamen ipſa tribuitur bomanæ voluotati, ſed adjoræ divino, & ſoperoaturali aoxilio. His conſentientia ſcribunt tum ipſa Auguſtioas alibi, XII. tum Chryſoſtomus, XIII. Anſelmus, &c. XIV. Ex dictis ſaqoitur, Queſnellum Scripturarum, & Patrum ſenſum minimè aſſecotum eſſe, dum io Propoſitione 23. 24. 25. ſanitatem animæ, & omnes actus ſalutiferos in ſolam reſundit Dei omnipotentam voluntatem. Cum tribus hiſca plures aliæ præcadentas expungendæ erunt, ubi, daſtructo libero arbitrio, ejusque merito, totam juſtitiæ laodem, & omnia bona opera in ſolam refuodit gratiam cum Calvino, & Janſeoio.

XV. At inquit Author *Obſervationum* in Cooſtitutiouam, *condemnare iſtiuſmodi Propoſitiones eſt praſcribere efficacem gratiam, & velle ut triumphet gratia verſatilis Molinæ, & Sfondrati*. XVI. Quàm oterqua hic matus vanus ſit, probant doctiſſimi Thomiſtæ, qui ſuo calculo Romæ Queſnelli Articulos condemnatunt: nequa enim variſimile eſt, ſuæ de efficaci gratia ſententiæ tam parum cooſulera voluiſſe, ut eam in Quaſnelli Propoſitionibus cenſuerint proſcribendam, aut è contrario earumdem damnatione ſolam Molinæ doctrinam triumphaturam. Sed qui hæc objicit, pramit Calviniſtarum veſtigia; cùm exprobrarent Tridentinis Patribus, Calvinianæ gratiæ proſcriptione, Pelagio triumphum de Auguſtino, & de Euangelica Fida dacretum eſſe. XVII. Repudiat Queſnellus damnatos libri ſui erroras, & tum per omoes Catholicos licebit, ut cui liboerit, ſeu Thomiſticæ, ſeu Scotiſticæ, ſeu Molinianæ, ſau cuicuoque demam orthodoxæ Scholæ ſe aggreget.

CAPUT V.

Queſnelli doctrina ſuperioribus aliquot Articulis damnata, oſtenditur conformis Lutheranæ, Calvinianæ, & utrâque deterior. col. 411.

I. LUtherus anarr. in Pſalm. 5. *Error eſt, quod liberum arbitrium habeat aliquam activitatem in bono opere, quando de interno opere loquimur .... credere, ſperare, diligere ... ſemper eſt paſſio*. II. Hæc clariota ſunt, quàm ut ulla rationa excuſari poſſint à Kemnitio, qui cum Calvino voluotati quidem actionam tribuit; ſed non liberam à neceſſitate. Paret hoc III. ax Calvini verbis, IV. & ex Bellarmino utriuſque ſenteoriam explicante lib. 3. de gratia, & lib. arbit. cap. 9. V. Propoſitiones, in quibus Queſnellus ſub varia ſimilitudioa nobis axponit ideam, juxta quam concipi debeat Divina bonorum actuum io animis ooſtris operatio, ſi io rigore, & obvio verborum ſenſu accipiaotur, arrorem propinant Lotharano noo diſſimilem; imò & ſoperant novi delirii additamento, quando Dei gratiam ſolo nomine retinentes hanc cum ipſa Numinis voluntare confundunt. Certè eas a Calviniana hæreſi Tridentino anathemate damnata, nonquam axpurgaveris, VI. uti nec à Janſaniana, VII. quæ in materia de gratia cum priori coincidit: ſic enim fatetur Queſnellus ipſa io *Traditione Romanæ Eccleſiæ* tomo 3. pag. 152. ubi ita diſertè fatur: *ſuper materia da gratia non eſt ampliùs ſolidum diſſidium inter* (Pſeudo-) *Catholicos, & Calviniſtas*. Idem priùs agoovit Calvioiſta calebris Petrus Jurieux his verbis *Verum eſt, quod* (Janſeniſtæ) *ad uos omnino acceſſerint in materia de gratia*. VIII. Nos demooſtrandom ſuſcipimus, totam retro traditionem uſqua ad ipſos veteris Teſtamenti Propbetas oppoſitum damnatis arroribus docuiſſa.

CAPUT VI.

Damnatio Propoſitionis Vigeſimaquintæ ampliùs ſtabilitur Traditione perpetua. col. 415.

I. PRæſeos ſaculum Queſnello adverſari in cooſeſſo aſt, ax calebri Conſtitutiooe UNIGENITUS, unanimi peoè omoium Catholicorum conſenſu ſuſcepta. Qui idem præſtare differunt pauci Galliarum Epiſcopi, librum

i

brum tamen Queſnelli, damnataque in eo dogmata non admittunt. Sorbona quoque, licèt admiſſionem retractaſſit, Queſnelli tamen de gratia errores, pridem à ſe in Janſenio, & Arnaldo damnatos, minimè tuetur. II. Seculo decimoſeptimo damnavit Sedes Apoſtolica quinque Janſenii Propoſitiones hæreticas, quibus conſentire Queſnelli Articulos ſupra frequenter, & clariſſimè evictum eſt. III. Seculum decimumſextum in Michaelis Baji opinionibus Janſenianas, & Queſnellianas damnavit, quod ante etiam efficaciùs præſtitit, Tridentino fulmine in Lutheri, Calvinique hæreſes evibrato; quibus, quantùm concinant Queſnelli dogmata ſuperiori capite demonſtratum eſt. IV. Seculo decimoſexto oppoſita Propoſitioni vigeſimæquintæ, & aliis huic affinibus docuerunt S. Joannes Capiſtranus, V. S. Laurentius Juſtinianus, VI. Joannes Taulerus, VII. & Gregorius Ariminenſis. VIII. Seculo decimotertio Albertus Magnus, IX. Angelicus Alberti diſcipulus, X. Alexander Alenſis, XI. hujuſque diſcipuli Scotus, XII. & Bonaventura, XIII. aliique complures. XIV. Seculo duodecimo S. Bernardus, XV. Hugo Victorinus, XVI. Honorius Auguſtodunenſis, XVII. quibus non pauci accedunt. XVIII. XIX. Seculo undecimo S. Anſelmus, XX. Oecumenius, XXI. Euthymius, XXII. Radulphus cognomento *Ardens*, XXIII. & Leo Nonus. XXIV. Seculo decimo Radulphus Flavlacenſis, XXV. Simeon Metaphraſtes, XXVI. & Theophylactus. XXVII. Seculo nono Erycus, XXVIII, XXIX. Rabanus Maurus, XXX. & Haymo. XXXI... XXXIII. Seculo octavo Damaſcenus.

CAPUT VII.

Proſecutio ejuſdem traditionis. col. 425.

I. EOdem Seculo Octavo Queſnello contradixere Cæſarius, II aliique plures. III, IV. Seculo ſeptimo Iſidorus Hiſpalenſis, V. Audoenus, VI. Leontius, VII. VIII. Maximus Monachus, IX. & Concilium Toletanum quartum, multorum Patrum teſtimonia complectens. X. Seculo ſexto Ennodius Ticinenſis, XI. S. Fulgentius, XII. Laurentius Novarienſis, XIII... XV. & Gregorius Magnus. XVI. Seculo quinto Sanctus Proſper, XVII. & Author opuſculi de Vocatione gentium, XVIII. quibus plurimi ejuſdem temporis Scriptores Catholici ſuffragantur, XIX. ut præteream Auguſtinum, cujus teſtimonia ad ſingularum Propoſitionum confutationem retulimus. XX...XXII. Seculo quarto S. Hieronymus, XXIII. S. Ambroſius, XXIV. Julius Firmicus Maternus, XXV. S. Athanaſius, XXVI. XXVII. Baſilius Magnus, XXVIII. S. Gregorius Nyſſenus; XXIX. ſed tres poſtremos, cæteroſque Græcos Patres, Auguſtinum inter & Origenem interjectos, & quaſi ab Origene ſeductos, facilè nobis concedit cum ſequacibus ſuis Janſenius. XXX. At de Patrum illorum numero, (Janſenio tamen, Queſnelloque periode contrarius) non eſt Clemens Alexandrinus, utpote Origene anterior, XXXI. ut nihil dicam de Zenone Veronenſi, S. Cypriano, Minutio Felice ab Origene nequaquam edoctis. XXXII. XXXIII. Seculo ſecundo Queſnellianis erroribus pariter infeſti fuere Irenæus, XXXIV. & Dionyſius Areopagita.

CAPUT VIII.

Patrum traditio divinis eloquiis roborata. col. 435.

I. PAtres, & Doctores hactenus enumerati, Præcones tantùm fuere doctrinæ nobis à Deo, tum in novo fœdere per Filium ſuum, tum in veteri per Prophetas ſuos declaratæ, ut hic oſtenditur II. V. ex Matthæo, III. ex Joanne in Apocalypſi, IV. Sancto Luca in Actibus. VI... VIII. ex Petri, & Pauli epiſtolis; Iſaia denique, & Ezechiele.

VIGESIMASEXTA PROPOSITIO DAMNATA.

Nullæ dantur gratiæ, niſi per Fidem. *Obſerv. Moral. Lucæ* 8. *verſ.* 48.

VIGESIMASEPTIMA PROPOSITIO DAMNATA.

Fides eſt prima gratia, & fons omnium aliarum. *Obſerv. Moral.* *2. Petri* 1. *verſ.* 3.

CAPUT I.

Utraque Propoſitio contraria eſt Scripturæ ſacræ, Patribus, & rationibus Theologicis. col. 437.

I. UTriuſque Propoſitionis, ut idem ſenſus, ita & error: ex ſingulis ſequitur, omnem fidem ſupernaturalem, & ſalutiferam impoſſibilem reddi iis omnibus, qui non credunt: credere enim non poſſunt ſicut oportet ſinè præveniente gratia, ut conſtat ex Trid. ſeſſ. 6. can. 3. ſed juxta has Propoſitiones nulla gratia prævenire poteſt fidem, cùm ipſa fides ſit prima gratia, & fons omnium aliarum, & nullæ dentur gratiæ, niſi per fidem. Ergo, &c.

II. Hinc ſequitur ulteriùs, inanem, & injuſtam eſſe apud Iſaiam, & Apoſtolum adversùs incredulos expoſtulationem, quòd non credant, qui juxta Queſnellum credere non poſſunt, III. IV. & proinde horum juſtiſſimam fore adversùs Dei querelas excuſationem, quòd non crediderint, qui credere non potuerunt. Quæ, & his plura ſimilia cùm abſurdiſſima ſint, patet antecedentium, unde illa derivantur, hæretica abſurditas. V. quam Patrum etiam teſtimonio retundere facillimum eſt. Auguſtinus lib. de dono perſever. cap. 16. *Gratia prævenit fidem, quoniam prævenit voluntatem;* cujus ſcilicet conſenſu, & imperio indiget intellectus propter revelati myſterii obſcuritatem, natamque inde difficultatem credendi ea certitudine, quam fides divina requirit maximam. VI. Auguſtino conſentit genuinus ejus diſcipulus Sanctus Anſelmus, VII. juxta quem *terra cordis humani non profert fructum fidei ſine congruis ſeminibus*, hoc eſt, ut rectè intelligit Cardinalis Aguirre, *ſpectantibus ad ordinem ſalutaris gratiæ*. Bellarminus, Patrum, & Tridentinæ Synodi veſtigiis inſiſtens lib. 6. de gratia, & lib. arbit. cap 15. ait: *Gratia excitans interna, neceſſariò præcedere debet hominis converſionem .... ab infidelitate ad fidem;* ergo & fidem, ut patet.

VIII. IX. Argumentis Theologicis ex Patrum doctrina deductis eumdem errorem confutare in promptu eſt. X. Certum eſt, poſitivè infideles, & hæreticos peccare omiſſione præcepti fidei: atqui fides, quæ præcipitur, ſinè gratia elici non poteſt: ſi igitur infideles, & hæretici, quamdiu tales ſunt, careant gratia, præceptum hoc eis redditur ſervatu impoſſibile, ejuſque neceſſariâ violatione peccatur, contra illud Sancti Doctoris effatum: *Quis peccet in eo, quod nullo modo caveri poteſt? peccatur autem, caveri igitur poteſt;* & conſequenter infidelibus, & hæreticis, licèt nunquam convertendis, neganda non eſt omnis gratia, nè ſæpiſſime peccent in eo, quod nullo modo cavere poſſunt: XI. Unde Methodius: *In nobis ſitum eſt credere, & non credere.* XII. Et Sanctus Cyprianus *Credendi, vel non credendi libertatem in arbitrio poſitam* eſſe probat *ex Deuteronomio*: libertas autem credendi, ut dictum eſt, ſupponit auxilium gratiæ, ſinè quo credere nullus poteſt. Hanc autem libertatem non ſolis credentibus Cyprianus attribuit; ſed etiam incredulis & gratiæ ad fidem allicienti perversè reſiſtentibus; ad omnes enim ſinè diſcrimine orationem convertit.

XIII. Fidem non eſſe primam gratiam, probatur etiam ex eo, quod alii gratiis liberè conſentientes, propoſitam fidem ſuſcipiant. Nam, ut habet Auguſtinus lib. de ſpiritu, & litera cap. 34. *Viſorum ſuaſionibus agit Deus*, & quidem *intrinſecus*, id eſt per interiores gratias, *ut velimus, & credamus*; quæ actio Dei prior eſt conſenſu noſtro

Digitized by Google

ſtro libero, & ab illo diſtincta, quandoquidem *nemo habet in poteſtate, quid illi cogitarionis, vel ſuaſionis veniat in mentem*. Hæ ſcilicet cogitationes ſunt indeliberatæ, quibus *miſericordia Dei prævenit nos, ut valimus* credere: *Conſentire autem huic miſericordiæ, ſeu vocationi nos prævenienti, vel ab ea diſſentire propria voluntatis eſt.* ut hic Sanctus Doctor iteratò teſtatur. Liquet igitur, dari gratiæ auxilium ante fidem, & proinde fidem non eſſe primam gratiam, tam reſpectu Fidelium, quàm infidelium. XIV. Doctrinam hanc calculo ſuo confirmant Author de Vocatione gentium, XV. & Venerabilis Beda. XVI. Denique Theologi omnes agnoſcunt, fidem eſſe actum arduum, qui ſinè conatu noſtro elici non poteſt: ſed conatus ille divino gratiæ auxilio excitandus eſt; ſic enim de quovis ſalutari conatu Mellifluus Doctor pronuntiat: *Conatus liberi arbitrii, & caſſi ſunt, ſi non adjuvantur: & nulli, ſi non excitentur.* Gratiam autem excitantem eſſe priorem actu, vel conatu, ad quem excitet, per ſe patet. Ergo datur gratia ante ipſum fidei conatum, & à fortiori ante fidem ipſam.

CAPUT II.

Uterque Articulus repugnat definitionibus Conciliorum, & Summorum Pontificum. col. 445.

I. II. ARauſicanum 2. cap. 5. ſancit *etiam initium fidei, ipſumque credulitatis affectum .... per gratiæ donum, ideſt, per inſpirationem Spiritus Sancti .... nobis ineſſe.*

Hic credulitatis affectus, qui quoddam fidei initium appellatur, eſt voluntatis imperium, quo Intellectus extrinſecè determinatur ad eliciendum actum fidei propriè, & ſtrictè dictæ; qua proinde hic affectus anterior eſt, ut cauſa effectu; cumque, juxta Concilium, ille ipſe nobis obveniat per Spiritus Sancti inſpirationem, non poteſt fides eſſe prima gratia, utpote natura poſterior eo Spiritus Sancti auxilio, quo memoratus credulitatis affectus, ſeu voluntatis imperium exercetur. III. Queſnelliano errori pariter adverſantur Concilium Senonenſe, IV. & Tridentinum, ut liquet ex dictis cap. I. num. 5. V. Præterea ſi fides ſit prima gratia, ſi nullæ dentur gratiæ, niſi per fidem; ſequitur, *Paganos, Iudæos, Hæreticos, alioſque hujus generis* (quamdiu tales ſunt) *nullum omnino accipere a Ieſu Chriſto influxum; adeòque in illis eſſe voluntatem nudam, & inermem abſque ulla gratia ſufficienti*, quæ eſt quinta Propoſitio inter 31. ab Alexandro Octavo damnatas. Cui ſi jungas Queſnellianam 40. *ſinè gratia nihil amare poſſumus, niſi ad noſtram condemnationem*, ſpontè fluet error vigeſimuſquintus inter Bajanos à S. Pio Quinto, Gregorio Decimotertio, & Urbano Octavo proſcriptus: *Omnia opera infidelium ſunt peccata, & Philoſophorum virtutes ſunt vitia*, imò & hic octavus inter 31. ab Alexandro Octavo damnatos: *Neceſſe eſt, infidelem in omni opere peccare*. VI. Denique Pagano, Judæo, Hæretico præcepta fidei, pœnitentiæ, &c. quæ ſinè gratia ſervari non poſſunt, erunt ſervatu impoſſibilia; ſeu, quod idem eſt, eorum erit neceſſaria omiſſio, & tamen, juxta Queſnellum, peccaminoſa. In illis igitur *ad demerendum non requiretur libertas a neceſſitate, ſed ſufficiet libertas a coactione*, quæ eſt tertia Janſeniana. VII. Videtur Queſnellus ſupra Calvinum profeciſſe, juxta quem *motus Spiritus Sancti ſic eſt efficax, ut fidem ſemper gignat*: Queſnellus ultra progreſſus ſtatuit, ipſum Spiritus Sancti primum motum, primam gratiam eſſe fidem.

CAPUT III.

Undenam Queſnellus utrumque Articulum acceperit? col. 449.

I. PRimum erroris ſui fundamentum aſſignat illud Lucæ 8. verſ. 48. ubi Chriſtus mulieri a fluxu ſanguinis reſtitutæ ait: *Filia, fides tua ſalvam te fecit, vade in pace.* Supponamus, hanc fœminam à Chriſto utramque ſanitatem impetraſſe, corporis, & animi: ſicut fides non excludit ſpem, & charitatem, quæ ad ſanationem, præſertim animi, concurrerint; ita neque removet omne gratiæ auxilium, quo præveniente fides elicita ſit.

II. Fundamentum alterum deſumitur ex 2 Petri 1. verſ. 3. ubi per cognitionem Dei, & Jeſu Chriſti omnia nobis dicuntur obtigiſſe dona cœleſtia, quod accommodè intelligendum eſt: *Omnia* ſcilicet, præter ipſam primam Dei, Chriſtique cognitionem, & ipſum quod ad hanc prærequiritur cœleſte auxilium: ita nos Eccleſia irrefragabilis Scripturarum Interpres docet.

Et aliundè conſtat, à Sancti Petri ſententiâ excipienda eſſe dona omnia, quæ parvulis cum ſanctificante gratia in Baptiſmo obveniunt citra fidei actum; utpote cujus incapaces ſunt, niſi hic cuiquam cum Luthero inſanire lubuerit. III. Vera igitur Queſnellianorum errorum origo ex Janſenio, & Arnaldo repetenda eſt. Ex pluribus illius locis unum ſeligo, qui utramque Propoſitionem disertè complectitur habeturque lib. 3. de gratia Salvatoris cap. 11. cujus vel ſolus hic titulus intento noſtro ſufficere poſſet; *Infideles carent omni gratia ſufficienti ad ſalutem tam proxima, quam remota, & omnibus principiis ejus*: tum in contextu ita legitur: *Quapropter ſi infideles illa ipſa cupiditate ſincera boni carent, ſinè qua eſſe non poteſt ullum opus bonum, hoc eſt, non malum; ſed hæc per propriè dictam gratiam Dei, fide credentis præcedente impetratam, dari debet. fruſtra Scholaſtici gratiam neſcio quam infidelibus tribuunt ANTE FIDEM, qua benè operantes ad fidem ipſam provehantur, cùm IPSA FIDES SIT PRIMA GRATIA.* Quid clarius?

IV.... VII. Ex Arnaldo nobis etiam proferre ſufficit Propoſitionem unam, quam tradidit in *denunciatione peccati Philoſophici*, eſtque ordine quinta inter 31. ab Alexandro Octavo damnatas, & ſic ſonat: *Pagani, Iudæi, Hæretici, aliique hujus generis, nullum accipiunt a Ieſu Chriſto influxum: adeòque hinc rectè inferes, in illis eſſe voluntatem nudam, & inermem ſinè omni gratia ſufficiente*; Hi igitur, quamdiu tales ſunt, carent etiam gratia tam proximè, quàm remotè ad fidem ſufficiente, eamque præveniente; adeo ut prima gratia, quam accipiunt, ſit ea, qua tales eſſe deſinunt, hoc eſt, qua ex infidelibus fideles ſiunt, quæ ſinè dubio eſt ipſa fides.

CAPUT IV.

Occluditur via benigniori Queſnellianorum Articulorum interpretationi. col. 453.

I. VIr quiſpiam, quem impensè veneramur, Theologicis diſciplinis apprimè imbutus, ſed novitatum in Belgio, & Galliis ſerpentium ignarus, exiſtimabat, forte apud Queſnellum appellatione fidei venire complexum integrum ex credendi actu, & neceſſariis ad eam diſpoſitionibus, inter quas eſt pia quædam cogitatio de prudenti credibilitate objecti fidei, & pius credulitatis affectus, quæ ab Auguſtino vocantur *inchoationes quædam fidei, conceptionibus ſimiles*, ab aliis fides latè dicta: II. juxta quam acceptionem optimè intelligitur quomodo illud Tridentini, *Fides eſt humanæ ſalutis initium, fundamentum, & radix omnis juſtificationis* non opponatur ei, quod alibi definit, *ſinè præveniente Spiritus Sancti inſpiratione, atque ejus adjutorio, hominem credere ... non poſſe ſicut oportet*. Item quomodo verum ſit hoc Auguſtini dictum *Fides prima datur*: & illud Ambroſii: *Fides in Chriſtiano eſt prima*, quanquam & alia ratione hæc explicari poſſunt. III. At nullâ benignâ expoſitione ab errore abſolvi poſſunt, quæ capite præcedenti retulimus ex Janſenio, & Arnaldo, quorum veſtigia Queſnellum paſſim premere quis præſentium controverſiarum peritus ignoret? Accedit quòd in ſuis contra Conſtitutionem vindiciis eorum à ſe ſenſum non modò amoliri conatus non ſit; ſed talis è contrario ſit ejus defenſio, ut ſi quod aliunde de ejus ſenſu fuiſſet dubium, omnem illa ſanæ interpretationi aditum occludat.

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT V.

Solvuntur, quæ Adverſarii objiciunt contra Cenſuram Propoſitionis vigeſimæ-ſextæ. col. 455.

I. SEquimur Adverſarium ſingulis apologiis Propoſitiones ſingulas vindicare conantem, licèt harum, ut initio capitis primi monebamus, idem ſit ſenſus. Objecta ergo ex Auguſtino adversùs Propoſit. 26. ſic breviter reſecimus, & referendo refellimus.

Ex eo quòd *Spiritus gratiæ facit, ut habeamus fidem*, non rectè colligitur; ſpiritum gratiæ dari per fidem, ſed potiùs, fidem dari per gratiam, ut deinde *per fidem impetremus orando, & poſſimus facere quæ jubemur*. Spiritus ergo gratiæ prior eſt fide, ut cauſa effectu; ſi non tempore, ſaltem natura. Quod autem *fides impetrat ſpiritum largiorem*, non officit, quo minùs ipſa fides ſit ex gratia, quæ à fide diſtincta ſit, eamque *præveniat*, ut declarat Trident. ſeſſ. 6. can. 3.

II. Illud ex lib. de grat. & lib. arbit. cap. 13. *Gratia per fidem Jeſu Chriſti eorum tantummodo eſt, quorum eſt ipſa fides* ſinè hæſitatione admittimus: quomodo enim ea, quæ non niſi per Chriſti fidem eſt gratia, illorum ſit, qui fide carent? III. Hic igitur Sanctus Doctor contra Pelagianos pugnat, præter naturam mentis rationalis, quam hi ad fallendam Eccleſiam, nomine gratiæ inſigniebant, admittendam eſſe aliam gratiam ſuperioris ordinis, quod invictè demonſtrat ex eo; quod agnoſcenda ſit gratia, *quam commendat Apoſtolus*, quæ datur *per fidem Chriſti*: Nam, inquit, natura communis eſt omnibus, etiam Paganis; fides autem Chriſti non eſt omnium: igitur gratia, quæ, teſte Apoſtolo, datur per fidem Chriſti, non eſt natura. Quod argumentum, ut Pelagianos interimit, ita nihil momenti habet ad probandum, fidem Chriſti eſſe cum prima gratia confundendam. Quis enim niſi fatuus ita arguat? Aliqua gratia, teſte Apoſtolo, admittenda eſt, quæ non datur, niſi per Fidem Chriſti, ut gratia ſpei Chriſtianæ, charitatis, pœnitentiæ: ergo omnis gratia datur per fidem, ita ut fidem ipſam nulla gratia antecedat, nihil gratiæ obveniat hæreticis, aut infidelibus.

IV. V. Objicitur præterea ex lib. 1. operis imperfecti c. 83. *Dei gratia .... quæ Chriſtianis eſt propria, non Chriſtianis, Gentilibuſque communis*: quæ ſit illa Dei gratia mox ſequitur, ſcilicet, *Dei charitas ... quæ diffuſa eſt in cordibus noſtris .... per Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis*. Et quæ *in contemptu dolorum ... fortitudinem ... Chriſtianorum ... facit*. Sed præter hanc gratiam, Chriſtianis ſinè dubio propriam, contendimus & aliàs dari, quæ ipſis non denegantur Gentilibus.

VI. Ipſe Auguſtinus gratias aliquas, eaſque ſufficientes in adultis omnibus agnovit, VII. nè exceptis quidem reprobis, & excæcatis. Et verò quis dicat incredulos Judæos nihil unquam habuiſſe gratiæ, quibus tamen exprobrabat Stephanus: *Vos ſemper Spiritui Sancto reſiſtitis?* VIII. Et quomodo alioqui à mendacio expedietur illud 2. Petri 3. *Nolens aliquos perire, ſed omnes ad pœnitentiam reverti?*

IX. Nobis denique non obeſt, quòd *Pagani* dicantur non habere *gratiam Dei per JESUM Chriſtum*, quia hæc, phraſi Sancti Auguſtini, ut optimè explicat Cardinalis Aguirre, involvit cognitionem, & fidem Chriſti. Si infideles talem gratiam haberent, jam infideles non eſſent. Palàm etiam diſtinguit Author de vocatione gentium inter gratiam Chriſti, & auxilium illud gratiæ commune Gentilibus, ut obſervat idem Cardinalis.

CAPUT VI.

Nihil juvatur Adverſarius ex quodam Pelagii effato. Doctrina Catholica ulteriùs ſtabilitur, & confutatur hæretica. col. 459.

I. TAndem intorquet nobis Adverſarius (quis credat?) hanc Hæreſiarchæ Pelagii ſententiam, relatam ab Auguſtino lib. 1. de gratia Chriſti c. 31. *In omnibus eſt liberum arbitrium æqualiter per naturam, ſed IN SOLIS CHRISTIANIS JUVATUR A GRATIA*; ubi licèt ex animadverſione Sancti Auguſtini, Pelagius imponat voce *gratiæ*, qua intelligere poteſt *legem*, *neque doctrinam Chriſtianam*, tamen contendit Adverſarius, eum hic cum Catholicis eſſe locutum. Si ita eſt, cur ſimilem locutionem non ab aliquo Catholico potiùs quàm à Pelagio mutuatur, qui in hac cauſa, ut inidoneus teſtis, legitimè recuſari poteſt? At, inquiet, Auguſtinus illud Pelagii dictum, ut jacet, non improbat. Reſpondeo, non improbare, nec approbare; ſed rem in medio relinquere, nè à propoſito ſibi ſcopo divertatur, qui hic eſt agere de ipſo *adjutorio gratiæ*, & oſtendere primò, fraudulentam eſſe Pelagii confeſſionem gratiæ; ſecundò, falſum eſſe (quidquid hic per gratiam intelligat) eam dari ſecundùm merita liberi arbitrii. Legatur c. 30. & 31., & vehementer fallor, niſi ita rem eſſe, ut dico, omnes ſentiant. Quoniam tamen Adverſarius ita vult, verbis Pelagii tolerabilis ſenſus dari poteſt; ſed neque Pelagio, neque Queſnello conſentiens: *In ſolis*, ſcilicet, *Chriſtianis liberum arbitrium juvatur à gratia*; quia hi ſoli cum gratia rectè operantur: in Judæis verò, & Gentilibus non *juvatur*; quia, licèt gratiam habeant, eam tamen ſuâ pervicaciâ repellunt, II. ... V. ut conſtat Scripturarum, & Patrum teſtimonio. VI.. IX. Hinc patet, quàm frivola, imò impia ſit Adverſarii concluſio, quam ex recenſitis Pelagii verbis, pro veteri, & recente Hæreticorum more, colligit; quaſi *Roma* Queſnelli errorem proſcribendo, & extendendo gratiæ beneficium etiam ad eos, qui Chriſtiani non ſunt, *tranſgreſſa ſit limites; quos reveritus eſt Pelagius*, X. cùm aliunde, ſi credimus abſono Janſeniſtæ Ægidio De Vvitte, *totus Mundus poſt Pelagium abeat*: ſed facilè repellitur omnea impudentiæ, & calumniæ limites ſupergreſſum Novatoris convitium: nam neque damnatus Queſnelli Articulus ullum è Patribus ſuffragatorem, neque oppoſita Articulo cenſura commune quidpiam habet cum Pelagio; XI. XII. ut videre eſt ex Pelagii hoſtium teſtimoniis, Pauli Oroſii, XIII. Auguſtini, XIV. XV. & Proſperi, ſeu quiſquis eſt Author operis de vocatione gentium: XVI.. . XVIII. quibus apertiſſimè conſentit Doctor Angelicus.

CAPUT VII.

Proponitur ſententia Cardinalis Aguirre, & P. Antonini Maſſoulié ex Ordine Sancti Dominici: col. 463.

I. SUſpicionem movere Lectoribus conatur Adverſarius, quaſi, quem impugnamus Queſnelli Articulum, Roma damnaverit in gratiam Sfondratianorum, & Moliniſtarum. II. Huic figmento detergendo duos producimus veritatis hactenus propugnatæ teſtes Cardinalem Aguirre, & P. Antoninum Maſſoulié, utrumque, ut Queſnello, totique factioni non inviſum, ita Sfondratianis, & Moliniſtis in materia prædeſtinationis, & gratiæ non nimis faventem, aut conſentientem. III... XI. Ex plurimis, quæ hic allegantur, Eminentiſſimi teſtimoniis, huic Synopſi unum alterumve, cæteris brevius, excerpſiſſe ſufficiet. Ipſe titulus ſectionis primæ diſp. 127. docet: *Omnibus adultis, abſque exceptione, conferri à Deo auxilia ad ſalutem ſufficientia, ſaltem remotè, quibus impetrare poſſint proximo*. Tum tertiam theſis ſuæ probationem ſic concludit: *Denique intelligi ſatis in Deo nequit voluntas illa Dei ab Apoſtolo Petro teſtata*, NOLENTIS ALIQUOS PERIRE; SED OMNES AD POENITENTIAM REVERTI, *niſi omnibus peccatoribus, etiam idololatris, & barbaris tribuat adjutorium ſuæ gratiæ, quo poſſint non perire, & converti ad pœnitentiam*. XII. Toti diſputationi 128. hunc præfigit ſcopum, ut oſtendat, *qualiter cohæreat, quòd plurimis infidelibus nullo modo fuerit prædicatum Evangelium, & tamen ii præditi ſint auxiliis ad credendum neceſſariis*. Ex his Cardinalis teſtimoniis ſic argumentor. Si intelligi ſatis in Deo nequeat voluntas illa Dei ab Apoſtolo teſtata, *nolentis aliquos perire, ſed omnes ad pœnitentiam reverti*, niſi omnibus

Digitized by Google

nibus peccatoribus, etiam idololatris, tribuat adjutorium gratiæ ſuæ, quo poſſint non perire, & converti ad pœnitentiam &c., ut docet Eminentiſſimus Aguirrius; evidens eſt in ejuſdem ſententia, aliquas dari gratias, non per fidem, neque hanc eſſe inter omnes gratias primam; cùm hæc non obtingat adultis omnibus; quibus tamen conferuntur auxilia gratiæ.

XIII. Non minùs Adverſario refragatur P. Maſſoulié tomo 1. differt. 1. q. 8. a. 8. *Quantum ad eos*, inquit, *ad quos Evangelii prædicatio pervenit, neque tamen Evangelio credunt, quique ſunt infideles contrariè, & privativè, in pœnam quidem peccati originalis, & aliorum, quibus ſe maculârunt, privantur efficaci auxilio, quo credant; recipiunt tamen ſufficiens auxilium, neque ignorantiam poſſunt obtendere. Unde & tenentur credere non ſolùm neceſſitate medii; ſed etiam neceſſitate præcepti*: ubi Queſnelli ſententia clariſſimè ſubvertitur; Quia, juxta hunc Thomiſtam, infideles, quibus Chriſti Evangelium annuntiatum, & non receptum fuit, privantur quidem efficaci auxilio, quo credant; recipiunt tamen ſufficiens: Juxta Queſnelli verò Articulum, nè uni quidem iſtorum, ſeu purè negativè, ſeu privativè, & contrariè Infidelium ullum conceditur Divinæ gratiæ adjumentum; quia *nullæ dantur gratiæ, niſi per fidem*.

XIV. . . . XVI. Ex eodem laudato Thomiſta, alia non minùs invicta proſequuntur argumenta adverſus eumdem Queſnelli errorem, quæ Lector indicatis numeris inveniet.

CAPUT VIII.

Solvuntur, quæ Adverſarii objiciunt ex Scripturis SS. contra cenſuram Propoſitionis vigeſimæſeptimæ. col.470.

I. C*Redere oportet accedentem ad Deum*; ſed ex fide oportet credere quam Spiritûs Sancti inſpiratio prævenit, ut declarat Tridentinum. Unde hinc non ſequitur, fidem eſſe primam gratiam. II. *Habemus acceſſum per fidem in gratiam iſtam, in qua ſtamus, & gloriamur in ſpe filiorum Dei*: hic nomine *gratiæ* non venit actualis, & tranſiens, præſertim prima; ſed habitualis permanens. Audiatur Interpres Angelicus: *In gratiam iſtam*, inquit, *id eſt in ſtatum gratiæ . . . . & hoc per fidem, per quam ſcilicet gratiam conſequamur: non quòd fides præcedat gratiam, cùm potiùs per gratiam ſit fides. Epheſ.2. Gratia eſtis ſalvati per fidem; ſcilicet quia primus effectus gratiæ in nobis eſt fides*. Si fides eſt effectus gratiæ, patet, fidem non poſſe eſſe primam gratiam, nec fontem omnium aliarum. III. Veriſſimum etiam eſt illud Tridentini: *Apoſtolus dicit juſtificari hominem per fidem, & gratis . . . . quia fides eſt humanæ ſalutis initium, fundamentum, & radix omnis juſtificationis*: IV. nam inter pietatis opera ad juſtitiam, & ſalutem conducentia, primum eſt fides, atque hoc eſt, quod Auguſtinus ait: *Domus Dei credendo fundatur, ſperando erigitur, diligendo perficitur*; ſed inde quis ſapiens colligat, fidem gratiâ non præveniri, contra clariſſimam ejuſdem Tridentini definitionem? V. Quòd ergo fides cum cæteris humanis, & ſalutiferis actibus comparata, horum dicatur fundamentum; non obeſt, quo minùs ipſamet ad Divinæ gratiæ auxilium relata in eo fundetur. Quod confirmatur authoritate Angelici, & Auguſtini, Apoſtolos *fundamentum* Eccleſiæ appellantium, licèt ipſimet in Chriſto fundentur. VI. Ita pariter quamvis fides dicatur juſtitiæ radix, non deſinit ipſa radix eſſe ex ſemine, quod eſt gratia, ut notat Anſelmus, & ante eum Author de vocatione gentium. Rurſus fides cum cæteris operibus bonis collata, initium juſtificationis, & ſalutis eſt, licèt gratia actus liberos præveniens, ipſius fidei initium, & origo ſit.

Denique fides completiſſimè ſumpta cum ſua radice, vel ſemine, quod eſt gratia tum cooperans, tum excitans, & præviè diſponens, optimè intelligitur juſtitiæ, & ſalutis initium. VII. Ex his ferè reſolvenda ſunt, quæcunque ab Adverſariis objiciuntur. Quale eſt illud Gal. 3. v. 3. *Ex operibus legis ſpiritum* [qui Galatas ex *injuſtis juſtos fecerat*, ut explicat S. Thomas] *accepiſtis, an ex auditu fidei*? ubi *auditus fidei* ſumitur pro ipſa fide juſtificante. Porrò ſicut fides, ut juſtificet, requirit ſecum ſpem, & dilectionem ex gratia, ita ipſamet fides procedere debet ex gratia non ſolùm cooperante, ſed etiam præveniente, quâ & intellectui myſteria fidei proponantur, ut digna creditu, & voluntati pia motio præbeatur, ut, non obſtante myſteriorum obſcuritate, fidem intellectui imperet: VIII. ad credendum enim ſolum ſufficere auditum fidei, ſeu Evangelii, figmentum Pelagii eſt.

Objicitur ibidem v.14. *Ut pollicitationem ſpiritus accipiamus per fidem*: per *pollicitationem ſpiritus*, juxta Sanctum Thomam, intelligitur Spiritus Sanctus, qui in juſtis eſt, promittens eis æternam beatitudinem, & eum Chriſto conjungens; qui fructus obtingit eis per fidem, ſed non elicitam ſinè prævia illuſtratione intellectûs, excitatione, & deliberatione voluntatis, & ſinè ejus imperio, quod ex gratia fit. IX. Denique ibidem v. 22. *Ut promiſſio ex fide JESU Chriſti daretur credentibus* ſignificat, ut res Abrahæ promiſſa, ſcilicet juſtitia, quæ debet nobis obtingere per fidem Chriſti, daretur credentibus ex Spiritûs Sancti præveniente inſpiratione, cui obſequentes captivaverint intellectum in obſequium fidei.

Hæc ſententiarum farrago, nihil ad inſtitutum facientium pridem à Luthero, Calvino, & utriuſque Diſcipulis corraſa eſt pro ſola fide ſinè operibus juſtificante.

CAPUT IX.

Reſpondetur ad objecta ex Patribus. col. 474.

I. EX Patribus primus objicitur Auguſtinus lib. de prædeſt. Sanctor. c.7. dicens: *Ipſa* [fides] *prima datur, ex qua impetrentur cætera, quæ propriè opera vocantur*. Quam hoc mala fide producatur, patet ex toto textu, qui ſic habet: *Ipſam quoque fidem opus Dei dicit eſſe JESUS, & hanc ut operemur, jubet . . . Sic ergo diſtinguit Apoſtolus ab operibus fidem, quemadmodum in duobus Regnis Hebræorum diſtinguitur Judas ab Iſraël; cùm & ipſe Judas ſit Iſraël. Ex fide autem ideo dicit juſtificari hominem, quia ipſa prima datur, ex qua impetrentur cætera, quæ propriè opera vocantur*.

Fidem ab operibus diſtinguebat Apoſtolus ob Judæos, eam ex operibus legis ſibi debitam arrogantes. Hos reprimens Apoſtolus, & ex eo Pelagium Auguſtinus, docet, adeò operibus non deberi fidem, ut è contrario opera impetranda ex fide ſint. Quod tamen non obſtat, quò minùs ipſa fides opus aliquod ſit, & quidem Dei, & noſtrum: Dei, quia *datur* per gratiam; noſtrum, quia *JESUS . . . hanc ut operemur, jubet*; qui loquendi modus, licèt cætera deeſſent, ſatis ſignificat, fidem ipſam credentibus liberam eſſe. II. Hinc idem Auguſtinus l.1. Retract. c 23. *Utrumque* [credere, & operari] *noſtrum eſt propter arbitrium voluntatis, & utrumque tamen datum per Spiritum fidei, & charitatis*. Et lib. de Prædeſt. Sanctor. c. 5. [inter quod & locum objectum non niſi paucorum verſuum caput interjacet] *non quia credere, vel non credere non ſit in arbitrio voluntatis humanæ; ſed in electis præparatur voluntas à Domino. Ideo ad ipſam quoque fidem, quæ in voluntate eſt, pertinet, Quis te diſcernit?*

III. Ubi vides ab Auguſtino fidei nomine non intelligi fidem, ut in ſe eſt actus intellectûs; ſed ut *in voluntate eſt*, velut ſui principio, à quo imperatur, & ad quod imperium *præparatur voluntas à Domino*, utique per gratiam; quandoquidem *ad ipſam quoque fidem, quæ in voluntate eſt, pertinet, Quis te diſcernit?* Fides itaque propriè, & ſtrictè dicta non eſt prima gratia, utpote præparatione illâ voluntatis fidem neceſſariò præcedente; ut nempe difficultas, quam myſterii credendi obſcuritas parit, imperio voluntatis divinâ adjutæ gratiâ ſuperetur. Quod ipſum definit Concilium Arauſicanum 2. can.5. dicens: *initium fidei eſſe ipſum credulitatis affectum, eumque ineſſe nobis per inſpirationem Spiritus Sancti*. IV. Quid, quòd neque is piæ credulitatis affectus,

Digitized by Google

neque hunc conſequens voluntatis imperium eſt prima gratia ; ſed neceſſariò præcedit pia cogitatio , quam non eſſe ex nobis , ſed à Spiritu Sancto , didicimus ab Apoſtolo , & ex eo Auguſtinus lib. de Prædeſt. Sanctor. c. 2. qui locus hic conſulendus . V. Docet etiam Arauſicanum can. 5. *Ad conſentiendum prædicationi ſalutari, eſſe neceſſariam illuminationem, & inſpirationem Spiritus Sancti* . En gratias in voluntate, & intellectu non datas per fidem, utpote illâ anteriores.

VI. Objicitur etiam Fulgentius dicens lib. 1. de veritate Prædeſt. c. 17. *bonæ voluntatis initium in fide conſiſtere* . Reſpondeo, Fulgentium dicere *hujus bonæ voluntatis &c.* At cujus ? ſcilicet operandi ſalutem , ut illic præcedit . Hujus autem bonæ voluntatis initium rectè dicitur in fide conſiſtere ; quia fides docet ſalutem appetendam , eamque bonis actibus obtineri . Eodem loco ſubjungit idem Sanctus . *Deus ſicut voluntatem ad credendum præparat, ſic ipſam voluntatem, gratia operante, conſummat* . Voluntas igitur per gratiam præparata ad credendum eſt fons , & origo fidei ; non fides origo , & fons illius bonæ voluntatis . VII. Confirmantur hæc ex c. 18. ubi ſic fatur : *Sola igitur gratia in nobis bonam voluntatem facit , ſola fidem ipſi voluntati tribuit* , eam antea deſideranti : nam *ideo voluntati noſtræ donum credulitatis infundit, ut eidem voluntati credenti , operantique*, hoc eſt, deſideranti , & ex deſiderio , impetranti fidem *non deſit* . Ergo iterum pia credulitas fide prior eſt , neque donum credulitatis per fidem datur ; ſed fides per credulitatem .

VIII. IX. Inſtabis, additur ibidem : *Sed cùm bona voluntas habuerit fidem [ſinè qua bona eſſe non poteſt , quia ſinè fide impoſſibile eſt placere Deo] incipit operari bonum; ſi tamen gratiæ nunquam deſit auxilium* . Hic indicat Fulgentius voluntatem fieri bonam per fidem ; ſed , ut ſit bona, requiritur gratia : ergo gratia datur per fidem . Diſtinguo conſequens : gratia actualis datur per fidem, nego ; gratia habitualis ; ſubdiſtinguo : gratia habitualis datur per fidem informem, ſeu mortuam , nego ; per fidem formatam charitate , ſeu vivam, concedo conſequentiam . Et ſic verum eſt, quòd,cùm bona voluntas habuerit fidem, ſcilicet per dilectionem operantem,incipiat operari bonum, non qualecunque , ſed meritorium ; dummodo tamen gratiæ non deſit auxilium .

CAPUT X.

Reſpondetur ad objecta ex S. Thoma , & Cardinale de Aguirre . col.478.

I. OBjicitur illud S. Thomæ 2.2. q.113. art.4. *Prima converſio in Deum fit per fidem* : ſed uſquamne dicit Angelicus,primam illam converſionem non eſſe ex Deo? II. Audiatur eadem quæſt.a.9. *Ipſum . . . credere eſt actus intellectus aſſentientis veritati Divinæ ex imperio voluntatis à Deo motæ per gratiam* : Ergo cùm hæc gratia ſit cauſa imperii voluntatis , atque hoc imperium cauſa fidei , perſpicuum eſt , quòd eadem gratia ſit prior fide , atque ideo non poſſit per fidem homini dari . III. Ergo cùm Angelicus dicit *primam converſionem in Deum fieri per fidem*, intelligenda eſt fides cum omnibus ſuis prærequiſitis ; piâ cogitatione intellectus , piâ affectione voluntatis, & ejuſdem imperio .

IV. Objicitur & Cardinalis Aguirre dicens : *Omnium ſpecialium auxiliorum , quæ per Chriſtum conceduntur , initium ducere gratiam fidei* . At quid vetat per gratiam fidei intelligere non fidem ipſam, ſed gratiam ex quâ fides gignitur; præſertim cùm Adverſarius,ſcopi ſui oblitus , fateatur, agnoſcere Eminentiſſimum Aguirre, primam gratiam, cujus ope Ethnici incipiunt credere in Deum, ut remuneratorem , fidem eſſe revera ſupernaturalem : Certè prima gratia , *cujus ope Ethnici incipiunt credere*, non eſt fides,niſi cauſaliter,hoc eſt,cauſat fidem, adeòque fide prior eſt. V. Verba Cardinalis ſunt: *Quilibet Gentiles adulti . . . . præveniuntur auxilio aliquo gratiæ excitantis . . . . quo poſſunt proximè , & immediatè credere exiſtentiam unius Dei,& quòd remunerator ſit &c.* Datur igitur gratia excitans fidem , quæ proinde à fide diſtinguitur , eamque præcedit , ut cauſa, vel diſpoſitio effectum .

VIGESIMAOCTAVA PROPOSITIO DAMNATA .

Prima gratia, quam Deus peccatori concedit, eſt peccatorum remiſſio . *Obſerv. Moral. Marci* 11. *v.*25.

CAPUT I.

Propoſitio adverſatur Scripturis Sacris . col.481.

II. PRopoſitio hæc peccatoribus , quamdiu in peccato permanent , nullam concedi patitur gratiam , quæ non ſit ipſa peccatorum remiſſio . Ergo Infidelibus, Judæis, Hæreticis , quibus nunquam obtingit converſio, nulla unquam obvenit gratia. Idem eſt de reliquis in Eccleſia peccatoribus. I.Quæ ſi ita ſint,falſa eſt Dei in Apocalypſi aſſertio , ſignificans ſe ſtare ad cujuſque hominis adulti, præcipuè Chriſtiani, peccatoris oſtium, illudque pulſare , ut ſibi aperiatur , intret ad illum per gratiam ſanctificantem , & familiariùs cum ipſo converſetur . Erraverit etiam Senonenſe dicens , quòd gratia *ſemper in promptu ſit, & nè momentum quidem prætereat, in quo Deus non ſtet ad oſtium , & pulſet : cui ſi quis aperuerit januam , intrabit ad illum , & cœnabit cum illo* . Juxta Queſnellum, Deus ad nullius oſtium ſtat pulſans , niſi,quod ipſe primo ſtatim pulſu ultro ſibi pandit,neminem expectans,ut aperiat,nullius conſenſum præſtolans. III, IV, VII. Cum eodem errore nunquam componês , quæ nobis de Divina in omnes peccatores miſericordia prædicant Iſaias, V, VI. Matthæus, VIII. Ezechiel, IX, X. Petrus Apoſtolus , XI. Eccleſiaſticus , XIII. Pſalmiſta, XIV. Joannes Evangeliſta, XII. & Apoſtolus ad Romanos, cùm Peccatorem ita affatur : *Ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit* ? Reponere poſſent plerique : id enimvero ignoramus , cùm neminem benignitas Dei ad pœnitentiam adducat , niſi cui ſe ipſa remittuntur peccata : nos autem de horum numero non ſumus , neque gratiam habemus unde ſimus ; cùm prima gratia , quàm Deus peccatori concedit , ſit ipſa peccatorum remiſſio : nobis autem , qui in peccato perſiſtimus, ea gratia non obtigit .

CAPUT II.

Eadem doctrina non cohæret cum doctrinâ Conciliorum , præcipuè Tridentini . col. 486.

I. COncilia Lateranenſe, II. Arauſicanum ſecundum , III. Valentinum tertium docent , veram pœnitentiam peccatoribus omnibus eſſe, Deo adjuvante,poſſibilem.Cùm autem ex infinitâ peccantium multitudine pauci veram pœnitentiam agant; dicendum erit,juxta damnatum Articulum, paucis illam eſſe poſſibilem; quandoquidem iis ſolis obtingit pœnitentiæ gratia,quibus conceditur ipſa remiſſio.

IV. Tridentinum ſeſs. 6. c. 6. enumerat varios actus ſalutares peccatorum juſtificationi prævios , fidem, Divinæ juſtitiæ timorem, ſpem , dilectionis initium , odium , ac deteſtationem peccatorum ; Denique propoſitum ſuſcipiendi Baptiſmi, inchoandæ novæ vitæ, & ſervandi Divina mandata, ſubjungens c.7. *Hanc diſpoſitionem , ſeu præparationem juſtificatio ipſa conſequitur* . V. Damnatus Articulus breviùs juſtificationem abſolvit , dum eam tribuit primæ gratiæ, quæ peccatori conceditur ; adeòque ante omnia opera ſalutaria fide poſteriora ; imò verò ante ipſam fidem , utpote quam Spiritûs Sancti gratia neceſſariò prævenit , juxta can.3. ſeſs.6.

VI. Seſs. 6. can. 9. percellitur anathemate *ſi quis dixerit ſola fide impium juſtificari*: Hoc anathema ferit Queſnellum , ſuppoſito præcedenti , & præſente ejus Articulo ; quorum primus ait : *Fides eſt prima gratia* ; ſecundus verò, *Prima gratia, quæ peccatori conceditur, eſt peccatorum remiſſio* .

VII. Seſs.

Digitized by Google

VII. Seſs. 14. c. 1. dicitur pœnitentia univerſis, qui ſe peccato mortali inquinaverint, neceſſaria ad gratiam, & juſtitiam conſequendam: ſinè pœnitentia peccatores neceſſariò perire. VIII. Cùm verò ſeſs. 6. can. 3. neminem peccati poſſit *pœnitere ſinè præveniente Spiritus Sancti inſpiratione*, neceſſe eſt, ſtante Queſnelli doctrinâ, peccata ſemper ante pœnitentiam remitti, & qui ante eam cum tali inſpiratione moreretur, ſalvari; cùm *prima gratia*, ſeu inſpiratio Spiritûs Sancti, *quæ peccatori conceditur, ſit peccatorum remiſſio*.

IX. Seſs. 14. c. 4. Deſcribitur contritionis motus cum ſuis diſpoſitionibus homini poſt Baptiſmum lapſo neceſſarius ad impetrandam peccatorum veniam: Damnata Propoſitio juſtificationem expedit ope ſolius primæ gratiæ, quæ peccatori conceditur, quam ex Trident. conſtat eſſe Spiritûs Sancti inſpirationem, quæ pœnitentiam, & fidem ipſam neceſſariò præcedit.

X, XI Ruſus eodem cap. de attritione *Synodus declarat ... donum Dei eſſe, & Spiritus Sancti impulſum, non adhuc quidem inhabitantis*: At, ſi Queſnello credimus, remiſſis per primam gratiam peccatis, non eſt cur Spiritus Sanctus non inhabitet. Quidquid ſit, ſaltèm, juxta ſuperiorem damnatum Articulum, prima gratia eſt fides: Unde hæc ſaltèm ad pœnitentiam diſpoſitio remiſſionem peccatorum obtinet: vel potiùs ipſa eſt ſimul fides, & peccatorum remiſſio.

XII. Denique Sacramentum Pœnitentiæ nunquam peccatores Deo reconciliabit, nunquam Sacerdos propriè ligabit peccata, ſi prima gratia, quæ Sacramenti adminiſtrationem præcedit, ſit peccatorum remiſſio: Atqui hæc repugnant can. 2. & 15. ſeſs. 14.

CAPUT III.

Eadem Propoſitio convellitur Romanorum Pontificum definitionibus. col. 490.

I. SI prima gratia, quàm Deus concedit peccatori, ſit peccatorum remiſſio; ergo *Pagani, Judæi, Hæretici, aliique hujus generis*, quamdiu in eo ſtatu perſeverant, *nullum omninò recipiunt à JESU Chriſto influxum; adeòque hinc rectè infertur, In illis eſſe voluntatem nudam, & inermem, ſinè omni gratia ſufficienti*, quæ eſt 5. inter 31. Propoſ. damnatas ab Alex. Octavo: Si enim aliquem acciperent a JESU Chriſto influxum, aut aliquam gratiam ſufficientem, jam eſſent & fideles & juſti, cùm prima gratia ſit fides, & peccatorum remiſſio. Hi ergo nec implere Divina præcepta poterunt, nec ſuperare tentationes omni gratia ſufficiente deſtituti. Et tamen illa violando, & iis conſentiendo, juxta Adverſarios, peccabunt: Unde verum erit, quòd *ad merendum, & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ non requiratur libertas à neceſſitate, ſed ſufficiat libertas à coactione*, quæ eſt tertia Janſeniana.

II. Nec dicas primò, eam neceſſitatem eſſe ipſis voluntariam, utpote conſequentem peccatum Adami, in quo omnes peccavimus. III. Reſpondeo enim cum S. Th. in 2. ſent. d. 30. q. 1. a. 2. C. ejuſdem rationis debere eſſe voluntarium, cujus eſt culpa; adeòque licèt ad culpam naturæ, ſeu originis ſufficiat voluntas in natura illa; tamen ad culpam perſonalem requiritur voluntarium in perſona: & Propoſitio huic aſſertioni contraria damnata eſt ab Alexandro Octavo, nempe hæc: *In ſtatu naturæ lapſæ ad peccatum formale, & demeritum ſufficit illa libertas, qua voluntarium, ac liberum fuit in peccato originali, & voluntate Adami peccantis*.

IV. Nec dicas ſecundò, eam neceſſitatem iis eſſe voluntariam, quia liberè in peccato originali perſeverant. Hoc enim in primis locum non habet in iis, qui in infantia baptizati ſunt, ſive hæretici ſint, ſive obduratiſſimi peccatores. V. Reſpectu cæterorum quoque, ſeu Judæorum, ſeu Infidelium etiam negativè, dici non poteſt, quòd liberè in originali peccato perſeverent, ſi nunquam auxilium ſufficiens habuêre, ſaltèm remotum, quo ſe ad originalis culpæ ablutionem diſponerent, quale iis, quamdiu tales ſunt, à Queſnello non conceditur, VI. contra quorumcunque Catholicorum Doctorum ſententiam, VII. ne alioqui ſequatur illud inconveniens, quòd aliquis homo utens ratione, vel qui ea uſus fuerit, ita neceſſariò damnetur, ut ſalutem nunquam ullo pacto in ſua habuerit poteſtate: Hoc inconveniens vitavit S. Thomas q. 14. de veritate a. 11. dicens: *pertinere ad Divinam providentiam cuilibet*, imò & ei, qui *in ſylvis, & inter bruta animalia* nutritus eſſet, *providere de neceſſariis ad ſalutem, dummodo ex parte ejus non impediatur*. VIII. Sed & in Scholis omnibus Catholicis certum eſt, fideles omnes, etiam peccatores, ſaltèm communiſſimè (quidquid ſit de aliquibus ex obduratorum numero maximè excæcatis) recipere frequenter auxilia tum ad ſalutem, tum ad præceptorum obſervationem ſufficientia, quibus ipſi pravâ ſua voluntate ſæpiſſimè reſiſtant: per fidem enim, quæ paſſim non ita ſopita eſt, ut extincta videatur, excitatur eorum intellectus ad conſiderandam ſtatûs ſui calamitatem, moveturque affectus ad pœnitentiam, & converſionem.

IX. Dixi *communiſſimè*, ut hic, in ſenſu ſuo abundare ſinam Theologos illos, qui tum Infideles negativos privant omni intrinſeco auxilio ſupernaturali, licèt concedant aliquando naturale; tum peccatores aliquos etiam fideles, adeò obduratos exiſtimant, ut nunquam, etiam in tentatione gravi, iis obtingant auxilia ſufficientia ad converſionem, aliaque præcepta implenda, quorum tamen violatione peccent; quia eorum denegatio eſt pœna peccatorum perſonalium præcedentium, ad quæ vitanda ſufficientibus præſidiis inſtructi fuerant: unde hæc peccandi neceſſitas eſt tantùm conſequens propriam eorum, ac perſonalem libertatem: ad culpam ergo perſonalem requirunt etiam hi Theologi aliquam ejuſdem cationis libertatem: X. . . . XII. & ſic communia Catholicarum Scholarum placita, ut ſufficiunt confutandis cæteris, quas hactenus recenſuimus, Queſnelli Propoſitionibus, XIII. ita & hiſce *Fides eſt prima gratia, & fons omnium aliarum: prima gratia, quàm Deus concedit peccatori, eſt peccatorum remiſſio*; Ex quibus, ut jam ſupra dictum eſt, manifeſtè ſequitur, Hæreticos, Judæos, & Paganos omnes, qui nunquam crediderunt, & quibus nunquam remiſſa ſunt peccata, nullam unquam Chriſti gratiam habuiſſe, quâ converti, legem implere, ſe à macula originali, aut in hac perſeverantiam impedire potuerint: aliam igitur peccata vitandi libertatem nunquam habuerunt, quàm quæ fuit in primo omnium parente Adamo: Nulla etiam alia non peccandi libertas in fidelibus quibuſcunque peccatoribus reperietur, præſertim ſi accedat Queſnelliana trigeſimaoctava: *Peccator non eſt liber, niſi ad malum, ſinè gratia liberatoris*. XIV, XV. Ex impugnato huc uſque Queſnelli dogmate, ſequuntur plures alii à variis Pontificibus proſcripti Articuli, quos hic brevitatis causâ prætermittimus.

CAPUT IV.

Eadem Propoſitio contraria eſt traditioni Patrum, atque Angelico Doctori. col. 496.

I. COntraria eſt Dionyſio, II, III. Clementi Alexandrino, IV. Hilario, V. Arnobio, VI. Ephrem Syro, VII. Hieronymo, VIII. Chryſoſtomo, IX. Auguſtino, X. Authori de vocatione gentium, XI. Laurentio Novarienſi. XII Denique S. Thom. de verit. q. 24. a. 11. *Obſtinatia in via*, inquit, *eſt imperfecta, ita quòd non de facili poſſit quis cooperari, ut exeat de peccata: non poteſt autem ita eſſe obſtinatus in malo, quin ad ſuam liberationem cooperari poſſit*, ope gratiæ ſcilicet, ſinè quâ liberatio impoſſibilis eſt. Cùm tamen iſtiuſmodi nefarii paſſim maneant in impietate; argumentum evidens eſt, peccatoris primam gratiam non eſſe remiſſionem peccatorum. XIII. Similia habet Doctor Angelicus in 4. Sent. diſt. 20. q. 1. art. 1.

CAPUT V.

Eadem Propoſitio ratione Theologicâ confutatur. col. 500.

I. AD primam gratiam nullus hominum præparare ſe poteſt; ſed merè gratuita Spiritûs Sancti inſpiratio eſt.

eſt. Vel ergo gratia illa peccatori conceditur, vel non: ſi concedatur, ipſa eſt peccatorum remiſſio: ſin minùs, fruſtranea eſt omnis humana ad converſionem induſtria, præſertim cùm juxta aliam Queſnelli Propoſitionem *Peccator non ſit liber, niſi ad malum ſine gratia liberatoris*: Ergo utroque caſu de pœnitentia laborandum non eſt: inſignis fovendæ ſocordiæ aphoriſmus!

III. Nulli liberum eſt, primam gratiam habere, vel non habere; ſed prima gratia eſt peccatorum remiſſio, ſive peccatoris converſio: ergo nulli libera eſt ſua converſio. Item reſpectu adultorum neque Baptiſma, neque Sacramentum Pœnitentiæ erit Sacramentum mortuorum, ſed vivorum; nam prima earum gratiarum, quæ ad fructuoſam utriuſque ſuſceptionem prærequiruntur, jam peccatorem juſtificaverit. III. Hæc Propoſitio juncta præcedenti non diſplicebit Calviniſtis. Si enim prima gratia, quæ peccatoribus conceditur, ſit peccatorum remiſſio, & fides ſit prima gratia, ſequitur clarè Calvini dogma, quòd fides ſe ſola juſtificet. Id autem adverſari Tridentino diximus c.2. n.6.

CAPUT VI.

Solvuntur objectiones deſumptæ ex Scripturis. col. 502.

I. Locus Lucæ 4. v. 16. & ſeqq. II. item alter Lucæ 24. v.46. & 47. Queſnelli Propoſitioni directè opponuntur; cùm in his remiſſioni peccatorum præmittatur *contritio cordis*, & *pœnitentia* utique ex gratia: unde prima gratia non eſt remiſſio peccatorum. III. Non favet etiam; ſed Queſnello obeſt adducta Auguſtini ſimilitudo.

CAPUT VII.

Diluuntur objecta ex S. Auguſtino. col. 503.

I. Objicitur ab Hexaplis S. Auguſtini locus tract.3. in Joannem ita Gallicè redditus, ac ſi S. Doctor diceret: *Prima gratia, quàm peccator accipit, eſt ea, qua ipſi remittuntur peccata*.

II. Quàm hoc ab Auguſtini ſenſu alienum ſit, clarum fiet ex ſequentibus. Quærit *quam gratiam primò accepimus?* Reſpondet; *Fidem: in fide ambulantes, in gratia ambulamus*: Deinde paulò poſt ſubjicit: *Hanc ergo accepit gratiam primum peccator, ut ipſi peccata dimitterentur*. Licèt jam nunc pateſcat, Hipponenſem hic non agere de gratia actuali, quæ alibi apud eum venit nomine vocationis, cui conſentire, vel diſſentire poſſimus; id tamen evidentiùs conſtabit ex his, quæ paulò poſt verba jam relata ſubjiciuntur: *Conſecutus iſtam gratiam fidei, erit juſtus ex fide: juſtus enim ex fide vivit.... vivendo ex fide.... accipit vitam æternam, & illa gratia eſt; nam pro quo merito accipit vitam æternam? Pro gratia. Si enim ipſa fides gratia eſt, & vita æterna quaſi merces eſt fidei: Videtur quidem Deus vitam æternam tanquam debitam reddere. Cui debitam? fideli; quia promeruit illam per fidem; ſed quia ipſa fides gratia eſt; & vita æterna gratia eſt pro gratia*. Hinc, ni fallor, nulli dubium ſupereſt, Hipponenſem Antiſtitem *gratiam* hic accipere partim pro juſtitia, partim pro ſalute, ſeu vita æterna: adeòque fidem eſſe primam gratiam, qua homo juſtificatur, ſi viva ſit, & per dilectionem operetur. Talem fidem veluti nobiliſſimam ſpeciem potiſſimùm Auguſtinus genericâ fidei appellatione intelligit, ut Catholicæ doctrinæ vindices contra Lutherum, & Calvinum, concorditer interpretantur. III. Quòd autem fides viva juſtificet, atque hæc prima gratia appelletur intuitu ſubſequentium operum, quibus *in fide ambulamus*, & tandem æternam vitam adipiſcimur, nihil juvat Propoſitionem damnatam in ſenſu proprio, & obvio, à quo, contra ac fit apud Auguſtinum, nullæ eam circumſtantiæ ad latiorem ſenſum divertunt. Neque dicit Auguſtinus ſimpliciter *accepit gratiam primam peccator, ut ei peccata dimitterentur*, quaſi ope primæ cujuſcunque gratiæ peccata dimitterentur, ut vult Queſnellus; ſed, *hanc... accepit gratiam primam*, illic ſcilicet ab omnibus facilè intellectam, & à Queſnelliana plurimùm diverſam.

IV. Præterea cùm dicitur peccator *accipere gratiam, UT peccata dimittantur*; hoc non neceſſariò ſignificat per eam immediatè peccata dimitti, ſed ſenſus valdè legitimus eſſe poteſt, ope illius, accedente dilectione, dimittenda eſſe peccata: atque ita fides, & prima gratia ad remiſſionem peccatorum conducet; ſed non erit ipſa peccatorum remiſſio; quam de prima gratia generatim ſumptâ ab Auguſtino prædicari, ut fit in proſcripto Articulo, nuſquam invenietur.

V. Queſnellus in ſua querela, & proteſtatione citat pro ſe hunc Auguſtini textum lib. 2. de peccatorum meritis, & remiſſione c. 7. *Renovatio incipit à remiſſione omnium peccatorum*; ſed hoc iterum nihil ad rem. Neque enim hic eſt quæſtio, quomodo, & per quam gratiam, primam, ſecundam, vel centeſimam fiat peccatorum remiſſio; ſed in quo conſiſtat hominis juſtitia, & quibus conſtet gradibus: dicitque primum gradum juſtitiæ eſſe remiſſionem peccatorum, ſicut fit in baptiſmo; quo tamen homo non ideo perfectus eſt, ſed adhuc multis animi infirmitatibus obnoxius. Juſtitia autem paulatim magis perficitur, donec omnimodam conſequamur in cœlo. VI. Liquet hoc ex toto textu, quem conſule. VII...: IX. Igitur *renovatio incipit à remiſſione omnium peccatorum*, tanquam principio renovationis intrinſeco. & formali; ſicut ſtatus peccati mortalis incipit à primo lethifero peccato. De principio extrinſeco, & efficiente, quod in adultis eſt auxilium gratiæ illuſtrans intellectum, & excitans voluntatem, hic nulla Auguſtino tractatio eſt.

X. Simili modo reſolvitur alter S. Doctoris locus ex l. 2. contra Jul. c. 8. ubi juſtificatio ſecundùm tria conferri dicitur; ſcilicet Baptiſmo, luctâ contra peccata, à quibus abſoluti ſumus, oratione denique ac pœnitentia qua lapſus omnes reparantur, à quibus etiam juſti perpetuò immunes eſſe non ſolent. Hi etiam quaſi gradus intrinſeci juſtificationis ſunt; quod non obeſt, quo minùs ad eam aliis gradibus extrinſecis, ſeu diſpoſitionibus adducamur, recenſitis in Trident. ſeſs.6. c.6. & alibi. Hinc ergo nullum patrocinium huic abſurdiſſimæ hæreſi: *Prima gratia, quàm Deus concedit peccatori, eſt peccatorum remiſſio*: XI. pro qua multò minùs facit hæc altera ex Hipponenſi ſententia l. 6. operis imperf. n. 8. *Propter quod eis ope opus eſt Salvatoris, qui primùm ſalvos facit* (redditur Gallicè, ac ſi haberetur, *qui incipit ſalvos facere*, quaſi prima operatio Dei in animâ ſit juſtitiæ reſtitutio) *remiſſione omnium peccatorum, poſt etiam omnium ſanatione languorum*; ubi, ut liquet, tantùm aſſeritur, ſanatione languorum priorem eſſe noxarum veniam; cum quo optimè conſiſtit, ad hanc prærequiri gratiæ auxilia, quibus animus ad pœnitentiam diſponatur.

CAPUT VIII.

Reſpondetur ad Sanctos Fulgentium, & Chryſoſtomum. col. 508.

I.... III. Fulgentius l. 1. de remiſs. peccatorum c. 5. ait: *Vocationis autem hujus ad pœnitentiam principale eſt beneficium remiſſio peccatorum*. Quis hinc exſculpat, quòd *prima gratia ſit remiſſio peccatorum*? Exſculpit Author Hexaplorum; ſed adulterando verba Fulgentii, quaſi diceret *PRIMUM, & principale beneficium*, cùm tantùm dicat *principale*: Quæ duo toto cœlo differunt: ſic Thebæorum Militum principale meritum fuit martyrium pro Chriſto; ſed citra eorum contumeliam dici non poteſt, fuiſſe primum.

IV. Adducitur ex eodem Fulgentii libro caput quartum, ubi ait, quòd *indebita gratia benè vivendi donum inchoat in homine, peccatorum remiſſione donata*: ſcilicet ante remiſſionem homo nec placere Deo poteſt, nec habere meritum: cùm illa igitur propriè incipit *benè vivendi donum*; etſi ipſum donum, & remiſſionem criminum præceſſerint non pauca Divinæ gratiæ auxilia, quæ hominem ad illam recipiendam diſponerent. V.... VII. Denique allegatur Chryſoſtomus juſtificationem Neophytorum, quæ Baptiſmo fit, præponens novem aliis

Digitized by Google

Divinæ beneficentiæ prærogativis, quas illic enumerat: Verùm aliud eſt, juſtificationem illam aliis Dei donis priorem eſſe, aliud eſſe primam gratiam in adultis, quos conſtat pluribus gratiæ auxiliis ad Baptiſmum non ſacrilegè ſuſcipiendum præparandos eſſe.

CAPUT IX.

Præcluditur prima Adverſariorum evaſio. col. 510.

I. HExaplorum Author poſtquam Queſnelli Propoſitionem, ut jacet, fruſtrà tutari aggreſſus eſt, ab ea amoliri conatur invidiam, dicendo primò, neminem Patribus litem movere, quòd dum remiſſionem peccatorum aliis gratiis præponunt, non meminerint actuum fidei, ſpei, charitatis, qui ad illam prærequiruntur; Secundò, juſtificationis myſterium in Symbolo credendum proponi duabus voculis *remiſſionem peccatorum*, quamvis eam multæ gratiæ præcedere debeant. Tertiò, cùm Chriſtus loqueretur de fine, & fructibus ſui ſacrificii, dixiſſe tantummodò: *Hic eſt ſanguis meus, qui pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum*, quamvis hoc ſacrificium obtulerit ad multa alia beneficia nobis promerenda, partim prævia, partim poſteriora remiſſione peccatorum.

II. Ad primum reſpondetur, nullum Sanctorum Patrum, ut ex ſuperioribus capitibus videre eſt, remiſſionem peccatorum abſolutè, vel ſimpliciter primam gratiam vocaſſe; ſed tantùm factâ cum aliis ſequentibus comparatione, ita ut Catholicus ſenſus, quo *primo* appellatur, ſemper ex circumſtantiis innoteſcat. Queſnelli autem Propoſitio abſoluta eſt, nec aliæ recenſentur gratiæ, reſpectu quarum remiſſio peccatorum orthodoxâ ſignificatione ſit prima. Ad ſecundum dico, Symbolum Apoſtolorum remiſſionem peccatorum credendam proponens, eam non vocare primam gratiam, nec excludere gratias anteriores, ut facit Queſnellus. III. Ad tertium pariter dico, Chriſtum recenſendo unum ſacrificii ſui finem, & fructum, non excludere cætera beneficia ex eodem nobis obventura.

Turpitudo Queſnelliani dogmatis familiari exemplo IV. V. palpabilis redditur.

VI. Sed, licèt gratis daretur, Queſnellum, dum dicit, primam gratiam eſſe remiſſionem peccatorum, ſupponere ſimul reliquas gratias, quæ ad hanc diſponunt, ne ſic quidem ejus Propoſitio eſſet immunis ab errore: quia ſaltèm ex ea, etiam ſic intellectâ, ſequeretur, quòd peccator, qui remiſſionem peccatorum non accipit, nullam gratiam accipiat. Si quod enim gratiæ auxilium reciperet, ad quod non ſequeretur remiſſio peccatorum, quo ſenſu dici poſſet, quòd *prima gratia, quæ peccatori conceditur, ſit peccatorum remiſſio*? Hoc poſito, damnata Propoſitio ſecum trahit hanc VII. *Pagani, Judæi, Gentiles &c.* proſcriptam ab Alexandro Octavo, & excerptam ex *denuntiatione Peccati Philoſophici*, quæ prodiit ab Arnaldo jam decrepito, operam conferente Queſnello ſtudiorum adjutore domeſtico. Vide cap. 3. n. 1.

Queritur Queſnellus, quòd in Conſtitutione Pontificia hic Articulus: *Prima gratia, quæ peccatori conceditur, eſt peccatorum remiſſio*, jungatur duobus hiſce præcedentibus: *Nullæ dantur gratiæ, niſi per fidem. Fides eſt prima gratia, & fons omnium aliarum.* Cur autem non jungeretur, affinitate materiæ id exigente, & ut clariùs appareret reſuſcitata de ſola fide juſtificante hæreſis. Si enim *prima gratia, quæ peccatori conceditur, ſit prima gratia, & fides ſit etiam prima gratia*, ſponte fluit: ergo *fides in peccatore eſt peccatorum remiſſio*. VIII. Nec obeſt hæc Queſnelliana 51. *Fides juſtificat, quando operatur; ſed ipſa non operatur, niſi per charitatem*: ubi quidem fidei juſtificanti jungitur charitas; non tamen propterea vis juſtificandi charitati tribuitur; ſed primæ gratiæ, quæ eſt fides. Calvinus in antidoto Concilii Tridentini ad art. 11. ſeſs. 6. ait: Fidem ſolam juſtificare; ſed eam non eſſe ſolam, quemadmodum ſolus calor accendit, non ſplendor, etſi hic cum calore conjunctus ſit. Conſentit Kemnitius. Lutherani quoque Altemburgenſes aliorum actuum conſortium requirunt; & Melanchton etiam inchoatam dilectionem.

CAPUT X.

Præcluditur ſecunda evaſio. col. 514.

I. HExaplorum Author defenſionem Queſnelli alterâ viâ aggreditur. Poſtquam, inquit, Queſnellus in Obſervationibus ſuis Moralibus dixerat: *Prima gratia, quam Deus concedit peccatori, eſt peccatorum remiſſio*; ſtatim addit: *ſed ea remiſſio non datur, niſi remittentibus*. Evidens igitur eſt, eum in ipſa Propoſitione damnata admittere gratias remiſſione peccatorum anteriores; cùm non remittatur inimicis ſinè gratia. Ita ille; qui hinc anſam arripit graviter calumniandi Romanos Cenſores, quaſi perfidè ſuppreſſerint poſteriorem partem jam relatam Queſnellianæ Propoſitionis.

II. Reſpondeo, poſteriorem illam partem minimè referri debuiſſe, cùm nihil mutet in ſignificatione prioris, ut hic exemplo declaratur. Potuit igitur una ſubjici Romanorum Cenſorum examini, prætermiſsâ alterâ, III. utpote, quæ nihil contineat in Authoris ſenſu, unde colligas *primam gratiam* in damnato Articulo non intelligendam de *primo* abſolutè; ita ſaltèm, ut nulla prior ſit, quamvis alterius conſortium requiratur, nempe alienæ offenſæ remiſſio. IV. Hanc verò in Queſnelli ſententia non apparere priorem remiſſione peccatorum, maximè liquet ex Articulo ſuperiore, juxta quem *Fides eſt prima gratia*: At *prima gratia*, juxta præſentem Articulum, eſt *remiſſio peccatorum*. Alieni autem delicti veniam fide priorem eſſe, nec Adverſarius, nec quiſquam alius admiſerit; unde enim habemus, inimicis dimittendum eſſe, niſi ex fide? Proinde fixa maneat, ut eſt uſu omnium, recepta regula, quòd, cùm enuntiatur aliquid *primum*, intelligendum ſit abſolutè, & ſimpliciter, niſi circumſtantiæ aliud determinent; VI, VII. circumſtantia autem condonationis alienæ injuriæ hanc ſignificationem non determinat, non limitat, ut oſtenſum eſt, cùm non ſtatuat gratiam aliquam juſtificatione priorem, ſed tantùm concomitantem; Igitur juſtificatio in ſenſu Queſnelli, non obſtante dictâ circumſtantiâ, manet prima gratia, ſaltèm negative, quam ſcilicet nulla alia præcedat; etſi comitetur conceſſa alteri offenſionis venia, & gratia ad hanc neceſſaria.

CAPUT XI.

Præcluditur tertia evaſio. col. 517.

I. TErtia, & ultima evaſio tentatur allegatione eorum locorum, ubi contendunt Adverſarii, Queſnellum docere, primam gratiam non eſſe remiſſionem peccatorum: Ita, inquiunt, aſſerit in Obſ. Mor. ad Luc. 7. v. 10. quòd *Deus peccatorem donis miſericordiæ ſuæ diſponit ad ſanationem*. Sed quid impedit ſpiritualem animæ ſanationem, à ſpirituali ejus reſuſcitatione diſtingui? Peccatum eſt mors animæ: ſanctificante gratiâ reſtituitur vita, non tamen mox omnis ſanitas. Patet hoc in recenter baptizatis, & multò magis in iis, qui longâ peccandi conſuetudine contraxêre vitia, quæ, condonatis peccatis, medicinali Chriſti gratiâ, non niſi paulatim, & per gradus ſanationis, quos hic Hexaplorum Compilator ex Queſnello enumerat, extinguuntur. II. Hanc veritatem in ſeipſis gemebundi experiebantur David, Apoſtolus, & Hieronymus: Unde appoſitè Sanctus Auguſtinus lib. de continent. c. 7. *Languorem . . . iſtum culpa meruit, natura non habuit, quam ſanè culpam per lavacrum regenerationis Dei gratia fidelibus jam remiſit; ſed ſub ejuſdem Medici manibus adhuc natura cum ſuo languore confligit*. Hæc à fortiori quadrant inveteratis peccatoribus juſtitiæ per Sacramentum Pœnitentiæ recenter redditis.

III. Nihilo plus Queſnellum juvat, quòd in Obſer. Mor. ad Luc. 8. v. 44. requirat in eo, qui ſanari vult, fiduciam, humilitatem, & huic junctam orationem: nil juvat, in-

quam, tum ob rationes jam dictas, IV. sum, quia monet Scriptura, ut de propitiato peccato nolimus eſſe ſinè metu. Præterea hodierni paſſim Lutherani, & Calviniſtæ ad pietatis opera, etiam pœnitentiæ, peccatores exciſant; etſi fidei ſoli tribuant juſtificationem; ut videre licet apud Melancthon.

V. Ait denique Adverſarius, Propoſitionem Queſnelli, ſi intelligatur, ut verba ſonant, fore valdè exoticam, & talem, quæ Obſervationum Moralium Authori minimè attribui debeat, præſertim ſpectatâ Propoſitione proximè antecedente, quòd *fides ſit prima gratia, & fons omnium aliarum*. At demonſtratum eſt, præſentem Articulum ex conſortio præcedentis adeò non ab omni hæreſeos ſuſpicione liberari, ut inde potiùs ſenſus obvius, ac proprius ab Authore intentus innoteſcat, Calvinianæ hæreſi de fide ſola juſtificante conſentiens. Propoſitio ſinè dubio valde exotica eſt, ſed non propterea minùs Queſnelli eſt, VI. qui tot alias Catholicis inauditas protulit, de quarum numero eſt hæc undecima, *Gratia non eſt aliud, quàm voluntas Omnipotentis Dei jubentis, & facientis, quod jubet*: quæ nos invictiſſimè confirmat in opinione, quòd Queſnellus propriè dictam, & communiter in Eccleſia intellectam gratiam non admittat, remiſſione peccatorum, aut fide priorem; neque credat, præveniri tali gratiâ hominem, ut ignoſcat proximo, vel quæcunque alia Dei exequatur mandata, vel conſilia; ſed ea ejus ſententiâ peccatori, qui convertitur, ſolâ Dei voluntate, ſinè aliâ interiori gratiâ, dentur ſimul fides, remiſſio peccatorum, & cæteri concomitantes actus; quo pacto optimè capimus, omnes ejus Propoſitiones damnatas, quantùm a fide Catholica diſſentiunt, tantùm conſentire, & cohærere inter ſe.

VIGESIMANONA PROPOSITIO DAMNATA.

Extra Eccleſiam nulla conceditur gratia.
Obſerv. Moral. Luc. 10. v. 36.

CAPUT I.

Propoſitio adverſatur Scripturis Sacris.
col. 520.

I. SI fides eſt prima gratia, eaque peccatores juſtificans, ut duobus Articulis proximè confutatis traditur, neceſſe eſt, ut, juxta præſens dogma, nulla extra Eccleſiam concedatur gratia; quia extra Eccleſiam nemini obtingere poteſt ſalus, nemini juſtificatio. Verùm, ſi ita eſt, quomodo infideles, & hæretici converti ad fidem poſſunt; ſaltèm, qui reipſa non convertuntur? Nam omni eos gratia, juxta Queſnellum, deſtitui neceſſe eſt; alias certiſſimè converterentur, cùm prima gratia ſit fides, & remiſſio peccatorum. Quomodo etiam tot milliones hominum tam ex Judæis, quam Gentilibus Eccleſiæ aggregati, vocari interiùs ad eam potuère, & credendo, ac pœnitendo adduci; cùm hæc interna vocatio ſit gratia, & hâc juxta Tridentin., homo præveniri debeat, ut credere, aut pœnitere poſſit, ſicut oportet? ſic ergo extra Eccleſiam danda fuiſſet gratia, cujus beneficio credentes, & pœnitentes ad Baptiſmum, ac per eum ad Eccleſiam pervenirent.

II. Neque dixeſis, omnes extra Eccleſiam conſtitutos, & qui nunquam credituri ſunt, ad eam gratiâ ſibi oblatâ aut præparatâ pervenire poſſe: nam ſi ita eſt, ergo procul dubio omnibus aliqua ſufficiens gratia reipſa confertur, aut ſaltèm ii, quibus negatur, culpabilem oblatæ gratiæ poſuerunt obicem: Neutrum in Queſnelli ſententia dici poteſt: Non primum, nam ſi ſufficiens gratia reipſa conferretur, jam reipſa, contra ſuppoſitum converterentur, cùm prima gratia ſit fides, & peccatorum remiſſio: Non ſecundum; neque enim, Auguſtino teſte, *quis peccat in eo, quod caveri non poteſt*: At juxta Queſnellum *Peccator non eſt liber niſi ad malum ſinè gratia liberatoris*. Vide dicta ad Prop. 28. c. 3. à n. 4. ad finem. Igitur negando gratiam alicui extra Eccleſiam reipſa concedi, negat etiam Queſnellus, offerri aut præparari; præſertim, cùm ſufficientis gratiæ præparatio proveniat ex voluntate antecedente ſalvandi eos, quibus Deus gratiam præparat; talem autem voluntatem reſpectu eorum, qui nunquam convertuntur ad fidem, non agnoſcit, juxta Propoſ. 12. & 30. III. Unde præſens error iiſdem ferè Scripturarum, & Patrum teſtimoniis debellatur, quibus duo Superiores. Si nempe nulla conceditur gratia extra Eccleſiam, Chriſtus omnes ad ſe, & ad Eccleſiam ſuam vocare ſeriò non potuit Matth. 11. *Venite ad me omnes*. IV. Item nec ſinè mendacio dici Deus potuit 2. Petri 3. verſ. 9. *Nolens aliquos perire, ſed omnes ad pœnitentiam reverti*, & 1. Tim. 4. *Salvator omnium hominum* maximè fidelium. Quomodo Deus Salvator ſit fidelium, intelligi poteſt; non, quomodo cæterorum, qui extra Eccleſiam ſemper ſinè gratia vivere coguntur. Non apparet etiam quomodo, ut dicit Apoſtolus, *ſint inexcuſabiles*, quòd Deum ex creaturis agnitum non coluerint, ut oportet: Id enim nos ſine gratia potuiſſe, nemo Catholicus, multo minùs Queſnellus agnoſcit in Prop. ſua 40. & 48. V.... VIII. Allegantur ſeptem alia in eamdem rem Scripturarum teſtimonia.

CAPUT II.

Eadem Propoſitio adverſatur traditioni Patrum, etiam Sancto Thomæ.
col. 523.

I. PAulus Oroſius laudatus ab Auguſtino gratiam clariſſime extra Eccleſiam extendit, liberalitate non minore, quàm ullus hoc tempore Scholaſticus; dum in Apologia pro libertate arbitrii ita pronuntiat: *Mea eſt hæc fidelis, atque indubitata ſententia, Deum adjutorium ſuum NON SOLUM IN CORPORE, QUOD EST ECCLESIA; verùm etiam univerſis gentibus ſubminiſtrare, & ſpeciatim quotidie per tempora, per dies, per momenta, per atomos CUNCTIS ET SINGULIS miniſtrare.... ut adeſſe adjutorium Dei per ſingula, & per ſingulos probes, ex qua evidentiſſimè declaratum eſt, nemini hominum deeſſe adjutorium*. II. Author de voc. gentium l. 2. c. 29. *Univerſitati hominum ita mul ipſa atque ineffabilis bonitas Dei conſuluit ſemper, & conſulit, ut neque ulli pereuntium excuſatio ſuppetat de abnegato ſibi lumine veritatis*. III. & c. 31. *Elaboratum eſt, quantum Dominus adjuvit, ut non ſolùm in noviſſimis diebus; ſed etiam cunctis retro ſeculis probaretur, gratiam Dei omnibus hominibus adfuiſſe; providentia quidem pari, & bonitate generali, ſed multimodo opere, diverſaque menſura*. Neutro loco excluduntur infideles, aut qui degunt extra Eccleſiam.

IV. V. Conſonant Hieronymus, VI. VII. Chryſoſtomus VIII. Auguſtinus lib. 2. de pecc. meritis cap. 17. IX. & l. 83. qq. q. 68. ubi ait: *Ad illam cœnam nec omnes, qui vocati ſunt, venire voluerunt, neque illi, qui venerunt, venire poſſent, niſi vocati. Itaque nec illi debent ſibi tribuere, qui venerunt, quia vocati venerunt: nec illi, qui noluerunt venire, debent alteri tribuere, ſed tantùm ſibi; quoniam ut venirent, vocati erant in libera voluntate*. Cœnæ magnæ nomine in Evangelio venit primùm Eccleſia, & Fides in Chriſtum, dein Cœleſtis gloria. Tam ad priorem, quam ad poſteriorem, qui non perveniunt, non poſſunt alteri tribuere, ſed tantùm ſibi, quoniam, ut venirent, vocati erant, per gratiam utique, in libera voluntate: Non ergo caruere Dei auxilio, qui ad Fidem, & Eccleſiam venire noluerunt. X. In eamdem ſententiam eunt Irenæus, XI. XII. Clemens Alexandrinus, XIII Joannes Damaſcenus, XIV. Laurentius Juſtinianus &c. XV. Denique damnato Articulo adverſantur quotcunque Patres tradunt, Deum velle omnes homines ſalvos fieri, & Chriſtum pro omnibus planè hominibus mortuum: hinc enim ſequitur, auxilia omnibus ſufficientia ad ſalutem præparata eſſe, ut optimè obſervat S. Thomas l. 3. contra gentes c. 159. Ex iis autem Patribus recenſemus Hieronymum, XVI. Cyrillum Hieroſolymitanum, XVII. Gregorium Nazianzenum, XVIII. & Chryſoſtomum. XIX. Rurſum Angelicus in 1. Cor. 1. lect. 1. *Non videretur eſſe fidelis Deus, ſi nos vocaret ad ſocietatem Filii tum militantem in terris, tum triumphantem in Cœlis, & nobis denegaret, quantum in ipſo eſt, ea, per quæ pervenire ad ipſum poſſemus*, inter quæ maximè neceſſarium eſt auxilium gratiæ. Omnes autem vocamur Matth. 11. igitur nulli gratia ad ſequendum

Digitized by Google

dum neceſſaria denegatur. Idem 3. p. q. 52. a. 6. ad 3. *Homines quamdiu vivunt, poſſunt ad Fidem, & Charitatem converti; quia in hac vita non ſunt homines confirmati in bono vel malo.* Quid autem eſt confirmari in malo, niſi derelinqui abſque omni gratia, abſque omni conversionis poteſtate? Sic relinquuntur omnes extra Eccleſiam constituti, ſi nulla eis gratia offeratur. Vide etiam S. Doctorem allegatum ad Prop. 28. c. 3. n. 7.

CAPUT III.

Eadem Propoſitio contraria eſt Conciliis, definitionibus Romanorum Pontificum, & rationi Theologicæ. col. 528.

I. Contraria eſt Lateranenſi, II. Arauſicano, III. Tridentino ſeſſ. 14. c. 5. VI. & c. 11. *Deus impoſſibilia non jubet, ſed jubendo monet & facere quod poſſis, & petere, quod non poſſis, & adjuvat, ut poſſis:* quæ definitio illimitata ad omnes ſe extendit tam infideles, quàm fideles: Ergo omnes extra Eccleſiam poſiti adjuvantur, ut poſſint obſervare præcepta, quæcunque ſine gratia ſervari nequeant. IV. His concordat Conc. Valentinum, V. & Senonenſe. VII. . . . X Clariſſimè autem Queſnelli damnata Propoſitio continet hanc quintam inter 31. confixas ab Alexandro Octavo *Pagani, Judæi, Hæretici, aliique hujus generis (extorres ab Eccleſia) nullum omnino accipiunt a JESU Chriſto influxum; adeoque hinc rectè inferes, in illis eſſe voluntatem nudam, & inermem abſque omni gratia ſufficienti;* ex hac autem ſponte fluunt plures aliæ à variis Pontificibus proſcriptæ. XI. . . XV. Et hinc aperitur campus ampliſſimus argumentis Theologicis, quibus Queſnelli dogma penitus evertatur: XVI. ſed quæ hactenus contra illud diſputata ſunt, continentur recenti, & compendioſo dialogo; quem refert

CAPUT IV.

DIALOGUS

Inter Queſnellianum Miſſionarium & Schiſmaticum de Prop. 29. ſecundùm ſe, & obvio ſenſu intellecta. col. 532.

Hic Dialogus perſpicuitate ſua lucens Novaturientium vafritiem detegit, & enervat ſophiſmata.

CAPUT V.

Diluuntur Objecta. col. 538.

I. Objecta vix reſponſo digna ſunt. Unicum ex Scripturis allegatur apud Matth. 12. verſ. 30. *Qui non eſt mecum, contra me eſt & qui non colligit mecum, diſpergit.* Ait ſcilicet hic Chriſtus, inter bonos & malos, amicos ſuos, & inimicos, non inveniri homines medios. Quilibet enim vel juſtus eſt, atque ita Deo amicitiâ junctus; vel juſtitiâ carens, à Deo averſus eſt, ſive actûs ſui iniquitate, ſive delicto originis, à quo non niſi ſanctificante gratia liberatur. Sed quo pacto hinc inferas, nullos extra Eccleſiam poſitos Divinæ gratiæ adjutorio præveniri, quo ad Eccleſiam converti, vel ad pœnitentiam diſponi valeant?

II. S. Auguſtinus ep. ad Feliciam Virginem agens de Schiſmaticis, ait veriſſimè, *Etſi aliquos eorum bonos videtur oſtendere quaſi laudabilis converſatio, malos eos facit ipſa diviſio;* III. etenim ſchiſma cùm graviſſimum crimen ſit, eos Dei inimicos, & æternis inferorum ſuppliciis dignos reddit: ſed quamvis gratiæ habitu ſpoliati ſint, tanta tamen eſt Dei miſericordia, ut, quamdiu in hac vita ſunt tum ſchiſmatici, tum quicunque alii peccatores, ut ut impii & obdurati, non omni gratiæ priventur auxilio; ſed ad eorum oſtium Deus ſtet, certiſque temporibus pulſet, ut januam ſibi per pœnitentiam aperiant.

IV. Idem planè reſpondendum eſt textui ex epiſtola Concilii Carthaginenſis ad Donatiſtas, ubi de Schiſmatico dicitur, quod, *quantumlibet laudabiliter ſe vivere exiſtimet, hoc ſolo ſcelere, quòd a Chriſti unitate disjunctus ſit, non habebit vitam; ſed ira Dei manebit ſuper eum,* niſi ſcilicet Eccleſiæ reſtituatur; ad quod ei non deeſſe gratiæ auxilia, jam ad nauſeam & repetitum, & demonſtratum eſt.

V. Difficultas etiam, quæ movetur ex his verbis epiſtolæ Africanorum Epiſcoporum in Sardinia exulum; *Non itaque gratia omnibus datur, quandoquidem ipſius gratiæ participes eſſe non poſſunt, qui fideles non ſunt,* ſponte vaneſcit, ſi attendamus hic non de qualicunque gratia ſermonem eſſe, ſed de *gratia juſtificationis*; cujus infideles participes non eſſe, certiſſimum eſt: Unde de ea ſic pronuntiant memorati Epiſcopi: *De gratia verè non dignè ſentit, quiſquis eam putat omnibus hominibus dari, cùm non omnium ſit fides,* nec conſequenter juſtificatio, quæ ex hac tanquam ex radice naſci debet.

VI. Idem ſenſus eſt Fulgentii l. 1. de veritate prædeſtinationis, & gratiæ c. 20. *Non ergo putemus, gratiam omnibus hominibus dari; non enim omnium eſt fides.* Si Hexapla addidiſſent hæc, quæ immediatè ſequuntur, *Et quidam Charitatem Dei non recipiunt, ut ſalvi fiant,* patuiſſet primò gratiam, de qua hic agitur, eſſe eam, per quam reddimur Dei amici, & ſalvi ſimus, patuiſſet ſecundò rationem, cur ea non omnibus detur, eſſe, quod aliqui illam non recipiunt, quo manifeſtè innuitur, potuiſſe recipere, adeoque gratiæ auxilium proximè vel remotè ſufficiens eis non defuiſſe; ſed libera eorum malitia repulſum eſſe.

VII. Rectè etiam Gregorius Magnus de Eccleſia pronuntiat: *Iſtud eſt corpus, extra quod non vivificat Spiritus:* qui enim de Eccleſia non eſt per fidem, & obedientiam, is à Spiritu Sancto non vivificatur, ſeu juſtificatur: quod non obſtat, quo minùs accipiat gratiæ auxilium, ope cujus poſſit credere & obedire, & hinc ad ſpiritualem animæ vitam pervenire.

VIII. Conſentimus pariter huic ſententiæ Baſileenſis Concilii: *Extra* Eccleſiam *nulla eſt vera virtus*, id eſt vitæ æternæ meritoria: IX. item iſti S. Auguſtini; Remiſſio peccatorum *non poteſt dari niſi in illa Eccleſia, quæ Spiritum Sanctum habeat*; poteſt tamen dari gratiæ auxilium, quo ad juſtificationem homo ſaltem remotè diſponatur: Neque enim Auguſtinus remiſſionem peccatorum confundit cum gratia, ut facit Queſnellus. X. Et hæ ſunt authoritates, quæ veritati Catholicæ opponuntur; quas cùm errori ſuo minimè prodeſſe ipſi Adverſarii ſentiant, tabulam in naufragio arripiunt, queruntur que *Moralem* Queſnelli *Obſervationem* ejuſmodi parte truncatam eſſe, quæ ſi in Conſtitutione expreſſa fuiſſet, appareret, partem alteram, quæ cenſurâ notata eſt, maximè eſſe innocuam: XI. tota autem Propoſitio ſic habet. *Eccleſia eſt domus ſalutis: extra eam nulla conceditur gratia, nulla ſanatio, nulla vita.* Hic, inquit Queſnellus in *Animadverſionibus* Conſtitutioni oppoſitis, perſpicuum eſt agi de gratia vitæ, ſanitatis & ſalutis: XII. nobis verò & quibaſcunque placuerit propria, & obvia loquendi ratio, contrarium apparet evidenter, negari hic ſcilicet quamcunque gratiam tam actualem, quam habitualem. Species, quæ hic ſeorſim negantur, probant quidem, Queſnellum conſequenter loqui, cùm ex negatione generis, ſequatur negatio ſpeciei; ſed non efficiunt, ut per eas determinetur ratio gratiæ genericè expreſſæ. Si verò gratia à nullis ipſius Propoſitionis circumſtantiis trahatur ad certam ſpeciem, multò minùs eò detorquebitur à circumſtantia Scriptoris de Hæreſi ſuſpecti, & quem peſſimè ſemper habuit, confixum eſſe ab Alexandro Octavo hunc Magiſtri, Abbatis, & Contubernalis ſui Arnaldi errorem *Pagani, Judæi, Hæretici, &c.* Vide c. 3. n. 7. & Propoſ. 28. cap. 9. num. 7.

XIII. Reſponſio data, manifeſta fit in exemplo. Si quis Author in pluribus Novatoriens ſcripſiſſet: *Nullum in juſtificatis remanet debitum, nulla culpa, nulla mors æterna, nulla damnatio,* nonne prima pars excerpi poſſet ad cenſuram, & proſcribi veluti contraria Tridentino ſeſſ. 6. c. 30.? Et nonne Author ridiculum ſe præberet, dicendo, primum membrum hic intelligendum eſſe, quaſi non omne prorſus debitum neget, ſed ſolummodo æternum, & damnationem inferens? Applicatio facilis eſt.

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT VI.

Præcluditur Adverſariis ultima evadendi via, quæ eſt de libertate ſinè gratia. col. 543.

I. EX quatuor ultimis Queſnelli Propoſitionibus habemus, nulli peccatori, ſeu fideli, ſeu infideli; ſive intra, ſive extra Eccleſiam conſtituto obvenire gratiam, quamdiu talis eſt. Si ergo Adverſarios interroges, quomodo Deus tali peccatori imponat præcepta, quæ impleri ſinè gratia non poſſunt, eorumque omiſſionem imputet ad novum demeritum, & ſupplicium; Reſpondent, liberum arbitrium eſſe in natura: iſtud ad peccandum ſufficere. At contra, teſte S. Auguſtino, *Quis peccet in eo, quod vitari non poteſt?* Peccatum autem vitari non poteſt, adeoque nec præceptum illud vetans impleri ſinè gratia, præſertim in gravioribus tentationibus: Unde Queſnellus Prop. 2. aſſerit, gratiam efficacem neceſſariam eſſe ad omne opus bonum: abſque illa non ſolùm nihil fieri ſed nec fieri poſſe; ubi ſaltèm non errat, in quantum negat, opus bonum, vires naturæ excedens, fieri poſſe ſinè gratia.

II. Inſtant cum Janſenio l. 3. de gratia Chriſti c. 15. *Conſtat, peccata à non habentibus gratiam ſufficientem poſſe vitari .... illa remotiore poteſtate, qua poſſunt ea vitare, ſi voluerint.* III. Reſpondeo cum Cardinale de Aguirre, illam remotam Janſenii poteſtatem nè à juratis quidem Eccleſiæ Catholicæ, & liberi arbitrii hoſtibus negari. Eſt ea ſcilicet, qua, juxta Chamierum, omnes facti ſunt muſicæ capaces, etiam muti; vel qualis in nobis eſt *tranſvolandi Caucaſum*, inquit Melanchton. Nihil hic nos imponere Janſenio, patet ex l. 2. de gratia Chriſti c. 1. Vide Prop. 2. c. 7. n. 27. IV. Ad illud, quod ait, poſſe hominem abſque ſufficiente gratia peccata *vitare ſi voluerit*, quærimus ex eo ejuſque ſectatoribus, poſſitne homo ſinè gratia *velle vitare peccata*? Non, inquiunt; ſed poſſunt vitare ſi voluerint: Sic poteſt Deus ſe ipſum deſtruere, ſi voluerit. Et quod tandem hoc miſeris peccatoribus, omni gratia deſtitutis, ſolatium eſt, poſſe converti ſub conditione impoſſibili? V. Frivolâ hac evaſione, ante Janſenium ejuſve diſcipulos, Lutherus, & ante utroſque uſi ſunt Vvickleffitæ, egregiè hic à Vvaldenſi exagitati. VI. Nec dicent Adverſarii, poteſtatem illam vitandi peccatum non eſſe adeò remotam, nec impoſſibilem; cùm Deo liberrimum ſit, gratiam ad illud vitandum efficacem cuilibet prorſus, etiam peccatori, impertiri: Reſpondeo enim, poteſtatem illam Dei liberrimam, nihil libertatis concedere ipſi peccatori; cùm gratiâ deſtitutus, efficere non poſſit, ut illa Dei poteſtas in actum exeat. Talis igitur erit in peccatore poteſtas implendi præcepta, qualis ferè eſt in me volandi; quia Deus inſtruere me poteſt alis, licèt ego interim efficere nunquam poſſim, ut eas concedat.

VII. Ante annum 70. Superioris ſeculi poteſtas illa remota ed actus ſupernaturales ſinè gratia, non vocabatur *libertas* in Scholis Catholicis, donec Lovanii quidam Doctor cæteris audentior, repudiata communi, & Ariſtotelica libertatis definitione, anno 1679. in *Compendio Theologica*, Romæ damnato, & nunquam à damnatione abſoluto (quidquid contra garriat Queſnellus in Pſeudonyma *defenſione Eccleſiæ, & Summ. Pontificum*) novitatem paulò ante in Schola traditam, vulgavit typis pag 24. ſic ſcribens *Neque tamen eſt, quod ſinè gratia ſufficiente adulti non eſſent liberi ad ſupernaturalium præceptorum adimpletionem.* VIII. Hic prætenſus Auguſtini diſcipulus ab ipſo Auguſtino plurimis locis refellitur, ex quibus hæc duo producimus: *Non poteſt captiva voluntas, niſi Dei gratia, reſpirare in ſalubrem libertatem*: Item, *Gratia efficit, ut non tantùm velimus rectè facere, ſed etiam poſſimus*: Unde, & Richardus à S. Victore. *Siquando, inquit, ſubtrahitur gratia, ſimul perit, & potentia.*

IX. Lovanienſis Doctor reponit primò illud Auguſtini l. de præd. Sanct. c. 5. *Poſſe habere fidem, ſicut poſſe habere charitatem, naturæ eſt hominum.* R. *Poſſe* hic non ſumi à S. Antiſtite pro potentia libera & expedita, ſed pro capacitate vel aptitudine ſubjecti: Ait ſcilicet, nos in hoc à pecoribus diſcerni, quod illa non ſint ſubjecta capacia Fidei, Spei, & Charitatis, nos autem ſimus, & quidem ex naturæ noſtræ ſupra beſtias prærogativa. Porrò aliud eſt ſubjectum fidei capax, aliud hic, & nunc liberum ad credendum: ut patet in dormientibus, in infantibus, & amentibus, ad credendum minimè liberis, licèt horum natura fidei capax ſit.

X. Reponit ſecundò: Homo ſinè gratia poteſt credere, ſed non poteſt credere ſinè gratia: ſicut oculus in tenebris, cætera bene diſpoſitus, habet potentiam videndi, etſi non poſſit videre in tenebris. R. diſparitatem eſſe, quod lumen non perficiat potentiam, ſeu bonam diſpoſitionem oculi in ordine ad viſionem; è contrario gratia elevat, & perficit potentiam, & diſpoſitionem animæ in ordine ad actum ſupernaturalem: XII. ut enim rectiſſimè obſervat Thomas de Lemos, Author Adverſariis non recuſandus: *Non eſt in homine ex ſe potentia ad actus ſupernaturales; quia illa potentia, radicalis ſolùm eſt in homine, ut poſſit elevari per dona gratiæ: quæ potentia radicalis, proinde capacitas eſt; quia capacitatem habet, ut poſſit elevari. Quæ capacitas non eſt in arbore, equo, vel lapide.* XIII. Falſum igitur eſt, quòd homo ſinè gratia poſſit credere, & ſæpiùs redarguitur ab ipſo Chriſto dicente, *ſinè me nihil poteſtis facere.*

Compendio inſtauratur oppugnatio quatuor Superiorum Propoſitionum.

CAPUT UNICUM.

Demonſtratur, eas effugere non poſſe ſenſum rigidum, obvium & meritò damnatum. col. 549.

I. NOn terreamur clamoribus Janſeniſtarum judices ſuos vel malevolentiæ, vel ignorantiæ accuſantium. Hæ præſtigiæ jam hæreticorum uſu tritæ ſunt, ut oſtendit Franciſcus Simonis *de fraudibus hæreticorum*, p. 2. & 3. II. Senſus Propoſitionum quatuor, quas ultimò impugnavimus, ut ſingularum veneno plenus eſt, ita conjunctarum majorem Catholicis horrorem incutit. Lubet, quæ contra illas ſparſim diſputata ſunt, paucis colligere. III. Prop. 26. *Nullæ dantur gratiæ, niſi per fidem.* Prop. 27. *Fides eſt prima gratia, & fons omnium aliarum.* Utriuſque ſenſus planus, & ab Authore intentus eſt, nulla dari gratiæ auxilia Paganis, Judæis, Gentilibus, quamdiu tales ſunt. In cæteris verò, qui convertuntur, nullam penitùs gratiam fidem præceſſiſſe. IV. Senſus ille ſacrâ omnis generis authoritate ſupra impetitus eſt.

V. Supereſt quæſtio, an Author fidem intellexerit perfectam & explicitam Chriſti, an aliquam ſolummodo, qualis eſſe poſſet unius Dei abſque explicita Mediatoris. Reſpondet Queſnellus ſe abſtrahere à perfecta & imperfecta: nos quoque non reſtringimus ad unam fidei ſpeciem. VI. Si tamen binæ illæ Propoſitiones annectantur huic vigeſimæoctavæ: *Prima gratia, quam Deus concedit peccatori, eſt peccatorum remiſſio*; cùm prima gratia ſit ſimul fides, & remiſſio, neceſſe eſt, à Queſnello talem fidem intelligi, quæ ad juſtificationem ſufficiat; hanc autem neſcio an unquam admiſerit dari modò poſſe ſinè fide explicita Redemptoris. Verùm æquitas Apoſtolicæ cenſuræ, contra ac putant Adverſarii, ſatis ſubſiſtit; licèt hic per fidem intelligatur tantummodo imperfecta ſolius Dei, abſque explicita Mediatoris. Perſpicuè enim ſingulæ Propoſitiones 26. & 27. continent errorem ab Alexandro Octavo damnatum *Pagani, Judæi, Hæretici*, &c. unde emergit præceptorum omnium ſupernaturalium impoſſibilis obſervatio, innumerabilium peccatorum neceſſitas, & hujus cum demerito damnata in Janſenio compoſitio. VII. Sequitur præterea, nullius, qui nunquam convertitur, Infidelis ſalutem à Deo ſeriò volitam, niſi in Adamo, &c. Item eos, qui convertuntur, non liberè credere; cujus enim motus primæ gratiæ liber eſt?

VIII. Propoſitionis vigeſimæoctavæ: *Prima gratia, quam Deus concedit peccatori, eſt peccatorum remiſſio* ſenſus etiam per ſe planus eſt, qualem eum ſuo loco exhibuimus: Reclamat quidem Queſnelli vindex, ſed alium ſenſum non ſubſtituit; nec ſaltèm reſtringit gratiam ad habitualem ſanctificantem: quod adeò mirum non eſt, cùm Janſeniſtæ paſſim gratiæ ſimpliciter expreſſæ nomine habitum non intelligant; imò, ut Bajus, quaſi de non agnitis ſupernaturalibus, & infuſis habitibus accuſatus ſubinde

de fuit, ita & de hoc ſuſpecta eſt Novatorum Eccleſia.

IX. Ex Propoſitione vigeſimaoctava obvio & germano ſenſu accepta ſequitur, non tantùm Paganis, Judæis, & Hæreticis, ſed peccatoribus omnibus, quamdiu non convertuntur, voluntatem eſſe nudam, & inermem abſque omni gratia ſufficiente, præcepta omnia ſupernaturalia eſſe ſervatu impoſſibilia, &c. X. Senſum autem Propoſitionis obvium eſſe ab Authore intentum, confirmatur ex Propoſitionibus aliis. Nam per Propoſitionem vigeſimamquintā. *Deus animam* peccatoris *ſanat, adeoque juſtificat ſola ſua voluntate: jubet, & ipſi obtemperatur ſinè ulla* præparatione per actus, vel gratias ad pœnitentiam diſponentes. Hinc emicat nativus ſenſus hujus: *Prima gratia, quam Deus concedit peccatori, eſt peccatorum remiſſio.* XI. Suffragatur Queſnelliana 44. *Non ſunt niſi duo amores, unde volitiones, & actiones omnes noſtra naſcuntur: Amor Dei, qui omnia agit propter Deum, quemque Deus remuneratur; & amor, quo nos ipſos, ac mundum diligimus, qui quod ad Deum referendum eſt, non refert, & propter hoc ipſum fit malus.*

Hinc iſtiuſmodi fit argumentum: omnis gratia, adeoque, & prima, quæ peccatori conceditur, Queſnello eſt efficax; gratia non efficit, niſi actum bonum; actus non eſt bonus juxta 44. niſi ſit amor Dei, qui omnia agit propter Deum, quemque Deus remuneratur: talis amor eſt Dei ſuper omnia, qui proinde juſtificat: ergo prima gratia, quæ peccatori conceditur, juſtificat, ſive eſt remiſſio peccatorum. Hinc ſequitur contra Tridentinum ſeſſ. 6. c. 6. converſionis initium duci non poſſe ab actibus fidei, timoris, ſpei, &c. Hi enim actus, vel imperantur ab amore Dei jam dicto, vel non Si primùm, jam ſunt ipſa converſio; ſi ſecundùm, Queſnello ſunt mali, adeoque nec ex gratia ſunt, nec ad converſionem diſponunt.

XII. Queſnellianæ 44. conſonat hæc Janſeniſtarum ſeptima inter 31. damnatas ab Alexandro Octavo: *Omnis humana actio deliberata, eſt Dei dilectio, vel mundi: Si Dei, Charitas eſt Patris; ſi mundi, concupiſcentia carnis; hoc eſt, mala eſt:* neceſſe igitur eſt, *primam gratiam producere Charitatem Patris.* Atqui *Charitas operit multitudinem peccatorum,* & *Ego*, inquit Deus, *diligentes me diligo.* Ergo iterum prima gratia, quæ peccatori conceditur, eſt peccatorum remiſſio. Hic error originem partim duxit à Bajo.

XIII. Articulo Queſnelli 44. cohæret 45. *Amore Dei in corde peccatorum non ampliùs regnante, neceſſe eſt, ut in eo regnet carnalis cupiditas, omneſque actiones ejus corrumpat:* unde ſequitur, in peccatoribus actiones omnes, amore Dei, *qui omnia agit propter Deum, quemque Deus remuneratur*, anteriores, eſſe peccata, ſive eæ ad mores pertineant, ſive ad Fidem, & Spem. Fides igitur, quam Charitas non imbuit, nec imperat, juxta Queſnellum, vitioſa eſt, atque ita nec Divina, nec ex gratia: Ergo omnis fides ſupernaturalis juſtificabit; & cum in peccatore ſit prima gratia, erit etiam in eo peccatorum remiſſio. Huc revocantur proſcriptæ ab Alex. Octavo 11 & 12. inter 31.

XIV. Differt tamen ea fides à Lutherana, quòd hæc ſit mera fiducia de remiſſione nobis per Chriſtum indulta: nulla verò Queſnello fides ſit, niſi vel ſimul ſit Charitas, vel ab hac imperetur.

XV. Si *non ſunt niſi duo amores*, &c. Ergo *extra Eccleſiam nulla conceditur gratia*: Etenim ad quem ſem? An ad *amorem Dei, qui omnia agit propter Deum?* At, cum omnis gratia apud Queſnellum ſit efficax, jam ope talis gratiæ eſſet quodammodo de Eccleſia ratione baptiſmi in voto, qui in amore Dei continetur. Ad alium autem actum dari gratia extra Eccleſiam non poteſt, utpote vitioſum per quadrageſimamquintam, cui conſentiunt Authores, & Fautores ſeptimæ inter 31. ab Alexandro Octavo damnatas.

XVI. Ex hactenus deductis liquet, doctrinam Queſnelli monſtrum quidem eſſe; ſed cujus partes utcunque inter ſe cohærent.

TRIGESIMA PROPOSITIO DAMNATA.

Omnes, quos Deus vult ſalvare per Chriſtum, ſalvantur infallibiliter. *Obſerv. Moral. Joan. 6. verſ. 40.*

CAPUT I.

Propoſitio repugnat Scripturis Sacris. col. 555.

I. SOli electi ſalvantur infallibiliter; ergo juxta Queſnellum, eos ſolos vult Deus ſalvare per Chriſtum, hoc eſt, per Chriſti merita, & gratiam. Qui verò non ſalvantur, ſalvare eos per Chriſtum non voluit, neque voluit Chriſtus, cujus voluntas Divina paternæ identificatur; humana verò ſemper conformis eſt.

Hoc eſt ergo Queſnelli, & Janſenii ſyſtema. Voluit Deus omnes homines in Adamo ante lapſum ſalvare, uti & omnes Angelos ante rebellionem, & propterea tam Adamo, quam Angelis ante peccatum præſtita ſunt auxilia gratiæ verè ſufficientia, quibus in bono perſeverarent, ſi vellent; & quibus etiam gaviſi fuiſſent poſteri, ſi Adam non peccaſſet: At, eo lapſo, omne auxilium merè ſufficiens ſublatum eſt humano generi, pauci ad ſalutem electi, quibus ſolis Chriſtus ſalvator datus eſt; cæteris in damnatione, cujus omnes per Adæ culpam facti ſunt rei, abſque ullo ad ſalutem auxilio ſufficiente derelictis: Prædeſtinatis autem præſtantur gratiæ efficaces, quibus nec reſiſtere poſſunt, nec liberè obtemperant.

II. Pro hujus hæreſis confirmatione allegatur Joannis Evangelium c. 6. verſ. 40. *Hæc eſt autem voluntas Patris mei, qui miſit me, ut omnis, qui videt filium, & credit in eum* (non merè ſpeculativè, ſed practicè, ei obediendo uſque in finem) *habeat vitam æternam; & ego reſuſcitabo eum in noviſſimo die:* Quæ voluntas, ut patet, efficax eſt, & conſequens hominum merita, ac perſeverantiam rejectâ Lutheri interpretatione de ſola fide ſinè operibus ad ſalutem ſufficiente; & Calvini de juſtitia perdi neſcia. Porrò per hanc voluntatem conſequentem non excluditur alia antecedens prævlſionem mortis reproborum in peccato, eiſque ſic conſideratis media per Chriſtum ad ſalutem ſufficientia præparans, quæ quo minùs ſingulis applicentur, nullum obſtat Dei decretum; ſed in utentibus ratione, libertas propria, in cæteris, vel aliena, vel curſus naturæ. Hæc igitur Dei erga omnium ſalutem voluntas, cui humana Chriſti conſentit, complectitur modum omnes per Chriſtum ſalvendi. Hanc, ejuſque effectus clariſſimè demonſtrant ſcripturæ.

III. Rom. 5. verſ. 18. *Sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem* pertranſiit Adami culpa: *Sic, & per unius juſtitiam, in omnes homines* (& ſingulos, ut indicat comparatio) *in juſtificationem vitæ*, etiam æternæ, pertranſit beneficium mortis Chriſti, quantum eſt ex parte Dei volentis illud in omnes diffundi, modò ipſi rationis capaces ſuſcipere voluerint; quod plurimi recuſant.

IV. Rom. 8. verſ. 32. *Qui etiam proprio filio ſuo non pepercit; ſed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non etiam cum illo omnia* (neceſſaria ſalutis media, ſed plurimorum culpa inefficacia, ut interpretatur à Lapide) *nobis donavit?*

V. Rom. 14. verſ. 15. *Noli cibo tuo illum perdere, pro quo* (*id eſt, pro cujus ſalute*, ait S. Th.) *Chriſtus mortuus eſt.*

1. Cor. 8. verſ. 11. *Peribit in tua ſcientia frater, propter quem* (*ſalvandum*, ait rurſum S. Thomas) *Chriſtus mortuus eſt?* Perit ergo aliquis, pro quo ſalvando Chriſtus mortuus eſt, & quem Deus per Chriſtum ſalvare voluit. VI. Ex eodem Apoſtoli loco ſic colligit Malderus Lovanienſis Doctor, & Epiſcopus Antverpienſis in Antiſynodicis c. 7. n. 8. *Nullus electus perit; aliquis propter quem Chriſtus mortuus eſt, perit. Ergo aliquis, propter quem mortuus eſt Chriſtus, non eſt electus;* adeoque non ſalvabitur, etſi Deus ipſum per Chriſtum ſalvare voluerit.

2. Cor. 5. verſ. 14. & 15. ex eo, quod *unus* Chriſtus *pro omnibus mortuus eſt*, infertur: *Ergo omnes mortui ſunt:* Si autem pro ſolis electis mortuus eſſet Chriſtus, ut vult dogma proſcriptum, jam illatio Apoſtoli foret inepta, utpote univerſalis ex particulari antecedente. Ibidem Chriſtus pro omnibus mortuus dicitur, *ut, & qui* per mortem ejus *vivunt, jam non ſibi vivant; ſed ei, qui pro ipſis mortuus eſt, & reſurrexit;* ſive interprete S. Thoma, *ut totam vitam ſuam ordinent ad ſervitium, & honorem Chriſti*, atque ita ſalventur; quod tamen non ſemper fieri, ſicque nec Deum per Chriſtum in omnibus ſuum intentum conſequi, in comperto eſt.

Digitized by Google

VII, VIII. 1. Tim.2. v.1. *Obſecro ... omnium fieri ... orationes ... pro omnibus hominibus*, utique, ut ſalventur. Verſ.3. & ſeqq. *Hoc enim bonum eſt, & acceptum coram Salvatore noſtro Deo, qui omnes homines vult ſalvos fieri*, nempe, ut exponit S. Thomas, *non tantùm voluntate ſigni*, quâ Deus *omnibus propoſuit ſalutis præcepta, conſilia, & remedia*; ſed etiam *voluntate beneplaciti*, & *ſecundùm Damaſcenum* .... [cujus ſententiam adoptat] *antecedente ... Sic*, ut in Deo *ſalus omnium hominum in ſe conſiderato* habeat *rationem*, *ut ſit volibilis*, IX. etiam poſt prævisionem peccati Adami: nam cum Apoſtolo probat, Deum velle ſalvare omnes homines voluntate antecedente; *quia JESUS Chriſtus dedit redemptionem ſemetipſum pro omnibus*, & quia eſt *mediator Dei, & hominum*; ſolicitè addens *non quorumdam, ſed inter Deum, & omnes homines; & hoc non fuiſſet, niſi voluiſſet omnes ſalvare*. Pro quo

Nota: licèt juxta aliquos Theologos Chriſtus ante prævisum Adami lapſum decretus ſit; non tamen quatenus *Redemptor*, & *Mediator*, ut per ſe patet; cùm hi termini ſupponant neceſſariò *captivos*, aut *reos*. Igitur voluntas ſalvandi omnes homines Sancto Thomæ *antecedens* dicitur, quia prior eſt prævisione mortis reproborum in peccato; ſicuti è contrario *conſequens* ab eo nuncupatur ea, quæ eamdem prævisionem conſequitur, cùm ſit, ut *peccata puniantur*, & qua conſequenter Deus *non vult* omnes ſalvare.

Et ſic confutavimus putidum Janſeniſtarum commentum, quaſi Damaſcenus, & Angelicus aſſerant, Deum velle ſalvare omnes homines ſolâ voluntate ſigni, & antecedente tantummodo prævisionem peccati Adami. Utrique Sancto Doctori conſentit Bonaventura in 4. diſt.46. q. 1. a. 1 *Deus voluntate beneplaciti vult omnes ſalvos fieri voluntate antecedente*.

X. Primæ Joan. 2. v. 2. *Ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris: non pro noſtris autem tantùm; ſed etiam pro totius mundi*, nullo excepto, quantùm in ipſo fuit; & conſequenter non pro ſolis infallibiliter ſalvandis. Ita explicat A Lapide ex Clemente Alexandrino.

XI. Heb.2. verſ. 9. *Videmus JESUM propter paſſionem mortis gloria, & honore coronatum, ut gratia Dei pro omnibus guſtaret mortem*: ſcilicet *abſolutè pro omnibus, quantùm ad ſufficientiam*, inquit S. Thomas; *ſufficiens enim quantùm ad ſe omnibus eſt ... qui eſt Salvator omnium hominum, maximè autem fidelium*. Chryſoſtomus: *Pro omnibus hominibus generaliter mortuus eſt; quia omnibus pretium ſufficit: &, ſi omnes non credunt, ipſe tamen, quod ſuum eſt, implevit*; non impleviſſet autem, nec guſtaſſet ſufficienter mortem pro omnibus, niſi etiam pro redemptione, & ſalute omnium mortis ſuæ pretium obtuliſſet.

XII. 1. Tim.4. verſ.10. *Speramus in Deum vivum, qui eſt Salvator omnium hominum, maximè fidelium*. Hinc probat Author de voc. gent. l. 2. c. 31 *non ſolùm in noviſſimis diebus; ſed etiam in cunctis retro ſeculis ... gratiam Dei omnibus hominibus adfuiſſe ... Dicendo enim, QUI EST SALVATOR OMNIUM HOMINUM confirmavit bonitatem ſuper univerſos homines eſſe generalem*. Conſentiunt Theophylactus, & Anſelmus, ex quibus addit A Lapide, ideo dici Salvatorem *maximè fidelium*; quia hiſce fidem, ſpem, gratiam, majora, & proxima ſalutis adjumenta actu contulit, hoſque præ aliis curat.

XIII. 2. Pet. 3. v.9. dicitur Deus *nolens aliquos perire; ſed omnes ad pœnitentiam reverti*, per Chriſtum utique, & voluntate conſequente lapſum Adami; ante illum enim à quo peccato reverti poterant? *Pœnitentia* etiam ſupponit peccata perſonalia; & ex 31. inter Propoſit. damnatas ab Alex. Octavo hæc eſt decimanona: *Homo debet agere tota vita pœnitentiam pro peccato originali*. XIV. Dicta hactenus confirmantur ex Ezechiele, XV. & Matthæo.

CAPUT II.

Propoſitio trigeſima repugnat profeſſionibus Fidei Catholicæ ab Eccleſia ſtabilitis. col. 561.

I. SYmbolo Magni Concilii Niceni primi, cujus poſt Scripturas Sacras præcipua eſt in Eccleſia authoritas, jubemur ita credere, & profiteri de JESU Chriſto: *Qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit, & incarnatus eſt; & homo factus, paſſus eſt, & reſurrexit*. *Omnes prorſus fideles*, inquit Cardinalis Aguirre diſp. 126. ſect. 3. *tenentur uti formula illa credendi in JESUM Chriſtum .... Si* autem *reſtringitur Incarnatio, paſſio, & reſurrectio Chriſti, vel ad ſolos prædeſtinatos, vel ad ſolos fideles, ita ut ex vi meritorum ipſius cæteris hominibus præſidia ad ſalutem neceſſaria ne quidem oblata, aut parata fuerint ... cæteri, ſeu fideles, ſeu infideles non poſſent certò, & catholicè eam formulam proferre; imò nec ipſi prædeſtinati, qui neſciunt ſe eſſe prædeſtinatos*; II. nec ſcire poſſunt certitudine fidei citra ſpecialem revelationem, ut contra Calviniſtas à Tridentino definitum eſt: Hanc autem ſibi arrogaturos non puto Janſenianos Sacerdotes, qui ſub ſacrificium Miſſæ hanc publicam fidei profeſſionem, quæ certiſſima eſſe debet, audent emittere: *Qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de cœlis &c.* cùm interim pro ſolorum ſalute electorum Chriſtum Patri ſua merita obtuliſſe mordicus ſuſtineant. Si Titius lytrum obtuliſſet, centum quidem mancipiorum redemptioni ſufficiens; at ex centum non voluiſſet redimere niſi decem, cæteris in ſervitute relictis; certè non dicerent omnes centum: Titius propter nos mancipia, & propter noſtram redemptionem venit, lytrum ſoluturus; ſed propter aliquos è nobis electos. III. In Symbolo, vulgò Sancti Athanaſii, quòd ab univerſa recitatur Eccleſia, confitemur de Chriſto, *Qui paſſus eſt pro ſalute noſtra*, quod verum non eſt, niſi illic etiam confitentis ſalus comprehendatur.

IV. Alexander Septimus Bullâ *Regiminis Apoſtolici* contra Janſenii hæreſim in Galliis præcipuè graſſantem anno 1664. 15. Kalendas Martias conſtituit *omnibus Eccleſiaſticis* hanc fidei profeſſionem, & juramenti formulam ſubſcribendam: *Ego N. Conſtitutioni Apoſtolicæ Innocentii Decimi datæ die 31. Maji 1653., & Conſtitutioni Alexandri Septimi datæ 17. Octobris 1656. Summorum Pontificum me ſubjicio, & quinque Propoſitiones ex Cornelii Janſenii libro, cui nomen AUGUSTINUS, excerptas, & in ſenſu ab eodem Authore intento, prout illas per dictas Conſtitutiones Sedes Apoſtolica damnavit, ſincero animo rejicio, ac damno, & ita juro. Sic me Deus adjuvet, & hæc ſancta Dei Evangelia*. V. In Conſtitutionibus autem, quæ illic juratâ ſubſcriptione admitti jubentur, hæc damnatur Janſenii Propoſitio quinta: SEMIPELAGIANUM EST DICERE, CHRISTUM PRO OMNIBUS OMNINO HOMINIBUS MORTUUM ESSE, AUT SANGUINEM FUDISSE: *Hanc*, inquiunt Innoc. Decimus, & Alex. Septimus, *falſam, temerariam, ſcandaloſam, & intellectam eo ſenſu, ut Chriſtus pro ſalute dumtaxat prædeſtinatorum mortuus ſit, impiam, blaſphemam, contumelioſam, Divinæ pietati derogantem, & hæreticam declaramus, & uti talem damnamus*: Atqui trigeſima Queſnelli Propoſitio: *Omnes, quos Deus vult ſalvare per Chriſtum, ſalvantur infallibiliter*, continet hanc: *Chriſtus pro ſalute dumtaxat prædeſtinatorum mortuus eſt*. Vide c.1. num. 1. Ergo etiam eſt impia, blaſphema &c.

At, inquiunt Queſnellus, & Janſeniſtæ reliqui, nos cum Janſenio, licèt dicamus Chriſtum pro ſolorum electorum ſalute mortuum eſſe; tamen admittimus, præterea mortuum eſſe pro juſtitiâ temporanea juſtorum non perſeverantium, & ſic contradicimus huic *Chriſtus pro ſalute dumtaxat prædeſtinatorum mortuus eſt*. XII.... XIV. Reſpondeo hanc Propoſitionem, ut in formula Alexandrina expreſsè dicitur, damnatam eſſe in ſenſu ab Authore, ſeu libro ejus intento: Atqui omnes tam Janſeniani, quam Catholici fatentur, libri Janſenii ſenſum circa quintam Propoſitionem eſſe, quòd Chriſtus pro nullius reprobi, ſed ſolorum prædeſtinatorum ſalute mortuus ſit; etſi aliquibus reprobis fidem, & juſtitiam temporaneam promeruerit: ergo hæc damnata *Chriſtus pro ſalute dumtaxat prædeſtinatorum mortuus eſt*, ſignificat Chriſtum pro ſolorum prædeſtinatorum ſalute mortuum eſſe, & ſic trigeſima Queſnelliana tradit ſenſum à Summis Pontificibus damnatum, & profeſſione fidei ejurandum. VI, VII. Alia, quæ ſoliditatem reſponſi confirmant, vide citatis numeris. VIII, IX. Ad hanc Alexandrinam formulam Janſenianis diu hæſit aqua, nec jurare palam

Digitized by Google

palàm auſis, nec Janſenii ſenſui, quem deperiebant, renuntiare volentibus; donec iis animos fecit peſtifer Queſnelli liber Gallicè editus hoc mendaci titulo: *Defenſa Romanæ Eccleſiæ, & Summorum Pontificum*, cujus unicus ſcopus eſt, ſuos edocere modum jurandi verbis formulæ Alexandrinæ, & ſimul retinendi in quinque Propoſitionibus ſenſum Janſenii; X. ſed & hic nequiſſimæ aſtutiæ nervos præcidit Apoſtolica Sedes, non ſolùm mendaciſſimi libri prohibitione, & condemnando reſolutionem Queſnelli, & 40. Doctorum circa *famoſum caſum conſcientiæ*; ſed ſuper omnia efficaciſſima Conſtitutione *Vineam Domini Sabaoth*.

CAPUT III.

Eadem Propoſitio contraria eſt doctrinæ Concilii Arelatenſis. col. 569.

I, II. EPiſtolæ Fauſti ad Lucidum ſubſcripſere 11. Epiſcopi (*pleroſque illorum relatos fuiſſe in numerum Sanctorum obſervat Baronius*, inquit Cardinalis Aguirre) ex quibus compoſitum erat Concilium Arelatenſe tertium, omniaque epiſtolæ anathemata tanquam totidem fidei canones probavêre; Inter quæ ad rem noſtram faciunt hæc duo: *Anathema illi, qui dixerit, illum, qui periit, non accepiſſe, ut ſalvus eſſe poſſet*. Item *Anathema illi, qui dixerit, quòd Chriſtus non pro omnibus mortuus ſit, nec omnes homines ſalvos eſſe velit*. Ergo trigeſima Queſnelli Propoſitio adverſatur Concilio Arelatenſi.

III, VIII. Ne verò Janſeniani objiciant, Fauſtum illum fuiſſe Pelagianum; Reſpondemus iis, quòd olim Malderus Antverpienſis Epiſcopus Calvinianis: *Neque noſtra id refert, qualis aliquando fuerit iſte Fauſtus; nitimur non authoritate ipſius; ſed Concilii Arelatenſis, quod magno conſenſu illam Fauſti epiſtolam, ſuam fecit*.

Lucidus deinde, cùm reſipuiſſet, in epiſtola ad Epiſcopos in Lugdunenſi Synodo congregatos ita confitetur: *Juxta prædicanda recentia ſtatuta Concilii damno vobiſcum ſenſum illum... quòd Chriſtus, & Salvator noſter mortem non pro omnium ſalute ſuſceperit*. Fauſti Epiſtolam Cardinalis Baronius verè *Catholicam*, V. Severinus Binius *ſubſcriptione Epiſcoporum approbatam*, VI. utraſque tam Fauſti, quàm Lucidi, Joannes Maria Braſichellani Sacri Palatii Magiſter *ſanas, atque Catholicas* pronuntiarunt.

IV. Antonius quoque Poſſevinus, etſi Fauſtum *reliquiis Pelagianorum* adſcribat; *tamen*, inquit, *epiſtola Fauſti ad Lucidum cum ejus anathematiſmis comprobata eſt catholica ab undecim Epiſcopis Arelatenſis Concilii*. Didacus Alvarez quoque ex Ordine S. Dominici eum Cardinale Baronio eam appellat *verè catholicam, & ab Epiſcopis Concilii Arelatenſis probatam, & ſubſcriptione munitam*. VII. *Quid eſt igitur*, inquit Stephanus De Champs, *quòd* Janſenius Arelatenſis *hujus Concilii, quo uno præcipua novi dogmatis placita ſubruuntur, ne mentionem quidem fecerit. Una hæc proferri ratio poteſt, quam ego veriſſimam puto: Nimirum iis de rebus ea tantùm ſcripſit, quæ apud Calviniſtas legerat; in quorum libris cùm nihil prorſus oſtenderet ad Concilii Arelatenſis authoritatem labefactandam, de iſto ſilere coactus eſt*.

VIII. Profeſſionem quoque Lucidi Presbyteri, ait Baronius, quadrare iis, *quæ* ab *Epiſcopis* in Lugdunenſi *Synodo definita* fuerant. IX. De eodem ita Card. Aguirre.
„ Idem Lucidus in profeſſione fidei ſuæ fatetur, ſe olim
„ erraſſe, idque corrigit dicens: *Memini, me aliàs dixiſſe,*
„ *quòd Chriſtus pro iis tantùm, quos credituros præſcivit,*
„ *adveniſſet &c. Nunc verò.... libens fateor, Chriſtum*
„ *etiam pro perditis adveniſſe, quia eodem nolente perierunt.*
„ Porrò Epiſcopi in eodem Concilio congregati fuerunt
„ numero triginta „

CAPUT IV.

Eadem Propoſitio damnata eſt in Moguntina Synodo. col. 572.

I, II. GOtheſcalcus III. *habitu Monachus*, inquit Flodoardus, *mente ferinus, quietis impatiens*; in Moguntino Concilio, cui præerat Rabanus Maurus Archiepiſcopus Moguntinus, damnatus eſt: teſte Hincmaro Archiepiſcopo Remenſi, *ab omnibus Germaniæ Epiſcopis*, quorum cum ſumma eruditionis, & pietatis laude meminere Scriptores celebres Trithemius, IV, V. Sixtus Senenſis, Paulus Vvindeckius, S. Odilo Abbas Cluniacenſis, & Baronius.

VI. Damnatam à Moguntinâ Synodo Gotheſcalci hæreſim, quantùm ad præſens inſtitutum attinet, ita refert Didacus Alvarez: *Circa annum octingenteſimum quinquageſimum alii hæretici Gotheſcalcani, Lutheranæ, atque Calvinianæ hæreſi viam aperuerunt.... Secundò aſſeruit Gotheſcalcus, quòd Chriſtus non venit; ut omnes ſalvaret, nec paſſus eſt pro omnibus, niſi ſolummodo pro his, qui paſſionis ejus ſalvantur myſterio. Et intelligit, quantùm ad ſufficientiam, quòd eſſe hæreticum conſtat ex locis Scripturæ quampluribus. Tertiò in eodem ſenſu Gotheſcalcus prædicavit, quòd Deus non vult omnes homines ſalvos fieri; ſed ſolùm electos; quæ aſſertio in ſenſu à Gotheſcalco intento, quem in præcedenti propoſitione tenuit, toleranda non eſt*.

VII. Secundus Gotheſcalci error *Chriſtus non venit, ut omnes ſalvaret* clarè continetur in hac. *Omnes, quos Deus vult ſalvare per Chriſtum, ſalvantur infallibiliter*: VIII. Continetur item tertius: *Deus non vult omnes homines ſalvos fieri; ſed ſolùm electos*. IX. Nota, hæc verba Alvarezii, *& intelligit* Gotheſcalcus, *quòd* Chriſtus *non eſt Salvator omnium QUOAD SUFFICIENTIAM* nullo modo ſignificare, in eo erraſſe Gotheſcalcum, quod negaret Chriſti merita eſſe de ſe toti mundo ſecundo ſufficientia; ſed quòd contenderet, ea oblata non eſſe ad ſufficientem totius mundi redemptionem; quod requiritur, ut Chriſtus propriè dicatur omnium Salvator quoad ſufficientiam. Neque enim, ſi tota civitas ægrotet, Medicus quiſpiam omnium Salvator dicetur quoad ſufficientiam, ſi is medicamen ſanandis omnibus idoneum paucis amicis, vel divitibus offerat, neglectis cæteris. Vide cap. 1. num. 11. X. Si ad Catholicè ſentiendum de morte Chriſti pro omnibus, ſatis eſſet, agnoſcere Chriſti merita ſalvandis omnibus ſufficiſſe, jam quoad hoc catholicè ſenſiſſent Calvinus, Lutherus, Janſenius, & ipſe, de quo hactenus, Gotheſcalcus, quem nemo ita deſipuiſſe crediderit, ut hoc negaret: horum proinde doctrina non fuiſſet hac in parte ab Eccleſia eliminanda.

CAPUT V.

Eadem Propoſitio contraria eſt Concilio Cariſiaco. col. 575.

I. REmiſſus in Galliam Gotheſcalcus, hanc non minus, quam priùs Germaniam conturbavit. Igitur anno 849. *in Synodali conventu in Cariſiaco Palatio iterum auditur... ab Epiſcopis, & cæteris quampluribus viris Eccleſiaſticis, atque Religioſis....*; II. *in quorum præſentia, ſicut & in Moguntina Civitate inventus hæreticus, atque incorrigibilis, honore Presbyterali... abjectus, & .... virgis cæſus.... ergaſtulo eſt retruſus*. Hactenus Hincmarus, qui Concilio adfuit. III. Dein ſive in eodem Concilio, ut putavit Binius, ſive in alio ejuſdem nominis celebrato anno 853., ut obſervant Labbé, & Sirmondus, emanarunt contra Gotheſcalcum aſſertiones quatuor, quæ vulgò *Capitula Cariſiaca* appellantur. Horum tertium eſt: *Deus omnipotens omnes homines ſinè exceptione vult ſalvos fieri, licèt non omnes ſalventur &c*. Quartum: *Chriſtus JESUS Dominus noſter, ſicut nullus homo eſt, fuit, vel erit, cujus natura aſſumpta non fuerit, ita nullus eſt, fuit, vel erit homo, pro quo paſſus non fuerit Chriſtus; licèt non omnes paſſionis ejus myſterio redimantur*. Ergo juxta hæc capitula Deus vult etiam reprobos ſalvos fieri, & Chriſtus pro iis paſſus eſt: falſa proinde eſt hæc Queſnelli aſſertio: *Omnes, quos Deus vult ſalvare per Chriſtum, ſalvantur infallibiliter*: IV. Gotheſcalcus Synodali judicio damnatus, & in Altivillari Monaſterio incluſus; ſed non correctus, geminam edidit profeſſionem fidei, breviorem unam, prolixiorem alteram, utramque de ſola prædeſtinatione, ſubdolam, & diſſimulatis reliquis accuſationum capitibus, minimè ſufficientem: meminit ſcilicet ſolius reprobationis ad pœnam, quæ &

a Ca-

Digitized by Google

è Catholicis affirmatur ; cùm tamen , ſaltèm ante Moguntinam Synodum , ita prædeſtinationem expoſuiſſet , *quaſi Deus prædeſtinatione ſua cogat hominem interire*, inquit Rabanus, cui aſſentiuntur Amolo Lugdunenſis Archiepiſcopus , Didacus Alvarez, & Jodocus Coccius ex Aventino, & Trithemio. V. Præiverit hic ſcilicet Gotheſcalcus Calvinianis , qui poſt Tridentini anathema in aſſerentes , quod *improbi Divina poteſtate reprobentur ad malum*, confeſſiones ſuas ita temperarunt , ut Catholicæ catenus apparerent .

CAPUT VI.

Solvuntur objecta contra Concilium Cariſiacum. col. 577.

I. NUlla eſt , inquiunt Janſeniſtæ , iſtius Concilii authoritas , utpote eliſa à Concilio Valentino tertio , quod compoſitum ex 14. Epiſcopis trium Provinciarum Lugdunenſis , Viennenſis, & Arelatenſis, approbatum à Nicolao Primo ejus nominis Pontifice , rejicit quatuor capitula Cariſiaca, & nominatim quartum de morte Chriſti pro omnibus. III. Reſpondeo primò cum Cardinale de Aguirre , non conſtare de approbatione Nicolai Primi datà Valentino Cœtui; nam id olim, quibuſdam aſſerentibus , negavit Hincmarus : & Annales Bertiniani approbationem memorantes , nulla referunt Pontificis verba. II. Reſpondeo ſecundò cum eodem: *vix, aut ne vix quidem inter utrumque id Concilium eſſe contrarietatem aliquam quoad partem dogmaticam , ſive rem ipſam; quamvis Valentini Patres aliud præ ſe ferant, aut teſtentur ; fortaſſis, ut multi jam ante nos obſervarunt ; quoniam aliqui ipſorum non benè affecti erant erga Hincmarum Remenſem , qui utriuſque Cariſiacenſis Synodi præcipuus Author fuit .*

IV. Igitur Valentini Patres, Origeniſtarum , & ſimilium errorem , quo fingitur , damnatos Chriſti paſſione liberandos , vehementer deteſtati ; credebant huic favere Cariſiaca capitula tertium, & quartum, quibus aſſeritur voluntas Dei ſalvandi omnes homines, & Chriſti voluntas omnes redimendi . Ita ipſi loquentes de voluntate conſequente , non attendebant Cariſiacos agere de antecedente . Vide cap. 1. n. 7, 8, & 9. V. Quàm hæc vera ſint, conſtat & ex ipſo, qui Cariſiacis canonibus condendis præfuit, Hincmaro de præd. c. 27. , & ex verbis , quibus Valentini Patres referunt prætenſum errorem Cariſiacenſium ; quaſi hi Chriſti ſanguinem *etiam pro illis impiis, qui à mundi exordio uſque ad Paſſionem Domini, in ſua impietate mortui , æterna damnatione puniti ſunt , effuſum ... definiant , contra illud Propheticum Ero mors tua, O mors : ERO MORSUS TUUS, INFERNE;* his enim poſtremis Prophetæ verbis ſignificatur, partem unam à Chriſto ex Inferis liberandam ; alteram , & majorem apud inferos relinquendam ; quo ſatis innuunt prædicti Patres , damnare ſe velle Origeniſtarum hæreſim : cui , malè Cariſiacenſibus attributæ , opponunt deinde veritatem Catholicam „ Pro illis hoc datum pretium teneamus , de quibus ipſe Dominus dicit : *Sicut Moyſes exaltavit ſerpentem &c.*, & Apoſtolus : *Chriſtus* , inquit , *ſemel oblatus eſt ad multorum exhauriendo peccata*, „ voluntate ſcilicet conſequente ; cum quo optimè conſiſtit , quòd , juxta Cariſiacenſes , velle Deus omnes ſinè exceptione ſalvos fieri , & Chriſtus pro omnibus paſſus ſit , & conſequenter oblatus ad *omnium* exhaurienda peccata, voluntate ſcilicet antecedente ; id eos enim non intelligere de conſequente , patet, cùm apertè fateantur , *non omnes Paſſionis ejus myſterio* redimi . Vide cap. 5. num. 3. VI. Modum hunc conciliandi inter ſe Valentinos , & Cariſiacos amplexa eſt etiam Lugdunenſis Eccleſia in libro de tenenda veritate Scripturæ in Bibliotheca Patrum pag. 452. VII. Similitudo etiam poculi ſalutiferi adhibita à Cariſiacis, & ſerpentis ænei, qua uſi ſunt Valentini , magis confirmat eos ſenſibus inter ſe planè convenire. Ut enim poculum ſalutiferum , etſi omnibus paratum , non tamen prodeſt, niſi ſumentibus; ita Serpens omnium ſaluti erectus , non ſanabat, niſi qui eum aſpicerent. IV. Notandum etiam , quòd, qui Valentinam Synodum conſtituerant , iidem dein compoſuerint Lingonenſem, & Tullenſem: in quibus etſi priorem doctrinam confirmarint ; prætermiſſa tamen eſt acrior contra Cariſiacos cenſura ; quos forè deprehenderant verbis magis , quàm dogmatibus à ſe diſſidere .

VIII. Si Valentina Synodus , ut volunt Adverſarii , docuiſſet , pro iis ſolummodo Chriſtum paſſum , & mortuum, quibus paſſio , & mors ejus profuit , nempe fidelibus in Chriſtum credentibus , jam apertè contradixiſſet, & Tridentino pronuncianti, eum pro omnibus mortuum, non tamen omnes mortis ejus beneficium recipere , & Alexandro Octavo damnanti hanc: *Dedit ſemet ipſum pro omnibus oblationem Deo, non pro ſolis electis; ſed pro omnibus, & ſolis fidelibus*, ubi clarum eſt, proſcribi Propoſitionem propter partem ultimam de Chriſti oblatione *pro ſolis fidelibus*.

IX. Scimus, quæ de Gotheſcalco &c. hactenus diſſeruimus, à nonnullis controverti : ſed ſententiam noſtram longè veroſimillimam facit Authorum meritum & numerus .

CAPUT VII.

Eadem Propoſitio trigeſima pridem everſa eſt à Patribus tum Græcis, tum Latinis . col. 582.

I. E Patribus Græcis ei directè opponitur II. Clemens Alexandrinus l. 7. ſtrom. *Verbum æternum tum ſingulis privatim, tum communiter omnibus unus eſt Salvator.* III. Greg. Nazianzenus orat. 25. inter beneficia omnibus impenſa numerat *Chriſti perpeſſiones , per quas omnes reformati ſumus , nullo penitùs excepto , qui eidem Adamo participavimus* , quo ſanè indicat voluntatem Dei , ſalvandi per Chriſtum non ſolos prædeſtinatos ; ſed omnes Adami poſteros, nullo penitùs excepto. IV. V. Chryſoſtomus in ep. Gal. c. 2. verſ. 20. Chriſtus *quemlibet hominum tanta charitatis menſura complectitur , quanta Orbem univerſum : quocirca ſacrificium quidem ipſum pro tota natura oblatum fuerat ; qui autem uſum ſacrificii percipiunt, ſoli ſunt credentes.* VI. Cyrillus Alex. orat. 1. in S. Babylam ait : Julianus apoſtata Deum *bene de ſe meritum* , & *Salvatorem*, qui nè Unigenito quidem *propter ipſum pepercerat , averſatus eſt , & odio habuit* . VII. Euthymius in Matth. 20. v. 21. *Pro omnibus tradidit animam ſuam, omneſque redemit, licet multi ſponte ſua in ſervitute remanſerint.*

Græcis concordant Latini . VIII. Hilarius in Pſalm. 91. ait , Chriſtum *natum ; ut æternitatem beatam omnibus , qui per ... peccati legem moriebantur , inveheret.* IX. Ambroſius de Paradiſo c. 8. *Venerat Dominus JESUS omnes ſalvos facere peccatores: etiam circa impios oſtendere debuit ſuam voluntatem, & ideo nec proditurum debuit præterire.* X. In Joan. tract. 4. ſub initium: *Populi autem ſpernentes propter ſuperbiam ſuam, humilitatem Dei, crucifixerunt Salvatorem ſuum, & fecerunt damnatorem ſuum.* Ergo Chriſtus reproborum ſalutem voluit : XI. hanc quoque eſſe Auguſtini ſententiam, teſtatur Hugo Victorinus. XII. S. Paulinus ep. 2. *Omnem , quantum in ipſo eſt , hominem ſalvum fieri vult , qui fecit omnes ; nam , & idcirco deſcendit ad nos , ut ad illum aſcenderemus* . In eamdem planè ſententiam eunt XIII. S. Leo, XIV. Proſper (Vide etiam infra c. 17. n. 6.) XV. & clariſſimè Anſelmus ita Chriſtum alloquens: *Æquali dilectione nos omnes creaſti: æquali dilectione pro omnibus paſſionem ſuſcepiſti; æqualiter omnibus vitam æternam præparaſti* .

Eat nunc Queſnellus , & in traditione Patrum cæcutire volentibus perſuadeat , ex mente antiquorum à ſe aſſeri; *Omnes , quos Deus vult ſalvos facere per Chriſtum , ſalvari infallibiliter* .

CAPUT VIII.

Eadem Propoſitio damnata refellitur authoritate communi Scholarum SS. Auguſtini, & Thomæ. col. 586.

I. E Schola Auguſtiniana teſtis omni exceptione major eſt, Cardinalis de Aguirre, ipſorum Janſeniſtarum laudibus celebratus , qui in Theologia S. Anſelmi de hoc

hoc S. Patre ait, quod S. *Auguſtinum in methodum compendiumque redegerit.* Dein integra diſp. 126. mortem Chriſti pro ſalute omniū prorſus hominum acerrimè defendens, ſect. 1. refert ſententiam Calviniſtarum, Janſenianorum, & quorumdam ejus Lovanii ſequacium. Sectioni verò ſecundæ hunc præmittit titulum, quem hic nobis retuliſſe ſufficiet: *Statuitur ſententia communis omnium aliorum, qui, ſicut Chriſtum pro omnibus omninò hominibus mortuum tradunt; ita etiam omnibus abſque exceptione aliqua parata, & oblata ad ſalutem media neceſſaria docent. Probationes præcipuæ ex S. Scriptura, & ex variis locis S. Auguſtini.* II. quæ omnia fusè juxta ac doctiſſimè præſtat.

III. S. Thomam dedimus c. 1. à n. 5. ad 12. IV. Pater Maſſoulié, cujus Queſnellus vix meminit ſinè encomio, de hac quinta Janſenii Propoſitione: *Semipelagianum eſt dicere, Chriſtum pro omnibus mortuum eſſe, aut ſanguinem fudiſſe*, ita pronunciat: *Nulla in Janſenio propoſitio eſt, quæ magis à communi pietatis ſenſu abhorreat.* V. Tum poſtquam communem Eccleſiæ doctrinam egregiè ſtabilivit, de mente S. Auguſtini ita habet: *Quod verò ad Divum Auguſtinum attinet, certum eſt, nunquam de ea ſinceriſſima Dei, & Chriſti Domini voluntate, de ſalute omnium, dubitaſſe.* VI. Non minùs Queſnello refragantur alii ex eodem ordine veteres recenteſque Doctores non ignobiles, ut Vincentius Ferre. VII. Gonetus. VIII. IX. Didacus Alvarez, de quo ſupra c. 4. n. 6. X. Didacus Nuguez Cabeaudo, XI. Franciſcus Zumel, XII. Dominicus Soto, XIII. Joannes Gonzales de Albelda, XIV. & Thomiſtæ Salmanticenſes dum tradunt, *omnem hominem adultum habere auxilium ſufficiens ad ſuam converſionem*: neceſſaria nempe, & mutua connexio eſt inter voluntatem Dei ſalvandi homines per Chriſtum, & præparationem, atque oblationem mediorum ſufficientium.

CAPUT IX.

Damnatæ Propoſitioni contraria etiam eſt Scotiſtarum Schola cum cæteris Catholicis. col. 592.

I. IN Scotiſtis nihil ſpei habet Queſnellus. Graviſſimum Janſeniania vulnus inflixit R. P. Du Boſc ex Ordine S. Franciſci in libro *de morte Chriſti pro omnibus* edito anno 1651. II. Recentius Alexandri Octavi decretum contra 31. Propoſitiones ſolicitationibus Scotiſtarum debemus acceptum, uti & ejus vindicias zeloſo Minoritæ ſub nomine *Hilarii à S. Sepulcro.* III. Ex eodem Ordine Guilielmus Herinx Janſenii in Cathedra Iprenſi ſucceſſor, Janſeniſmi fuit oppugnator acerrimus. IV. Miſſis Jeſuitis, de quorum ſententia nulli dubium, & quorum mentio Janſenianis nimis ingrata eſt, recenſeo tantùm diverſarum ſcholarum, & nationum aliquos. V. Peſantium Italū VI. Peanottum, VII. Matthæum Kelliſonum Collegii Anglorum, apud Duacenos, Præpoſitum, VIII. & Paulum Vvindeckium Germanum IX. Hiſpanos capite præcedenti dedimus, memorando Thomiſtas, quorum plerique gentis illius ſunt antonomaſticè *Catholicæ*; cujus quanta ſit erga Conſtitutiones omnes Apoſtolicas obſervantia, teſtatum fecit etiam nuperrimè Salmanticenſis Academia in ſuis ad Pontificem, Cardinales, & Sorbonam epiſtolis. X. In Galliis, ut taceam ferventiſſima Cleri Gallicani ſtudia contra quinque Janſenii hæreſes, quarum poſterior ipſiſſima eſt Queſnelli, quam hic oppugnamus; ut prætereaм tot Præſulum urgentiſſimas ad Summos Pontifices, contra Janſeniſtarum cavillationes, literas; ut nihil dicam de conſtitutâ illic fidei formulâ, quâ ab infinitis penè utriuſque ſexûs Eccleſiaſticis præſens Queſnelli hæreſis in Janſenio ejurata eſt; numeramus nunc ultra centum Epiſcoporum edita typis mandata Paſtoralia, quibus Propoſitiones Queſnellianæ 101. damnantur iiſdem prorſus cenſuris, quæ iis à Clemente Undecimo inuruntur. Idem ſub Ludovico Decimoquarto præſtitit Sorbona, & ſi quid eam nunc cum paucis Epiſcopis à Bullæ promulgatione cohibeat, non eſt ſanè, quòd vera judicent, quæ illic proſcribuntur, Queſnelli dogmata.

CAPUT X.

Proſternitur idem error ratione Theologicâ deductâ ex ſuperioribus. col. 595.

I. E Variis argumentis Theologicis Illuſtriſſimi Herinx non minimi roboris eſt iſtud: „ In pretioſo ſan-
„ guine, qui effuſus eſt propter nos ſingulos, fundatur, ſive
„ roboratur totius fiduciæ noſtræ, & ſpei Theologicæ certi-
„ tudo, dum meritò confidimus, quod non perdet nos, nec
„ deſpiciet Deus, propter quos filium ſuum miſit cruci-
„ figi, ut ponderat Auguſtinus variis locis. Hinc inſuper
„ elucet, quem tanti facit Auguſtinus cùm aliis Patribus,
„ valor cujuslibet animæ Chriſtianæ, veluti tam pretioſo
„ ſanguine redemptæ, ut proinde idem Auguſtinus in
„ Pſalmum 102. quemlibet compellans dicat: *O anima!*
„ *Erige te: tanti vales*, &c. „

II. Præterea ſi omnes, quos Deus vult ſalvare per Chriſtum, ſalvantur infallibiliter; igitur nullus vult ſalvare, niſi qui ſalvantur per Chriſtum, quales ſunt ſoli prædeſtinati, atque ita cæteris omnibus ſalus eſt impoſſibilis. Quomodo enim, & quibus auxiliis ſalvari poſſet, quem neque Deus per Chriſtum ſalvare voluit, neque Chriſtus ad ſalvandum redimere, in cujus redemptione, & meritis fundatur omnis gratia ad ſalutem ſufficiens. Accedit, quod juxta ſecundam Queſnellianam nulla ejuſmodi jam detur.

III. Sic ergo reprobis præceptum ſalutem operandi fiet impoſſibile, cùm ſalus iis impoſſibilis ſit quos Deus per Chriſtum ſalvare non vult. Iiſdem etiam impoſſibilis erit pœnitentia in Articulo mortis, quæ tum tamen ſub tam gravi mandato omnes obſtringit. IV. Idem dic de actibus Theologicis. V. Præterea quiſquis juſtus eſt, tenetur Divinam amicitiam nunquam diſſolvere: atqui id juſto non prædeſtinato fiet pariter impoſſibile. VI. Denique fallax erit ea Dei amicitia, & fraudulenta in filium adoptatio, utpote quam reprobus colere, & tenere non poſſit, defectu auxilii efficacis, ſinè quo, ſi Queſnello credimus, *non ſolum nihil boni fit, ſed nec fieri poteſt*; imò *nihil amare poſſumus, niſi ad noſtram condemnationem.*

VII. Hinc diſpiciat æquus judex, utra hæreſis magis à ratione diſſonet; an Calviniana, ſtatuens juſtitiam in ſolis prædeſtinatis, eamque inamiſſibilem, an Queſnelliana, plurimis eam adſcribens neceſſario neceſſitate antecedente, & inevitabili amittendam.

CAPUT II.

Solvuntur argumenta in oppoſitum producta ex Scripturis. col. 598.

I... VII. MUlta hic Scripturæ teſtimonia in erroris defenſionem accumulantur, ſuntque ea ipſa, quibus Calviniſtæ, & alii paſſim hæretici contra doctrinam Eccleſiæ de voluntate Dei ſalvandi omnes homines abutuntur; quæ cùm evidens ſit agere de ſola Dei voluntate conſequente abſoluta, & efficaci, neque de alia intelligere ſe illa proteſtetur Queſnellus, quid faciunt ad firmandum Articulum, quo omnis Deo voluntas ſincera, & ſeria ergo reproborum beatitudinem abjudicatur?

IX. Hexaplorum Author non contentus perperam Scripturas allegare, eas etiam perfidè corrumpit, adhærendo damnatæ verſioni Montenſi novi Teſtamenti, ubi illud Chriſti Joannis 17. verſ. 12. *Quos dediſti mihi cuſtodivi, & nemo ex eis periit, niſi filius perditionis* Gallicè vertit, ac ſi Latinè haberetur: *Quos dediſti mihi, cuſtodivi, & nemo ex eis periit. Solus periit filius perditionis*: Patet diſcrimen utriuſque ſensûs: Chriſtus aſſerit ex 12. Apoſtolis, quos ei Pater dederat, periiſſe unum, & ſolum Judam. Evangelium Queſnelli, Chriſto contrarium, affirmat, ex iis, quos Pater dederat, neminem periiſſe; ſed ſolum Judam, veluti à Patre datorum numero minimè comprehenſum.

III. Interpretatio iſta Calvini fuit, reſiſtentibus Chryſoſtomo, Theophylacto, Cyrillo Alexandrino cum Doctorum Aquila Auguſtino, & Angelico. Eadem etiam imprudenter adoptata fuit à quibuſdam Belgii Theolo-

Digitized by Google

gis in cenſura anno 1588. impensè ab Arnaldo, & Queſnello laudata, poſtquam eam authoritate Sedis Apoſtolicæ irritam declararat Octavius Calatinus, & inſtaurationem ejus auſum temerarium. Qui de dicti loci corruptione plura volet, adeat eruditum opus gallicum, cui titulus: *Obſervationes in novam defenſionem verſionis gallicæ novi Teſtamenti editæ Montibus* &c. pag. 17. & ſeqq.

CAPUT XII.

Solvuntur objecta ex Sanctis Patribus, ac præſertim ex SS. Auguſtino, & Fulgentio. col. 600.

I... VI. Loca producta partim tantùm probant, prædeſtinationem eſſe certiſſimam, adeò, ut nullus Electorum pereat, de quo nemo dubitat: ſed non omnis in Deo voluntas electio vel prædeſtinatio eſt, ut vel tirones Theologi noverunt: partim enuntiant ſalvari neminem, niſi Deo volente; Unde non ſequitur ſalvari quemcunque Deus, & quomodocunque ſalvari voluerit.

VII. Magis ad fallendum idonea eſt objectio petita ex Fulgentii libro de Incarn. & gratia c. 3. *Omnes, quos Deus vult ſalvos fieri, ſinè dubitatione ſalvantur, nec poſſunt ſalvari, niſi quos Deus vult ſalvos fieri: nec eſt quiſquam, quem Deus ſalvare velit, & non ſalvetur:* Quæ verba licèt cum Queſnelliana Propoſitione convenire videantur quoad ſonum; tamen ſenſu quàm maximè differunt. Agit nempe illic Fulgentius contra Pelagianos, & eorum reliquias, negantes prædeſtinationem, & aſſerentes voluntatem Dei ſalvandi omnes homines prorſus *indifferentem*, ita, ut quilibet ſolis naturæ viribus eam ſequi, & ad ſalutem perducere ſe poſſit, non egens gratiæ auxilio: & è contrario poſſit quemcunque Dei de ſua beatitudine voluntatem infringere, ac perire. Hunc errorem impugnare volens Fulgentius cum Proſpero, & Auguſtino, totus eſt in prædicanda Divinæ voluntatis omnipotentiâ, & electionis efficacitate. Ideo & locum Apoſtoli de voluntate prædeſtinante intelligit, ut *omnes*, quos Deus *vult ſalvos fieri*, intelligantur electi, quæ una ex Catholicis interpretationibus ab Auguſtino ſæpius adhibita eſt; quia confutandis Pelagianis eo tempore vigentibus maximè opportuna; VIII. quâ tamen minimè excluditur alia de voluntate Dei antecedente erga omnes homines beniginiſſima, licèt non in omnibus efficaci, quæ explicatio magis ſimplex, & obvia eſt, & communis etiam olim fuit pleriſque Patribus, præſertim Græcis; ab Auguſtino etiam quoad ſenſum tradita, & totius Eccleſiæ ore celebrata, ut efficaciſſima ad retundendam Prædeſtinatianorum hæreſim, quam Lutherus, Calvinus, & Janſenius ſecuti ſunt. Senſum Fulgentio attributum circumſtantiæ omnes loquuntur; ſive antecedentia ſpectes, ſive conſequentia: locum enim objectum hæc præcedunt: *Nec exiſtimemus, voluntatem omnipotentis Dei, aut in aliquo non impleri, aut ullatenus impediri:* ſubſequuntur verò hæc, *quia Deus noſter omnia, quæcunque voluit, fecit*; ubi evidens eſt, agi de voluntate abſoluta, ſeu quatenus *Omnipotens* eſt. Dicta ulteriùs confirmantur ex capite ejus 29. & 30.

IX. Auguſtinus Enchiridii c. 103. inquiunt rurſus Adverſarii, permittit memoratum Apoſtoli locum *quocunque alio modo intelligi, dum tamen credere non cogamur, aliquid omnipotentem Deum voluiſſe fieri, factumque non eſſe, qui.... ſi in Cælo, & in terra.... omnia quæcunque voluit, fecit; profectò facere noluit, quodcunque non fecit*. Ita eſt: facere noluit voluntate conſequente, abſoluta, & efficaci quodcunque non fecit. Sed voluntate antecedente, inefficaci, & conditionata facere voluit aliqua quæ non fecit. Agere Auguſtinum de priori voluntate, conſtat ex allegato Scripturæ loco: *Omnia quæcunque voluit, fecit in Cælo, & in terra*. Quod autem præter hanc agnoſcat aliam antecedentem, & inefficacem, nè Adverſarii quidem inficiabuntur, ſaltèm reſpectu Adami, & Angelorum ante lapſum; cùm pro eo ſtatu eam ipſe admittat Janſenius; quem Queſnellus ab Hipponenſi aberrare non facilè affirmaverit.

CAPUT XIII.

Refelluntur objecta ex Sanctis Bernardo, & Thoma. col. 605.

I. Opponunt Hexapla etiam S. Bernardum ſerm. 3. de laudibus B. Virginis dicentem: *Non poſſunt perire, pro quibus Filius rogat, nè pereant, pro quibus Pater tradidit Filium in mortem, ut vivant.* Hæc Mellifflui verba intelligenda ſunt de oratione Filii abſoluta, & efficaci, atque ejuſdem rationis voluntate in Patre Filium tradente; admittere autem eum, & orationem, & voluntatem inefficacem, probatur primò ex eo, quod omnes hic tam ſolicitè admoneat: *Studeamus effici ſicut parvulus iſte.... nè gratis mortuus, nè in vacuum crucifixus ſit*. Quod enim periculum eſt, ſi nemo perire poſſit, pro quo Filius Patrem rogat, & pro quo Pater Filium tradidit? II. Probatur ſecundò ex ſerm. 2. in Pſalmum *Qui habitat*: *Poſſunt omnes homines* indiſcriminatim *dicere, Redemptor meus es tu*: Si pro nullius reprobi ſalute mortuus ſit, non niſi pauci homines dicere poterunt, *Redemptor meus es tu*; imò nullus in hac vita, niſi cui ſua ſalus à Deo revelata fuerit. III. Aliæ ſententiæ ex S. Bernardo objectæ explicatio eſt, quod nullus à Chriſto redemptus perire poſſit; ſed tantùm propria ſponte ſe perdere; ſicut, qui viæ Ducem peritiſſimum nactus eſt, dicitur aberrare non poſſe, etſi libero arbitrio viæ Ducem deſerere poſſit, & ſe erroribus implicare.

IV. S. Th. q. 23. a. 6. dicens prædeſtinationem infallibiliter conſequi ſuum effectum, & per creaturam non poſſe impediri, nihil facit pro damnato dogmate: Imò plurimum, inquit Queſnellus, *nam in obſervatione mea exprimitur voluntas efficax, & abſoluta*: Verùm hæc additio non reperitur in editionibus, quæ in Conſtitutione memorantur; & Propoſitio, ut jacet, planè conformis eſt omnibus Queſnelli, Arnaldi, Janſenii, & totius novæ ſectæ notiſſimis ſententiis: adeo, ut voculæ illæ in poſterioribus editionibus ſuperadditæ, Queſnello non deponendæ, ſed tegendæ hæreſi ſerviant. Accedit, adverſùs tot millia priorum editionum exemplaria quaquaverſum diſtracta opus fuiſſe ſalubris cenſuræ antidoto.

CAPUT XIV.

Expenditur Queſnelli contra Conſtitutionem Proteſtatio. col. 607.

I. Dum Queſnellus pag. 46. proteſtatur, ſe credere, Deum velle omnes homines ſalvos fieri, Chriſtum pro omnibus mortuum eſſe &c. nihil dicit, quod Calviniani dicturi non ſint: ſed tota de verborum illorum ſenſu inter Catholicos, & Hæreticos diſceptatio eſt: Queſnellum autem hæc cum Hæreticis ſentire, tot ejus hic & alibi damnati Articuli dubitare non ſinunt: ſcilicet per *omnes* non ſingulos homines intelligit, ſed claſſes, ordines ſeu genera hominum; omnes electos, excluſis reprobis: à Chriſto oblatum Patri pretium, quod omnibus hominibus redimendis ſufficeret; ſed non oblatum pro ullius ſalute extra numerum prædeſtinatorum. Quid hic igitur à Calvini, & Janſenii ſenſu alienum?

II. Si Catholicum credi ſe velit, edicat clarè, Deum velle ſalutem æternam non modò prædeſtinatorum; ſed etiam aliorum, ideoque adultis reprobis media offerre ſufficientia ad ſalutem conſequendam, quibus uti, & immortalem vitam adipiſci poſſint; denique hanc in Deo voluntatem eſſe erga homines, etiam poſt Adæ lapſum conſideratos. VI. Præterea renuntiet Queſnellus tot aliis Propoſitionibus, quæ tum in ipſo, tum in aliis damnatæ, cum quinta Janſenii hæreſi neceſſariò connectuntur; III. à qua non dedignetur etiam aliquo ſaltèm verborum diſcrimine ſa diſcernere, quod non ſufficienter præſtat, dicendo, ſe *credere, & profiteri cum Paulo, & Concilio Tridentino, quod JESUM Chriſtum propoſuerit Deus propitiatorem per fidem in ſanguine ipſius pro peccatis noſtris, non ſolùm autem pro noſtris, ſed etiam pro totius mundi*; IV. quid enim hæc, & ſimilia in ejus ſenſu plus ſignificant, quàm quod Janſenius ipſe admittit lib. 3. de gratia Chriſti c. 21. V. Chriſti ſan-

Digitized by Google

ſanguinem videlicet, utpote pretii infiniti, redimendis omnibus prorſus hominibus abunde quidem ſufficere, modò Chriſtus eum pro ſalute omnium offerre voluiſſet; attamen non voluiſſe pro ullius reprobi beatitudine, quæ eſt ipſa Janſenii damnata aſſertio. VII. Si ſatis eſſet admittere pretii ſufficientiam, ut Chriſtus dicatur omnium Redemptor,& pro omnibus mortuus, jam & pro Dæmonibus mortuus, & eorum Redemptor dici poſſet, cum, ut advertit Janſenius, etiam iis liberandis Chriſti ſanguis ſuffecerit. Nec effugiunt Janſeniſtæ, reponendo, Chriſtum pro peccato originis eluendo obiiſſe, quod hominibus, non Dæmonibus proprium eſt: Quid enim, juxta Queſnellum, infideles, qui in ſua cæcitate moriuntur, beneficii præ Dæmonibus à Chriſto accepere? Quid iis ſolatii, aut ſubſidii eſt, ob quod Chriſtum veluti Redemptorem ſuum agnoſcant, ſi is in mente ſingulos diſtinctiſſimè conſpiens, quos redemptione ſua comprehenderet, ipſos excluſerit?

VIII. Elabi ſperat Queſnellus illo Tridentini ſeſſ. 6. cap. 3. *Verum etſi ille pro omnibus mortuus eſt; non omnes tamen mortis ejus beneficium recipiunt; ſed ii dumtaxat, quibus meritum paſſionis ejus communicatur*: Ergo Chriſtus dici poteſt Redemptor etiam eorum, qui nullum ex morte ejus beneficium recipiunt, ut parvuli ſine baptiſmo decedentes, quique his comparantur perpetuò amentes.

R. Sicut officium Redemptoris communis omnium hominum non requirit, ut concedantur omnibus ſpeciales gratiæ, quas juſtitia, & felicitas æterna certiſſimè conſequatur; ita neque, ut immutet naturæ ordinem, nè ullus inſidelium ſemper laboret amentiâ, vel parvulus in utero matris moriatur abſque baptiſmo. Satis eſt, ex Servatoris meritis, ſingulis noſtrum præparari remedia ſingulorum ſtatui accommodata, neque per ipſum ſtare, quo minùs applicentur; adultis videlicet actuales gratiæ, quarum capaces ſunt, & quibus juſtitiam conſequi, & tenere ad finem uſque valeant, parvulis baptiſmus, quem obvenire ſingulis cupit, mittens propterea in omnem terram Apoſtolicos viros, & jubens pro ſalute omnium Deo ſupplicari.

IX. Quid, quòd allegata Tridentini verba directè Queſnello contradicunt; hic quippe contendit, meritum paſſionis iis omnibus communicari, eoſdem omnes beneficium mortis Chriſti recipere, pro quibus, ut ſalvarentur, mortuus eſt, quod Tridentinum negat; & jure meritò: neque enim ſolùm à plurimis conceſſæ gratiæ reſiſtitur, ſed & plurimi non recipiunt, quia recipere nolunt, oblatamque rejiciunt, animum ad illicita divertentes ſeque voluptatum ſordibus immergentes: Unde licèt his non communicetur paſſionis meritum, quia oblatam gratiam repudiant; non propterea tamen Deo, & Chriſto minùs debetur laus Salvatoris, etiam intuitu eorum, qui nec communicationem meritorum Chriſti admittere, nec proinde ſalvari voluere.

X. Accedit, quod illo Tridentini capite, ut patet ex ejus titulo, totoque contextu, non de actuali, ſed ſanctificante gratia ſermo ſit; hic autem paſſionis fructus, hoc mortis Chriſti beneficium non ab omnibus recipitur, non omnibus communicatur, ut certum eſt.

CAPUT XV.

Caſtigantur plura Queſnelli mendacia in eadem ejus Proteſtatione occurrentia. col. 613.

I. IN eadem Proteſtatione pag. 47. ait, ſe omnibus ſubſcribere, quæ circa hanc materiam (in qua verſamur) definivit Eccleſia, nullumque inſtaurare ex erroribus ab ea condemnatis. Subſcribitne igitur cenſuris Alexandri Octavi inflictis adverſus Propoſitiones 4,5,8. inter 31.? II. Tenemus enim infamem Queſnelli ſatyram ſub titulo: *Epiſtola Abbatis ad quemdam Romanæ Curiæ Prælatum*, in qua illud Pontificis decretum ab initio ad finem impudentiſſimè vellicatur ut æquivocum; ut non niſi ad diſſenſiones utile; ut procuratum à Miniſtris Hiſpaniæ ad fovendas diſcordias, quæ Romanam, inter, Gallicamque Curiam intercedebant; ut ſupremæ authoritatis abuſivum; ut quod tumultus in Eccleſia cieat, & in ſcholis diſſidiorum incendia &c.

III. ... V. Tenemus & temerariam iiſdemque damnatis erroribus patrocinantem *Nonam partem difficultatum propoſitarum D. Steyaert*, quam paſſim Janſeniani Arnaldo tribuunt, cui, ut ſupra diximus, indubiè adjutricem manum commodavit Queſnellus. VI. Fruſtrà etiam ex eo quæſiverimus, an cæteris omnibus ſubſcribat, quæ in eâdem materia ſive ab Alexandro Octavo, ſive ab aliis Pontificibus definita ſunt. Pro reſponſo ſunt & frivolæ interpretationes, quibus Clementis Undecimi ſanctiones molitur eludere, & hoſtilia argumenta, quibus eas palam & depoſitâ larvâ impugnat. Sed nulla contra Queſnellum Eccleſiæ determinatio prævaler, niſi, vel œcumenici Concilii, vel omnium Epiſcoporum conſenſus acceſſerit: unde protinus reviviſcent tot hæretica dogmata, quæ plures, quam pro ſe Queſnellus, ſuffragatores habuere Epiſcopos: Quod ſi & hi omnes ab eo defecerint, proteget ſe nova factio clypeo recentiſſimè cuſo in opere Gallico: *Teſtimonium veritatis*; ubi *vox populi*, tanquam *vox Dei* firmiſſimum ſtatuitur contra omnium Pontificum, Epiſcoporumque anathemata propugnaculum.

VII. Quòd ſi ex Queſnello ſciſciteris, damnetne an probet impiam, & blaſphemam hæreſim in quinto Janſenii Articulo à tribus Pontificibus proſcriptam: damnare ſe dicet, imò jurabit: Si urgeas, an ergo neget, quod affirmavit Janſenius: *Chriſtum non pro ſalute omnium hominum, ſed dumtaxat prædeſtinatorum mortuum eſſe*; reponet, id neutiquam eſſe damnatum, ſed errorem alium à Janſenii ſenſu alienum; quo ſcilicet ita Chriſtus *pro ſalute dumtaxat prædeſtinatorum mortuus* dicitur, ut non etiam quibuſdam reprobis temporalem juſtitiam promeruerit, quæ Calvini eſt hæreſis, non Janſenii. VIII. At contra: quintus Articulus non in Calvini, ſed Janſenii ſenſu proſcriptus affirmatur; & ut talis ab Alexandro Septimo ejurandus præcipitur: Janſenii autem ſenſum eſſe, quem mox dedimus, nullus dubitat.

IX. Hic ſe Queſnellus ad *quæſtionem facti* recipiet, in qua Pontifices, imò & Concilia erroris periculo ſubjaceant. Sed quæ hic quæſtio facti, ubi omnes de ſenſu Authoris, ſeu libri conveniunt? Omnes autem agnoſcunt, eam eſſe Janſenii ſententiam, Chriſtum, licèt nonnullis reprobis meruerit temporalem juſtitiam, non tamen pro eorum ſalute; ſed dumtaxat prædeſtinatorum mortuum eſſe. Tota itaque quæſtio, Romano digna examine, fuit, an ſenſus ille Janſenii Catholicus foret, an hæreticus: Cujus quæſtionis deciſio ad jus, & fidem certiſſimè pertinet. Cùm ergo Queſnellus proteſtetur, ſe ſubſcribere omni definitioni Eccleſiæ circa hanc materiam; ut fidem liberet, neceſſe eſt, agnoſcat, illum Janſeniani voluminis ſenſum eſſe hæreticum. X. Sed quid tum fiet tot ſuis ſcriptis, quibus ſenſum illum defendit ut Auguſtinianum, & orthodoxum? Et inter alia commentitiâ ſuâ *Defenſione Eccleſiæ Romanæ, & Summorum Pontificum*, ubi vociferatur, Janſenii librum Romæ non fuiſſe ritè examinatum; à Pontificibus non intellectum; dolo circumventos alium exiſtimaſſe ſenſum, quàm textui ſubeſſet, ac proinde non ſenſum Janſenii, ſed ei fraude impoſitum condemnarint. XI. Nec contentus talem Apoſtolicæ Sedi impegiſſe calumniam; methodum ſuis aperit deteſtandi, juxta Alexandrinam formulam, Janſeniani libri ſenſum ut impium, blaſphemum, hæreticum; quem ut Auguſtinianum, Catholicum, & irrefragabilem animo retineant; XII. ſed virulentæ methodi conamen, à Chriſti Vicario graviter pro dignitate redargutum, in fumos abiit celebri, acri, ac nervosâ Conſtitutione *Vineam Domini Sabaoth*, quæ CLEMENTIS UNDECIMI nomen perennabit. XIII. Queſnellus verò nihil interim dimotus à ſententiâ, exaſperari remediis, & nimio lumine magis in dies, magiſque excæcari videtur; adeò ut ejus proteſtatio, qua ſe definitionibus Eccleſiæ in præſenti materia ſubſcribere proteſtetur, mala fide, & dolo plena meritò reputetur.

CAPUT XVI.

Examinantur Obſervationes nomine Theologorum Gallorum editæ anno 1716. col. 618.

I. SAnctus Pudentius Tricaſſinus, inquiunt, ait, ſe electionem Æneæ Epiſcopi Pariſienſis approbare non poſſe,

Digitized by Google

poſſe, niſi ,, *credat , & confiteatur , Deum omnipotentem omnes, quoſcunque vult, ſalvare ; Et neminem poſſe ſalvari nilnteſum, niſi quem ipſe ſalvaverit: omnes autem ſalvari, quoſcunque ipſe ſalvare voluerit* . Hæc non minùs Sancti , quam eruditi Epiſcopi fidei profeſſio penitus conſentanea eſt doctrinæ à Concilio Valentino tertio traditæ circa annum 855.,, Ergo propoſitio Queſnelll huic fidei confeſſioni conformis non debet cenſeri erronea . II. Reſpondeo : quemadmodum ubique memorant Adverſarii, Fauſtum Rhegienſem , aut Joannem Caſſianum non ſatis immunes fuiſſe à Maſſilienſium erroribus ; ita eſt multorum ſententia , hunc S. Pudentium , quem nos Prudentium appellamus , non ſatis receſſiſſe ab hæreſi Prædeſtinatianorum. Atque in primis non benè Catholicis olet hic ejus de morte Chriſti Articulus : *Sanguis Chriſti effuſus eſt pro omnibus credentibus, ſed non pro iis , qui nunquam crediderunt , nec credunt , nec credituri ſunt* , quem nec cum Apoſtolo 1. Tim. 4. , nec cum Tridentino ſeſs.6. c. 3. facilè conciliabis , III. nec ſatis diſcernes à quarta, & quinta inter 31. Propoſ. ab Alex. Octavo damnatas. IV. Prudentii quoque ſententiam cum quinta Janſeniana quoad dogma convenire manifeſtum eſt : oppoſitam verò ab eo judicari non tolerabilem ; ſed Maſſilienſium errore laborantem , colligitur ex eo, quòd electionem Æneæ Pariſienſis Archiepiſcopi ſe approbare non poſſe declaret ,, niſi Articulo nobis objecto ſubſcribat . V. Ex quibus confirmatur inolita multorum de ejus doctrina quaſi non ſatis fidei conſonâ, æſtimatio . Extat antiquus Prudentii codex manuſcriptus contra Joannem Scotum , in cujus prima pagina ſic notatur : ,, *Compoſitor hujus libri Prudentius de quibuſdam Catholicis dogmatibus non ſentit catholicè , ſicut alia ejus ſcripta demonſtrant* . ,, VI. Annales quoque Bertiniani , non niſi circiter 20. annis à Prudentii morte conſcripti, ajunt, eum hæreſis Gotheſcalci, poſtquam huic primò reſtiterat , defenſorem fuiſſe acerrimum ; indeque non modica *inter ſe diverſa , & fidei adverſa ſcriptitantem mori* .

VII, IX. Reſpondimus cap. 6. ad Concilium Valentinum, VIII. cui , ut in modo loquendi conſonat Lugdunenſis Eccleſia, referente Magiſtro Floro, ita & in ſenſu non diſcrepat ; Tam enim illud, quàm iſta ſolummodo damnant errorem ſuum temporis graſſantem , quo dicebatur Chriſtus ſuo ad inferos deſcenſu liberaſſe inde quotquot fuerant æternis addicti ſuppliciis : Verba Eccleſiæ Lugdunenſis id manifeſtiſſimè innuunt: *Ceſſet hæc nova, & inaudita præſumptio , ut nullus hominum , etiam impiorum,& apud inferos IRREVOCABILITER damnatorum fuerit, pro quo Chriſtus paſſus non fuerit ; cùm pro ſolis illis defunctis paſſionem ſuſtinuerit , qui eum , dum in corpore viverent, fideliter venturum , & mundum ſua paſſione redempturum crediderunt* .

CAPUT XVII.

A quibus Authoribus doctrinam Articuli trigeſimi accipere Queſnellus potuerit. col.622.

I. EX hactenus diſputatis exploratum eſt , Queſnellum novitatem ſuam nec in Scripturis , nec in Patribus, aut Scholaſticis reperiſſe ; II. ſed eam mutuatus eſt à Janſenio , III. Calvino , IV. Contra-remonſtrantibus : V. unde Paulus Vvideckius inter celebriores Calvini Adverſarios de morte Chriſti pag. 23. graviter invehitur in hæreticos , qui *Divo Auguſtino* , inquit , *calumniosè , & nequiter aſſinxerunt , quòd Dominus noſter JESUS Chriſtus non pro omnium hominum redemptione ſit paſſus,à qua tam ſacrilega improborum hominum calumnia mox ſe liberat , & egregiè vindicat* . VI. Certè vindicat Auguſtinum Proſper in præſ. ad objectiones Vincentianas , eas appellans *ineptiſſimarum quarumdam blaſphemiarum prodigioſa mendacia*, inter quæ primum eſt, quòd *Dominus noſter JESUS Chriſtus non pro hominum omnium ſalute, & redemptione ſit paſſus* . Idem præſtat in præfat. ad capitula Gallorum . Quæ ſit ipſius Proſperi ſententia, patet ex lib.2. de voc. gent. c.3. ubi de Apoſtolo ſic loquitur,,dicendo... *qui eſt Salvator omnium hominum*,confirmavit bonitatem Dei ſuper omnes eſſe generalem : Adjiciendo autem *maximè fidelium* , oſtendit eſſe partem generis humani, quæ meritò fidei divinitus inſpiratæ ad ſummam, atque æternam ſalutem ſpecialibus beneficiis provehatur . ,, VII. Propter plura ſimilia afferta Proſper Janſenio, licet alias ab ipſo laudatus, diſplicet l.3. de gratia Chriſti c.21. *Proſpero antiquior*, inquit , *& doctior Auguſtinus nunquam in ſcriptis ſuis fatetur, Chriſtum pro omnibus , nullo excepto, ſe dediſſe redemptionem , vel crucifixum eſſe , vel mortuum* . Verùm in hoc minùs Janſenio credimus , quam ipſi Proſpero in præfat. ad capitula Gallorum teſtanti , *ſe in NULLO recedere à tramite earum definitionum , quæ in S. Viri* [Auguſtini] *diſputationibus continentur* . VIII. Non obſtante tam perſpicuo Proſperi teſtimonio , & tot aliis tam Conciliorum, quam Patrum ſupra relatis,Arnaldus in prima pro Janſenio Apologia pag. 173.audet aſſerere, evidens eſſe ſecundùm Concilia , & Patres , quòd hæc Propoſitio, *JESUS Chriſtus mortuus eſt pro omnibus hominibus* , vel *redemit omnes homines* , non poſſit intelligi de omnibus hominibus in particulari. ,,

IX. Famoſus *Catechiſmus de gratia* à Sede Apoſtolica ſæpiùs proſcriptus , ſed ſemper , mutato ſubinde , ne damnatus videretur,titulo recuſus quærit q.66. *Vultne Deus ſolos electos ſalvos fieri* ? Reſpondetque ; *Ita , eos tantùm ſalvare vult, quos prædeſtinavit ; at ſolos electos prædeſtinavit . Si vellet omnes, ac ſingulos homines ſalvare, omnes re ipſa ſalvarentur, quia omnia quæcunque vult in cælo,& in terra , facit ; nec eſt , qui poſſit ejus reſiſtere voluntati* . Quod argumentum Janſeniſtis ſuppeditarunt eorum prodromi Calviniſtæ Theodorus Beza, X.Hieronymus Zanchius , Vvilletus &c. XI. Habet hic Queſnellus veros fœtûs ſui Progenitores , quorum majores fuere veteres Prædeſtinatiani . Quantum horrorem , offenſionem , & turbam hæc hæreſis ſub initium generarit , narrat Feuardentius , XII. & Samuel Huberus; XIII. ſed paulatim audiendi conſuetudine, aſſueverunt animi: XIV. imò & ignorantibus perſuaſum eſt, doctrinam oppoſitam ab hoſtibus gratiæ Pelagianis, & Semipelagianis traxiſſe originem ; Id certè clariſſimis verbis perſuadere nititur Janſenius lib. 3. de gratia Chriſti c. 20. XV. Et ne in hac materia Janſeniſtæ nihil non debeant Calvinianis , etiam ab his mutuati ſunt, quòd paſſim jactant de agnito à ſe pretio ſufficienti pro omnium mortalium ſalute;ſed non pro ſalute omnium oblato,ut liquet ex Paulo Vvideckio lib. de morte Chriſti pag.81.

TRIGESIMAPRIMA PROPOSITIO DAMNATA.

Deſideria Chriſti ſemper habent ſuum effectum; pacem intimo cordium infert, quando eis illam optat . *Obſerv. Moral. Jo.* 20. *verſ.* 19.

CAPUT I.

Confutatur damnata Propoſitio . col.628.

I. EX his Chriſti vocalis *pax vobis* , quibus Chriſtus diſcipulis congregatis pacem & precatur , & dat , infert Queſnellus ſolita ſua arguendi methodo , hoc eſt, concludendo univerſaliter ex facto particulari : *Deſideria Chriſti ſemper habent ſuum effectum* . Nos ſaniorem rationis canonem ſecuti, dicimus ; ad rationem veri deſiderii requiri , ut ei affectus reſpondeat . Hinc ſeriò Chriſtum omnes omnino invitare credimus , cùm ait : *Venite ad me omnes , qui laboratis &c.* licèt plerique invitantem minimè ſequantur . Invitationem enim univerſalem intelligit hic Chryſoſtomus, cùm ait : *Non.... dicit,Venite ille,& ille; ſed omnes. . . qui in peccatis eſtis*; & S. Thomas in hunc locum : ,, *Qui laboratis* , inquit , ſpecialiter hoc poteſt convenire Judæis . . . Item generaliter , quantùm ad omnes , qui laborant propter humanitatis fragilitatem, onere ſcilicet peccatorum; ,, II. & tamen Queſnellus credere nos jubet , non omnes labo-

burantes, & oneratos à Chriſto ſeriò invitari; quandoquidem Chriſti invitatio in plurimis caret effectu; ubi autem effectus non eſt, juxta Queſnellum, ibi nec ejus deſiderium; igitur, quæ ea hoc naſci videtur, non eſt niſi ficta, & ſimulata invitatio, in quantùm ad omnes dirigitur, quorum plaroſque ad ſe venire non deſiderat, cùm plerique non veniant. III. Non magis ſeria atit vocatio *ad nuptias* Matth.22., aut *ad cœnam magnam* Lucæ 14. Ad quam multi non tantùm dicuntur vocati, ſed iterata invitatione preſſi quodammodo: utrobique autem aa invitatis nullus venire voluit. IV. unde dicendum aſt, quòd à Chriſto vocati ſint in ſpeciem amantiſſimè, ſed revera doloſè, & abſque ullo erga eorum ſalutem deſiderio; ſiquidem *deſideria Chriſti ſemper habent ſuum effectum.* Matth.23. v.37. Chriſtus Queſnelli axiomate imbutus, niſi fallere Judæos voluiſſet, dicere debuarat: Jeruſalem Jeroſalem quoties viſus ſum velle congregare filios tuos &c. ſed revera non volui, quia *deſideria* mea *ſemper habent ſuum effectum*. V. Quomodo tamen Chriſtus luculentiùs nobis exprimere poterat deſiderium ſalvandi Jeruſalem, quàm aſſumptâ ſimilitudine gallinæ, quæ, teſte S. Auguſtino, *præcipuè* inter ceteras aves *ſummo cum deſiderio, & ſollicitudine* pullos fovet? At in Queſnelli ſententia nullam ſolicitudinem, nullum deſiderium Chriſtus habuerit colligendi filios Jeroſalem, qui colligi noluerunt; ſed commiſerationis verba, & lacrymæ non fuerint hic, niſi mera comœdia; *ſiquidem deſideria Chriſti ſemper habent ſuum effectum*. VI. Non ita Cyrillus apud S. Thom. *Miſerebatur*, inquit, *eorum Chriſtus, qui omnes homines vult ſalvos fieri.* VII. Non ita Theophylactus in hæc verba: *Eo quòd non cognoveris &c. Veni enim viſitaturus, & ſalvaturus te*: juxta Queſnellum interpretandum erat: Veni viſitaturus, non ſalvaturus te; quia nullum te ſalvandi deſiderium habui; alioquin ſalvata eſſes, & erepta Romanorum excidio, cùm deſideria mea ſemper habeant ſuum effectum. VII. Non ita rurſus S. Thom. in illud Chriſti: SITIO: *Oſtenditur*, inquit, *ejus ardens deſiderium de ſalute generis humani*: 1. *Tim.* 2. *Vult omnes homines ſalvos fieri*: Ecce deſiderium non qualecunque, ſed ardens ſalutis omnium hominum: Chriſto autem nullum unquam deſiderium fuiſſe ſalutis reproborum, damnata Queſnelli novitas contendit, IX. quam in ſuperiore Propoſitione abundè confutavimus.

Poſterior proſcripti erroris pars aſſerens, Chriſtum ſemper *pacem intima cordium inferre, quando eis illam optat*, nihil continet, quod non habeatur in priore: *Pax*, teſte A Lapide, *Hebræis proſperitatem, ſalutem, felicitatem &c. ſignificat*. Chriſtum autem, Judæ Iſcarioti familiari ſuo, & Apoſtolo tot a ſe gratiis, & beneficiis ornato, nunquam ſalutem optaſſe, quomodo dici poteſt citra impietatem, & Salvatoris contumeliam?

CAPUT II.

Solvuntur objectiones. col.632.

I. ... III. Allegantur varii Scripturæ textus, quibus probatur Chriſti oratio audiri, exaudiri &c. quod verum eſt, quotieſcunque aliquid abſolutè, & efficaciter petit, ut omnes fatentur Interpretes. Sed non eſt eadem ratio de oratione qualibet ſub conditione, qualis fuit de paſſionis calice à ſe, ſi fieri poſſet, transferendo. Et vel hinc intelligere utcunque poteſt Queſnellus, non omnia Chriſti deſideria ſemper habuiſſe ſuum effectum; quia nec omnia abſoluta, nec ex ejus intentione fuere efficacia; ſed multa pendent à conditione, quâ proinde deficiente, deſiderium effectu ſuo fruſtrari neceſſe eſt. Tale eſt illud ſalutis omnium hominum. Vide Propoſ.30. c.1. n.2.

IV. Occaſione objecti loci ex Lucæ 22. v.3. ubi Chriſtus ad Petrum: *Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua*: oſtenditur, ex A Lapide, hic indubitatum privilegium, Petro, & ejus ſucceſſoribus commune à Chriſto impetratum fuiſſe, vi cujus ipſe & cæteri Pontifices nunquam publicè à fide deficerent, ſic ut Eccleſiam docerent hæreſim, vel errorem aliquem, qui ſit contra fidem. V. Si Pontifices è cathedra errorem in fide docere non poſſint, nec poſſunt doctrinam fidei conſentientem damnare. Qualia igitur ſunt tot Queſnelliana dogmata hæreſcos, aliiſque reſpectivè cenſuris à CLEMENTE UNDECIMO, pleraque etiam à Prædeceſſoribus ejus notata? Ex hoc ipſo tamen Evangelii textu Adverſarius cenſuram præſentis Articuli redarguit; quia ſcilicet Auguſtinus lib. de cor. & grat. c.8 ſignificat, orante Chriſto, ne fides Petri deficerat, certò non fuiſſe defecturam: Sed quid mirì? cùm, ut ibidem ſubjungit Auguſtinus, rogando ne fides Petri deficeret, rogatit, *ut haberet in fide liberrimam, fortiſſimam, invictiſſimam, perſeverantiſſimam voluntatem*, ope ſcilicet ſpecialium gratiarum, quibus *præparatur voluntas à Domino*, & per quas, tanquam media, deſideria abſoluta Chriſti ſortiuntur effectum. VII. Tale non fuiſſe omne Salvatoris deſiderium in Auguſtini ſententia, pluribus ejuſdem S. Doctoris textibus facilè probari poteſt. Serm. 4. de Sanctis: *Quando in cruce pendens orabat, videbat, & prævidebat omnes inimicos; ſed multos futuros amicos prævidebat, & ideo omnibus veniam poſtulabat*. Deſiderium igitur Chriſti, & hinc nata veniæ poſtulatio pro omnibus, non pro omnibus efficax fuit. Similia habet VIII. in Pſal.68. concione 1. poſt medium, IX. ſerm.3. de diverſis, X. & ſerm.59. de verbis Domini c.15.

XI. Opponunt etiam Adverſarii S. Proſperum, qui in epiſtola ad Rufinum c.6. de Petro ait: *Rogaverat pro eo Dominus, ne deficeret fides ipſius: nec utique fruſtrà rogaverat, cujus una erat cum eo, quem rogaverat, operatio.* Non fruſtrà rogaverat Chriſtus, quia oratio ejus abſoluta erat, & efficax. Quòd autem operatio Chriſti una eſſet cum eo quem rogaverat, probat, etiam Chriſtum potuiſſe efficere, quod rogabat. Ut aliquam ſpeciem præ ſe ferret objectio, citatur Proſper, quaſi diceret, *Oratio ejus inanis eſſe non poterat*.

XII. Ad ſimilem ei, qui objicitur, & non invenitur, Bernardi locum reſpondimus Propoſ.30. c.13. n.1, 2, & 3. XIII. De oratione etiam abſoluta accipiendum eſt illud Doctoris Angelici 3. par. q.21. a.4. cum ait: *Ad ſecundum dicendum, quòd Dominus non oravit pro omnibus crucifixoribus ... ſed pro his ſolùm, qui erant prædeſtinati*. Unde concludit: *Et ideo omnis abſoluta voluntas Chriſti, etiam humana, fuit impleta*. XIV. Quid pro communi ſententia clarius dici poteſt, quàm quod ſcribit S. Thomas in illud Joannis 18. *Ego pro eis rogo, non pro mundo rogo*: Sic enim interpretatur: *Chriſtus, quantùm eſt de ſe, pro omnibus oravit; quia oratio ſua, quantùm eſt de ſe, eſt efficax pro omnibus, ut valens toti mundo; ſed tamen non in omnibus ſortitur effectum, niſi in Sanctis, & electis Dei, & hoc propter impedimentum mundanorum*.

XV. *S. Thomas*, inquit P. Maſſoulié, *aliquando efficacem gratiam, aut orationem Chriſti nuncupavit, quæ tamen nihil efficiat ob voluntatis malitiam, quæ Divinæ gratiæ obluctatur*.

TRIGESIMASECUNDA DAMNATA PROPOSITIO.

Jesus Chriſtus ſe morti tradidit ad liberandum pro ſemper ſuo ſanguine primogenitos, id eſt, Electos, de manu Angeli exterminatoris. *Obſerv. Moral. Gal.* 4. *v.* 4, 5, 6, 7.

CAPUT I.

Damnatæ Propoſitionis error profligatur. col. 637.

I. Ad Gal. loc. cit. dicitur miſiſſe *Deus filium ſuum ... ut eos, qui ſub lege erant, redimeret, ut adoptionem filiorum reciperemus*, ubi nulla *electorum* mentio, ſed juſtorum, qui è Judæis à jugo legis ad ſtatum tranſierant filiorum adoptionis, quos ſi Queſnellus confuderit cum *liberatis pro ſemper primogenitis, id eſt, electis, de manu Angeli exterminatoris*, neceſſe eſt, ut, exemplo Calvini, prædeſtinationem à juſtitia non ſepararit. Propoſitio accepta in rigore verborum non excludit quidem, ſed

præſcindit à morte Chriſti pro ſalute etiam reproborum; in obvia tamen, & communi acceptione, qui Chriſtum pro ſalute electorum mortuum aſſerit, cenſetur excludere cæteros, ſaltèm in his temporum, & Janſenianæ hæreſis circumſtantiis, quæ Chriſti mortem ad reproborum ſalutem extendi non patitur. Unde Propoſitio in earum numero eſt, quas Conſtitutio *captioſas* vocat, *malè ſonantes, ſuſpectas, piarum aurium offenſivas*. Accedit, ſenſum Authoris hæreticum, & quintæ Janſenianæ conformem evidentiùs colligi ex Propoſ. 30. & 31. III. Præſentis itaque Articuli ſenſus eſt: *JESUS Chriſtus ſe morti tradidit ad liberandum pro ſemper ſuo ſanguine* ſolos *primogenitos, id eſt*, ſolos *electos de manu Angeli exterminatoris*; excluſionis notam non expreſſit, ſatis à ſuis ſubintelligendam ratus, & ut tanto faciliùs ſimplicibus illuderetur. IV. Vociferantur hic Queſnelli vindices, Propoſitiones non ſolùm *conjunctim*, ſed etiam *diviſim* prohiberi; hæc autem ſeparatim ſumpta in rigore vera eſt.

Reſpondeo primò, Propoſitiones etiam ſingulatim ſumptas non ſpoliari propterea circumſtantiis temporis, uſûs communis, & Authoris, eique adhærentium.

Reſpondeo ſecundò, Propoſitionem diviſim ſumptam, licèt de hæreſi planè manifeſtâ convinci non poſſit, non tamen eximi cenſuris reliquis: quod probatur inductione. V. Novator quiſpiam has, ſimileſque aſſertiones effutiat: *In Divinis eſt una natura, una perſona: In Chriſto una natura: Duo ſunt Legis novæ Sacramenta &c.* De his accuſatus Author, nonne, inquiet, Propoſitiones iſtæ veriſſimæ ſunt? Ubi tres perſonæ, vel duæ naturæ ſunt, nonne & una? Nonne in ſeptenario Sacramentorum numero invenitur & binarius? Sic Propoſitiones ſingulæ utcunque erunt veræ; ſed nihilominus ſemper ambiguæ, magiſque in pravos ſenſus propenſæ, & proinde dignæ, quas legitimus Judex captioſis, malè ſonantibus, ſuſpectis, piarum aurium offenſivis annumeret. VI. Id verò fictitios inter & Queſnellianum Articulos intereſt, quòd priorum verus, & innoxius ſenſus ab Authore intendi potuerit; non item poſterioris à Queſnello, utpote quintæ Janſenii hæreſis manifeſtè reus.

CAPUT II.

Fruſtrà Hexaplorum Author; fruſtrà Queſnellus ſe à Janſenio ſecernere nititur. col. 639.

I. HExaplorum Author, defenſurus Queſnellum, præmittit, quòd, quando hic agit de voluntate tum Dei, tum Chriſti erga ſalutem electorum, voluntatem ſemper intelligat abſolutam, & efficacem. II. Tum duo demonſtranda ſuſcipit. Primum, *quòd Queſnellus agnoſcat in Deo voluntates abſque effectu*. Secundum, *quòd doceat, velle Deum ſalvare omnes homines, & Chriſtum pro omnibus eſſe mortuum*. III. Diſcutiendum, qua fide utrumque aſſeratur; unde conſtet, ſitne Author circa præſentem Articulum extra omnem ſuſpicionem malitiæ. IV. Admittere Queſnellum in Deo ergà reproborum ſalutem voluntatem quamdam ſigni, & nudam complacentiam nihil gratiæ cauſantem, & qualis eſt erga ſalutem Dæmonum tanquam bonum abſolutè poſſibile, facilè credo, cùm hæc ipſa ſit doctrina Janſenii lib. 3. de grat. Chriſti c. 20. V. quæ, ut hunc non eximit ab hæreſi, ita nec eximit Queſnellum, qui nullam aliam Dei voluntatem inefficacem erga reproborum ſalutem agnoſcit. Vide Propoſ. 30. c. 14. n. 1. & 2. Alterum dogma examinandum ſupereſt.

Cùm dicitur Queſnellus docere, Chriſtum pro omnibus mortuum eſſe, ambiguum apparet, an id de omnibus hominibus, an ſolùm prædeſtinatis intelligat; ſive an de omnibus hominum claſſibus, & nationibus, an verò hominibus ſingulis. Quapropter ex eo quærimus, an nunc ſaltèm rejiciat illud Janſenii tomo 3. l. 3 de gratia Chriſti c. 20. *Proderit illi neceſſariò Chriſti ſanguis, & mors, pro quo ſanguinem illum fuderit, & mortuus fuerit: & cui nullo modo prodeſt, pro illo nec ſanguinem fudit, nec mortuus eſt?* Quod directè opponitur Tridentino aſſerenti ſeſs. 6. c. 3. *Etſi ille pro omnibus mortuus eſt; non omnes tamen mortis ejus beneficium recipiunt, ſed ii dumtaxat, quibus meritum paſſionis ejus communicatur*; quo Tridentini effato uti ſolent hodie Adverſarii contra communem doctrinam de gratia ſufficiente, VI. quanquam fruſtrà, ut videre eſt Propoſ. 30. c. 14. n. 8, 9, 10.

VII. Quàm merus ſit fucus Queſnelli dogma de morte Chriſti pro omnibus, & quàm, eo non obſtante, ſemper pertinax inhæreat quintæ Janſenianæ, VIII. . . . X. oſtenditur ex variis, teſtatiſſimiſque tum Arnaldi, tum ejuſmet ſcriptis, in quibus univerſam Janſeniani libri hæreſim poſt tot Apoſtolicæ Sedis iterata fulmina tueri pergit. Quid clarius eo, quod habent *Notæ ejus in epiſtolam D. Steyaert. Ad. ò non perſuadetur, ſenſum ob Authore* [Janſenio] *intentum hæreticum eſſe, ut jam demum credere cœperit Orbis Catholicus, nihil in ipſo non eſſe Catholicum?* Alibi etiam ſpeciatim ubi agit de morte Chriſti pro ſalute hominum, quod dogma nobis modò præ manibus eſt, Janſenii arctiſſimè inſiſtit veſtigiis, XI. XII. ut videre eſt in *Memoriali brevi* veterani è Clero Batavico Miſſionarii Innocentio Duodecimo, & Eminentiſſimis Congregationis de Propaganda Fide Cardinalibus oblato, XIII quòd tam acriter pupugit univerſam Novatorum factionem. Hic inter alia ſcribitur: *Ipſum, intimumque eorum fundamentum eſt, Chriſtum pro ſalute dumtaxat prædeſtinatorum mortuum eſſe, ſive quos ſolos Deus ſalvos vult.* Memoriali huic refutando, partibus ſuis tam fatali, mox calamum expedivere Janſenianorum Primipili Ægidius Candidus, & Queſnellus in *Fide, & Innocentia Cleri Batavici*; Ubi objectis graviſſimis nihil præter futiles exclamationes reponit: *Ubi incertitudo illa*, inquit, *in qua nos perpetuò hic vivere Deus voluit, an amore, an odio digni ſimus . . . ſi certitudine falli neſcia credere quiſque debeat, Chriſtum promeruiſſe ipſi omnes gratias, quæ neceſſariæ ſunt, ut vitare peccata, virtutes exercere & ſalutem et ipſe conſequi poſſit?* XIV. Mirabilis hic eſt affectata Queſnelli ignorantia, non diſcernentis inter certitudinem, qua credimus Chriſtum nobis promeruiſſe gratias ſufficientes, quibus ſalutem conſequi poſſimus, & inter eam, qua quis crederet, ſe per eas ad ſalutem certiſſimè perventurum; quaſi verò poſterior ſequatur ex priore; cujus ſequelæ falſitas nota eſt, vel ipſis Theologiæ tironibus. XV. Sed quid ad Theologos provoco? Nullus eſt fidelium, qui quantumcunque credat, ſe cum ſufficienti auxilio, quod, urgente præcepto, ſemper in promptu ſit, poſſe Divinis obedire mandatis, tamen ſibi orandum neſciat, ne inducatur in tentationem, id eſt, ut tentatio ceſſet, vel non pertrahat in peccatum. XVI. Inanes itaque ſunt Queſnelli adverſus doctrinam Catholicam declamationes, XVII. & fruſtrà diſcriminis aliquid captavimus inter ejus, & Janſenii ſententiam. Satis ipſi eſt, præſcribere ſequentes fidei noſtræ limites: *Nullus fidelium eſt, qui ſe ad ſalutem vocatum credere non debeat, & firma fiducia ſperare, merita paſſionis, & mortis Chriſti ſibi eſſe applicanda; modò in ſalutem ſuam labore debito incumbere . . . voluerit.* Quantum in ſubdolis vocibus eſt inane? quis enim juxta ipſum laborare ſalubriter poteſt abſque gratia efficiente? Hæc autem non conceditur omnibus; eâ ſæpe carent ipſi juſti, & fideles; alioqui nunquam juſtitia exciderent: in nullius eſt poteſtate, talem gratiam precibus, vel piis operibus in ejus ſententia acquirere; ad hæc enim iterum, imò ad initium volendi, atque ad ipſam volendi poteſtatem gratia requiritur efficax, ut conſtat ex ejus Propoſ. 2. & præter talem gratiam nulla à Queſnello admittitur, niſi renuntiet Propoſ. tertiæ, nonæ, decimæ &c. XVIII. Senſus igitur Queſnelli in iſta Janſeniſmi Batavici defenſione hic eſt, hæc fiducia ab eo credentibus inſtillatur: Quòd *nullus fidelium ſit, qui ſe ad ſalutem vocatum credere non debeat, & firma fiducia ſperare, merita paſſionis, & mortis Chriſti ſibi eſſe applicanda*; modo ex ſingulari Dei prædeſtinantis miſericordia donatus fuerit ea *gratia, quæ eſt operatio manus omnipotentis Dei, quam nihil impedire poteſt, aut retardare, & ſine qua nihil poſſumus*, & præter quam nulla datur? Atque hoc pacto fidelibus vocatio eorum ad ſalutem tam ipſis incerta redditur, quam prædeſtinatio: Imò evertitur illud Salvatoris in Evangelio: *Multi ſunt vocati; pauci verò electi*; cum nullius vocatio ſeria ſit, cui

Digitized by Google

cui noſcitur deeſſe veniendi facultas, quam omnibus non præſcitis deeſſe Chriſtus certiſſimè novit in Queſnelli principiis. Hinc præterea inutile redditur monitum ſalutem operandi cum timore, & tremore: neque enim ſalutis operatio, nec timor, & tremor ſalutaris eſſe poteſt ſine gratia, quæ ſi detur *nihil* effectum *ejus impedire poterit, aut retardare*; ſin minus, in manu noſtra non eſt eam acquirere, Queſnello judice; & ſic omnis noſtra ſollicitudo vana eſt. XIX. Ex eadem doctrina fluit ulterius; Deum fidelem non eſſe; cùm patiatur nos ſupra vires tentari, quotieſcunque tentationi cedimus, defectu gratiæ efficacis, cum qua ſolâ illam vinci poſſe, Queſnellus Author eſt; XX. adeòq; ſi qui ab illa ſuperatur, juſtus erat, ſequitur hunc priùs à Deo deſeri, quàm Deum deſerat, contra Tridentinum ſeſſ.6. c.11.

XXI. Ergo vani ſunt ſine ſenſu Catholico ſoni duæ Hexaplorum aſſertiones: Prima, *quòd Queſnellus agnoſcat in Deo voluntates abſque effectu*. Secunda, *quòd doceat, Deum velle ſalvare omnes homines, & Chriſtum pro omnibus eſſe mortuum*.

CAPUT III.

Fruſtrà Queſnellum vindicare conatur Author Variarum Theologorum Galliæ obſervationum. *col.* 648.

I. AUthor hic relato canone tertiæ Synodi Valentinæ, de quo Propoſ.30. c.6. n.5., & Tridentini textu, de quo ibid. c.14. n.8. ſic proſequitur: *Apertas haſce Eccleſiæ definitiones ſincera mente ſuſcipientes Theologi credunt, ac palàm profitentur, à Romanis Pontificibus Innocentio Decimo, Alexandro Septimo, Innocentio Duodecimo, & CLEMENTE UNDECIMO quintam Janſenii Propoſitionem tam quoad primam, quàm ſecundam partem meritò cenſuris acerbiſſimis notatam, atque in ipſo ejus libri ſenſu proſcriptam fuiſſe.* Hactenus Queſnelli vindex, II. ex quo duo ſciſcitari lubet: Primum, ſi hæc profeſſio ſincera eſt, cur, ad fidem Lectoribus de candore ſuo faciendam, ſenſum utriuſque partis, quam in quinto Janſenii Articulo damnat, non explicet, cùm ſatis conſcius ſit, quas tricas circa illum excogitaverint Janſeniſtæ? Alterum eſt, ut Galliæ Theologos, ſaltèm aliquos nominet, qui ſenſum utriuſque partis verè Janſenianum damnent, & tamen approbent Queſnellianum: Aliàs, cùm demonſtratum ſit, Queſnellum penitùs conſentire Janſenio, concludendum eſt adversùs hunc Queſnelli vindicem, quod condemnans Janſenium, & abſolvens Queſnellum, in præſenti de morte Chriſti controverſia, ne ſtatum quidem quæſtionis intelligat, vel peſſimæ ſit fidei, & tantò fraudulentior, quantò apparet ſincerior.

III. Recoquit deinde Hæreticorum crambem, cur locutio, cui ſimiles non infrequenter uſurpantur à Patribus, damnetur in Queſnello, IV. & quidem, ut habet Conſtitutio *Unigenitus*, non tantùm *conjunctim*, ſed etiam diviſim: ad hoc ultimum reſpondimus c.1. n.4,5,&6. V. Quod ad Patres attinet, dicimus, eorum locutiones, ut Queſnellianis ſono ſubinde ſimiles, ita ſenſu planè diſſentaneas, & orthodoxas in illis meritò admitti, in Queſnello ſuſpectas jure proſcribi. VI, VII. Probatur hoc evidenter duplici inductione; alterâ petitâ à myſterio Sacroſanctæ Euchariſtiæ, VIII, IX. alterâ acceſſitâ ex ſola fide juſtificante: de quo utroque dogmate multo inveniuntur in Patribus, quibus negari videtur realis Chriſti præſentia in Sacramento Altaris; alia item non pauca, quibus videtur aſſeri, ſolam per ſe fidem juſtificare. Si quis autem de utroque errore non graviter tantùm ſuſpectus, ſed & convictus ſimiles Patrum phraſes ſcriptis ſuis interſerat; nonne hæ, intactis Patribus, apud quos non niſi Catholico ſenſu intelligi conſtat, meritò proſcribentur in eo, quem aliunde ſcitur utriuſque hæreſis ſequacem eſſe, eamque & illi plures alios connexos errores libris ſuis, ac libellis innumeris quaquaverſum diſtractis ſatis clarè immiſcuiſſe? X. Hæc applica Queſnello, & intelliges, meritò proſcriptum eſſe hunc ejus Articulum: *JESUS Chriſtus ſe morti tradidit ad liberandum pro ſemper ſuo ſanguine primogenitos, id eſt, electos de manu Angeli exterminatoris*, nec ullo modo pati ſenſum Catholicum, quaſi etiam pro æterna aliorum liberatione mortuus ſit, quam veritatem tot alia ejus erronea dogmata excludunt; Neque enim multo ſtudio opus eſt, ut quis percipiat, non potuiſſe Chriſtum morte ſua velle ſalvare ullum non prædeſtinatum, ſi omnis gratia, ut docet Queſnellus, ſuum invictiſſimè conſequatur effectum: ſic enim evidens eſt, nulli reproborum obtigiſſe auxilia, quibus ſalvari potuerit; alioqui certò ſalvatus fuiſſet. Omnes autem in hac materia Patrum ſententiæ ſenſum Catholicum patiuntur, & exigunt, ut fusè oſtendunt Polemici.

XI. Puerile eſt, quod objicitur de inſcitia, vel mala fide eorum, qui præſentem Queſnelli Propoſitionem denuntiarunt, vel cenſuerunt, proſcribendam; quaſi Gallicum *pour jamais* verti non debuerit *pro ſemper*, ſed *in æternum*, & alias periculum foret, ne prior phraſis intelligeretur de temporanea tantum liberatione, quæ ultra hujus vitæ terminos non extenditur: Mirum eſt, id Queſnello non incidiſſe; ſed credo puduiſſe cavillationis tam frivolæ: Quis enim in Conſtitutione τὸ *pro ſemper* aliter intellexit, quàm *in æternum*?

CAPUT IV.

Proferuntur Queſnelli textus, quibus dicitur agnoviſſe voluntates in Deo carentes effectu. col. 654.

I. JAnſeniana hæreſis id habet præ cæteris ſectis ſpeciale, quòd à præconceptis erroribus nuſquam diſcedat, adeò ut ſi quæ inter dogmata videatur eſſe oppoſitio, non ſit niſi apparens. II. Queſnellus ſuam in fide integritatem probaturus, longam textuum ſeriem ex variis Obſervationum Moralium locis arceſſit, in quibus volitiones in Deo agnoverit effectu caſſas; & ad quos cæteras duriores locutiones revocandas eſſe contendit; ferè ut Sanctos Patres ſubinde obſcuriùs loquentos ſecum conciliamus ope aliorum locorum, quibus nihil ſubeſt ambigui. Verùm hos inter & Queſnellum id intereſt, quod genuinus ſenſus Sanctorum Patrum ex eodem, plerumque, vel vicino capite clareſcat; quæ autem excuſando Queſnello proferuntur paſſim ex remotioribus petita ſunt, & ſtant obnoxia malæ fidei. III. Ne innocenti dicamur inferre calumniam, novem, qui allegantur Queſnelli textus, ſeorſim expendemus IV. cum quinque, quas addunt Hexapla, animadverſionibus V. ad Queſnelli defenſionem, quæ utinam tam Catholica ſit, quàm ſpectato verborum cortice aliquibus nimiùm credulis, & Janſenianæ ignaris fallaciæ forſitan apparebit!

VI. Primus Queſnelli textus invenitur ad Matth. 23. v. 37. *Deus vult peccatoris pœnitentiam, cùm eam ipſi curet tot vocibus, & modis tam variis prædicari: ſed peccator auſcultare detrectat.* Hinc ſic argumentantur Hexapla: *Deus vult, ſed non vult peccator, dantur igitur in Deo voluntates abſque effectu.* Sed exponendum ſupereſt, quâ voluntate Deus velit; an voluntate ſigni tantummodo, quæ prorſus impropria eſt, an etiam beneplaciti, quæ etſi non ſemper efficiat, quod deſiderat, media tamen offert ad finem intentum ſufficientia, &, ſi per creaturam non ſteterit, etiam largitur efficacia. Sine gratia quantumcunque ſudet concionatorum eloquentia, nunquam fiet, aut fieri poterit, ut peccator auſcultet propoſitæ ſibi reconciliationi, & juſtitiæ. In nova autem Queſnelli Eccleſia omnis gratia eſt efficax; itaque peccator, qui auſcultare detrectat, auſcultare non potuit. Explicet igitur nobis Adverſarius, quam ſeriò, & bona fide nobis exhibeat Deum volentem, ut peccator reſipiſcat, cui nec præparat, nec offert auxilium ſufficiens. Quid ſine hoc proſunt *tot voces, & modi tam varii*, quibus pœnitentia prædicatur? Quid ſine hoc boni à peccatore ſperari poteſt? VII. VIII. Reſtat ergo, ut allegatus Queſnelli textus hunc ſenſum faciat Deus vult peccatoris illius pœnitentiam impoſſibilem, cùm eam quidem ipſi curet tot vocibus, & modis tam variis prædicari; ſed nullo oblato ei gratiæ ſufficientis auxilio, ſine quo neminem pœnitere criminum ſalubriter poteſt. Quid igitur miri, quòd peccator auſcultare detrectet, dum auſcultare non poteſt? Niſi hæc Queſnello pla-

placeat deſipere cum Pelagio, & dicere, quòd ad pœnitendum ſufficiat auditus legis, & doctrinæ. Hinc facilis eſt ad reliquos Queſnelli textus reſponſio.

IX. Secundus duas partes complectitur. Prima habetur ad Marci 6. verſ. 14. *Peccator pacem non habet, cum eam deſiderat, quia à Deo oblatam rejecit;* oblatam ſcilicet in Adamo. poſtea verò non niſi fictè & fallaciter; cùm ſciret Deus, acceptari non poſſe, denegatâ gratiâ efficaci, præter quam nulla datur; & ſinè qua *peccator non eſt liber niſi ad malum* per Prop. 38. X. Altera ſecundi textûs pars legitur ad Marci 7. verſ. 29. *Multum refert bene uti occaſionibus, quas Deus nobis offert ad aliquod virtutis exercitium, cum ſalus unicæ quandoque occaſioni affixa ſit. Omnia exponis periculo, ſi eam elabi patiaris.* Sic eſt: verùm quam hæc Catholicè à Catholicis, tam fallaciter enuntiantur à Queſnello. Non enim in poteſtate hominis in Adamo lapſi eſt quidpiam boni facere abſque efficiente gratia juxta 2. & tot alias damnatas Propoſitiones; cùm illâ autem exercitium boni operis nunquam omitti clarum eſt: Quotieſcunque igitur boni occaſionem elabi homo patitur, juxta Queſnellum patitur neceſſariò; quia occaſione uti ſinè gratia eſt impoſſibile; cum hac verò non minùs impoſſibile eſt occaſionem negligere; quia *gratiam nihil impedire poteſt, aut retardare* per Prop. 10. Unde mendacio ſcatet, quidquid à Queſnello affirmatur de volitionibus Dei ſinè effectu, & de oblatis exercendi boni occaſionibus, quas amplecti homo potuerit, & malitiâ ſuâ prætermiſerit.

Futilis pariter, & vana eſt addita hæc ab Hexaplis Queſnelliano textui annotatio: *Juxta P. Queſnel Deus alligat ſalutem oblatæ a ſe nobis occaſioni: vult itaque nos ſalvare; ſed nos eam ſubinde elabi patimur; quo caſu & Dei voluntas tunc abſque effectu eſt;* qui ſcilicet produci non potuit, defectu gratiæ nobis à Deo negatæ.

CAPUT V.

Expenduntur tres ſequentes Queſnelli textus. col. 659.

I. TErtius Queſnelli textus ſic habet: *Deus ſalutem mariti ſubinde alligat pietati uxoris, & hujus ſalutem pietati mariti; unde utrique cavendum diligenter, nè deſit Divinæ miſericordiæ conſiliis circa conſortem.* In quem locum ſic annotant Hexapla: *Deus rebus aliquibus ſalutem noſtram adſtringit, & deeſſe poſſumus miſericordiæ ejus conſiliis. Cui dein dubium apparere poterit, quin P. Queſnellus agnoverit in Deo volitiones ſinè effectu?*

II. Sed quæritur, in quo & quandonam deeſſe alteruter conjugum poſſit Divinæ circa alterum miſericordiæ conſiliis, aut cavere, nè deſit. Si gratia illi adfuerit, in Queſnelli ſententia deeſſe conſiliis Dei non poterit; quia jam vidimus, omnem gratiam juxta novæ Eccleſiæ definitionem eſſe *operationem manus omnipotentis Dei, quam nihil impedire poteſt, aut retardare.* Si verò auxilium illud abfuerit, Divinæ miſericordiæ conſiliis obſequi non poterit, quia per Prop. 40. *Sinè gratia nihil amare poſſumus, niſi ad noſtram condemnationem.* Tota itaque ad pietatis ſpeciem adornata Queſnelli monitio inanis in ſenſu ejus eſt, & ad occultandam hæreſim ſubdolè compoſita: fuit pariter fraudulenta Hexaplorum ad Queſnelli verba obſervatio.

III. Quod quarto loco producitur, pium indubiè foret, ſi Catholico ſenſu in Authoris principiis eſſet vacuum. Utinam, inquit Queſnellus, ad Joan. 6. verſ. 57. *tuo, Domine, obſequar deſiderio, ut in te maneam . . . neque illi mea deſideria perverſa obicem ponant!* Meritò ſic optant, & timent omnes Catholici; ſed Queſnellus Prædeſtinatianæ hæreſis inſtaurator novit, quid ſcripſerit Propoſit. 31. *Deſideria Chriſti ſemper habent ſuum effectum,* & Prop. 30. *Omnes, quos Deus vult ſalvare per Chriſtum, ſalvantur infallibiliter.* Si Chriſti, adeoque Dei deſideria ſemper habent ſuum effectum, quis metuet, nè ſua perverſitas eum impediat? Si Deus deſideret, ut in ſe maneas & ſalveris, manebis & ſalvaberis infallibiliter; ut ſinè ambagibus utraque enuntiat Propoſitio, quò & plures aliæ conſpirant.

IV. Quintus Queſnelli textus ad Marci 6. verſ. 6. ſic enuntiat: *Ingrati animi vitium, junctum incredulitati, manus ligat Divinæ beneficentiæ.* Nihil etiam hac ſententia apud Catholicos verius eſt: ſed in Queſnelli principiis nil falſum magis. Quid enim eſt, cur Deum ingratus mortalium animus tantopere commoveat in miſeros, poſt Adæ lapſum omni privatos boni operis libertate, & in perpetuam conjectos peccandi neceſſitatem; niſi dum omnipotenti, & inſuperabili gratiæ muniuntur ſubſidio? Nam omnis quidem *gratia* per Prop. 10. *eſt operatio manus omnipotentis Dei, quam nihil impedire poteſt aut retardare:* ſed eâ, quæ paucis, & ex mero Dei placito conceditur, abſente, quid reliquis ſupereſt, niſi, ut & perpetuò peccent & neceſſariò per Prop. 40.? V. Num forſitan Queſnellus dicet, quòd, etſi abſque gratia peccetur continuò, non tamen peccetur neceſſariò, ſed liberè idque per Propoſitionem 38. *Peccator non eſt LIBER niſi ad malum, ſinè gratia liberatoris?* Quia nempe, ut explicat Janſenius lib. 4. de ſtatu naturæ lapſæ c. 25. *Neceſſitas à nobis tradita ſolùm eſt neceſſitas in genere, ex qua fit, ut non poſſint homines ante gratiam agere, niſi malè. Hæc autem (neceſſitas) non impedit, quo minùs in peccatis ſingularibus perpetrandis liberam, & indifferentem ad faciendum, & abſtinendum habeant voluntatem;* dum inter peccata remanet libera electio, ut abſque gratia poſſit homo E. C. ſuperbiam avaritiâ, gulam libidine ſuperare. VI. Verùm prætérquam, quod per ſe abſurdiſſimum ſit, homines ſinè gratia adſtringi peccandi neceſſitati, etiam conceſſâ inter crimina electione; tamen nè tantillam quidem libertatem ex Janſenii principiis ſupereſſe demonſtro. VII. Nam, ut habet l. 2. de ſtatu naturæ lapſæ c. 24. *Nunc nullum peccatum aliter, niſi concupiſcentia voluntatem provocante, & voluntate concupiſcentiæ conſentiente* perpetratur. Concupiſcentiæ autem delectatio hominem ad peccatum alliciens, non eſt vaga, & ad malum in genere; ſed, ut ipſa determinata eſt, & certæ ſpeciei, libidinis, avaritiæ, vel ſuperbiæ; &c. ita ad peccatum provocat ſpeciei determinatæ: Atqui juxta axioma Janſenii, Auguſtini quidem verbis, ſed minimè ſenſu propoſitum, *quod amplius nos delectat* (delectatione antecedente, & indeliberata; cùm Auguſtinus de deliberata, & opus ipſum conſequente intelligat) *ſecundum id operemur neceſſe eſt:* Ergo in hominis poteſtate non eſt unum peccatum eligere præ alio v. g. avaritiam, præ libidine, ſi hujus, quàm illius delectatio indeliberata validior eſt. Unde perſpicuum eſt, nullam penitùs libertatem à Janſenio, & ejus ſectatoribus relinqui, ſive abſtinendi à crimine, ſive unum alteri præferendi.

VIII. Quo ergo jure increpantur ingrati, & increduli, quod vitiis ſuis manum Dei alias ad beneficia expeditam impediant? Non poteſt profectò ſincera eſſe Dei benevolentia, ſi peccatis neceſſitate commiſſis è benefaciendo retrahi ſe ſinat, aut ſimulet; cùm nemo *peccet in eo, quod caveri non poteſt* teſte Auguſtino, nec ex eo redundare poſſit *punitio,* aut *vituperium,* teſte Angelico; quod conforme eſt Divinæ humanæque regulis æquitatis.

CAPUT VI.

Expenduntur reliqui Queſnelli textus. col. 664.

I. NIhil etiam ſinceri ineſt textui Queſnelli ſexto ad Lucæ 19. verſ. 42. *Non eſt calamitatum maxima eſſe peccatorem; ſed non agnoſcere ſuum peccatum, neque ejus remedium; & ſalutarem repellere manum medici volentis nos ſanare per pœnitentiam.* De obdurato peccatore ſermo eſt: quomodo autem poteſt hic in Queſnelli ſyſtemate peccatum ſuum agnoſcere ſicut oportet, quandoquidem per Prop. 6. Nihil *aliud remanet animæ, quæ Deum atque ipſius gratiam amiſit, niſi peccatum, & peccati conſecutiones, ſuperba paupertas, & ſegnis indigentia, hoc eſt, generalis impotentia ad laborem, ad orationem, & ad omne opus bonum?* Sub qua generali impotentia, etiam ad orationem, quæ deberet cœleſte lumen, & robur expoſcere; fruſtrà ſunt omnia ad pœnitentiam hortamenta. Sed, inquies, *repellit manum ſalutiferam medici volentis ipſum ſanare per pœnitentiam.* Quid verò hic eſt repellere manum medici, niſi peccata vetera novis cumulare? An vero deſtitutus gratiâ aliud poteſt, ſi quidem ſinè ea *peccator non eſt liber niſi ad malum,* nec quidquam *amare poſſumus, niſi ad noſtram condemnationem* per Prop. 38. & 40.?

ISiI.

II. Si luminis Divini radius peccatori oborir̄etur, mox agnoſceret morbum ſuum, nec manum medici repelleret: num per Prop. 14. *Quantumcunque remotus a ſalute ſit peccator obſtinatus, quando JESUS ſe ei vid num exhibet lumine ſalutari ſuæ gratiæ, oportet, ut ſe dedat, accurrat, ſe humiliet, & adoret Salvatorem ſuum*, imo peccator eſſe hoc ipſo deſineret, quia per Prop. 28. *Prima gratia quam Deus concedit peccatori eſt peccatorum remiſſio*. III. Ut inſiſtamus medici ſimilitudini, nonne is ab omnibus inſanire diceretur, ſi ideo curare phreneticum nollet, quia is ſui impos, ſaluciferam manum repuliſſet? Porro peccatori gratiâ deſtituto juxta Queſnellum non magis eſt liberum non peccare, quam phrenetico non delirare, vel cæco non videre, vel ſurdo non audire, vel tibiis fracto non incedere, quæ poſtremæ comparationes adhibentur à Janſenio l. 2. de gratia Salvatoris c. 1. IV. Clementior ſanè juxta Catholicos eſt totius humani generis medicus, qui cuilibet, quantumvis etiam infirmo, dum halitus & ratio ſupereſt, remedium, etiam poſt plures repulſas, præſentiſſimum offert, quo ſe valeat à funeſto peccati ſtatu expedire.

V. Textus ſeptimus habetur ad Apoc. 8. verſ. 13. *Sæpe maximis flagellis præmittuntur monitiones; adeo deſiderat Deus noſtram ſalutem, & quodammodo invitus punit*. Verùm quia rurſus moniti hujus, & mille ſimilium in Queſnelli principiis poteſt eſſe fructus? Nihil enim monitio exterior abſque interiori gratia proderit ad ſalutem. Omnis autem juxta Queſnellum gratia, qua v. g. pœnitere poſſumus, mox pœnitentiam operatur per Prop. 10. Sine gratia nec bonum agere poſſumus, nec peccatum vitare, imò per Prop. 5. *Quando Deus non emollit cor per interiorem unctionem gratiæ ſuæ, exhortationes, & gratiæ exteriores non inſerviunt niſi ad illud magis obdurandum*. Præterea nihil boni nobis poſſibile eſt, niſi quod re ipſa præſtamus per Prop. 4. *Ita, Domine, omnia poſſibilia ſunt ei, cui omnia poſſibilia facis, eadem operando in illo*, cætera ſunt impoſſibilia. Quapropter juxta Prop. 3. *in vanum Domine, præcipis* vel mones *ſi tu ipſe non das, quod præcipis* vel mones.

VI. Ex eodem Queſnelli textu nihilo meliùs conficitur ulla Dei ſinè effectu volitio, niſi hoc nomine intellexeris ſimplicem complacentiam, qualem Deus etiam, juxta Janſenium habet erga liberationem damnatorum, in qua ſibi, velut in bono poſſibili, complacet, abſque ullius tamen oblatione medii, quo liberationem unquam conſequi poſſint. VII. Atque ita ſimplicibus imponitur, dum credunt, Queſnellum loqui de voluntate beneplaciti, ſeriâ, præparatrice mediorum ad ſalutem, conſequente peccatum Adami, & antecedente reproborum obitum; VIII. cùm interim in ejus ſyſtemate Deus reprobos omnes, ante ullius propria voluntate commiſſi criminis præſcientiam, decreverit auxiliis ad ſalutem ſufficientibus penitùs orbandos; quo poſito, eos in peccato emori neceſſe eſt, neceſſitate prorſus indeclinabili, & omnem eorum actum liberum prorſus antecedente. IX. Credimus nos è contrario, quod Deus noſtrum omnium ſalutem ab æterno voluerit, & velit ea voluntate antecedente, quæ prorſus ſufficientia ſingulis offerat ſalutis præſidia, unde, & dicimus & credimus, quòd *Deus ſalutem noſtram deſideret*; neutrum credere poſſunt Adverſarii: cùm enim in ſolis prædeſtinatis ſufficientia hic agnoſcant ad ſalutem auxilia, non certiùs affirmare poſſunt, quòd *Deus ſalutem noſtram deſideret*, quàm quòd *nos ad ſalutem prædeſtinet*. Si Deus vel Chriſtus ſalutem reproborum deſideraret, jam tales eſſe deſinerent, cum per Prop. 31. *Deſideria Chriſti ſemper habeant ſuum effectum*. X. Non magis in Novatorum doctrina elucet ea Dei clementia, qua dicitur punire *quodammodo invitus*; utpote qui nulli peccantium peccati vitandi facultatem tribuit, nemini impœnitentium largitur, unde eum poſſit ſalubriter pœnitere: adeò in objectis Queſnelli textibus nihil ſincerum, nihil non ex fraudibus conſutum eſt.

XI. Octavus ad Act. 22. verſ. 18. ſic docet: *Deus retrahit ſuos miniſtros, ſuum verbum, ſuum lumen ab iis, qui non utuntur, ut oportet, in quo ſtatu nos ſumus, quando Deum adigimus, ut nos deſerat*. Ad quæ ſic obſervat Hexaplorum Author: *Quid dici fortiùs poteſt, quam IPSUM ADIGIMUS? Si ipſum cogimus, ut illuſtrationes ſuas nobis ſubtrahat; voluit igitur illas nobis conſervare*. XII. Atqui tamen juxta tot proſcriptos Queſnelli articulos nunquam fieri poteſt, ut in eo ſtatu ſimus, in quo, quia Divino lumine uſi non fuerimus, Deus ad nos deſerendum adigatur; cùm neglectus ſeu non uſus gratiæ poſt Adæ lapſum non tantùm nunquam contigerit, ſed ne contingere quidem poſſit, ſalvâ gratiæ ideâ tot figuris nobis a Queſnello deſcriptâ. Ex tot ejus Propoſitionibus id manifeſtè ſignificantibus, ſufficiet hic nobis ſola undecima ita enuntians: *Gratia eſt operatio manus omnipotentis Dei, quam nihil impedire poteſt aut retardare*, ergo & quam nihil impedit aut retardat, & quâ datâ proinde nunquam non utentes, nunquam Deum ob ejus neglectum ad nos deſerendum adigimus. Nihilominus cùm contrarium Queſnellus aſſerat, num evenerit fortè ipſi, quod ſubinde hæreticis, ut præter, & contra intentionem verum prædicet?

XIII. Nonus denique Queſnelli textus ad Marci 11. v. 14. ſic pronuntiat: *Exemplum S. Matthæi nihil in Juda operatum eſt, quamvis fortè JESUS iſtud ei ob oculos ponere voluerit*: ubi vel ſupponitur Chriſtus propoſitioni exempli addidiſſe in Juda gratiam intellectûs & voluntatis; vel eum cæcitati ſuæ, & duritiæ reliquiſſe: ſi exemplo gratiam junxerit, jam certò in Juda aliquid operatum fuerit juxta tot damnatos Articulos de invictiſſima omnis gratiæ efficacitate: ſi nō junxerit, impoſſibilis fuit Judæ converſio, ut fides contra Pelagium docet, & Queſnellus ipſe agnoſcit, quamvis cæteroqui fidei limites excedat in Prop. 39. & 40. Sicut ergo ea exempli propoſitio ſinè gratiæ auxilio non ſufficiebat, ut Judas converteretur, ita neque ut Chriſtus converſionem ejus velle diceretur. Voluntatis ſcilicet nomine, uſu loquendi, & obvia ſignificatione, alia non intelligitur, quàm quæ apud Scholaſticos *beneplaciti* nuncupatur: hæc autem licèt non ſemper ſit efficax quoad finem, eſt tamen quoad media, quæ verè ſufficientia præparat, XIV. & quibus Judam uti potuiſſe, ſed malitia ſua noluiſſe, ſanioribus Theologis, præeunte S. Leone, indubitatum eſt.

Novem itaque allatis è Queſnello textibus nulla ſtatuitur vera Dei volitio poſt Adami lapſum inefficax.

CAPUT VII.

Examen trium primorum textuum Queſnelli, quibus dicitur docuiſſe, quòd Deus velit ſalutem omnium hominum, & Chriſtus pro omnibus mortuus ſit. col. 672.

I. QUiſquis Janſenianæ fraudis ignarus legit in Hexaplis, *Queſnellum docere, Deum velle ſalutem omnium hominum, & Chriſtum pro omnibus eſſe mortuum*, minimè dubitabit, pertinere eam Dei voluntatem, & Chriſti mortem ad omnes, prout modo ſunt, homines. Verùm is neque Hexaplorum, neque Queſnelli, quem ejus textibus vindicandum ſuſcipiunt, ſenſus eſt; utpote nimium repugnans tot illius Articulis, quibus voluntas Dei, & mors Chriſti pro ſalute eorum ſolummodo, qui eam adepturi ſunt, dilucidè affirmatur. Expendamus textus ſingulos. II. Primus habetur ad Lucæ 10. v. 9. *Dei filius non miſit ſuos Miniſtros, niſi ut regnum omnibus hominibus annuntient, eoſque omni beneficiorum genere ad illud accipiendum compellant*; cùm tamen pauci ex omnibus, ſcilicet electi, juxta Queſnellum, accipere illud poſſint; cùm iis ſolis gratiam ad hoc dare decreverit, eamque efficacem, ſioè qua per Prop. 5. *Exhortationes, & gratiæ exteriores non inſerviunt, niſi ad cor magis obdurandum*. III. Hæc animadverſio ultro applicatur textui Queſnelli ſecundo ad Matth. 11. verſ. 28. *JESUS neminem excipit, omnes invitantur & urgentur, ut ipſum adeant*, cùm interim nemini venire poſſibile ſit, niſi cui Deus id poſſibile facit per actualem ad ſe acceſſum, juxta Prop. 4. Nonne iſtud eſt JESUM invitatorem reddere fraudulentum, qui omnes, nemine excepto, ad Agni nuptias invitet & urgeat, & paucis poteſtatem veniendi faciat, cùm in paucis operetur, ut veniant?

IV. Tertius textus reperitur ad Marci 4. verſ. 6. *Nullam oportet excludere regionem: quia Chriſtus vult, ut omnibus prædicetur*, etſi non velit ſerio, ut omnes credant, vel credere poſſint; ſed ii ſolummodo, quibus id poſſibile facit, fidem operando in iis per Prop. 4. Sapiens enimvero, &

Digitized by Google

Deo digna volitio, quâ omnibus prædicari valit fidem, etſi pleriſque impoſſibilem. Quomodo ergo, *qui non crediderit, condemnabitur*? Peccatne ſurdus non audiendo; cæcus non videndo? Peccant tamen omnes, qui audito Evangelio non credunt: vel igitur credere poſſunt vel, ſi nequeunt, omiſſio fidei novo peccato deputari non poteſt. Teſtatur Chriſtus, quòd, ſi non veniſſet, nec locutus eis fuiſſet, peccatum non haberent; quia credendi impoſſibilitas eximit à culpa, non in Queſnelli, ſed in æternæ veritatis judicio. Quapropter Queſnelli textus non inſervit, niſi velando iniquitatis myſterio. VI. . . . XI. quod hic in lucem publicam egregiè pertrahitur, oſtenditurque, Queſnellum, quantumcunque admittere ſe ſimulet benigniorem Dei voluntatem erga ſalutem reproborum quàm damnatorum; non magis tamen in illis, quàm in iſtis ſufficientia ad eam media conſiteri. Vide Prop. 33. c. 5. num. 9. 10. 12.

CAPUT VIII.

Expenditur ulteriùs tertius Queſnelli textus, & quæ ſit juxta ipſum voluntas Chriſti antecedens. col. 678.

I. VOluntas iſta Chriſti antecedens, quâ vellet omnes Eccleſiam intrare, etiam eos, qui non intrant, nec intrare poſſunt, eſt, juxta Queſnellum in ſuâ *Traditione Eccleſiæ*, tomo 3. pag. 379., *voluntas ſigni, ſive declaratio voluntatis Dei tanquam Legiſlatoris*. Ut autem declaratio voluntatis nonniſi impropriiſſimè voluntas dicitur; ita voluntas ſigni non eſt propriè in Deo; ſed ſignum externum ſolummodò voluntatis, nulla conferens auxilia neceſſaria, vel ſufficientia ad ſalutem. Unde cum aſſertione ejuſmodi voluntatis *antecedentis & ſigni* facilè cohæret *hæreſis, impietas, & blaſphemia* Propoſitionis quintæ Janſenianæ.

II. Quamquam Queſnellus nè quidem iſtam voluntatem *ſigni* in principiis ſuis Deo tribuere poſſit citra impactam Divinæ Sapientiæ calumniam. Nomine enim voluntatis ſigni veniunt apud Scholaſticos præcepta, monitiones &c. Hæc autem licèt ex ſe media ſufficientia non præbeant; tamen aliunde præſtita vel oblata ſupponunt, alioqui *quis* . . . *non clamet*, inquit Auguſtinus, *ſtultum eſſe, præcepta dare ei, cui liberum non eſt, quod præcipitur, facere*? Talem autem Deo ſtultitiam Queſnellus irrogat, dum ab infinita hominum multitudine, quibus Evangelium nunquam prædicatum eſt, obſervationem exigit mandatorum impoſſibilem, quia per Propoſit. 27. *Fides eſt prima gratia*, & per 29. *Extra Eccleſiam nulla conceditur gratia*. III. Eadem etiam omnis boni operis impoſſibilitas obtinet in omnibus ante reconciliationem peccatoribus, quia per Prop. 28. *Prima gratia, quam Deus concedit peccatori, eſt peccatorum remiſſio*. IV. . . . XII. Ex dictis liquet, quàm inani verborum pompa in eadem *Eccleſiæ Traditione* dicatur Chriſtus velle Eccleſiam patere omnibus, omnes ad ſe invitare, allicere, hortari tum ſuis, tum Apoſtolorum, & ſequentium eos Miniſtrorum Dei prædicationibus, urgere etiam præceptis, inſtare minis, objurgationibus, ſuppliciis contra negligentes: quos interim deſtituit omni interioris gratiæ ſubſidio, ſinè quo Eccleſiam intrare, aut quomodocunque ſe ad juſtitiam, & ſalutem diſponere tam impoſſibile eſt, *quam homini cæco ut videat, vel ſurdo ut audiat, vel tibiis fractis, ut rectè gradiatur*, inquit Janſenius l. 2. de gratia Chriſti c. 1.

Nec quamquam decipiat, quod ait Queſnellus, velle Deum, ut etiam *obſtinatiſſimi* peccatores *oblatis mediis* utantur. Quid enim rurſum ſunt hæc oblata media niſi gratiæ exteriores, exhortationes, Sacramenta, exempla Chriſti, & Sanctorum &c? Quæ ſinè interiore gratia cor emollienta, *non inſerviunt niſi ad illud magis obdurandum* per Prop. 5. Conſequenter illa voluntas, qua Deus velle dicitur, ut obſtinatiſſimi peccatores iis mediis, minimè ad juſtitiam, & ſalutem ſufficientibus, utantur, non eſt niſi nuda complacentia in converſione peccatoris abſolutè poſſibili, tanquam in re, *quæ intra ordinem eſt, & quæ juſta, & bona eſt*; ut ibid. explicat Queſnellus pag. 363. XIII. addens inſigni planè fallaciâ, *Deum ſupra ipſos reprobos multas ſive exteriores, ſive interiores gratias effundere, quibus abuti iniquum eſt*: quandonam enim contingit, ut quis abutatur gratia, quæ per Prop. 11. *Non eſt aliud quam voluntas omnipotentis Dei jubentis, & facientis, quod jubet*, & per Prop. 10. Eſt *operatio manus omnipotentis Dei, quam nihil impedire poteſt, aut retardare*. An fortè gratia abutitur, qui, ea deſinente, in peccatum incidit? At ceſſante gratia *nihil amare poſſumus niſi ad noſtram condemnationem* per Prop. 40. XIV. Abuſus gratiæ juxta Janſenianam fraudem eſt, quando concurrens tentatio fortior impedit actum perfectiorem, quem gratia alioquin operaretur; unde fit, ut voluntatem in actu bono inferioris ordinis, ſive velleitate ſiſtere neceſſe ſit: atque hoc Janſenii defenſoribus ſufficit, ut Alexandro Septimo, & aliis Pontificibus inſultent, quaſi ſecundam Janſenii Propoſitionem in ejus ſenſu perperam damnaverint: cùm tamen conſtans ſit Iprenſis Auguſtini ſententia, gratiam in hoc ſtatu ſemper tantum operari, quantum hic & nunc operari poteſt; licèt non ſemper operetur id, ad quod excitat, quia ad illud non ſemper ſufficit. Vide, cui licèt, Janſenium ab initio l. 2. uſque ad caput 27. ubi contendit, *nullum dari, poſt lapſum, auxilium ſufficiens, quin ſimul efficax ſit*, qui eſt ipſe titulus capitis primi. In hac ergo hypotheſi evidens eſt, hominem nunquam abuti gratia; nec poſſe accuſari iniquitatis, quòd cum gratia non operetur ultra ejus vires, & voluntatem *omnipotentis Dei jubentis & facientis, quod jubet* per Prop. 11. XV. Denique non minùs perſpicuum eſt, hac ratione non explicari voluntatem Dei ſalvandi omnes homines, & mortem Chriſti pro ullius reprobi ſalute. Ex his, & ſparſim alibi dictis facilis eſt ad reliquos Queſnelli textus reſponſio, quam videre potes capite ſequenti deductam.

CAPUT IX.

Examinantur reliqui Queſnelli textus, quibus dicitur docuiſſe, velle Deum ſalutem omnium hominum, & Chriſtum pro omnibus mortuum eſſe. col. 686.

TRIGESIMATERTIA PROPOSITIO DAMNATA.

Proh! quantum oportet bonis terrenis, & ſibimetipſi renuntiaſſe, ad hoc, ut quis fiduciam habeat, ſibi, ut ita dicam, appropriandi Chriſtum JESUM, ejus amorem, mortem & myſteria, ut facit S. Paulus dicens: Qui dilexit me, & tradidit ſemetipſum pro me. *Obſerv. Moral. ad Gal. 2. verſ. 20.*

CAPUT I.

Detegitur hæretica hypocriſis. col. 694.

I. QUamlibet non tantùm poſſe, ſed etiam debere quodammodo ſibi appropriare amorem Chriſti, mortem, myſteria, II. & conſequenter applicare ſibi hanc Pauli ſententiam, *Qui dilexit me, & tradidit ſemetipſum pro me*, abunde evicimus ad Prop. trigeſimam ex ſacra omnis generis authoritate. Sola ad hoc ſufficere deberet Magni Concilii Nicæni authoritas hanc fidei confeſſionem præcipientis. *Credo . . . in JESUM Chriſtum . . . . qui propter NOS homines, & propter NOSTRAM ſalutem deſcendit de Cælis . . . Crucifixus etiam pro NOBIS*. Hic enim ſinguli ſe, & ſalutem ſuam plurali numero continent, adeoque ſalutem ſuam à Chriſto carnem aſſumente, & paſſo intentam eſſe profitentur. Unde terrenorum omnium abdicatione vel renuntiatione bonorum opus non eſt; ſed ſolâ Chriſtianâ Fide, ut quis Chriſtum, qui juxta Tridentinum *pro omnibus mortuus eſt*, etiam conſequenter pro ſe mortuum credat. Propterea Apoſtolus ſingulos nos ſecum dicere docuit: *Qui dilexit me, & tradidit*

didit

Digitized by Google

didit ſemetipſum pro me; III. quorum verborum Queſnelliana interpretatio temeraria, & *petulantiæ ingenii* fœtus eſt, IV. utpote fabricata *contra eum ſenſum, quem tenuit, & tenet Sancta Mater Eccleſia*, ut loquitur Trid. decreto de Canonicis Scripturis. Audiamus meliores Interpretes.

V. Tridentinus Theologus, & Illuſtris Scripturarum Expoſitor Alphonſus Salmeron in hunc locum ait: *Chriſtus Dominus, etſi pro omnibus hominibus ſe tradiderit immolandum, & proprium effuderit ſanguinem; tanta tamen charitate hoc pro omnibus præſtitit, ac ſi pro ſingulo quoque noſtrum id effeciſſet*. Eſtius, Adverſariis minimè ſuſpectus, eadem verba refert ad Paulum, ut *ſervum peccati, & preſſum onere Legis*; nam quamvis, cum hæc profiteretur, vita juſtitiæ viveret, juxta illud *vivo autē jam non ego &c.* profectò tamen tempus illud reſpicit, quo peccator erat & damnationi obnoxius. VI. Idem Eſtius ſic proſequitur: *Chriſtianæ gratitudinis eſt, Chriſtum fateri non ſolum pro omnibus electis in mortem ſe dediſſe; ſed ita Chriſti beneficium, quod multis commune eſt, interpretari, ut quiſque ſibi perſuadeat, eum pro ſe propriè paſſum, & mortuum; quemadmodum hoc loco facit Apoſtolus*.

VII. Si antiquiores Interpretes audire Adverſarius mallet, audiat Oecumenium: *quod commune eſt, proprium facit* [Apoſtolus] *oſtendens tantùm gratiarum actionis quemque debere Chriſto, ac ſi propter ipſum ſolum HOMO factus eſſet*. Eodem modo loquitur Chryſoſtomus; VIII. & cum eo Latini Patres: Audiatur Auguſtinus: *O tu bone Omnipotens, qui ſic curas unumquemque noſtrum, tanquam ſolum cures, & ſic omnes, tanquam ſingulos!* Hinc Angelicus 3. par. q. 1. a. 4. *Ex hoc ergo, quòd aliquis debet reputare ſibi beneficia Chriſti præſtita eſſe, non debet exiſtimare, quòd non ſint aliis præſtita: nam peccatum naturæ ita perfectè curatum eſt in unoquoque, ac ſi in uno ſolo eſſet curatum*. Audiatur & Mellifluus Doctor ſerm. 21. in Cantica: *Qui fieri poterit, ut talem non diligam Dominum? Dilexit me* NON EXISTENTEM; *Dilexit* RESISTENTEM, ET INIMICUM: PRO ME *calicem paſſionis bibit &c.* Quæ ratio excogitari poteſt ad redamandum Chriſtum potentior? *Debet enim*, inquit Anſelmus, *animus humana in ſe deficere, & proficere in Chriſto, qui mortuus eſt, ut nos moreremur peccatis, & reſurrexit, ut ad juſtitiæ opera reſurgeremus*.

IX. Fieri è contrario natum eſt, ut plurimi amorem in Chriſtum imminuant, ſpemque abjiciant, ſi fidem habeant Queſnellianæ exclamationi. *Proh! quantùm oportet &c.* cum hæc ſuavem illam fiduciam eripiat, quâ hactenus perſuaſi crediderant, Chriſtum eſſe ſuum, atque omnium hominum, maximè fidelium, Salvatorem.

X. Sed dimiſſo errore, auſcultemus rurſum SS. Patribus, atque in primis Bernardo in Pſal. Qui habitat: *Sicut poſſunt omnia dicere Chriſto: Creator meus es; ſic poſſunt omnes homines* [non igitur ſolùm ii, qui bonis terrenis, & ſibimet ipſis penitùs renuntiarunt] *dicere: Redemptor meus es tu*. XI. Aſſentiuntur Hieronymus, XII. S. Leo, XIII. Ambroſius, XIV. Baſilius Magnus, XV. Gregorius Nazianzenus. XVI. S. Auguſtinus Oratione de 5. hæreſibus c. 6. Chriſti nomine ſic Arium alloquitur: *Sanguinem meum fudi: animam meam poſui, ut mihi conjungerem te, & tu dividis me?* Ut hoc Arius crederet, ſolâ fide in Chriſtum opus habuit, non renuntiatione, quàm damnata Propoſ. exigit. XVII. S. Cyprianus ita Diabolum in extremo judicio Chriſto exprobrantem inducit: *Ego pro iſtis* [damnatis] *quos mecum vides, nec alapas accepi, nec flagella ſuſtinui*.

XVIII. Execremur igitur omnes peſtiferum Queſnellii dogma, quod Malderus Epiſcopus Antverpienſis *propriè Antichriſtianum* vocat, quam *blaſphemiam*, inquiens, *Beza cum ſuis defendit, nempe Chriſtum pro ſolis electis mortuum. Verendum, ne tandem cum Turcis homines iſti dicant, pro nemine Chriſtum eſſe mortuum*.

CAPUT II.

Solvuntur objectiones ex Scriptura, & Patribus. col. 701.

I. UT illud Pauli, quod hic pro objectione repetitur, *Qui dilexit me &c.* ab omnibus adhibeatur, oſtenſum eſt toto ſuperiori capite, nullâ opus eſſe ſingulari perfectione, ſed ſolâ fide. Chryſoſtomi locus ad memoratam Apoſtoli locutionem, præſertim ſi integer, & non mutilus, ut eum producit Adverſarius, audiatur II. nihil penitus continet, quòd vulgares etiam Chriſtianos ab iiſdem Pauli verbis uſurpandis, ſibique applicandis abſterreat; III. ... V. ut hic invictiſſimè demonſtratur: ſufficiant huic Synopſi hæc paucula, quæ ibidem leguntur, Chryſoſtomi verba: *Singulorum quemque hominum pari charitatis modo diligit, quo diligit orbem univerſum*. Nonne verò ita orbem univerſum diligit, ut aliquibus ex eo beatitudinem velit? Ergo ſingulis eam vult, & conſequenter poteſt quiſque ſibi Chriſtum quodammodo appropriare, & jure optimo dicere cum Apoſtolo: *Qui dilexit me, & tradidit ſemetipſum pro me*.

VI. Opponitur & Hieronymus, licèt à Janſenio in Semipelagianiſmi ſuſpicionem vocatus. Sic autem habet in eumdem Apoſtoli locum: „Beatus, multùmque felix,
„ qui vivente in ſe Chriſto, per ſingulas cogitationes, &
„ opera poteſt dicere: *In fide vivo filii Dei, qui dilexit me,*
„ *& tradidit ſemetipſum pro me*.

Reſpondeo, licèt ſoli juſti potiori dicere: *In fide vivo filii Dei, qui dilexit me &c.* omnes tamen, etiam qui cum fide mortuâ mortui ſunt, poſſe ſinè heſitatione dicere: *qui dilexit me &c.* unde patet objectionis futilitas. VII. Quid clarius, aut fortius hoc ejuſdem Sancti Patris effato in epiſt. ad Oceanum de bigamia? „Mentitur Jo-
„ annes Baptiſta, & digito Chriſtum, & voce demonſtrans:
„ *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*; ſi ſunt ad-
„ huc in hoc ſeculo, quorum Deus peccata non tulerit„. Poſſunt igitur etiam ſinguli reprobi uſurpare Apoſtoli dictum, & hoc ſenſu ſibi appropriare Chriſtum, ejus amorem, mortem &c.

VIII. Objectus Theodoreti locus IX. eſt ſimplex commentarius totius hujus Paulini textûs: *Chriſto crucifixus ſum cruci. Vivo autem jam non ego; vivit verò in me Chriſtus. Quod autem nunc vivo in carne, in fide vivo filii Dei, qui dilexit me, & tradidit ſemetipſum pro me*: unde Queſnellus format hoc ineptiſſimum argumentum: Solus Paulus, & Paulo ſimiles poſſunt verè totam eam ſibi ſententiam applicare: Proh! quantùm igitur oportet bonis terrenis, & ſibimetipſis renuntiaſſe omnes illos, qui fiduciam habere voluerint, dicendi cum Apoſtolo: Filius Dei *dilexit me, & tradidit ſemetipſum pro me*. Nos verò credimus, ad hoc non magis opus eſſe dictâ renuntiatione, quàm opus fuerit ipſi Judæ, qui ex avaritia tradidit Redemptorem: X. de illo autem ſic ait Auguſtinus in Pſal. 68. *Projecit pretium argenti, quo ab illo Dominus venditus erat, nec agnovit pretium, quo ipſe à Domino redemptus erat*. Si etiam Judas à Domino redemptus fuerit, meritò & is dicere potuit: *Qui dilexit me, & tradidit ſemetipſum pro me*.

CAPUT III.

Hexaplorum Author fruſtrà conatur mitigare damnatam Propoſitionem. Ineptiſſimè verò hic debacchatur Author Obſervationum in Conſtitutionem. *col. 707.*

I. P*Oſtulat æquitas*, inquiunt Hexapla, *ut trigeſimatertia Propoſitio non accipiatur, niſi de modo quodam appropriandi ſibi mortem Chriſti prorſus ſingulari, atque in gradu fiduciæ, & amoris minimè vulgaris; ſed ſolis quodammodo, qualis fuit in gentium Apoſtolo. S. Gregorius interrogat, quomodo quis auſit apud Deum intercedere pro populo, quando ſecurus non eſt de ſancta familiaritate cum Deo, bonis actibus acquiſita: & quomodo poſſit pro aliorum intercedere reconciliatione, ignorans, ſitne ſibi reconciliatus Deus. Si cui libitum foret, hanc ampliùs urgere Gregorii ſententiam, ex ea eliceret, non licere juxta Sanctum hunc Pontificem orare pro proximo, niſi cum certi ſumus de obtenta nobis remiſſione peccatorum. Verùm ſatis Lector percipit, enuntiationes ejuſmodi non debere accipi in rigore. Par juſtitia impendatur Queſnello*.

Non indicatur, ubi reperienda ſit ea Gregorii ſententia, nec quibus terminis exprimatur. Nec ea eſt Adverſarii fides,

Digitized by Google

fides, ut relationi ejus credendum ſit. Citet locum, & tum quid ad Gregorium reſpondendum ſit, diſpicietur. Interim dicimus, quòd, ut interceſſio, etiam apud homines, efficax ſit, videatur præſupponere, quod intercedens gratiâ valeat apud eum, ad quem interceſſio dirigitur: at verò ut quis ſe alteri beneficiis obſtrictum agnoſcat, ut ſit, cùm dicitur: *Qui dilexit me, & tradidit ſemetipſum pro me*, nulla requiritur familiaritas, amicitia nulla, aut ſtatus gratiæ: ſola ſufficit beneſacti notitia.

II. Quod additur, non debere ejuſmodi Obſervationes Morales in rigore accipi, minimè obtinet in damnato Queſnelli opere, tot ubique erronea dogmata obtentu *Obſervationum Moralium* interſerente.

III. Ferociùs in Conſtitutionem debacchatur Author, qui Obſervationes in eam procudit, ſive is Queſnellus ſit, ſive alter quilibet. IV.... X. Quæcunque autem pro defenſione allegantur, alibi præoccupata ſunt. Notandum autem ſingulariter eſt, nullibi obſervatorem permittere ſingulis hominibus, ut firmiter credant, Chriſtum pro ſe mortuum eſſe; ſed ſolam de eâ re fiduciam concedere cum formidine conjunctam; quo hæretica ejus indoles abundè ſe prodit, & intentus damnatæ Propoſitionis ſenſus obvius confirmatur. Monemur quidem omnes, & meritò, ut cum timore, & tremore ſalutem noſtram operemur; ſed non monemur, ut cum timore, & tremore dubitemus, an Chriſtus pro noſtri ſingulorum ſalute mortuus ſit: Cuilibet fide immobili id credendum eſt, & credunt Catholici omnes.

CAPUT IV.

Oſtenditur impudentia Authoris Obſervationum in Conſtitutionem. *col.713.*

IMpudentiſſimæ in Sanctam Sedem calumniæ, quæ hic referuntur, acerrimeque refutantur, non pertinent ad hanc doctrinæ ſynopſim.

CAPUT V.

Expenditur Queſnelli proteſtatio. col.719.

I. QUeſnellus in *Proteſtatione* ſua queritur, ſibi per calumniam adſcribi, quaſi doceat, Deum non velle ſalvare niſi ſolos electos, & quidem voluntate, quam Scholaſtici antecedentem vocant: ait, *ſe* credere Chriſtum pro omnibus eſſe mortuum; & tantùm rejicere conſecutiones falſas, quas hinc eliciunt Moliniani pro ſuo dogmate de gratiis, quas tribuunt omnibus, & quidem re ipſa ſufficientes, excluſâ gratiâ ex ſe efficaci &c.

Ita Queſnellus ſub Catholicis terminis hæreticos ſenſus occultat. Quòd enim Deum ſtatuat volentem ſalvare ſolos electos, & certiſſimè conſtat, & eò totum doctrinæ ejus ſyſtema conſpirat. Quid enim aliud ſibi vult Propoſ. 12. *Quando Deus vult ſalvare animam, quocunque tempore, quocunque loco effectus indubitabilis ſequitur voluntatem Dei?* Quid illud eſt, niſi Deum velle ſalvare ſolos certiſſimè ſalvandos, ſive quorum ſalus indubitabilis ſequitur voluntatem Dei? Hi autem qui ſunt, niſi ſoli electi? II. Id ipſum apertiſſimè confirmat Propoſitio 30. *Omnes, quos Deus vult ſalvare per Chriſtum, ſalvantur infallibiliter*: Suntne enim in hac Dei voluntate aliqui extra numerum electorum? Tota in hunc errorem concurrit doctrina Queſnelli de auxiliis gratiæ. III. Specimen demus in Propoſit. 2. juxta quam *JESU Chriſti gratia principium efficax boni cujuſcunque generis, neceſſaria eſt ad omne opus bonum: abſque illa non ſolùm nihil fit, ſed nec fieri poteſt*: Igitur ſalutaris actus, ſaltèm fidei, ſinè quo rationis compos non ſalvatur, ſinè gratia efficaci elici non poteſt: adeòque Deus, gratiam efficacem ſubtrahens, non vult, ut is ad ſalutem vel perveniat, vel pervenire poſſit. IV.... VII. Similis reſultat ſequela ex Propoſ. 3, 4, 5, 9. VIII., cæteriſque uſque ad 26., & ex ſequentium non paucis. IX. Ludus, quem hic Queſnellus parat circa voluntatem antecedentem detectus eſt ad Propoſ. 30., & alibi: neque ſe ullo modo à Janſenio ſegregat, dicendo voluntatem illam Dei antecedentem differre ab ea, quâ Deus afficitur erga ſalutem Dæmonum, quòd nulla his media relinquerit, quibus ullus eorum valeat Deo reconciliari; hominibus verò viatoribus, etiam reprobis, pateat Eccleſiæ ſinus, & Sacramenta omnibus præſtò ſint; imò & multis reprobis ſubinde conferatur juſtitia temporalis. X. Hæc omnia etiam admiſit Janſenius; nec tamen ſic doctrina ejus anathemati ſubducta eſt. XII. Doctores Catholici tali in Deo voluntate pro viatoribus reprobis contenti non ſunt, qualis eſt erga damnatos, quibus nihil medii affert, quo poſſint ſempiternis flammis liberari, & cœlo tranſcribi. Neque ſolam ſtatuunt voluntatem nudæ complacentiæ, & *ſigni* pariter ſterilem, & nihil ex ſe medii conferentem, ſed voluntatem profitentur *beneplaciti*, id eſt veram, & ſeriam; inefficacem quidem reſpectu ipſius ſalutis, ſeu finis; efficacem tamen, quantùm attinet ad præparationem mediorum conſequendæ ſaluti ſufficientium. XI. Talem Dei voluntatem erga reproborum ſalutem non compatitur hæc Queſnelliana 31. *Deſideria Chriſti ſemper habent ſuum effectum*; Hinc enim ſponte ſequitur, Chriſtum non alios velle ab æterna morte redimere, quam qui ab ea liberantur, quod nulli reprobo contingit.

XIII. Et tamen Queſnellus, ad fallendam Eccleſiam, mentitur ſe profiteri omnia, quæ circa hoc punctum credit Eccleſia, & ſola ſe excludere conſectaria quædam, quæ ex hoc dogmate à Moliniſtis, ut ait, perperam deducuntur, *de gratiis, quas tribuunt*, inquit, *omnibus ſufficientes, excluſa gratia ex ſe efficaci*; XIV. ſed turpiſſimum commentum facillimè revincitur: neque enim ex. gr. in Propoſit. 26, 27, 28, 29. ulla Molinianæ gratiæ mentio fit; ſed terminis claris juxta, ac planè generalibus omnis prorſus gratia denegatur infidelibus, denegatur omnibus extra Eccleſiam, & ipſis in Eccleſia peccatoribus, quibuſcunque non obtingit reconciliatio. Negatur præterea omnibus hominibus, etiam juſtis, quoties delinquunt, juxta Propoſit. 2, 4, 10, 11, 19, 20. &c. XV. Hæc poſitio S. Thomæ apud omnes Catholicos, ut ut de efficacitate gratiæ inter ſe diſſidentes, certa eſt: *Deus quantùm in ſe eſt, paratus eſt omnibus gratiam dare*: Ratio pariter, quam ſubjungit, invicta eſt: XVI. hanc verò quis conciliet, aut connectat cum damnatis, quos citavimus, Queſnelli Articulis: quomodo huic vigeſimoſexto *nullæ dantur gratiæ, niſi per fidem*; item huic vigeſimonono *extra Eccleſiam nulla conceditur gratia*, quadrat hæc Angelici, & Apoſtoli ratio: *Deus enim vult omnes homines ſalvos fieri?*

XVII. Plurimi præterea ex allegatis Articulis ſtatuunt omnem gratiam efficacem, quam conſtat non obtingere omnibus; cujus proinde ratio ineptiſſimè redderetur: *Deus enim vult omnes homines ſalvos fieri*. XVIII. Nonminùs ridiculè iiſdem aptaretur Articulis ipſa S. Thomæ poſitio: *Deus quantùm in ſe eſt, paratus eſt omnibus gratiam dare.*

CAPUT VI.

Quàm falsò Queſnellus aſſerat, Articulos ſuos ſolis Moliniſtarum placitis repugnare. col. 726.

I. FAllaciam, qua Queſnellus ſimulat, ſe ſoli Moliniſtarum gratiæ infeſtum, à Janſenio mutuatus eſt, qui lib. 3. de gratia Chriſti c. 1. ait: *Quod ſi verò*, inquit, *ſic accipiatur* [gratia ſufficiens] *ut ſufficiens dicatur, ſicut à quibuſdam dicitur, quòd ſatis eſt, ut homo dicatur poſſe operari, quamvis aliud adhuc neceſſarium ſit, ut de facto operetur, de ejuſmodi ſufficienti gratia non eſt hîc noſtra controverſia; talem enim ſufficientem fortaſſè non difficulter S. Auguſtinus admitteret*. Attamen non admiſit Janſenius; ſed ibidem c. 2. & 3. omne ſufficiens auxilium ab efficaci ſejunctum inter monſtra relegavit, dicens: *Gratia ſufficiens videtur monſtrum quoddam ſingulare gratiæ, eſtque lapſorum reparationi inutilis; ad ſexcentos ſufficientiæ gradus aucta, ſolummodò peccatis faciendis, majorique damnationi accerſendæ ſervit: lapſis hominibus citra Dei invidiam damnandis à recentioribus ideo excogitata; quia putant, culpæ reum eum non fieri, qui careat eam evitandi*

ſuffi-

Digitized by Google

ſufficienti poteſtate. An hæc ſolùm Molinæ auxilium ſufficiens, & non omnium paſſim Catholicorum impetunt? Hinc prodiit famoſa Joannis Sinnichii, & cæterorum Janſeniſtarum litania ab Alexandro Octavo damnata, & ab Arnaldo domeſtico Queſnelli Magiſtro defenſa: *Gratia ſufficiens ſtatui noſtro non tam utilis, quam perniciosa eſt, ut proinde meritò poſſimus petere: A GRATIA SUFFICIENTI LIBERA NOS DOMINE*. Quot ſatyria illi exagitare ſolent ſufficientem gratiam, maximè Thomiſtarum! Qua tamen poſteriore, cùm verè eam ſufficientem non credant, ut larvâ utuntur, ad ſimplicibus illudendum, & declinandas pœnas ſibi à Superioribus Poteſtatibus imminentes. Hinc ita quidam Janſenianus apud Duacenos Seminarii Moderator: *Gratia ſufficiens hìc facta eſt quodammodo neceſſaria: ſi ad actionem, cujus intuitu ſufficiens appellatur, re vera non ſufficiat; aliquatenus tamen ſufficit, ut nos ab inſultis Adverſariorum liberet: quidquid ſit, utor illo nomine quàm poſſum rariſſimè, & ſemper ſolicitè addendo particulam alienantem IN SENSU THOMISTICO*.

IV. Sed facero ſtratagemate nequitia in lucem extracta eſt; conſtititque orbi univerſo plus ſatis, quid tenebriones illi de gratiâ ſufficienti, Thomiſticè acceptâ, ſentirent. Effectum eſt enim, ut nonnulli ex iis propriâ manu theſibus ſubſcriberent, Janſeniſmi nucleum continentibus, quas ſibi ab Arnaldo ſubmiſſas crediderant. Inter alias erat hæc tertia: *At quid de gratia ſufficienti ſenſu Thomiſtico? Mihi diſplicet: quia, niſi hallucinari velis, particulam includit alienantem, & nebuloſo tempore occulendis gratiæ Evangelicæ myſteriis eſt peridonea. Interim cùm vox illa, & res voce expreſſa purioribus Eccleſiæ ſeculis ignota fuerit, illam meritò ex ſana Theologia relegandam judicamus*. Alter Arnaldi, & Queſnelli diſcipulus, non contentus theſibus cum inſigni encomio ſubſcripſiſſe, proprio marte novam fidei profeſſionem compoſuit; ubi inter alia puncta, hæc tria maximè ad rem noſtram faciunt: *Tertiò, declaro coram Deo, me credere, quòd libertas indifferentiæ in natura corrupta ſit chimerica . . . . Quartò: Poſt Adami lapſum nullam eſſe gratiam ſufficientem; ſed efficacem ſolummodò: & Moliniſtarum hìc ſententiam eſſe Semipelagianam, in Congregationibus de Auxiliis damnatam; opinionem verò Thomiſtarum eſſe exoticam, & meram ſtultitiam. Quintò, nos abſque gratia efficaci non ſolùm nihil boni facere, ſed neque poſſe; cogitationem verò contrariam eſſe Semipelagianam &c.*

VI. Hæc profeſſio adeò videtur perſpicua, ut explicatione non egeat. VII. Si igitur gratia non alia admittatur *ſufficiens*, quàm impropria, *alienante* termino ſignificata, & proinde non alia *indifferentiæ libertas*, quàm *chimerica*, ut Janſenianum fidei ſymbolum enuntiat; reſtat, ut nullum aliud meritum, aut demeritum; nullum aliud præmium, aut ſupplicium, quàm improprium, *alienans*, & *chimericum* ex actionibus noſtris conſequatur.

VIII. ... X. Quod hic repetitur, Benignum Boſſuetium approbaſſe *Obſervationes Morales*, ſatis in Prolegomenis cap. 14. refutatum eſt, & de mendacio convictum. Unde breviter dico, Epiſcopum illum, deceptum nonnullis Propoſitionibus ex memorato opere extractis, & in ſpeciem Catholicis, calamum pro illius defenſione ſtrinxiſſe præproperè; monitum verò de fraude, ſtudioſâ lectione deprehendiſſe, *quinque Propoſitiones Janſenii in libro Patris Queſnel reperiri; & in eo contineri puros, & apertos Janſenii errores*; unde pro editione nova, cujus ab ipſo petebatur approbatio, præſcripſit 120. locorum correctionem: verum cùm hanc ab Authore, ejuſque fautoribus impetrare non poſſet, præcocca ſua ſuppreſſit vindicias, de quibus reliquo ejus vitæ tempore magnum ſilentium. Sed Meldenſi defuncto, aliquis Queſnellianarum partium ſtudioſus, manuſcriptum nactus vindiciarum exemplar, in Hollandiam miſiſſe fertur, illic Queſnelli operâ edendum. Hinc liquet quâ fide Queſnellus Boſſuetium in operis ſui defenſionem trahat, optimè conſcius ejus retractationis, quam perfidè reticet, ut ut certiſſimam ex ipſius Abbatis Dambea teſtimonio novæ factioni addictiſſimi. XI. Maneat igitur inconcuſſum fidei dogma de morte Chriſti pro omnium, & ſingulorum hominum ſalute, quod credunt, tradunt que non ſoli Moliniſtæ; ſed & Thomiſtæ, Scotiſtæ, & Scholarum omnium Catholicarum Theologi contra recentiores Eccleſiæ peſtes. Hinc contra Queſnellum liberè profiteamur, quòd, *ut quis fiduciam habeat, ſibi* quodammodò *appropriandi Chriſtum JESUM, ejus amorem, mortem, & myſteria, ut facit S. Paulus, dicens: Qui dilexit me, & tradidit ſemetipſum pro me*, non neceſſariò oporteat *bonis terrenis, & ſibimetipſi renuntiaſſe*, quantùm renuntiaverat Paulus.

TRIGESIMAQUARTA PROPOSITIO DAMNATA.

Gratia Adami non producebat niſi merita humana. *Obſerv. Moral. Joan. 1. verſ. 16., & Cor. 5. verſ. 21.*

CAPUT I.

Propoſitionis evidentiſſimus error evertitur. col. 733.

I. SI Adami merita ſint ex gratia, quomodo ſolùm homini, & non gratiæ tribuenda? Certè, uti gratia eſt gratuita, ita quod ex eâdem ortum ducit, ad eam pertinet, ejuſque, ſeu potiùs eam concedentis donum eſt. Adami igitur merita ita ipſius fuere, ut ſimul, ac præcipuè dona eſſent Dei per gratiam. Propoſitio hæc pridem inter Bajanas damnata eſt, quarum prima ſic ſonat: *Nec Angeli, nec primi hominis adhuc integri merita rectè vocantur gratia*. Hinc ſequitur hæc tertia ibidem etiam proſcripta: *Et bonis Angelis, & primo homini, ſi in ſtatu illo perſeveraſſet uſque ad mortem, felicitas eſſet merces, & non gratia*. Utrumque errorem renovavit Janſenius tomo 3. col. 935. & 936. II. Doctrinam hanc deprehendiſſe ſe putat Queſnellus in illo Joan. 1. v. 16. *Lex per Moyſen data eſt; gratia, & veritas per JESUM Chriſtum facta eſt*; ubi Chriſtus Moyſi, lex nova veteri præfertur, quòd illa, non hæc præſtaret auxilium ad ſui obſervationem neceſſarium, ut explicat Auguſtinus: nullus hìc de Adamo integro, ſed de homine lapſo ſermo eſt. Nil igitur ſtabiliendo errori prodeſt allegatus textus; III. uti nec hìc 2. Cor. 5. v. 21. „ Eum, qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut nos effi-
„ ceremur juſtitia Dei in ipſo, „ *Id eſt*, Interprete S. Thoma, *ut nos, qui peccatores ſumus ... juſtificaremur à Deo ... per Chriſtum*: ubi iterum nulla hominis integri, ſed lapſi mentio eſt.

IV. Juſtitia, in qua Adam creatus eſt, non ejus, ſed Creatoris erat, à quo eam gratis acceperat: in ea aliquanto tempore, non ſine gratiæ adjutorio, permanſit: unde non ſolis nobis, ſed etiam primo homini, & Angelo convenit: *Quid habes, quòd non accepiſti? Et qui gloriatur, in Domino glorietur &c.* Hinc S. Auguſtinus: *Voluntas* [Adami] *in amore ſuperioris immutabilis boni illuſtrabatur, ut videret, & accendebatur, ut amaret.* Non igitur gratia Adami iners fuit, & nihil operans, ut omne meritum ſoli voluntati hominis deberetur, & nullo modo gratiæ Dei, ſive ut, juxta Queſnellum, *gratia Adami non* produxerit *niſi merita humana*.

Idem Sanctus de voluntate Angelorum viatorum, cujus eadem, quæ Adami innocentis ratio eſt. *Profectò*, inquit, *& bonam voluntatem, qua meliores eſſent, niſi operante adjutorio Creatoris habere non poſſent*. Non ergo ſubſiſtit Janſeniſtarum ratio, qua in damnatum dogma adducuntur, exiſtimantes cum Janſenio, ſtatûs innocentis auxilium ſolam agendi poteſtatem tribuere, non actionem, & merita: cùm è contrario Auguſtinus *adjutorium* etiam in iſto ſtatu *operans*, ut jam vidimus, agnoſcat. V. Confirmantur hæc ex eodem Auguſtino lib. 8. de gen. ad lit. c. 10, 11, 12, ubi inter alia ait, Deum eſſe, qui *bonum* in Adamo *operabatur*, & bonum opus, quodcunque fecit, fuiſſe *Dei figmentum*, & *donum*. Igitur gratia Adami quæcunque produxit merita, non ita fuere humani opera arbitrii; ut non eſſent etiam, & multò magis Divinæ gratiæ munera.

VI, VII. Rurſus S. Doctor, cùm l. 12. de civit. c. 9. dixiſſet: *Simul ut facti ſunt* [boni Angeli] *ei, à quo facti ſunt*,

Digitized by Google

amore, cum quo facti ſunt, adhæſerunt ; eoque ſunt iſti ab illorum ſocietate diſcreti, quòd hi in eadem voluntate bona manſerunt, illi ab ea deficiendo mutati ſunt &c. cauſam diſcretionis hujus efficientem ſubjungit: *iſtis*, inquiens, *mala voluntate cadentibus, illi amplius adjuti, ad eam beatitudinis plenitudinem . . . . pervenerunt* . Si boni inde ſteterunt, quòd *amplius adjuti* fuerint, manifeſtum eſt, ei potiùs, qui amplius adjutorium præbuit, quàm eis, qui accepere, diſcretionis gloriam tribuendam. Auguſtino conſentit Fulgentius: *Omnes* [Angeli] *uniformi cpprimi poterant ruinæ conſortio ; niſi quos vellet, à caſu pravitatis vis illa* [Divina] *defenderet* . Hinc ergo ſequitur, bona opera, non tam Angelorum eſſe merita, quàm dona gratiæ, & ab Angelorum ſingulis rectè quæri; *Quid habes, quod non accepiſti ?* ut diſertè etiam docet Anſelmus lib. de caſu Diaboli, ubi c. 1. hunc præfigit titulum: *Quòd etiam ad Angelos dicatur*, QUID HABES, QUOD NON ACCEPISTI ? *Itaque certum eſt*, inquit Cardinalis Aguirre, *interrogationem illam* QUIS ENIM TE DISCERNIT? QUID HABES, QUOD NON ACCEPISTI? *quæ potiſſimùm de diſcretione ſalutari, & donis gratiæ intelligitur, ad Angelos non minùs, quàm ad homines pertinere*. VIII. Laudatis Patribus accedit Auguſtinianæ doctrinæ ſtudioſiſſimus Beda lib. quæſtionum q. 9. *Angeli*, inquit, *ſemper in Domino gaudent, non in ſe ; malus verò inde Diabolus ; quia non quæ Dei, ſed quæ ſua ſunt, requiſivit*; potuiſſent autem gaudere in ſe, ſi merita eorum fuiſſent naturæ viribus adſcribenda, IX. ut adſcribunt Novatores, qui quantùm pro hoc ſtatu Prædeſtinatiani, tantùm pro ſtatu integro Pelagiani ſunt.

CAPUT II.

Solvuntur objectiones. col. 740.

I. JAnſenius mirificè exultat hoc Auguſtini effato: *Quid ſtultius, quàm orare, ut facias, quod habes in poteſtate?* Ut Adam perſeveraret, orare Deum non debuit, cùm perſeverantiam haberet in ſua poteſtate: Si igitur perſeveraſſet, non niſi humanis meritis perſeverantiæ merces, & gloria deberetur. Ita ille.

Reſpondeo primò: Angelos, & Adamum in ſtatu innocentiæ habuiſſe ex ſufficienti auxilio *ſimplicem* boni operis poteſtatem, adeòque pro ea orare non debuiſſe ; potuiſſe verò prudenter orare pro ejus incremento, cujus in ſufficienti auxilio plurimi gradus ſunt.

II. Reſpondeo ſecundò: Adamum ſinè precibus habuiſſe poteſtatem antecedentem: conſequente verò, ſeu gratia efficace, quæ perſeverantiam ipſam donaret, ob orationis defectum, & nimiam in acceptis viribus fiduciam, caruiſſe. Clarè id ſignificat Auguſtinus; III. ſed clariùs Gelaſius Primus his verbis: Ipſi primi homines, *dum ſua nimiùm felicitate confidunt, & tantam Dei gratiam in vacuum recipientes, non orando, quòd uſque nuſquam feciſſe referuntur, nec de perceptis gratias referendo, nec, ut eadem intemerata durarent, ſuppliciter exorando, incolumes conſtare nequiverunt*. Et infra: Eoſdem accuſat, quòd pro conſervandis, quæ à Deo acceperant, auxilium non popoſcerint.

Reſpondeo tertiò: Opera bona, quæ etiam ſinè præviâ oratione Adamus exercuit, non ita fuiſſe ejus merita, ut non gratiæ quoque, & Dei munera cenſerentur, ut cap. præcedenti oſtenſum eſt, & latiùs adhuc infra demonſtrabitur: Unde licèt ſinè oratione perſeveraſſet, falſum tamen fuiſſet, quòd non niſi humanis meritis felicitas deberetur & merces.

IV, V. Auguſtinus quidem ſubinde Adami *merita* vocat *humana*, & *liberi arbitrii*; ſed nullibi *non niſi humana*, quo Creatori præcipua boni operis gloria detraheretur. Ideo autem merita noſtra minùs dici poſſunt humana, quam quæ fuère Adami integri ; quia dignitas, in qua conditus fuit, exigere quodammodò videbatur ſingulares favores, & gratias, quibus nos reddit indignos originis vitium ; quo præterea graviter labefactati fortioribus egemus auxiliis, quàm Adamus; adeò ut, quòd liberum arbitrium modò confert ad meritum, quaſi pro nihilo reputetur. Aliam hujus rei rationem dant nulli Doctores Catholici, quòd liberum Adami innocentis arbitrium adeò eſſet validum, ut præter gratiam habitualem, & inſpirationem intellectus nullo opus haberet excitante auxilio in voluntate. Quidquid ſit, Orthodoxi omnes in admittenda pro innocentiæ ſtatu, alicujus gratiæ, etiam actualis, neceſſitate conveniunt, abhorrentque à damnato dogmate, quo fingitur, *gratia Adami non produxiſſe, niſi merita humana*; quaſi quæ ex gratia profecta ſunt opera, Divino muneri tribuenda non ſint.

VI. Suppetias Queſnello fert Obſervator *in Conſtitutionem*, niſi, ut paſſim creditur, ipſe Queſnellus ſit, qui adornandæ Proteſtationi ſuæ *obſervationes* has præmittere voluerit. Ait igitur, damnati dogmatis *Auctorem non agere de meritis merè humanis abſque ullo gratiæ auxilio, ut exiſtimaſſe videntur Cenſores Romani. quia S. Auguſtini doctrinam non intelligunt. Verbis illis ſignificare* [Auguſtinus, & Queſnellus] *voluit, quòd liberum arbitrium donatam Adamo gratiam determinans, primam, & præcipuam partem in meritis habuerit, quæ propterea eſſent HUMANA. At in præſenti rerum ordine gratia determinans liberum arbitrium, præcipuam in Sanctorum meritis partem obtinet, & efficit, ut ſint Dei munera, ac opera Divina, ut Auguſtinus loquitur de ſp. & lit.*

At quomodo Romani Cenſores perſuadere ſibi poterant, excludi à Queſnello omne gratiæ auxilium, dum in ipſo, quem damnant, Articulo exprimunt *gratiam* humana merita producentem? VII. Quòd Obſervator aſſerat S. Auguſtinum ab iis non intelligi, mirandum non eſt; cùm omnibus hæreticis jactare proprium ſit, S. Auguſtinum à ſe ſolis intelligi. Jam ad Queſnelli defenſionem.

VIII. Reſpondeo primò: Damnatum Articulum obvio ſenſu, quo eum accepêre 40. Galliæ Epiſcopi, intellectum ſonare deteriùs, Deoque in ſtatus innocentiæ meritis aut nihil penitùs relinquere, aut parùm adeò, ut nulla ejus quodammodo ratio ſit habenda.

Reſpondeo ſecundò: Nunquam Auguſtinum docere, primam, & præcipuam bonorum operum partem, & gloriam in ſtatu innocentiæ deberi libero arbitrio, ſequiorem Deo. Injuriam hanc Deo inferri nemo eorum patitur, qui gratiam à libero arbitrio ſtatuunt determinari; IX. multò minùs Schola Thomiſtica, quam ratio cauſæ primæ in Deo, & perpetua cauſæ ſecundæ liberæ indifferentia ab hac Queſnelliani dogmatis explicatione alieniſſimam facit. Si enim prædeterminatio phyſica tam naturæ integræ, quàm in origine corruptæ neceſſaria fuit, falſum ſit oportet, ideo Adami innocentis merita fuiſſe humana, quia liberum ejus arbitrium gratiam determinabat. X. Hinc P. Maſſoulié quantumcunque Queſnello laudatus, differt. 4. q. 2. a. 1. in ipſo titulo ſic habet: *Ex variis & innocentiæ, & ſanctitatis privilegiis collatam fuiſſe Adamo efficacem Divinam gratiam probatur. . . . . in omni ſtatu voluntas ex donis Spiritus Sancti magis agitur, quàm agit*. Quæ ſententia, ut Janſenii de medicinali gratia ſyſtema penitùs ſubruit, ita ab eo ſæpiùs acriori cenſurâ notata eſt. XI. Igitur trigeſimaquarta damnata Propoſitio, etiam ſuppoſitâ, ut ut ineptâ, defenſoris ejus mitigatione, ab Eccleſia exulare meretur ; ſed, ut ſupra notavimus, obvio ſenſu intellecta pejor eſt, & originem trahit ex ſequenti.

TRIGESIMAQUINTA PROPOSITIO DAMNATA.

Gratia Adami eſt ſequela creationis, & erat debita naturæ ſanæ, & integræ. *Obſer. Moral. in 2. Cor. 5. v. 21.*

CAPUT I.

Propoſitio hæretica eſt, & ſe ipſam deſtruit. col. 747.

I. ILlimitata Propoſitio de omni gratia, tam habituali, quàm actuali, intelligitur, & ſe ipſam evertit. Quid enim *gratiæ* magis opponitur, quàm *deberi* ? Quomodo *gratia* Adami fuit, ſi naturæ ejus debita ?

II. Si

II. Si *gratia Adami eſt ſequela creationis* &c. ergo, niſi nomen gratiæ improprio, & Pelagiano ſenſu accipias, Adami *adhuc integri merita non rectè vocantur gratia*, quæ eſt Bajanarum prima. Ergo Adami *merita .... tantùm merita, non etiam gratia* debent *nuncupari*, quæ eſt Bajanæ ſeptima: Ergo *ſi in ſtatu illo perſeveraſſet uſque ad ultimum vitæ, felicitas eſſet merces, & non gratia*, quæ eſt Bajanæ tertia. Nam ſi merita non vocentur, nec ſint gratiæ; ergo nec felicitas, quæ iis redditur, erit gratiæ; ſed merces. III. Conſonat his Bajanæ nona. IV. Si gratia Adami ſit ſequela creationis, & debita naturæ ſanæ & integræ, ergo *hujus ſublimatio & exaltatio in conſortium Divinæ naturæ* pariter *debita fuit integritati primæ conditionis, & proinde naturalis dicenda eſt, & non ſupernaturalis*, quæ eſt Bajana 21; nam omnis Adami gratia juxta Queſnellum, adeoque etiam hæc ſublimatio, eſt ſequela creationis, & debita naturæ ſanæ & integræ. V. Ergo falſum eſt, *hominem ab initio ſic conſtitutum, ut per dona naturæ ſuperaddita fuerit largitate conditoris ſublimatus, & in Dei filium adoptatus*; quæ eſt Bajana 24. cum priori coincidens. Ergo nec Fides, Spes, Charitas, quibus Adamus Deum coleret, dici poteſt ſupernaturalis & gratuita, quæ eſt Bajana vigeſimatertia, cùm hi actus eliciendi eſſent ex principio naturæ integræ debito.

VI. Duæ hæ poſtremæ Propoſitiones licèt damnari potuerint ob cenſuram aliorum doctrinæ à Bajo inuſtam, damnatæ tamen etiam ſunt ob proprium Authoris dogma, ut præcedentibus Articulis, in quibus à cenſura abſtinetur, apertè conſentiens: VII. talis etiam eſt vigeſimusſextus, qui citra cenſuram ſic aſſerit: *Integritas primæ conditionis non fuit indebita naturæ humanæ exaltatio, ſed naturalis ejus conditio*; poſt hujus Articuli damnationem *neſcio*, inquit Bellarminus, *quomodo poſſit ullus hoc tempore Catholicus dubitare, fueritne primi hominis integritas naturalis, an ſupernaturalis*. VIII. Adde Articulum Baji ultimum, aliosque quos hic brevitatis cauſa prætermus.

IX. S. Pius Quintus, qui primus Baji errores profligavit præ oculis habuit illud Angelici ſui Magiſtri 1.2. q.109. art.2. *Virtute gratuita ſuperaddita virtuti naturæ, indiget homo in ſtatu naturæ integræ, quantùm ad operandum, & volendum bonum ſupernaturale*. Si gratiæ illa erat virtus *gratuita, ſuperaddita naturæ integræ*, ergo non fuit *ſequela creationis, & ... debita naturæ ... integræ*: docente Auguſtino l. 2. de pec. orig. c. 2. *Non enim Dei gratia, gratia erit ullo modo, niſi gratuita fuerit omni modo*. Et l.2. ad Boniſac. c.6. *Dei gratia non ſolum omnia ſidera, & omnes Cœlos, verùm etiam omnes Angelos ſupergreditur*. Non potuit igitur deberi Adamo, cujus naturam ſupergredi dicitur. X. Eodem ſenſu Cyrillus Alexand. in c.9. Joan. de Adamo ait: *Participatione luminis ſplendet, ſuper naturam ſuam glorificantis Dei gratia, & variis donorum ornamentis aſcendens*. XI. Scotus in 2.d.28. q.unica, *Potuit*, inquit, *aliquis eſſe in puris naturalibus, tam ſine gratia, quam ſine peccato*. Hoc ſenſu paſſim creduntur Pontifices damnaſſe hanc Bajanam 55. *Deus non potuiſſet ab initio talem creare hominem, qualis nunc naſcitur*, abſque originali juſtitia & ſanctitate: non enim potuiſſe creare cum peccato, extra diſceptationem eſt, cùm alias deberet eſſe Author peccati. XII. Denique juxta Iſidorum in Etymol. *Gratia a gratis dando dicta eſt*. Et Auguſtinus ſerm. de verbis Domini: *Ideo gratia, quia gratis datur*. XIII. Ipſe Apoſtolus gratiam debito manifeſtè opponit ad Rom. 4. *Ei qui operatur, merces non imputatur ſecundùm gratiam, ſed ſecundùm debitum*.

XIV. Nota, hic nobis ſermonem non eſſe de gratia latiùs ſumpta, quo ſenſu dicit Anſelmus, *omnis creatura gratia exiſtit, quoniam gratis facta eſt*, & quo Pelagius admiſit *hominem .... Dei gratia poſſe eſſe ſine peccato*, intelligendo per *gratiam* naturam gratis conditam: videatur Auguſtinus l. de geſtis Pelagii c. 6. ſed hac gratiæ ſignificatione, à Pelagio ad fallendum adhibitâ, minimè contentus Auguſtinus, aliam requirit ep. 105. *Abjiciatur à Chriſtianorum cordibus iſta fallacia. Nam omnino non illam gratiam commendat Apoſtolus, qua creati ſumus, ut homines eſſemus; ſed qua juſtificati ſumus, ut homines juſti eſſemus*. De hujus generis gratia & nos intelligendi hic ſumus.

XV. Locus Apoſtoli 2. Cor.5. verſ.2. non magis cum hac, quam cum 34. Queſnelli Propoſitione connectitur, ut ibidem oſtendimus c. 1. n. 3. XVI. Utraque primitus ex Luthero defluxit, qui in c. 3. Gen. de originali juſtitia primi hominis ſic tandem concludit: *Quare ſtatuamus, juſtitiam non fuiſſe quoddam donum, quod ab extra accederet, ſeparatum a natura hominis, ſed fuiſſe verè naturalem, ut natura Adæ eſſet, diligere Deum, credere Deo, agnoſcere Deum. Hæc tam naturalia fuere in Adamo, quam naturale eſt, quod oculi lumen recipiunt.*

CAPUT II.

Solvuntur Objectiones. col. 753.

II. OBſervator in Conſtitutionem fide peſſimâ I. corrupit Auguſtini textum, quem nobis objicit ex l. de corr. & gr. c. 11. quo aliud nihil ſignificatur, quàm, quod ſi *hoc adjutorium*, quale ibidem S. Doctor pluribus deſcripſit, ſtatui innocentiæ proprium *vel Angelo vel homini, cum primùm facti ſunt defuiſſet, ... non utique ſua culpa cecidiſſent; adjutorium quippe defuiſſet, ſine quo manere non poſſent*. Ratio eſt, quia, ſi defuiſſet ipſis *hoc adjutorium* ſtatui innocentiæ proprium, defuiſſet omne; cùm ſtatui illi non daretur auxilium, peccati, & infirmitatis ſtatui reſervatum, nec aliud, inter hoc utrumque, medium; nec *talis* interim *natura facta* eſſet, *ut ſine ullo Divino adjutorio manere poſſet, ſi vellet*. *Nunc autem*, ſubdit Auguſtinus, *quibus deeſt tale adjutorium* (naturæ integræ) *jam pœna peccati eſt*.

III. Ex relata S. Auguſtini ſententia concludit Adverſarius, *quòd Deus debuerit ſuæ juſtitiæ, ut concederet gratiam homini innocenti*: ſed hic non video gratiam, quæ fuerit *ſequela creationis, & debita naturæ ſanæ & integræ*. Idemne fortè Adverſariis eſt, Deum debere aliquid ſibi, & debere homini vel Angelo? Fidelis eſt Deus, qui non patitur nos tentari ſupra id, quod poſſumus, teſte Apoſtolo: debet igitur fidelitati ſuæ, ut, ſi nos tentari permittet, præparet auxilium ad reſiſtendum ſufficiens. Non tamen ideo Adverſarii agnoſcunt, Deum hominibus lapſis debere gratiam, vel hanc eorum naturæ eſſe debitam. Præterea Deus juſtitiæ ſuæ, aut ulli alteri attributo ſuo non debuit, ut condens Adamum vel Angelum, integritatem ſanitatemque eis conferret; quemadmodum conſtat ex Bajanæ 26. & 55. Unde nè inepta quidem, & violenta mitigatio adhibita proſcripto Queſnelli Articulo eum à damnatione abſolvit.

IV. Auguſtinus l. c. poſt hæc verba *Nunc autem quibus deeſt tale adjutorium, jam pœna peccati eſt*, ſic proſequitur: *quibus autem datur, ſecundùm gratiam datur, non ſecundùm debitum, & tanto ampliùs datur per JESUM Chriſtum Dominum noſtrum, quibus id dare Deo placuit*. Gratiæ ſtatûs præſentis, inquit Obſervator, opponitur hic gratiæ Adami: ſed illa dicitur ab Auguſtino dari *non ſecundùm debitum*; ergo hæc data fuit *ſecundùm debitum*. R. Diſt. majorem: gratia ſtatûs præſentis opponitur ab Auguſtino gratiæ Adami, quoad multa, Concedirur: quoad omnia, vel in ratione debiti, Negatur: nec uſquam ait S. Doctor, eam eſſe utriuſque gratiæ oppoſitionem, ut, quidquid uni tribuitur, alteri denegandum ſit. V. Et vero nonne utrique convenit, quod hic tribuitur auxilio naturæ lapſæ *tantò ampliùs datum, quibus id dare Deo placuit*? Nonne capiti generis humani majora gratiæ dona obtigere quàm Evæ? Certè Angeli, qui perſeverarunt, præ *cadentibus .... ampliùs adjuti* dicuntur ab Auguſtino lib. 1 e. de liv. c.3.

VI. Longiſſimè igitur abeſt S. Antiſtes ab aſſerenda ſtatui innocentiæ gratia *ex debito*; quod, ut certiùs contra Pelagianos evincat, producit loco objecto exemplum humanitatis Chriſti, in qua, ut ut innocentiſſima, nihil boni meriti inveniri potuit, propter quod à Dei filio aſſumeretur; hinc concludens, ſtultè in nobis quæri bona opera, ob quæ in filios Dei adoptari mereamur. Denique gratia, ex ipſo etymo, & communi mortalium ſenſu, debito adverſatur. Hinc iterum Sanctus Doctor l.7. Rhet. c. 7. approbat illud Ariſtotelis: *Quid eſt gratia? Gratis data. Quid eſt gratum? Gratis donata, non reddita*.

VII. Quanquam c., præcedenti clariſſimè demonſtratum ſit ſenſum Propoſitionis trigeſimæquintæ proprium & obvium, in quo proſcripta eſt, eſſe abſurdiſſimum; & nè improprium quidem, quem Adverſarii poſtmodum commenti

Digitized by Google

menti ſunt, à Bajanis erroribus immunem eſſe; VIII. tamen Obſervator in *Conſtitutionem* Sedi Apoſtolicæ exprobrat, tolerari ab ea prætenſum errorem Moliniſtarum, & Sfondratianorum aſſerentium, gratiam reipſa omnibus dari, Deum debere ſuæ juſtitiæ, ut eam nemini deneget, nè ſceleratiſſimis quidem peccatoribus: prohiberi autem, nè homini innocenti idem à Queſnello privilegium adſcribatur.

IX. Huic calumniæ, qua Sedes Apoſtolica de perſonarum acceptione, & graviorum errorum diſſimulatione arguitur, depellendæ, uſui erit ſequens digreſſio.

CAPUT III.

Digreſſio, quâ retunditur calumnia impacta in Sedem Apoſtolicam ab Authore Obſervationum in Conſtitutionem. *col.* 757.

I. PRæſto eſſe peccatoribus gratiam proximè vel remotè ſufficientem, gravium ex Scholis omnibus Authorum ſententia eſt. Sola Aguirrii, probata Adverſariis laudataque authoritas, eorum in exprobrando temeritatem reprimere debuiſſet. In diſp. 125. ſect. 2. ait, gratiam excitantem, & auxilium aliquo modo ſufficiens ad bene operandum nulli *viatori* negari, *etiam flagitioſiſſimo, & cujus ſalus omnino deſperata videatur*. Addit; hoc dogma *commune* eſſe *inter ſacros interpretes, & Scholaſticos ferè omnes*, tradique à D. Thoma, Alenſi, Bonaventura, Scoto, Altiſiodorenſi, Mediona, Ferrarienſi, Petro de Soto, Victoria, Alvarez, Vega, Driedone, *imò ferè omnibus Theologis quarumlibet Scholarum; iis præſertim, qui noviſſimè adverſus Janſenium ſcripſerunt, ſuntque numero quam plurimi*.

Probatur primò, inquit, *quoniam* in *Sacra Scriptura ſæpe, & indifferenter exprimitur voluntas & miſericordia, qua Deus vult, hortatur, & allicit quoſcunque peccatores, ut convertantur, & pœnitentiam agant; quod planè ſupponit in eis, aut infert aliquod auxilium quodammodo ſufficiens ad ſalutis opera* &c.

II. Eidem ſententiæ ſuffragantur Thomiſtæ complures: Cabezudo *omnibus*, inquit, *dat Deus auxilium ſufficiens ad ſalutem, ergo etiam ad pœnitentiam*. III. Thomiſtæ Salmanticenſes, in Theologia ſuo nomine edita, aſſerunt, *omnem hominem adultum habere auxilium ſufficiens ad ſuam converſionem, vel immediatè in ſeipſo, vel mediatè in alio auxilio, quo ſi uteretur,... proximè ſufficiens conſequeretur*. IV. Bellarminus, quem ut Molinæ adverſantem allegare ſolet Queſnellus, l. 2. de grat. & lib. arb. c. 6. ſic habet: *Auxilium ſufficiens ac neceſſarium ad vitanda peccata omnibus hominibus, & omni tempore, vel immediatè, vel mediatè à Divina benignitate præſtatur*.

V. Idem docet Angelicus locis pluribus, ut in c. 12. ad Heb. l. 3. *Gratia nulli deeſt; ſed omnibus, quantum in ſe eſt, ſe communicat*. Et in 4. d. 20. q. 1. a. 1. *Quamdiu manet homini uſus liberi arbitrii in hac vita, poteſt ad gratiam juſtificantem ſe præparare, de peccatis dolendo*. Poteſtne de peccatis dolere abſque ullo gratiæ auxilio? VI. Angelico hic præluxit Auguſtinus in Pſ. 6. num. 8. ad illud Apoſtoli,

„ *Tradidit illos Deus in reprobum ſenſum*. Nam, inquit,

„ ea eſt cæcitas mentis: In eam quiſquis datus fuerit, ab

„ interiore Dei luce ſecluditur: *SED NONDUM PE-*

„ *NITUS, CUM IN HAC VITA EST*. „

Evidens igitur eſt, ſententiam de præſtitâ, vel oblatâ omnibus, etiam peccatoribus, gratiâ non eſſe hujuſmodi, quæ provocare in ſe debuerit Sedis Apoſtolicæ cenſuram, ut provocavit in ſe Queſnelli Articulus.

VII. VIII. *Debitum*, quo Deus dicitur debere gratias peccatoribus, & quo Obſervator offenditur, non eſt ſimplex, & abſolutum, ſed plurimis nixum ſuppoſitionibus Deo liberrimis, & nihil proinde de perfectiſſimo ejus in creaturas Dominio detrahentibus, ut manifeſtè detrahit doctrina Queſnelli. IX. Nec hæ ſuppoſitiones arbitrariæ ſunt; ſed in ſacri Codicis authoritate fundantur, ubi Deus omnes ad ſe invitat, allicit, terret, ut veniant; promittit auxilium, &c. quæ ſinè dubio ſupponunt adeſſe veniendi poteſtatem, adeoque & gratiam, X. quam proinde debet Deus Providentiæ ſuæ, fidelitati & ſapientiæ; imò & quodam titulo juſtitiæ ob filii Redemptoris merita. Rurſus debet ſapientiæ ſuæ & juſtitiæ, ut præcepta impoſita viribus naturæ ſuperiora, ſupernaturale non deneget auxilium, quo valeant adimpleri. XI. Hæc confirmantur ex Ennodio Ticinenſi; S. Odone Cluniacenſi, XII. Auguſtino, XIII. & Tridentina Synodo. XIV. Sed debitum illud, ut jam dictum eſt, quo Deus vel juſtitiæ ſuæ, vel fidelitati &c. gratias debere dicitur, ſi Authores illud adſtruentes interroges, manat à ſuppoſitis Deo liberis, & ita nihil derogat perfecto ejus in creaturas dominio. Poterat enim abſolutè hominem condere ſinè peccato, & ſinè præceptis naturæ vires excedentibus. Poterat quoque, dum in Adamo peccavimus, nos ſinè Mediatore deſerere &c. Poterat lapſos in actuale peccatum relinquere ſinè remedio ad ſalutem &c. At juxta Queſnelli errorem, Deus ita à rebus inferioribus dependet, XV. ut hominem, vel Angelum creare nequeat cum ſola naturali innocentia, quaſi theſaurorum ſuorum Dominus non ſit, nec eos pro arbitrio ſuo & quibus voluerit, det, adimat, vel neget: XVI. quod ſinè ſacrilegâ Divinorum attributorum læſione dici non poteſt.

X. Hæc retundendæ Adverſariorum in accuſandis Summis Pontificibus temeritati ſufficiant; licèt refutandæ trigeſimæquintæ Propoſitioni minimè neceſſaria.

TRIGESIMASEXTA PROPOSITIO DAMNATA.

Differentia eſſentialis inter gratiam Adami, & ſtatûs innocentiæ, ac gratiam Chriſtianam eſt, quòd primam unuſquiſque in propria perſona recepiſſet; iſta verò non recipitur, niſi in perſona JESU Chriſti reſuſcitati, cui nos uniti ſumus. *Obſerv. Moral. Rom. 7. verſ. 4.*

CAPUT I.

Confutatio Propoſitionis hæreticæ. col. 766.

I. DE utrâvis gratiâ intelligatur Propoſitio indefinita, ſive actuali, ſive habituali, hæretica eſt: Fide enim conſtat, utramque nobis eſſe intrinſecam. Definitum ſiquidem eſt, *INTERIORI gratiæ* in ſtatu naturæ lapſæ aliquando reſiſti, quod de actuali ſinè controverſia intelligitur, intellexitque Janſenius, qui illi nunquam reſiſti docuerat. Propoſitio accepta de gratia habituali, quæ eſt ipſa hominis juſtitia, non minùs evidenter, II. à Tridentino proſcripta eſt. III. Si enim gratiam juſtificantem non recipimus in propria perſona, ſed ſolummodò in perſona Chriſti, nobis moraliter per benevolentiam, quâ nos ſibi in fratres & amicos adoptavit, uniti; quia aliud per hoc intelligat, quam nos per Chriſti juſtitiam *formaliter juſtos eſſe*, quod damnatur ſeſſ. 6. can. 10.?

IV. Rurſus ſi gratiam Chriſtianam juſtificantem non recipimus in propria perſona, ſed ſolummodò in perſona Chriſti, quid ſupereſt, niſi ut juſtificemur, *vel ſola imputatione juſtitiæ Chriſti, vel ſola peccatorum remiſſione, excluſa gratia, & charitate* habituali, *quæ & in cordibus* noſtris *per Spiritum Sanctum diffundatur, atque* nobis *inhæreat*, quod ibidem can. 11. aboletur? V. Remittamus Queſnellum ad Catechiſmum Romanum, tr. de bapt. ubi Tridentinum ſic explicat: *Eſt autem gratia.... Divina qualitas in anima INHÆRENS, ac veluti ſplendor quidam & lux, quæ animarum noſtrarum maculas omnes delet; ipſaſque animas pulchriores, & ſplendidiores reddit*. VI. Et quid aliud intelligunt Scripturæ per Spiritum *poſitum in medio noſtri, habitantem in nobis, effuſum in nos* &c. niſi gratiam nobis inhærentem? VII. Quid Auguſtinus, cum juſtitiam vocat *interioris hominis pulchritudinem, occultam communicationem, & inſpirationem gratiæ ſpiritualis* &c.? VIII. Hinc Calvinus de Auguſtino, quoad hoc dogma, in partes ſuas trahendo deſperat. IX. Hipponenſi Antiſtiti conſentiunt Hieronymus, X. Proſper, XI. Cyrillus Alexandrinus; XII. quorum, aliorumque Patrum authoritatem, ut nimis clarè ſibi repugnantem, nobis concedere coactus eſt Kemnitius.

Por-

Digitized by Google

XIII. Porrò variorum Queſnelli dogmatum circumſtantiæ, quæ præſenti Articulo velut principia, & fundamenta ſunt, hunc benigniùs interpretari non ſinunt. XIV. Ideò derat fortè aliquam, quòd, cum dicitur, *gratiam Chriſtianam non recipi niſi in perſona Chriſti*, aliud id non ſignificet, quam non reipſa niſi ex meritis Chriſti: ſed cur tunc additur *reſuſcitati?* Chriſtus reſuſcitatus extra ſtatum viæ ac meriti fuit: nulla proindè gratia ex Chriſti meritis reſuſcitati nobis obvenit.

XV. Accedere Queſnellum ad ſenſum Calvini potiùs, quàm Tridentinorum Patrum, & Catechiſmi Romani horum juſſu editi, non levis ſanè ſuſpicio eſt ex eo, *quod damnatam in Michaele Bajo doctrinam renovaverit, atque laudaverit novam operum ejuſdem Baji editionem*, ut dicitur, & demonſtratur in *Cauſa Queſnelliana*.

XVI. Baji autem in hac materia dogmata à tribus Pontificibus proſcripta veluti Compendio continet Queſnelliani Articuli pars poſterior. XVII. Si enim *gratia Chriſtiana non recipitur in perſona* (cujuslibet juſti) *propria*, ſed ſolummodò in *perſona Chriſti*. Juſtitia Chriſtiana non conſiſtet *in gratia aliqua animæ infuſa qua adoptatur homo in filium Dei* &c. quæ eſt Bajana 42. XVIII. Non minùs facilè ex Queſnelliana Propoſitione elicies Bajanam ſexageſimamtertiam, & ſexageſimamquartam, XIX. XX. Item ſexageſimamnonam, & vigeſimamtertiam. XXI. Ex hac Queſnelli aliiſque de gratia ſententiis colligere in promptu eſt, cur in *Traditione Eccleſiæ*, ſub nomine Doctoris Germain tomo 1. pag. 54. ſcripſerit: *Circa materiam de gratia non eſt ampliùs ſolidum diſſidium inter Catholicos* (Queſnelli ſimiles) *& Calviniſtas*. Et pag. 200. *Calviniſtæ jam pridem de gratia non ſuſtinuerunt niſi dogmata Catholica, exceptis aliquibus modis loquendi, & quæſtionibus, quæ tantum ſunt de voce*. Vice verſa Petrus Jurieux famoſus Miniſter, & ſcriptor Calvinianus in libello *l'Eſprit de M. Arnauld* fatetur, non Calvinianos ad Janſeniſtas, ſed Janſeniſtas ad Calvinianos *omnino* acceſſiſſe *in materia de gratia*.

CAPUT II.

Refelluntur argutiæ duorum Queſnelli vindicum. col. 773.

I. SI Queſnellus, ut prætendunt Hexapla, aliud ſignificatum noluiſſet, quàm nobis à Chriſto omnem gratiam communicari, tolerabiliùs (licèt nec ſic quidem citra hæreſis ſuſpicionem) dixiſſet, nos omnem gratiam in perſona Chriſti recipere: At dicendo, nos eam *non niſi* in ejus perſona recipere, perſpicuè excludit omnem receptionem gratiæ, præterquàm extrinſecam; nam gratia, quæ non *niſi* in perſona Chriſti eſt, tam nobis extrinſeca eſt, quam ejus ſacratiſſima perſona.

II. III. Obſervator in *Conſtitutionem* vindicare conatur Queſnellum ex alio *Obſervationum Moralium* textu, ubi dicitur *primus felicitatis gradus eſſe, liberari à peccato vera remiſſione, & , qua nos verè juſtos reddit, gratia*: At quando hic videmus gratiam ſanctificantem intrinſecè receptam? imò nec in ullo Queſnelliano opere eam clarè aſſertam invenias. *Vera remiſſio*, & *vera juſtitia* voces ſunt in ore fraudulenti Scriptoris ambiguæ.

IV. Illud Chriſti apud Joan. *Ego ſum vitis, vos palmites* &c. adeò nobis non obſtat, ut, interprete Tridentino, V. & S. Thoma, non parum confirmet doctrinam Catholicam: ſicut enim palmes nec vivet, nec fructus proferet, niſi ſuccus, qui in vitis radice, & ſtipite reſidet, in eum derivetur, & intrinſecè recipiatur. Ita quantamcunque Chriſtus in ſe virtutem contineat, niſi hanc in hominem juſtificandum influat, eaque ab hoc intrinſecè, & non in ſola Chriſti perſona, recipiatur, homo vita ſpiritûs non vivet, nec ſalutis fructus producet.

CAPUT III.

Reſpondetur ad reliqua objecta ex Scripturis. col. 775.

I. OBjicitur illud Joannis 1. verſ. 16. *De plenitudine ejus omnes accepimus*: II. nempe, *quia plenitudo gratiæ*, inquit S. Thomas, *quæ eſt in Chriſto, eſt cauſa omnium gratiarum, quæ SUNT in omnibus intellectualibus creaturis*: Ergo falſum eſt, quod eas non accipiant, niſi in perſona Chriſti. II. Chryſoſtomus ibi ait, *fons eſt, & radix bonorum omnium . . . . non in ſeipſo bonorum divitias continens, ſed in univerſos diffundens*, qui proindè eas in ſeipſis, & in propriis perſonis recipiunt. Suffragantur Beda, Cyrillus &c. IV. Provocamur quoque ad illud Epheſ. 1. verſ. 3. *Benedictus Deus, & Pater Domini noſtri JESU Chriſti, qui benedixit nos in omni benedictione ſpirituali in Cœleſtibus in Chriſto*. S. Thomas à Lapide, cæterique interpretes illud *in Chriſto* intelligunt *per Chriſtum*, hoc eſt, per Chriſti merita omnem à Deo benedictionem ſpiritualem, & cœleſtem deſcendere: quod veriſſimum eſt; ſed inde non ſequitur, benedictionem propter Chriſtum conceſſam non recipi à ſingulis in perſona propria. *In Chriſto*, inquit S. Thomas, *id eſt, per Chriſtum, vel in Chriſto operante* omnem eam in nobis benedictionem. V. Ad locos hujuſmodi à Calviniſtis productos reſpondit Bellarminus l. 2. de juſtif. c. 11. „ Illud *in dilecto Filio*, ſive „ in *Chriſto*, ſive *in ipſo*, quod tam ſæpe Apoſtolus addit, „ nihil aliud ſignificat, niſi nos omnia noſtra bona debere „ Chriſto. „ VI. In hoc tamen à Calviniſtis ſeparantur hujus temporis Novatores, quod illi peccata tantum tegi, hi verè remitti fateantur; ſed Calviniſtis in eo conſentiant, quod gratia ſanctificans à nobis non recipiatur in perſona propria, ſed tantùm in perſona Chriſti.

CAPUT IV.

Reſpondetur ad objecta ex S. Auguſtino.

I. OBjicitur Auguſtinus lib. de dono Perſ. c. 7. dicens: *Neque niſi ad gratiam voluit pertinere, ut homo non peccat ab eo. Hanc gratiam poſuit in illo* (Chriſto). Reſpondeo ut reſpondet Bellarminus ad ſimiles Apoſtoli locutiones (Vide c. 3. n. 5.) Auguſtinum illic *aliud nihil ſignificare, quam, nos omnia bona noſtra*, adeoque hanc, de qua ibi agit, gratiam *debere Chriſto*. II. Auguſtinum agnoſcere gratiam in nobis receptam ex pluribus ejus locis manifeſtum eſt. (Vide c. 5. n. 7.) Et quid aliud ſibi vult, cum l. 1. de pecc. mer. c. 9. ait, *Nos juſtificari per communicationem gratiæ ſpiritualis, quam Deus latenter infundit & parvulis?*

III. Apoſtoli 1. Cor. 1. verſ. 3. & conſequenter Auguſtini ſenſus epiſt. ad Conſentium, quam, ut nobis contrariam, allegant Hexapla, eſt, quod Chriſtus *factus ſit nobis à Deo ſapientia, & juſtitia, & ſanctificatio, & redemptio*, non, ut cauſa formalis, ſed efficiens, & meritoria noſtræ ſapientiæ, juſtitiæ, ſanctificationis, & redemptionis: ut explicant Chryſ. Theophyl. Ambroſ. Anſelm., & S. Th. Quantùm ab Adverſariis S. Doctor diſſideat in objecta epiſtola, patet ex eo, quod mox addit. *Quid eſt autem aliud juſtitia, cum in nobis eſt, vel quælibet virtus, qua rectè ſapienterque vivitur, quam interioris hominis pulchritudo?* An homines ſapientes ſunt, aut pulchri per ſapientiam, vel pulchritudinem non receptam in ipſis, ſive in perſona propria, ſed alterius? V. VI. Aliæ rurſum opponuntur ſententiæ, quibus aſſeritur Chriſtum caput eſſe, cujus nos membra ſumus, & quocum unum corpus componimus: ſed neque hæc Queſnello militant: nam, ut in corpore naturali ſingula membra non denominantur formaliter viventia, & pulchra à ſolo capite; ſed à vita & pulchritudine, quæ ipſis inexiſtit; ita gratia & juſtitia, quæ in Chriſto eſt, non reddit nos Deo gratos & juſtos; niſi quando gratia & juſtitia ab ipſo in nos diffunditur, & verè propriéque recipitur. VII. Hinc Judas etſi membrum Eccleſiæ, imò & Collegii Apoſtolici, atque ipſius quodammodò Chriſti aliàs fuerit; non diutiùs tamen ad eum Chriſti ſanctitas pertinuit, quàm is illam in ſe juſtitiæ conſervavit, atque ad eam conſervandam gratiæ auxilia recepit in ſe, receptiſque conſenſit.

VIII. Reliqui textus, ut ſuperiores, perindè inutiles ſunt, quando nulla inter nos diſceptatio eſt, poſſitne Chriſtus dici ſanctificatio noſtra, juſtitia noſtra & pietas, neque an uſitata locutio ſit, homines eſſe *Sanctos in Chriſto*; ſed an gratiâ in ſe receptâ ſancti dici non poſſint, aut debeant; neque actualis, quâ ad juſtitiam diſponuntur, neque habitualis, quâ formaliter juſti ſunt, in ipſis ſit, in ipſis recipiatur; ſed ſolùm *in perſona JESU Chriſti*. Dum tale

Digitized by Google

nihil ex Patribus, aut Scriptura profertur, olanm & opera eb Adverſatiis perditur; è lectoribus tempus & patientia.

TRIGESIMASEPTIMA PROPOSITIO DAMNATA.

Gratia Adami ſanctificando illum in ſemetipſo, erat illi proportionata: Gratia Chriſtiana nos ſanctificando in Jesu Chriſto eſt omnipotens, & digna filio Dei. *Obſerv. Moral. Eph.* 1. *verſ.*6.

CAPUT I.

Damnatæ Propoſitionis error demonſtratur. col. 784.

I. QUod gratia Adamnm ſanctificavatit in ſemetipſo, verum eſt; quod Adamo fuerit *proportionata*, falſum eſt; hæc eoim vox in ſanſu proprio ſignificat, gratiam fuiſſe Adamo connaturalem, hoc eſt, juxta Prop. 35. fuiſſa ſequelam creationis, & debitam naturæ integræ; quo poſito, ſaquitur, gratiam Adami non produxiſſe, niſi merita humana, ut dicitur Propoſitiona trigeſimaqnarte; adeò, ut hæc ipſa errorum connexio, licèt elia *nos* motiva deficerent, dubitare *non* ſinat, quin Queſnallus gratiâ Adamo *proportionata* non tantùm deſignet integritati ejus convenientem, ſed, quod in Bajana vigeſimaprima, & vigeſimaſexta damnatum eſt, *naturalem*, & *debitam*.

II. Errore quoque non vacat, quod gratia ſanctificans naturæ lapſæ appelletur *omnipotens*: Unde ſaquitar, juſto ad actum ſalutarem opus oon eſſa gratiæ actualis auxilio; cùm ſola habitualis ſeu ſanctificans omnipotentiâ ſuâ abunde ſufficiat. III. Verùm, licèt hic Queſnellianæ Propoſitionis ſenſus obvius ſit; tamen ajus defanſores, aut vindicas *gratiam omnipotentem* hic axplicant da omnipotenti auxilio.

III. Sed neque ſic à Palagianiſmo immunas ſunt, qui aum ram temerè Adverſariis affricant. Si enim nulla actualis gratia ab homine lapſo recipitur *in ſemetipſo*, ſad tantùm in JESU Chriſto; quomodo *ſanctificat*, quomodo adjuvat ſubjactum, in quo non *recipitur*? Hinc ad Pelagii caſtra breviſſimus tranſitus. V. VI. Idem error ad Prop. 36. c. 1. n. 1. aliſu;, hic novo talo confoditur. X. Alter quoqua huic ſimilis de gratia habituali nos tantùm ſanctificante in JESU Chriſto, adeoqua in nobis non receptâ, ex Tridentino, & PP. pariter profligatus aſt ibid. n. 2. & ſeqq. XI. XII. Accedit luculenta authoritas S. Thomæ 1. 2. q. 100. a. 1. raſolventis, *gratiam ponere aliquid in animo*, aſſe *quiddam ſupernatera e in homine a Deo provenieus*; (a. 2) eſſe *qualitatem*, eſſe *accidens*, cujus *eſſe eſt ineſſe*. Ubi & norandem, quod ſequitur. *Illis*, inquit, *quos* Daus *movet ad conſequendum bonum ſupernaterale æternum, infundit aliquas formas, ſeu qualitates ſepernatnrales, ſecundum quas ſeaviter, & promptè ab ipſo moveantur ad bonam æternum conſequendum*: quæ omnia apprimà conformia ſunt doctrinæ Tridentini ſeſſ. 6. c. 7. & can. 10. & 11.

IV. Prætetea Queſuellus opponens gratiam *Adami* gratiæ *Chriſtianæ*, atque hanc vocans *Omnipotentem*, ſatis indicat, priori gratiæ prædicatum illud non competare: Et tamen Adami gratiam fuiſſe *ſufficientiſſimam* aſſerit Janſanius, nec diſſantiet Queſnellus: certiſſimum igitur eſt gratiæ omnipotantis nomine ab eo minimè intelligi merè ſufficientem; ſed eam, quæ ſemper eſt efficax: XIII. in quo erronao gratiæ utriuſque ſtatus diſcrimine convenit cum Janſanio, XIV. Calvino, XV. & Luthero. XVI. Æquum de eodem iſto diſcrimine judicium tulit Cardinalis Aguirre Theol. S. Anſelmi diſp. 132. ſect. 2. *Dicendum*, inquit, *eſt, diſcrimen à Janſenio, & Sectariis aſſignatum inter adjutorium datum naturæ ſanæ & infirmæ, ſive integræ & lapſæ, prout ab iis explanatur, eſſe commentitium*. XVII. Non poſſe iſtud eſſe *clavim* & *fundamentum* doctrinæ S. Auguſtini, ut parperam contendit Janſenius, manifeſtum eſt ex eo, quod Sanctus Doctor eo. annis Pelagianos impugnaverit, attriveritque, antequam axararet liber de correp. & grat. ex quo Sactarii, & Janſenius ficititium illud diſcrimen dapromunt; quod mox teſellemus.

VII. VIII. Interim Queſnellus ſolùm concedens naturæ lapſæ omnipotentem, ſeu efficacam gratiam, reus eſt damnatarum io Janſenio Propoſitionum ſacundæ, tertiæ, quartæ, & quintæ; item primæ ex 31. ab Alexandro Octavo proſcriptis, ut ſupra ad plures ejuſdem furfuris Propoſitiones oſtenſum eſt.

CAPUT II.

Oſtenditur Queſnellianum diſcrimen inter gratiam utriuſque ſtatûs Adverſari principiis indubitatis S. Auguſtini. Verum diſcrimen profertur ex SS. Auguſtino, & Thoma. col. 792.

I. ADamus innocans, inquiunt poſt Janſanium Novatores, gratiæ aſſentiri poterat, vel reſiſtere; quæ nobis in origine ſauciaria obtingit, *omnipotens* aſt, ſive ajuſmodi, ut inſuperabiliter, & indaclinabiliter effectum obtineat: nullam in hoc ſtatu *niſi* talem agnoſcunt. Unda ſequitur, ut qui jam ſupernaturala præceptum tranſgreditur, ſervare non potuerit, nec conſequanter *vituperatione ſuppliciove dignus ſit, qui .... id non faciat, quod facere non poteſt*, ut loquitur S. Aug. l. da a. animabus c. 11.

II. Juxta altarum S. Doctoris principium *conſentire ... vocationi Dei, vel ab ea diſſentire ... propria voluntatis eſt*, quis hoc unquam componat cum gratia ſemper *omnipotente*, inſuperabili & indeclinabili? Tertium ajuſdam principium aſt, cum ait, non fore juſtam reproborum cauſationem, dicantium: *Non accepimus perſeverantiam; quoniam poteſt dici: in eo, quod audieras, & tenueras, perſeverares; ſi velles*: Id reprobis in Queſnelli ſententia exprobrari non poteſt; cùm perſaverare ſinè cœleſti auxilio non potuerint, id autem defuiſſe patet: alioqui indaclinabiliter, & inſuparabiliter perſeveraſſent ope gratiæ *omnipotentis*, quæ unice naturæ lapſæ attribuitur. Evidens igitur eſt, à commentio Novatorum diſcrimina Auguſtinum abeſſe longiſſimè.

III. Aliam verò, & genuinam gratiæ utriuſqua ſtatûs diſparitatem aſſignat lib. de corr. & grat. c. 11. IV. quam in quatuor hæc membra diſtinguit Cardinalis Aguirre. Primò Adamus *in bonis erat*, id eſt, in ſtatu integritatis, in quo tantum egebat adjutorio elavante, & perficiante: Poſteri Adami *in malis* ſunt, ratione quorum egent gratia ſanante. Secundo Adamus ad recipiendum illud adjutorium non eguit morte Chriſti; *nos* originaliter & perſonaliter maculati, gratiam non recipimus, niſi per ſanguinem Agni, quo lavandi ſumus.

Tertiò datum Adamo adjutorium non inſerviebat frænandis concupiſcantiæ motibus, cum iis non eſſet obnoxius: Adjutorium autem noſtrum belluinos motus compeſcit, & pugnat advarſus illecebras carnis, unda naſcitur quartum diſcriman, quòd Adami adjutorium eſſat *lætius*, id eſt, ſinè dolore, & inteſtina pugna: noſtrù verò quamvis lætius non ſit, potentius tamen eſt: non anim ſolùm vires tribuit ad bonum, ſed etiam rapellit, aut vincit oppoſitam inclinationam ad malum. Ita Cardinalis ax Auguſtino, ubi in quadruplici diſcrimine gratiæ utriuſque ſtatus nihil occurrit, ax quo Calvini, Janſenii, & Queſnalli ſyſtema eliciatur: V. cui nihilo plus ſavet S. Thomas 1. 2. q. 109. a. 2. ubi ex profeſſo daterminat utriuſqua auxilii differentiam; & ſic concludit: *Igitur virtute gratiæ ſuperaddita virtuti naturæ indiget homo in ſtatu naturæ integræ, quantùm ad unum; ſcilicet ad operandam, & volendam bonum ſupernaturale. Sed in ſtatu naturæ corruptæ, quantùm ad duo; ſcilicet, ut ſanetur, & ulteriùs, ut bonum ſupernaturalis virtutis operetur, quod eſt meritorium*. VI. Hic iterum nulla mantio *omnipotentis* gratiæ, quæ ſola ſtatui naturæ lapſæ obtingat.

CAPUT

CAPUT III.

Diſſlantur objectiones petitæ ex S. Auguſtino. col. 795.

I. TOta ferè objectionum vis poſita eſt in obſcuritate quorumdam Auguſtini textuum, II. . . V. qui hic recenſentur ex lib. de corr. & gr. c. 11. & 12. VI. unde Janſeniani colligunt, gratiam quidem ſufficientem obtigiſſe Adamo ante peccatum, ſed non oiſi ſufficientem; quâ nempe bonum operari poſſet, non operaretur: at in ſtatu naturæ lapſæ omnem gratiam eſſe indeclinabiliter, & inſuperabiliter efficacem: quam ſequelam negant tam Thomiſtæ, quàm cæteræ omnes Scholæ Catholicæ, quamvis in explicando Auguſtino inter ſe diſcrepent. Et verò Janſeniſtarum interpretationem negare omnes debent, quibus aliqua erga S. Doctorem reverentia, nè ſcilicet doctrina ejus ad quinque Janſenii hæreſes releganda ſit. VII. Ut enim alia omittamus; ſi omnis gratia in hoc ſtatu eſt *omnipotens*, ſeu talis, quemadmodum Queſnellus explicat Prop. 10., *quam nihil impedire poſſit, aut retardare*; jam verum erit, quod interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ nunquam reſiſtatur, aut reſiſti poſſit, quæ recentiùs in Janſenio, & pridem in Calvino damnata ſunt. Ad hæc ſi præter *omnipotentem* gratiam nulla conceditur: ergo nulli reprobo obtingit gratia, quâ ſalvari poſſit: ſi quæ enim obtingeret, ea eſſet *omnipotens*, ſive inſuperabiliter efficax, & quâ is proinde, contra ſuppoſitum, ſalvaretur. Quâ igitur ratione Queſnellus nobis explicare poterit, quomodo pro ullius reprobi ſalute Chriſtus paſſus, & mortuus ſit?

VIII. Meliùs itaque Doctores Catholici, tum fidei, tum Doctoris maximi honori conſulunt, quando verba ejus minùs dilucida cum doctrinâ Eccleſiæ ab eodem alibi apertiſſimè traditâ interpretando componunt, ut fecere quamplurimi; quorum celebriores aliquæ opiniones, ſalva cuilibet ſua probabilitate, infra recenſentur.

IX. Auguſtini textus lib. de dono perſ. c. 7. qui ab Hexaplis poſtremo loco objicitur, quid ad rem faciat, non ſatis patet: hoc certum eſt, nihil ex eo conſequi, quo probetur gratia vel nos tantùm ſanctificare in JESU Chriſto, vel in hoc ſtatu ſemper eſſe omnipotens; ut à Queſnello in præſenti, quam hactenus impugnavimus, Propoſitione adſtruitur.

CAPUT IV.

In explicandis, quæ capite præcedenti ſub initium objecta ſunt, S. Auguſtini locis de gratiæ utriuſque ſtatûs diſcrimine, repugnat Adverſariis Cardinalis De Aguirre. col. 800.

I. CEleberrimus, qui objicitur Auguſtini locus, & ex cujus ſolutione cæterorum pendet explicatio, legitur lib. de corr. & gr. c. 12. & ſic habet „Ipſa adjutoria diſtinguenda ſunt. Aliud eſt adjutorium, ſinè quo
„ aliquid non fit; aliud eſt adjutorium, quo aliquid fit.
„ Primo itaque homini, qui in eo bono, quo factus fuerat
„ rectus, acceperat poſſe non peccare, poſſe non mori,
„ poſſe non deſerere ipſum bonum, datum eſt adjutorium
„ perſeverantiæ; non quo fieret, ut perſeveraret; ſed ſinè
„ quo per liberum arbitrium perſeverare non poſſet.
„ Nunc verò Sanctis in regnum Dei per gratiam Dei prædeſtinatis, non tantùm tale adjutorium perſeverantiæ
„ datur; ſed tale, ut & perſeverantia ipſa donetur, non
„ ſolùm ut ſinè iſto dono perſeverantes eſſe non poſſint;
„ verùm etiam ut per hoc donum non niſi perſeverantes
„ ſint. „

II. Ad hunc, ſimileſque Auguſtini textus reſpondet Cardinalis De Aguirre, & cum eo plurimi Doctores Galliæ, Hipponenſem Epiſcopum non agere de qualibet naturæ lapſæ, imò nec de omni in hoc ſtatu efficace gratiâ; ſed de ſolo dono perſeverantiæ, ſive de dono, per quod, ut Sanctus loquitur, *non niſi perſeverantes ſunt*. De fide ſcilicet eſt contra Calviniſtas, non omnem juſtum eſſe prædeſtinatum; adeòque non omnem juſtitiam, non omnem efficacem gratiam eſſe perſeverantiam. Adverſarii verò *adjutorium quo* cum omni lapſi hominis gratiâ confundendo, omnes ſemel donatos gratia ſimul prædeſtinatione donarent, & perſeverantiâ. III, IV. Hanc reſponſionem eruditiſſimus Cardinalis pluribus confirmat, V, VI. oſtenditque, Auguſtinum minimè voluiſſe omnem efficacem gratiam negare ſtatui innocentiæ, neque lapſo omnem ſufficientem; ſed ſolummodo opponere donum perſeverantiæ, quod nunc datur *Sanctis in regnum Dei prædeſtinatis* adjutorio, quo quidem Adam potuit in juſtitia ad finem uſque perſiſtere, non tamen perſtitit. VIII. Quâ explicatione ſuppoſita, corruere neceſſe eſt Janſeniſtarum ſententiam de omni gratia in hoc ſtatu efficaci, & juxta Queſnellum *omnipotente*.

CAPUT V.

In explicando gratiæ utriuſque ſtatûs diſcrimine R. P. Antoninus Maſſouliè, & cum eo Schola Thomiſtica non favet Adverſariis; quibus iterum intorquetur authoritas Eminentiſſimi De Aguirre. col. 822.

I. PRæter diſcrimina gratiæ extrinſeca aſſignata c. 2. n. 4. & 5. ex SS. Auguſtino, & Thoma, nullum aliud intrinſecum, & eſſentiale ſtatuere neceſſe eſt; docente nos Fulgentio l. 2. ad Thraſymundum Regem c. 3. *Quia NON ALIA gratia ſtantem Angelum à ruina potuit cuſtodire, niſi ipſa, quæ lapſum hominem poſt ruinam potuit reparare. UNA eſt in utroque gratia operata; in hoc, ut ſurgeret, in illo ne caderet . . . . illius tuta, hujus medicina.*
„ Quid illuſtrius, inquit Card. Aguirre, pro identitate
„ gratiæ efficacis in Angelo, ut perſeveraret, atque in
„ homine, ut ſurgat? „

Huic Fulgentii effato ſubſcribunt, & ſubſcribere debent, qui defendunt prædeterminationem phyſicam, quæ vel propterea non parùm Janſenio diſplicuit; unde to. 2. col. 581. ſcribit: „ Prædeterminatio phyſica prorſus de-
„ ſtruit totam illam differentiam gratiæ Adami, & Chri-
„ ſti, ſeu *adjutoris ſinè quo non*, & *adjutorii, quo fit opus*:
„ quam tamen Auguſtinus firmiſſimè ſtabilivit, & velut
„ immobilem baſim totius doctrinæ ſuæ poſuit. „ II. Sed hanc prætenſam Auguſtinianæ doctrinæ baſim ſupra exploſimus c. 1. n. 17., explodirque nobiſcum R. P. Antoninus Maſſouliè, quandoquidem, inquit, *ſinè ea utriuſque adjutorii diſtinctione vinci potuit, victaque eſt hæreſis Pelagiana, & vera de Divina gratia fides ſtabilita*.

Dein laudatus Pater tradit ex S. Thoma gratiæ utriuſque ſtatûs diſcrimina, quæ nos ex eodem Angelico, & Auguſtino c. 2. n. 4. & 5. produximus, & ab omnibus admittuntur. His addit aliud Scholæ ſuæ proprium; videlicet, quòd *Dei motio*, ſive auxilium efficax, licèt in omni ſtatu ad actus ſalutares ſit requiſitum; tamen in hoc ſtatu ratione nova, & ſingulari infirmitatis naturæ requiratur, ob quam ſolam, etſi omnis alia ratio deeſſet, opus eſt adjutorio efficaci, ut imminutarum defectus virium reparetus. Infirmitati naturæ jungit P. Maſſouliè cum D. Thoma *multitudinem impedimentorum*, quæ non erant in ſtatu naturæ integræ; & tandem ſententiam ſuam de duplicis adiutorii diſcrimine jam expoſitam, confirmat authoritate Eſtii, eam neceſſariam judicantis conciliando ſecum Auguſtino. V. In hac Thomiſtica Auguſtinianæ ſententiæ expoſitione nihil penitùs occurſit; unde colligatur vel gratiam Adami fuiſſe illi proportionatam, vel gratiam Chriſtianam nos tantùm ſanctificare in JESU Chriſto, VI. vel denique omnem Chriſtianam gratiam eſſe omnipotentem, eamque, quæ ſufficiens dicitur, non eſſe dignam filio Dei. Thomiſtas enim ab eliminanda gratia ſufficiente alieniſſimos eſſe, atque hujus imputationem erroris ab eis inter calumnias rejici, notius eſt, quàm ut probari debeat. VII. Non magis Queſnello propitium eſſe in explicanda Auguſtini mente Cardinalem de Aguirre capite ſuperiori abundè oſtenſum eſt. III. Si igitur duobus hiſce non infimæ notæ Theologis tantum Queſnellus deferat, quantum alibi paſſim ſimulat; certè eorum ſententias re-

jicere

jicere non poteſt, ſaltèm ut intolerabiles, & quæ potiùs eligendæ non ſint, quàm ea, quæ tot fulminibus in Bajo, Janſenioque attrita eſt. IV. Imò peculiaris ratio exigit, ut non recuſet doctrinam Patris Maſſoulié, utpote conformem Scholæ Thomiſticæ; cujus Magiſtris, Gonero &c. quoniam non diſplicebant famoſi *quinque Articuli*, profeſſus eſt, *hic* ſuam, & ſuorum *omnem circa materiam quinque Propoſitionum* [Janſenianarum] *doctrinam contineri*.

CAPUT VI.

Refertur duplex alia hypotheſis pro explicando gratiæ utriuſque ſtatûs diſcrimine, erroneo Queſnelli ſyſtemati è diametro oppoſita. col. 807.

I, II. HYpotheſis, quàm Cardinalis de Aguirre, aliique non pauci accommodant explicationi Auguſtiniani diſcriminis inter gratiam utriuſque ſtatûs, relatæ c.4., eſt hujuſmodi. Deus, inquiunt, Adamum innocentem, & tot naturæ, ac gratiæ donis exornatum dimiſit libero ſuo arbitrio cum ſolo auxilio ſufficienti, quo poſſet ad finem uſque in juſtitia perſeverare. Verùm perſpecto ejus lapſu, poſteris adeò fatali, meliorem iis ſalutis Ducem largitus eſt, Filium unigenitum, qui potentioribus gratiæ præſidiis infirmæ naturæ ſuccurreret; & ita quidem, ut omnes poſſent ſalutem adipiſci; quâ tamen multi reipſa exciderent, non defectu gratiæ, ſed liberæ ad eam cooperationis: unde ii ſoli fierent æternæ vitæ participes, qui præ cæteris ſingulari Dei miſericordia electi, iis prævenirentur auxiliis, quæ eorum diſpoſitioni, ac guſtui attemperata effectum liberum certiſſimè obtinerent.

III. Sed unde hæc certitudo repetenda eſt? Hæc quæſtio Authores hactenus conſentientes, bifariam dividit, dum hi citra conditionalium præſcientiam; illi non niſi per eam explicari poſſe contendunt obtinendi effectûs certitudinem. Quidquid ſit; ex hâc hypotheſi, quæ Cardinalis Aguirrii eſt [quem Queſnellus tanquam Molinæ adverſantem, ſibi verò faventem allegare ſolet] ut facilè reſolvitur omnis objectorum Auguſtini textuum difficultas; ita nullus Queſnellianorum errorum ſequitur, quos c.1 refutavimus, & c. 5. n. 5. & 6. breviter iterum recenſuimus.

IV. Altera aliquot recentiorum hypotheſis ſic exponitur: Adam gratiam habuit, eamque *magnam*, ut Auguſtinus loquitur: Verùm hæc non excitavit prævie voluntatem, ſed tantùm illuſtravit intellectum, proponendo ei bonum ſub motivis ad ejus electionem invitantibus. Porrò voluntas ſana, & habitualiter ſancta, nullis impedita malis, nullis aliò diſtracta concupiſcentiæ blanditiis, ſatis erat potens, ac fortis, ut cum ſola gratiâ intellectûs, Deo ſupernaturaliter concurrente, aſſenſum ſalutarem eliceret. V. Ab hoc ſyſtemate pendêre exiſtimant ejus Defenſores genuinam quarumcunque ex Auguſtino difficultatum ſolutionem. In exemplum ſit, quod ſcribit S.Doctor lib. de cor. & grat. c.11. *Dederat homini Deus bonam voluntatem: in illa quippe eum fecerat, qui fecerat rectum: dederat & adjutorium, ſinè quo non poſſet in ea perſeverare, ſi vellet; ut autem vellet, in ejus libero reliquit arbitrio*. Adjutorium, inquiunt, ſinè quo non poſſet in bona voluntate perſeverare, recipiebatur in intellectu; ut autem liberum conſentiret arbitrium, alio præveniente auxilio opus non habuit. VI.... VIII. Hæc hypotheſis illuſtrari poteſt ex iis, quæ ſcribit Bellarminus lib. de gratia primi hominis toto c. 4. in eo controverſiarum tomo, qui Romæ à Sacra Rituum Congregatione examinatus, & approbatus eſt.

IX. Præter hypotheſes jam relatas ſunt & aliæ, quæ ſcholaſticè, & citra cenſuram ſuſtineri poſſunt; quarum proinde aliquam tutiùs, & religioſiùs eligerent Adverſarii, quam Janſenianam tot titulis execrandam.

CAPUT VII.

Origo totius Queſnelliani diſcriminis inter gratiam naturæ integræ, & ſanæ. col. 812.

ORdiamur à gratia naturæ integræ. I. *Juſtitiam* Adami innocentis *non fuiſſe quoddam donum... ſed fuiſſe verè naturalem*: item tam *naturalia* ipſi fuiſſe *credere Deo, agnoſcere Deum, quàm naturale eſt, quòd oculi lumen recipiunt*, tradit Lutherus in c.3. Geneſeos. Hunc ſecutus videtur Calvinus l.1. Inſt. c.15. § 4.

II. Utrumque ſecutus eſt Bajus in damnatis à tribus Pontificibus Articulis vigeſimoprimo, vigeſimoſexto; III. item primo, & tertio inter 79. Quæ quidem proſcripta dogmata ei tam vera, & certa viſa ſunt, ut non abſtineret à cenſuris in oppoſitos ſibi Scholaſticos, ut liquet ex ejus Articulis 23, 24, & 79.

IV. Hos errores, Baji retractatione ſopitos, ſuſcitavit Janſenius V. locis pluribus: unum hic alterumve proferre ſufficiat. Tomo 2. editionis Lovanienſis col.762. præfigit hunc titulum capiti 18. *Gratia dilectionis Dei non poteſt ſinè culpa ſubtrahi creaturæ rationali innocenti, & aliquo modo debita eſt*. Tomo 3. col.395. *In Angelis* [idem fuiſſet in Adamo, ſi perſeveraſſet] *neque merita, neque perſeverantia ſunt ſpecialia Dei dona*. col 797. *Clara Dei viſio nequit negari creaturæ innocenti*. VI. Iſtæ, ſimileſque ſunt procul dubio ex iis *multis Propoſitionibus*, quas Urbanus Octavus Conſtitutione IN EMINENTI declaravit *à Prædeceſſoribus olim* ſuis *damnatas contineri* in Janſenii libro, cui titulus *Auguſtinus*, quem propterea meritiſſimo jure proſcripſit. Mortuus tamen eſt Janſenius in ſinu Eccleſiæ; quia, ut Bajum errantem, ita ſe Apoſtolicæ Sedi ſubmittentem ſecutus eſt.

VII. At Queſnelliana factio, Queſnello plaudente, & approbante, ſpretis tot Pontificum cenſuris, omnia Baji opera cum vindiciis contra Sedem Apoſtolicam contumelioſiſſimis edidit, ut conſtat ex *cauſa Queſnelliana* a.3.

VIII, IX. Errores verò Janſenii pluribus Queſnellus Apologiis defendit, eoſque *Obſervationibus* ſuis *Moralibus* undequaque inſarcit. Et quidem quatuor proximè refutatis Propoſitionibus, quaſi in pugnum contraxit quidquid de gratia primi hominis ex Luthero, Bajo, Janſenioque retulimus. Conſule Propoſitiones ſingulas, & earum refutationem.

X. Inquirenda jam eſt origo dogmatum, quæ tradit Queſnellus de gratia naturæ lapſæ. Hæc autem duo ſunt: alterum, hanc eſſe eſſentialem differentiam inter gratiam Adami, & noſtram, quod prior eum ſanctificaret in ſeipſo, poſterior nos non ſanctificet, niſi in Chriſto JESU; adeòque non in nobis met ipſis. Alterum, quod omnis in hoc ſtatu gratia ſit *omnipotens*. XI. Primo dogmati originem potuit præſtitiſſe Lutherus, ubi ſic ait in epiſt. ad Galat. *Fide apprehenſus, & inhabitans Chriſtus eſt juſtitia Chriſtiana, propter quam* nos Deus reputat *juſtos*. XII. Lutherum tamen explicat diſcipulus ejus Oſiander de Deo ipſo nos inhabitante, & formaliter juſtos reddente. XIII. Matthias Illyricus, XIV, XV. & Lutherani, tum Saxonici, tum Electorales juſtitiam nobis per Chriſti opera merè imputatam adſcribunt: *Obedientia*, ajunt Saxonici, *& meritum Chriſti eſt res ipſa, quæ nobis imputatur; eſt juſtitia ipſa, quæ nobis donatur, atque adſcribitur*.

Quæ ſit Calvini de juſtificatione ſententia, colligitur ex his ejus verbis lib 3. Inſt. c.11. §. *Cum itaque nos Chriſti interceſſione juſtificet Deus*; NON PROPRIÆ INNOCENTIÆ *approbatione, ſed juſtitiæ imputatione nos abſolvit, ut* PRO JUSTIS IN CHRISTO CENSEAMUR, QUI IN NOBIS NON SUMUS.

Docuiſſe Bajum, juſtitiam non conſiſtere *in gratia aliqua animæ* infuſa, conſtat ex damnato ejus art. 42., aliiſque huic affinibus.

XVI. Diſpiciat modò Lector, an ad hos errores non proximè accedat Queſnellus ſtatuens „ gratiam Chriſtianam non recipi a nobis in propria perſona, non recipi, „ niſi in perſona Chriſti; illam nos non ſanctificare in no- „ bis met ipſis &c. „ ut traditur Propoſ.36. & 37.

XVII. Tertius error, quòd omnis gratia in hoc ſtatu ſit

omni-

Digitized by Google

omnipotens, ſeu efficax, authore Luthero, gloriari poteſt in c.2.Gen.quem ſecutus eſt Calvinus in Antidoto ſeſſ.6. Tridentin., & lib. 2. Inſt. c. 3. ubi *talem fuiſſe hominis adhuc ſtantis conditionem concedit, ut poſſet in alteram partem inclinare*. Jam verò *gratia*, inquit ibid. cap.2., *voluntatem movet, non qualiter multis ſeculis traditum eſt, & creditum, ut noſtræ poſita ſit electionis, motioni aut reſiſtere, aut obtemperare; ſed illam efficaciter afficiendo*.

XVIII. Id ipſum paſſim docet Janſenius, & ut operis ſui fundamentum ſubſternit: *Poſt lapſum Adæ*, inquit to.3. l.3.c.1. *nullum datur adjutorium verè ſufficiens, quin ſimul ſit efficax*: nullum item, quod *libero arbitrio ſubjaceat* ibid. l.2. c.4.

Penè præterieram *ſpecimen* Contraremonſtrantium in Hollandia Calviniſtarum, quorum articulus 72. non malè quadrat Queſnellianæ omnipotenti gratiæ. *Gratia*, inquiunt .... *adeò eſt efficax*, & OMNIPOTENS *tractio, ut ... homines ejuſmodi tractioni reſiſtere nec velint, nec poſſint*.

XIX. Deteximus itaque genuinam originem totius ſpurii diſcriminis à Queſnello inter gratiam Adami, & noſtram aſſignati.

CAPUT VIII.

Querela, & Proteſtatio Queſnelli pertinens ad Propoſitionem 34. & 35. Expenduntur duo priores ejus Articuli. col.818.

I. QUeritur Queſnellus in Propoſ. ſua 35. malâ fide referri hæc verba: *Et erat debita naturæ ſanæ, & integræ*, quæ Cardinalis de Noailles in poſterioribus *Obſervationum Moralium* editionibus auferri juſſit: *Honeſtas*, inquit Queſnellus, *& æquitas erga Eminentiſſimum poſtulabat, ut iſtud notaretur* à 40. Galliæ Epiſcopis in Documento eorum Paſtorali, ubi Propoſitiones ejus jure damnatas demonſtrant. II. At in Prolegomenis c.5. & alibi non ſemel oſtenſum eſt, hanc & quamcunque aliam poſteriorum editionum factam à Cardinale mutationem, impedire minimè debuiſſe, ne à Sede Apoſtolica configerentur Propoſitiones, prout extant in anterioribus, quæ 30. ferè annorum ſpatio omnium manus pervagatæ, non paucos indubiè Lectores infecerant.

III. Accedit primò, Queſnellum hanc, aliaſque correctiones invitiſſimum tuliſſe, nec maledictis in Cardinalem pepercisse, qui eas imperarat. IV. Accedit ſecundò, hanc correctionem ſufficientem non fuiſſe, cùm prima Propoſitionis pars intacta relicta ſit, ſcilicet hæc *gratia Adami eſt ſequela creationis*, quæ eundem, licèt occultiùs, ſenſum continet, quem pars ſecunda, *& erat debita naturæ ſanæ, & integræ*.

V. Accedit tertiò, quòd is, cui correctionis cura fuit à Cardinale impoſita, incorrectum reliquerit, quod Adami gratia fuerit illi *proportionata*, ut dicitur Propoſ. 37. Ex quibus ſequitur, tam perfunctoriam correctionem ne meritam quidem eſſe, ut ejus vel à Pontifice in Conſtitutione *Unigenitus*, vel à Gallicanis Epiſcopis in *Documento Paſtorali* mentio haberetur, multò minùs, ut Apoſtolica Sedes ei quidquam deferret.

VI. Altera Querelæ, & Proteſtationis cauſa eſt, quòd 40. Epiſcopi occaſione Propoſitionis 34. *Gratia Adami non producebat niſi merita humana*, aſſerant, Queſnellum ſtatuere merita Adami MERE *humana*. Imo verò tantos viros de *calumnia* accuſat, VII. propterea quòd gratiam ſequentem ex creatione, proportionatam naturæ, eique integræ debitam non agnoſcant *ſupernaturalem*, meritaque ex tali promanantia principio vocent MERE *humana*. O hominis frontem! VIII. Quis verò unus Catholicus Author reperietur, qui *ſupernaturalis* nomen tali gratiæ impertiat? Si autem gratia merè naturalis eſt, quæ alia in homine producere poteſt merita, niſi merè naturalia, *merè humana*? IX. At, inquis Queſnellus, quòd gratiam affirmaverim ſupernaturalem, evincit Propoſ.36 ubi citra æquivocum gratiam Adami oppono gratiæ Chriſtianæ. Reſpondeo, æquivocum Sole clarius patère ex eo, quod poſteriore loco agatur de gratia propriè dicta; priore verò de impropria, qualis eſt debita naturæ integræ; cùm *debitum*, & *gratia* invicem opponantur. Vide Propoſ.35. c.2. num.12. & 13. X. Quid ergo Queſnellum juvat, gratiam dicere ſupernaturalem, eique propriæ, & univocæ nomen tribuere, ubi tota gratiæ ſupernaturalis notio contrariâ explicatione ſubvertitur? An fortè exiſtimat, ideo *ſupernaturalem* eſſe; quia, ut ibidem loquitur, eſt *naturæ ſuperaddita, & ab ea ſeparabilis*? Id ſi ita eſt, jam habitus naturæ viribus acquiſiti *ſupernaturales* dici poterunt; hi enim & naturæ ſuperadduntur, & poſſunt ab ea ſeparari.

XI. Ob tam ineptas ratiunculas lacerat Queſnellus Illuſtrem tot Gallicanorum Antiſtitum Cœtum, imò & ſe ſupra Sedem Apoſtolicam effert.

Operæ pretium non eſt, reliquos hic *Proteſtationis* Queſnellianæ Articulos, æquè futiles, & inverecundos proſequi; præſertim cum jam ſupra præoccupati, aut refutati ſint. Unde ſequentia capita, ubi hi denuo acriter coarguuntur, indicare ſufficiet.

CAPUT IX.

Expenditur tertius Proteſtationis Queſnellianæ Articulus contra Propoſitionem 37. col. 824.

CAPUT X.

Expenditur quartus Proteſtationis Queſnellianæ Articulus contra Propoſ.37. col. 834.

CAPUT II.

Expenditur ultimus Proteſtationis Queſnellianæ Articulus, ubi in Moliniſtas invebitur. col.841.

Concluſio eorum, quæ contra ſuperiores quatuor Propoſitiones diſputata ſunt, cum quibuſdam Conſectariis.

CAPUT I.

Gratia, quæ à Queſnello collata dicitur Adamo innocenti, non fuit gratia: neque ſalvat libertatem, juxta ſyſtema Queſnello-Janſenianum. col.846.

I. QUeſnellianum gratiæ ſyſtema, ut vidimus, eò cedit, ut nullam nobis gratiam attribuat, niſi *omnipotentem*, eamque non receptam, *niſi in perſona Chriſti reſuſcitati*: nullum verò Adamo innocenti impertiat, niſi quæ ſit *ſequela creationis debita naturæ integræ*, Adamo denique *proportionata*; II. unde conſequi diximus, ut nulla ei, dum integer ſtetit, veri nominis gratia, nulla ſupernaturalis obtigerit. Si quod verò talis gratiæ auxilium accepiſſet, jam illud, ſtante Queſnelli doctrinâ, libertatem ejus peremiſſet, quam tamen Propoſitio 37. univerſæque ejus vindiciæ ſupponunt, vel adſtruunt.

III, IV. Nam, ut tot alias Propoſitiones planè illimitatas, quæ id evincunt, præteream, juxta vigeſimam: *Vera gratiæ idea eſt, quòd Deus vult ſibi à nobis obediri, & obeditur &c.* Sicut ergo impoſſibile eſt, gratiam ſinè idea ſua, & definitione exiſtere, ita fieri omnino non poteſt, ut ſit gratia, & non ſit obedientia: igitur Adamus gratiâ præventus nec peccavit, nec peccare potuit, nec proinde ad peccandum liber fuit: VIII. Ergo ulteriùs conſtringitur Queſnellus ab Adamo innocenti, vel veræ gratiæ auxilium excludere, vel libertatem, X., . XII. & conſequenter meritum, & demeritum &c. V. Neve dicas, definitiones gratiæ à Queſnello traditas reſpicere tantummodo ſtatum naturæ lapſæ; tam crudis terminis expreſſæ ſunt, ut in ſenſu proprio, & obvio nullam reſtrictionem indicent, nullam quodammodo patiantur, quantumcumque earum Author non alienus appareat ab attribuenda naturæ integræ gratia ſufficienti. An enim, ex.gr., limitationem ullam inſinuat hic Articulus decimus: *Gratia eſt operatio manus omnipotentis Dei, quam nihil impedire poteſt, aut retardare?* Eſtne

Digitized by Google

gratia in ſolo præſenti ſtatu, & non etiam in prætérito innocente operatio manûs omnipotentis Dei? Quod verò additur, *quam nihil impedire poteſt, aut retardare*, non reſtringit, ſed explicat *operationem manus omnipotentis Dei*. VI. Vide hæc uberiùs confirmata. VII. Accedit, quòd Scripturarum loca, quæ ab *Hexaplis* proferuntur ad tuendas contra Bullam *Unigenitus* Queſnellianas gratiæ definitiones, ejuſmodi ſint, quæ voluntatem Dei pro omni hominum ſtatu omnipotentem ſignificent, & cui à nemine reſiſtatur. Sic ad vindicandum proximè citatum Articulum allegatur illud Pſal. 113. *Deus autem noſter in cœlo, omnia quæcunque voluit, fecit &c.*

IX. Ad hæc, ſi Queſnellus innocenti Adamo veram ſupernaturalem gratiam adſcripſerit, quomodo ſubſiſtet diſcrimen ab eo productum in Propoſ. 36. inter gratiam Chriſtianam, quæ non recipitur niſi in perſona Chriſti reſuſcitati, & gratiam ſtatûs integri, quam unuſquiſque recepiſſet in perſona propria: quandoquidem de gratia univerſim ſumpta ſic enuntiat Propoſ. 10. *Dei gratia nihil eſt aliud, quàm ejus omnipotens voluntas?* De quo nè dubites, ſolicitè additur: *Hæc eſt idea, quam Deus ipſe nobis tradit in omnibus ſuis Scripturis*. Certè voluntas Dei recipitur in Deo, & non in ullo homine, qui ſimul Deus non ſit. Hæc ergo, & ſimiles Propoſitiones, ut confirmant Propoſitionem 36. quatenus aſſerit *gratiam Chriſtianam non recipi, niſi in perſona Chriſti*, ita Adamo vel veram gratiam abjudicant, vel non tribuunt, niſi extrinſecam; eamque omnipotentem, & libertatis everſivam, cujus conſectaria paulò latiùs evolvenda ſunt ad uberiorem dictorum, & dicendorum intelligentiam: ſit igitur

CAPUT II.

Proſecutio ejuſdem argumenti. Si gratia Janſenianorum ſenſu dicenda ſit omnipotens, *etiam* omnipotens *dicenda eſt concupiſcentia. Exagitatur Janſenii axioma*, Quod ampliùs nos delectat, ſecundùm id operemur neceſſe eſt. *col.* 852.

I. EO collimat Novatorum conatus, ut è præſenti ſtatu eliminent omne auxilium ſufficiens, eique non aliam ſubſtituant gratiam, quàm *omnipotentem, & dignam filio Dei*, quaſi quæ ſufficiens dicitur, eo digna non ſit. II. Notandum autem venit (juxta Janſenium, & Queſnellum operoſum ejus Defenſorem in *traditione Eccleſiæ &c.*, omnipotentem illam gratiam tam magnificè prædicatam, tunc tantùm efficacem exiſtere, cùm ardorem concupiſcentiæ ſuâ delectatione ſuperat. (Vide verba Janſenii cap. ſequenti n. 8) Quòd ſi hæc ab illa vel uno intenſionis gradu vincatur, neceſſe eſt concupiſcentiæ cedat, quæ hoc caſu victrix *omnipotentiæ* vices alternat; III. Fitque Janſenii phraſi (de gratia Chriſti lib. 4. cap. 10.) *quaſi Diaboli adjutorium quo*: unde poſtquam dixerat loco citato: *Nunc autem ipſum adjutorium beneficæ ſuavitatis facit, ut* voluntas *bonum velit*; de victrice concupiſcentia pariter addit: *Ipſum adjutorium, ut ita dicam, noxiæ ſuavitatis, facit, ut malum velit: illam quippe ſuavitatem, quæ ſuperaverit, voluntas conſentiendo ſequitur*: utique neceſſario, cùm *ſit* NECESSE, inquit ibid. l. 8. c. 3., *animum ſequi, & ſecundùm illud operari, quod ampliùs nos delectaverit* delectatione *indeliberata*, IV, V. ut conſtat ex lib. 4. c. 11.

Hac occaſione obſerva, Lector, quàm impudenter vociferetur Queſnellus quaſi de impacta Janſenio ſuo calumnia, dum ille de invecta *neceſſitante gratia* accuſatur, qui, ſi Novatoribus fides, non aliam doctrinam tradit, quàm Auguſtini. An uſpiam Auguſtinus docet, *neceſſe eſſe, ut* ANIMUS SEQUATUR majorem delectationem indeliberatam? Abſit: ſed neceſſe eſſe ait, ut ſecundùm quod magis delectat *operemur*; hoc eſt, ut potentiæ inferiores, voluntatis imperio ſubditæ, exequantur, quod animus liberè, & efficaciter faciendum elegerit; quæ electio, ut patet, major ſimul & deliberata animi delectatio eſt.

VI, VII. Redeamus ad omnipotentem concupiſcentiam: talem enim eſſe jam oſtendimus; cùm in Janſenii, & Queſnelli principiis par ſit gratiæ, & concupiſcentiæ efficacia. Dignum enimvero *omnipotente* gratia conſectarium! Reſtat & aliud non minus monſtroſum.

Quæro enim ex Queſnello, An homines omni momento temporis premantur concupiſcentiâ, & quidem ardenti, an non? Primum repugnat experientiæ. Si autem tentatio non ſit continua, vel ſaltem non vehemens; undenam pro hoc ſtatu probatur neceſſitas omnipotentis gratiæ, & ſufficientis inutilitas? Neque enim ſufficiens Adami auxilium, utpote quo voluntas ejus (teſte Auguſtino) *ACCENDEBATUR, ut amaret* immutabile bonum, tam tenue erat, ut nulli concupiſcentiæ motui, quantumlibet levi, poſſet reſiſtere. VIII. Ineptè ergo probat Janſenius, hujuſmodi gratiam nullum in nobis uſum habituram ex eo, quòd homo *languorem contraxit, qui concupiſcentia, ſeu creaturarum rerum dilectio appellatur*; cùm languor ille non neceſſariò ſemper tantus ſit, ut impedire debeat, ne gratia ad amorem Dei *accendens*, qualem Adamo Janſenius ipſe ex Auguſtino tribuit, boni aliquid efficere in nobis poſſit; ſi talis gratia nobis etiam concedatur.

IX. Quòd ſi Queſnellus contra omnem experientiam affirmarit, omni momento temporis concupiſcentiam tam intenſam eſſe, ut à nulla ſufficiente gratia, etiam *ardente*, qualis Adamo data eſt, vinci poſſit; jam ſequitur, juſtum in omni bono opere, ſaltèm venialiter, peccare. Probatur conſequentia: per numerum 3. Chriſti gratia, & concupiſcentia conveniunt in ratione efficaciæ, utraque eſt, *Chriſti*, vel *Diaboli*, *adjutorium quo*: atqui Janſenius locis pluribus, ut lib. 2. de gratia Chriſti capite 27. docet: *gratiam in ea, cui datur, ſemper operari*; adeòque etiam tum, quando conveniet cum fortiore concupiſcentia; quo caſu tamen ſolùm efficit deliberatam aliquam velleitatem, ſeu *complacentiam*; quia fortior concupiſcentia rapit ad ſe perfectum, & abſolutum voluntatis conſenſum. X. Ergo ſi Janſenius conſequenter loqui velit, admittere debet, etiam concupiſcentiam in concurſu fortioris gratiæ talem aliquam deliberatam *complacentiam* in voluntate elicere; ſed talis complacentia procul dubio peccatum eſt: ergo ſi omnis gratia in hoc ſtatu ſit efficax, nulla merè ſufficiens; ſequitur juſtum in omni bono opere, ſaltèm venialiter, peccare, XII. quod a Tridentin. ſeſs. 6. c. 11. damnatum eſt. XII, XIII. Hoc ſe laqueo non facile Novatores expedient.

CAPUT III.

Auctarium, quo ſatisfit duabus recenter motis difficultatibus. col. 859.

I. VIr eruditiſſimus, boni publici ſtudio, cupiit duplicem difficultatem pluſculum illuſtrari.

Difficultas prima eſt, quomodo Janſenii de gratia ſenſus idem ſit, qui Queſnelli; cùm hic omnem gratiam ſtatuat abſolutè efficacem, utpote *quam nihil impedire poteſt, aut retardare* per Propoſ. 10. &c. ille verò l. 2. de gratia Chriſti c. 27. agnoſcat *multos Divinitus mente colluſtrari, & in ipſa voluntate motibus Divinæ gratiæ percelli, qui tamen ob ejus internam ſuaſione, & inclinatione diſſentiunt*; II. nec apud illum efficacitas gratiæ abſoluta ſit, ut prædeterminationis phyſicæ (quam vel propterea rejicit l. 8. de grat. Chriſti c. 2.) ſed *relativa* tantùm, prout magis, minùſve ardenti concupiſcentiæ opponitur, quemadmodum ibidem explicat. Hinc naſcitur

Difficultas ſecunda, quomodò Queſnellianæ Propoſitiones de gratia damnari potuerint in ſenſu Janſenii, à quo tantoperè videntur differre: ad utramque difficultatem

Reſpondeo, Janſenium lib. 2. de gratia Chriſti non minùs invictam, perpetuamque in actu ſecundo gratiæ efficacitatem adſtruere, quàm Queſnellum; & vice verſa hunc, ad fallendam pariter Eccleſiam, gratias cum Janſenio verbotenus inefficaces amplecti tum alibi, tum recentiſſimè in *Querela* ſua *& Proteſtatione*.

III. Pro-

Digitized by Google

III. Probatur prima pars vel ex ipſo, qui producta eſt, Janſenii loco, ſi integer audiatur; ſic enim habet: *Neque verò moveat quempiam, quod conſtat multos Divinitus mente conſtrari, & in ipſa voluntate motibus Divinæ gratiæ perceliti, qui tamen ab ejus interna ſuaſione, & inclinatione diſſentiunt*, UT PROPTEREA FALSUM PUTET, GRATIAM IN EO, CUI DATUR, SEMPER OPERARI. IV. Ea enim eſt Janſenii ſtolida, & abſurda ſententia, tam certò, & neceſſariò effectum, id eſt, USUM, & INFLUXUM omnem, cujus homo in illis circumſtantiis capax eſt, ex data gratia conſequi, quam affectum formalem ex cauſa formali, Sic nempe ait l. 2. de gratia Chriſti c. 4. *Adjutorium gratiæ ante lapſum Adæ tale erat, ut ab ipſo liberæ voluntatis motu dependeret, ſalvaque maneret illa libertatis in utramque partem flexibilis indifferentia. nunc verò talis eſt, quod ſuaptè efficacia faciat influere facultatem, nec ipſius libero arbitrio ſubjaceat; ſed hoc ipſo, quo datur, ſimul* USUS *ejus, &* INFLUXUS *detur; ſicut hoc ipſo, quo adeſt juſtitia, ſit juſtus animus*. V. Quid clarius ad demonſtrandam conſtantem, & omnimodam Janſenii cum tot Queſnelli de efficacitate gratiæ Propoſitionibus conſenſionem?

VI. Probatur ſecunda pars, Queſnellus in *Querela & Proteſtatione* ſua pag. 43. ſic infit: *Accuſar, quaſi non admittam gratias inefficaces, quibus reipſa reſiſtitur, quæque ob reſiſtentiam voluntatis non omnem obtineant effectum ſibi debitum: nunquam ab iſtiuſmodi gratiarum aſſertione alienus fui, & revera eas admiſi in Obſervationibus Moralibus, & alibi pluſquam vigeſies, aut etiam tr geſias*. Ergo Queſnellus æquè ac Janſenius admittit gratias verbotenus inefficaces. VII. Dixi *verbotenus inefficaces*, reipſa enim, & vero Catholicorum ſenſu inefficacas à neutro eorum, ſaltèm in hoc ſtatu, agnoſci compertiſſimum eſt; cùm nomine inefficacis gratiæ eam Orthodoxi intelligant, cui voluntas reſiſtit, vel cujus affectus à libero arbitrio impeditur: Atqui juxta Queſnellum *gratia eſt operatio manus Omnipotentis Dei, quam* NIHIL IMPEDIRE POTEST, AUT RETARDARE per Propoſ. 10. cui tot aliæ conſentiunt. VIII. & juxta Janſenium l. 2. de gratia Chriſti c. 24. gratia *ſimul ac pulſat fores, rumpit oſtia, repugnantemque domat voluntatem, tollit omnem ejus reſiſtentiam*. Ibidem perſuadere nititur, *hominem operanti Deo per gratiam non poſſe reſiſtere*. Ergo nec Janſenius, nec Queſnellus admittunt in hoc ſtatu gratiam verò Catholicorum ſenſu inefficacem. Dicendum proinde, quòd quæ apud ipſos *inefficax* appellatur, non ſit talis reſpectu effectûs, quem hic, & nunc habere poteſt, & non habet (cùm gratia in eorum ſententiâ ſemper operetur, quantùm ſpectatis circumſtantiis operari poteſt) ſed tantummodo reſpectu affectûs, quem habere poſſet, & reipſa haberet, ſi concurreret cum ejuſmodi concupiſcentia, cujus ardor remiſſior eſſet, quàm delectatio gratiæ quo caſu hæc operaretur abſolutum, & efficacem conſenſum; At oppoſita fortiori concupiſcentiæ, producit tantùm inefficacia quædam deſideria; deliberata quidem, ſed tamen adeò debilia, ut ad obſervationem præcepti, & fugam peccati haudquaquam ſufficiant. Etenim, ut ait Janſenius lib. 8. de gratia Chriſti c. 2. gratiæ *delectatio victrix, quæ Auguſtino* (ut falsò putat) *eſt efficax adjutorium, relativa eſt. Eſt victrix quando alteram* (concupiſcentiam) *ſuperat; quid ſi contingat, alteram ardentiorem eſſe, in ſolis inefficacibus* boni *deſideriis hærebit animus, nec efficaciter unquam volet, quod volendum eſt*,

Hoc eodem ſenſu dicit Queſnellus, alienum ſe non eſſe ab admittendis gratiis inefficacibus, quæ ob reſiſtentiam voluntatis non omnem obtineant effectum ſibi debitum: *effectus* ſcilicet gratiæ debitus, juxta Novatoris placita, ille eſt, qui debetur gratiæ ſecundùm ſe ſpectatæ, & qui ab ea obtineretur, ſi nullus obeſſet concupiſcentiæ motus, vel ſi is debilior fuiſſet, quàm ſuavitas cœleſtis auxilii. At cùm gratia data ſupponatur in iis circumſtantiis, in quibus motus concupiſcentiæ fortior eſt; hinc ulterior gratiæ effectus invictiſſimè impeditur, & idonea ſolummodo eſt excitandæ cuipiam velleitati, & inefficaci deſiderio.

Ita facilè componuntur quæcunque in Queſnelli, & Janſenii doctrinâ videntur contraria. *Gratiam* juxta Prop. 10. *nihil impedire poteſt, aut retardare*, ſubintellige, à producendo omni effectu, cujus hic, & nunc capax eſt, attento concurſu majoris, minoriſve concupiſcentiæ, & Divinæ voluntatis beneplacito, à quo, ſi novos Theologos audiamus, tam corporeorum, quàm ſpiritualium motuum leges pendent, & ineluctabiliter definitæ ſunt. Hinc Theologiæ compendium à Queſnelli Cliente Lovanii editum, & poſt Romanam condemnationem à Queſnello defenſum ſic pronuntiat: *Singuli gratiæ gradus* (qui à conflictu concupiſcentiæ ſuperſunt) *ſemper in nobis obtinent id, quod per illos vult Deus* juxta leges à ſe ſtabilitas.

IX. Nemini igitur ſenſato Queſnellus perſuaſerit, ullum in ſuis principiis catholico ſenſu reſiſtere potuiſſe gratiæ, cui aſſenſus eſt, vel aſſentiri, cui reſtitit; Catholico ſenſu, inquam: neque enim hic moramur reſiſtentiam, ejus & Janſenii ſenſu intellectam, qua ſcilicet non producitur affectus, qui hic, & nunc produci non poteſt; ſed tantùm producibilis eſt in aliis, & proportionatis tali effectui circumſtantiis.

FINIS SYNOPSEOS.

Errata

Digitized by Google

Errata in Prolegomenis ſic corrige

PAg. 2. lin. 20. des. lege de
Pag. 24. columna 2. lin. 52. cum. lege eom.
Pag. 29. columna 1. lin. 38. videns. lege videas.
pag. 35. columna 2. lin. vlt. quidem. lege quidam
Pag. 40. col. 1. ante lin. 46. & 47. tollendæ bijuges virgulæ
Pag. 41. col. 2. lin. 2. Belgia. lege Belgio.
Pag. 44. col. 2. li. 42. *quorumdam*. lege *quorumdam*(Ieſuitarũ)
Pag. 47. col. 1. lin. 7. peteſtate. lege poteſtate (*Epiſtola*
Pag. 58. col. 2. li. 21. §. 1. Epiſtola. lege *Paragraphus primus*
Pag. 76. col. 1. lin. 25. exanimis. lege examinis

Pag. 77. col. 1. lin. 16. poligamiæ. lege polygamiæ
Pag. 88. col. 2. lin. vlt. *attentæ*. lege *attentatæ*
Pag. 90. col. 1. lin. 22. num. 9. lege verſ. 9.
Poſtnumerum paginæ 91. ſequuntur 94, 95. quorum loco ſubſtituendi 92, 93.
Pag. 92. col. 1. lin. 25. capiti 10. lege capitis 10.
Pag. 94. col. 2. lin. 31. ſuſdeque. lege ſuſquedeque
Eadem vox, ſicubi ſupra recurrit, eodem modo corrigenda eſt.
Pag. 101. col. 2. lin. 1. *perfectum*. lege *imperfectum*

Errata in Prima Parte Operis ſic corrige

Columna 16. linea penult. caput 5. lege in Prolegomenis cap. 16.
Col. 17. lin. 52. ſcripta. lege ſubſcripta
Col. 29. lin. 28. nobis. lege vobis
Col. 32. lin. 4. & alibi, Auguſtini textus hoc, aut ſimili modo alteratus: *quoniam, ut venirent vocati, erat in libera voluntate*; ita reſtituendus eſt: *quoniam, ut venirent, vocati erant in libera voluntate*.
Col. 33. lin. 15., inquit, *Deus*. lege, inquit Deus,.
Col. 35. lin. 12. riſtringi. lege reſtringi
Col. 38. lin. 35. *cujuſque*. lege *cujuſquam*
Col. 54. lin. 33. & 53. quæ juſtificationis. lege quæ diſpoſitionis ad juſtificationem
Col. 54. lin. 49. quorum. lege quarum
Col. 71. lin. 26. bene. lege bene
Col. 100. num. 7. & alibi citatur ex jure Canonico liber de præd. & gratia tanquam Auguſtini, quem aliqui ignoto tribuunt Authori; de quo quidquid ſit, textus jure Canonico conſecratus eſt.
Col. 113. lin. 32. quæ tu. lege cui omnia
Col. 130. lin. ult. prima. lege primò
Col. 131. lin. 6. 18. lege 3.
lin. 21. 19. lege 4. atque ita porrò uſque ad finem capitis.
Col. 140. lin. 47. *gentem*. lege *carnem*
Col. 142. lin. 36. *eam* (legem) lege *ea*
Col. 206. lin. 38. 27. lege 67.
Col. 241. & ſeqq. numero 10. ſubſtituendus eſt numerus 3. & ita porrò uſque ad finem capitis.
Col. 245. lin. 25. ineptis. lege ineptiis
Col. 279. lin. 10. liberè. lege liberà

Errata in Prima Parte Operis ſic corrige

Col. 352. lin. 48. *nobis*. lege *nobis in incarnatione*
Ibid. lin. 53. (& forſan alibi) nunquid. lege nonne
Col. 437. lin. 45. intellectus. lege intellectu
Col. 476. lin. 11. intellectûs. lege intellectus
Col. 477. lin. 44. incipit operari bonum) lege) incipit operari bonum
Col 503. lin. 41. *demitterentur*. lege *dimitterentur*
Col. 509. lin. 47. *modum*. lege *donum*
Col. 517. lin. 13. II. lege XI.
Col. 543. lin. 16. *voluerit*. lege *voluerint*
Col. 547. lin. 33. *natura*. lege *naturæ*
Ibidem lin. 46. *omnium*. lege *hominum*
Col. 556. lin. 56. & lege verſ.
Col. 642. lin. 29. *epiſtola*. lege *epiſtolam*
Ibidem lin. 53. „ *ſed artificiorum*. lege 12. „ *ſed artificium*
Col. 655. lin. 37. Hiſce. lege 4. Hiſce
Ibidem lin. 42. num. 3. lege num. 2.
Ibidem lin. 47. num. 4. lege num. 3.
Col. 665. lin. ult. phræneſi. lege phreneſi
Col. 666. lin. 13. phræneticum. lege phreneticum
Ibidem lin 17. phrænetico. lege phrenetico
Col. 697. lin. 6. *futeri*. lege *fateri*
Col. 706. lin. 28. ſibimetipſi. lege ſibimetipſis
Col. 785. lin. 32 *debitam*. lege *debitum*
Col. 818. lin. 31. *Propoſitionem* 37. lege *Propoſitionem* 34. & 35.
Col. 832. lin. 17. Janſeniani. lege Bajani
Col. 834. lin. 19. Adamo. lege Adamus
Col. 839. lin. 10. cujus. lege ejus
Col. 845. lin. 12. merabatur. lege merebatur

R E G E S T U M.

A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z
Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii Kk Ll Mm Nn Oo Pp Qq Rr Ss Tt Vu Xx Yy Zz
Aaa Bbb Ccc Ddd Eee Fff Ggg Hhh Iii Kkk Lll Mmm Nnn Ooo Ppp Qqq Rrr Sss Ttt Vuu Xxx Yyy Zzz
a b c d e f g h i k l m n o p q r s

Omnes ſunt Duerniones, præter O, qui eſt Quaternio, & Zzz folium ſimplex. Index autem Capitum, & Doctrinæ Synopſis, quæ minoribus typis excuſa, huic primo tomo ſubnectitur, conſtat octodecim foliis ſimplicibus.

ANT 1741817

Digitized by Google

Digitized by Google